





NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
35 M
13
ROMA

DN.

GVILIELMI ESTII

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS
ET PROFESSORIS PRIMARII,
AC ACADEMIÆ DVACENSIS
CANCELLARII.

IN QVARTVM LIBRVM SENTENTIARVM COMMENTARIA:

QVIBVS PARITER
S. THOMÆ SVMMÆ
THEOLOGICÆ PARTES
OMNES MIRIFICE ILLVSTRANTVR.

CVM TRIPLICI INDICE.

TOMVS IIII.





GVILIELMVS ESTIVS.

DVACI,
Ex typographia PETRI BORREMANS, sub signo
SS. Apostolorum Petri & Pauli.
M. DC. XVI. *Cum priuil.* XII. *annorum.*



AMPLISSIMO

ET PER-QVAM REVERENDO IN CHRISTO

PATRI AC DOMINO, DOMINO

IOANNI DV IONCQVOY

CELEBERRIMI MARCHIANENSIS COENOBII

ABBATI,

SACRÆ THEOLOGIÆ ERVDITISSIMO LICENTIATO; HVNC QVARTVM TOMVM COMMENTARIORVM IN QVATVOR LIBROS SENTENTIARVM

EXIMII D. M. N. GVILIELMI ESTII,

EODEM QVO TRES PRÆCEDENTES, HVMILIS CLIENTIS ET CVLTORIS AFFECTV, DEDICAT

PETRVS BORREMANS TYPOGRAPHVS.



ADMODVM REVERENDE DOMINE PRÆLATE, non ita pridem tomos tres commentariorum Eximij Domini Magistri nostri GVILIELMI ESTII pijssimæ memoriæ, huius almæ Vniuersitatis Duacensis Cancellarij, in M. Sententiarum à me in lucem editos, perquam *Reuerendæ Paternitati tuæ* dedicaui; & paucis in liminari epistola huiusce mei officij rationes perstrinxi: denique, spe ductus non ingratum futurum, fidem dedi de quarto, eoque potissimo eiusdem authoris commentariorum tomo, eodem affectu *Reuerentiæ tuæ* consecrando. Cuius fidei meæ chirographum iam ferè omnes in manibus habent; adeo nobis curæ fuit vt præfati libri potissimas Europæ Academias sub tutela *Amplitudinis vestræ* visitarent. Itaque reliquum fuit vt me promissi vinculo exsoluerem. Quod nunc facio, ea qua par est reuerentia rogans, vt vsitata tibi humanitate suscipiat & hunc quartum eundemque vltimum tomum horum Commentariorum: munus quantitate non maximum, sed virtute verè magnum, quia *Magni illius* ESTII. Quod verò ab opella mea est, licèt exiguum, quia tamen à fideli obseruantiæ erga *R. P. vestram* affectu profectum; non vereor ne reijciat. Verùm esto; fides data non sit: citra promissi mei stimulum facere id debui; vel ideirco quia ESTIVS erat. Magni viri scripta cuiusnam patrocinium æquiùs implorarent quàm eius Prælati cui (Deo laus) & virturum merita, & eruditionis laurea, & Infulæ Marchianensis splendor, præcelsum in Belgio nostro locum concedunt? Sed quid ego illos adgrediar laudare, in quibus & hoc laudabile est quod laudari nolint? Sane perpetuum id fuit ESTIO viro modestissimo; cuius tu virtutes libenter imitaris, dignus qui tutor sis posthumorum eius fœtuum. Ac profectò iniquè actum fuisset cum hoc quarto libro, trium præcedentium germano

* fratre,

fratre, ni per parentis mortem (hîc lachrymas ô Duacum!) cum cæteris pupillus, eundem cum cæteris sortitus esset tutorem. Non ignoro equidem eam esse passim consuetudinem vt primogeniti amplior sit & capitalis hæreditas: sed scio etiam quòd in quibusdam locis ea ad natu minimum spectet, in quibusdam verò, omnes pari sorte fruantur; quod postremum ad rem nostram facit. Norunt enim & testantur viri docti, hos commentatios, quosdam quasi progenitos ab ESTIO liberos; æqualiter omnino demortui iam parentis opes possidere. quas vero? etiam alias recensui: ad docendum cum claritate breuitatem; ad explicandum cum securitate humilitatem; ad arguendum cum seueritate modestiam: quæ passim ita elucent vt hi liberi in omnibus sibi similes, per omnia similem & eundem se habuisse patentem præ se ferant. De libri huius & cæterorum argumento, nihil dico: sat constat esse totum & integrum Theologiæ corpus; è quo quid quisque haurire possit emolumenti, plus satis norunt, quibus vti doctrina, ita & mores cordi sunt. Quorum in numero, tua R. P. vel primo loco occurrit, *Amplissime Domine Prælate* qui duabus his veluti alis, ad præcelsum Abbatialis dignitatis thronum euolasti: vbi conspicuum omnes te suspicere possint & amare. Ad me quod attinet, rogo vt operam meam gratam habere dignetur *Amplitudo vestra Reuerende Præsul*, vt & aliàs feci: apud quem nihil aliud dicam, quàm meum obsequiosum istum affectum, vnà cum gratissimo tibi munere fiduciæ ianuam mihi non posse non aperire. *Deus Amplitudinem tuam diu nobis totique Ecclesiæ seruet incolumem*, Reuerende Pater ac Domine.

Ita vouet & apprecatur

Amplissimæ D. & R. P. Tuæ humilis cliens,
PETRVS BORREMANS *Typographus ac Ciuis Duacensis.*

PRÆFATIO IN QVARTVM LIBRVM SENTENTIARVM.



DOCTRINAM sacram partim circa res ipsas, partim circa rerum signa versari, totius operis initio præfatus est Magister ex August. lib. 1. de doctrina Christiana cap 2. Et hactenus quidem rerum tractationem cum Magistro prosecuti sumus. Nunc ad considerationem signorum, in quibus sacramenta præcipuum obtinent locum, veniendum est. Cùm enim signi nomen etiam ad res sacras accommodatum latissimè pateat, duo tamen potissima sunt istiusmodi signorum genera, in quibus pertractandis magna Theologiæ pars occupatur, scriptura videlicet & cæremoniæ.

Nam scripturam in numero signorum collocandam esse perinde vt voces, & per se manifestum est (Sunt enim scripturæ ad voces & conceptiones nominum significandas institutæ) & August. ostendit lib 2. de doctrina Christiana cap. 2. & 4. Verùm hanc partem Theologicæ considerationis, vt & alia quædam de quibus excitatæ sunt ab hæreticis huius sæculi controuersiæ, Magister omnino non attigit. Tractauit autem aliquousque Augustinus tribus postremis de doctrina Christiana libris, sed longè copiosius eam tradiderunt neoterici doctores occasione recentium sectarum ad eius argumenti tractationem adducti. Quâ de re etiam à Patribus concilij Tridentini sessione 4. edita sunt duo decreta, quibus illi eam doctrinam ex sententia catholicæ Ecclesiæ breuiter & solidè complexi sunt: alterum de canonicis scripturis: alterum de editione & vsu sacrorum librorum.

Cæremoniæ verò, quæ & ipsæ sine dubio sunt in genere signorum, magnam habent varietatem. Aliæ enim sunt res: aliæ actiones. Et aliæ veteris: aliæ nouæ legis obseruationes sunt. Et rursus aliæ tantùm significant, aliæ verò aliquid etiam secretius operantur. Et harum denique aliæ efficaces sunt ex fide & deuotione vtentium: aliæ per se, & vt scholastici loquuntur, ex opere operato. Neque igitur hoc quoque genus vniuersim à Magistro tractatum est, sed postremum dumtaxat, quo sacramenta nouæ legis propriè dicta comprehenduntur. In quorum explicatione quartus hic liber consumitur vsque ad distinctionem quadragesimamtertiam. A quo rursum loco Magister à signis ad res transitu facto duos nouissimos articulos fidei nostræ; nempe carnis resurrectionem & vitam æternam vsque ad finem libri tractando exequitur.

Notandum est autem propter eam, quam initio tradidimus Theologiæ partitionem in primam & secundam, totam ferè huius libri in ea Theologiæ parte reponendam esse, quam secundam idcirco vocabamus, quòd res diuinas non consideret, secundùm primam rerum institutionem, sed tantùm ex hypothesi seu suppositione peccati. Neque enim in statu innocentiæ, vel signis externis ad

operandum interius sanctificationem opus fuisset, neque locus erat resurrectioni corporum, vbi mors nulla præcederet, quam solius peccati merito in mundum intrasse sana fides confitetur. Quamquam quæ de vita æterna & statu beatorum secundùm corpus & animam disseruntur, non est negandum ad primam atque perpetuam Theologiam pertinere; quandoquidem ea homini integro cum homine lapso & per Christum reparato sint communia.

APPROBATIO.

Hæc Commentaria in 4. libros Sententiarum Eximij & incomparabilis viri GVILIELMI ESTII *Sacræ Theologiæ Doctoris, & in Academia Duacena primarij dum viueret Professoris, multimoda & solida eruditione referta sunt quibus pariter S. Thomæ Summæ Theologicæ partes omnes mirificè illustrantur: nihilq; fidei aduersum, nil il bonis moribus contrarium continent. Quare in omnium vtilitatem, Theologorum in primis à quibus diu desiderata sunt, prælo committentur. Actum Duaci die 18. Martij. 1615.*

Georgius Colvenerius S. Theologiæ Doctor & Professor, & Librorum in Academia Duacena Visitator

LE PRIVILEGE.

SVr la requeste presentée aux Archiducz noz Souuerains Princes & Seigrs. de la part de PIERRE BORREMANS Imprimeur iuré en nostre Vniuersité de Douay, contenant qu'on luy auroit mis es mains certain Liure intitulé *Commentaria Eximij Domini Magistri nostri* GVILIELMI ESTII *Sac. Theol. Doctoris, & in Academia Duacen. dum viueret primarij professoris in quatuor libros sententiarum Magistri Petri Lombardi,* pour les imprimer, comme fort vtiles & desirez de ceulx qui estudient en la saincte Theologie, à quoy le suppliant seroit prest d'entendre, mais ne le pouuãt faire sans nostre congé, Il nous à bien humblemẽt supplié de le luy donner auecq priuilege pour le terme de quatorze ans, à commencer auoir cours dez que ladite impression sera acheuée, considerez les grandz fraiz qu'il luy conuiendra d'exposer à cest effect, & luy faire sur ce depescher noz lettres patentes en tel cas pertinentes, *Pour ce est il* que nous les choses susdites considerees, & veue en nostre Conseil Priué l'approbation, & visitation dudit liure Maistre George Coluenere Docteur & Professeur en la saincte Theologie, en nostre Vniuersité de Douay, & ensemble Visitateur & censeur des liures en icelle, inclinans fauorablement à la supplication & request dudit Pierre Borremans suppleant auons octroyé permis, & accordé, octroyons, permettons, & accordõs, en luy donnãt congé, & licence de grace especiale par ces presentes, qu'il puist & pourra imprimer le susdit liure, Intitulé *Commentaria Eximij Domini Magistri nostri* GVILIELMI ESTII *Sac. Theol. Doctoris, & in Academia Duacen dum viueret primarij professoris in quatuor libros sententiarum Magistri Petri Lombardi.* Et iceluy vendre, & distribuer en & par tous noz pays de pardeça, sans pour ce aucunement mesprendre, & ce pour le temps & terme de douze ans, à commencer auoir cours dez que ladite impression sera acheué. Defendans, & interdisans bien expressement par cesdictes presentes à tous Imprimeurs, Libraires, & aultres quelz qu'ilz soyent de n'Imprimer, ou contrefaire ledict liure, ny d'allieurs imprimer, ou contrefaict apporter vendre, ou distribuer en nosdicts pays de pardeça durant ledict terme de douze ans, sans l'aduerẽ ou consentement dudit Suppliant, à peine de confiscation de tout ce qu'au contraire aura esté imprimé, & en oultre de trois florins carolus d'amende pour chacun exemplaire, à appliquer la moictie au proffict de leursdits Altezes, & l'autre moictie audit Imprimeur, comme plus amplement est declaré aux patentes. Faict à Bruxelles soubz le cachet de leursdits Altezes le vingisixiesme iour du mois de Nouembre l'an de grace mil six cens & treize.

J. LE CONTE.

IN DISTINCTIONEM PRIMAM.

§. 1. *Sacramentum quid significet, & quomodo definiatur.*

S. Th. 3. p. q. 60. art. 1. 2. 3. & 4.



PVO authores sacramenti nomen obligationem illam significat, cum iurantes aliquo se seruitutis vinculo obstringunt. Vnde iusiurandum, quo se milites ad præstandam reipublicæ fidelem operam obstringebant, sacramẽtum militare dicebatur, ipsique milites vocabantur sacramentarij; tametsi deinde ad omne iuramentum extensa est huius vocabuli significatio, etiam vsu sacrorum canonum; vt patet ex decreto Gratiani 22. quæst. 4. cap. Qui sacramento. Et quæst. 5. cap. paruuli.

Verùm apud authores sacros hoc nomen aliam peculiarem, ac profanis incognitam accepit significationem, eamque duplicem. Nam sæpenumero, tum in scriptura cannonica, tum alibi sic vsurpatur, vt rem sacram significet non quamlibet, sed sublimem, arcanam & reconditam, quod Græci μυςήριον vocant. Ita accipitur his scripturæ locis. Sapientiæ 2. *Nescierunt sacramenta Dei.* Ephes. 1. *Vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* 1. Timoth. 3. *Magnum est pietatis sacramentum.* Apocalyp. 1. *Sacramentum septem stellarum.* Quibus locis pro sacramento quod noster interpres reddidit, Græcè perpetuò μυςήριον legitur. Sic patres secretiora religionis nostræ capita, sacramenta vocarunt: vt Trinitatis sacramentum, quod nos vsitatius mysterium dicimus. Et Ambros. librum inscripsit de incarnationis dominicæ sacramento. Extenditur autem & ad arcana non sacra, quibus tamen veneratio debetur, vt Tobiæ 12. *Sacramentum regis abscondere bonum est.*

Altera huius nominis significatio est, qua accipitur pro signo rei sacræ. In qua quidẽ significatione vox Græca μυςήριον, reperitur apud Dionysium Areopag. libr. de ecclesiastica hierarchia cap. 1. Vbi mysteria, id est, sacramenta religionis nostræ vocat signa sensibus obiecta quæ sunt intelligibilium imagines, vt quibus conspectis ad rerum inuisibilium adducamur cognitionem. Dionysium eatenus parte secuti sunt Græci posteriores. Inter Latinos autem vetustissimus Tertullianus libr. 1. contra Marcionem, & Lactantius libr. 3. diuinarum institutionum cap. 16. & libr. 4. cap. 22. sacramenti vocabulum hoc pacto vsurparunt; sed longè frequentiùs posteriores Ambros. Hieron. Augustin. quique eos deinde sunt secuti. Vnde Augustin. epist. 5. ad Marcellinum: Signa, inquit, cùm ad res diuinas pertinent, sacramenta appellantur. Et epistula 23. ad Bonifacium: Si sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Et lib. 10. de ciuitate cap 5. Sacrificium, inquit, visibile inuisibilis sacrificij sacramentum, id est, sacrum signum est.

Hoc igitur modo acceptum sacramenti nomen complectitur omnia veteris & nouæ legis signa & ceremonias comprehensis etiam sacrificijs. Porrò in noua lege peculiariter ac propriè sacramenta

A vocantur ea signa, quæ sic imaginem gerunt inuisibilis gratiæ, vt eius etiam ex institutione Christi causa existant. Meritò autem hæc præ cęteris rerum sacrarum signis sacramenti nomen possident, quia rem sacram, abditam atque occultam non solùm significant, sed etiam continent atque efficiunt.

Ex his igitur non difficile est inter tres sacramenti definitiones à Magistro traditas discernere, & quàm latè vnaquæque earum pateat, intelligere. Quarum prima est. *Sacramentum est sacræ rei signum.* Altera. *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma.* Tertia. *Sacramentum est quod ita signum est gratiæ Dei & inuisibilis gratiæ forma, vt ipsius imaginem gerat & causa existat.* Nam prima latissimè patet, omnia rerum sacrarum signa complectens. Secunda strictior est, ea tantùm signa comprehendens, quæ gratiam interiorem significant, siue eam efficiant siue non. Postrema denique sola gratiæ efficacia signa continet. Est autem circa secundam definitionem notandum, per formam visibilem non id solùm significari quod oculis subiectum est, sed generaliter signum quodcunque sensibile, siue substantia quædam sit, vt aqua, oleum; siue qualitas, vt verba; siue actio, vt lotio, vnctio, manuum impositio.

Definitur sacramentum propriè dictum etiam hoc modo. *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibile signum ad nostram iustificationem institutum.* Et hoc itetum modo. Sacramentum est in quo sub regumento rerum visibilium diuina virtus secretius humanam salutem operatur. Quæ definitio sumpta est ex Gregorio in 1. Regum 16. ad illud: *Directus est spiritus Domini in Saul.* vnde eam sumpsit Isidorus lib. 6. Etymol. cap. 18.

Cæterùm ab Hugone Victor. lib. 1. de sacramentis parte 9. cap. 1. sic definitum legitur. Sacramentum est materiale elementum foris sensibiliter propositum ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans & sanctificatione continens inuisibilem gratiam. Seosum autem hunc breuiter reddere licebit. Sacramentum est externum quoddam & sensibile signum interioris atque inuisibilis gratiæ, & quidem ex Christi institutione efficax, id est, per quod Deus certò atque infallibiliter gratiæ salutarem effectum operatur in suscipiente, dummodo ad id ritè præparatus accedat, aut certè obicem non ponat. Harum porrò definitionum plenior intelligentia ex ijs, quæ deinceps tum de sacramentorum significatione, tum de eorum efficacia dicemus, accipienda est.

§. 2. *Sacramenta quas ob causa instituta.*

MVltæ sunt causæ, propter quas institui sacramenta oportuit. Et quidem de sola finali causa, id est, vsu atque vtilitate sacramentorum nunc agemus, aliorum generum causas postea suis locis explicaturi. Magister post Hugonem lib. 1. de

S. Thom. 3 p. q. 61 art. 1.

sacramentis patre 9. capit. 3. tribus de causis ea instituta esse docet.

Primò propter humiliationem, vt dum sensibilibus elementis ex Dei præcepto sese homo submittit, in ijsque sese exercet, superbia eius qua peccando subijci Deo noluit, edometur, atq; ita ea obedientie humilitas commenderetur. Quie enim dum sapiens & rectus esset institutus, spiritualibus inhærere contemsit, iusto Dei iudicio ad spiritalie per sensibilia reducitur.

Secundò propter eruditionem. Cùm enim ea sit hominis natura vt ex rebus sensu perceptis, veniat in notitiam rerum intelligibilium, conuenienter instituta sunt sacramenta tanquam externe signa, quæ nos rerum spiritalium per ea significatarum commonefacerent, & ad eas cogitandas excitarent atque intelligendas instrueret. Nam, vt ait Ioan. Chrysostomus homilia 83. in Matth. & homilia 60. ad populum Antiochenum: si incorporeos esses, nuda & incorporea dedisset tibi Deus dona sed quoniam anima corpori consetta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet. Hinc etiam est, quod ecclesia non solùm de Christo incarnato, verùm etiam de sacramento corporis & sanguinis eius canit ante canonem missæ hæc verba: *Vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur.* Huc quoque pertinet, quod Patres Concilij Tridentini sessione 22. can. 1. testantur humanam naturam exigere externum & visibile sacrificium. Hoc enim generaliter ad sacramenta & ceremonias rectè extenditur. Atque bene rationem prosequitur sanctus Dionysius Areopagita initio libri de Ecclesiastice Hierarchia.

Tertiò propter exercitationem, quia vt ait Magister, in sacramentis proponitur homini vtilis & salubris exercitatio, qua vanam & noxiam declinet occupationem.

Sunt & aliæ causæ prædictis adiungendæ.

Quarta igitur causa sit, vt ad ea quæ nobis promittuntur credenda, vehementiùs mouere mur. Sicut enim in veteri lege Dominus promissiones suas multa signorum varietate confirmauit, ne populus ille nudis Dei verbis minus crederet: ita etiam in noua lege Christus, cùm nobis peccatorum veniam, iustitiam, Spiritumsanctum, vitam æternam promitteret, quædam signa sensibus subiecta instituit, quibus eum quasi pignoribus obligatum haberemus, atque ita fidelem in promissis futurum minimè dubitaremus.

Quinta, vt ijs tanquam peccatorum nostrorum remedijs, infirmitatis nostræ subsidijs, & sanctificationis nostræ instrumentis per Christi passionem efficacibus vteremur. Quæ sanè præcipua est institutionis sacramentorum nonę legis causa, eisque propria, quam commemorat Ambrosius lib. 5. de sacramentis ca 4. Et Augustinus lib. 4. contra Donatistas, cap. 21. & sequentibus. Estque significatus hic sacramétorum vsus, per hoc quod Samaritanus euangelicus vulneribus hominis semiuiui curãdis vinum & oleum infudisse legitur.

Sexta, vt sacramenta notæ quædam & symbola essent, quibus fidelium societas inter se colligata ab hominibus diuersæ religionia secerneretur. Nam vt est apud Augustin. lib 19. contra Faustum capit. 11. In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari possunt homines, nisi aliquo signaculorũ vel sacramentorum visibilium consortio colligentur. Vtrumque ergo præstant veræ religionis sacramenta, quia & fideles a b infidelibus distingount, &

A ipsos inter se fideles sancto quodam vinculo societatis connectunt.

Septima, vt per sacramenta tanquam voces quasdam visibiles in hominum cõspectu fidem nostram profiteamur; quia vt ait apostolus Rom. 10. *Corde quidem creditur ad iustitiam: sed confessio fit ad salutem.* Sicut autem ore, sic & alijs quibuscunque externis signis id fieri consentaneum est, ijs maximè quę sunt ad significandum diuinitus instituta, tanquam visibilia & cõtrectabilia quædam verba; sic enim ea appellat Aug. lib. 19. contra Faustum cap. 16. & tract.

B 80. in Ioannem.

Cùm igitur tam multiplex sit sacramentorũ vsus, & institutionis ratio, patet eos meritò anathemate damnari à Patribus Concilij Tridentini, qui sacramenta nouæ legis dicunt propter solam fidem nutriendam esse instituta sessione 7. can. 5.

§. 3. *Sacramenta quarum rerum signa sint.*

De sacramentis non solùm, quòd signa sint, verũ etiam quarum rerum signa sint, cognoscere ad christianam pertinet libertatẽ, quemadmodũ docet S. Tho 3. p. q. 60. ar. 2. & 3.

C Aug. lib. 3. de doctrin. christiane Cùm enim dixisset cap 5. eam esse mirabilem animæ seruitutẽ signa pro rebus accipere, & supra creatorem corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen attollere non posse; qualis fuit Iudaici populi seruitus sub lege, addit cap 9. eum quoque sub signo seruire, qui operatur aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet. Qui verò, inquit, aut operatur aut veneratur vtile signum diuinitus institutum, cuius vim, significationemque intelligit, non hoc veneratur, quod videtur & transit, sed illud potius, quò talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo

D spiritalis & liber est. Sic ille.

Veruntamen multò minus obnoxius est seruituti, qui signa asse nouit ea, quæ veneratur, licèt eorum significationem non assequatur; quàm qui ne id quidem didicit. Vnde subijcit in fine eiusdem capitis Augustinus: Qui autem non intelligit, quid significet signum, & tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur seruitute. Quamuis enim aliqua seruitus sit ex alterius præscripto operari, quod nõ intelligas. Seruus enim est qui nescit quid faciat etiam per ipsum Dominus eius Ioannis 15. non tamen ea seruitute premitur, qui quod agit, saltem si-

E gnum esse nouit; nec id quelecunque, sed signum rei sacræ, & ad salutem suam pertinentis. Quod qui intelligunt, eos Augustinus cap. 6. eiusdem libri spiritalibus proximos esse testatur. Vt autem in totum hac seruitute liberetur christianus, propriam, ac distinctam signorum significationẽ capiet necesse est.

Quod igitur ad Sacramenta nouæ legis pertinet, rectè in ijs triplex constituitur significatio, quemadmodum ostendit sanctus Thomas 3. quæstione 60. articulo 3. Primum enim rei cuiusdam præteritæ commemorationem continent, vt incarnationis, passionis, mortis, sepulturæ, resurrectionis Chri-

F sti. Deinde præsentem gratiam indicant, vt iustitiam, remissionem peccatorum, aliaque Dei dona, quæ percipit is, qui sacramentis vtitur. Tertiò, futurum etiam aliquid, vt resurrectionem nostram & vitam æternam, prænunciant. Inter quæ tria id est discriminis, quòd res præterita & futura significatur tantùm; res autem præsens, id est, gratia iustificans ita significatur, vt eorundem sacramentorum virtute in homine qui ea suscipit, efficiatur.

Potest

Potest hæc triplex significatio per singula sacramenta A declarari, potissimùm verò in baptismo, Eucharistia & coniugio. De baptismo certè declarat ipse apostolus Rom. 6. Cùm enim ait: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*, ostendit baptismum eiusmodi esse signum, quod nos dominicæ passionis, & mortis admoneat. Cùm verò subijcit: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*, ostendit baptismo significari gratiam renouationis, quam & præstat. Postremò cùm addit: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius,* B *simul & resurrectionis erimus*, significat baptismum etiam futuræ nostræ resurrectionis & vitæ æternæ imaginem præferre. Similis adhiberi potest declaratio & in alijs.

§. 4. *Sacramenta nouæ legis esse gratiæ signa efficacia.*

S. Tho. 3. p. q. 62. art. 1. QVod suprà dictum est sacramenta nouæ legis non esse nuda signa, sed eius gratiæ quam significant, C ex Christi institutione efficacia, probandum nunc est plenius; præsertim quia id vno ore à sectarijs huius temporis negatur. Vt autem ex sacris literis id probemus, quoniam in genere de sacramentis hoc non ita expressim inuenitur, ijs testimonijs vtendum est, quæ de singulis sacramentis loquuntur. Quæ probatio cùm inductionis vim habeat, non minus certitudinis adferet, ac plus etiam euidentiæ, quàm si vna generali sententia id expositum fuisset.

Primum igitur de baptismo sunt hæc loca, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu.* Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo.* Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis* D *& renouationis spiritus sancti.* Actor. 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Actor. 22. *Exurge & baptizare & ablue peccata tua.*

De confirmatione legitur Actor. 8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritumsanctum.* Et iterum, *Cum vidisset Simon, quia per impositionem manus apostolorum daretur spiritussanctus.*

De sacramento reconciliationis. Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

De ordine manifestus est locus 1. Timoth. 4. & E 2. Timoth. 1. gratiam Timotheo per impositionem manuum apostoli fuisse collatam.

De vnctione extrema non minus manifestè loquitur Iacobus 5.

Matrimonij gratiam commendat, quòd Christus nuptijs benedixit Ioannis 2. iuxta sanctorum patrum interpretationem.

In eucharistiæ sacramento sanctificationis gratiam conferri dubium esse non potest apud eos, qui Christum ipsum omnium gratiarum fontem in eo præsentem esse credunt. F Et hæc quidem è scripturis probatio nunc sufficiat. Nam de singulis exactior proprijs locis est reseruanda.

His porrò accedit confirmatio ex patribus. Nam Dionysius Areopagita hierarchiæ ecclesiasticæ cap. vltimo. Mysterijs, id est, sacramentis, non solùm mysticam intelligentiam, hoc est, significationem, sed & vim tribuit, quæ in eis Deo authore efficacitatem habeat, id est, efficaciter operetur.

Basilius lib. 1. de spiritosancto cap. 12. duos esse dicit salutis modos inter se cohærentes & inseparabiles fidem & baptismum.

Ambros. lib. 2. de pœnitentia cap. 2 testatur per aquam ablui peccata, quomodo Naamen Syrus per aquam purgatus est à lepra; licèt id ei antea incredibile visum fuisset.

Chrysost. hom 24. in Ioannem comparat aquam baptismi cum semine, cui diuinitus insita est vis ad rei ex eo orituræ formationem. Et homil. 35 similitudine probaticæ piscinæ, cuius aqua ab angelo mota sanabat languidos, baptismi vim declarat.

August. in psal 73 sacramenta noui testamenti dare salutem asserit. Et enchiridij 66 eadem sacramenta salutaria vocat, ijsque agi & effici dicit, quod valeat & prosit ad futurum seculum Et lib. 19. contra Faustum cap. 11. de sacramentis loquens: Quorum, inquit, vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas. Itemque cap. 13. sicut & lib. 3. de doctrina Christiana cap. 9. virtutem tribuit sacramentis Rursum cap. 16. eiusdem libri contra Faustum sic ait: Virtus quæ per ista operatur, iugiter manet, & donum spirituale, quod per ista insinuatur, æternum est. Idem lib. 1. de peccatorum remissione cap. 12. fieri dicit vi sacramenti vt paruulus inter fideles numeretur. Et lib. 3. contra Cresconium. cap. 8. sacramenta comparat agris, qui suapte natura fructum ferunt adhibita operarij labore, siue ille bonus fuerit siue malus. Peruulgata quoque est illa Augustini sententia ex tract. 80. in Ioannem. Quæ est tanta vis aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo?

Augustino Prosper subscribit ita inquiens in epistola ad Demetriadem. Aliud est quod visibiliter agitur, aliud quod inuisibiliter celebratur. Nec idē est in sacramento forma quod virtus; cum forma humani ministerij exhibeatur obsequio; virtus autem per diuini operis præstetur effectum. Ad cuius vtique potentiam referendum est, quod cùm homo exterior abluitur, mutatur interior, & fit noua creatura de veteri, vasa iræ in vasa misericordiæ transferuntur, & in corpus Christi conuertitur caro peccati. Hæc ille. Et vt reliquam doctorum multitudinem prætereamus, duorum summorum & doctissimorum pontificum sententias cum definitione duorum generalium conciliorum subijciemus.

Leo primus sermone 5. de natiuitate domini testatur virtutem altissimi operari per aquam ad regenerationem, sicut operata fuit ad Christi conceptionem. Et epistola 91. ad Theodorum per supplicationes sacerdotum in pœnitentiæ sacramento, pœnitentes purgari atque absolui.

Generaliter autem loquens Nicolaus primus in rescripto ad consulta Bulgarorum dicit in sacramentis esse purgationem omnium contagiorum.

Concilia verò sunt Florentinum & Tridentinum: quorum illud in decreto Armenis tradito definit sacramenta nouæ legis gratiam conferre: istud sess. 7. per aliquot canones hoc ipsum confirmat asserens nouæ legis sacramenta gratiam continere, eamque obicem non ponentibus conferre etiam ex opere operato.

Postremò accedit constantissima ecclesiæ traditio de baptismo paruulorum ad originalis peccati deletionem infallibiliter efficaci. Atque hæc ex multis pauca (cùm sint alioqui infinita patrum præsertim de baptismo tam adultorum quàm paruulorum testimonia) huc allata sint ad probandū in genere sacramēta gratiam efficere quam significant Sed hæc

doctrina clarior euadet ex ijs, quæ adhuc dicenda restant, vt de modo causandæ gratiæ, de opere operato, deque differentia sacramentorum veteris & nouæ legis.

§. 5. *Quomodo sacramenta sint causa gratiæ.*

S. Tho. 3. p. q. 62. ar. 1. 3. & 4.

CVm sit apud Theologos orthodoxos indubitatum sacramenta nouæ legis gratiam quam significant præstare siue conferre, atque eam aliquo modo causare in genere causæ efficientis: non parum tamen inter eos controuertitur de modo causandi. Potest autem ea opinionum diuersitas ad duos generales modos reuocari. Nam alij volunt sacramenta esse propriè dicta instrumenta Dei, tanquam principalis causæ ad gratiam producendam, & proinde virtutem aliquam eis tribuunt, qualis instrumentali causæ conuenit, quatenus mouentur ab agente principali. Quæ sententia est S. Thomæ, & eius sequacium, licèt varient in ea defendenda. Alij verò neque propriè dictam, id est, physicam instrumenti rationem in sacramentis agnoscunt, neque virtutem aliquam creatam eis inesse putant, qua gratiæ effectum operentur; sed dicunt hactenus tantùm sacramenta esse efficacia gratiæ signa, quia diuina virtus sacramentis ad producendum gratiæ effectum certò & infallibiliter ex Christi promissione assistit: vt videlicet habeant rationem causæ sine qua non, vel potiùs causæ instrumentalis generaliter dictæ, instrumentum morale vocant. Hanc opinionem tradunt Scotus, Henricus à Gandauo, Bonauentura, Durandus, Alexander de Ales & alij plærique, licèt & ipsi in hac opinione explicanda non planè consentiant. Nos argumentis vtriusque partis prolatis, quid probabiliter dici possit indicabimus.

Priori sententiæ fauere videntur primùm sacramenti definitiones ab Hugone & Magistro traditæ & aliæ passim approbatæ, quæ veram causæ rationem sacramentis tribuunt respectu gratiæ per ipsa significatæ; cum causa sine qua non quatenus talis, impropriè tantùm & abusiuè, vt aiunt, causa dici possit.

Deinde ea ferè omnia, quibus paulò antè ostendimus per sacramenta conferri effectum spiritualem; quandoquidem præpositio, *per*, qua ad efficaciam sacramenti designandam tam scriptura quam patres multis locis vtuntur, nota esse solet instrumentalis causæ.

Tertiò quod patres apertè sacramentis vim, virtutem, efficientiam, & in genere causationem tribuunt, quod præter suprà citata testimonia etiam ex his ostenditur. Augustinus epistola 23. ad Bonifacium virtutem regenerationis baptismo tribuit, & paulò post, sicut spiritumsanctum, sic & aquam nostræ regenerationis causam esse testatur; illum videlicet causam principalem, hanc verò instrumentalem esse insinuans. Beda super cap. 3. Lucæ: Christus, inquit, tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis. Chrysost. homil. 25. in Ioannem ait: Aqua baptismi animas rationales parit. Et rursum: Nunquam aqua baptismi purgare peccata credentium posset, nisi tactu dominici corporis fuisset sanctificata. Quæ sententia in decretum relata est à Gratiano de consecratione distinct. 4. cap. nunquam. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioannem capit. 42. hac vtitur comparatione, quod sicut viribus ignis intensius aqua calefacta, non aliter quam virtute ignis vrit: sic aqua virtute spiritussancti in se suscepta abstergit peccata. Et Cyrillus Hierosol. Catech. 3. Vt illa, inquit, quæ in aris offeruntur cùm natura sint pura, inuocatione dæmonum impura efficiuntur: sic contra aqua simplex per sancti spiritus, Christi & patris inuocationem accepta virtute sanctitatem consequitur.

Quartò id significatum volunt verbis Florentini ac præcipuè Tridentini concilij, in quo sessione 7. tum in proœmio, tum in canonibus 6. 7. & 8. de sacramentis hæc tria dicuntur; sacramenta continere gratiam, sacramenta conferre gratiam, per sacramenta dari gratiam atque iustitiam. Item can. 1. de baptismo negatur baptismus Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi. Et de confirmatione can. 2. ita statuitur: Si quis dixerit iniurios esse spiritusancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit. Itemque cap. 3. sess. 13. docetur ex vi verborum consecrationis corpus Christi esse sub specie panis, & sanguinem sub specie vini.

Quintum argumentum sumitur ex eo, quòd omnes consentiant sacramenta gratiam conferre ex opere operato. Quod & Patres concilij Tridentini definierunt canone 8. de sacramentis.

Sextum ex discrimine inter sacramenta veteris & nouæ legis, quod putant non constare, nisi sacramentis nouæ legis tribuatur propria ratio causæ instrumentalis, & virtus tali causæ conueniens.

Septimum tale est, sacramenta sunt signa operatoria, ergo competit illis operatio, & per consequens principium aliquod illius operationis, nempe virtus operatiua.

Octauum: Christus per suam humanitatem tanquam coniunctum sibi instrumentum, fuit nobis causa gratiæ; quia caro Christi, vt Damascenus testatur lib. 3. de fide cap. 15. fuit instrumentum diuinitatis. Itemque verbo suo, quo dicebat: *Remittuntur tibi peccata tua*, tanquam instrumento vtebatur ad conferendam paralytico gratiam remissionis, ergo pari ratione negandum non est, quod sacramentis à se ad hominum sanctificationem institutis vtatur tanquam instrumentis propriè dictis ad eum effectum.

Nonum: Sicut dicitur Apocalyp. 1. quòd *lauit nos Christus à peccatis nostris in sanguine suo*, & cap. 5. quòd *redemit nos in sanguine suo*, & cap. 7. de martyribus, quòd *lauerunt stolas suas in sanguine agni*. Et 1. Ioannis 1. quòd *sanguis Christi emundat nos ab omni delicto:* Sic ad Ephesios 5. dicitur Christus mundare ecclesiam suam lauacro aquæ in verbo. Quare si in illis causam instrumentalem rectè agnoscimus, igitur & in aqua baptismi alijsque sacramentis.

Postremum, si sacramenta instrumentaliter non operantur ad hominis sanctificationem, sed hactenus tantùm, quia Deus ijs infallibiliter ad hunc effectum assistit, ergo non aliter conferunt gratiam, quàm signum malefici infert nocumentum, dæmone videlicet ad nocendum ex pacto infallibiliter ei assistente.

Posteriorem verò sententiam his ferè argumentis partim proprijs, partim ad euertendam priorem directè pertinentibus confirmant.

Primùm, vtuntur authoritate Patrum, Augustini, Gregorij & Bernardi. Augustinus enim lib. 83. quæst. quædam esse dicit, quæ Deus efficit per seipsum, quale est illuminare animas, & gratiam

donare. Et epistola 23. cùm dicit aquam exhibere forinsecus sacramentum gratiæ, & spiritumsanctum operantem intrinsecus beneficium gratiæ regenerare hominem in Christo, tacitè videtur ab aqua operationem internam gratiæ remouere. Gregorius autem in cap. 16. libri. 1. Regum ad illud: *Directus est spiritus Domini in Dauid*, scribit sacramenta ob id dicta, quòd diuina virtus sub rerum corporearum segumentis occultè salutem efficiat. Eiusdem similia citantur verba 1. quæst. 1. cap. Multi sæcularium. Et Bernardus sermone de Cœna Domini. Sicut, inquit, inuestitur canonicus per librum, abbas per baculum, episcopus per annulum, sic diuisiones gratiarum diuersis sunt traditæ sacramentis. Quare vt in libro, baculo, annulo non est ponenda virtus aliqua; ita nec in sacramentis.

Secundò sic argumentantur. Creare adeo Dei proprium est, vt id nulli creaturæ, ne quidem vt instrumento communicari possit; vti etiam Diuus Thomas concedit & probat 1. p. q. 45. art. 5. Cuius ratio est, quia instrumentum non potest ad opus artificis eleuari, nisi aliquam circa eandem materiam habere possit actionem propriam. Cùm ergo creatio fiat ex nihilo, ad nihilum autem creatura admoueri nequeat, fit vt ipsa nec instrumentum creationis esse possit. Atqui gratia cùm sit forma quædam spiritualis & supernaturalis, perinde atque anima rationalis, ideoque de potentia materiæ nequeat educi, non nisi per creationem existit. Non igitur sacramenta sunt propriè dicta gratiæ producendæ instrumenta.

Tertiò: Virtus quæ ponitur in sacramentis aut materialis est, aut spiritualis: si materialis, non poterit producere in anima hominis effectum spiritualem: si spiritualis, non potest existere in subiecto materiali, cuiusmodi sunt sacramenta.

Quartò: Si sacramentis inest vis creata, igitur aut inest materiæ sacramenti aut formæ, aut toti composito, quorum nihil dici posse videtur. Non primum, quia materia est pars ignobilior sacramenti, nec eam virtutem nisi per formam recipere posset; nec denique eius capax est nisi virtutem etiam materialem & extensam ponamus, vt iam argumentatum est. Non secundum, quia formam constituũt verba, quæ sunt in continua successione, & proinde incapacia virtutis spiritualis, quam oporret totam simul existere, quia partes non habet. Neque tertium, quia totum nequit eam virtutem suscipere, nisi ratione partium, præsertim cùm non sit totum simpliciter, sed aggregatione dumtaxat vnum.

Quintò: Si aquæ baptismatis inest virtus aliqua sanctificans, igitur & in materia reliquorum sacramentorum talem virtutem agnoscere oportebit. Quod sanè de singulis sacramentis declarare difficillimum est, atque omnino improbabile; præsertim in sacramento pœnitentiæ & matrimonij. In sacramento autem eucharistiæ omnino id dici non potest, cùm eius materia per consecrationem esse desinat.

Sextò: Si aquæ inest eiusmodi virtus, quæritur, quomodo baptismus sanctificat eum, qui fictè accessit, & postea conuertitur, atque ita per baptismum accipit originalis peccati remissionem; cùm dici non possit actione baptismi transacta, virtutem eius perdurare vsque ad hominis conuersionem.

Postremò possunt & alia quæri, quorum difficillima erit explicatio; velut ad quod genus accidentium ea virtus pertineat, quando incipiat, quamdiu duret, sitne naturæ permanentis an successiuæ,

A quomodo animæ applicetur, atque in eam influat, idque per singula sacramenta, aliaque huiusmodi.

Hæc sanè breuiter proposita satis ostendunt quæstionis difficultatem, ad quam proinde articulatim respondentes dicimus.

Primò quæstionem hanc neque in Concilio Tridentino, neque superiori aliquo ecclesiæ decreto definitam esse. Etenim Patres concilij Tridentini sessione 7. vbi de sacramentis agitur, etsi vtantur illis receptissimis apud omnes catholicos locutionibus, sacramenta gratiam continere & gratiam conferre, & gratiam per ea dari, studiosè tamen
B abstinuerunt à vocabulis instrumenti, causæ, virtutis, efficientiæ. Sed & canone 2. de confirmatione non definiunt chrismati virtutem aliquam inesse, sed tantùm eos damnant anathemate, qui hoc asserentes dicunt spirituisancto esse iniurios. Vnde satis apparet Patres prudenter hanc quæstionem dissimulasse & definire noluisse, quemadmodum & de multis alijs inter catholicos dubijs & controuersis fecisse eos perspicuum est.

Secundò dicimus posteriorẽ opinionem fuisse & esse inter scholasticos doctores communem sententiam, quemadmodum testatur Bonauentura ad distinctionem vltimam libri 3. sententiarum, & con-
C fitetur Dominicus in præsentem distinctiõem, dicens eam esse omnium ferè doctorum etiam neotericorum, quæst. 3. art. 1. & 4.

Tertiò priorem dicendi modum, etiamsi nos eum ratione comprehendere non possimus, non tamen videri impossibilem, si omnipotentiam Dei respiciamus, quemadmodum fatetur eodem loco Bonauentura, & post eum Richardus art. 1. licèt alij negent possibilem rationibus non contemnendis.

Quartò eandem videri posse probabiliorem si nudas quasdam patrum sententias vt sonant atten-
D damus, quia haud dubiè virtutem sacramentis omnes tribuunt; quidam etiam inesse dicunt, modum tamen haudquaquam explicantes.

Quintò posteriorem sententiam probabiliorem esse si rationem consulamus; quemadmodum satis probant & rationes suprà positæ, & aliæ à scholasticis doctoribus allatæ; quales potissimùm videre est apud Scotum & Durandum in hanc distinctionem & apud Bonauẽturam, tũ in præsentẽ distinctionẽ, tũ in distinctionẽ vltimam libri superioris.
E Vnde idem Bonauentura declarat priorem dicendi modum esse satis pium, posteriorem verò satis sobrium; quòd nimirum ille multum tribuat sacramentis, hic verò tantum, quantum & pietati sufficit & rationi congruit.

Postremò, vtriusque partis argumenta posse probabiliter dissolui. Et prioris quidem hoc pacto.

Primum. Sacramenta intelligi possunt causa gratiæ generali modo causalitatis, quia nimirum signa sunt, non nuda, nec inania, sed efficacia; Efficacia, inquam, in genere signorum, id est, talia si-
F gna quæ simul exhibent rem signatam; siue propriè eam efficiant, siue tantùm eiusmodi sint, vt ijs positis res ipsa quam signant, ex certa aliqua ordinatione infallibiliter adsit, aut habeatur. Quomodo plumbeum signum à rege institutum, vt quicunque illud adferat, pro eo accipiat centum aureos, dici potest generali modo causa illius acceptionis; qui quidem modus à communi loquendi consuetudine non est alienus. Et sicut rectè per tale signum dicitur quis accipere centum aureos, ita & per sacramenta gratiam, vtrobique vt per instrumenta non

omnino propriè dicta, sed extenso instrumenti nomine ad id omne, quo vtitur quispiam quomodolibet ad aliquid efficiendum. Non enim patres cùm de rebus spiritualibus & supernatoralibus per modum corporalium & naturalium loquuntur, semper propriè vocabulis vtuntur, sed sæpenumerò ea extendunt ad generaliorem aliquam significationem: sic & virtus atque efficientia quam sacramentis tribuunt, intelligi potest efficax ordinatio alicuius ad aliquid, vt videlicet illo posito hoc quoque ad quod ordinatum est certo ponatur. Vnde sicut signum de quo modò dicebamus, dicitur valere centum aureos propter talem regis ordinationem, ita multò magis sacramenta vim atque virtutem habere ad exhibẽdam gratiam propter certissimam & infallibilem ordinationem diuinam. Aut certè quod eodem ferè recidit, virtus quam in sacramentis agnoscunt patres, potest intelligi virtus diuina sacramentis ea Dei promissione infallibiliter assistens. Nam & alijs quibusdam cæremonijs rebusque sacris certam promissionem non habentibus virtutem tribuere solet sermo fidelium, atque ipsius Ecclesiæ. Cuiusmodi sunt aqua benedicta, agnus Dei, cineres, rami, campanæ, aliaque ecclesiæ precibus consecrata. Item reliquiæ sanctorum, signum crucis & huiusmodi. Apertè namque in benedictione aquæ virtus nominatur, cùm dicitur, vt huic elemento virtutem tuæ benedictionis infundere digneris. Imo & aqua baptismatis ad eum vsum multò ante consecratur, quàm ad actualem vsum adhibeatur orante sacerdote: Descendat in hanc aquam virtus spiritussancti; Nec tamen putabit quisquam in ea virtutem aliquam inhærentem latere, quæ continuò perduret vsque dum aqua pereat. Quin & scriptura virtutem hoc pacto vsurpat, vt 2. Machab. 3. vbi agnoscit Heliodorus quòd in templo sit vera quædam Dei virtus. Nec dissimile est, quod 1. Corinth. 14. dicit apostolus: *Si nesciero virtutem vocis*, id est, significationem hominum voluntate voci attributam, quæ tamen in voce nullam ponit qualitatem seu accidens reale. Quodque cap. 15. dicitur: *Virtus peccati lex*, propter solam peccati ex lege occasionem.

Quod autem profertur ex catechesibus Cyrilli Hierosolymitani diuersam potiùs sententiam adiuuat. Quæ enim idolis offeruntur reuera non aliqua imbuuntur qualitate, quâ impura intrinsecus existant, sed impura dicuntur propter impiam & sacrilegam inuocationem super ijs factam, quomodo & terra dicitur contaminari peccatis hominum.

Ad id, quod in Florentino & Tridentino concilijs obijcitur, iam patet, quid sit respondendum. Conferunt enim sacramenta gratiam, quia eam non tantùm significant, sed & secum adferunt atque præsentem exhibent ex infallibili Dei ordinatione. Quomodo autem gratiam continere dicantur, eamque dare ex opere operato, postea suo loco dicemus, sicut & illud: quomodo non repugnet hæc sententia discrimini sacramentorum nouæ & veteris legis.

Ad septimum respondetur sacramenta si quando operatoria vocantur, ita dici propter operationem virtutis assistentis.

Ad octauum nec Christi humanitatem, nec verbum eius iuxta hanc opinionem fuisse instrumenta propriè dicta ad effectum gratiæ, licèt rectè dictum sit à Damasceno humanitatem Christi fuisse diuinitatis instrumentum ad patranda miracula. Eadem quoque rectè agnoscitur causa meritoria iustitiæ nostræ, & remissionis peccatorum, quatenus videlicet in ea & secundùm eam Christus passus est & mortuus pro nostra salute.

Vnde & ad nonum responsio patet.

Ad postremum responderi potest, licèt dæmon aliquatenus imitetur diuina, vt Deo similis videatur, nihil tamen eum in illis suis sacramentis, vel ad illa supra naturam operari posse, sicut facit Deus; imò & solo nutu diuino omnia eius sacrilega pacta posse dissolui, vt assistentia eius nequaquam sit certa. Esse tamen aliquid simile in signis à dæmone, & sacramentis à Deo institutis, testatur Augustinus libro 83. quæstionum quæst. 79.

Quæ pro altera parte proposita sunt argumenta dissolui fortasse poterunt ad hunc modum.

Verba ex Augustino, Gregorio & Bernardo prolata non conuincunt. Vult enim Augustinus vtroque loco solum Deum esse primariũ authorem internæ illuminationis & gratiæ, non negans interim quin ad eos effectus producendos instrumentis quibusdam extrinsecus admotis vti possit. Gregorius quoque quod minus est dicens, non negat id quod maius est, ideo fortasse sermonem temperans, quod non de solis specialiter dictis sacramentis loqueretur. Bernardus autem similitudinem illam de libro, baculo & annulo, non eò adducit, vt ostendat quemadmodum sacramenta concurrant ad effectum spiritualem, sed tantùm vt doceat diuisiones gratiarum diuersis attributas esse sacramentis.

Ad secundum responderi potest, gratiam cùm non sit substantia quædam, propriè non creari, sed concreari, vt loquuntur, id est, produci cum subiecto vel in subiecto, licèt non è potentia materiæ. Potest autem sacramentum habere propriam aliquam actionem circa subiectum, vt verbi gratia, aqua circa hominem, ipsam videlicet ablutionem externam; qua mediante tanquam instrumenti propria actione Deus ineffabiliter animam interius & à peccatis mundet & dono gratiæ sanctificet.

Ad reliqua quæ obijciuntur respondent Caietanus & Dominicus, idque satis iuxta mentem Diui Thomæ, virtutem quæ ponitur in sacramento, cùm non sit virtus principalis, sed instrumentalis duntaxat, non esse aliquod ens completum & permanens, sed incompletum & transiens ex vno in aliud: nempe motum quo producitur actio sacramentalis à principali agente per eius ministrum cum intentione efficiendi id ad quod sacramentum est institutum, vt exempli gratia in baptismo ipsam ablutionem & verborum prolationem factam intentione Ecclesiæ. Cùm enim duplex sit instrumẽti motus: alter ipsius instrumenti proprius, vt secare: alter motus instrumenti ab artifice, vt secare appositè ad opus fabrile. Posterior priorem includit eumque informat. Atque huiusmodi motum esse volunt virtutem quam sacramentis tribuunt. Quæ declaratio etsi probabilitatis aliquid habere videatur, nequaquam tamen ad plenum satisfacit rationibus in contrarium allatis.

§. 6. *Sacramenta quo sensu gratiam continere dicantur.*

QVod in concilijs Florẽtino & Tridentino definitum est sacramenta nouæ legis gratiam continere, sumptum videtur ex Hugone Victorino libro 1. de sacramentis, parte 9. cap. 2. vbi dicit sacramenta nouæ legis ex sanctificatione continere inuisibilem aliquam & supernaturalem gratiam. *S. Tho. 3. p. q. 62. ar. 3.*

tiam. Et cap. 3. vbi, in sacramentis velut quibusdam vasculis antidora spiritualia hominibus porrigi testatur. Atque hinc est quòd ab alijs sacramenta etiam vasa gratiæ appellata sunt.

Vtrumque autem quo sensu dictum sit, quæritur. Respondet Diuus Thomas. 3. quæst. 62. art. 3. sacramenta continere gratiam, quia gratia in illis est, non vt in loco, neque vt in subiecto, neque etiam vt in causa principali, sed partim vt in signo, partim vt in causa instrumentali; quemadmodum paulò ante explicatum est. Et de priore quidem modo nulla est dubitatio. Sacramenta enim esse signa gratiæ inter omnes conuenit. Posteriorem autem modum vt ex suprà dictis patet, alij non recipiunt nisi quatenus extendatur instrumenti significatio etiam ad signa rerum efficacia. Et certè probabilius iuxta mentem Hugonis, sacramenta gratiam continere & gratiæ vasa esse dicuntur, quia gratiam non modò signant sed & præbent quoties ad ea recurritur; sicut vas aliquod homini depromenti præbet liquorem, quem intra se continet. Huc facit scriptura Isaiæ 12. *haurietis aquas de fontibus saluatoris*, id est, multiplicem gratiam è sacramentis velut vasis ac fontibus seu puteis aquam viuam continentibus. Neque enim propterea dicta sunt vasa gratiæ, quia sunt gratiæ instrumenta, phrasi videlicet Hebraica, qua vas pro instrumento cuiuscunque operis interdum ponitur in sacris literis; tametsi S. Thomas sic interpreretur, sed quia gratia ab illis petitur, ac veluti depromitur. Ita enim Hugonem intellexisse ex ipso loco manifestum est, quod ipsum & significat, continendi vocabulum.

§. 7. *Ex opere operato quatenus valere dicantur Sacramenta.*

Ad S. Th. dicta 3. p. q. 62.

RECepta est apud Scholasticos phrasis, sacramenta nouæ legis ex opere operato gratiam conferre. Qui sermo etsi neque in sacris literis, neque in veterum scriptis reperiatur, imò non multò ante tempora S. Thomæ Aquinatis primum vsurpari cœperit, quemadmodum colligitur ex scripto eius in Quartum distinct. 1. quæst. 1. art. 5. (Nam in summa sua eius non meminit) omnino tamen recipiendus est, postquam patres Tridentini Concilij canone 8. de sacramentis definierunt per sacramenta nouæ legis ex opere operato gratiam conferri. Est autem ea phrasis planè consentanea ijs quæ suprà dicta sunt de efficacia sacramentorum.

Et quamuis expressè apud veteres non legatur, rem tamen ipsam satis ab ipsis explicatam esse negari non potest. Id enim perspicuè ostendunt authoritates suo loco adductæ ex Dionysio, Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, Prospero & alijs. Nam & Augustinus simili phrasi prorsus idem significante vsus est libro 4. contra Donatistas cap. 24. dicens ipsum per seipsum sacramentum multum valere, quod profectò non est aliud, quàm valere ex opere operato. Hoc autem cùm de circumcisione ab eo dictum sit, multò magis ad sacramenta nouæ legis transferendum est. Eodem spectat, quod est apud eundem lib. 3. contra Cresconium cap. 8. vbi sacramenta comparat agris qui suapte natura fructum ferunt adhibito operarij labore, qualiscunque demum ille fuerit. Vnde & Innocentius tertius qui S. Thom. 50. ferè annis antecessit, hanc phrasim suo, vt apparet, tempore, vel non multò ante natam vsurpauit, & vsurpando

A approbauit libro 3. de sacro altaris mysterio cap. 5. Cuius proinde vis nobis explicanda est.

Ac primum scire oportet ea phrasi non hoc significari: sacramenta ex natura & conditione operis effectum aliquem spiritualem producere. Nisi enim diuinitus ad talem effectum instituta atque ordinata essent, nihil tale valerent, nihilo magis quàm aliæ quælibet externæ actiones. Imò seclusa diuina institutione superstitiosum foret ab eiusmodi actionibus supernaturalem aliquem effectum infallibiliter expectare.

Deinde nec putandum est ita valere ex diuina
B institutione sacramenta, vt in suscipiente nullam præparationem, nullum bonum cordis motum requirant, quem sensum huius locutionis falsò catholicis affinxerunt hæretici, potissimum occasione quorundam verborum Gabrielis Biel in Quartum Sententiarum distinct. 1. quæst. 3. vbi sic ait: Sacramentum dicitur conferre gratiam ex ipso signo, vel sacramento, vel vt alij dicunt ex opere operato; ita quòd eò ipsò quò opus illud, puta sacramentum exhibetur, nisi impediat obex peccati mortalis, gratia confertur; sic quod præter exhibitionem signi
C foris exhibiti non requiritur bonus motus interior in suscipiente. Verùm proximè sequentibus verbis author se exponit addens: Quo de condigno vel de congruo gratiam mereatur. Tantùm ergo negat requiri motum bonum interiorem qui habeat rationē meriti respectu effectus sacramentalis; quemadmodum idem doctor id planius declarat lectione 87. in canonē missæ. Et constans est omnium scholasticorum doctrina sacramenta non esse ijs impendenda qui nolunt à peccatis recedere aut infidelitatem deserere. Vnde manifestum est iuxta schola-
D rum doctrinam in suscipiente requiri motum fidei & pœnitentiæ; paruulis interim excep[illegible]pto quibus vtrumque supplet fides & pietas [illegible]a ecclesiæ. Quin & hanc calumniam hæreticorum apertè repellnut ab ecclesia patres concilij Tridentini sessione 14. cap. 4. his verbis: Quamobrem falsò quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam ecclesia Dei docuit nec sensit.

Tertiò nec istud ea phrasi significatum est, sacramentis inhærere vel inesse virtutem aliquam creatam, qua effectum mysticum operentur. Id enim
E non significari ex eo clarum est, quia tam illi qui eam virtutem non agnoscunt, quàm qui eam statuunt communiter hanc locutionis formam amplectuntur. Item alterum definitum est, alterum problematicum.

Sensum igitur dictæ locutionis hunc rectissimè reddunt Catholici: Sacramentum valere ex opere operato, id est, eò ipsò quò tale opus sit, non quidem in quantum naturalis quædam actio est, vt dictum est, sed quatenus ad effectum gratiæ diuinam habet institutionem atque infallibilem promissionem. Ea autem promissio cùm sit conditionalis re-
F quirens in adultis debitam præparationem, nullo modo ex ea phrasi rectè intellecta consequitur, ex mente Catholicorum sacramenta valere etiam absque bono motu suscipientis.

Quod vt clarius euadat sciendum est opus operatum dici ad distinctionem operis operantis. Hoc autem duplex intelligi potest, alterum ministri, alterū suscipientis. Neque enim valent sacramenta ex opere, id est, fide seu deuotione ministri; quemadmodum contra Donatistas multis locis docet Augustinus. Neque etiam ex opere suscipientis, Quam-

uis enim in suscipiente, si rationis vsum habeat, præparatio quædam per fidem & pœnitentiam necessaria sit, idque ex ipsa sacramentorum institutione, non tamen inde sacramenta suam vim & efficaciam mutuantur, sed eam accipiunt ab eo à quo sunt instituta.

Putant autem nonnulli opus operatum propriè dici vt distinguatur ab opere operantis ministri, quasi aduersus errorem Donatistarum primum excogitata fuerit ea phrasis, qui sacramenti effectum ex merito ministri dependere volebant, atque eo modo haud dubiè intellexit Innocentius 3. lib. 3. cap. 5. de sacro altaris mysterio. Cum enim dixisset de sacramento corporis Christi: Quia non in merito sacerdotis, sed in verbo conficitur creatoris; Non ergo sacerdotis iniquitas effectum impedit sacramenti, sicut nec infirmitas medici virtutem medicinæ corrumpit. Deinde concludit: Quamuis igitur opus operans aliquando sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum.

Alij verò operantem intelligere malunt eum qui sacramentum suscipit. Ex cuius opere non valet sacramentum, licèt opus eius præparatorium requiratur ad hoc vt effectus sacramenti consequatur, vti modo dicebamus. Atque hanc antithesin inter opus operatum & opus operans, seu potiùs operantis ferè spectauerunt scholastici doctores, vbi de sacramentis disputant.

Vt igitur intelligamus, quemadmodum sacramenta valeant ex opere operato, constituantur exempli gratia duo æqualiter ad suscipiendum baptismum per fidem & pœnitentiam præparati; quorum alter baptismum suscipiat, alter nondum suscipiat. Horum enim ille qui sacramentum suscipit, simul etiam effectum eius consequetur, vtpote gratiam sanctificationis & remissionis peccatorum, quam non consequetur is qui sacramentum non suscipit.

Manifestius autem id probatur exemplo paruulorum, qui cùm æqualiter sint infecti peccato, & nihil ex sua parte conferre possint ad sui iustificationem, eorum tamen alter solùm quia baptizatur iusticiam & salutem consequitur, altero sine baptismo pereunte. Rursum si duos constituas adultos & ad baptismi gratiam præparatos quidem, sed inæqualiter; æqualem ambo quantum est ex parte sacramenti gratiam percipient, si ambo baptizentur; tametsi ille qui magis præparatus accedit, insuper amplius aliquid accepturus est iuxta præparationis ac deuotionis suæ modum.

§. 8. *Non eundem vsum esse sacramenti & euangelij.*

DOcent sectarij sacramentorum eundem esse vsum quem euangelicæ prædicationis, & proinde non aliter ascribendam volunt hominis sanctificationem sacramento quàm verbo euangelij; quia, inquiunt, sicut sacramentum, ita euangelium virtus Dei est in salutem omni credenti. Rom 1. Verùm per ea, quæ hactenus dicta sunt de sacramentorum efficacia, satis redarguitur nouicium hoc dogma. Potestque ex ijs colligi multiplex discrimen inter sacramentum & euangelium, quoad effectum sanctificationis.

Primò quia euangelium non nisi credenti virtus Dei est ad salutem, sacramentum verò etiam non credenti, nec credere valenti, videlicet paruulo. Quod enim quidam aduersariorum dicere ausi sunt, paruulos etiam credere atque intelligere mysteriorum baptismi sanctificationem, intus eos mouente spiritu Christi, absurdius est quàm vt rationibus refelli debeat; quamquam iam olim eam absurditatem reiecit Augustinus libro. 1. de peccatorum merit. cap. 35. & libro 21 de ciuitate cap. 16. & lib. 22. cap. 24.

Secundò quia euangelium est in salutem tantum mediante significationis eius apprehensione, idque per auditum, quia *fides ex auditu est*: Sacramentum verò ex Christi institutione salutem operatur, etiamsi is qui suscipit significationis eius vim non apprehendat, imò nec verba audiat, nec elementum externum videat, vt contingit in paruulis, surdis, cæcis, amentibus, quibus non prodesse sacramentum nefas est dicere. Quare nec necesse est ad effectum sacramenti consequendum vt lingua vulgo intellecta administretur, vti eodem fundamento nitentes atque errorem ex errore trahentes perperam contendunt hæretici. Operantur enim sacramenta perinde atque vox illa Domini: *Lazare veni foras* Ioan. 11. Et illa: *Adolescens tibi dico surge*, Luc. 7. quam tamen illi nec audientes nec intelligentes virtute eius à mortuis suscitati sunt. Quamuis igitur dixerit Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 16. Quid sunt aliud quæque corporalia sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia? Non tamen eorum intellectum in suscipiente requirit, sed virtutem commendat his sequentibus verbis: Virtus tamen quæ per ista operatur iugiter manet, & donum spiritale quod per ista insinuatur, æternum est. Sacramenta igitur significant quidem quod efficiunt, sed non dependet eorum effectus ab intelligentia significationis.

Tertiò, quia ad sacramenta nemo admittitur adultus & rationis vsum habens, nisi credat, & credere se profiteatur: euangelium verò iuxta Domini præceptum prædicandum est omni creaturæ tam non credenti, vt credat, quàm credenti, vt confirmetur in eo, quod credit. Vnde ad audiendum salubriter euangelium nulla est necessaria dispositio præuia, cùm per euangelici verbi prædicationem hoc agatur, vt Deo intus operante credant infideles, & mali conuertantur, vel ad hæc ipsa disponantur.

Postremò quia ex Dei promissione certus est atque infallibilis effectus sacramenti, dummodo administretur ei, cui administrandum est ex Christi institutione. At non ita se habet effectus verbi prædicati etiamsi apud eos prædicetur, quibus Deus prædicari constituit. Non enim verbum promissionem habet sicut sacramentum. Neque dictum est, quicunque audierit, credet, sicut dictum est, Marc. 16. *quicunque crediderit & baptizatus fuerit saluus erit*, Et *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ioan. 20. Quin potius de quibusdam dicitur. Quòd non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex his quæ audierunt. Hebræ. 4.

§. 9. *Alij errores circa vim & vsum sacramentorum refelluntur.*

AB eo quod docet Ecclesia sacramenta ad hominis iustificationẽ valere ex opere operato varié discedunt Sectarij, tametsi in eo consentiẽtes, quòd non virtute verborum & cæremoniæ foris exhibitæ, sed per fidem solam homo iustificetur. Nam præter errorem quem modò refutauimus, S. Tho. 3. p. q. 62.

alij tu-

alij iustificationē ipsam prorsus à sacramento separant, asserentes eam vsu sacramenti esse priorem; obtentam nimirum per fidem qua homo iam ante credidit sibi remitti peccata; sacramentum verò postea adhiberi, vt verbo quidē promissionis (sic enim loquūtur) fides cōfirmetur: elemētu verò ceu sigillo quodā diplomati appenso eadem fides obsignetur; atque ita per sacramentum declaretur testatumque fiat hominem iam prius esse per fidem iustificatum. Atque hæc ferè de sacramenti vsu Caluinianorum est doctrina. Lutherani verò minus in speciem ab Ecclesiæ sententia recedunt. Docent enim sacramento proposito fidem hominis excitari per verbum promissionis & externum elemēti symbolum: Porrò fide promissionis verbum apprehendi, eiusque vi iustificari hominem. Et proinde non ante sacramentum, sed tunc quando sacramentum adhibetur, hominem iustificari volunt. Qua postrema parte cum catholicis consentiunt.

Sunt denique qui sacramenta ad iustificationis negocium nihil omnino pertinere putātes, censent ea non aliud esse quàm notas Christianæ professionis, quibus Christi fideles ab infidelibus apud homines discernantur, sicut Romanos, vt aiunt, toga discernebat à Græcis. Harum opinionum prima manifestè pugnat cùm doctrina Ecclesiæ, quam suprà exposuimus de vi & efficacia sacramentorum. Ex ea enim clarum est per sacramenta, atque in ipsis sacramentis, non ante sacramenta iustificari hominem.

Deinde si sacramenta tantùm sigilla quædam sunt obsignantia fidem & iusticiam iam ante per fidem acceptam, consequetur ea nequaquam ad salutem esse necessaria: cùm huiusmodi obsignatione nihil sit opus, neque apud Deum, qui nullo sigillo admonendus est vt meminerit quid nobis per fidem contulerit; neque apud homines, quibus tale signaculum adhibitum fidem facere non potest acceptæ iusticiæ, nihilo magis quàm si absque eo nudam audirent oris confessionem. Atqui ex euangelio discimus quædam ad salutem esse necessaria sacramenta dicente Domino: *Nisi quis renatus fuerit* &c. Ioan. 3. Quare meritò hunc errorem damnauit synodus Tridentina sessione 7. canone 6. quo eis anathema dicit, qui sacramenta nouæ legis esse volunt externa tantùm signa acceptæ per fidem gratiæ vel iustitiæ, vt alios canones prætereamus quibus clarè definitur per sacramenta gratiam conferri, & eorum quædam esse ad salutem necessaria

Altera opinio nihilominus ex ijs, quæ de vi sacramentorum dicta sunt, facilè refellitur. Deinde & ipsa seipsam destruit. Fides enim qua dicunt hominem iustificari apprehenso promissionis verbo, secundùm eos non alia est, quàm fides illa specialis qua sibi remissa propter Christum peccata credunt. Quæ proinde si vera est, (vt veram esse oportet si fidei nomen meretur) à remissione peccatorum non potest esse separata. Cùm igitur sine fide prævia nemo ad sacramentum accedere debeat, certissimè consequitur iuxta hanc quoque doctrinam, remissionem peccatorum sacramento esse priorem.

Vnde patet huius opinionis authores in priorem opinionem, eādemque cum ea absurditatem vel inuitos incidere, atque ob id ijsdem argumentis facilè refelli posse. Quamquam nec propria desūt quibus conuincantur. Si enim sacramentū non valet nisi ad fidem excitandam, qua apprehenso promissionis verbo iustificemur. Primū sequetur paruulos frustra baptizari in quibus nullus esse potest fidei motus.

A Quod quidem est contra fundatissimam Ecclesiæ traditionem de baptismo paruulorum, & viam sternit errori Anabaptistarum. Et ne de paruulis aliquid singulare comminiscantur, etiam adultis rationis vsu destitutis constat iam olim collata fuisse sacramenta, vti de baptismo testatur Augustinus libro. 4. confessionum cap. 4. & de reconciliatione Leo epistola 91. ad Theodorum. Sequetur deinde nec ministro opus esse, facilè enim sibimetipsi quisque promissionis verba recitare poterit, adhibito elemento, vt his excitata fide, iustificetur. Neque omnino intererit siue vir, siue mulier, siue puer

B verba promissionis pronunciet, idque siue seriò siue ioco, dummodo per ea fides in homine cui dicuntur, excitetur. Quod etsi per se sit absurdissimum, fateri tamen vt conceptam semel opinionem tueretur Lutherus non fuit veritus, idque contra omnem antiquitatis doctrinam quæ non alium in sacramento reconciliationis præter sacerdotem ministrum agnoscit. Denique cùm sine verbis & elemento possit sola meditatione fides excitari & confirmari, perspicuum est etiam hac opinione tolli sacramentorum necessitatem. Damnauit autem

C hunc errorem canon 8. concilij Tridentini de sacramentis.

Tertium verò ac postremum quam satis redarguit multiplex sacramentorum vsus initio à nobis propositus, & tota superior doctrina de sacramentorum efficacia, disertè quoque damnauit synodus Tridentina canone 6. de sacramentis. Nam & Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. cùm dixisset homines non posse in vnam aliquam religionem seu veram seu falsam coagulari, nisi aliquo sacramentorum visibilium consortio colligatos, ne-

D quis inde suspicaretur, non alium esse sacramentorum Christianorum vsum, statim subiecit illorum vsum præcipuum, dicens eorum vim inenarrabiliter plurimum valere, & sine ea pietatem perfici non posse.

§. 10. *Quomodo fides cooperetur ad effectum sacramentorum.*

AD intelligendum plenius quæ sint fidei partes in negocio iustificationis, primùm omnium aduertendum est passionem & mortem Christi ne- *S. Thom. 3. p. q. 62. ar. 5. & q. 60. ar. 6. ad 3.*

E mini ad iusticiam & salutem prodesse, nisi ei applicetur, id est, nisi per aliquem modum homo particeps efficiatur meritorum Christi quæ nobis in cruce parauit. Quamuis enim potentissimum sit in Christi morte remedium aduersus peccatum, nisi tamen sumptum applicatumque illud fuerit nihil prodest. Nam, vt ait Prosper responsione ad primam obiectionem Vincentianam: Poculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se, vt omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.

F Porrò ea applicatio non vna in re consistit. Primùm enim fides homini inspiratur qua credat vera esse quæ diuinitus reuelata & promissa sunt; atque illud imprimis à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, vti declarant patres Tridentini Concilij sessione 6. cap. 6. Deinde verò per fidem acceptam incipit homo etiam ipse sibi admouere medicinam in Christi morte propositam; videlicet dolendo de peccatis, sperando veniam, inuocando Deum per Christum, commutando vitam in melius, & præscripta à Deo remedia suscipiendo.

Prima igitur applicatio qua fides donatur, non fit per fidem, sed singulari operatione spiritussancti hominem præuenientis & ab infidelitate conuertentis. Omnis autem subsequens applicatio fit quidem per fidem, sed non ita tamen quasi sola fides sufficiat ad parandam, & vt loquuntur, apprehendendam iusticiam, sed & cætera necesse est ad hunc finem instituta media adhiberi, inter quæ sunt sacramenta. Sicut ergo mors Christi nobis applicatur per fidem, & tamen eius participes per fidem non efficimur nisi ex eadem fide inuocemus, quemadmodum Rom. 10. docet apostolus: ita nec plenè participes eius efficimur per fidem & inuocationem, nisi & sacramentis à Deo præscriptis vtamur. Habent autem hæc singula partes suas atque ordinem in nostra iustificatione. Per fidem enim medicina cognoscitur, per spem desideratur, per inuocationem ad eam propinquatur, per pœnitentiam à morbo receditur, per vitæ mutationem ad sanitatem acceditur. Denique per sacramentum ceu poculum quoddam efficax & salutare medicina hauritur, morbus pellitur & sanitas restituitur. Quæcunque ergo sacramentum præcedunt, præparationes seu dispositiones quædam sunt ad iusticiæ effectum ex Christi morte consequendum, sed non continuò iustum reddunt.

Ea res exemplo corporalium miraculorum Christi aptissimè declaratur. Qui enim sanabantur à Christo, plærumque prius tempore & credebant Christum posse hoc facere, & eum vt id faceret inuocabant. Neque tamen eò ipsò sanitatem accipiebant, sed postea vel imperio vel tactu, vel lotione, vel alia quapiam ceremonia sanitatem eis Christus præstabat. Verumtamen quia fides & oratio eos velut præparabant atque idoneos reddabant accipiendæ sanitati, idcirco eis dicitur, *Fides tua te sanum fecit.* Ad hunc modum fides, oratio, pœnitentia, & alia quæ sacramento priora sunt, hominem ad iusticiam præparant atque disponunt, vt meritò dictum sit: Fide purificari corda Act. 15. Et saluum fore, quicunque inuocauerit nomen domini. Rom. 10. Et eum, qui egerit pœnitentiam, victurum. Ezechiel. 18. non tamen ipsam statim iusticiam secum adferunt, sed præterea opus est sacramento, in quo Christi virtus & meritum velut per contactum operatur & salutem præstat. Vnde qui dixit fide purificari corda, idem credentes & pœnitentes monet, vt baptizentur in remissionem peccatorum. Act. 2. Voluit enim salutem nostram Deus ordine quodam & per plura media, causasque diuersi generis operari, eamque paulatim ab imperfecto ad perfectum adducere. Quem ordinem & causarum diuersitatem videre est cap. 6. & 7. sessionis 6. concilij Trident.

Qua in re notandum quoque quod August. quæst. 2. ad Simplicianum fieri dicit in nobis per fidem ante baptismum inchoationes quasdas conceptionibus similes, sed non modò concipi inquit, verùm etiam nasci opus est, nimirum per regenerationis sacramentum. Quodque superiori cap. ex eodem annotauimus virtute sacramentorum perfici pietatem, atque adeo sine ea perfici non posse. Porrò exactior huius argumenti tractatio ad materiam de iustificatione pertinet.

§. 11. *Fidei non necessariò coniunctam esse remissionem peccatorum.*

QVod circa doctrinam de sacramentis fundamenti loco tradunt hæretici, cum fide necessariò atque inseparabiliter coniunctam esse peccatorum remissionem, ideoque sacramentis eam tribui non posse, id quàm sit absurdum & à Catholica veritate alienum paucis ostendendum est. Ac primùm satis id ostenditur ex ijs, quæ suprà de vi sacramentorum quoad effectum remissionis peccatorum dicta sunt, & præcipuè de baptismo quem institutum esse in remissionem peccatorum non modò scriptura Act. 2. & 22. testatur, sed & perpetua traditione Ecclesiæ vsque adeo confirmatum est, vt eam solam sufficere putauerit August. ad conuincendos Pelagianos, docentes paruulos sine peccato nasci. S. Tho. 3. 2. q. 1. 3. ar. 4. & 6 & 2. 2 q. 4. art. 4. & 7.

Vox autem ecclesiæ manifestè agnoscitur in symbolo Constantinopolitano, in quo confitetur vnum baptisma in remissionem peccatorum. Atqui ad baptismum adultus nemo nisi qui iam ante credere se profiteretur vnquam admitti potuit, quod præter loca Matth. vltimo, Marci vltimo, Actor. 2 & 22. clarè probat illud Actor. 8. vbi Philippus ab Eunucho fidem exigit, priusquam ei baptismum impendat, idemque Samaritanos cùm iam credidissent baptizasse eodem capite legitur. Vnde manifestum est fidem remissione peccatorum anteriorem esse. Cùm autem sacramentorum ianua sit baptismus, multò minus ad aliud quodcunque sacramentum admitti poterit quispiam non credens. Quare si fides secum adfert necessariò remissionem peccatorum, frustra quibusdam dictum est: *Quorum remiseritis peccata* &c.

Deinde huc referenda sunt, quæcunque probant esse aliquam fidem informem. Qua de re egimus ad distinct. 23 lib. 3.

Tertiò huc pertinent, quæcunque ostendunt aliquam Dei dilectionem remissione peccatorum esse priorem. Quod à nobis probatum ad distinctionem 27. eiusdem libri. Si enim dilectio Dei remissionem peccatorum antecedere potest, multò magis fides, sine qua Deus non diligitur, eam antecedit.

Quartò, perspicua ratione id ostenditur. Inter ea enim, quæ Christiana oratione à Deo petimus, est ipsa remissio peccatorum, atqui oratio fide posterior est, vt quæ ex fide proficisci debeat, non ergo fidei coniuncta ab initio erat remissio peccatorum; nisi quis dicat, quod est absurdissimum, hoc petere nos debere, quod iam sciamus nos habere, cùm pro eo potius gratias oporteat agere.

Quintò. Ea quibus Deus iratus placari se velle in scripturis declarat, vt pœnitentia, ieiunium, lachrymæ, eleemosynæ, vt ad Deum placandum valeant ex fide proficisci debent; non ergo fides statim nos Deo reconciliat.

Sextò, fides non solùm propria, sed & aliena impetrat remissionem peccatorum, hæc autem tempore eam antecedit, quod in ijs patuit, quorum fidem respiciens Iesus dixit Paralytico: *Remittuntur tibi peccata*, igitur & illa peccatorum remissionem antecedere potest.

Postremò, si fides non est sine remissione peccatorum, igitur fidelis nullus peccat saltem mor-

taliter nisi simul & fidem amittat, aut certè fatendum erit, fidelem simul & peccare & peccati remissionem per fidem accipere, id est, eodem momento Deum offendere & placare; offendere peccando, placare credendo, quod profectò asserere longè est absurdissimum.

§. 12. *Solutio eorum quæ ab aduersarijs obijciuntur.*

S. Thom. vbi sup. PRo confirmatione nouitij dogmatis sui quo & à sacramentis effectum gratiæ remouent, & eum in solam fidem transferunt aduersarij, hæc ferè contra Catholicos argumenta producunt.

Primò, id quod scriptum est, Genes. 15 *Credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad iustitiam*; ergo, inquiunt, eo ipso quo credidit solutus fuit à peccatis; præsertim cùm ad remissionem peccatorum hoc referat apostol. Rom. 4. statimq; e subiongat: *Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Et paulo post de Abraham dicat: Quòd *signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei quæ erat in præputio*. Ex quibus verbis à simili colligunt sacramenta nouæ legis, non aliud esse, quàm sigilla quædam iustitiæ priùs per fidem acceptæ.

Secundò, Idem apost. Rom. 3. dicit: *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum.* Et ca. 10. *Corde creditur ad iustitiam.* Quod & probat per prophetam dicentem: *Omnis qui credit in eum, non confundetur.*

Tertiò, prophetica & apostolica sententia est Iustum ex fide viuere, cùm neque scriptura, neque patres perhibeant vsquam, Iustum viuere ex sacramentis.

Quartò, obijciunt quod ait Petrus Actor. 15. Fide purificari corda credentium.

Quintò, vt penitus à sacramentis excludant virtutem sanctificandi, obijciunt illud eiusdem 1. epist. 3 *Saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientia bonæ interrogatio in Deum*; ergo in baptismate non sacramentum sed fides mundat.

Sextò, nituntur authoritate Augustini qui tractatu 80. in Ioannem, tractans illa Christi verba: *Iam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis*, ita scribit: Quare non ait? Mundi estis propter baptismum quo loti estis, sed ait *propter verbum quod locutus sum vobis*, nisi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Et infrà: Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, *Hoc est verbum fidei quod prædicamus*, ait apostolus: *quia si confessus fueris*, &c. Quam suam doctrinam tum vtraque iam citata Petri sententia, tum Pauli verbis Ephes. 5. confirmat, dicentis Christum mundare Ecclesiam suam lauacro aquæ in verbo, idque interpretatur verbum fidei, ac demum concludit: Totum hoc fit per verbum de quo dominus ait: *Iam vos mundi* &c. Similis apud eundem locus est serm. 20. de verbis Domini, vbi testatur baptismum, qui foris adhibetur, per fidem mundare.

Septimò, vt probent sacramentum non aliud esse, quàm sigillum quo iusticia per fidem accepta obsignetur, proferunt illud Basilij ex capite 12. lib. de spiritu sancto: Præcedit quidem professio ad salutem perducens, sequitur autem baptisma consignans pactum nostrum.

A Octauò dicitur remissionem peccatorum, sicut & vitam æternam proponi nobis in scripturis quasi iam data per Christum & solummodo per fidem agnoscenda; & proinde fidem à nobis exigi, qua vtrumque hoc beneficium agnoscentes neque de percepta remissione peccatorum, neque de consequenda vita æterna dubitemus.

Postremò, Obscurare nos, aiunt, beneficium passionis & mortis Christi, qui vim sanctificandi in alia quacunque re constituamus.

Ad hæc hæreticorum obiecta sic ordine respondemus.

B Ad primum, scriptura Gen. 15. non significat Abraham tunc primùm accepisse iustitiam vel peccatorum veniam. Quando credidit Deo promittenti sibi semen, (siquidem iam ante per fidem & obedientiam qua relicta patria exiuit in terram alienam Deo placebat Hebr. 11.) sed eam fidem illi valuisse ad incrementum iustitiæ, quatenus opus erat singulariter Deo gratum. Apostolus verò idem illud accommodat primæ nostræ iustificationi, quam docet esse ex fide tanquam fundamento totius renouationis ac reparationis nostræ per Christum, &

C quia fides, vt ait, August. epistola 105 prima datur per quam cætera impetrentur. Per fidem enim inchoatur iusticia nostra simul & impetratur tota sequens iusticia. Quamuis autem in Abraham qui iam ante iustus erat circumcisio fuerit signaculum iustitiæ præcedentis, in Isaac tamen ac reliqua eius posteritate fuit signum efficax sanctificationis, quemadmodum suo loco declarabitur. Ideoque exemplum à circumcisione petitum potius confirmat catholicam doctrinam de sacramentis nouæ legis.

Ad secundum, eiusmodi sententijs scripturæ

D monstrari quid valeat fides, & quam vim habeat ad iustitiam si cætera non negligantur quæ simul adhibenda per fidem didicerimus; vt pœnitentiam, inuocationem, sacramentum. Neque enim secum pugnat apostolus, qui in eadem epistola etiam hæc tria requirit; pœnitentiam quidem cap. 2. inuocationem autem cap. 10. & sacramentum cap. 6. vbi docet per baptismum nos Christo commori & consepeliri vt in nouitate vitæ ambulemus. Quod autē sit commori Christo ostendit sequentibus verbis. *Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato.*

Ad tertium, vitam iusti, id est, totam hominis

E iusticiam fidei asserit apostolus partim ob rationem paulò ante dictam, quia fides totius iustitiæ nostræ fundamentum est excludens legem atque naturam ex quibus nemo iustus viuit; partim quia tota hominis iusti conuersatio, omniaque eius sancta opera ex fide per dilectionem operante procedunt. Viuere autem iustum ex sacramentis, quamuis ita expresse non legatur, rectè tamen & absque reprehensione dici potest. Si enim renascitur homo ex aqua Ioannis 3. profectò & viuit ex aqua. Quod enim nascitur, vitam accipit. Et alibi baptismus lauacrum regenerationis seu renascentiæ vocatur.

F Similisque probatio de sacramento pœnitentiæ quo obligatio mortis tollitur, & de sacramento Eucharistiæ quod est panis vitæ, institui potest.

Ad quartum, fides credentium corda purificat, ex quo per dilectionem operari incipit. Nam fides quidem de corde fugat ignorantiam, dilectio verò pellit malam voluntatem. Atque hoc pacto intellexit eam sententiam Augustinus serm. 14. Patr.

Ad quintum, disertè Petrus affirmat baptisma nos saluos facere, quod negant hæretici. Verba autem apostoli sequentia hunc sensum habent:

Baptisma non saluat quatenus est nuda quædam actio externa & corporalis, qua sordes carnis abluuntur; quasi videlicet ad spiritualem effectum ex natura sua valeat, sed quatenus est actio à Deo instituta ad purgandum à peccatis eum qui fidem & vitam christianam ex animo profiteatur, cùm hæc sit ex diuina institutione necessaria dispositio suscipientis.

Ad sextum fatendum est Augustinum per verbum fidem intelligere, cuius confessio à baptizato exigitur, & sine qua nihil omnino baptismus prodest, quantumlibet ipsi fidei verba recitentur. Dicitur autem à verbo credito, id est, ab ipsa fide suam virtutem aqua accipere, tanquam à dispositione prorsus necessaria: sic vt nisi ea adsit vel in suscipiente, vel in offerente, id est, Ecclesia, nullus ne quidem in paruulis mundationis internæ sequatur effectus. Et hunc esse genuinum illius loci sensum totus contextus satis declarat, atque illud præsertim quod semel & iterum commemorat ex apostolo, *Hoc est verbum fidei quod prædicamus.*

Ad septimum, Basilius eo loco catholicam doctrinam manifestè confirmat his verbis; Fides & baptisma duo sunt modi parandæ salutis inter se cognati & inseparabiles. Nam fides perficitur per baptismum, baptismus verò fundamento fidei nititur. Quæ verba indicant sensum eius quod statim sequitur, quodque ab aduersarijs obijciebatur. Obsignat enim baptisma pactum nostrum, non vt nudum sigillum beneficij prius accepti, sed vt complementum salutis, hoc est iusticiæ per fidem inchoatæ.

Ad octauum respondemus vehementer in eo falli sectarios quod putant beneficia mortis Christi sic nobis proponi in scripturis, quasi iam data essent, sola, vt inquiunt, fide ab vnoquoq; nostrum apprehendenda. Nam vt suprà ostendimus, nemini mors Christi prodest nisi applicata: Quæ applicatio certis fit conditionibus ex parte nostra requisitis, quarum prima quidem sed non sola est fides, vt ex antè dictis patet. Quare sicut vita æterna promittitur non absolutè, sed legitimè certantibus & perseuerantibus: ita venia peccatorum promissa est per Christum non absolutè, neque credentibus tantùm, sed insuper etiam ex fide pœnitentiam agentibus & orantibus & sacramenta suscipientibus, vt rectè dicatur Christum etsi semel iam olim mortuum, tunc primùm tamen pro vnoquoque mori, quando in eius morte quisque baptizatur vt peccato moriatur; quemadmodũ ait Augustinus lib. 6. contra Iulianum cap. 5.

Ad postremum, sicut non obscurant peritiam medici, qui ad præscriptas ab eo potiones spe sanitatis confugiunt, frequentesque recurrunt, sed magis eam illustrant atque commendant: ita qui sacramentis à Christo institutis ad percipiendam diuinam gratiam vtuntur, adeo non obscurant gloriam passionis & mortis eius, vt eam vel maximè illustrent; id nimirum agentes, vt per sacramenta een vasa quædam sumant, sibique applicent medicinam in Christi morte paratam atque propositam, eoque magis, quòd omnis sacramentorum virtus à Christi morte deriuetur, quod non similiter se habet in medico, vt qui vim sanatiuam potioni non conferat sed tantummodo naturam artis ministerio adiuuet.

§. 13. *Septem esse nouæ legis sacramenta.*

DE numero sacramentorum nouæ legis absque dubitatione tenendum est, ea septem esse, & nec plura nec pauciora. Eum numerum definiuit concilium Florentinum in decreto Armenis tradito, & quidem eo ordine quo à Magistro tractantur. Deinde probauit concilium Tridentinum sessione 7. canone 1. anathemate eos feriens qui vel plura ea esse vel pauciora quàm septem, aut etiam aliquod eorum non esse verè & propriè sacramentum affirmauerint. Quin & in Concilio Constantiensi damnatus est articulus Ioannis Hus, quo asserebat sacerdotes catholicos infideliter sentire de septem sacramentis Ecclesiæ. Et ante annos amplius 400. Lucius tertius in decretali quadam (vt habetur extra de hæreticis cap. ad abolendam) ita statuit: Vniuersos, qui de sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere nõ metuunt, quã sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & obseruat, vinculo perpetui anathematis innodamus. Quibus verbis etsi numerus totus non sit expressus, ex eo tamẽ satis intelligi debet quod remittit ad doctrinam & obseruationem Romanæ Ecclesiæ, quæ certè hac in re minimè est obscura. Quandoquidem non modò subsequentibus temporibus omnes Scholastici doctores, sed & ante illius constitutionis tempora illustres in Theologia magistri Hugo Victorinus & Petrus Lombardus septenarium sacramẽtorum numerum tanquam certum & definitum suis scriptis exposuerunt.

S. Thom. 3. p. q. 65 art. 1.

His adde quòd Orientales Ecclesiæ etsi schismate à Catholica diuisæ, hunc tamen numerum in hodiernum diem constanter retinẽt, vti ex eorum censura nuper edita super articulis apud nos controuersis liquet. Adde etiam quòd Æthiopica Ecclesia ex antiqua traditione numerum hunc sacramentorum tenet, vt patet ex Damiano Goez, qui de eorum religione scribens singulorum meminit.

Denique huius numeri probationem ex singulis inductione accipere debemus Si enim de singulis eorum rectè probatur, quòd eis propria sacramenti ratio conueniat, & nullis alijs (id quod iam initio ex parte fecimus vniuersali inductione ad ostendendum omnia nouæ legis sacramenta gratiam conferre, plenius autem de vnoquoque proprijs locis monstraturi sumus) planè sequitur septenarium hunc sacramentorum numerum rectissimè ab ecclesia agnosci.

Possent huc adiungi rationes congruentiæ huius numeri, qui & in scripturis celebratissimus est & totius antiquitatis testimonio donis spiritussancti attributus; sed quia illæ non omnino certam continent probationem, eas à scholasticis & catechismo parochorum, alijsque authoribus petendas relinquimus.

Porrò in hac ecclesiæ doctrina continere meritò nos debet sectariorum discordia & inconstantia de numero sacramentorum. Nam Lutherus qui nostro sæculo primus hunc sacrosanctum numerum conuellere conatus fuit, in vno eodemque libro quem inscripsit de captiuitate Babylonica, modò tria, modò vnum, modò duo sacramenta

tantùm agnoſcit. Principio, inquit, neganda ſunt mihi ſeptem ſacramenta, & tantùm tria pro tẽpore ponenda, baptiſmus, pœnitentia & panis. Quamquam ſi vſu ſcripturæ loqui velim, non niſi vnum ſacramentum habeam, & tria ſigna ſacramentalia. Nam euchariſtia & abſolutio ſunt rememoratiua promiſſionis & adoptionis baptiſmi. In fine verò operis ait: Si rigidè loqui volumus, tãtùm duo ſunt in eccleſia Dei ſacramenta, baptiſmus & panis; cùm in his ſolis & inſtitutum diuinitus ſignum, & promiſſionem remiſſionis peccatorum videamus.

Hunc binarium numerum hodie ferè Lutherani & Caluiniani retinent, pœnitentiam ob id excludentes quòd nullum ſit in ea verbum viſibile ſed audibile tantùm; tametſi fuerunt qui etiam quatuor & quinque tandem ſacramenta agnouerunt, ſupradictis videlicet ordinationem & conſignationem adijcientes. Quos omnes in eo quod de numero detrahunt facilè refellit doctrinæ Catholicæ firmitas & conſtantia.

§. 14. *Diluuntur obiectiones aduerſariorum.*

S.Thom. vbi ſup.

NVnc quibus argumentis ſacramentorum numerum oppugnent aduerſarij videamus.

Primùm aiunt, nuſquam neque in ſacris literis, neque apud veteres ſeptenarium numerum ſacramentorum expreſſum reperiri. Ad quod reſpondemus pari ratione fore conſequens neque duo eſſe ſacramenta, neque tria, neque quatuor, neque omnino aliquem eſſe definitum eorum numerum, propterea quòd neque ſcriptura, neque veteres certum numerũ expreſſerint. Quin potius ex eo quòd eccleſia catholica ſeptenarium numerum tradit, neque diuerſum numerum vſquam alibi expreſſum legimus, nefas eſſe intelligimus ab eius traditione recedere. Certè non negauerim patres de numero conſtituendo non admodum fuiſſe ſollicitos, dummodo res numeratas tenerent ex quibus neceſſariò numerus ipſe concluditur. Similiter autem non ſequitur, ſcriptura nuſquam dicit quatuor eſſe euangelia, aut 14. Pauli epiſtolas, aut ſeptem verba Domini in cruce, ergo è ſcriptura non conſtat tot eſſe numero. Nam ſatis eſt quòd in ſcriptura res ipſas numeratas habeamus, quibus habitis facilè eſt numerum accipere.

Iterum obijciunt ſatis ex patribus conſtare quòd ſacramentorum numerus ad ſeptem non perueniat. Nam Dionyſius Areopag. in lib. hierarch. eccleſiaſticæ, vbi de myſterijs, id eſt, ſacramentis eccleſiæ ex profeſſo diſſerit, non plura quàm quinque pertractat, omiſſis videlicet extrema vnctione & matrimonio: niſi quod extremæ vnctionis loco quandam mortuorum vnctionem deſcribit.

Eo eundem numerum conſentire aiunt Cyprianum ſermone de ablutione pedum, & altero de vnctione chriſmatis.

Ambroſium verò in opere de ſacramentis & in libro de his qui myſterijs initiantur, tria dumtaxat agnoſcere, baptiſmum, confirmationem & euchariſtiam etiam cum excluſione aliorum. Ita enim concludit lib. 6. de ſacramentis cap. 2. Ergo accepiſti de ſacramentis pleniſſimè, cognouiſti omnia. Auguſtinum quoque dicunt paſſim non niſi duo vel tria enumerare, eamque ſacramentorum paucitatem cofiteri cùm dicit loco veterum ſacramentorum à Chriſto fuiſſe inſtituta alia numero pauciora, item pauca pro multis, & rurſum numero

A pauciſſima. Loca ſunt lib. 19. contra Fauſtum, cap. 13. lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 9. epiſtola 118. ad Ianuarium.

Obijciunt & Cyrillum Ieroſolymitanum qui cum in catecheſibus ſuis myſtagogicis ex inſtituto de myſterijs agat, non aliorum tamen meminerit quàm baptiſmi, chriſmatis & euchariſtiæ. Nec plura apud Gregorium recenſeri 1. quæſt. 1. cap. multi ſecularium.

Addunt denique Iuſtinum in 2. apologia, Irenæum & Tertullianum lib. 1. & 4. contra Marcionem, & libro de corona militis, qui dum ritus eccleſiæ deſcribunt, non plura quàm duo vel tria ſacramenta recenſuiſſe leguntur.

B

Ad hæc reſpondentes dicimus imprimis ex his ipſis teſtimonijs, præſertim Dionyſij & Cypriani, manifeſtè redargui eos qui vel duo vel tria tantùm ſacramenta agnoſcunt, vt hodie ſectarij pleriqua omnes, cùm fateantur hos duos ſcriptores quinque, vel vt minimum quatuor enumeraſſe. Deinde quod ex Dionyſio obijcitur ſoluit iam olim S. Thomas parte 3. quæſt. 65. art. 1. in hanc ferè ſententiam; nempe Dionyſium in eo opere agere ex profeſſo non de ſacramentis eccleſiæ, ſed de ſacris

C officijs ſeu functionibus quas epiſcopi & ſacerdotes in myſterijs tum adminiſtrandis tum conficiendis exercebant cum quadam conſecratione. Quare neque de matrimonio, neque de vnctione infirmorum dicendum ei fuit; tametſi obiter meminerit pœnitentiæ ſeu reconciliationis.

Ad argumentum è Cypriano petitum reſpondemus eos ſermones non Cypriani eſſe ſed alicuius multò poſterioris, cuiuſcunque tamen ſint, non ibi tractatum inſtitui de ſacramentis omnibus, ſed ijs tantùm quæ ad cardinalia Chriſti opera referri

D poterant; eo enim nomine opus illud ſermonum ab authore inſcriptum eſt.

At neque illud conuincit quod ex Ambroſio obijciunt. Agit enim ille in ijs libris non de omnibus eccleſiæ ſacramentis, ſed de his tantùm de quibus inſtruendi erant fideles recens baptizati & confirmati iamque admiſſi ad menſam dominicam. Eo enim ordine nouelli fideles initiabantur, vt ipſa teſtatur lib 3. de ſacramẽtis cap. 2. & de initiatis cap. 6. Vnde de his tribus tantùm ſacramẽtis eo in opere inſtituenda erat illi tractatio. Atque ex ijs dicit eos pleniſſimè accepiſſe. Nam quin pœnitentiæ ſacramentum agnouerit Ambroſius dubium eſſe non

E poteſt legenti libros eius de pœnitentia contra Nouatum, ac nominatim locum qui eſt lib. 1. cap. 7. De alijs verò quid ſenſerit ſuo loco erit explicandum.

Eadem autem prorſus ſolutio eſt eius argumenti, quod ex catecheſibus Cyrilli petitur. Quin & eodem videtur ſpectaſſe Gregorius verbis à Gratiano citatis 1. quæſt. 1. cap. multi ſecularium; tametſi incertum eſt vtrùm Gregorij magni ſit illud decretum, cum in operibus eius nuſquam reperiatur, an

F verò cuiuſpiam alterius.

Porrò Auguſtinus ijs ipſis locis quæ ab aduerſarijs obijciuntur, manifeſtè ſignificat ſacramenta chriſtiana plura eſſe quàm duo aut tria. Nam libro 19. contra Fauſtum capit. 13. cum diſiſſet ea numero pauciora eſſe quàm vetera, proximo capita tantùm exempli cauſa tria enumerat, baptiſmum, euchariſtiam & ſignum Chriſti, id eſt, confirmationem. Et libro 3. de doctrina Chriſtiana capite 9. ita de ſacramentis nouæ legis loquitur: Quædam pauca pro multis ipſa Dominus & apoſtolica tradidit diſciplina ſicuti eſt

baptismi sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini. Quæ profectò verba sunt non enumerantis omnia, sed ex omnibus aliqua exempli loco proferentis. Vnde & in epistola ad Ianuarium cum planè similiter locutus fuisset adiunxit: Et si quid aliud in scripturis canonicis commendatur. Hunc autem sermonem non esse dubitantis perspicere licet ex eodem loco, vbi paulò post, enumeratis festis aliquot tota ecclesia celebrari solitis; nempe passionis, resurrectionis, ascensionis Domini, & aduentus spiritussancti, subiungit: Et si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersa ecclesia, cùm certum sit talia complura esse & fuisse Augustini tempore, vt natiuitatis & epiphaniæ Domini atque similium. Sed & epistola proxima ad eundem cap. 7. cùm de materia sacramentorum loqueretur, exempli causa nominauit aquam, frumentum, vinum & oleum. Quibus vt minimum tria significata sunt sacramenta. At verò ea tribus plura esse significauit in expositione psalmi 103. conc. 1. Respice, inquit, ad munera ipsius ecclesiæ. Munus sacramentorum in baptismo, in eucharistia, in cæteris sanctis sacramentis. Qui certè locus clarè ostendit præter baptismum & eucharistiam Augustino, neque nullũ, neque vnicum esse, sed plura ecclesiæ sacramenta; & proinde neque binario neque ternario numero omnia comprehendi, vt volunt hæretici. Pauca tamen, imò paucissima ea esse rectissimè idem Augustin. testatur, sed comparatione veterum ceremoniarum & sacrificiorum, quæ & plurima erant & nullo certo numero comprehensa. Quod autẽ & ordinationis & reconciliationis sacramentum & reliqua agnouerit Augustinus, proprijs locis clarè monstrabitur.

De Iustino, Irenæo, & Tertulliano multò minus est laborandũ, vt quibus haudquaquã propositum fuit de omnibus ecclesiæ sacramentis agere, sed eorum tantùm meminisse quorũ mentionem præsens disputatio postulabat. Namq; alibi aliorũ meminit Tertull. vt impositionis manuum & vnctionis olei lib. 1. contra Marc. & lib. de resurrectione carnis.

§. 15. *De aqua benedicta & alijs nonnullis quid sentiendum.*

S. Tho. 3 p. q. 65. ar. 1. ad 6. 7. & 8. q. 71 art. 3. ad 2.

SAcramentis nouæ legis propriè dictis non debent annumerari aqua benedicta eiusue consecratio vel aspersio; neque item signum crucis, tonsio pectoris, benedictio episcopalis aut sacerdotalis, exorcismi dæmonum, & variarum rerum consecrationes seu benedictiones, vt ecclesiarum, altarium, palmarum, sacrarum vestium & vasorum, agni cerei quem vocant agnum Dei, cerei paschalis, ciborum, fructuum terræ & huiusmodi. Nihil enim horum gratiam aut omnino effectum spiritualem confert ex opere operato, ita nimirum vt eius gratiæ sit efficax signum, idemque certum & infallibile, quod ad sacramenti propriè dicti rationem requiri ostensum est. Vnde & docebamus eiusmodi sacramenta non posse ab ecclesia institui, sed à solo Deo, vt qui solus possit efficaciam hanc præstare. Sed valent ista tantummodo ex fide & deuotione ecclesiæ, in cuius persona ab eius ministris vel consecrantur vel adhibentur; & proinde quantum ad valorem seu efficaciam, in eodem gradu cum orationibus ecclesiæ sunt collocanda. Sunt enim hæc omnia vel pleraque tanquam orationes quædam visibiles & perpetuæ ad impetranda Dei beneficia, pro quibus consequendis sunt consecrata. Improbabiliter autem dicunt quidam aquam benedictam conferre non gratiam quidem, sed remissionem venialium ex opere operato.

Primò, quia remissio venialium reuera gratiæ nomine continetur, quomodo de gratia Augustin. Hugo & Magister loquuntur, cùm sit spirituale ac salutare quoddam bonum. Atque ita propriè sacramentum foret aqua benedicta vel eius vsus.

Deinde quia sicut ante dictum est, ecclesia non habet potestatem instituendi signum aut ceremoniam aliquam quæ valeat efficaciter & infallibiliter ad remissionem venialium, sicut nec ad alium quemcunque salutiferum effectum, cum id sit solius Dei. Atqui consecratio & vsus aquæ benedictæ non à Christo, sed ab ecclesia suam habet institutionem.

Tertiò, si id posset ecclesia, certè & ad alias multas ceremonias eam potestatem deberet extendere, quas proinde similiter ex opere operato valere fatendum esset.

Postremò, si valet ad venialium remissionem ex opere operato eodem modo valebit ad alios effectus ad quos consecratur; videlicet ad fugandos dæmones eorumque tentationes repellendas, & alia nocumenta auertenda; Eoque magis, quòd hæc in eius benedictione exprimuntur, remissionis autem venialium expressa in ea mentio non fiat, sicut nec in decreto Alexandri I. ad quem huius institutionis origo refertur. Vnde & breuiarium Romanum 3. Maij tantum nominat effectum fugandi dæmones.

Non quidem nego venialium condonationem esse inter effectus huius ceremoniæ, cùm ad hoc potissimum vsus eius à fidelibus piè frequentetur, sed dico non exprimi in verbis benedictionis: tametsi facilè intelligi potest in eo quod dicitur ad fugandos dæmones. Nam spiritualiter fugantur dæmones, quandocunque tollitur aut minuitur in nobis id, per quod nos sibi tenent obnoxios, id est, peccatum.

Quod demum adferri solet ex Bernardo sermone de cœna Domini, vbi ablutionem pedum sacramentis annumerat, vti & facit author sermonum de operibus Christi cardinalibus apud Cyprianum facilè soluitur, si intelligamus generalius ab ijs vsurpatum nomen sacramenti, vt quæcunque rerum sacrarum signa complectatur, Multa, inquit, Bernardus sæpe fiunt propter se tantùm, alia ad aliud designandum, quæ signa dicuntur: Cùm autem signum est rei alicuius sacræ, tum sacramentum rectè vocatur, quomodo ablutio pedum etiam sacramentum est. Sic ille.

§. 16. *Sacramenta nouæ legis omnia esse à Christo instituta.*

S. Tho. 3. p. q. 64. art. 2. 3. & 4.

OMnia nouæ legis sacramẽta à Christo instituta fuisse sub anathemate definit synodus Trid. can. 1. sess. 7. Ratio autẽ huius doctrinæ est, quia ille rem aliquã instituere dicitur qui ei robur & vim tribuit, quemadmodũ patet exemplo instituentiũ leges. Cùm igitur solus Deus virtutem sanctificandi possit tribuere sacramentis, solus quoque dicendus est author & institutor eorum sacramentorum quæ sanctificandi virtutem habent; cuiusmodi sunt omnia sacramenta nouę legis. Iuxta quã rationem non tãtùm dicendum est ea à solo Deo instituta esse, verũ etiã, nec ab alio quoquã seu homine seu angelo institui potuisse; quippe cũ ea potestas superet facultatem & capacitatem omnis creaturæ. Hoc autem

intelligendum de potestate authoritatis, quæ nimirum competit causæ principali, non de potestate ministerij. Hanc enim potestatem etiam quoad institutionem sacramentorum potuisse communicari illis, si ita Deo visum fuisset, rectè docet S. Thomas 3. parte quæst. 64. art. 4. Quamuis igitur hominibus communicata sit potestas ministerij secundarij circa sacramenta, soli tamen Christo vt homini potestas ministerij principalis, quam vocant excellentiæ, plena & absoluta circa eadem attributa est.

Consistit autē ea excellentiæ potestas in his quatuor. Primò in eo quòd meritū ipsius in sacramētis operatur. Secundò quòd ad inuocationem nominis eius sacramenta celebrantur. Tertiò quòd ipse ea instituere potuerit, atq; adeo instituerit. Postremò, quòd sacramentorum effectum etiam solo voluntatis imperio absq; sacramento conferre potuerit. Quæ tamen omnis potestas, quia ministerialis est, absolutè loquendo, in alios quoque ministros transferri potuit; quemadmodum satis colligitur ex ijs Augustini verbis tract. 5. in Ioan. vbi ait hoc ignorasse Ioannem Baptistam quando dicebat: *Et ego nesciebam eum*, quod Christus potestatem baptismi sibi soli retenturus, & nulli alteri communicaturus esset, iuxta illud: *Hic est qui baptizat*. Quod quidem pro fidelium vtilitate sic factum est, tum ne spem in homine ponerent, si meritum cuiuscunq; hominis in sacramento operaretur, tum ne schismata inter fideles orirentur, dum quisque ministrorum suum instituerat & administraret sacramentum, vti contigit apud eos qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ* 1. Cor. 1.

Cæterùm cùm non sit à synodo definitum sacramenta nouæ legis omnia immediatè à Christo instituta esse, disputatur adhuc inter Catholicos, vtrùm omnia septem Christus immediatè & per seipsum instituerit, an verò quorundam instituendorū ministerium apostolis vel ecclesiæ commiserit. Dubitandi enim causa videtur quòd in scriptura nusquā legamus vbi confirmationis & extremæ vnctionis sacramenta Christus instituerit, sed vtrumque apostoli potestate sibi à Christo commissa videātur ecclesiæ tradidisse. Act. 8. & Iacob. 5. Multoq; minùs existimant ordinem diaconatus & subdiaconatus & quatuor minores immediatè à Christo fuisse institutos: præsertim quoad singulorū materiam & formā; quarū determinationem, alterationē atq; mutationē, volūt apostolis imò & posteriori ecclesię prout fideliū saluti expedire iudicarent, fuisse concreditā.

Quam opinionem probare conantur verbis Augustini qui lib. 3. de doct. Christiana cap. 9. dicit quòd sacramenta nouæ legis Dominus ipse & apostolica nobis tradidit disciplina. Vnde consequens putant quædā immediatè à Christo, quædam per apostolos fuisse instituta. In quam sententiam produci potest & illud quod legitur apud Cyprianum sermone de ablutione pedum, vbi cùm scriptor ille dixisset: Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor & author, postea subdit: Nec minus ratum est, quod dictante spiritusancto apostoli tradiderunt, quàm quod ipse Dominus tradidit & in sui commemorationem fieri præcepit.

His assentiri videntur Hugo & Magister, qui ambo sacramentum extremæ vnctionis à Iacobo apostolo institutum esse affirmant. Quodque amplius est, putat Alexander Alensis confirmationis sacramentum post apostolorum tempora in concilio Meldensi demum fuisse institutum. A qua sententia non abhorret Bonauent. scribens in distin. 7. Huius libri. Sentiunt igitur isti potestatem excellentis ministerij circa sacramenta quadam ex parte communicatam fuisse alijs à Christo; nempe quoad aliquorum institutionem, vel saltem materiæ & formæ determinationem; ita tamen vt eam potestatem habuerint ex commissione Christi, nec aliter vsi fuerint nisi ex dictamine & suggestione spiritussancti. Verùm hæc opinio vt aliquid probabilitatis habeat, maiori tamen probabilitate diuersæ sententiæ superatur.

Primùm, quia cùm solus Deus virtutem sanctificandi tribuere possit sacramentis, non est credibile quòd eorum institutionem hominum arbitrio commiserit; quasi ea signa futura essent gratiæ effectiua quæ homines elegissent, non quæ Deus author gratiæ instituisset.

Deinde, cùm constet multa tradita esse quæ non sunt scripta, nihil vetat quo minus ijs annumeremus factam à Christo institutionem eorum sacramentorum quorum institutionis scripturæ non meminerunt.

Tertiò id probabile fit tum ex Dionysio Areopag. qui ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 1. dicit apostolos sacramentorum formas non confinxisse sed accepisse, videlicet non aliunde quàm à Christo, tanquam magistro suo, tum ex decreto Fabiani Papæ in quo testatur ab apostolis traditum esse, quod Christus post nouissimam cœnam docuerit & instituerit ritum conficiendi chrismatis, quæ est materia sacramenti confirmationis.

Quartò, cùm testetur Lucas Act. 1. Christum post resurrectionem per dies quadraginta cum discipulis conuersatum & de regno Dei collocutum fuisse, id est, de ecclesia ædificanda & administranda, ad cuius ædificationem & administrationem imprimis pertinent sacramenta: non est verisimile alicuius eorum institutionem à Christo fuisse prætermissam, atque apostolorum vel ecclesiæ arbitrio commissam. Ac tale quid innuit Leo sermone 1. de ascensione Domini ita loquēs: Hi dies qui inter resurrectionem Domini ascensionemque fluxerunt, non otioso transière decursu, sed magna in eis cōfirmata sacramēta, magna sunt reuelata mysteria.

Quintò hac ratione probant, Ecclesia fundata est in fide & sacramentis, sicut ergo solus Christus immediatè fidem condidit, ita solus sacramenta instituit; & sicut circa fidem variare quicquam apostolis non licuit, ita nec circa sacramenta. Quod autem & in sacramentis fundata sit ecclesia inde ostēditur; quia sicut Eua formata est de latere viri dormientis, ita ecclesia ædificata est de latere Christi in cruce mortui; per hoc videlicet quod inde fluxerunt aqua & sanguis typum gerentia sacramentorum, quibus ecclesia ædificaretur, quemadmodum id patres mysticè exponunt, ac nominatim Augustin. tractatu 120. in Ioannem, & in psalmum 56. Pertinet igitur sacramentorum institutio ad fundandam primitus & constituendam ecclesiam, sicut eorum administratio pertinet ad ecclesiam gubernandam. Quanquam alio sensu rectè apostoli ecclesiæ fundatores dicuntur, quatenus videlicet fidem & sacramenta in quibus à Christo fundata est ecclesia, sua prædicatione in varias gentes transtulerunt, vt ibi ea pro fundamentis collocarent.

Sextò, veteris legis sacramenta Deus ipse per se singula instituit, multò igitur magis consentaneum est Christum nouæ legis conditorem omnia suæ legis sacramenta per se instituisse.

Postremò, Concilij Tridentini verba quibus definitur omnia esse à Christo instituta, in hanc partem magis inclinare videntur. Nam quæ in conci-

lijs instituuntur etiam ex inspiratione & directione spiritussancti, cuiusmodi sunt multa ad ceremonias & mores spectantia, non ea dicere solemus à Christo esse instituta, sed ab ecclesia. Vnde & sess. 14. vbi agitur de institutione sacramenti extremæ vnctionis patres concilij institutionem eius sacramenti tribuunt Christo, promulgationem autem Iacobo apostolo. Quo sermone satis insinuatum videtur sacramentũ illud à Iacobo nõ fuisse institutũ.

Quod in contrarium ex Augustino obijcitur, non concludit. Aliter enim Dominus, aliter apostoli sacramenta nobis tradiderunt: Dominus instituendo, apostoli instituta opportuno tempore promulgando. In quem sensum facilè quoque accipi potest quod ex Cypriano adferebatur, vt ea Dominus per se tradidisse dicatur, quæ ipse non instituit tantùm, sed & exhibuit atque celebrauit, vt baptismum, eucharistiam, ordinationem; ea verò apostoli tradidisse dicantur, quæ à Christo instituta ipsi primi vtendo vel conferendo exhibuerunt. Tametsi notandum illius sermonis, vt & cæterorum qui sunt de operibus Christi cardinalibus Cyprianum non esse authorem.

Quomodo autem accipienda sint Hugonis & Magistri verba ad distinct. 23. explicabitur, vbi de sacramento extremæ vnctionis agetur.

Quid denique ad cætera obiecta responderi probabiliter possit, ex dictis vtcumque perspicuum est. Cæterè etsi ferenda sit eorum opinio qui alicuius sacramenti institutionem apostolis asscribunt; minimè tamen eis assentiendum qui post apostolorum tempora putant aliquod eorum fuisse institutum: quandoquidem commissio verbis facta non vltra apostolos estendere se potuerit; alioquin enim & hodie posset aliquid in sacramentis ecclesia mutare vel instituere.

Ad extremum hoc loco notandum est, quod de sacramentorum institutione dictum est, id perinde de partibus eorum essentialibus materia videlicet & forma, deque ministro necessario esse accipiendum. Horum enim nihil ecclesia neque instituere, neque mutare potest, alios autem sacramentorum ritus & ceremonias quæ sacramentalia ob id dici solent, quod sacramentorum essentiam non attingant, ad decorem & solemnitatem celebrationis eorum, & ad fidelium deuotionem excitandam ab ecclesia instituta esse, à qua & mutari possunt, certum est, idque ea potestate, qua dicebat apostolus 1. Corinth. 11. *Cætera cùm venero, disponam.*

§. 17. *Quibus effectis proprijs inter se sacramenta distinguantur.*

S. Tho. 3. p. q. 65. art. 1. 2. 3. & 4.

INstituta quidem sunt omnia nouæ legis sacramenta ad hominem sanctificãdum per gratiam, cuius per ea particeps efficitur. Verùm ea sanctificatio non vnius modi est, sed pro diuersitate sacramentorum diuersa. Sicut enim ritu & significatione, ita & effectu proprio vnumquodque eorum ab alio distinguitur. Quam distinctionem ita breuiter exposuerunt Florẽtini concilij patres: Septem sacramentorum prima quinque ad spiritualem vniuscuiusque hominis in seipso perfectionem, duo vltima ad totius ecclesiæ regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per baptismum enim spiritualiter renascimur, per confirmationem augemur in gratia & roboramur in fide, renati autem & roborati nutrimur diuina eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam spiritualiter sanamur. Spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per extremam vnctionem. Per ordinem verò ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter, per matrimonium corporaliter augetur.

Hæc concilium. In quibus tamen verbis notandum est duobus postremis sacramentis ordini & matrimonio non asscriptum esse spiritualem effectum, quem habent in illis ipsis qui ea suscipiunt, id est, in ordinatis, & coniugibus (nisi fortè implicitè) sed vsum tantummodo, & finem, quem consequuntur in alijs, ad quorum vtilitatem sunt instituta. Effectum verò spiritualem, quem ipsis suscipientibus adferunt, quamuis eo loco tacuerit concilium, postea tamen, vbi de ijsdem sacramentis sigillatim agit, expressit. Ibi enim ordinationis effectum esse dicit augmentum gratiæ, vt quis sit idoneus minister. Matrimonij verò effectum indicauit tria eius bona enumerando; scilicet prolem sanctè educandam, fidem mutuo seruandam, & vinculi coniugalis insolubilitatem. Atque hæc summatiè de discrimine sacramentorum nouæ legis, quoad effectus proprios dicta sint. Nam plenior eius rei noticia ex singulorũ tractatione peti debet.

Aliud porrò discrimen à necessitate; ac rursum aliud à dignitate accipi potest. Tria enim eorum præ cæteris sunt necessaria, licèt non eadem ratione. Baptismus enim simpliciter est necessarius omnibus, pœnitentia relapsis, ordo etsi non singulis fidelibus, toti tamen ecclesiæ omnino necessarius est. Quod si dignitas in sacramentis quæratur, eucharistia sanctitate & mysteriorum numero ac magnitudine longè cæteris antecellit. Quamquam & alia vt necessitatis, ita & dignitatis ordinem quendam inter se habent.

§. 18. *Vnumquodq; sacramentum constare materia & forma.*

S. Tho. 3. p. q. 60. art. 5. 6. & 7.

REs sensibilis, quæ posita est in definitione sacramenti, non vna tantùm est, quamuis vnum signum constituat. Duo enim sunt, ex quibus vnumquodque sacramentum nouæ legis constat, quorum alterum materiæ rationem habet, atq; elementum dicitur; alterum formæ, & verbum appellari consueuit. Qua de re concilium Florent. Sacramenta omnia, inquit, rebus tãquam materia, & verbis tanquam forma perficiuntur, verbi gratia, In baptismo aqua, in confirmatione chrisma, in extrema vnctione oleum materia est, & sic in alijs; Ita dumtaxat, vt intelligamus non propriè dictam materiam aliquam in omnibus sacramentis requiri, quæ videlicet sit elementum, siue res aliqua corporea visibilis atq; tractabilis, cuiusmodi sunt tria iam enumerata, sed satis esse si in sacramentis aliquid assignetur, quod materiæ quandam rationem habeat; quomodo in eodem concilio atque etiam Tridentino sacramenti pœnitentiæ quasi materia esse dicuntur actus pœnitentis. Verba verò ad hoc instituta, vt super materia proferantur, atque eam velut astringant atque determinent, formæ rationem habent. Quamuis enim elementum ex institutione diuina suam quoque significationem habeat, verba tamen idcirco addenda sunt, vt apertior atque distinctior rei quæ geritur, significatio fieret: eò quòd verbis inter omnia signa maximè proprium sit certum & determinatum aliquid significare; ideoque ipsa sint aptissima quæ alijs signis, quorum alioqui incerta & confusa esse poterat significatio,

perinde

perinde atque forma suæ materiæ ad perfectionem & complementum significationis adiungantur.

Est autem hoc loco sciendum non tam è sacris literis quàm perpetua atque ab apostolis accepta traditione nos habere materiam & formam vniuscuiusque sacramenti. Nam scriptura tantùm baptismi & eucharistiæ materiam & formam atque extremæ vnctionis solam materiam nobis expressè tradidit: cætera verò ea traditione non scripta, velut per manus accipienda reliquit, idque propterea, ne quod prohibet Dominus Matth. 7. sanctum canibus & margaritæ porcis obijcerentur, id est, ne secretiora nostræ religionis mysteria literis mandata venirent in manus & noticiam infidelium, à quibus contemptui & derisui haberentur.

Quam rationem huius rei sæpe patres assignãt. Nam Dionysius Areopag. ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 1. scribens ad Timotheum admonet, ne sancta sanctorum enunciet, neue minùs perfectis ea tradat, sed cum ijs solis, qui sancti atque perfecti sunt ea communicet. Eamque causam reddit, cur non omnia scripturæ libris sint prodita, sed ab apostolis, vt ait, ex mente in mentem medio intercurrente verbo tradita & ad posteros transmissa. Peculiariter autem de verbis mysteriorum vltimo cap. ita loquitur: Efficientes consecrationis preces fas non est scripto interpretari, neque earum arcanum, siue ipsas quæ in his ex Deo fiunt virtutes è secreto in publicum efferre, sed sicut habet sacrosancta traditio &c.

Similiter Innocentius 1. in prima sua decretali epistola cap. 3. de forma confirmationis loquens: Verba, inquit, dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere. Et cap. 8. de sacramento extremæ vnctionis: Reliqua verò quæ scribi fas non erat, cùm adfueris interrogati poterimus edicere.

Generaliter autem de secretioribus mysterijs per manus absque scripto tradendis meminerunt Basilius de spiritusancto cap. 27. & Ambrosius de his qui mysterijs initiantur cap. vlt. Vnde & illud apud Augustin. frequẽs de eucharistia: *Norunt fideles.* Quo verbo significatum voluit secretum esse, ac ne catechumenis quidem propalandum mysterium de quo loquebatur. Quare mirandum non est, si non passim verba, quibus sacramenta perficiuntur scripto à patribus prodita inueniamus.

§. 19. *Probatur materiæ & formæ necessitas in sacramentis.*

S. Thom. vbi sup. q. 60. art. 8.

CVm in sacramentis ita se habeant elementum & verbum, quomodo in rebus natura vel arte compositis materia & forma, nempe vt partes essentiales, manifestum est ita hæc duo ad sacramentorum veritatem & substantiam constituendam esse necessaria; vt si alterum desit vel in aliud commutetur, sacramenti veritas non subsistat, ideoque rectè à Florentinis patribus est definitum, sine his sacramentum non perfici.

Huius rei testimonia frequentissima sunt apud patres de baptismi sacramento, quod verum & ratum esse negant nisi & vera aqua adhibeatur & præscripta verborum forma fuerit seruata, quemadmodum copiosè suo loco ostendemus. Quod autem de baptismo, idem pari ratione de cæteris sentiendum; præsertim cum in baptismo tanquam maximè necessario sacramento minus id oportere videri posset.

De formis autem sacramentalibus in genere sic loquitur Augustin. lib. 19. contra Faustum cap. 16. Illæ syllabæ celeriter sonantes & transeuntes, nisi dicantur, non consecratur. Et epist. 23. ad Bonifacium, baptismi formam vocat verba sine quibus non potest paruulus consecrari, id est sacramento initiari.

Est autem ita necessaria materia sacramenti, vt si substantia eius mutetur, non fiat sacramentum, sicut & forma ita necessaria, vt si verborum mutetur sensus, nihil efficiatur. Cuius tota ratio tandem referenda est in voluntatem & institutionem diuinam, quam ea doctrina apostolica accepimus.

Vnde facilè diluitur hæc cuiusdam hæretici obiectio: Christus non collocauit fundamentum baptismi super certis literis, syllabis aut dictionibus, nec alligauit nos ad certa verba. Non enim instituit magiam quæ ad certam verborum formam, aut ritus alligata est, sed instituit cælestia sacramenta quæ constant sua ipsius sententia & voluntate his vel illis verbis nobis significata. Respondemus enim nec magiam esse, nec superstitionem, si determinatæ significationis verba certosque ritus ex Dei institutione requirat baptismus, vel aliud quodcunque sacramentum; sicut magia non erat quòd Naaman Syrus septena in Iordane lotione, quodque filij Israel aspectu ænei serpentis sanitatem expectare iussi sunt, & alia huiusmodi ad certum effectum diuinitus præscripta: sed superstitio est quoties à dæmone effectus expectatur, idque ea pacto vel expressè vel tacitè cum eo inito, vt Augustin. docet lib. 2. de doctrina Christiana cap. 22. & lib. 3. cap. 9. Quod absit vt de diuinis sacramentis cogitet animus christianus, à quibus rectè ita certam operationem expectamus, sicut à causis naturalibus; cùm vtrorumque Deus sit author & institutor: imò à sacramentis multò certius propter infallibilem Dei promissionem, quam de naturalibus causis earumque perpetua operatione non habemus.

§. 20. *Quædam sacramenta characterem imprimere & iterari non posse.*

S. Tho. 3. p. q. 63. art. 1. & 6.

DE sacramentis characterem imprimentibus in hunc modum loquitur concilium Florent. Inter hæc sacramenta tria sunt, baptismus, confirmatio, & ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum à cæteris distinctum imprimunt in anima indelebile. Vnde in eadem persona non reiterantur. Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt. Eadem doctrina sub anathemate confirmata est in concilio Trident. sess. 7. canone 9. de sacramentis, ac rursum sess. 23. cap. 4. & can. 4.

Potest autem hæc res analogia quadam declarari ex rebus humanis. Quemadmodum enim in republica terrena quidam in numerum ciuium cooptantur, idque per signum aliquod externum eis datum vel impressum, quod ab ijs retineri potest etiamsi ciuitatem deserant, neque si redeant, iterum datur, sed primum semel datum agnoscitur: ita in ecclesia per baptismum asscribuntur homines in numerum fidelium tanquam ecclesiæ ciuium, impresso in animas eorum charactere quodam spirituali, qui ne quidem per apostasiam

amittitur, ac proinde redeuntibus non redditur, neque mutatur, ſed agnoſcitur.

Et ſicut illic ad ciuitatis defenſionem aſcribuntur aliqui in militiam, idque ſimiliter per ſignum aliquod externum datum, vel etiam corpori impreſſum, vt olim fieri ſolet, ex quo ſi quando ad hoſtem transfugiſſent, internoſci poſſent; quod nec ipſum reuerſis & reconciliatis imprimebatur denuo, ſed ratum habebatur, quod ſemel impreſſum fuerat, vocabaturque character regius: ita in eccleſia per confirmationis ſignaculum aſcribuntur fideles in militiam Chriſtianam; neque illud deletur vnquam, ſed manet perpetuò. Vnde & peculiariter hoc ſacramentum ab Auguſtino ſignum Chriſti tanquam character regis appellatur lib. 19. contra Fauſtum cap. 14.

Denique ſicut ad publicas reipublicæ functiones vocari aliquos contingit, etiam addito eius rei viſibili aliquo ſigno quo illi à cæteris dignoſcantur; ita ad ſacras functiones, id eſt, eccleſiaſtica miniſteria vocantur & deputantur aliqui per ſacramentũ ordinationis, impreſſo illis charactere quo à cæteris diſtinguantur. Pertinent autẽ eò hæ comparationes, vt intelligamus id, quod vel plerumq; vel ad tempus accidit in regno terreno, nihil obſtare quo minùs perpetuò obtineat in regno Chriſti, quod eſt eccleſia: & corporalibus ſignis ibi dari vel imprimi ſolitis hîc reſpondere characteres quoſdam ſpirituales eò conſtantiores & permanentiores illis, quo ſpiritualia minus quàm corporalia detrimento & corruptioni ſunt obnoxia.

Porrò perpetuitatis huius atque indelebilitatis potiſſima ratio petenda videtur ex natura conſecrationis. Res enim ſemel ad vſum aliquem Deo conſecrata, talis quamdiu exiſtit, perpetuò manet. *Quicquid enim ſemel fuerit conſecratum*, ait Dominus Leuitici vltimo, *Sanctum ſanctorum erit Domino.* Spectauit hanc rationem Auguſt. lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 13. vbi de baptiſmo & ordinatione loquens: Vtrumque, inquit, ſacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur; illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur: ideoq; in Catholica vtrumque non licet iterari. Et mox de redeuntibus ex ſchiſmate ſubiungit: Sicut baptiſmus in eis, ita ordinatio manſit integra.

Pluribus explicat hanc rationem author ſermonis de ablutione pedum apud Cyprianum: Baptiſmum repeti, inquit, eccleſiaſticæ prohibent regulæ, & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere; nemo ſacros ordines ſemel datos iterum renouat; nemo ſacro oleo lite iterum linit, aut conſecrat; nemo impoſitioni manuum vel miniſterio derogat ſacerdotum: quia contumelia eſſet ſpiritusſancti, ſi euacuari poſſet quod ille ſanctificat, vel aliena ſanctificatio emendaret quod ſemel ille ſtatuit & confirmat. Hæc ibi. Nititur eadem ratione Gregorius lib. 2. epiſtola 32. negans fieri poſſe, vt qui ſemel conſecratus eſt, iterum in eodem ordine conſecretur, ſicut qui ſemel baptizatus eſt, non poteſt iterum baptizari.

Iam verò quod de charactere dictum eſt, quoniam vt nouitium ac ſcholaſticum inuentum explodunt hæretici, oſtendendum eſt quàm non fuerit patribus incognitum, præſertim Auguſtino, qui characteris frequenter & diſertè meminit. Nam lib. 1. contra Creſconium cap. 30. ita ſcribit: Neque enim propterea immutandus vel improbandus eſt regius character in homine, ſi erroris ſui veniam & militandi ordinem à rege impetrauerit; quia eundem characterem, quo ſibi ſatellites congregaret, deſertor infixit: aut propterea ſigna mutanda ſunt ouibus cum dominico gregi ſociantur, quia eis dominicum ſignum fugitiuus ſeruus impreſſit. Et in epiſt. 23. ad Bonifacium de baptiſmo loquens: Quæ conſecratio, inquit, reum facit hæreticum extra Domini gregem habentem dominicum characterem. Et epiſt. 50. dicit eccleſiam ius habere, omnes qui aberrauerunt, reuocandi, & cogendi, propterea quòd in eis dominicus character agnoſcitur, qui per diſceſſionem minimè fuerat violatus. Et ſic, inquit, corrigendus eſt error ouis, vt non in ea corrumpatur ſignaculum redemptionis. Vbi & de regio charactere comparationem adiungit. Loca ſimilia ſunt lib. 1. contra Donatiſtas cap. 1. & lib. 6. cap. 1. Item lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 13. In Ioannem tract. 6. & in concione ſuper geſtis cum Emerito & tract. 4. in epiſtolam Ioannis, & epiſt. 57. Et apud Hieronymum ad illud Epheſ. 1. *In quo credentes ſignati eſtis.* Quibus accedit doctrina Innocentij 3. extra de baptiſmo, & eius effectu cap. maiores.

Imò generaliter huc pertinet omnis illa Auguſti contra Donatiſtas diſputatio de baptiſmo, quem docet communem eſſe bonis & malis, & iterari atque amitti non poſſe. Cùm enim qui fictè accedit, non accipiat gratiam ſanctificationis, & actus ipſe baptiſmi haud dubiè trãſitorius ſit, nec permanere poſſit; ſequitur aliquid ab his diuerſum eſſe, quod etiam à fictis accipiatur, quodque etiam in deſertoribus indelebiliter maneat, quod non eſt aliud quàm character. Quem proinde ipſius baptiſmi & ordinationis nomine deſignauit Auguſtinus, quoties baptiſmum & ordinationẽ integram perpetuò permanere dixit in omnibus baptizatis & ordinatis.

Ex ijs porrò, quæ dicta ſunt, duo concludi poſſunt, quorum alterum eſt, hæc tria ſibi mutuo inſeparabiliter cohærere, characterem in ſacramento imprimi, eum nunquam amitti & ſacramentum non poſſe repeti: Alterum ita ſummatim trium ſacramentorum characteres diſtingui poſſe, quòd in baptiſmo detur character ciuitatis ſeu familiæ Chriſti; in confirmatione character militiæ chriſtianæ, in ordine verò character poteſtatis ſeu miniſterij eccleſiaſtici.

§. 21. *Cuiuſmodi res ſit character ſacramentalis.*

QVid ſit & in quo rerum genere poni debeat character ſacramentalis, diſputatur apud Scholaſticos. Qua in re primò notandum eſt, falli eos qui putant Auguſtinum vbicunque characteris meminit, non aliud per characterem intelligere quàm ipſum ſacramentum, quatenus externum & viſibile ſignum eſt, quod ſemel adhibitum nunquam irritum fieri poſſit. Quomodo Auguſtinum intellexit Gabriel Biel in Quartum diſtinct. 6. quæſt. 2. Sed rectius S. Thomas p. 3. quæſt. 72. art. 5. docet cum charactere corporali, id eſt, ſacramento foris adhibito ſimul imprimi characterem ſpiritualẽ. Idque omnino ſenſiſſe Auguſtinum ſatis oſtendunt loca ſuprà citata, in quibus modò imprimi, modò infigi dicit characterem dominicum, vt lib. 6. contra Donatiſtas c. 1. modò ſacramenta hærere, & permanere in ijs, qui ſuſceperunt. Nam lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 13. Sanè, inquit, non minus hærent chriſtiana ſa-

S. Tho. 3. p. q. 63. ar. 2. & 4.

cramenta

cramenta quàm nota corporalis, Atqui manife- A stum est ipsum sacramentum caterius admotum propriè neque imprimi neque infigi, neque inhærere, aut permanere, baptismum præsertim de quo loquitur Augustinus, vt qui in ablutione quadã trãseunte consistat. Quare de spirituali aliquo effectu, quem interdum ipsius sacramenti nomine designat intelligi debet, quod & ex eo patet, quia comparationem sumit à nota corporali tanquam diuersa, non ergo character sacramenti nota corporalis est, & proinde non ipsum sacramentum (Sunt enim sacramenta signa quædam corporalia) sed sacramenti effectus tam à gratia sacramentali quàm à B sacramento diuersus.

Vnde & Innocent. 3. extra de baptismo & eius effectu cap. Maiores. satis perspicuè characterem & à re sacramenti, id est, gratia sanctificationis, & ab ipso sacramento distinguit. A re quidem sacramenti, dum tradit quosdam accipere characterem & non rem sacramenti, vt eos, qui fictè accedunt. A sacramento verò dum ita concludit: Tunc ergo characterem sacramẽtalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem. Quibus in verbis sacramentalis operatio C ipsum sacramentũ est, ideoque à charactere quem imprimit diuersum. Apparet id manifestius ex decreto Florent. concilij, & definitione concilij Trident. Quibus dicitur sacramenta characterem imprimere, vel in sacramentis characterem imprimi, qui sermo ineptus fuerit, si non aliud sit sacramentum, aliud character.

Cùm igitur character ab ipso sacramento diuersus sit, vtpote effectus eius, variant doctorum sententiæ in constituenda propria eius ratione. D Quidam characterem non aliud esse putant quàm ens quoddam rationis, vt quemadmodum numisma, dum valor eius vel augetur vel minuitur authoritate principis, nihil prorsus reale acquirit, sed relationem quandam rationis accipit ad res appretiabiles, vel potius sicut iudex aut prætor quispiam à rege designatus, nihil reale suscipit, sed sola regia voluntate ad tale officium deputatus censetur: ita qui baptizatur absque sui reali immutatione, quod ad characterem attinet, eo ipso quo sacramentum suscipit, habilis reputetur ad alia suscipienda sacramenta. Idque de confirmationis & ordinationis sacramento similiter. Hæc Durandi opinio est, E A qua Scotus hactenus discedit, quod characterem relationem quidem esse fatetur, sed realem. Harum sententiarum alterutra vera est, si de propria characteris ratione loquamur. Character enim vt talis in genere signorum est, signum verò vt tale, est ad aliquid.

Verùm cum relationes non existant sine fundamento & fundandi ratione, omnino necesse est reale & absolutum aliquid agnoscere, in quo huiusmodi relatio signi proximè fundetur. Id autem neque est ipsa animæ essentia, neque eius potentia aliqua naturalis; alioqui enim in omni anima rationali, vel in omni tali eius potentia hanc relatio- F nem inesse oporteret. At neque fundandi ratio ex parte Dei constituenda est, cùm in eo nulla accidat mutatio propter quam dici posset characterem alicui imprimi, qui ante non inerat.

Quare probabiliter sentiunt, qui eam rem, quæ character nominatur, esse dicunt qualitatem seu formam aliquam absolutam, quæ suscipiatur in anima per sacramentum. Est enim id admodum conforme doctrinæ vtriusque concilij iam citati, qua dicitur character esse spirituale quoddam si- A gnum indelebiliter in anima impressum. Quænam porrò sit ea qualitas rursum variæ Doctorum feruntur opiniones, quas apud Dominicum Soto in 1. distinct. 4. videre licet.

Ea sanè cæteris probabilior videtur, quam tradit S. Thomas p. 3. quæst. 63. characterem esse potestatem quandam spiritualem ordinatam ad ea, quæ sunt diuini cultus. Quod & probat verbis Dionysij cap. 2. ecclesiasticæ hierarchiæ, qui cùm dixisset, Deum quodam signo tradere sui participationem accedenti ad baptismum, subiungit: Quod eum perficiat diuinum & communicatorem B diuinorum, id est, aptum ad diuina suscipienda. Cùm autem diuinus cultus consistat, vel in recipiendo diuina, vel in tradendo; per baptismum quidem potestas datur ad ea suscipienda, vt indicant Dionysij verba: per ordinationem verò ad ea administranda, per confirmationem autem quodammodo inter vtramque media.

Rectius quoque in intellectu quàm in voluntate hæc potestas ponitur, propterea quòd voluntatem per se nullo modo inclinet, cùm sit & bonis & malis communis, imò & in damnatis permaneat C ad perpetuam ipsorum confusionem.

§. 22. *Certos esse sacramentorum ministros.*

NOn ita instituta sunt diuinitus sacramenta nouæ legis, vt vel sine ministro celebrari queant, vel quodlibet eorum indifferenter & promiscue possit à quolibet administrari, sed ministrum omnino requirunt, eumque certum; qui si desit, D vel irrita est & nulla, vel non legitima sit actio sacramentalis. Vnde Florentini concilij patres personam ministri conferentia sacramentum ijs annumerant; quorum si aliquid desit, sacramentum non perficitur. Et Trident. concilium sess. 7. can. 10. de ministro sacramentorum sic statuit: Si quis dixerit christianos omnes in verbo, & omnibus sacramentis administrandis, habere potestatem, anathema sit. Quo canone directè damnatum est, quod Lutherus asserebat, omnes christianos esse æqualiter sacerdotes, hoc est, eandem in verbo & sacramento quocunque habere potestatem. Verùm, vt aiebat, non licere quemquam hac ipsa vti, E nisi consensu communitatis, aut vocatione maioris. Hæc enim eius verba sunt in lib. 1. captiuitatis Babylonicæ. In quibus duplex continetur error: alter, omnes christianos potestatem habere verbi & sacramentorum: alter, eà potestate vtendum non esse nisi communitatis consensu. Nam neque potestas omnibus Christianis est communis, sed ijs tantùm competit qui eam ecclesiastica ordinatione acceperunt; & ea vtendum est non ad præscriptum communitatis, sed ex mandato & voluntate præfectorum ecclesiæ.

S. Thom. 3. p. q. 64.

F Porrò quis vniuscuiusque sacramenti sit proprius minister & quatenus quorundam sacramentorum ministerium etiam ad alios extendi possit, vbi de singulis agemus, explicandum erit. Non enim omnium est eadem ratio. Nam quædam tantùm ab episcopo conferuntur, vt confirmatio & ordo; quædam solum sacerdotem habent ministrum, vt eucharistia, absolutio, & extrema vnctio; in alijs verò etiam laicus suum ministerium interponere potest, idque, vel simpliciter, vel certo casu, vt in baptismo & matrimonio.

Postremò notandum est, quòd etsi solus Deus, tanquam principale agens operetur internum sacramenti effectum; minister tamen suo modo, id est, ministerialiter ac per modum instrumenti ad eundem effectum concurrit; applicando videlicet formam materiæ, & actionem sacramentalem circa suscipientem exercendo. Neque tamen minister agit vt merum instrumentum, cuiusmodi sunt inanimata, quæ tantum mouentur ab alio, sed vt instrumentum viuens & animatum anima rationali; quod videlicet mouere etiam seipsum possit ex iudicio rationis ad opus cuius efficiendi ministerium gerit. Vnde & effectus sacramentorum rectè ministris attribuuntur. Dictum est enim: *Quorum remiseritis peccata &c. Et quæcunque solueritis, &c.* Idque etiam ostendunt formæ sacramentorum, quibus à ministro dicitur: *Ego te baptizo. Ego te absoluo.* Et ita in alijs.

§. 23. *In ministrando sacramento quæ intentio requiratur.*

S. Thom. 3 p. q. 64. art. 8. 9. & 10.

CVm operatio sacramentalis sit actus humanus, id est, iudicio deliberatus, qualis esse non potest si desit intentio qua in suum finem dirigatur, consequitur intentionem necessariò requiri in eo qui sacramentum administrat. Quænam autem sit ea intentio, à concilijs Florent. & Trident. declaratum est. Requirit enim Florent concilium ministrum cum intentione faciendi, quod facit ecclesia. Quod & in Tridentino sess. 7. can. 11. decretum est his verbis: Si quis dixerit in ministris dum sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit ecclesia, anathema sit.

Igitur pro huius doctrinę declaratione sciendum est; neq; eam intentionem ministri necessariam esse, qua opus ministerij sui ad rectum & legitimũ finem referat; neque eam qua intendat verum ipsius sacramenti effectum. Non enim inane est, & irritum sacramentum, si à ministro praua & scelerata intentione conferatur, vel quæstum, vel humanam gloriam, vel hæresis suæ propagationem, vel aliquid eiusmodi præcipuè spectante. Neque etiam irritum aliquando putatum est baptisma à Pelagianis collatum, licèt de eius sacramenti effectu prauè sentientibus; quandoquidem & à Iudæo & pagano collatum ratum esse censuit Nicolaus 1. in rescripto ad consulta Bulgarorum, vt est apud Gratianum de consecratione distinct. 4. cap. *A quodam.*

Ex quibus patet rectam fidem de sacramento, & eius effectu non necessariò in eius ministro requiri, & proinde nec intentionem conferendi eiusdem effectus in particulari.

Patet præterea neque de Christo, neque de ecclesia fidem rectam in ministro esse necessariam. Nam Arianorum aut Nestorianorum etsi de Christo perperam sentientium, baptisma nunquam reprobandum duxerunt patres, quamdiu neque materiam neque formam sacramenti ab ijs mutatam aut viciatam intelligerẽt, vti significat B. Augustin. in hæresi Paulianistarum, quæ est 44. Et apud Donatistas malè de ecclesia sentientes verum fuisse baptisma innumeris locis testatur, & docet idem Augustin. Neq; aliter de Iudæo, pagano, vel cuiuscunque tandem sectæ homine sentiendum patres docuerunt.

At neque sufficit intentio ipsius operis quod agitur, vt est opus qualecunque. Nam hoc modo nusquã deesse posset illi actioni intentio ad veritatem sacramenti necessaria, etiamsi ludo aut ioco vel etiam derisoriè, imò & contumeliosè ageretur, dummodo foret actio humana. Sed requiritur & sufficit intentio vel explicita & actualis, vel saltem implicita seu virtualis faciendi, quod Christus instituit, & ecclesia facit, siue fidem de Christo & ecclesia, deque sacramentis & eorum effectis atque omnino de rebus diuinis aliquam habeat qui actionem eam exercet, siue non. Atque hoc est quod Doctores Scholastici tradunt & in concilijs definitum est, requiri intẽtionem faciendi quod facit ecclesia. Cuius intentionis necessitatem etiam Magister agnoscit, quando distinct. 6. huius libri docet in baptismo & in alijs sacramentis, sicut forma seruanda est; ita & intentionem ea celebrandi requiri atque sufficere, & proinde eum, qui tantùm ioculariter aut mimicè aliquem immergit, etiam probatis sacramenti verbis non verum baptisma conferre.

Ea porrò dicitur intentio faciendi, quod facit ecclesia; qua quis intendit actionem, non vt est actio profana aut vulgaris vel etiam mimica aut derisoria, sed vt est singularis quædam actio; quæ in ecclesia, id est, apud christianos sollenni more fieri conspicitur.

Cum hac autem intentione manifestum est consistere erroneam ac peruersam opinionem non tantùm de ipso sacramento eiusue effectu, verùm etiam de Christo & ecclesia & quibuscunque fidei articulis. Quare si quis sacerdos errore Caluiniano imbutus, id quod Christus instituit, quodque ecclesia facit generali intentione circa sacramentum eucharistiæ facere intendat, proferatque debita verba super debitam materiam, verè conficit corpus, & sanguinem Domini, etiamsi particularis eius intentio, imò & doctrina & protestatio, dum actionem illam exercet, effectui sacramenti repugnent. Non enim quia particulari sua intentione exclusum vult sacramenti effectum, idcirco reuera excluditur; quia diuino operi vim suam adimere non potest, quidquid demum sit quod in particulari intendit, modò ea adsint omnia, quæ ex institutione diuina necessariò requiruntur; quomodo & medicamentum alioqui efficax curabit ęgrotum qualiscunque fuerit medici porrigentis intentio. Sicut autem non impedit effectum sacramenti infidelitas animo inclusa, ita nec verbo expressa quamdiu forma & significatio verborum non mutatur & cætera adsunt.

Exstat de hac re locus apud Augustin. epistola 23. ad Bonifacium, vbi ad eius quæsita respondẽs: Nec illud te moueat, inquit, quod quidã non ea fide ad baptismum percipiẽdum paruulos ferunt, vt gratia spiritali ad vitam regenerentur æternam; sed quod eos putant hoc remedio tẽporalem retinere vel recipere sanitatẽ. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intẽtione offerũtur; celebrantur enim per eos necessaria ministeria: Sic ille. Quæ verba & apud Gratianum habentur de consecratione distinct. 4. cap. *Non illud.*

§. 24. *Responsio ad quædam in contrarium argumenta.*

S. Thom. vbi sup.

ADuersus hanc doctrinam multa sunt, quæ solent obijci. Primum sacramenta esse medicamenta quędam spiritualia, (ea enim comparatio suprà adhibita est.) Atqui medicamentũ vim suam

exerit,

exerit, non modò vbi medicus non inteodit sanitatem, verùm etiamsi madicus oihil omnino intendat.

Secundò, sacramenta valent ex opera operato, oun ergo necessaria est aliqua operanıis intentio.

Tertiò, Sacerdos nesciens qoibus missæ verbis fiat consecratio, verè consecrat tamen. Hîc autem deesse videtur intentio, cùm oporteat eam versari circa formam sacrameoti, quam iste ignorat.

Quartò, molia matrimonia contracta fueront etiam inter christianos nulla intentione operis ad religiooem pertinentis, sed sola cogitatione carnali & inteotione tantùm operis naturalis, haud secus atque fit inter infideles.

Quintò, minister agit vt instromentum, Arqui in instrumento non requiritur intentio operis, sed solùm in agente principali. Non enim in coltro vel serra requiritur intentio secandi, sed in homine.

Sextò, si necessaria est ministrantis intentio, nemo certus erit se esse baptizatum, quia latentem alterius cogitatiooem certò coguoscere non possumus.

Septimò, obiicit Calulnus Isaac præter intentionem benedixisse Iacob, cùm vellet benedicere Esau, & ratam fuisse benedictionem, ipso etiam attestante & dicente: *Benedixi ei & erit benedictus.* Gen. 27.

Octauò, ex August. qoædam loca obijciuntor. Nam lib. 3. contra Cresconium cap 8. comparat sacramentum agro fertili, qui operariom quidem reqoirit, sed non curat, qua mente, qoa laboret intentiona. Et præfatione in psalmum 31. Intentionem, inquit, fides dirigit. Ex qoo apparet in ministrando saciamento inteotionem non requiri, cùm nec fides requiratur. Et tract. 5. in Ioannem loquens da baptizaote quoad effectum sacramenti, ait; si qois baptizaoit ebriosus, Christos baptizauit. Non timeo ebriosom, qoia columbam attendo per quam mihi dicitor; *Hic est, qui baptizat.* At profecto moltom in baptizandi munere timendus & fugiendus esset ebriosus, si necessaria est certa intentio, cùm valde lubrica sit & incerta cogitatio hominis temulenti. Idem lib. 7. contra Donatistas cap. 53. propositis sibi quæstionibus aliqoot de baptismo fallaciter, simulatè, mimicè dato vel accepto, dicit se quidem noo dubitare habere eos baptismum, qui vbicunqoe & à quibuscunqoe illud verbis euangelicis consecratum sine sua simulatione & cum aliqua fide accepissent. Vbi autem, inquit, neque societas vlla esset ita credentium, neqoa ille qui ibi acciperet, ita crederet, sed totom ludicrè, & mimicè & ioculariter ageratur, verùm approbandus esset baptismus qui sic daretur, dioinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum concordi oratione, & impensis sopplici deuotione gemitibus implorandum esse censerem.

Postremò adfertur exemplum Athanasij, qoi adhuc puer ludens in litore maris & episcopi actiones imitationa exprimens, pueros colludentes tinxit in nomine Trinitatis. Quos verè baptizatos iudicauit Alexander episcopus, vt refert Sozomenus lib. 2 cap. 16. & Ruffinus lib. 10. cap. 14. & Nicephorus lib. 8. cap. 44. & habetur causa 1. quæst. 1. ca. spiritussancti.

Ad hæc obiecta ordine ita respondemus. Ad primom, sacramenta cùm sint actus humani, ne subsistere qoidem absque agentis intentione, & proinde sine ea oon posse operari; medicamenta verò corporalia, vt existere, ita operari posse absque intentione medici.

A Ad secundum respondetur intentionem ministri simul includi in opere operato.

Ad tertium, nihil vetare quo minùs talis sacerdos talem actum exercens generalem habeat intentionem faciendi quod facit ecclesia; etiamsi præcisè oesciat qua parte fiat coosecratio, aut omnino non putet consecrationem fieri. Neque verum est intentiooem speciatim versari debere circa formam sacramenti. Sufficit enim vt generatim circa totum actum versetur, ad hoc vt subsistat sacramentum.

B Ad qoartum, si contingat aliquando matrimonium non alia cogitatione contrahi inter fideles quàm qua contrahitur apud infideles; sicuti fortè factum aliquando fuit, quando rata adhuc erant clandestina matrimonia, non videtur plus habere de ratione sacramenti quàm quod ab infidelibus contrahitur. Sed de eo pleniùs in tractatu de matrimonij sacramento.

Ad quintum, minister sacramenti non qualecunque instrumentum est, sed rationale, cuius actio humana est, & proinde intentionem requirit, vt rectè S. Thomas respondet.

C Dices aliquando Dominus per ministrum dat eleemosynam ministro hoc non intendente. Respondeo, si vtitur ministro vt instrumento rationali, debet in ministro esse voluntas & intentio significandi voluntatem domini sui, etiam si hoc inuitus faciat. Quæres quare saltem non sufficit intentio actus humani in genere, sicut sufficit in ministro quo dominus vtitur ad dandam eleemosynam. Potest enim Dominus facere eleemosynam per ministrum omnino quicquam nescientem de eleemosyna; vt si mittat pecuniam quam seruus putet esse

D debitam pro aliquo opere vel mutuo, aut si mittat epistolam clausam, quæ contineat assignationem pecuniæ. Respondendum videtor, quòd ratio petanda est ex institutione Christi, quæ requirit vt minister intendat facere quod facit ecclesia. Et sanè conueniens est, vt actio ministri quatenus est minister, sit aliquo modo determinata ad voluntatem domini sui.

Obijcies, *seruus nescit, quid faciat dominus eius*, Ioannis 15. Respondeo, quando dominus aliquid præcipit seruo, scit dominum hoc velle quod præcipit, & ad illud determinatur voluntas serui exsequentis præceptum.

E Ad sextom, dicendum est, sufficere certitudinem moralem. Cùm enim minister agit quod in ecclesia agi solet, eumque verbis ipsis intentio ecclesiæ exprimatur, nisi contrarium aliunde probabiliter appareat, nulla est ratio cur quis de se dubitet sitne verè baptizatos. Quamuis enim contrarium sit possibile, huiusmodi tamen absoluta possibilitas certitudinem humanam & morálem non potest, nec debet perturbare.

Ad septimum, sicut in Isaac fuit intentio benedicendi, sic in ministro sacramenti requiritur intentio faciendi quod habet vsus ecclesiæ. Cæterùm,

F sicut ibi rata fuit benedictio benedicentis vnum pro alio: ita ratus esset baptismus, si quis fortè alium pro alio per errorem baptizaret; quia intentio est de hoc homine, quamuis nesciatur esse Petrus, aut putetur esse Paulus.

Ad Augustini quoque loca sic respondemos. Primus & secundus locos intelliguntur de intentione qua in bonum vel malum finem opus ab agente dirigitur. Nam altero loco contra Donatistas disputat, qui sacramenti integritatem pendere volebant ex bonitate ministri. Altero docere vult

quæ intentio opus faciat rectum. Huiusmodi autem intentionem iam suprà ostendimus hic non requiri, sed eam tantùm qua ipsum opus, quale fit in ecclesia, intendatur. De tertio respondetur non dixisse Augustinum: Non timeo ebrium, sed ebriosum. Nam ebrius non tantùm ob defectum intentionis, quia actus eius non est humanus; verùm etiam ob periculum immutandæ verborum formæ (quam integram haud dubiè requirit Augustinus) meritò metuendus est. Non ita ebriosus, vt qui sobrius sacramentum administrare possit. De quarto loco respondemus dubitationem Augustini iam quod ipse optat, remotam esse non vnius sed duorum conciliorum generalium definitione. Si quæ porrò dubitationes aliæ de sacramentis, ac præsertim de baptismo suboriuntur, an ratum sit quod factum est, vel an omnino factum sit aliquid, et difficultati postmodum alia ratione putant occurrendum ecclesia, iterando videlicet sacramentum sub hac conditione: si vel non factum est, vel non ratum est id de quo dubitatur.

Ad postremam obiectionem de facto Athanasij respondemus imitationē duplicem esse, alteram quæ tendit in rem ipsam, vt eius qui virtutem alicuius imitatur: alteram quæ in rei similitudinem, vt eius qui pingit leonem. Inter quæ duo multum est discriminis; Nam ille imitando ipsam virtutem efformare nititur: hic verò non ipsum leonem, sed eius tantùm similitudinem exprimere pingendo intendit. Igitur qui mimicè tantùm baptizat, non intendit facere quod fit in ecclesia, sed tale quid repræsentare dumtaxat, veluti fit in pictura vel theatro. Athanasius verò hoc ipsum quod facit ecclesia, imitatione sua facere intendebat. Non enim baptizare voluit nisi catechumenos, vt testatur Sozomenus; ideoque meritò ratum fuit habitum ab Alexandro ex consilio sacerdotum, inquisitione facta, quod ab eo gestum fuit, vt refert idem Sozomenus.

§. 25. *Effectum sacramenti non dependere ex qualitate ministri.*

S. Thom. 3. p. q. 64 art. 5.

QValitas ministri conferentis sacramentum nihil addit aut adimit efficaciæ sacramēti. Neq; enim efficacius operabitur sacramentum per ministrum bonum, neque minus efficaciter per malum; dummodo talis sit per quem simpliciter sacramentum administrari possit. Huius ratio est, quia ecclesiæ sacramenta Christi sunt sacramenta, id est, vim sanctificandi à Christo habentia, non autem à meritis hominum; tametsi non nisi per homines ea Christus administrari voluerit, sed vt per causam instrumentalem, cuius qualitas eo excepto quod ad instrumenti rationem exigitur, impertinens est effectui; sicut impertinens est curationi ægroti, vtrùm corpus medici sanum sit, an ægrum; & impertinens culturæ agri aut vineæ vtrùm agricola probus sit, an improbus; dummodo non prætermittantur, quæ ad hos effectus producendos ex parte causæ instrumentalis sunt necessaria.

Tenuit hanc doctrinam ecclesia iam olim contra hæreticos præcipuè Donatistas, qui à malis pollui sacramenta, eorumque effectum impediri docebant, vsque adeo, vt quicquid ab ijs præsertim hæreticis attentatum esset, tanquam nihil a-

A ctum esset, iterandum esse docerent. Quæ autem à bonis collata essent sacramenta, eo plus minusue suscipienti ad spiritualem gratiam valere dicerent, quo magis minusue iustus & sanctus esset, qui ea exhiberet. Quamuis in hoc posterius propter eius absurditatem non omnes Donatistæ conuenirent. Huiusmodi errorem varijs locis multipliciter refundit Augustinus, partim prolata contra eos antiqua ecclesiæ consuetudine, baptismi hæreticorum non iterandi, quam non nisi ex traditione apostolica descendisse confirmat; partim adhibitis etiam ad eam rem tum rationibus, tum sacræ scripturæ testimonijs.

B Scripturæ loca, quibus August. & alij vtuntur, hæc ferè sunt. Ioannis 1 de Christo dicitur: *Hic est, qui baptizat in spiritu sancto.* Rom. 8. *Deus est, qui iustificat.* Isaiæ 43. in Dei persona: *Ego ipse qui deleo iniquitates.* Et apostolus 1. Corinth. 1. reprehendit eos, qui in ministris gloriantes dicebant: *Ego quidem sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ. Nunquid,* ait, *diuisus est Christus? nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Quibus verbis ostendit sacramentum à quocunque administretur, valere in nomine, id est, virtute Christi, non ministrorum. Idemque manifestius

C ostendit cap. 3. *Quid igitur,* inquit, *est Apollo? Quid verò Paulus? ministri eius cui credidistis.* Et iterum. *Ego,* inquit, *plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Quæ etsi ab apostolo principaliter de prædicatione verbi dicta sint, pertinere tamen etiam ad ministerium sacramentorum ipse indicat, tam primo cap. vbi baptismi meminit, quàm initio 4. vbi generaliter ait: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Valet ad huius confirmationem

D illud Iosue vltimo dicente Domino de Balaam ad Israelitas: *Ego autem nolui audire eum, sed è contrario per illum benedixi vobis,* vtique per malum, & auaricia corruptum, & populo Dei malè volentem.

Porrò ex Augustino præter ea loca, quibus docet ratum esse baptisma, quod datur extra ecclesiā etiam ab hæreticis & schismaticis (hoc enim in omnibus pene libris, epistolis, tractatibus contra Donatistas editis variè inculcat) subijciemus quædam loca, quibus ostendit ministrata per malos sacramenta nihilo minus operari quàm per bonos. Igi-

E tur tractatu 5. in Ioannem sic ait: Si fuerit superbus minister, cum diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit, purum est, quod per illum transit, liquidum venit ad fertilem terram. Et rursum in eadem similitudine insistens. Per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans, sed tamen hortis plurimum fructum affert. In eodem tractatu verba leguntur suprà à nobis tractata: Non timeo homicidam, ebriosum, adulterum, quia Christus est qui baptizat. Alibi verò adducit comparationem ab agricola, cuius malicia nihil obest,

F quo minus ager ab eo cultus fructum ferat. Vt lib. 3. contra Cresconium cap. 8. Nam & ea comparatione apostolus vtitur. 1. Corinth. 3. Rursus August. eiusdem libri cap. 6. Ad hominem baptizandum & sanctificandum si tantò est melius quod accipitur, quantò est melior per quem traditur; tanta est in accipientibus baptismorum varietas, quanta in ministris diuersitas meritorum. Si enim &c. Et iterum. Porrò si inter bonos ministros cùm sit alius alio melior, non est melior baptismus qui per meliorem datur, nullo modo malus est qui etiam

per

A per malum datur, quando idem baptismus datur. Et ideo per ministros dispares Dei munus æquale est, quia non illorum, sed eius est. Et lib. 3 contra Donatistas cap. 10. Baptismus Christi verbis euangelicis consecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamuis illi sint impudici & immundi: quia ipsa eius sanctitas pollui non potest, & sacramento suo diuina virtus assistit, siue ad salutem bene vtentium, siue ad perniciem malè vtentium. Ac deinde subiungit simile de lumine solis vel etiam lucernæ, quod per cœnosa diffusum, nihil inde sordium contrahit. Idem lib. 2. contra B epist. Parmeniani cap. 11. de ministro ecclesiæ ficto, ac proinde spiritumsanctum non habente iuxta illud Sapientiæ 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum* differens, ita tandem concludit: Ministerium tamen eius non deserit spiritussanctus, quo per eum salutem operatur aliorum.

In eandem portò sententiam Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum respondens alia similitudine adhibita: Cerea fax, inquit, accensa sibi quidem detrimentum præstat, alijs verò lumen in tenebris administrat, & vnde alijs commodum exhibet, inde C sibi detrimentum præbet: Sic videlicet malus minister bona sacramenta administrando alijs est vtilis, sed quia sacrosancta sacramenta pollutis manibus tractat, sibi nocet eo ipso opere quo alijs prodest.

Item Bernardus serm. 60. super Cantica, hæreticos censet eos qui dicunt: Peccatores sunt episcopi, & ideo nec ad dandum, nec ad accipiendum sacramentum sunt idonei. Quam hæresim postea assertam à Ioanne Wickeff condemnarunt patres Constantiensis concilij articulo eius 4. qui sic habet: Si episcopus vel sacerdos existat in peccato D mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat. Quare rectissimè contra eum errorem & similes editus est hic canon, numero duodecimus sess. 7. in Tridentino concilio: Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, seruauerit, non conficere aut conferre sacramentum anathema sit. Quæ canonis doctrina cùm sit generalis, generaliter accipienda est de ministro quocunque in quocunque peccato mortali existente; siue sit occultè malus, siue manifestè; & siue adhuc catholi- E cus sit, siue hæreticus, aut quacunque ratione.

Vnde reprobanda est & ea quorundam Donatistarum distinctio, qua dicebant si ministri mali quidem essent sed occulti, ratum esse quod per eos fieret; irritum verò si manifesti, præsertim si ab ecclesia essent separati; quamuis ea sententia Magistro quoque placuisse videatur distinct. 13. huius libri, & eam tradant hodie sectarij quidam. Omnino enim qualiscunque sit minister, si non est aliunde defectus, ratum est quod facit. Quamdiu verò ab ecclesia toleratur, licèt ipse grauiter peccet F administrando, accipere tamen ab eo sacramenta vsque adeo non est illicitum, vt nulla parte gratiæ sacramentalis fideles talium ministerio vtentes defraudentur. Priorem partem asserit & docet Augustin. epist. 166. lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 10. & lib. 3. cap. 2. & passim alibi. Posteriorem post Nicolaum Papam in decreto ad Bulgaros 15. quæst. 8 cap. finali tradit Lucius 3. cap. Vestra titulo de cohabitatione clericorum, vbi concordans quædam pontificum dicta, ita tandem subijcit: Sine dubitatione teneatis, quòd à clericis & presbyteris quamquam fornicarijs, quamdiu tolerantur, licitè diuina mysteria audiantur, & alia recipiantur sacramenta ecclesiastica.

§ 26. *Solutio eorum quæ contra obijciuntur.*

EX multis quæ superiori doctrinæ opponi solent, hæc pauca & præcipua sunt. *S. Thom. ibidem.*

Primùm scripturæ obijciuntur. Nam Malac. 2. dicit Dominus malis sacerdotibus: *Maledicam benedictionibus vestris?* Et Ecclesiastici 34. *Ab immundo* B *quid mundabitur.* Et apost. 2. Corinth. 6 *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras?*

Deinde patrum quædam sententiæ proferuntur. Scribit enim Augustin. lib. 3. contra Donatistas. cap. 18 de malis ecclesiæ ministris in hunc modum: Remissam tamen peccatorum non dabunt, quæ per orationes sanctorum, id est, per columbæ gemitus datur. Non enim raptoribus, & fœneratoribus diceret Dominus: Si cui demiseritis peccata, dimittentur ei; si cui tenueritis, tenebuntur. Huic C similia apud eum loca sunt, eiusdem operis lib. 4. cap. 4. lib. 5. cap. 20 21. & 22. lib. 6. cap. 1. & 3. & serm. 16. de verbis Domini. Idem lib. 10. de ciuitate cap. 27. Quomodo purgent, inquit, hominis spiritum, qui immundum habent proprium?

Hieronymus in 3. Sophoniæ impium esse dicit putare eucharistiam solum fieri verbis, & non meritis sacerdotum. Et ad 4. Ephes. ad illud: *Vnum baptisma* negat hæreticos habere vera baptismata, asserens in sola ecclesia esse fontem vitalem.

Innocentius 1. epistola 17. negat eos in sacra- D mentis dare plenitudinem spiritussancti, qui fidem non habent, & habetur 1. Quæst. 1. cap. Arianos.

Leo 1. epistola 75. dicit in ecclesia Alexandrina per impietatem Dioscori omne sacramentorum lumen extinctum esse, & parricidalibus hæreticorum manibus se subduxisse sacra mysteria.

Gregor. quoque lib. 3. Dialog. cap. 31. ab Ariano consecratam, & oblatam eucharistiam vocat sacrilegam communionem.

Et Pelagius Papa, vt habetur apud Gratianum 24. quæst. 1. cap. Schisma. Non est, inquit, corpus Domini, quod schismaticus conficit.

E Bernardus item serm. 66. in cantica, negat hæreticos habere potestatem corpus & sanguinem Christi consecrandi.

Quin & ante hos omnes Cyprianus varijs locis docet & probat nullum esse baptisma, quod extra ecclesiam suscipitur; propterea quòd extra eam non sit, id est, non operetur ad hominum sanctificationem spiritussanctus. Eam que sententiam non nouam, sed ab antecessoribus suis acceptam esse affirmat, vocatque eam catholicæ regulæ firmitatem. Loca sunt lib. 1. epistola 6 & 12. lib. 4. epistola 4. serm. 5. de lapsis. Et rursum epistola ad Iubaianum F & Pompeium. Quam Cypriani sententiam ipso præsidente secutum est concilium Carthaginense, quemadmodum eodem loco videre est.

Sed & ante Cyprianum in canonibus apostolicis aliquid tale constitutum reperitur. Nam canone 46. damnatur episcopus suscipiens baptisma hæreticorum. Et canone 67. rata negatur ordinatio ab hæretico facta.

His accedunt rationes. Prima, quæ Magistrum mouit distinct. 13. Sacerdos sacrificium offerens, non suo sed totius ecclesiæ nomine dicit: *offerimus*, itidemque in alijs sacramentis ecclesiæ per-

sona

sona fungitur. Igitur qui in ecclesia non est sed eius societatem odit, id dicere verè non potest, & proinde nihil efficit.

Secunda, sacramentum est actio ministri, vt baptismus, absolutio, ordinatio. Si ergo eam minister mala faciat voluntate praua & immunda erit talis actio, & proinde ipsum sacramentum aut nullum, aut immundum & pollutum.

Tertia, oratio effectum habet iuxta maiorem vel minorem orantis deuotionem; atqui in sacramentis adhibetur oratio, vel vt forma, vt in sacramento extremæ vnctionis, vel vt ad impetrandum effectum adiuncta precatio, vt ferè in omnibus, ergo iuxta deuotionem, & pietatem ministri plus minusue sacramenta valebunt.

Quarta, prædicatio verbi vna est alia melior. & ad conuertendos audientium animos efficacior, ergo & baptismus ab vno administratus melior & ad impetrandam Dei gratiam efficacior esse poterit quàm ab alio.

Postrema, mali qui sunt extra ecclesiam, & quidam etiam in ecclesia existentes non habent ius administrandi sacramenta, non ergo ratum est quod faciunt.

Hæc argumenta sic ordine dilui possunt.

Quod obijcitur ex Malach. 2. quamuis ab alijs aliter soluatur, hunc proprium sensum videtur habere. Maledicam prouentibus vestris temporalibus quorum abundantiam expectatis. Solent enim bona temporalia vocari benedictiones more veteris scripturæ. Vnde est illud 2. Corinth. 9. *Præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse sic quasi benedictionem, non tanquam auaritiam.* Et rursum, *qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Ibi enim benedictionem apostolus intelligit doni temporalis abundantiam. Atque hunc prophetæ sensum confirmat quod proximè antecedit: *Mittam in vos egestatem.*

Locus Ecclesiastici non aliud significat, quàm ab immundo mundiciem expectari non posse tanquam authore à quo illa originem accipiat. Non enim originaliter à ministris, sed à Deo per hominum ministerium confertur mundicies quæ datur per sacramenta.

Locus apostoli de societate intelligitur quæ consistit in mutua conuersatione; Atqui non omnis malorum societas fugienda est, eodem apostolo teste 1. Corinth 5. Rectè igitur & absque detrimento fructus spiritualis accipit quia sacramentum à malo ministro, dum ab ecclesia in eo ministerio toleratur.

Ad sententiã ex Augustino recitatã aliasque similes respõdendũ est, nõ ibi agere Augustinũ de ministerio remittendi peccata per sacramẽta, sed de alio quodam peculiari remissionis modo, quo videlicet per orationes, lachrymas aliaq; pia opera cooperatur quispiam ad impetrandam peccatoribus veniam. Qui modus haud dubiè solis in ecclesia pijs conuenit. Vnde idem Augustinus epistola 22. Tota inquit mater ecclesia, quæ in sanctis est, hoc facit, quia tota omnes, tota singulos parit. Hanc esse Augustini sententiam declarant verba illa adiuncta: Quæ remissio per orationes sanctorum, id est, per columbæ gemitus datur, quicunque baptizet. Quod autem ex lib. 10. de ciuitate Dei obijciebatur, intelligendum est de purgatione quæ fit propria cuiusqua virtute. Talem enim purgationem dæmonibus vel dijs suis tribuebant gentiles, contra quos eo loco disserit Augustinus.

Prior Hieronymi locus alludit ad etymon vocabuli εὐχαριστία, quod significat gratiarum actionẽ, & negat ad hoc vt sacerdotis actio Deo placeat, & vita commendetur, satis esse si verba solemnia recitentur, sed præterea requiri morum innocentiam & integritatem. Posterior seipsum explicat: verum enim baptisma fontem vitalem, id est, viuificantem intelligit, quem hæretici non habent, quia baptisma extra ecclesiam non mundat adultos propter communionem hæreticam vel schismaticam. Solet enim id verum dici, quod naturæ vel institutioni suæ congruam habet operationem, vt verus Christianus, qui bene viuit, verus pastor qui bene pascit: sic verus pater, vera mater, verus Israelita, verus monachus.

Ad Innocentium similis est responsio. Nam extra ecclesiam etsi sint sacramenta, non tamen prosunt ad obtinendam gratiam spiritussancti.

Leonis verba intelligenda sunt cum huiusmodi supplemento, quantùm est ea parte hæreticorum. Ita enim & Augustinus ipse in epistola ad Honoratum 180. locutus est, & Cypriani quendam locum similiter interpretatur epistola 23. & lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 13.

Gregorius verò non ipsum corpus Domini, sed eius vsum hæretico porrigante, & alio accipiente sacrilegam vocat communionem, loquitur autem de hæretico manifesto.

Pelagij pontificis sententia intelligitur de corpore Christi quatenus significat corpus Christi mysticum, id est, ecclesiam, quemadmodum indicant verba eius sequentia. Quomodo & Augustinus lib. 21. de ciuitate cap. 25. negat extra ecclesiam verè manducari corpus Christi.

Bernardus de ijs loquitur, qui cùm se apostolicos nominarent & apostolorum successores dicerent, non tamen à veris apostolorum successoribus missi neq; ordinati erant, ideoq; nec veri sacerdotes.

Porrò Cyprianum in ea sententia fuisse quòd hæreticorum baptisma nullum sit, & proinde in ecclesia iterandum non est dubium. Sed eam sententiam primùm Pontifices Romani, demum & plenaria synodus teste Augustino lib. 6. contra Donatistas cap. 1. & alibi, tanquam ecclesiasticæ & apostolicæ traditioni contrariam reprobauit. Hoc autem Cyprianum & collegas eius fefellit, ait eodem loco Augustin. quod sacramentum ipsum ab effecto seu vsu sacramenti non distinguerent. Quia enim baptismi effectum qui in liberatione à peccatis & cordis rectitudine consistit, apud hæreticos non inueniebant, ipsum quoque sacramentum non illic esse putabant; perinde atque si quis apud hæreticos scripturas esse negaret, propterea quòd apud eos non sit verus scripturarum intellectus. Quam errorem multis locis contra Donatistas disputans idem refellit Augustinus. In excusationem verò Cypriani, quid afferri possit, tum aliàs sæpe, tum pulcbrè ab eo ostenditur lib. de vnico baptismo cap. 13.

Priorem canonem apostolicum ita quidam intelligunt, quamuis verum ab hæreticis sacramentum detur, non licere tamen id ab iis, nisi vrgente mortis necessitate accipere. Verior responsio videtur canonibus apostolicis quosdam ab hæreticis insertos olim fuisse, qui doctrinam non sanãm neque apostolicam continerent, ideoque factum, vt non omnino certa ab illis canonibus authoritas petatur. Nam & de numero eorum canonum & de origine controuersia est non parua inter scriptores. Sed & alia nonnulla in ijs reponuntur, quæ non admodum rectæ fidei videantur consentanea.

Ad rationes quoque in contrarium allatas ita respondemus. Prima ratio ostendit quidem eum qui sacramentum conficit vel administrat, debere esse ecclesiæ membrum, vt in eius persona dicere possit: *offerimus*, aliasque orationes recitare; non tamen conuincit nullam esse sacramentum si secus fiat: sufficit enim ad substantiam sacramenti, si sit in ministro generalis intentio faciendi quod ecclesia facit, vt suprà ostendimus.

Ad secundam respondetur actionem illam in genere moris esse malam & immundam, si mala voluntate fiat. Cæterùm in genere sacramenti seu signi operatorij à Deo instituti, & intentione ecclesiæ administrati bonam esse & mundam, atque insuper ratam & validam.

Ad tertiam, sacramenta vim habere ex institutione Christi non ex deuotione orantis, etiamsi fortè in aliquo sacramento forma ipsa sit precatoria. Non tamen est negandum (quod & ratio proposita satis conuincit) quin boni ministri pius affectus atque orantis deuotio aliquid impetret gratiæ spiritualis ei qui sacramentum suscipit; idque eo plus minusue, quo magis aut minùs Deo grata est eius oratio, quale nihil impetrat malus minister. Verùm ea propriè non est gratia sacramentalis, sed accessoria, quam suscipienti impetrare possunt etiam alij pij sacramentum ipsum non administrantes. Et propter hanc causam haud dubiè melius est sacramentum accipere à bono quàm malo ministro; sicut & missam audire boni quàm mali sacerdotis, vti docet S. Thomas 3. quæst. 82. art. 6. Et hac ratione sancti martyres Nereus & Archilleus negabant se, qui à sancto Petro baptizati essent, cogi posse vt idola colerent, quemadmodum in gestis eorum legitur; nisi fortè quis hoc ad exemplum imitationis referre malit. Quæ altera causa est, cur magis expediat à bonis quàm malis accipere sacramenta. Quod etiam fatetur & docet August. lib. 3. contra Cresconium cap. 6.

Ad quartam, non eandem esse prædicationis verbi & administrationis sacramentorum rationem; sacramenta enim sic instituta sunt à Christo, vt semper dum sunt, operatoria sint, nisi ponatur obex. At prædicatio verbi eam institutionem non habet, sed effectum ei præstat plærumque Deus secundùm modum humanum, id est, iuxta quod concionator aptè dicit ad persuadendum. Hinc sermonem vnum alio meliorem dicimus, non item baptismum vel absolutionem. Illic enim ad effectum aliquid confert agentis industria, non istic. Vnde & excellentius est munus euangelizandi, quàm baptizandi, adeo vt dicat apostolus: *Non misit me Dominus baptizare, sed euangelizare.*

Ad postremam respondetur, sæpenumero subsistere & validũ esse quod fit ab eo qui ius non habet faciendi, vt matrimonium ab eo contractum qui obstrictus est simplici voto continentiæ. Sufficit enim potestas ad actum deducta, etiamsi actus sit illicitus atque illegitimus. Soluit hoc pacto istud argumentum Augustinus lib. 5. contra Donatistas cap. 15. Multa enim, inquit, contra ius dantur, nec tamen ideo vel nulla, vel non data dicuntur.

§. 27. *Sacramenta veteris & nouæ legis quomodo inter se differant.*

[S. Tho. 3. p. q. 62. art. 6.] De discrimine sacramẽtorũ veteris & nouæ legis celebris est Doctorum disputatio. In qua tamen illud imprimis & certò tenendum est, quod sub anathemate definierunt patres concilij Trident. sess. 7. can. 2. his verbis: Si quis dixerit nouæ legis sacramenta à sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi anathema sit. Hoc enim solo ea differre volunt hodierni hæretici, contra quos editus est hic canon. Sed quod sit illud discrimen, præter ceremoniarum & rituum diuersitatem inter ea necessariò agnoscendum, à patribus Tridentinis non est explicatum. Verũtamen de ea re iam antè in concilio Florentino constitutum aliquid fuit. In eo namque de sacramentis nouæ legis ita legitur: Quæ multum à sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant. Hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.

Discrimen hoc ex patrum doctrina, atque ex ipsa scriptura sacra acceptum est. Nam apostolus Hebr. 9. munera & hostias, quæ secundùm legem offeruntur, negat posse iuxta conscientiam perfectum facere seruiẽtem solummodo in cibis & potibus, & in varijs baptismatibus & iusticijs carnis vsque ad tempus correctionis impositis. Et cap. 10. *Vmbram*, inquit, *habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum per singulos annos eisdem ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere &c.* Et iterum: *Impossibile enim est sanguine taurorum aut hircorum auferri peccata*; & alia his similia identidem repetit. Quo loco etsi de sacrificijs potissimùm agat, eadem tamen est ratio sacramentorum. Nam & hæc in epistola ad Galatas 4. vocat infirma, & egena elementa, quòd vim iustificãdi nullam habuerint. Eòdem pertinet illud Heb. 7. *Reprobatio quidem fit præcedẽtis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Et cap. 8 *Nam si illud prius culpa vacasset &c.*

Tradit hoc discrimen Augustinus in expositione psal. 73. his verbis: Sacramenta non eadem in vtroque testamento, quia alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia saluatorem. Sacramenta noui testamenti dant salutem; sacramenta veteris testamẽti promiserunt saluatorem. Et paolò antè rationem discriminis reddens ex discrimine vtriusque testamenti: Si enim, inquit, discernimus duo testamenta vetus & nouum, non sunt eadem sacramenta, nec eadem promissa. Idem tract. 41. in Ioannem de veteribus sacrificijs loquẽs: In quibus, inquit, non erat expiatio peccatorum, sed vmbra futurorum. Et lib. 22. contra Faustum cap. 69. testatur Moysen fuisse ministrum sacramentorum, non iam præstantium salutem, sed adhuc promittentium saluatorem. Et in epist. 19. ad Hieronymum: Cur non dicam, inquit, præcepta illa veterum sacramẽtorum non bona esse, quia non illis homines iustificabantur? Et sermone 15. de verbis apost. cap. 6. vetera sacramenta vocat carnalia. Porrò generalioribus verbis idem Augustinus inter vtriusque testamenti sacramenta distinguit alibi, quando comparans ea inter se dicit veteribus sublatis à Christo instituta esse noua quædam virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Loca sunt lib. 19. contra Faustum

cap. 13. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 9. Epistola. 118. ad Ianuarium, & in psal. 73. & 103.

Indicauit quoque discrimen illud Hieronymus scribens in Isaiam ad illud: *Lauamini, mundi estote &c.* Distinguens enim eo loco sacramenta vetera à nouis dicit ex persona Christi: Euangelij mihi placet religio, vt baptizemini in sanguine meo per lauacrum regenerationis, quod solum potest peccata dimittere: quasi dicat, priora illa id non potuisse, ideoque meritò non placere, iuxta illud psal. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti, holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio* Similis est Hieronymi locus in illud Ezech. 20. *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent.* Quod interpretatur de ceramonialibus, cuiusmodi sunt sacramenta, & sacrificia. Denique manifestè tradit hanc doctrinam ex Augustino Magister hac distinctione, quem posteriores omnes sequuntur.

§. 28. *Dubitationis cuiusdam circa discrimen sacramentorum explicatio.*

S. Thom. 1. 2. q. 103. ar. 2. Item 3. p. q. 61. art. 6.

NOn parum difficultatis circa doctrinam superiorem adferunt aliquot loca, tum sacræ scripturæ, tum veterum Doctorum, ex quibus planè ostendi videtur antiquæ legis sacramenta & sacrificia non tantùm fuisse signa futurorum, verùm etiam gratiæ, vt iusticiæ & ramissionis peccatorum efficacia. Nam Leuitici c. 4. 5. 17. & Numer. 15. sacrificijs Leuiticis, quæ pro peccato offerebantur, effectus remissionis peccatorum tribuitur, his atque similibus verbis: *Orabitque pro eo sacerdos, & dimittetur ei, & propicius erit ei Dominus.* Et, *sanguis pro anima piaculo est.*

Quin & apostolus Heb. 5. cùm de sacrificijs veteribus ageret: *Omnis pontifex,* inquit, *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.*

Quòd si respondeas, per fidem & non per sacramenta aut sacrificia datam peccatorum remissionem ijs qui ad ea accedebant, videbitur hac responsione non modò plus aliquid fidei antiquorum attribui, quàm nostræ, vt quæ sola ad remissionem peccati valuerit, absque virtute sacramenti aut sacrificij; verùm etiam eoerueri probatio catholicorum qua ex similibus noui testamenti scripturis probant sacramenta nouæ legis gratiam conferre. Nam Deuteron. vltimo & Act. 8. de manus impositione similis est sermo. Ac rursum Leuit. 4. & Iacobi 5. de sacrificio & vnctione. Nam ibi dicitur: *Orabit sacerdos & remittetur ei.* Hic verò: *Orent presbyteri super eum, & alleuabit eum Dominus, & oratio fidei saluabit infirmum.* Præterea legimus tempore veteris testamenti viros sanctos obtulisse sacrificia, vt per ea Dominum redderent sibi placatum, & propicium. Nam vt omittamus eos, qui vel ante legem extiterunt, vt Abel, Noe, Melchisedech, Abraham, Iacob, quos omnes acceptabile sacrificium Deo obtulisse ipso etiam canone missæ attastante discimus; val extra Iudaicum populum fuerunt, vt Iob qui pro peccatis filiorum quotidianum frequentabat sacrificium, Iob 1. & ab ipso Deo iussus est pro amicis suis Deo taccòciliādis offerre, Iob vltimo; etiam ab ijs qui tempore legis fuerunt oblata cum fructu & effectu sacrificia legimus. Nam Dauid 2. Reg. vltimo cùm pestis in populum desæuiret, sacrificium obtulit, quo placatus Dominus destitit à plaga. Et Daniel. 3. tres pueri in fornacem missi & deplorantes, quòd neque sacrificium, neque holocaustum, neque oblatio esset eo tempore, precantur Dominum vt in corde contrito & humiliato suscipiantur, sicut in holocausto arietum & taurorum & sicut in milibus agnorum pinguium: *Sic fiat,* inquiunt, *sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie vt placeat tibi.* Si ergo cor contritum & humiliatum valuit ad peccata delenda, ad idem ex institutione Dei valebant illius temporis sacrificia. Legitur quoque in lib. 2. Machab. 3. oblatum pro Heliodoro sacrificium ei profuisse, & 12. defunctis iussum à Ioda Machabæo offerri sacrificium, quo à peccatis soluerentur. Ne fortè quis existimet ad effectus quidem temporales illa sacrificia valuisse, non autem ad spirituales, in quibus est haud dubiè remissio peccatorum. Denique ex lege manifestum ast fuisse sacrificia tunc instituta, quædam pro saluta, & quædam pro peccatis. Quod & apostolus Heb. 5. & 7. testatur. Quæ institutio cùm non fuerit inanis, ad eos effectus illa valuisse omnino fatendum videtur.

His accedunt testimonia patrum. Nam Augustin. præterquam quòd lib. 19. contra Faustum cap. 11. generaliter de sacramentis religionis dicit eorum vim inenarrabiliter plurimum valare, quamuis, vt addit cap. 13. noui testamenti sacramenta sint virtute maiora. Vnde videtur aliquam etiam virtutem, etsi minorem, veteribus sacramentis tribuere: alibi expresse vim sanctificandi ijs ascribit. Tractans enim illud Num. 15. *Anima, quæ peccauerit per superbiam &c.* quæst. 25. scribit in hæc verba: Quod genus peccati non dixit vllo genere sacrificij purgari oportere, tanquam insanabile iudicans, illa dumtaxat curatione quæ per sacrificia gerebatur, qualia facienda in hac scriptura præcipiuntur. Quæ si per se ipsa attendantur, nullo pacto possunt mederi. Si autem res ipsæ, quarum hæc sacramenta fuit, inquiuntur, in eis inueniri poterit purgatio peccatorum. Et scribens in psal. 77. Cùm essent, inquit, antiquis omnia communia sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ sacramentorum virtus est; sicut & nunc iam reuelata fide, quæ tunc velabatur, omnibus in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti baptizatis commune est lauacrum, sed ipsa gratia, cuius ipsa sunt sacramenta, non communis est omnibus. Idem quæst. 84. in Leuit. Moyses, inquit, sanctificabat visibilibus sacramentis per ministerium suum; Dominus autem inuisibili gratia per spiritumsanctum, vbi est totus fructus etiam visibilium sacramentorum. Et cætera vsque ad finem quæst. Eandem doctrinam innuit lib. 2. de Adult. coniug. cap. 6. cum dicit adulterij crimen in vetere Dei lege nullis sacrificijs mundari solitum, per hoc insinuans alia crimina, quorum Leuiticus meminit, sacrificijs mundata fuisse.

In eandem sententiam scribit Ambrosius lib. 7. in Luc. 17. his verbis: Venit Dominus ad Abraham, venit ad Moysen, venit ad Mariam, hoc est, venit in signaculo, venit in lege, venit in corpore. Aduentum eius ex beneficijs recognoscimus, alibi purificatio; alibi sanctificatio, alibi iustificatio est. Circumcisio purificauit, sanctificauit lex, iustificauit gratia. Vnus in omnibus, & in vno omnia. Nemo enim mundari potest, nisi qui meruit dominum &c. His & Leo consentire videtur, ita scribens serm.

3. de natiuitate Domini. Et hoc magnæ pietatis sacramentum quo totus iam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, vt non minùs adepti sint, qui in illud credidêre promissum, quàm qui suscepêre donatum. Et serm. 2. in die pentecostes. Cum, inquit, in die pentecostes discipulos Domini spiritussanctus impleuit, non fuit inchoatio muneris, sed adiectio largitatis. Quoniam & patriarchæ & prophetæ, & sacerdotes omnesque sancti qui prioribus fuere temporibus, eiusdem sunt spiritussancti sanctificatione vegetati: & sine hac gratia nulla vnquam instituta sacramenta, nulla sunt celebrata mysteria, vt eadem semper fuerit virtus charismatum, quamuis non eadem fuerit mensura donorum. Hæc ille.

Aperta quoque Hugonis Victorini sententia est lib. 1. de sacramentis parte. 8. Sacramentorum, inquit, alia sunt sub lege, alia sub natura, alia sub gratia, sed eundem effectum sanitatis habentia. Et iterum: Ex quo homo ægrotare cœpit, Deus repetando in sacramentis suis medicinam præparauit.

Horum sententiæ videtur & ratio suffragari, fuit enim eadem fides antiquorum quæ nostra, ergo adhibitis sacramentis eandem illi nobiscum gratiam consequebantur.

Item: Sacramenta vetera ita referebantur ad sanguinem Christi fundendum, sicut noua ad eundem iam fusum; ergo sicut ista in Christi sanguine sunt efficacia, sic & illa. Præterea. Si quis tempore legis vsus fuisset signis, abs se excogitatis ad profitendum fidem mediatoris, non eum effectum fuisset consecutus, quem per signa à Deo instituta. Item, qui cum fide & deuotione vtebatur sacramento vel sacrificio, plus consequebatur, quàm si sacramentum vel sacrificium non adhibuisset. Posset hic de circumcisione, & eius effectu moueri quæstio, sed de ea postea peculiariter agetur.

Pro difficultatis huius enodatione sciendum est aliter S. Thomam, aliter Bonauenturam, de differentia sacramentorum veteris & nouæ legis sentire. S. Thomas enim 1. 2. quæst. 103. art. 2. docet veteris legis ceremonias habuisse quidem virtutem emundandi ab immunditia legali, ideoque dictum esse ab apostolo Heb. 9. quòd *sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*. Qua ratione & ipsæ ceremoniæ iustitiæ carnis ab eodem dictæ fuerunt. Cæterùm ab immunditia mentis, quæ est immunditia culpæ, expiendi virtutem non habuisse, propterea quòd expiatio à peccatis nunquam fieri potuerit nisi per Christum qui tollit peccata mundi. Et quia, inquit, mysterium incarnationis & passionis Christi nondum erat realiter peractum, illæ veteris legis ceremoniæ non poterant in se continere realiter virtutem profluẽtem à Christo incarnato & passo, sicut continent sacramenta nouæ legis. Et ideo non poterant à peccato mundare, sicut apost. dicit Hebr. 10. *Quod impossibile est sanguine hircorum & taurorum auferri peccata*. Et infrà: Poterat autem mens fidelium tempore legis per fidem coniungi Christo incarnato & passo, & ita ex fide Christi iustificari. Cuius fidei quædam protestatio erat huiusmodi ceremoniarum obseruatio, inquantum erant figura Christi; ideoque pro peccatis offerebantur quædam sacrificia in veteri lege: non quòd ipsa sacrificia à peccatis emundarent, sed quia erant quædam protestationes fidei quæ à peccato mundabat. Hactenus Sanct. Thomas.

Iuxta quem proinde hoc discrimen est inter veteris & nouæ legis sacramenta, quòd sacramenta nouæ legis tanquam instrumenta quædam passionis Christi gratiam contineant & conferant, vtpote virtutem sanctificandi ex passione Christi profluentem in se habentia, sacramenta verò veteris legis huiusmodi virtutem habere non potuisse, eò quòd Christus nondum passus erat, sed tantùm fuisse protestationes fidei, quibus vtentes non per ipsa, sed ijs tamen adhibitis per fidem mundarentur, velut ex ordinatione & pacto quodam diuino, quo institutum sit, vt qui ea legitimè dispositi susciperent, gratiam acciperent. Eandem doctrinam repetit 3. quæstione 62. articulo 6. vbi & rationem eius paulò clarius proponit, dicens id quod nondum est in rerum natura non posse mouere in genere causæ efficientis. S. Thomæ sententiam Liranus sequitur & explicat in fine cap. 10. ad Hebr.

At verò Bonauentura in hanc distinct. scribens primùm recitata Magistri opinione, qua dicit nunquam aliquem ex operibus legis iustificatum fuisse, etiamsi illa in fide & charitate fierent eò quòd solum instituta fuerint ad significandum, subijcit deinde Hugonis sententiam quæ talis est; Sacramenta veteris legis instituta fuisse primò & per se ad significationem futurorum, non autem ad efficiendum aliquid, nisi exterius circa carnem. Sed tamen quia significabant id quod fides credit, in eorum susceptione fuisse fidei protestationem, atque ideirco per accidens & secundariò illa sacramenta iustificasse. Sacramenta verò nouæ legis primò & per se ordinata esse ad gratiam conferendam, & non tantùm ad significandum aliquid. Vnde inquit per se loquendo, ista iustificant, illa verò non nisi per accidens. Collatis deinde Hugonis & Magistri opinionibus censet multò probabilius esse quod Hugo posuit. Alibi quoque vt ad distinct. vltimam lib. 3. Hanc sententiam magis sibi placere testatur.

Quæ quidem sententia valde consentanea videtur ijs, quæ suprà ex Augustino citauimus. Nam in expositione psalm. 73. discrimen sacramentorum à discrimine testamentorum petendum esse manifestè significat, cum ait. Si discernimus duo testamenta vetus & nouum, non sunt eadem sacramenta. Et quæstione 45. Num. tali sermone vtitur vt dicat sacramenta veteris legis, si per se ipsa attendantur, nullo pacto potuisse mederi: si autem res per ea significatæ inquirantur, in eis scilicet sacramentis inueniri potuisse purgationem peccatorum. Eundem esse sensum verborum Ambrosij verba subsequentia palam ostendunt, quibus docet ideo Iudæos non consecutos sanctitatem per legem, quia carnalia sapiebant. Inquantum igitur lex vetus monstrabat quidem quid agendum esset, & mediatorem prænunciabat, sed gratiam non præstabat; ea ratione & sacramenta legis veteris futurum redemptorem enunciabant, sed gratiam non conferebant. Sicut autem lex noua vt talis non præcipit tantùm, verũ etiam sanat & iustificat, sic & nouæ legis sacramenta non mera signa sunt, sed gratiæ & iustitiæ effectiua.

Porrò sicut per accidens id fuit veteri testamento, quod illo tempore quidem fuerunt iusti, & sancti & spirituales, ideoque reuera ad gratiam noui testamenti pertinentes: ita & sacramentis illius legis atque temporis accidit quòd quidam

per fidem mediatoris & veram pœnitentiam ad ea accedentes, per ea veniam & iustitiam consecuti sunt: sicut & per accidens conuenit sacramentis nouæ legis, quòd per ea non sanctificentur qui carnali affectu ad ea accedunt, quos reuera dicendum est ad vetus testamentum pertinere & veteris testamenti filios esse.

Iuxta hanc igitur sententiam facilè apparet, quo sensu tam scripturæ, quàm patres vel tribuant vel adimant sacramentis veteris legis vim sanctificandi. Per se enim spectata non iustificant, sed tantùm futurorum signa sunt. *Omnia namq; in figura contingebant illis.* 1. Corinth: 9. per accidens verò iustificant, etiam ex opere operato; ea dumtaxat quibus scriptura vel expiationem peccati, vel sanctificationem vel similem effectum tribuit, vt sacrificia de quibus in Leuit. & consecratio sacerdotum, de qua Exodi 28. & 29. Leuit. 8. Vnde Augustinus duplicem hunc intellectum considerans lib. de natura & gratia cap. 17. ita sermonem temperauit, vt diceret quòd negligentiæ peccata etiam per sacrificia quædam veteris legis videbantur expiari. Quasi enim dubitans dixit, videbantur, quia quodammodo verè expiabant, quodammodo non, illud per accidens, hoc per se.

Hanc porrò declarationem non parum adiuuat, quod quæcunque ex apostolo proferebantur ad ostendendum sacramenta veteris legis non contulisse gratiam, contra Iudæos propriè dicta sunt, qui Christum solum iustificatorem ignorantes signa pro rebus amplectebantur, existimantes videlicet sacrificia & sacramenta veteris legis per seipsa Deo accepta & propiciatoria esse, vt Christi sanguine ad expiationem peccatorum opus non esset. Aduersus quos rectè negat apostolus sanguine hircorum, ac vitulorum potuisse auferri peccata: cùm alioqui sicut aqua ad mundationem animæ nunc instituta est, ita dubitandum non sit, quin & sanguis animalium occisorum ad eundem vel similem effectum diuinitus institui potuerit, Deo videlicet in illis salutem nostram operante per meritum Christi. Quod autem de sanguine animalium negat apostolus, idem & de lotionibus, alijsque ceremonijs Iudaicis negandum est; (inter eas enim & baptismata nominata sunt Hebr. 9.) non autem de aqua baptismi, vel quocunque sacramento noui testamenti. Cùm enim sacramentum noui testamenti dicitur, non intelligitur sine sanguine, quo sancitum est nouum testamentum; quemadmodum cum noua lex nominatur, non intelligitur sine gratia, à qua dependet nouitas legis.

Quod ad sententiam S. Thomæ attinet, non videtur ea subsistere solido fundamento. Quamuis enim tempore veteris legis ministerium passionis Christi nondum esset realiter peractum, ideoque non potuerint illius legis cæremoniæ continere in se realiter virtutem aliquam profluentem à passione Christi, eò quòd effectus non possit esse tempore prior sua causa efficiente, vt rectè probat S. Thomas, potuit tamen Deus respiciens in passionem Christi futuram conferre hominibus gratiam per sacramenta quædam illius temporis, vel tanquam diuinæ potestatis instrumenta propriè dicta, vel vt signa quibus diuina virtus infallibiliter assisteret; sicut id facit per sacramenta nouæ legis respiciens in passionem Christi præteritam. Neque plus aliquid de virtute sacramentorum necessariò tenendum est, vt patet ex ijs quæ de ea suo loco diximus. Alioqui sicut quod nondum existit, mouere non potest in genere causæ efficientis: ita neque id quod iam esse desijt, cuiusmodi est passio & mors Christi, quia intelligi non potest vt quicquam actu operetur quod actu non existit. Et proinde nec sacramenta nouæ legis habere possunt in se virtutem actualiter à passione Christi profluentem, vnde videtur ipsa Christi passio & mors tantùm constituenda in genere causæ meritoriæ respectu nostræ iustificationis quam à Deo accipimus per sacramenta; idque satis indicant patres concilij Trident. sess. 6. cap. 7. in enumeratione causarum iustificationis.

§. 29. *Quis fuerit effectus circumcisionis.*

INstituta fuit circumcisio primùm, vt populus Hebræus tanquam populus Deo peculiaris eo corporali signo à cæteris nationibus discerneretur. Sic enim ait ad Abraham Dominus Gen. 17. *Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos.* S. Thom. 3. p. q. 70.

Secundò instituta fuit in signum futuri, nempe vt per circumcisionem carnis præfiguraretur circumcisio mentis à peccatis & vitijs facienda per Christum, vt significatur Rom. 2. Philipp. 3. Coloss. 2. & alibi.

Tertia institutionis eius causa, eaque potissima à multis ponitur ablatio seu remissio peccati originalis. Nam Genes. 17. in ipsa eius institutione dicitur: *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quod ad literam videtur ita intelligendum, vt peritura dicatur anima masculi non circumcisi, quia circa eum non fuerit obseruatum pactum circumcisionis, qua sola posset perditionem euadere, sicut hodie perire dicitur infans, quia non est baptizatus, id est, eò quòd institutio baptismi quo solo saluari potuit, circa eum non fuerit obseruata. Quanquam subinde patres illud intelligunt de pacto seu præcepto Dei à primo parente violato, quo dictum erat: *Quacunque die comederis* &c. quod pactum irritum fecisse dicitur infans eo sensu quo dicit apostolus Rom. 5. In Adam omnes peccasse. Hoc modo interpretatur Augustinus lib. 16. de ciuit. cap. 27. vbi tamen etiam priorem intellectum adijcit. Quæ sanè videtur magis germana esse illius sententiæ expositio. Sic enim dictum est, peribit non circumcisus, sicut dicitur non renatus ex aqua excludi à regno Dei, vt vtrobique significetur necessarium medium sine quo salus obtineri nequit, non autem præceptum aliquod, cuius non obseruati reus paruulus damnationem incurrat.

Hanc institutæ circumcisionis rationem passim indicant veteres, atque imprimis Augustio. præter locum iam dictum lib. 4. contra Donatistas capit. 24. vbi de circumcisione loquens. Ipsum, inquit, per seipsum sacramentum multum valebat, id est, ex opere operato efficax erat. Et lib. 2. de nuptijs & concupisc. capit. 11. dicit circumcisionem in populo Iudaico ad purgationem originalis peccati valuisse magnis & paruis quemadmodum nunc baptismus. Sic enim Augustini verba citat in textu Magister, tametsi in Augustino exemplaria variant; cùm quædam habeant ad significationem purgationis, quædam ad

sanctifi-

sanctificationem purgationis, quomodo & S. Thomas legit. Rursum epist. 57. ad Dardanum testatur circumcisionem antiquis sanctis pro baptismo fuisse. Alia eius loca sunt epistola 203. Tract. 30. to Ioānem lib. de peccato originali cap. 30. lib. 2. contra epist. Petiliani cap. 72. lib. 2. contra Iolianum cap. 6. & lib. 3. cap. 18. & lib. 6. cap. 7. & homil. 50. cap. 15.

Consentiunt & alij patres, vt Ambros. lib. 17. in Luc. 1. Basil. homil. 13. quæ est exhortatio ad baptismum Cuius sententiam Chrysostimi titulo citat Augustin. lib. 2. contra Iulianum cap. 6. Item Cypriani titulo Saluianus serm. de circumcisione. Gregor. 4. moral cap. 3. Bernard. sermone 2. de circumcisione Domini. & 10 sermon. de cœna Domini, & epistola 77. ad Hugonem. Lactant. lib. 4. institut. diuinar. cap. 15. Glossa ordinaria ad illud Rom. 4. *Et signum accepit circumcisionis.* Idem sentit Magister in textu, & post eum omnis Doctorum schola. Eandem sententiam tradit, & pro indubitata habere videtur Innocent. 3. eetra de baptismo & eius effectu cap. Maiores, dicens inter alia, quod sicut nunc per baptismi sacramentum, ita olim per circumcisionis mysteriom culpa originalis remittrebatur.

Pro cuius doctrinæ intellectu notandum est, circumcisionem non fuisse propriè sacramentum veteris legis, sed institutam multò ante legem, nempe quadringentis triginta ferè annis, vt ad Galat. 3. significat apostolus. Hinc & Dominus ait Ioannis 7. circumcisionem non esse ee Moyse, sed ex patribus. Quò fit vt de circumcisione paulò aliter quàm de sacramentis veteris testamenti loquamur. Verumtamen illud circumcisioni cum ceremonijs veteris testamenti commune est, quod per se & à Christo separatæ non iustificauerint. Vnde apostolus disputans contra Iudæos & Iudaizantes, qui hoc idem de circumcisione sentiebant quod de sacrificijs mosaicis, nempe ea per se absque fide & merito Christi valuisse ad iustificationem, de circumcisione similiter vt de cæteris legalibus loquitur, eamque cum ijs pariter sub lege comprehendit, vt patet ex epist. ad Galat. 2. 5. & 6. & 1. Corinth. 7. Philipp. 3. & aliunde. Huic accedit quòd circumcisio propter significationem futuri status veteris legis, quæ ab apostolo vmbra futurorum dicitur, satis congruebat; ideoque meritò anumerata sit mosaicis institutis. Siquidem & Moyses eam præcepit, vt testatur scriptura. Leuit. 12. & Dominus ad Iudæos cum ait Ioannis 7. *Moyses dedit vobis circumcisionem.* Quocirca & Augustin. interdum de circumcisione periode vt de ceremonijs antiquis loquitur, cuius hæc sunt verba epistola. 19. ad Hieronymum: Dico ergo circumcisionem & alia huiusmodi priori populo per testamentum quod vetus dicitur, diuinitus data esse ad significationem futurorum, quæ per Christum oportebat impleri. Quo etiam loco testatur præcepta veterum sacramentorum (comprehensa in ijs circumcisione) fuisse præcepta non bone iuxta Ezech. 20. quia non eis homines iustificarentur, videlicet per se consideratis, atque à gratia Christi separatis, vt suprà explicatum est.

§. 30. *Vtrùm, & quomodo circumcisio gratiam contulerit.*

CVm dictum sit circumcisionem ex institutione diuina valuisse ad peccati originalis deletionem, quæri vlterius solet, vtrùm & gratiam contulerit sicut nouæ legis sacramenta. Quorundam enim hæc fuit opinio circumcisione quidem auferri peccatum, non tamen & gratiam conferri, vti sentit Magister in textu. Quod & videri potest ee verbis Ambrosij lib. 7. in Luc. 17. vbi dicit circumcisionem purificasse, legem sanctificasse, gratiam iustificasse. S. Tho. 3. p. q. 70. art. 4.

Verùm ex sententijs patrum suprà citatis clarum est circumcisioni vtrumque tribuendum esse. Comparant enim eam cum baptismo, qui non tantùm dimittit originale peccatum, verùm etiam iusticiam & gratiam tribuit. Vnde auctor libri hypognosticon apud Augustinum vtrumque testatur, nempe quòd circumcisio donauerit delicta. lib. 5. cap. 4. & quòd gratiam baptismi gestauarit eiusdem lib. cap. 5. Et sanè absurdum est & ad peruersa dogmata hæreticorum nostri temporis pertinens, si dicatur remitti vel originale, vel mortale aliquod peccatum absque infusione gratiæ seu mentis renouatione. Quæ doctrina damnata est in concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. Sequeretur quoque paruulos circumcisos alienos esse à regno Dei, eò quòd gratiam adoptionis filiorum, quæ sola hæredem regni constituit, non accepissent. Quare hac in parte non est tenenda sententia Magistri.

Ambrosius verò non sentit circumcisione datam purificationem absque interna renouatione mentis per gratiam, sed pro eisdem habet hæc tria purificationem, sanctificationem, & iustificationem: sicut & apostolus 1. Corinth. 6. dicens: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Docet enim eo loco Ambrosius eadem beneficia diuersis licet temporibus per diuersa sacramenta pijs, ac Deum timentibus collata fuisse.

Fatendum igitur est circumcisionis signaculum gratiam contulisse, etiam ee opere operato iuxta declarationem huius locutionis suprà à nobis traditam; quia videlicet eo ipso, quo quis secundùm legem circumcidebatur, ex pacto & institutione diuina valebat hoc et ad iusticiam. Docet id manifestè Augustin. lib. 4. contra Donatistas cap. 24. affirmans circumcisionis sacramentum per seipsum multùm valuisse. Quo loco vti solent catholici ad probandum sacramenta nouæ legis valere ee opere operato; quandoquidem & ibi Augustin. de baptismi virtute disputans probationem accipit à circumcisione.

Idem sensit & S. Thomas scribens in 4. distinct. 2. quæst. 9 sic enim ait: Oportuit aliquod remedium dari, quod ex opere operato peccatum aboleret. Et tale remedium fuit circumcisio. Deinde addit, quod circumcisio dabat gratiam, quantum ad ablationem colpæ & reatus, & quantum ad hoc, quod animam faciebat dignam vita æterna. In summa verò eam sententiam ee parte retractans parte 3. quæst. 62. artic. 6. & quæst. 70. art. 4. fatetur quidem in circumcisione gratiam fuisse collatam, quantum ad omnes gratiæ effectus, sicut in baptismo, non tamen per circumcisionem tanquam ex virtute ipsius circumcisionis, sicut per baptismum; eò quòd baptismus,

baptismus, inquit, operatur instrumentaliter in virtute passionis Christi, non autem circumcisio. De qua opinione, S. Thomæ, quid nobis videatur, suprà diximus.

§. 31. *Ad quædam in contrarium argumenta responsio.*

S. Thom. vbi sup.

QVI circumcisioni omnem gratiæ effectum adimunt, eamque volunt fuisse nudum signum gratiæ præstandæ per Christum, his ferè argumentis nituntur.

Primum: Apostolus Rom. 4. testatur signum circumcisionis in Abraham fuisse signaculum iusticiæ fidei quæ erat in præputio, quem locum citans Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 24 docet circumcisionem in Abraham fuisse signaculum iusticiæ præcedentis: in Isaac verò & alijs qui infantes circumcisi sunt, fuisse signaculum iusticiæ sequentis, quam videlicet accepturi erant in adulta ætate, neque ergo in illo neque in istis gratiam conferebat.

Obijciuntur deinde & veteres, qui in circumcisione solam rationem signi posuisse videntur. Nam Iræneus lib. 4. contra hæreses cap. 29. 30. & 32. prolixè docet circumcisionem non dedisse iusticiam, idque ex eo probat quod ante eius institutionem quidam iusti fuisse leguntur, vt Enoch, & Noe & alij.

Chrysost. in Rom. 4. & homil. 27. 39. & 40. in Genesim vult circumcisionem tãtùm fuisse signum, quo populus Israeliticus ab alijs gentibus discerneretur.

Sed neque Hieron. Galat. 3. aliam institutæ circumcisionis causam agnoscit, ideoque dicit populum illum in deserto per annos quadraginta non fuisse circumcisum, quia tunc planè secretus erat ab alijs populis, renouatum autem fuisse præceptum mox vt Iordanem transiuissent, videlicet habitaturi inter gentes. Quam rationẽ omissæ ad tempus circumcisionis reddit etiam Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 26. nulla facta mentione remissionis peccati, aut collationis gratiæ.

His addunt Tertullianum lib. contra Iudæos, Ambrosium lib. 1. de Abraham cap. 4. & in epistolam Rom. 4. Et rursus Augustinum in psalm. 75. vbi sic ait: Patres nostri multi sancti & circumcisionem carnis habebant propter signaculum fidei, & circumcisionem cordis propter ipsam fidem.

Ad hæc obiecta ita respondendum putamus. Ad Rom. 4. hoc agit apostolus, vt ostendat non pendere salutem ex lege, quemadmodum Iudæi iactabant, sed ex fide; idque probat, quia & Abraham qui circumcisionem primus accepit, ante iustificatus est per fidem quàm circumcideretur; ideoque in illo circumcisio tantùm fuit signaculum iustitiæ prius per fidem acceptæ: sicut in Cornelio centurione baptismus tantùm signaculum fuit præcedentis in eo iusticiæ. Hanc enim comparationem inter Abraham circumcisum & Cornelium baptizatum statuit eo loco Augustin. quòd in vtroque sacramentum fuerit signum anterioris iusticiæ per fidem acceptæ. In paruulis verò sicut nunc baptismus, ita olim circumcisio non nudum erat signaculum iusticiæ, sed efficax atque operatorium. Quod autem dicit Augustinus circumcisionem in Isaac fuisse signum iusticiæ secuturæ, id neque de peccatorum remissione, neque de habitu iusticiæ, sed de actu accipiendum est. Sicut enim in Abraham præcesserat circumcisionem operatio virtutum, & sancta conuersatio: ita in Isaac & alijs qui infantes circumcisi fuerant, erat secutura, si in dono iusticiæ accepto permanerent. Quod ipsum & de baptismo asserit Augustinus.

Porrò Irenæus aduersus eos disputat, qui alium veteris, alium noui testamenti Deum esse dicebant. Iuxta quorum sententiam circũcisio, si quid ad iusticiã valebat, id præstabat per se, id est, quatenus ad veterem legem pertinens & opposita nouæ, idque propter diuersos & contrarios vtriusq; testamenti authores. Negat igitur Irenæus hoc pacto circumcisionem contulisse quidquam ad iusticiam, seu, vt ipse loquitur, iusticiæ consummatricem fuisse, multoque minus ita necessariam iusticiæ consequendæ, vt omnibus retro seculis ante Christum non alia fuerit salutis adipiscendæ via; cùm ante institutam circumcisionem tam multi fuerunt per fidem saluati.

Cæteri patres à circumcisione effectum gratiæ remouent, eodem prorsus sensu, quo Apost. in epistola ad Galat 4. veteris legis instituta, in quibus haud dubiè & circumcisionem intelligit, vocat infirma & egena elementa, quatenus videlicet à Christo separantur, & per se valere putantur. Quem sensum manifestè expressit Hieron. in Galat. 5. ad illa verba: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium.* Tunc vtique, inquit, non prodest circumcisio, cùm aliquid per semetipsum putatur vtilitatem adferre.

Quod verò obijcitur de neglecta circumcisione in populo Israelitico per annos quadraginta, ex quo videri potest quod circumcisio non salutis sacramentum fuerit, sed nudum distinctionis signum, variè solui potest. Primum si dicamus cum illo populo tunc diuinitus dispensatum fuisse, vt sine circumcisione saluari posset, eo modo quo sub lege naturæ ante circumcisionem institutam, idque propterea quòd essent velut in perpetua profectione, ignorantes quando vel castra mouenda essent, vel contra hostes præliandum. Secundò reuera culpabiles eos fuisse, qui vel filios suos infantes, vel ipsi adulti seipsos non circumciderant, præsertim cum scriptura eos non excuset Iosue 5. sed tantùm causam iteratæ generalis ac solemnis circumcisionis commemoret, obseruationis eiusdem per annos quadraginta omissionem. Et hoc modo sentire videtur Augustinus quæst. 6. super Iosue, dicens non omnes sed plurimos fuisse in eo populo tunc incircumcisos. Quidam enim inquit, de Ægypto exeuntium filij in illo populo incircumcisi erant, quos potuit circumcidere Iesus, illorum scilicet filios, qui genuerunt in deserto, & contempserunt eos circumcidere, quòd inobedientes erant legi Dei. Tertiò fortè nullum eorum qui in deserto nati erant, & non circumcisi, fuisse mortuũ priusquã iubente Iosue circuncideretur; quia vt in psalmis dicitur, *Non erat in tribubus eorum infirmus.* Verumtamen horum trium id maximè videtur probabile, quod secundo loco dictum est ex Augustino.

Ad id, quod postremò ex Augustino obijciebatur, respondemus eo loco non aliud velle, quàm circumcisionem carnis, vt est tantùm externum quoddam & foris adhibitum, nihil esse aliud quàm signaculum iusticiæ fidei, atque hoc signum commune esse malis & bonis; quia & carnales Iudæi quibus cor erat incircumcisum, hoc signum in carne sua gerebant. Cæterùm circumcisionem cordis, quæ est fides per dilectionem operans, quæque

per

per circumcisionem carnis significabatur, propriam esse sanctis.

§. 32. *Aliarum aliquot quæstionum de circumcisione breuis explicatio.*

S. Thom. dicta q. 70.

SOlent & aliæ quæstiunculæ de circumcisione moueri.

Prima, quodnam fuerit originalis peccati remedium ante circumcisionem institutam, videlicet ab initio transgressionis humanæ, vsque ad Abraham, & deinceps in gentibus à progenie Abrahæ diuersis, vsque ad Christum.

Secunda, quo remedio purgatę fuerint fœmellæ in populo Israëlitico, vtpote circumcisionis incapaces.

Tertia, qua ratione consultum fuerit masculis eiusdem populi ante diem octauum morientibus.

Quarta, An circumcisio characterem impresserit.

Postrema, quare mutata fuerit in baptismum. Potest etiam quæri, quando circumcisio desierit valere, sed de ea re infra in fine 3. distinctionis

De prima quæstione non vno modo loqui videntur veteres. Nam Augustinus vel sacramentum vel sacrificium aliquod, etsi nobis incognitum putat eiusmodi remedium fuisse omnibus tam paruulis quàm adultis necessarium. Ita enim scribit lib. 5. contra Iulianum cap. 11. Nec ideo credendum est, & ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis: quamuis quid illud esset, aliqua necessaria causa scriptura latere voluerit. Nam & sacrificia eorum legimus, &c. Et lib. 15. de ciuit. cap. 16. Vtrùm autem aliquod fuerit, vel si fuit, quale fuerit, corporale, atque visibile regenerationis signum ante diluuium, sicut Abrahæ circumcisio postea est imperata, sacra historia tacet; sacrificasse tamen Deo illos antiquissimos homines non tacet &c. Meminit huius quoque lib. de peccato originali cap. 30. Idem sentit & planè astruit author sermonis de ratione circumcisionis his verbis: Sane originale peccatum quod à primis patribus in totam generis humani successionem defluxit, omni tēpore aliquibus remedijs oportuit expiari &c. & mox: Et licèt sacramentorum arcana omnibus non paterent, virtus tamen & effectus eorum ignorari non poterat, quia ab Adam vsque ad Noe sacrificia Deo constat fuisse accepta, quæ vsque ad illud tempus sine legis distinctione, diuinitus inspirata institutione primi hominis celebrarent. Illa verò sacrificia aut in animalium sanguine, aut aliarum oblationum incensionibus agebantur. Hæc illa.

Ab his nonnihil dissentiunt. Gregorius & Bernardus putantes paruulis solam parentum fidem absque signo sensibili ad salutem profuisse. Sic enim ait. Gregor. lib. 4. moral. cap. 3. Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his qui ex stirpe Abrahæ prodierant, mysterium circumcisionis.

Bernardi verò hæc sunt verba in epistola 77. ad Hugonem Victorinum. Quis nesciat, & alia præter baptismum contra originale peccatum remedia antiquis non defuisse temporibus? Abrahæ quidem & semini eius circumcisionis sacramentum in hoc ipsum diuinitus traditum est. In nationibus verò quotquot inuenti fideles sunt, adultos quidem fide & sacrificiis credimus expiatos, paruulis autem etiam solam profuisse, imo & sufficisse parentum fidem. Porrò hoc ita vsque ad baptismi tempora perdurasse, quo vno substituto vacasse cætera. Sic ille. Atque hanc sententiam, vt meliorem amplectitur Magister §. G.

Verùm si ratione rem expendamus, videbitur Augustini sententia alijs præferenda. Primum quia nulla est ratio cur tunc sola fides parentum absque signo sensibili potuerit suffragari paruulis potius quàm tempore legis vel gratiæ; cùm causa paruulorum non debuerit per statum legis, multoque minus per statum gratiæ apud Deum effici deterior.

Deinde quia nec ratio apparet cur aliud remedium adultis, aliud paruulis assignatum fuerit, cum tempore legis & gratiæ sit idem vtrisque commune, ibi circumcisio, hic baptismus. Postremò Hugonis opinionem destruit aliorum consensus de certo aliquo sensibili signo saltem adultis necessario.

Augustini sententiam sequuntur Scotus, Durandus, Paludanus. Nec Thomas, vsquequaque dissentit. Nam 3. quæst. 70. art. 4. ad 2. probabile esse dicit, quod parentes fideles pro paruulis natis & maximè in periculo existentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro seipsis preces & sacrificia offerebant. De origine autem illius sacramenti seu sacrificij tenendum omnino videtur eam fuisse ex diuina institutione insinuata primo parenti, quemadmodum habet sermo de circumcisione apud Cyprianum. Neque enim sacramenta, quibus effectus supernaturalis infallibiliter adsit, humano arbitrio institui possunt, vti suo loco ostendimus.

Interim verò sciendum est circumcisionem postquam semel instituta fuit, valuisse non Israelitis modò, verùm etiam alijs gentium hominibus, si qui ea vti vellent; quia licet soli Hebræorum populo fuerit præcepta, & in pactum tradita, quatenus tamen remedium erat aduersus originalem culpam institutum, vniuersaliter proposita fuit omnibus hominibus qui illam sua sponte vellent recipere. Nam & Abraham seruos & vernaculos suos omnes circumcidit. Genes. 17. Et peregrini qui in Iudæorum religionem transire volebant, circumcidebantur, & proselyti vocabantur. Exodi 12. Iudith. 14. & alibi. Sed & Hieronym. in Ierem. 9. scribens testatur circumcisionem alijs quibusdam nationibus ab Israele diuersis in vsu, iis præsertim qui erant ex genere Abrahæ & Loth, vt Ismaelitis, Idumæis, Ammonitis. Et simile quid habet suprà citatus sermo de circumcisione. Et Ambrosius in Leuit. 12.

Ad secundam & tertiam quæstionem probabiliter respondetur eodem remedio illis subuentum fuisse, quo ante institutam circumcisionem omnibus subueniebatur. Nam quod Magister putat propter periculum mortis anticipari potuisse circumcisionem ante octauum diem improbabile est, quia nulla scriptura, vel patrum authoritas id tradit. Deinde id apud Iudæos neque hodie fit, neque vnquam factum legitur. Tertiò, quia periclitantem ex morbo infantulum ante octauum diem circumcidere, quid aliud fuisset quàm periculum augere & mortem accelerare. Posterò,

A quia præceptum circumcisionis sicut fœminas non comprehendebat, ita nec masculos octauo die minores, & proinde ingruente necessitate curabantur hi communi illo remedio ante datam circumcisionem adhiberi solito, perinde atque si circumcisio instituta non fuisset. Hæc ferè scholasticorum sententia est ac nominatim S. Thomæ 3. quæst. 70. art. 3. & 4. & Bonauenturæ in 4 distinct. 1. quæst. 2. de circumcisione. Hugo quoque lib. 1. de sacramentis parte 12. negat octauum diem vlla necessitate præueniri potuisse. Vnde & glossa ordinaria ad illud Prouerb 4. *Vnigenitus eram coram matre mea* B dicit propterea alium Bethsabee paruulum nō computat, quia ante diem octauum mortuus nomen non acceperat, vtpote non circumcisus, cùm nomen non nisi in circumcisione imponi solear.

Notandum est autem octauum diem ita fuisse de necessitate præcepti, vt eum prætermittentes peccarent, etiamsi in sabbathum incidatet, quemadmodum patet Ioannis 7. De necessitate autem sacramenti hactenus erat, quia saluo sacramento præueniri non poterat, vt iam ostendimus. Cæterùm si aliqui prætermisissent octauum diem poterant & debebant postea circumcidi, vti manifestum ast ex circumcisione Abrahæ & familiæ eius. Gen. C 17. & filij Moysi Exodi 4. Et ex circūcisione facta à Iosue 5. & ea quæ iussu Mathathiæ facta est 1. Mach. 2. Idemque satis ostenditur exemplo proselytorum.

Ad quartam quæstionem tametsi quidam dissentiant, videtur respondendum, quod circumcisio characterem impresserit. Nam sicut nunc per baptismum, ita quondam per circumcisionem inserebantur homines populo Dei, & asscribebantur in societatem sanctorum, & ius acquirebant ad participationem aliorum sacramentorum seu sacrificiorum. Vnde quamuis & alia ratio fuerit non iteD randæ circumcisionis, quia videlicet pellicula semel ablata iterum auferri non poterat, quæ ratio tantùm respicit ceremoniam externam: ex parte tamen interioris effectus hæc erat præcipua, quia circumcisione velut consecratione quadam, quam nefas sit iterari, deputabantur homines religioni vnius veri Dei, sicut nunc baptismo.

Ad postremam respondemus eam mutationem multiplici ratione factam fuisse. Primò, quia baptismus communior est, vtpote ad vtrumque sexum æquè accommodatus. Quam rationem reddit AuE gustinus lib. de peccato originali cap. 30.

Secundò, quia baptismus facilior est, minusque pœnalis.

Tertiò, quia cùm circumcisio data esset in signum rei futuræ, sicut cætera veteris legis sacramenta, oportuit eam cum illis aboleri postquam res significata & promissa iam venerat, quemadmodum contra Faustum Manichæum multis locis ostendit Augustinus.

Postremò, quia licet circumcisio non tantùm abstulerit peccatum, sed & gratiam contulerit, eam tamen auctiorem atque adeo potentiorem conF fert institutus à Christo baptismus, vtpote liberans etiam adultos ab omni reatu pœnæ, quod non præstabat circumcisio. Vnde Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 13. Sacramenta nouæ legis esse dicit virtute maiora, & vtilitate meliora. Quod & aliàs repetit. Et Cypriani titulo sermo de circumcisione ita testatur omni tempora aliquibus remedijs opus fuisse ad expiandum peccatum originale vt tamen vim plenam significantie non habuerint, donec ad rem ipsam ventum esset, quæ figurarum operiebatur velamine.

Illud verò discrimen indicatum à Beda ad illud Lucæ 2. *Postquam consummati sunt dies octo*, quod baptismus regni cœlestis ianuam patefecerit, non autem circumcisio, non tam sacramentorum discrimen est, quam temporum; quia nec baptismus ante Christi passionem introducebat in regnum. Sed & circumcisio, si haberet vigorem post passionem Christi, sine morâ in regnum introduceret, sicut nunc baptismus, quemadmodum testatur S. Thomas 3. quæst. 70. art. 4. ad 4. sublato videlicet per Christum omni impedimento quod animam plenè mundatam ab ingressu regni prohiberet. Ita & Magister in fine 3. distinct. & Scotus.

IN DISTINCTIONEM SECVNDAM.

§ 1. *Baptismus Ioannis vtrùm veteris an nouæ legis fuerit sacramentum.*

PRIVSQVAM de baptismo Christi agamus, distinguendus est ab eo baptismus Ioannis, quem sicut nomine, ita & re ab illo diuersum esse nunquam in ecclesia dubitatum fuit. Patebit autem ea diuersitas ex ijs, quæ deinceps dicemus. S.Tho.3. p. q. 38. ar. 1. ad 1.

Principio non est negandum Ioannis baptismum iuxta generalem sacramenti rationem, quæ omne signum rei sacræ complectitur præsertim si diuinitus fuerit institutum, sacramentum fuisse, quo sensu omnes veteres ceremonias, quoniam ad sacrum aliquid significandum fuerunt institutæ, sacramenta dicuntur, vti sub initium huius libri diximus. Vnde ab Augustino Ioannis baptismus lauacri præcursorium sacramentum vocatur libr. 2. contra literas Petiliani cap. 56.

Significabat autem Ioannis baptismus manifesta quadam & visibili ceremonia, primùm quidem homines à peccatis ablui, & repurgari oportere; deinde futuram eam purgationem per Christum, atque adeo per Christi baptismum ad quem præparabat. Neque enim existimandum est baptismum Ioannis dumtaxat habuisse rationem simplicis adhortationis ad pœnitentiam; verùm etiam rationem sacramenti præfigurantis & præparantis; præfigurantis inquam baptismum Christi & ad eundem præparantis. Ioannes enim sicut verbo, ita & facto & toto suo ministerio Christum prænunciabat, simul & homines ad eum recipiendum præparabat. Vnde ipse de Christo ait Ioannis 1. *Vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.*

Quod autem baptismus Ioannis, baptismum Christi præfigurauerit, apertè testatur Chrysostomus homil. 12. in Matth 3. ad illud. *Et baptizatus Iesus ascendit protinus ex aqua*, vbi baptismum Ioannis vmbram, baptismum Christi veritatem vocat. Quòd autem etiam ad eum præparauerit, testatur Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 57. vbi post alia, quibus ostendit baptismum Ioannis cùm imperfectus esset, introductorium ad perfectionem fuisse, ita subijcit: Nam veluti lex mosaica futurarum rerum, & spiritualis cultus præparatio quædam fuit, occultam veritatem parturiens: Sic baptismus Ioannis ad baptismum Christi collatus præparatio-

nis vim obtinebat. Similia sunt apud Augustinum lib. 5. contra Donatistas cap. 9. Et apud Damascenum lib. 4. cap. 5. & rursus apud Augustinum de vnico baptismo cap. 7.

Ex his igitur cùm sit consequens baptismum Ioannis generali ratione sacramentum fuisse, quæritur vtrùm veteris an nouæ legis sacramentum fuerit. Sunt qui sacramentis veteris legis annumerandum putent, vt Durandus quæst. 5. ad 1. Sed rectius alij neque veteris, neque nouæ legis sacramentum fuisse dicunt, sed inter vtraque medium, vtpote cum vtrisque aliquid commune habens, & ab vtrisque aliquid diuersum. Nam cum illis commune ei erat, quòd adhuc futurum prænunciaret; cum his verò communem habebat & externæ ceremoniæ ritum, & administrationis facilitatem, & significationis claritatem. Ab illis porrò differebat iisdem conditionibus quas cum sacramentis nouæ legis habebat communes. Ab his nihilominus differebat non sola prænunciatione futuri, verùm etiam quia nec gratiam conferebat, vt infrà latius declarabitur, nec institutus erat vt nouo testamento seruiret, sed tantùm vt ipsum quodam præparãdi ministerio præcurreret. Atque hoc modo de baptismo Ioannis sentiunt S. Thomas & Bonauentura, estque illud scripturæ magis consentaneum, quæ Ioannem non prophetam sed plusquam prophetam esse ipsius Christi testimonio confirmat; eò quòd non more veterum prophetarum tanquam adhuc procul positum Christum obscurè prænunciaret, sed clarissimo vocis & ceremoniæ indicio mox aduenturum significaret: ideoque & iam præsentem demonstraret, ad eumque suscipiendum ex proximo præpararet.

Quò etiam pertinet illud Matth. 11. *Lex & prophetæ vsque ad Ioannem, à diebus autem Ioannis regnum cœlorum vim patitur.* Cùm enim Ioannes regnum cœlorum manifestè annunciaret Matth. 3. cuius quidem manifesta annunciatio ad vetus testamentum non pertinebat, patet hac parte similiorem fuisse totam eius administrationem statui nouæ legis quàm veteris. Fuit igitur eius baptismus velut media quædam dispositio paulatim ab vno extremorum abducens & introducens ad alterum. Nec minùs aptè à Beda comparatur catechismo, qui baptismo præmittitur.

Neque verò huic doctrinæ contrarium est, quod Ambrosius in Luc. 3. affirmat, Ioannem sustinuisse personam legis, quasi inde sit consequens eius baptismum fuisse eiusdem legis, nempe veteris sacramentum. Hactenus enim legis personam sustinebat Ioannes, quia gratiam suo ministerio non dabat, sed ad eam per Christum accipiendam prædicatione sua & baptismo præparabat. Cui accedit, quod terrorem & comminationem more veteris legis in prædicando adhibebat, dicens: *Genimina Viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Et rursum: *omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur* &c. Matt. 3. Sed tamen in quantum eadem sua prædicatione regni cœlorum mentionem faciebat, similior erat noui testamenti ministris. Nam, vt Augustinus ait lib. 19. contra Faustum cap. 31. Vita quidem æterna & resurrectio in veteri testamento promissa interdum leguntur, non autem regnum cœlorum, sub hoc videlicet nomine.

§. 2. *Discrimen inter baptismum Ioannis & baptismum Christi ex scripturis.*

DIuersum fuisse baptismum Ioannis à baptismo Christi, eoque dignitate & efficacia multò inferiorem (quod hæretici hodierni ferè negant, eandem vtrique baptismo vim tribuentes) nunc plenius ostendendum est. Erit autem prima probatio ex scripturis.

S. Thom. 3. p. q. 38. art. 3.

Imprimis igitur discrimen hoc apertè traditur à quatuor euangelistis, imò ab ipso Ioanne apud eos loquente. Nam Matth. 3. ad eos qui ad se veniebant baptizandi, ne plus aliquid accepturos se putarent, quàm reuera accepturi essent sic ait: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in spiritusancto & igni.* Et Marci 1. *Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos spiritusancto.* Lucas verò cap. 3. huius iam seriæ protestationis Baptistæ caussam quoque præmisit dicens: *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus, respondit Ioannes dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos; veniet autem fortior me, cuius &c. ipse vos baptizabit in spiritusancto & igni.* Denique apud Ioannem 1. Ioannes baptista interrogatus à legatis Iudæorum sacerdotibus & Leuitis, quare baptizaret, respondit se non nisi in aqua baptizare; de Christo verò postera die testatur sibi à Deo reuelatum esse & dictum: *Hic est qui baptizat in spiritusancto.* Quæ scripturæ loca clarè ostendunt Ioannem sicut personã suam studiosè distinxit à persona Christi, nolens haberi aut videri Christus, sed seruus & amicus & præco & præcursor Christi: ita & baptismum suum planè distinguere voluisse à baptismo Christi, hoc nimirum apertissimo discrimine, quòd ipse in aqua, Christus in spiritu sancto baptizaret. Ex quo manifestè colligendum relinqueret se non baptizare in spiritosancto, sed ita suum baptismum valere ad exhortationem pœnitentiæ & præparandam Christo viam, vt tamen per eum spiritussanctus non daretur.

Neque minùs certa est probatio ex Actor. 19. Vbi Paulus ad eos, qui se tantùm Ioannis baptismate ablutos fatebantur, ait: *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum dicens: In eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent.* Quo audito baptizati sunt in nomine Iesu. Quod profectò fieri minimè oportuit, si non alius esset à Ioannis baptismo baptismus Christi, eoque dignitate & virtute præstantior, quia fas non est semel ritè baptizatum, iterum baptizare.

Denique potest hoc discrimen colligi ex illis verbis Ioannis baptistæ Ioannis 3. *Qui de terra est, de terra est, & de terra loquitur: qui de cælo venit, super omnes est.* Significant enim illa verba totum Ioannis ministerium collatum cum ministerio Christi, terrenum esse, & cælestis gratiæ vacuum.

Sed inquiunt aduersarij non aliud illis scripturæ testimonijs significatum esse quàm quòd Ioannes quidem solum externum ablutionis ministerium exhibuerit: Christus verò per illud ipsum Ioannis ministerium sua diuina virtute dederit spiritum sanctum, id est, animam à peccatis abluerit, & iusticia exornauerit. Quod & in baptismo nouæ legis per quemcunque alium administrato vsque

hodie

hodie similiter fit. Verùm bunc praoum intellectum manifestè excludit suis verbis ipse Ioannes, dum disertè apod tres priores euangelistas tempus variat, dicendo se baptizare vel baptizasse in aqua: Christum verò venturum & baptizaturum in spiritusancto. Quare illa Christi baptizatio in spiritusancto cùm futura tantùm significetur, ad Ioannis baptismum iam præsentem vel præteritum referri noo potest.

At neque de ea sola intelligi debet, quæ facta est in die penteeostes, de qua Act. 1. ait Dominus ad discipulos; *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini spiritusancto non post multos hos dies.* Nam Ioannes turbis loquebatur, è quibus via quisquam erat fortasse, qui in igne spiritumsanctum accepit die pentecostes, sed illa Ioanois verba ad vtrumque pertineut Christi baptismum; alterum aquæ, qui est omnibus communis, atque his verbis dandum in eo spiritumsanctum testantibus, institutus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu,* &c. alterum ignis, qui peculiaris fuit discipulorum in die pentecostes. Quod ergo Ioannes ait: *Ille vos baptizabit in spiritusancto,* ita intelligendum, Christum siue baptizaret adhibita aqua, quod per suos apostolos aliosque deinceps ministros facturus erat, siue adhibito igni, vt in die pentecostes, siue etiam id faceret occultè tantùm absque signo externo, samper tamen baptizaturum in spiritusancto.

Porrò idem discrimen inter baptismum Ioannis & Christi, etiam aliter nobis indicat scriptura, per hoc videlicet, quod priorem illum samper Ioannis baptismum vocat, posteriorem verò non nisi Christi. Vocatur autem ille baptismus Ioannis, non quod eum Ioannes priuata authoritate instituisset. Testatur enim ipse se missum baptizare in aqua Ioannis 1. Quod & satis apertè significat questio illa à Domino proposita Iudęis apud tres euangelistas, vtrùm è cœlo esset baptisma Ioannis, an ex hominibus. Ad quam vtique quæstionem non aliud rectè & veraciter ab illis responderi potuisset, quàm ipsum esse è cælo; nempe quæ ad hoc proposita erat scribis, vt fateri cogerentur etiam Iesum, cui Ioannes restimonium perhibuerat cælitus à Deo missum, & verum esse Christum. Sed propterea baptismus Ioannis dictus est, & non baptismus Christi, quia quicquid in eius ministerio fiebat, ipsius Ioannis baptizantis vires non excedebat. A Christo autem institutus baptismus non Petri vel Pauli, vel cuiusquam alterius baptismus aliquando dictus est, sed solius Christi, quia per eius baptismi ministerium à quocunque adhibitum, quantum ea parte institutionis est, semper aliquid fit, quod hominis baptizantis vires excedat, & non nisi à Christo fieri posset, quod est baptizare in spiritusancto. Atque hanc diuersæ appellationis rationem reddit Augustinus tractatu 5. in Ioannem & alibi sæpe contra Donatistas de baptismo disserens, vt lib. 5. contra Donatistas cap. 14.

§. 3. *Eiusdem discriminis probatio ex patribus.*

S. Thom. vbi sup.

VEniendum nunc ad restimonia patrum, quibus discrimen vtriusque baptismi confirmemus. Inter eos vetustissimus Tertullianus lib. de baptismo hanc ex professo quæstionem mouens testatur diuinum quidem Ioannis baptismum fuisse, sed mandato non potestate. Quòd videlicet Ioannes mandatum baptizandi à Deo accepisset, non tamen per eum, vel spiritumsanctum, vel rsmissionem delictorum dare potuerit. Idque ea scriptura probat.

Post eum Cyprianus, vel quisquis est author sermonis de baptismo Christi, dicit baptismum Ioannis non habuisse plenam virtutem, atque exterius dumtaxat lauisse corpora, vt sequeretur baptismus Christi, in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remissio.

Hilarius canone 2. in Matth. baptismum Ioannis in pœnitentiam; Christi verò in salutem esse dicit.

Nec dissimiliter Ambrosius lib. 2. in Luc. 3. baptismum Ioannis lauacrum pœnitentiæ vocat; Christi verò lauacrum gratiæ. Estque similis locus apud eum in præfatione in psalm. 37. & in illud psalmi 118. *Confige timore.*

Hieronymus in dialogo contra Luciferianos ad hanc quoque quæstionem ab aduersario motam respondens post multa: Audi, inquit, quid scripturæ doceant, Ioannis baptismus non tam peccata dimisit, quàm baptisma pœnitentiæ fuit in remissionem peccatorum futuram. Et infrà: Vt enim præcursor Domini Ioannes, sic & baptisma eius præconium dominici baptismatis fuit. Et interpositis quibusdam scriptoris subiungit: Si autem Ioannes, vt confessus est ipse, non baptizauit in spiritu, consequenter neque peccata dimisit; quia nulli hominum sine spiritusancto peccata dimittuntur. Aut si contentiosè argumentaris ideo Ioannis baptisma dimisisse peccata, quia de cælis fuit, edoce quid amplius in Christi baptismate consequamur, quod peccata dimittit, & liberat à gehenna. Quod à gehenna liberat, perfectum est, perfectum autem baptisma non est, nisi quod in cruce & in resurrectione Christi est. Ita dum serui baptismo plus quàm habuit tribuis, dominicum destruis; cui nihil amplius relinquis. Et quæ sequuntur. Idem in epist. 83. ad Oceanum cap. 3. Qui Ioannis acceperant baptisma, quia spiritumsanctum nesciebant, iterum baptizantur, ne quis putaret gentibus ac Iudæis aquas sine spiritusancto ad salutem posse sufficere. Vide eundem in Ioel. 2.

Chrysostomus in Matth. 3. homil. 10. & 11. Spiritussancti gratia, inquit, in Christi baptismate est: Ioannis verò baptisma hac donatione priuatur. Et alia in eandem sententiam.

Porrò apud Augustinum complura sunt loca, quæ huic discrimini perspicuè suffragantur. Nam Enchiridij 49. ita scribit. Non renascebantur qui baptismo Ioannis baptizabantur, sed Christo in quo solo renasci poterant, parabantur. Huius enim baptismus est non in aqua solùm, sicut fuit Ioãnis, verùm etiam in spiritusancto &c. Et lib. 5. contra Donatistas cap. 9. Baptizatos à Paulo, inquit, eos qui iam baptismo Ioannis baptizati fuissent, legimus in Actis apostolorum non ob aliud nisi quia Ioannis baptismus, non fuerit Christi baptismus, sed Ioanni à Christo concessus, qui Ioannis propriè diceretur. Et infrà: Accepit autem hoc Ioannes certæ dispensationis gratia non diu mansurum, sed quantum satis esset ad parandam viam Domino, cuius eum esse præcursorem oportebat. Et post pauca: Christus tali baptismo mundat ecclesiam, quo accepto nullum alterum requiratur: Ioannes autem tali baptismo prætingebat, quo accepto esset baptisma etiam dominicum necessarium &c. Deinde initio capitis proximi: Quæro itaque, ait, si baptismo Ioannis peccata dimittebantur, quid amplius præstare potuit baptismus Christi eis, quos

apoſtolus Paulus poſt baptiſmum Ioannis Chriſti baptiſmo voluit baptizari? Et paucis interpoſitis ita ſe credere teſtatur, baptizatis Ioannis baptiſmata in ſpe tantùm remiſſa fuiſſe peccata, reipſa verò in Domini baptiſmo id fieri. Idem tract. 4. in Ioannem negat Ioannis baptiſma profuiſſe, videlicet ad obtinendam iuſticiam, vel remiſſionem peccatorum. Et tract. 5. latè inter vtrumque baptiſmum diſtinguit. Similia ſunt loca lib. de vnitate eccleſiæ cap. 21. lib. de vnico baptiſmo cap. 7. lib. 2. contra literas Petiliani cap. 22. 24. 36. & 37. Epiſtola 48. ad Vincentium Donatiſtam. Et ſerm. 74. de diuerſis.

In eandem ſententiam ſcribit Maximus ſerm. 7. de Epiphania Domini dicens Ioannem prædicaſſe baptiſmum pœnitentiæ, non quo crimina deleret, ſed quo emendaret errantes. Nam remiſſio peccatorum, inquit, Chriſti gratiæ ſeruabatur.

Nihil ab his diuerſum ſentit Cyrillus, qui lib. 2. in Ioannem cap. 57. & 58. & 62. tantum intereſſe vult inter baptiſmum Ioannis & baptiſmum Chriſti, quantum inter Ioannem & Chriſtũ; ideóque Chriſtum à Ioanne tantopere eſſe commendatum, vt intelligeretur nullam eſſe baptiſmatum comparationem, vti nec perſonarum; Ioannis denique baptiſmum cum Chriſti baptiſmo collatum vim tantummodo præparationis habuiſſe.

Gregorius eandem prorſus doctrinam tradit homil. 2. in euangelia apertè diſtinguens inter vtrumque baptiſmum, quòd remiſſio peccatorum non in Ioannis, ſed ſolius Chriſti baptiſmo dari potuerit.

Hos authores ſecuti ſunt tum Ioannes Damaſcenus inter Græcos lib. 4 cap. 5. orthodoxæ fidei, tum apud Latinos ſcholaſtici omnes, quorum eſt conſentiens doctrina Ioannis baptiſmum neque gratiam, neque remiſſionem peccatorum attuliſſe, ſed ad vtrumque in Chriſti baptiſmo percipiendum præparatorium quoddam ſignum fuiſſe.

Patres verò concilij Tridentini de ea re ita ſtatuerunt ſeſſ. 7. canone 1. de baptiſmo: Si quis dixerit baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cum baptiſmo Chriſti, anathema ſit.

Ex his igitur conſtat indubitatè tenendum eſſe, quòd baptiſmus Ioannis à baptiſmo Chriſti diuerſus fuerit, quodque non eandem cum eo vim habuerit. Et quamuis illam diuerſitatem non planè ſimiliter ab omnibus explicatam reperiamus; id tamen inter omnes ſuprà commemoratos cõuenit, baptiſmo Ioannis neque ſpiritumſanctum, neque remiſſionem peccatorum datam fuiſſe; quorum vtrumque ſine dubio præſtat baptiſmus Chriſti.

§. 4. *Aduerſariorum argumenta diſſoluuntur.*

S. Thom. ibidem.

SVpereſt, vt ad quædam aduerſariorum argumenta reſpondeamus quorum

Primum eſt, Marci 1. & Lucæ 3. teſtatur ſcriptura Ioannem prædicaſſe baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Quò etiam pertinere putant, quod pater eius Zacharias de eo vaticinatur, ipſum daturum ſcientiam ſalutis in remiſſionem peccatorum Lucæ 1. Neque enim aliter ſcriptura loqui videtur de baptiſmo Chriſti. Nam Actor. 2. de eo ſic ait Petrus: *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum veſtrorum*. Et in ſymbolo Conſtant. confitemur vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum.

Secundum, baptiſmus Ioannis è cælo erat, non ex hominibus Matt. 21. vim ergo quandam cæleſtem & ſpiritualem habebat.

Tertium, baptiſmus Ioannis ſacramentum quoddam erat perfectius ſacramentis veteris legis, ipſaque etiam circumciſione: cùm igitur illa ſaltem per accidens gratiam & remiſſionem peccatorum contulerint, non debet is effectus remoueri à baptiſmo Ioannis.

Quartum, ſicut vnus eſt Deus, & vna fides, ita vnum baptiſma, Epheſ. 4 ergo Ioannis baptiſma non eſt aliud à baptiſmate Chriſti.

Quintum, Baſilius homil. 1. de baptiſmo ſic ait: Baptiſmus Ioannis nullam prorſus efficiebat ad gratiam Dei perueniendi dilationem: ſimul atque acceſſerat quis, & peccata ſua quantacunque & qualiacunque fuiſſet confeſſus, in Iordanis flumine baptizabatur, & confeſtim peccatorum remiſſionem accipiebat &c. Et homil. 2. dicit eos, qui audiebant, *progenies viperarum*, per baptiſma Ioannis remiſſionem peccatorum accepiſſe. Et iterum homil. 13. quæ eſt exhortatio ad baptiſmum: Baptiſma Ioannis, inquit, exuit peccatis, baptiſma Chriſti Deo familiares reddit.

Sextum, Ambroſius lib. 1. de ſpiritufancto cap. 3. negat verè baptizatos fuiſſe baptiſmo Ioannis duodecim illos diſcipulos, de quibus Act. 19. propterea quòd Ioannes baptizaret in remiſſionem peccatorum, quam illi qui ſpiritumſanctum neſcire ſe fatebantur, nondum acceperant. Quod idem author in Gal. 3 ſcribens diſertè tradit, nimirum diſcipulos illos non vero Ioannis baptiſmo, ſed adulterino quodam baptizatos fuiſſe, & ob hanc cauſam Paulum eos baptizari iuſſiſſe. Qua authoritate motus in textu Magiſter putat eos qui ſpem non poſuerunt in baptiſmo Ioannis, & patrem & filium & ſpiritumſanctum credebant, non fuiſſe poſtmodum baptizatos, ſed impoſitione manuum ab apoſtolis ſuper eos facta ſpiritumſanctum accepiſſe.

Septimum, Auguſt. lib. 5. contra Donatiſtas cap. 10. quæſtionem hanc, an baptiſmus Ioannis peccata remiſerit, non vult planè definire. Sic enim ſcribit: Quanquam ita credam baptizaſſe Ioannem in aqua pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, vt ab eo baptizatis in ſpe remitterentur peccata, reipſa verò in Domini baptiſmo id fieret, tamen ne quiſquam contendat etiam in baptiſmo Ioannis dimiſſa eſſe peccata, ſed aliquam ampliorem ſanctificationem eis, quos iuſſit Paulus apoſtolus denuo baptizari, per baptiſmum Chriſti eſſe collatam, non ago pugnaciter.

Poſtremò proferuntur & aliorum ſententiæ, quæ diſcrimen vtriuſque baptiſmi ſuprà dictum deſtruere videntur. Nam Cyrillus Hieroſolymitanus catech. myſtagog. 2. Per baptiſmum Ioannis, inquit, dabatur remiſſio peccatorum, per baptiſmum Chriſti adoptio filiorum. Et catech. 3. ſcribit Ioannem per baptiſmum ſuum credentes liberaſſe ab igne æterno. Optatus lib. 3. contra Parmenianum, quod baptizati baptiſmo Ioannis per violentiam intrabant regnum cælorum, ſicut baptizati baptiſmo Chriſti intrabant per legem.

Damaſcenus lib. 4. cap. 10. aliquot baptiſmatum genera enumerans: Quintum, inquit, erat Chriſti baptiſma, quo & ipſe baptizatus eſt. Cùm igitur baptizatus Chriſtus fuerit baptiſmate Ioannis, non erat hoc diuerſum à baptiſmate Chriſti. Prudentius in hymno, *O Nazarene*, dicit baptiſmum Ioannis abluiſſe peccata, & ſpiritumſanctum dediſſe.

disse. A quo non dissentit Iuuencus lib. 1. historiæ euangelicæ. Cuius rei quoque non obscura significatio est apud Lactantium lib. 4. cap. 15.

Ipse denique Augustin. quæst. 84. in Leuiticum sanctificationem tribuit baptismo Ioannis. Et homil. 23. inter quinquaginta remissionem peccatorum in eo agnoscit, sicut & quæst. 29. in nouum testamentum. Idemque habet commentarius Hieronymi in Marci 1.

Ad hæc obiecta sic ordine respondemus.

Quod Marcus & Lucas scribunt Ioanē prædicasse baptismum pœnitentię in remissionem peccatorum saluo discrimine suprà posito duobus modis à patribus exponitur. Quidam enim id dictū intelligunt non de Ioannis, sed Christi baptismo. Quamuis enim, inquiunt, baptizaret Ioannes suo baptismo, probat tamen baptismum Christi, qui erat baptismus misericordiæ in remissionem peccatorum. Hunc sensum indicant Gregorius homil. 20. in euangelia & Beda in commentarijs. Alij de baptismo Ioannis id dictum accipientes (quorum sententiæ magis accedimus) remissionem peccatorum non ad baptismum referunt, sed ad pœnitentiam, præparantem videlicet ad remissionem peccatorum accipiendam per baptismum Christi. Non enim legitur Ioannes baptizasse in remissionem peccatorum, id quod baptismo Christi tribuit scriptura Act. 2. & symbolum Constant. Neque alicubi baptismus Ioānis vocatus legitur lauacrum regenerationis, & renouationis; quo nomine Christi baptismum designat apostolus, sed tantummodo vocatur baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum, videlicet futuram & in Christi baptismo dandam, vti disertè hanc scripturam interpretantur Tertullianus lib. de baptismo cap. 10. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos. Ambrosius in Luc. 3. Chrysostomus homil. 10. in Matth. & post eum Theophylactus. Eadem ferè Augustini sententia est, qui lib. 5. contra Donatistas cap. 10. ita intelligit Ioannem baptizasse aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum, vt ab ipso baptizatis in spe remitterentur peccata, reipse verò in baptismo Christi. Similiter accipiandum quod objicitur ex cantico Zachariæ. Ioannes enim prænunciando & monstrando agnum qui tollit peccata mundi, scientiam attulit populo Iudaico, qua accedendo ad Christum saluari & remissionem peccatorum consequi possent. Quamquam hoc loco non est græcè, *in remissionem*, vel, *ad remissionem*, vt alijs duobus locis, sed, *in remissione peccatorum*, vt sit expositio *salutis*, quam per Christum dandam manifestabat Ioannes, iuxta illud Matth. 1. *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Secundo argumento respondit iam olim Tertullianus verbis suprà citatis. Mandato enim non potestate diuinum atque cœlestem fuisse baptismum Ioannis affirmat. Vnde ipse ait Ioan. 1. *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit.* &c. Et hoc modo è cœlo sunt, quæcunque à Deo vel præcipiuntur, vel instituuntur; quales & fuerunt omnes ceremoniæ Mosaicæ, siue ad aliquid spiritualiter operandum efficaces essent, siue non.

Ad tertium respondetur, ministerium Ioannis perfectius fuisse ministerio veteris legis, non quoad effectum gratiæ, sed quoad significationem, & instructionem seu præparationem populi ad Christum, vti suprà ostendimus. Quòd si quæras cur minùs baptismus Ioannis quàm circumcisio, vel aliæ quædam veteris legis sacramenta, saltem per accidens gratiam contulerit? respondeo sacramenta

A illa instituta fuisse, vt per aliquot secula duraret eorum obseruatio. Quo tempore non debuit carere populus Dei externis remedijs salutis: Ioannis autem baptismus vix vltra vnius vel alterius anni spacium fuit in vsu duratu, nihilominus circumcisione, alijsque veteribus sacramentis & sacrificijs, iamque succedente Christi baptismo, vt nihil opus fuerit per Ioannis ministerium iustitiam expectari.

Ad quartum respondetur, in ecclesia Christi, quæ fuit inchoata in die pentecostes, ac deinceps per orbem diffusa, vnicum esse baptisma, sed ante id tempus iam cessauerat baptisma Ioannis.

B Ad id verò quod ex Basilio objicitur, respōdemus, posse hoc vel simili sensu verba eius accipi, Ioānem suo baptismo sic homines ad Christum præparasse, vt absque mora tanquam verè pœnitentes ad Christi baptismum accedere, perque ipsum peccatorum veniam consequi possent. Quod autem dicit baptismum Ioannis homines cauisse peccatis, non de reatu peccatorum, sed de ipsis prauis operibus intelligūt. Qui enim à Ioanne baptizabantur, ea ceremonia profitebantur pœnitentiam, ad quam imprimis pertinet peccata relinquere, & commissa non iterare. Vtcunque tamen sa habeat Basilij sen-

C tentia de remissione peccatorum data vel non data per baptismum Ioannis, illud indubitatum est, Basilium ijsdem locis apertè distinxisse inter baptismum Ioannis, & baptismum Christi; dum Ioannem tantùm in aqua; Christum verò in spiritusancto baptizasse dicit; & Ioannis baptismum initiatorium, Christi verò perfectiuum; & illum pœnitentiæ baptismum, hunc autem adoptionis filiorum vocat, homil. 13.

Ad obiectionem ex Ambrosio allatam respondetur hæc illius verba: Ioannes in remissionem

D peccatorum in aduenientis Iesu non in suo baptizauit nomine, satis innuere sensum authoris, hunc videlicet: Ioannem suo baptismo prædicasse remissionem peccatorum petendam ab eo agno, quem demonstrabat, & cui viam præparabat, non autem eam per suum baptismum contulisse. Cæterùm quod dicit eos qui nihil se de spiritusancto audisse profitebantur, non fuisse vero Ioannis baptismo ablutos, sed tantùm accepisse veram quandam imaginem præparatorij illius sacramenti, improbabiliter dicitur. Non enim verisimile est Ioannem

E omnibus ad se venientibus tradidisse distinctam de Trinitate personarum in Deo doctrinam, quod Christo seruabatur, præsertim cùm & quidam non ab ipso sed ab eius discipulis adhuc rudioribus baptizarentur. Et tamen Act. 19. ijdem illi, qui spiritumsanctum nesciebant à Luca discipuli, & à Paulo credentes appellantur. Quocirca minùs probanda videtur Ambrosij & Magistri hec quidem in parte singularis sententia. Quod autem ex commentario epistolæ ad Gal. objicitur, cùm eius non Ambrosius sed incertus sit author, non magnopere curandum est.

F Ad septimum respondetur, Augustinum nolle pugnaciter agere, non quia veram aut probabilem esse putaret opinionem, quam ibi commemorat, sed quia ad causam propositam non admodum referret verùm diceretur. Sufficiebat enim ad refellendum argumentum Donatistarum ab exemplo baptismi Ioannis petitum, si ostenderetur diuersum eum fuisse à baptismo Christi; ideoque non fuisse vnum aliquem baptismum iteratum, quando iterum baptizati sunt, qui fuerant baptismo Ioannis baptizati, quia non idem sed alter baptismus collatus

fuit.

fuit. Deinde putauit Augustin. ad suam modaliam pertinere, si non certò affirmaret, quod nondum certò probauerat, etiamsi de eo ipse non dubitaret.

Postremò, vt ad cætera respondeamus, non videtur negandum, quin ea quorundam veterum sententia fuerit, per Ioannis baptismum datam fuisse remissionem peccatorum, sed ij omnes tamen baptismo Christi plus aliquid tribuunt, nempe quandam gratiæ excellentiam, quam non tribuunt baptismo Ioannis; quomodo & de circumcisione cum baptismo collata dicere liceat. Et fortasse propter huiusmodi quasdam veterum sententias noluit synodus Tridentina definire baptismo Ioannis nullam adfuisse vim remissionis peccatorum, sed generaliter tantùm sub anathemate statuit ipsum non eandem habuisse vim cum baptismo Christi. Qua in re planè veterea omnes iouanianum consentire.

Interim verò, quod ex Damasceno obijcitur, ex eodem facilè soluitur. Nam manifestè eo capite distinguit Damascenus inter baptisma Ioannis, quod quarto loco posuit & baptisma Christi, quod quinto. Dicit autem Christum hoc quinti generis baptismate lotum fuisse propter expressam repræsentationem Trinitatis factam, dum Christus baptizaretur, sicut Christi baptisma celebratur in ecclesia cum expressa eiusdem Trinitatis inuocatione, quemadmodum id rectè explicat commentator Damasceni Iudocus Clechtouæus; vel certè propterea quod baptisma illud fuerit non in aqua tantùm, sed etiam aliquo pacto in Spiritu, non quidem propter efficaciam spiritualis gratiæ, sed propter visibilem apparitionem Spiritussancti in specie columbæ super eo qui baptizabatur.

Porrò locos Augustin. ex lib. quæst. in Leuit. de præparatoria quadam significatione accipi potest. Est enim multiplex significandi modus, vt ipse Augustin. quodam loco docet contra Pelagianos. Quod ex opere homiliarum profertur, non satis apparet, vtrùm baptismum in remissionem peccatorum per Ioannem quibusdam à Deo datum significet. Reliqua duo loca ex ijs sunt libris, qui falsò tribuuntur his authoribus, alter Augustino, alter Hieronymo.

§. 5. A Ioanne baptizatos Christi baptismo baptizari debuisse.

Tho. 3. q. 38. a. 6. Satis ex suprà dictis intelligitur eos qui Ioannis baptismo loti erant, adhuc indiguisse baptismo Christi.

Primùm, quia scriptura Actor. 19. testatur discipulos quosdam Paulo iubente baptizatos baptismo Christi, non quia spiritumsanctum nondum nouerant, sed quia Ioannis tantùm baptismo baptizati erant, qui erat baptismus pœnitentiæ dumtaxat, non autem remissionis peccatorum. Nam si sufficiens iterandi baptismi causa fuisset ignorasse spiritumsanctum eadem ratione & Christi baptismus iterari deberet susceptus ab ijs, qui in fide vel non plenè, vel peruersè essent instituti. Atque hunc scripturæ locum, ita intellexerunt Augustinus lib. 5. contra Donatistas cap. 9. & sequentibus. Et lib. 2. contra literas Petiliani cap. 37. & Hieronymus in dialogo contra Luciferianos.

Secundò, quia Ioannes homines à se baptizatos ad Christi baptismum transmittebat his verbis: *Ego baptizo vos aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in spiritusancto.* Matt. 3.

Tertiò, quia generaliter dictum fuit de baptismo Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu &c.* Ex qua sententia colligit Augustinus in epistola 108. ad Seleucianam non modò vulgus credentium à Ioanne baptizatorum, sed ipsos quoque apostolos baptismo Christi lotus fuisse, tametsi scriptura non exprimat, vbi & quando id factum sit. Insinuatum est autem ijs Christi verbis ad Petrum Ioannis 13. *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet.*

Quartò, Actor. 2. & 4. vbi milia aliquot credentium baptizati leguntur ab apostolis baptismo Christi, non separauerunt ab eo numero apostoli baptizatos Ioannis baptismate, qui certè plurimi erant, vt patet Matth. 3. sed illis non minùs quàm cæteris Christi baptismum necessarium putarunt, vt sine quo incorporati ecclesiæ Christi non possent.

Postremò, aperta est hæc Augustini doctrina non modò locis iam commemoratis, verùm etiam alibi, vt tractatu 5. in Ioannem & epistola 48. Et quamuis aliter sentiat Magister in textu dicens eos, qui integra fide ad baptismum Ioannis accesserunt, non post baptizatos fuisse, sed sola manuum impositione susceptos, commentatores tamen eius magno consensu ab hac eius sententia recedunt, & cum Augustino sentiunt.

Neque sanè Magistro suffragantur Hieronymi verba in Ioel. 2. & epistola ad Oceanum, vbi dicit eos qui Ioannis baptisma acceperant, quia spiritumsanctum nesciebant, iterum fuisse baptizatos; quasi inde sit consequens, si spiritumsanctum sciuissent non iterum baptizari debuisse. Non enim aliud vult ijs locis Hieronymus quàm quòd ex ignoratione spiritussancti deprehensum fuerit discipulos illos Act. 19. non fuisse baptizatos baptismo Christi: eò quòd huic baptismo præmitti soleat instructio seu catechizatio de Trinitate, alijsque ad fidem pertinentibus. Quamuis enim breuiter commemoret scriptura baptizatos aliquos in nomine Christi, comprehendi tamen ea sermonis breuitate catechismum præuium docet August. lib. de fide & operibus cap. 8. 9. & 10. Cæterùm de Ambrosij loco, quem etiam pro se citat Magister, quid sentiendum sit, suprà indicauimus.

§. 6. An aliqua verborum forma Ioannes vsus fuerit baptizando.

Quorundam opinio est Ioannem certa quadam verborum in baptizando forma vsum fuisse, hac videlicet: Ego te baptizo in nomine venturi. Eam sententiam tradit in textu Magister, eumque sequuntur S. Thomas, & Bonauentura, & ante eos Iacobus Vitriacus histor. ecclesiasticæ cap. 36. & multi alij scholastici. Videtur autem niti hæc sententia verbis Pauli Act. 19. sic inquientis: *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum dicens: in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum.* Ad 5. Th. dist. 2. q. 2. a. 3.

Ambrosinm quoque & Hieronymnm ita sensisse videri potest, Quornm ille lib. 1. de spiritusancto cap. 3. Ioannam in aduenientis Iesu, non in suo nomine baptizasse dicir. Et idao, inquit, spiritnm nesciebant (videlicet discipoli illi, qoorum est mentio Actor. 19.) quia nec baptismum in Christi nomine, sicnt Ioannes baptizara solabat, acceperant. Hic varò in Ioel. 2. scribens, da ijsdem discipulis air, quòd baptizati arant baptismata Ioannis in aum qui venturus erat, hoc ast, in nomina Domini Iesu.

Alij porrò inter quos Durandus aliter sentinnt, probabilius existimantes Ioannem aquæ vt materiæ nullam formam adiunxisse, vt quemadmodum sacrificium Melchisedach figura fuit incruenti sacrificij Christi propter similitudinem materiæ non formæ, quæ ibi varisimiliter nulla fuit: ita baptismos Ioannis signia fuerir baptismi Christi, solâ videlicet materiâ eum repræsentans, & prænuncians. Qnod & ratione confirmari potest.

Primò, quia baptismo Ioannis nihil intus efficiebatur virrote aut nomine Christi, nulla ergo opus erat aius nominis innocationa seu expressione. Nam doctrina de Christo venturo baptismnm antecedabat, sicut nnnc baptismo Christi præmittitur catechismns.

Deinde, quia & Christus Ioannis baptismara lotus ast, qni vt in nomina venturi baptizaretur iam præsens, & à baptizanta cognitus & monstratus absurdum erat.

Quod antem ax Actor. 19. obijcitur priori opinioni non fanat: non enim aliud sibi volunt ea Panli verba, quàm Ioannam baptizasse populum baptismo pœnitantiæ, & prætarea hortatum fuisse, vt crederent in eum, qui post ipsum vantnrus esset, hoc est, in Iasum; quod & ab euangalistis plenius atque apertius narratum est. Vtrùm autam intar baptizandum aliqua protulerir verba, quæ essent instar formæ illius baptismi, neqoa euangelistæ, naque in Actis Panlus significanit. Sic antem Pauli verba accipienda esse, Græca lectio clarè demonstrat, quæ sic haber; Ioannes quidem baptizauir baptismo pœnitentiæ, popnlo dicens in ventnrum post se vt crederent, hoc est, in Christum Iesum.

Iuxta hnnc sensum Ambrosinm quoqoa & Hieronymum facilè est interpratari, significant enim Ioannem ita baptizasse, vt tamen eos qui baptizarentur, non in se, qui alioqui Christns videri poterat, sed in venturum adhuc Messiam, id est, Iesum credere iuberet. Non ergo da forma baptismi, sed de doctrina baptismo adiuncta huiusmodi patrum sententiæ funt intalligendæ.



A

IN DISTINCTIONEM TERTIAM.

§. 1. *Baptismi dignitas & variæ appellationes.*

APTISMVS sacramantorum nouæ *S.Tho. 3. p. q. 66. & seq.*
B legis primnm est, & qoadam ratione præcipnum. Primom quidam, quia sicut fides est initium salutis: ita baprismus tanquam fidei sacramentom credentibos ecclesiam aperit, & credentes in eam introducit, atque aditum parat, insqoe tribuit ad ea quæ familiæ Christi propria sunt, percipienda. Vnde & ianua sacramantotũ vocatnr.

Dicitur aotam fidei sacramentum, qnia signum est externnm, quo tanqoam pnblica fidei protestatione fideles ab infidelibus distinguantur; ita vt namo quantumuis iam corde teneat omnia christianæ religionis dogmata, inter fidelas compntandus sit, nisi hoc publico & solemni signo fuerit ini-
G tiatus. Naque enim catechumeni quamuis symbolum ora atqua ex animo recitarent, ante baptismum in nnmero fidelium vnquam habiri sunt, Augustino teste tractatu 11. in Ioannem & lib. 8. confessionum cap 2. Paruolos verò baptizatos atsi per se, neqna corde credere, neqna ore confiteri possent, semper inter fideles babnit ecclesia quemadmodum multis locis contra Pelagiannos testatur idem Augustinus.

Hac ratione & Dionysins Areopag. ecclesiasticæ hiet. parte 1. cap. 2. sacramentnm hoc principinm vocat sanctissimotum mandatornm, & Cyprianus
D in epistola ad Iubaianom de baptismo loqnens: Inde, inquir, incipit omnis fidei origo, & ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio. Sacramentum antem fidei vocatur ab Ambrosio lib. 1. de spiritu sancto cap. 3. ab Augustino epist. 23. & apud Gratianum de consectatione distinct. 4. cap. Nihil est. & apud alios non infrequenter. Quo nomine & Tridentini concilij patres ipsum appellarunt sess. 6. cap. 7.

Porrò quodammodo præcipnum ast hoc sacramentum, tum ob rationem iam dictam; quia sacramentorum omniom ianua est, & saluris præstat
E initinm; tum quia præ cæteris est maximè necessarinm. Nam sine eo salus haberi non potest, & cum ao solo potest, vti ostanditur non modò examplo parnulorum, verùm etiam adultotum, qui baptismi innocentiam non amiserint.

Vocatur præterea hoc sacramentum ab apostolo Tit. 3. lanacrum regenerationis & tanouationis; vocatnr & sacramentum illuminationis Heb. 6. & 10. Quo nomine à vatustioribus idipsum frequentins appellatnm legimns.

Gregorius Nazianf. oratione de baptismo &
F Damasc. lib. 4. cap. 10. modò perfectiuum sacramentum vocant, modò sigillum quo Dao consignamnr. Augustinns epistola 28. ad Hieronymnm sacramentnm christianæ societatis nominat. Danique Dionysius vbi suprà adoptionis filiornm idem hoc sacramentũ vocat. Sunt & alia vocabula apud veteres obuia, quibus huius sacramenti virtus & præstantia significetur. Quæ potissimùm nbsetnanda sunt contra aos, qui sacramentis omnem internę sanctificationis vim adimentes, nodam tribunnt significationem.

§.2. Quid

§. 2. *Quid sit baptismus.*

S. Tho. 3. p. q. 66. art. 1.

BAptizandi vocabulum apud profanos aothores Græcos generaliter lauare, tingere, immergere significat; quomodo etiam in sacris literis interdum accipitur. Legimus enim Marci 7. baptismata calicum & vrceorum, & Heb. 9. varia Iudæorum baptismata. Et Iudith se baptizasse legitur in fonte aquæ cap. 12. Et Ecclesiasticus ait 34. *Qui baptizatur à mortuo &c.* Sic & Lucæ 11. & 1. Corinth. 10 acceptum hoc nomen inuenitur.

Translatum quoque est ad afflictiones, vt in his Domini verbis: *Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Marci 10. Quomodo etiam interpretantur quidam illud Pauli 1. Corinth. 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis*, id est, qui ieiunant seque affligunt, vt mortuis prosint.

Cæterùm vsu apostolorum ac totius ecclesiæ peculiariter significat sacram ac mysticam lotionem omnibus notissimam. Quæ quidem à varijs variè definitur. Apud Hugonem lib. 2. de sacramentis, parte 6. cap. 2. hæc eius legitur definitio: Baptismus est aqua abluendis criminibus sanctificata. Magister in textu hoc pacto: Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma verborum præscripta. Alij definiunt esse sacramentum in externa corporis ablutione, & legitima verborum enunciatione iuxta Christi institutionem consistens. Alij denique ita exactè definiendum putant, vt sit corporalis ablutio hominis in aqua facta & verbo significata cum expressa inuocatione Trinitatis, cumque intentione faciendi, quod facit ecclesia.

Sed circa has definitiones baptismi statim quæstio occurrit, quidnam illud sit, qood baptismi nomen propriè sibi vendicet; vtrùm aqua, vti ex Hugonis definitione apparet; an ablutio corporis, vt vult definitio Magistri, & ea quæ vltimo loco posita est; an verò id quod ex ablutione & verborum prolatione componitur, vt indicat tertia definitio. Nam solam formam verborum nemo baptismum appellasse reperitur. At neque interna mentis ablutio baptismus est, neque baptismi sacramento semper coniungitur, sed est res inuisibilis baptismo vt signo visibili significata.

Tractans hanc quæstionem Bonauentura in præsentem distinctionem censet aquam esse sacramentum baptismi, non quamcunque, nec quomodocunque consideratam, sed quatenus ad baptizandum deputata est, & ad id actu adhibetur, atque eam putat significari nomine lauacri apud apostolum ad Tit. 3. & Ephes. 5. lauacrum interpretans aquam deputatam ad lauandum, sicut balneum dicitur aqua deputata ad balneandum.

Probabilior tamen est Sanct. Thomæ sententia, qui 3. quæst. 66. art. 1. docet propriè non aquam abluentem, sed ipsum abluendi actum, id est, ablutionem corporis exteriorem cum præscripta verborum forma esse baptismum, qoemadmodum rectè in textu tradit Magister. Nam baptismi vocabulum, neque aquam, neque verborum sonum aut prolationem significat, sed ipsam ablutionem. Idem ostenditur ex similitudine aliorum sacramentorum. Omnia enim sacramenta, excepta eucharistia, in actione quadam quâ sanctificatio perficiatur, consistunt, non in re aliqua actioni subiecta, vel post actionem relicta. Quare sicut verbi gratia confirmatio non est chrisma, sed chrismatis vsus & applicatio: ita baptismus non est aqua, sed actio qua aqua homini admonetur. Quod igitur Hugo dicit baptismum esse aquam, sensu causali dictum accipi potest. Aqua enim causæ materialis rationem obtinet in baptismo.

Neque valet argumentum ex nomine lauacri sumptum, tum quia concedi potest apud apostolum eo nomine non ipsum baptismum, sed aquam baptismi significari; tum quia vocabulum Græcum vtrumque significat, & lauacrum, & lotionem.

§. 3. *Quibus verbis perficiatur baptismus.*

S. Thom. 3 p. q. 66 art. 5.

FOrma baptismi perpetuò & constanter in ecclesia seruata hæc est: *Ego te baptizo in nomine patris & filij & spiritussancti*; tametsi pro eo, quod in Latina ecclesia, dicitur: *Ego te baptizo*, in Græca, *baptizetur* vel *baptizatur N. seruus Christi*, addito etiam eius qui baptizabatur nomine, dici soleat.

Habet autem hanc formam ecclesia certissimè quidem ex traditione apostolica, nec dubitanter tamen ex verbis Domini, quibus ad discipulos post resurrectionem ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritussancti.* Quamuis enim recentiores quidam putent eam ex scripturis non haberi, sed ex sola traditione, propterea quòd verbis illis Christi existiment non esse significatum, quibus inter baptizandum verbis sit vtendum; sed tantùm præceptum, vt in nomine seu virtute Trinitatis baptizarent; veteres tamen de verborum necessitate differentes ex commemorato scripturæ loco plærumque probationem sumunt, vt Basilius capit. 12. de spiritusancto. Augustinus libr. 3. contra Donatistas capit. 10. 14. & 15. & lib. 7. cap. 53. dicens baptismum non aliter esse ratum, nisi sit verbis euangelicis consecratum. Quomodo & alibi loquitur. Item Pelagius papa apud Gratianum de consecrat. distinct. 4. cap. Multi sunt. Et Damascenus lib. 4. orthod. cap. 10.

Primùm igitur necesse est verbis exprimi actum baptizandi, cuius ratio reddi potest; quia cùm intentio ipsius actus sit maximè necessaria, necessarium quoque fuit eam intentionem verbo enunciari. Vnde Alexander 3. extra de baptismo & eius effectu capit. Si quis: Si quis, inquit, puerum ter in aqua merserit in nomine patris & filij & spiritussancti Amen, & non dixerit: Ego te baptizo, non est puer baptizatus. Vbi tamen pontifex non facit vim in pronomine, ego, quod sufficienter in verbo primæ personæ, baptizo, continetur. Est enim idem, baptizo & ego baptizo, sed tantùm vult necessariò proferri illa verba vel similia quibus saltem actus ministri, & personæ suscipientis significatur.

Trinitatis autem expressam inuocationem esse necessariam præter scripturam, & authores modò citatos, habet imprimis canon. 49. apostolorum, qui locum Matt. 28. velut interpretans de forma verborum, reijcit baptismum in morte Domini collatum ita subijciens: Non enim dixit

nobis Dominus, in morte mea baptizate, sed, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritussancti.* Item Dydimus lib. 2. de spiritusancto: Licet, inquit, existere quis posset ita mentis alienæ, qui ita baptizare conetur vt vnum de præceptis nominibus prætermittat, videlicet aduersarius legis Christi, tamen sine perfectione baptizabit. Eadem est planè sententia Origenis in Rom. 6. & Theophylacti in Luc. vltim. A

Inter Latinos verò Cyprianus in epistola ad Iubaianum: Quomodo, inquit, dicunt quidam modò in nomine Iesu Christi vbicunque & quomodocunque gẽtilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari iubet in plena & adunata Trinitate? B

Apertissime quoque Augustini sententiæ est lib. 6. contra Donatistas cap. 25. certa esse verba euangelica, sine quibus non potest consecrari baptismus. Quo loco rursum bis eandem sententiam nonnihil mutatis verbis repetit. Idem habet epistola 23. ad Bonifacium. Estque locus similis lib. 19. contra Faustum cap. 16. Quæ sint autem illa verba euangelica exponit contra Donatistas lib. 3. cap. 15. Si, inquit, euangelicis verbis in nomine patris & filij & spiritussancti Marcion baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum. Nec minus clarum est, quod apud eundem legitur lib. 3. contra Maxim. cap. 17. & epistola 103. & super psal. 86. vbi dicit ecclesiam non vocari nisi per baptismum in nomine patris & filij & spiritussancti. Cui consentit Fulgentius in libr. de incarnatione & gratia Christi capit. 11. C

His adde, quod ex professo à Romanis pontificibus damnatur baptisma sine expressa Trinitatis inuocatione collatum. Nam Innocentius 1. in epistola ad episcopos Macedoniæ cap. 5. docet oportuisse repeti baptismum eorum qui à Paulianistis fuerant baptizati, non item eorum qui à Nouatianis: propterea quòd illi in nomine patris & filij & spiritussancti minimè baptizarent; hi verò ijsdem tremendis, venerandisque nominibus baptizarent. De Paulianistis eorumque baptismo tale quid etiam legitur apud Augustinum lib. de hæres. Gregorius primus lib. 9. epistola 61. ad Quirinum similiter statuit. Leguntur eius verba apud Gratianum de consecrat. distinct. 4. cap. Ab antiqua, & cap. Hi verò hæretici. His accedunt Pelagius & Zacharias pontifices locis suprà citatis. Quorum ille baptizatos tantùm in nomine Domini, & ad ecclesiam redeuntes sine cuiusque dubitationis ambiguo in sanctæ Trinitatis nomine baptizari præcipit: alter autem omnino & pro certo verum esse confirmat, quòd quicunque sine inuocatione Trinitatis mersus fuerit, sacramentum regenerationis non habeat, vsque adeo vt qui vel vnam de Trinitate personam non nominauerit, verum baptisma non consecerat. D E

Neque rectè eorum verborum sententia subuertitur à quibusdam per rationem quæ io eodem decreto sequitur, quia qui vnum ex sancta Trinitate nomen confessus non fuerit, perfectus christianus esse non potest; quasi videlicet tunc demum pontifex neget esse verum baptisma in quo persona aliqua diuinæ subticetur, quando eam à reliquis separat infidelitas baptizantis. Constat enim veritati & substantiæ baptismi nihil detrahi per errorem dantis vel accipientis, F etiamsi de aliqua trium personarum peruersè sentiat, quemadmodum docet August. lib. de vnico baptismo cap. 4. & concilium Arelat. citatum à Gratiano de consecrat. distinct. 4. capit. De Arianis.

Quòd si præter institutionem Christi etiam ratio quæritur huius necessitatis exprimendi tres personas, respondere possumus rationem huic institutioni diuinæ conuenientissimam esse: quia baptismus est sacramentum fidei, quæ potissimùm continetur professione Trinitatis, vt patet ex symbolo, cuius partes præcipuæ sunt: Credo in Deum patrem, & in filium eius, & in spiritumsanctum. Neque in aliud quicquam credere nos profitemur. Hanc rationem spectauit Augustinus lib. 6. contra Donatistas cap. 25. dicens: Quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba euangelica quibus symbolum constat, illic defuerint? Sed facilius, inquit, inueniuntur hæretici, qui omnino non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent. Quod & de nostro sæculo dici potest.

§. 4. Apostolos nunquam aliter, quàm in nomine Trinitatis baptizasse.

Ostendunt ea quæ diximus non modò nunc aliter non esse ratum baptisma, etsi cum expressa Trinitatis inuocatione datum; verùm etiam nec vnquam aliter ratum extitisse, & proinde nec apostolos, postquam ijs dictum est; *Euntes baptizate omnes gentes in nomine patris, & filij & spiritussancti*, aliquando alia forma in baptizando vsos fuisse. Docent enim patres suprà citati ac nominatim Basilius lib. de spiritusancto cap. 12. ex Christi præcepto & immobili traditione acceptam hanc formam in ecclesia retineri, præceptum intelligunt datum Matt. vltimo. S. Tho. 3. p. q. 66. art. 6.

Quare improbabiliter sentiunt, qui putant apostolos statim initio suæ prædicationis post acceptum spiritumsanctum, quo Christi nomen illustrius atque amabilius apud homines redderent, diuina dispensatione sic baptizasse, vt solum Christi nomen exprimerent. Nihil enim opus erat id facere inter baptizandum ijs verbis, quæ semel prolata iterari fas non esset, quando catechismo præcedente & varia baptizandorum instructione, atque assidua prædicatione fidei de Christo redemptore id satis abundè præstari potuerit; præsertim cùm recentissimum haberent apostoli mandatum Christi in cœlos abeuntis de Trinitate distinctè nominanda.

Multò verò minùs Caietani sententia recipienda est, qui etiam hodie ratum in nomine Christi baptismum esse censet, quod est contra manifestam & constantem veterum doctrinam, vt ex dictis patet. Cui sententiæ ratio quoque repugnat: vnius enim sacramenti non nisi vna forma perpetua seu ordinaria esse potest, alioquin enim saltem ex parte formæ diuersum fieret sacramentum. Fallit autem tam Caietanum, quàm eos qui ad apostolorum tempora suam opinionem restringunt, quòd in Actis aliquoties leguntur apostoli baptizasse *in nomine Iesu Christi*, Act. 2. vel *in nomine Domini Iesu* Act. 8. & 19. vel *in nomine Domini Iesu Christi* Act. 10.

Primùm

A Primùm enim ipsa sermonis nonoolla varie-tas satis admonet oon hic significari certam verborum formulam, qua fueriot inter baptizandum vsi apostoli.

Deinde ex alijs aliqnor locis eiusdem libri Actorom facilè potest intelligi, qnid ea phrasis significet, dum dictor in nomine huins aot illius. Aut enim virtus vel authoritas, aut meritum significatur, aot nomen pro re numinata ponitur. Virtus quidem siue authoritas significata est Actor. 3. dicente Petru: *In nomint Iesu Christi surge & ambula*. Vnde & Actor. 4. quærentibus Io-
B dzorum principibus: *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* respondit Petrus: in nomine Iesu Christi Nazareni crucifixi se id fecisse. Authoritas quoque manifestè significatur Ioannis 5. & 10. vbi dicit se Christus venisse & operari in nomine patris sui. Et 1. Corinth. 5. vbi in nomine Christi excommunicationem decernit apostolus in fornicarium. Meritum significatur Act. 10. his verbis: *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum*. Et Ioannis 14. 15. & 16. *Si quid petieritis patrem in nomine meo*. & 1. Co-
C rinth. 1. *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis?* Porrò nomen pro re nominata passim sumitur in sacris literis tam veteris quàm noui testamenti, & quidem etiam in hoc Actorum libro vt cap. 4. *Non est aliud nomen sub cælo datum &c.* id est, non est alius per quem saluari possint homines. Sic Apocalypsis 11. dicuntor occisa in terræ motu oomina hominum septem milia, id est, homines septem mille. Quatuor ergo modis intelligi potest apostulos baptizasse in nomine Christi, vel per virtutem eius, vel authoritate eius, vel per meritum eius, vel in ipso Christo, id est, baptismo
D Christi. Qoomodo Rom. 6. dicitor: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Et quomodo Actor. 19. quidam dicuot in Ioannis baptismate se baptizatos.

Quod autem Actor. 22. Paulus commemorat Ananiam sibi dixisse: *Baptizare & ablue peccata tua inuocato nomine ipsius*, scilicet Christi, non ad baptizantem inoocatio referenda est, sed ad baptizandum, vt ex Græco clarum est.

His demom accedit, quod patres apertè docent eosdem illos quorum in Actis fit mentio, non aliter quàm cum inuocatione Trinita-
E tis baptizatos esse. Augustinos enim lib. 3. contra Maxim. cap. 17. ita scribit: Quidam & non nominatis patre & spiritu iussi sont à Petro baptizati in nomine Iesu Christi, & tamen oon intelliguntur baptizati nisi io nomine patris & filij & spiritussancti.

Et Innocent. 1. in epistola ad episcopos Macedoniæ idem testatur de ijs, qui Act. 19. leguntur iubente Paulo baptizati io nomine Christi.

Basilius autem ad quædam epistolarom Pauli loca respiciens lib. de spiritusancto cap. 12. Ne-
F minem, inquit, ad errorem impellat illud apostuli, quòd numen patris & spiritussancti in baptismatis mentione sæpe omittit, neqoe ob id putet nominum oomenclatoram non esse necesse obseruari, & paulò post; oportet enim immobilem manere traditionem io viuifica gratia datam. Quare addere quid aut detrahere palam est elapsus à vita æterna. Idem clarè docent, quos suprà citauimus, Origenes, Theophylactus, Cyprianos, & Fulgentios. Eandemque sententiam probare non dubitat catechismus concilij Tridentini.

§. 5. *Obiectiones quædam aduersus prædicta soluuntur.*

EOrum opinioni, qui putāt apostulus in nomine Christi baptizasse, fauare videntur quædam sententiæ patrum, quarum proinde vera iotelligentia aperienda est. *Vide S. Thom. vbi sup.*

Hilarius sub finem libri de synodis dicit apostolus iossos baptizare in nomine patris & filij & spiritussancti, tantùm io Iesu nomine bsptizasse.

Ambrosius lib. 1. de spiritusanctu cap. 3. dicit, quod eunuchos baptizatus in Christo plenum mysteriom consecutus est, cuius etiam rationem subijcit: Qnia si Christom dicas, & Deum patrem à quo vnctus est filius, & ipsum qui vnctus est, filiū & spiritum, quo vnctus est dasignasti. Sed & alia quædam in eandem sententiam eo capite ioculcat.

Authoritatem Ambrosij secutus veoerabilis Beda in Act. 10. ita scribit: Cùm ecclesiæ regula sit fideles in nomine Trinitatis baptizari; quæritur qnomodo Lucas per totum libelli huius contextum oon aliter quàm in nomina Iesu Christi baptismum dari testetur. Quod ita B. Ambrosius soluit, quia per vnitatem nominis impletum est mysterium.

Eiusdem authoritate nititur Nicolaus Papa in decreto quodam ad consulta Bulgarorum, quod apud Gratianum de consecrat. distinct. 4. cap. A quodam legitur in hæc verba. A quodam Iudæo multos baptizatos asseritis, & quid inde agendum sit consulitis. Hi profectò, si in nomine Trinitatis, vel in nomioe Christi, sicut in Actibus apostolorum legimus, baptizati sunt (vnum enim idemque est, vt expooit Ambrosius) rebaptizari non debent.

Deniqoe Bernardi locus obijcitur ex epistola 340. in qua approbat baptismom in oomine Dei & sanctæ veræ crucis collatom. Et vtitor argumeoto ex Actis Apostolorum.

Ad hæc ita respundemus, Hilarius volens ostendere ὁμοούσιον non propterea eradendum è symbolo qood nonnulli ex eo sumerent occasionem erroris putaotes Deom patrem substantiam suam distraxisse, partemque eius dedisse filio; probat etiam in scripturis esse multa in speciem pognantia, quæ proinde erroris ansam imperitis præbeant. Neque tamen ideirco è scripturis ea esse delenda. Inter qoæ refert istud quod apostoli iussi sunt baptizare in nomine patris & filij & spiritussancti, qui tamen in Actis baptizasse leguntur in oomine Iesu. Vult ergo Hilarius omnia huiusmodi etsi contraria videantur, reuera tamen non esse contraria. Cæterùm quomodo siot conciliaanda, non explicat, contentus exempli gratia qoædam talia commemorasse. Conciliantur aotem qoæ de baptismo obijciuntur modo suprà à nobis indicato.

Ambrosij locus plus difficultatis habet, qoem tamen si quis ita sensisse putet verum fuisse in oomine Christi ab apostolis collatum baptisma, necesse est fateatur etiam nunc idipsum verum & ratum esse, cùm ratio ab Ambrosio allata adhuc subsistat, quemadmodum Sanct. Thoma licet repugnante Caietanus probare conatur. Imò consequens erit, ratum fore baptisma

ri vel solius Patris, vel solius spiritussancti expressa mentio fiat in verbis formæ. Semper enim manebit ille Ambrosij ratio, vna nominata persona cæteras intelligi, & ideo plenum atque integrum esse mysterium, quod tamen nunc nemo Catholicus docet, licet Ambrosij verbis deceptus, Magister ita sentiat. Sequitur præterea non esse ratum baptisma, si quis Arianus baptizet etiamsi integra forma vtatur. Quamuis enim, ait Ambrosius, & patrem & filium & spiritum dicas, & aut patris aut filij aut spiritussancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. Dicendum est ergo Ambrosium non agere de forma sacramenti, sicut nec Basilius cap. 12. de spiritusancto, à quo ille suam rationem ferè verbatim desumpsit, sed propositum ei esse demonstrare, quòd vbicunque aliqua operatio diuina in scripturis alicui personarum seorsim tribuitur, reliquæ non excludantur, sed potiùs simul intelligi debeant, perinde atque si expressæ forent. Id autem ex ijs scripturis ostendere conatur, in quibus sub vnius personæ nomine baptismatis mentio reperitur. Præsupponit enim ex notissima baptizandi forma eos qui in Christo, vel in spiritusancto baptizati leguntur, non aliter baptizatos quàm in nomine patris & filij & spiritussancti. Vnde concludit vna persona in scripturis alicubi nominata, reliquas intelligi debere. Loquitur enim de verbis scripturæ quæ etsi vnam aliquam nominent personam, cæteras tamen non excludunt.

Porrò venerabilis Beda, qui tantùm Ambrosij sententiam citat, in alium sensum à mente Ambrosij diuersum trahi non debet.

Nicolaus papa in illo suo rescripto non hoc principaliter egit, quæ forma baptismum ratum faciat; non enim id quæstitum fuerat, sed respondet baptismum etiam à Iudæo collatum validum esse. De forma autem sacramenti extra quæstionem propositam obiter adiecit. Qua in re si Ambrosij obscuritate fortè deceptus est, non admodum est mirandum. Quem tamen responsionis eius partem putant quidam eodem sensu accipiendam, quo verba Ambrosij, vt videlicet significare voluerit ratum esse baptisma, dum tamen baptisma christianum, quod intelligitur dum dicitur baptisma in nomine Trinitatis vel in nomine Christi, Iudæus ille dare intenderit, non autem baptisma aliquod Iudaicum.

Ad postremum respondetur eam epistolam non esse Bernardi, sed veris Bernardi epistolis postea temerè adiectam, ideoque fidem ei nullam, præsertim in hac re, quæ à nullo alio asseritur esse habendam.

§. 6. *Quæ variatio formam baptismi viciet & quæ non.*

S.Tho.3. p.q.60. art.8.q. 66.ar.6. NEcessitate quidem præcepti necessaria est in vnoquoque sacramento ea forma quam ecclesia præscribit, sic vt nihil prorsus in ea liceat immutare. Verùm necessitas sacramenti aliquam admittit formæ consuetæ & præscriptæ mutationẽ, & aliquam respuit. Quod vt in hoc baptismi sacramẽto ritè discernatur, primò sciendum est, non tantùm requiri necessariò vt tres personæ distinctè proferentur, & vt actus baptizandi exprimatur, quemadmodum suprà monuimus; verùm etiam vt

A designetur persona suscipientis; siue ea eam fiat sermo, vt in forma Latinorum, siue de ea, vt in forma Græcorum. Ex quo etiam patet non esse necesse personam ministri aliquo vocabulo exprimi. Horum probatio potissime sumitur ex institutione Christi, qui Matth. 28. iuxta veterum expositionem formam baptismi præscribens his verbis: *Baptizantes* &c. & actum expressit & suscipientem, non autem personam ministri. Ratio verò reddi potest, quia homo baptizans nudo fungitur ministerio respectu effectus huius sacramenti, & proinde sufficit nominari totam Trinitatem, quæ est causa principalis.

B Præterea notandum est variationem formæ fieri pluribus modis, nempe vel immutatione verborum, vel additione, vel detractione, vel transpositione. In quibus omnibus contingit formam manere eandem secundùm substantiam, contingit & viciari. Si enim verbis mutatis, additis, detractis, transpositis, idem tamen sensus seruetur, censetur manere forma integra; si verò sensus mutatur, forma eadem non manet. Vbi tamen aduertendum de nomine quo actus baptizandi exprimitur, non referre siue indicatiuo siue alio conuenienti modo exprimatur, vt patet ex diuersitate consuetudinis Græcorum & Latinorum.

C Vt autem doctrinam hâc exemplis declaremus. Primò si verba sumantur synonyma vt Græca vel Hebraica, vel Gallica pro Latinis, non viciabitur forma. Neque item si quis dicat: Ego te tingo vel abluo in &c. Latinum substituens pro Græco.

Si verò baptizet quis in nomine genitoris & geniti & spirati seu flaminis, seu procedentis ab vtroque, putant quidam ratum fore baptisma, propterea quòd illa pro synonymis vulgo habeantur. Communior tamen sententia est, non fore ratum, eò quòd propriè non sint synonyma, vtpote significantia personas, non vt personas, id est, non sub ratione subsistentium, seu personarum, sed sub ratione proprietatum.

D Si quis baptizet dicendo in nomine sanctæ Trinitatis, nihil efficit, quia requiritur distincta trium personarum expressio.

Rursum si quis baptizet in nomine patris maioris & filij minoris &c. nullum est baptisma. Additur enim aliquid repugnans verbis formæ, & proinde sensum eorum peruertens. Si verò dicatur, in nomine patris maioris & filij secundùm humanitatem minoris non viciatur forma, sed additione quadam extenditur & explicatur, multoque minùs viciabitur si dicas, in nomine patris omnipotentis, & filij redemptoris, & spiritussancti paracleti,

E Si quis baptizando addat conditionem quæ non existit, veluti dicendo, si ego sum omnipotens, vel si tu es sine peccato, nihil agitur.

Si quis copulatiuam coniunctionem mutet in disiunctiuam dicendo, in nomine patris vel filij, nihil quoque efficitur.

F Si quis interponat aliqua verba formæ impertinentia, velut ad alium conuertens sermonem, si non est tanta interpolatio vt tollat continuitatem sermonis inchoati quoad eius significationem, manet forma, alioqui non manet, cuius rei iudicium petendum ex sermone & sensu communi.

Si quid subtrahatur eorum quæ suprà diximus ad substantiam formæ requiri, manifestum est nihil effici. Si verò quadam linguæ præcipitantia, vel sermonis imperitia omittatur litera vel syllaba, non per hoc destruitur forma. Nam vt rectè Scotus ad-

tus admnnat, non voluit Deus hominem daterminare ad verba in ſacramentis vltra illum modum quo ſufficiunt ad exptimendum conceptum, licèt reuerentia ſacramenti poſtulet, vt integrà & diſtioctè pronnncientnr. Vnde & illa mutatio quæ oritur ex ſola ſermonis incongruitate, non deſtruit formam, dummodo ea incongtuitas non ſit tania, quin poſſit ex vaibis percipi ſenſus per ea ſignificatus. Extat huius tei declaratio apud Grattanum de Conſecrar. diſtinct. 4. cap. retulerunt. ex reſcripto Zachariæ pontificis ad Bonifacium. Quod & Magiſter citat diſtinct. 6. In eo anim reſcripto tebaptizari prohibentur qui à quodam indocto baptizati etant his varbis: Baptizo te in oomine patria & filia, & ſpiritiuaſancta: Si tamen, inquit pontifcs, ille qui baptizauit, non errorem introducens ant hęreſim, ſad pro ſola ignorantia Romanæ locutionis infriogēdo linguā ea verba dixiſſet. Vbi quod de volente arrorem introducere dicitur, intellige, ſi ea verborum mutatione hęreſim intanderet, mutata oimitum eadem verborum ſignificatione. Nam alioqui hæretica intenno mioiſtri non viciaret ſacramentum.

Portò nec tranſpoſitio verbotum per ſe formam viciat, velut ſi dicas: In patris, & filij & ſpiritusſancti nomina ta baptizo. Nequa atiam ſi perſonarum inter ſe ordinem conuerias irritus erit baptiſmus; quia etſi conuenicos ſit in prolatione ſeruari perſonarum ordinem ſecundùm originem, & grauiter peccat miniſter ſi ſecus faciat, non id tamen vidatur necaſſarium ex parte ſacramenti; quia perſonæ qoocunqua ordine nominatæ ſunt vnum efficieos principium in baptiſmo, & ſub ea ratione ibi nominantur. Verùm ſi ſententiam mutet tranſpoſitio, non iam cenſabitur retineri forma.

Occurrunt & aliæ mutationes circa formam, velut ſi dicas in noman patris &c. quæ mutatio non corrumpit formam. Nam in Græco accuſatiuus legitur, licèt in Syriaco ablatiuus habeatur. Quòd ſi dicas in nomina vel in nominibus patris & filij &c. Magiſter & S. Thomes, & plærique nihil effici volunt, eò quòd ſenſus corrumpatur diuidendo poteſtatem in Deo, quæ per nomen ſignificatur. Idque conforme aſt Ambroſio qui lib. 2. da ſacramentis cap. 7. dicit nos in vno nomine baptizari. Secus autem ſi dicatur in nomine patris & in nomine filij & in nomina ſpiritusſancti. Poteſt enim conuenienter vnum idẽque nomen omnium trium ter rapetitum intalligi, perinde atqoe ſi dicatur, in nomina Dei patris & Dei filij & Dei ſpiritusſancti; vbi non plures dij, ſed vnus Deus intelligeretur.

Poteſt etiam quæri an ratus fiat baptiſmus his verbis: Ego te baptizo in patre & filio & ſpiritusſancto, aut iſtis, in nomen patris, per filium, in ſpiritusſancto. Item ſi quis in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, & beatæ Mariæ, aut quartæ alicuius perſonæ baptizata ſe dicat, aut in fine addat inæqualium perſonarum. Primo modo ratus eſſa videtur, eò quòd ſeruetur expreſſa inuocatio Trinitatis, neque quicqnam errotis admiſceatur, niſi fortè quis putet Trinitatis vnitatem per nomen ſignificatam neceſſariò exprimendam eſſe; cuius quidem certa probatio nondum liquet. Secundo modo ratum non eſſa apparet ex miraculo aquæ diſparentis, quod refert Nicephorus lib. 16. cap. 35. Tartio quoque modo non eſt ratus propter adiunctionem erroris, quo præcedentium verborum ſententia ſubuertitur.

Denique ad dijudicandum da integritata formæ huius ſacramenti notanda ſunt verba concilij Florentini in decreto Armenorum; vbi poſt recitatam conſuetam in eccleſia Latina baptiſmi formam, ita ſubiungitur: Non taman negamus, quin & per illa verba: Baptizetur talis ſeruus Chriſti in nomine &c. val baptizatur manibus meis talis in nomine patris &c. verum perficiatur baptiſma, quoniam cùm principalis cauſa, ex qua baptiſmus virtutem hebet, ſit ſancta Trinitas; inſtrumantalis autem ſit miniſter qui tradit exterius ſacramentum, ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum cum ſanctę Trinitatis inuocatione, perficitur ſacramentum.

Iam verò da mutatione numeri in perſona dantis vel accipientis baptiſmum, quid ſit ſentiendum vidare eſt apud S. Thomam 3. quæſt. 66. art. 5. ad 4. vbi docat pluras non poſſe eſſa miniſtros ad vnum baptizandum; poſſe taman plures ſimul baptizari ab vno. Itaqua non poteſt dici: Nos te baptizamus, niſi forte numerus non pluralitatem baptizantium, ſed perſonæ dignitatam, vt interdum ſolet, ſignificat. Poteſt autem dici: Ego vos baptizo, ſi ob aliquam neceſſitatem pluras ſimul baptizandi veniant, quomodo baptizati leguntur infantuli comitis cuiuſdam Batauiæ tot numero quot ſunt dies in anno, quos omnes vno partu effuderat, vt eſt in annalibus Hollandiæ. Rationem aſſignat S. Thomas, quia licèt vnus ſit miniſter, ſinguli tamen ſuum accipiunt baptiſmum, & ſufficienter exprimuntur baptizandi in pronomina pluralis numari, quia, vos, non aliud eſt, quàm, te & te, vſque ad quemcunqua numerum.

§. 7. *Aquam veram & naturalem eſſe baptiſmi materiam.*

HVius ſacramenti materiam ſeu viſibile elementum aſſe aquam tam ax ſcripturis quàm ex perpetua & vniuerſali, eaque manifeſtiſſima traditiona conſtat. Scripturæ ſunt Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritusſancto &c.* Act. 8. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Et deſcenderunt vterque in aquam Philippus & eunuchus, & baptizauit eum.* Act. 10. *Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi &c.* Epheſ. 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo.* Hanc baptiſmi materiam præſignauit & promiſit apud Ezechielem Dominus cap. 36. dicens: *Effundam ſuper vos aquam mundam.* Ad quem locum alludit apoſtolus Heb. 10. his verbis: *Abluti corpus aqua munda.* Eandem ſignificauit aqua, quæ inſigni miraculo ex Chriſti latere profluxit, iuxta omnium patrum interpretationam. Quod myſterium diligenter obſeruatum eſt à Ioanne tum in euangelio cap. 19. tum in apiſtola 1. cap. 5. S.Thom. 3.p.q.66 art.3. & 4.

Portò veterum doctrina de bac re certiſſima eſt, vt nihil opus ſit ſigillatim eorum taſtimonia proferre, præſertim cùm toti antiquitati ſubſcribant duo Oecumenica concilia Florentinum in decreto de ſacramentis, & Tridentinum ſeſſ. 7. canone 2. de baptiſmo.

Requiritur autem aqua vera & naturalis, quemadmodum in vtroque concilio axpreſſum eſt, id eſt, aqua alementaris naturæ. Nec refert ad ſacramenti neceſſitatem vtrùm calida ſit an Frigida, pura an impura, aut quamcunqua aliam mutationem paſſa, dommodo ſpeciem ſeu naturam aquæ elementaris retineat. Nam & aqua ſalſa, qualis eſt marina ob permixtas exhalationes, & aqua per ci-

nires colata, quę lixiuium dicitur, & per sulphureas venas delata, in qua profectò multũ alienæ qualitatis, vt odoris, saporis, caloris seu virtutis calefactiuæ, & similium affectionum residere necesse est, idonea ad baptizandum materia esse potest. Quòd si natura ab elementari diuersa sit, quantamcunque alioqui cum ea similitudinem habeat, neque simpliciter aqua dicenda est, neque materia esse poterit huius sacramenti, cuiusmodi est, quæ distillatione ex floribus aut herbis colligitur; vel quæ ex fructibus arborum exprimitur, quæ non simpliciter aqua, sed cum adiuncto velut aqua rosacea aut violacea dicitur. Ex quo genere liquorum nihilo magis constare poterit baptismus, quàm ex succo de botris expresso, id est, ex vino. Est enim eadem ratio.

Quod autem ab alijs dicitur aquam baptismi debere esse simplicem, de ea simplicitate dumtaxat accipiendum quæ opponatur mixtioni physicæ, quæ nimirum speciem elementi tollit & corpus mixtum constituit. Non enim omnem mixtionem excludi, vel ex eo patet, quòd in solemni consecratione fontis chrisma infundatur aquæ, quod non fit sine aliqua mixtione. Et sanè difficillimum foret aquam reperire puram ab omni mixtione corporis externi, quandoquidem ipse philosophus testatur lib. 2. de generatione & corruptione nullum esse elementum omnino purum & simplex.

Neq; porrò mouere quemquã debet, quod refert Nicephorus lib. 3. cap. 37. à quibusdam christianis Iudæum quendam arenæ perfusione baptizatum, non sine miraculo diuinitus exhibito, quo probari videretur factum; nam vt ibidem narratur, Dionysius Alexandrinus episcopus re cognita, & ad ecclesiæ iudicium relata, iussit aqua deinde baptizari eum, qui sic baptizatus fuerat. Nam quod priùs gestum erat, ad baptismum flaminis, quem vocant, referendum intelligebat.

Ex his, quæ dicta sunt, manifestum est, quàm olim grauiter aberrarint Seleuciani (quorum meminerunt Epiphanius & Augustinus in opere de hæresibus) dicentes non aquam sed ignem esse baptismi christiani materiam, propterea quòd de Christo dictum sit à Ioanne: *Ipse vos baptizabit in spiritusancto & igni*, Matt. 3. Qui error inde facilè refellitur, quòd eum scripturæ locum nemo sanctorum patrum ad hunc modum intellexerit, sed vel de linguis igneis super apostolos delapsis in die pentecostes, vel metaphoricè de proprietate spiritussancti, qui instar ignis peccata consumit, corda inflammat, & mentes illuminat; vel de probatione ac purgatione futura in extremo iudicio, interpretati sint. Quo postremo modo ignem interpretantur Hilarius in commentario Matth. & Basilius cap. 15. de spiritusancto.

Non minùs absurdè sentiunt, qui contra omnem antiquitatem in ea sententia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. per aquam metaphoricè intelligunt mortificationem vel tribulationem, quomodo accipitur in illo psalmi versiculo: *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Cuius noui commenti author est Caluinus argumento petito ex eo quòd ignis in superiori sententia metaphoricè accipitur, vt modò diximus. Quibus respondendum est id nequaquam esse consequens. Primùm quia non sic Christi verba acceperunt apostoli, qui baptizare iussi omnes gentes, corporeo aquæ elemento ad exequendum Christi præceptum vsi sunt. Neque sic ecclesia vnquam intellexit, quæ quod ab apostolis accepit & didicit fideliter retinens aquam ex Christi præcepto semper adhibet ad baptizandum. Deinde & inter ipsas scripturæ sententias, quarum altera ignis, altera aquæ meminit, non leue discrimen apparet; cùm in priori ignis postponatur spirituisancto, in posteriori aqua præponatur. Ex quo datur intelligi ibi quidem ignis vocabulum adiunctum, tanquam eius quod antecedit determinationem, qua nimirum certa proprietas spiritussancti designaretur; hic verò aquam priori loco nominatam, ne per eam proprietas aliqua spiritusancto adiuncta intelligeretur, sed in significatione sua propria acciperetur. Vnde & Christus statim post illum cum Nicodemo habitum sermonem, vt facto doctrinam probaret, legitur in Iudæam digressus baptizasse. Ex qua re deinde orta est quæstio inter discipulos Ioannis & Iudæos à Christo baptizatos de purificatione, id est, baptismo, ita vt quæstionem ad Ioannem referrent eius discipuli, quemadmodum eodem 3. cap. narratur.

§. 8. *Quare in aqua institutus sit baptismus.*

BAptismum in aqua institui & non in alio quocunque liquore multas ob causas conueniens fuit. S. Tho. 3. p. q. 66. art. 3.

Primùm, quia baptismus est sacramentum omnibus & maximè necessarium, cui proinde ea materia congruebat, quæ esset vbique obuia & facillimè etiam absque precio posset comparari.

Secundò, quia sicut aqua mundat corpora & sordes abluit: ita baptismi sacramentum animam mundat, & ab ea peccatorum sordes abstergit. Hinc Paulo dictum est Act. 22. *Baptizare & ablue peccata tua.* Et Christus mundare ecclesiam suam dicitur lauacro aquæ. Ephes. 5. Et per Ezechielem Dominus ait. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis vestris.* Explicat hanc aquę significationem Ambrosianus commentarius in Rom. 6.

Tertiò, quia sicut aqua refrigerat, ita baptismus noxium ardorem concupiscentiæ temperat & restinguit. Præfigurauit hunc baptismi effectum nubes per diem obumbrans filios Israel in deserto Exod. 13. teste apostolo 1. Corinth. 10.

Quartò, quia sicut aqua sitim sedat corporalem, ita fons baptismi sanctorum desideriorum sitim explet spiritualem.

Quintò, quia cùm baptismus sit regenerationis sacramentum, congruentissimè celebratur in humido elemento, sine quo naturaliter non fiunt rerum generationes. Vnde & spiritus initio mundi ferebatur super aquas Genes. 1. id est, aquis incubabat ad rerum è terra subiacente germinationem & productionem.

Sextò, quia cùm baptismus sit illuminationis sacramentum Heb. 6. & 10. aptissimè fit in elemento contrectabili quidem sed tamen diaphano, quod lumen in se admittere possit.

Postremò, quia per immersionem, quæ fit in aqua, conuenienter repræsentatur mors & sepultura Christi, cui commoriuntur & consepeliuntur, qui baptizantur; sicut & per emersionem resurrectio & nouitas vitæ. Quam significationem vrget apostolus Rom. 6.

§. 9. Vtrùm

§. 9. *Utrùm trina immersio sit necessaria.*

S.Thom. 3.p. dist. q.66. ar. 8.

AD baptiſmi veritatem nihil intereſt, vtrùm ſemel an ſæpius immerſio fiat, dummodo ſemel tantùm forma proferatur. Neque verò pluralis merſio rebaptizatio eſt, quia vnius dumtaxat lotionis rationem habet, & tota actio à forma vnitatem accipit. Vnde Hieron. in Epheſ. 4. licet ter baptizemur propter myſterium Trinitatis, tamen vnum baptiſma reputatur.

Cæterùm ex præcepto eccleſiæ, vel ſemel tantùm, vel ter mergendus aut perfundendus eſt qui baptizatur iuxta conſuetudinem loci, cùm vterque numerus in celebratione baptiſmi ſuum habeat myſterium. Vnde Gregorius lib. 1. epiſt. 41. ad Leandrum epiſcopum Hiſpalenſem, & refertur à Gratiano de conſecrat. diſtinct. 4. De trina merſione baptiſmatis, inquit, nihil reſponderi verius poteſt quàm quod ipſi ſenſiſtis, quia in vna fide nihil officit ſanctæ eccleſiæ conſuetudo diuerſa. Ac deinde trinæ merſionis myſterium explicans docet per eam ſignificari & ſepulturam Chriſti triduanam, & reſurrectionem poſt triduum factam, & Trinitatem perſonarum in Deo. Vnica verò merſione ſignificari vult vnitatem diuinæ naturæ. Quibus addere poſſumus per vnicam merſionem etiam hoc aptè ſignificari, quòd Chriſtus ſemel mortuus eſt, & ſemel reſurrexit. Hanc enim ſignificationem ſpectauit apoſtolus Rom. 6.

Porrò ibidem monet Leandrum Gregorius, vt vnica merſione vtatur, idq́ue propter hæreticos Arianos, qui trina merſione vtentes diuinitatem diuidebant, id eſt, ea ceremonia ſignificari volebant non vnius & eiuſdem eſſe naturę filium & ſpiritumſanctum cum patre. Gregorij authoritatem ſecuta 4. ſynodus Toletana can. 5. primum cenſet ratum eſſe baptiſmum, ſiue trina, ſiue ſimplici merſione quis baptizetur. Deinde ne hæreticis qui tertiò mergunt, conſentire videatur, ſtatuit, vt in Hiſpania baptiſmus non fiat niſi vna merſione. Cuius rei myſterium ibidem quoque declaratur. Trinæ verò merſionis ſignificationem præter Gregorium explicant apud Gratianum & alia duo capitula, Poſtquam, ex Auguſtino, & Eodem modo, ex Hieronymo.

Quod autem habet canon 49. inter eos qui feruntur ſub nomine apoſtolorum: Si quis preſbyter aut epiſcopus non trinam merſionem vnius myſterij celebret, ſed ſemel mergat in baptiſmate, quod dari à quibuſdam iubetur in morte Domini, deponatur, non eſt ſuperiori doctrinæ contrarium. Non enim ibi ſimpliciter prohibetur ſemel immergi, ſed ita demum ſi fiat non expreſſa Trinitate, ſed tantùm in morte Domini. Qua forma quidam baptizandum docebant, propter illud fortaſſe, quod apoſtolus ait Rom. 6 *Quicunque baptizati ſumus, in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* Hunc enim ſenſum manifeſtè indicant ſubiuncta verba canonis. Non enim dixit nobis dominus: In morte mea baptizate, ſed euntes baptizate &c. Eodem modo intelligendum eſt decretum Pelagij papæ cap. Multi ſunt. apud Gratianum. Quod enim ibi allegatur præceptum euangelicum, non ad trinam immerſionem, ſed ad Trinitatis inuocationem referendum eſt, quia nec probatio ſubiuncta aliud conuincit & euangelium nihil habet de trina merſione, ſed tantùm de tribus perſonis. Neque tamen non rectè reprehenduntur, qui præter eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ſemel tantùm mergunt, vel ita id faciunt vt diuerſam aliorum conſuetudinem damnent. Cuiuſmodi aliquid in Cypriano notaſſe videtur Haymo à Magiſtro citatus paragrapho I. tametſi vbi ſic doceat Cyprianus, nondum apud ipſum inuenerim.

Denique ſciendum ſi trina fiat merſio, quod nũc tota ferè eccleſia ſeruat, ad ſingulas merſiones ſingula perſonarum nomina proferenda eſſe; ita enim fiet vt nulla merſio redundet, quia, vt ait in hac diſtinct. Bonauentura, non eſt completum ſacramentum, quouſque terminatum ſit verbum.

§. 10. *Qualis ablutio in baptiſmo requiratur.*

S.Thom. 3.p q 66 art. 7. q. 68. art. 11. ad 4.

CVm aqua ab vſu ſeparata neque baptiſmi ſacramentum conſtituat, neque animam mundet, quantumlibet conſecratione ad hoc præparata, ſed omnino ad ſubſtantiam & effectum baptiſmi vſus & applicatio elementi requiratur, quam applicationem generaliter lotionem ſeu ablutionem vocamus, quæritur vtrùm perfuſione, aſperſione, an immerſione ablutionem illam fieri oporteat. Ad quod iuxta Sanct. Thomam 3. quæſt. 66. art. 7. & Bonauenturam in hanc diſtinctionem alioſq́ue ferè conſentientes dicendum eſt ad ſubſtantiam baptiſmi ſufficere qualemcunque ablutionem hominis baptizandi, ſiue ea fiat immerſione, ſiue perfuſione, ſiue aſperſione; ac rurſum ſiue totum corpus aliquo horum modorum abluatur, ſiue pars eius aliqua tantùm. Quod de parte quacunque. docet idem S. Thomas 3. quæſt. 68. art. 11. ad 4. & in 4. diſtinct. 6. art. 1. quæſt. 1.

Quòd enim perfuſione perfici poſſit baptiſmus, ſignificare videtur illud Ezechielis 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam.* Legitur quoque in paſſione ſancti Laurentij Romanum attuliſſe ad Laurentium in carcere vrceum aqua plenum, quo ab eo baptizaretur, qui ſanè ad immergendum non ſufficiebat. Legitur item apud Nicephorum lib 5. cap. 7. Baſilidem quendam ſanctæ Potamienæ tortorem ad fidem conuerſum in vinculis ab alijs Chriſtianis aqua circumfuſum accepiſſe ſanctum baptiſma.

Eadem quoque de aſperſione ratio eſt. Nam quod apud Ezechielem legitur, *effundam,* 70. habent, *aſpergam* Quomodo & citat Hieronymus in epiſtola ad Oceanum 83. cap. 3. Et apoſtolus ad locum Ezechielis alludens, & baptiſmum ſignificans Heb. 10. ait: *Aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda.* Idem ex figuris veteris teſtamenti baptiſmum prænunciantibus intelligitur. Nam figura baptiſmi fuit mare rubrum, & nubes ſupra filios Iſrael expanſa teſte apoſtolo 1. Cor. 10. quibus tamen non immerſi ſed aſperſi tantùm fuere filij Iſrael. Similiter aqua luſtralis quæ aſperſionis, non immerſionis dicta eſt, de qua Exodi 24. Numer. 8. & 19 & alibi, baptiſmum præfigurauit.

Probatur deinde hic ablutionis modus exemplo apoſtolorum qui Act. 2. & 4 nunc tria milia, nunc quinque milia hominum vno die baptizaſſe leguntur, quos non eſt veriſimile propter multitudinem immergi omnes potuiſſe, ſed vel perfuſos vel aſperſos fuiſſe aqua. Præterea clarum huius rei teſtimonium extat apud Cyprianum lib. 4. epiſtola. 7. vbi quæſtione mota de his qui in lecto baptizantur,

A tizarentur, an huiusmodi sint legitimi Christiani, eò quòd aqua salutari non loti essent, sed perfusi vel aspersi, ita inter cætera respondet: Nec quemquam mouere debet, quod aspergi vel perfundi videntur ægri cùm gratiam diuinam consequuntur, quando scriptura sacra per Ezechielem prophetam loquatur & dicat: *Et aspergam super vos aquam mundam &c.* Deinde & duobus locis è libro Numerorum interpositis subiungit: Vnde apparet aspersionem quoque aquæ instar lauacri salutaris obtinere, & quando hæc in ecclesia fiunt, vbi sit & dantis & accipientis fides integra, stare omnia, & consummari ac perfici posse maiestate Domini & fidei veritate. Et B quæ sequuntur.

Porrò quamuis immersionis ceremonia & olim fuerit communior, vt patet ex communi patrum sermone quoties de baptismo loquũtur, & expressius repræsẽtet mortem, sepulturam ac resurrectionem Domini, simul & nostram, quæ mysticè fit in baptismo. Quam immersionis significationem diligenter vrgent patres, vt videre est apud Chrysostomum in illud Ioannis 3. *Nisi quis renatus &c.* & Augustinum tractatu 9. in Ioannem. Vnde & laudabiliorem esse immergendi ritum S. Thomas affirmat. Et olim Clinici, id est, qui in lectulis baptizabantur, vulgo malè audiebãt, quasi minùs ritè baptizati: C Vt ex epistola Cornelij ad Fabium, & ex Nicephoro lib 6. cap. 3. atque etiam ex Cypriani epistola modo citata perspici potest, multæ tamen rationes extiterunt, ob quas mutari interdum immersionem conueniebat in ceremoniam vicinam, effusionis videlicet, vel aspersionis, veluti propter multitudinem baptizandorum, vt in Actis, vel propter aquæ paucitatem, vel propter debilitatem ministri, qui puerum baptizandum sustentare non posset, vel propter teneritudinem, seu infirmitatem ipsius baptizandi seu infantis, seu adulti, cui ex immer- D sione posset imminere periculũ, vel propter impedimentum carceris aut vinculorum vel aliud quodcunque. Hinc igitur perfusionis ceremonia, tanquã inter aspersionem & immersionem media multum obtinuit. Quem morem refert Bonauentura iam tum suo tempore seruatum fuisse in ecclesijs Gallicanis, & alijs nonnullis, licet fateatur immersionis ritum & communiorem esse, & aptiorem & securiorem, quemadmodum etiam S Thomas docet loco suprà citato. Veruntamen vbicunque perfu- E sionis vel aspersionis ritus iam obtinet, priuata authoritate mutari non debet. Imò quoniam nunc passim obtinet per ecclesiam, in re tam necessaria ad salutem, non debet vllo modo in dubium reuocari, num valeat. Hoc enim esset tot infantium ecclesiastico ritu baptizatorum salutem velle dubiam reddere. Quod esset intolerandæ temeritatis.

§. 11. *Baptismi sacramentum quando fuerit institutum.*

S. Tho. 3. q. 66. ar. 2.

F De tempore instituti baptismi non vna est omnium sententia.

Quidam enim tunc Institutum volunt, quando Christus à Ioanne baptizatus est in Iordane, quomodo Magister sentit in textu, & post eum S. Thomas 3. quæst. 66. art. 2. Sumunt autem argumentum ex eo, quod patres dicunt, Christum, quando baptizatus est, contactu mundissimæ carnis suæ vim regeneratiuam aquis contulisse, atque ex eo tempore omnium peccata aquis abluisse. Hoc enim legitur apud Augustinum serm. 1. & 2. Do- A minicæ intra octauas Epiphaniæ, & apud Gratianum de consecrat. distinct. 4. cap. Nunquam aqua, & apud alios similia.

Alij tunc institutum censent, quando Dominus ad Nicodemum dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritusancto, non potest introire in regnum Dei.*

Alij denique institutionem eius in illud tempus reijciunt, quando Christus in cœlum ascensurus dixit discipulis: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris &c.*

Harum opinionum media cæteris probabilior B videtur. Nam Christus quando à Ioanne baptizatus est, non tam videtur suum baptismum instituisse (quandoquidem non suo, sed Ioannis baptismo lauabatur) quàm significationem quandam exhibuisse eius, quod in baptismo à se instituendo fieri deberet. Trinitatis enim repræsentatio facta voce patris super filium cum descensu spiritussancti in specie columbæ, significabat in nomine & virtute Trinitatis à peccatis purgandos esse & sanctificandos eos, qui baptismo Christi deinceps abluerentur. Quin & ipse Christus, cuius corpus lauabatur in Iordane, significabat ecclesiam, quæ est corpus eius, abluendam baptismo ipsius.

C Quod autem dicitur Christus contactu carnis suæ vim regeneratiuam aquis contulisse, non de vi aliqua insita & inhærente quæ omnibus aquis collata fuerit, est intelligendum, sed quod eo facto suo velut signo quodam Christus aquas ad hominum regenerationem ordinauerit, quemadmodum id declarat Bonauentura. At neque tunc demum dici potest institutum esse baptismum, quando Christus post resurrectionem iussit discipulis baptizare omnes gentes. Siquidem iam antè missi fuerant baptizare Iudæos durante adhuc baptismo D Ioannis vt patet Ioannis 3.

Quare omnino dicendum videtur, tunc baptismi sacramentum institutum fuisse, quando dictum est Nicodemo: *Nisi quis renatus &c.* Idque satis confirmat textus euangelicus. Dominus enim statim postea velut procedens ad executionem institutionis factæ, discipulos misit ad baptizandum. Ideoque non improbabile est etiam discipulos illi colloquio Nicodemi cum Christo interfuisse, vt qui ad baptizandum statim mittendi erant, baptismi institutionem à Domino priùs audirent. Intellexit hoc E modo Christi ad Nicodemum verba Bernardus epistola 77. ad Hugonem Victorinum, dum ita vocat præceptum vitæ, cæleste edictum, noui mysterij decretum etsi adhuc secretum, legem prolatam etsi nondum promulgatam, vbi & fatetur baptismi tempus ex eo cepisse, ex quo dictum est: *Nisi quis renatus fuerit &c.* licèt eius generalis obligatio tunc nondum ceparit.

Illud verò præceptum, quo post Domini resurrectionem iussi sunt apostoli baptizare omnes gentes, non primam baptismi institutionem continet, sed quod antè facere iussi erant apostoli in Iu- F dæa & erga Iudæos, tunc iussi sunt facere per omnes gentes, quemadmodum & de ipsius euangelij prędicatione. Atque hoc modo commodè intelligi possunt verba Leonis in epistola 4. cap. 3. Vbi dicit Dominum post resurrectionem demum tradidisse discipulis formam, & potestatem baptizandi cùm diceret: *Euntes docete, &c.* De quo vtique eos, inquit, etiam ante passionem potuisset instruere nisi propriè voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione cepisse. Quod autem 6. cap. eiusdem epistolæ dicit Christum tunc rege-

orationis potentiam sanxisse, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis & aqua baptismatis, non de tempore baptismi instituti accipiendum est, sed de tempore, quo comparatum est meritum, & persolutum precium, ex quo virtutem suam habet baptismus & cætera sacramenta.

§. 12. *Apostoli cuiusmodi baptismum dederint ante passionem Domini.*

S. Thom. vbi sup. QVod diximus apostolos ante passionem Domini baptizasse baptismo Christi, de quo dictum est: *Nisi quis renatus fuerit &c.* à nonnullis in dubium reuocatur, partim ob ea verba Leonis, quæ modò enuimus, partim ob alias rationes.

Primùm, enim putant nec ipsos apostolos baptismi sacramento fuisse ablutos, vti fatetur Tertullianus lib. de baptismo.

Deinde, Christus, inquiunt, nondū erat mortuus, & ita nondum poterat eius passio per baptismum efficax esse ad gratiam regenerationis.

Tertiò, quòd non fuerit verisimile eos baptizasse in nomine patris & filij & spiritusſancti, cùm Trinitatis personarum mysterium vsque ad id tempus occultum, necdum esset à Christo propalatum, sed demum post resurrectionem expresse declaratum, quando iussi sunt discipuli baptizare omnes gentes.

Quartò, Tertullianus lib. de baptismo Christi cap. 11. scribit apostolos Domini ante eius passionem non Christi, sed Ioannis baptismo baptizasse.

Quintò, Ambrosius in vltimum cap. Lucæ testatur apostolis post resurrectionem docendi & baptizandi tributam potestatem, non ergo eam priùs habuerant.

Sextò, Chrysostomus in Ioan. 3. homil. 18. non plus tribuit baptismo discipulorum, de quo ibi agitur, quàm baptismo Ioannis. Chrysostomum sequuntur Theophylactus & Euthymius in eundem locum scribentes.

Denique hanc opinionem sibi magis probari significat Melchior Canus lib. 8. locorum Theologicorum cap. 5.

Verùm vt huius opinionis argumenta non conuincunt: ita longè probabilius est, quod alij dicunt, nempe eo baptismo qui nouæ legis sacramentum est, apostolos etiam ante Domini passionem baptizasse.

Primùm, quia baptismus apostolorum Christi erat baptismus Christi. Quamuis enim Christus non per se baptizaret, sed per discipulos, quemadmodum scriptura testatur Ioan. 4. sic tamen loquitur eadem scriptura, vt Christum nihilominus baptizasse dicat Ioan. 3. & 4. Iam verò absurdum est Christi baptismum etiam ante eius passionem fuisse in aqua tantùm, cùm Ioannes inter suum & Christi baptismum disertè ita distinguat vt dicat: *Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos spiritusancto* Marci 1.

Secundò, quia vt suprà diximus, Christus statim post institutum suum baptismum ex aqua & spiritu regenerantem, misit discipulos ad baptizandum, Ioannis 3. priùs verò eos ad id munus misisse non legitur. Ex quo omnino apparet non alium baptismum eis à Domino commissum, quàm qui erat ab ipso paulò antè institutus.

A Tertiò, quia qui erant ab apostolis ante passionem Domini baptizati, non leguntur iterum baptizati, sicut de ijs, qui Ioannis baptismum acceperant, testatur scriptura Act. 19.

Quartò, Augustini hæc aperta doctrina est plurimis locis. Nam lib. de vnitate ecclesiæ cap. 21. vnum, idemque facit baptisma à Petro datum ante Domini passionem, & à Paulo post, & vtrumque Christi vocat baptisma distinctum à baptismate Ioannis. Similiter docet tract. 5. & 13. in Ioannem. lib. 3. de anima & eius origine cap. 9. in epistola 108. ad Seleucianam, & lib. 83. quæst. 62.

B Quin passim contra Donatistas inculcat post Ioannem fuisse rebaptizatum, non item post Iudam. Quod nimirum Iudas, qui non nisi ante Domini mortem baptizauit, non suum nec Ioannis, sed Christi baptismum dederit. Augustino consentire videtur Cyrillus in Ioann. 3.

Postremò, Magister & Magistrum secuti S. Thomas, Bonauentura & reliqui scholæ doctores huic sententiæ accedunt.

Igitur ad ea, quæ in diuersum obijciuntur breuiter est respondendum. Ac de primo quidem,

C quamuis dici possit non esse consequens, vt si quis non sit baptizatus, alios baptizare non possit, cùm ratum sit baptisma à quocunque collatum; expeditior tamen est Augustini sententia, apostolos priusquam ad baptizandum mitterentur à Christo fuisse baptizatos, quamuis id scriptura non expresserit. Neque tamen id omnino tacuisse scripturam putat, cùm legamus Dominum ad Petrum dixisse: *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus* Ioannis 13. Ita docet Augustinus in epistola ad Seleucianam & epistola 163. & lib. 3. de

D animæ origine cap. 9. Et in Ioannem ad illud: *Qui lotus est.* Ambrosius quoque explanās psal. 50. dicit Petrum, quem de amore Christus post resurrectionem interrogabat, iam antè fuisse baptizatum. Nec certè ab alio quàm ab ipso Domino. Neque obstat, quod Ioannes scribit Christum non per se baptizasse; hoc enim ita rectè accipitur, Christum ipsum non passim promiscuam plebem baptizasse, sed id opus commisisse discipulis priùs tamen à se baptizatis; non enim putandum est, quod suos discipulos suis manibus baptizare noluit, qui etiam ad pedes eorum lauandos sese dimisit.

E Ad secundum respondetur meritum passionis & mortis Christi etiam ad anteriora extendi. Vnde sicut circumcisio efficax fuit per Christi passionem, ita & baptismus ante eam datus. Nam & eucharistiam pridie, quàm pateretur instituit atque exhibuit Christus, etiam vt nouæ legis sacramentum.

Quod ad formam eiusdem baptismi attinet de qua tertium erat argumentum, putat Magister, Bonauentura & Adrianus apostolos tum etiam in nomine Trinitatis baptizasse, licèt non sit scriptum: Non ergo, inquit Magister, tunc illam formam prius Christus tradidit, cùm ad euangelizandum

F gentibus misit, sed quam antè tradiderat mittens eos in Iudæam pòst iterauit, cùm ad gentes misit. Neque tamen negandum est efficacem ad regenerationem esse potuisse illum baptismum institutione diuina, etiamsi Trinitatis mysterium propter aliquam causam tunc nondum placuisset aperiri.

De sententia Tertulliani non est vsque adeo laborandum quandoquidem & Chrysostomum & eius sequaces Theophylactum & Euthymium satis apparet in hac opinione fuisse.

Quod autem ex Ambrosio adfertur non aliud

conuin-

conuincit, quàm apostolos tunc primùm accepisse mandatum baptizandi omnes gentes, sicut & docendi, priùs enim vtrumque faciebant in solo populo Iudaico. Quod autem legitur in commentario illi ascripto ad Rom. 4. sub finem, eo baptismo, quem discipuli Christi administrarunt Ioannis 3. & 4. datam fuisse quidem remissionem peccatorum, sed sine spiritusancto neutiquam est probabile est, nisi fortè spiritumsanctum intelligat iuxta certum ac peculiarem effectum, quomodo datus est in die pentecostes, & datur fidelibus in sacramento confirmationis.

§. 13. *Baptismus quando primùm obligare ceperit.*

S. Thom. 3. p. q. 66 art. 2.

CVm ea sit ratio legis positiuæ, vt non nisi promulgata obliget, satisque constet baptismum non naturali, sed positiua tantùm lege diuina præceptum esse, consequens est ad eum suscipiendum non fuisse homines obligatos priusquam in hominum noticiam perduceretur, quod quidem promulgatione fieri solet. Quamuis enim renasci ex spiritusancto semper & omnino fuerit necessarium ad salutem, modus tamen renascendi, qui est per aquam, nō semper fuit necessarius, sed post factam ipsius institutionem, vim necessitatis accepit partim ea abolitione modi alterius, videlicet circumcisionis, qua de re proximo capite dicemus, partim ex manifestatione præcepti. Non igitur continuò postquam dictum est: *Nisi quis renatus &c.* putandum est omnes homines, vel certè omnes Iudæos, multoque minùs etiam infantes non potuisse in regnū Dei ingredi, quoniā non essent ex aqua regenerati. Deerat enim adhuc legi publicatio, quę etsi fieri fortasse cepit paulatim apostolis ante passionem Domini baptizantibus, ideoque & baptismum eius prædicantibus, non tamen statim sufficiens fuit ad hoc, vt lex iam promulgata censeretur. Quare ne tunc quidem, quando à Petro multitudini Iudæorum dictum est Act. 2. *Baptizetur vnusquisq; vestrum &c.* credendū est hanc baptismi legem fuisse sufficienter promulgatam, ne apud Iudæos quidem. Nam quod ibi dixit Petrus, innumerabiles alij Iudæi per orbem sparsi scire nondum adhuc poterant.

Dicendum igitur est tunc primùm generaliter baptismum obligare cepisse, postquam sufficiens facta fuit euangelij promulgatio, quemadmodum ex natura legis positiuæ facilè potest declarari, simul enim cum euāgelio prædicabatur lex baptismi velut ipsius euangelij pars. Vnde patres Tridantini concilij sess. 6. cap. 4. affirmant iustificationem post euangelium promulgatum sine baptismo, vel eius voto fieri non posse.

Tractat hanc quæstionem doctè & copiosè Bernardus epistola 77. ad Hugonem, vbi disserens contra quendam, qui docebat ex quo primùm à Domino dictum est: *Nisi quis &c.* neminem absque eodem percepto actualiter sacramento, vel eius vice martyrio, vllatenus potuisse saluari. Primò, inquit, de temporis præfixione durum nimis, austerumque videtur, vt videlicet verbum absconditum palam iam noceat, & ante iudea feriat quàm mineiur. Et paulò post vrgens legis positiuæ rationem ait: Valde iniustè exigitur obedirio, vbi non præcessetit auditio. Neque enim tale est hoc quod & absque promulgatione naturalis lex ignorare non fineret, quale verbi gratia illud est: *Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris.* Facticium enim magis quodammodo est, & non naturale mandatum. Et infrà: Quod ergo omnino sciri non poterat, si non audiretur, quo pacto quæso exigi debeat & antequam audiretur? Et post multa concludit quòd ex eo tempore tantùm cepit non baptizatus quisque noui præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad eius potuit peruenire noticiam. Ex qua Bernardi disputatione intelligitur, quod generalis obligatio huius præcepti comitata fuerit generalem eius promulgationem, particularis autem obligatio particularem eiusdem manifestationem, qualis facta fit Nicodemo, & discipulis Christi ante eius passionem. Quod ex eo satis apparet, quia Bernardus illam Domini sententiam: *Nisi quis &c.* legem, præceptum atque edictum vocat etiam adhuc absconditum, & secretum. Idemque probari videtur ex Augustino, qui epistola 108. ex eo quod dictum est: *Nisi quis &c.* probat etiam apostolos ante Domini passionem fuisse baptizatos. Porrò Bernardi sententiam libenter amplexus est Hugo Victorinus, quemadmodum patet ex lib. 2. de sacramentis.

§. 14. *Quando circumcisio cum cæteris legalibus cessauerit.*

SVperiori connexa est quæstio de tempore, quo circumcisionis, ac cæterorum legalium cepta fuerit abolitio. De qua controuersia inter egregios Doctores Hieronymum, & Augustinum non satis conuenit, vti monstrant eorum epistolæ apud Augustinum 8. 9. 11. & 19. Hieronymus enim duo tempora distinxit, alterum ante Domini passionem, quando legalia neque mortua erant, quoniam ad id vsque tempus & obligabant & expiabant, neque mortifera, quia non peccabant ea obseruantes. Alterum quod continuò secutum est passionem Christi, quando non solùm mortua, id est, virtute simul & obligatione repente destituta, verùm etiam mortifera, id est, obseruantibus perniciosa esse ceperunt. Ex quo vlterius contendebat apostolos nunquam à passione Domini legalia seruasse secundum veritatem, sed tantummodo per simulationem quandam piam ac dispensatoriam, ne videlicet Iudæis essent offendiculo, si ea saltem simulatè non obseruarent, atque ita eorum conuersio impediretur. Eam autem simulationem interpretabatur non quasi actus eiusmodi vere non facerent, sed quòd non facerent tanquam actus caremoniales veteris legis, velut si quis carnem præputij sui circumcideret non religionis causa, sed sanitatis, quod etiam hodie christiano liceret. Ac de simulatione quidem Hieronymus suos profert authores, Origenem, Didymum, Apollinarem & alios. Augustinus autem considerans quàm non decuerit apostolos ea propter scandalum occultare, quæ pertinent ad veritatem doctrinæ salutaris, & simulatione vel, vt Augustinus interpretatur, officioso mendacio vti in his, quæ spectant salutem fidelium, rectius putauit tria esse tempora distinguenda. Primum concorditer cùm Hieronymo ante Christi passionem, quando legalia adhuc neque mortifera erant, neque mortua: Alterum post tempus euangelij diuulgati, quando legalia & mortua sunt & mortifera: Tertium verò tempus medium, videlicet à passione Christi vsque ad euangelij diuulgationem. Quo tempore legalia mortua quidem fuerint, quòd

S. Tho. 1. 2. q. 103. art. 3. & 4.

Christi

A Christi morte abolita, neq; expiarent amplius, neq; obligarent, sed non mortifera. Nam eos, qui ex Iudæis ad Christum conuersi erant, censet licitè per id tempus ea potuisse obseruare, quo sic lex & synagoga à Deo institutionem habens cum honore velut ad sepulchrum duceretur, dum tamen ea necessaria non putarent, neque ab ijs iustitiam expectarent. Cæterùm ijs qui ex gentilitate conuerterentur ad Christum, quod eadem obseruationis causa non esset quæ Iudæis, perniciosa etiam tum fuisse; quia gentiles, quibus lex vetus data non fuerat, ad eam iam abrogatam & mortuam transferri non poterant absque detrimento veritatis fidei, B nam eo facto testati fuissent legem nondum esse extinctam, sed adhuc necessariam, vel saltem vtilem esse ad iustitiam, atque insuper Christum nondum aduenisse, sed adhuc expectari; quippe cùm legalis obseruantia non præteritorum commemoratio, sed figura & vmbra futurorum fuerit Coloss. 2. & Heb. 10. quam in Christo impletam cessare oportuit. Hanc Augustini sententiam de trina temporum distinctione, velut scripturis, & rationi magis consentaneam, posteriores omnes secuti sunt. Scripturis quidem, quia difficultates quasdam suborientes ex locis scripturæ in speciem pugnantibus C tollit ista distinctio. Nam Petrus Act. 15. non patitur legalia gentilibus imponi. Idem tamen Galat. 2. gentilium cibis abstinuit, Iudæus apud Iudæos, licet cum nonnulla offensione gentilium, quod in eo rectè Paulus reprehendit. Paulus verò Timotheum circumcidit, vtpote matre iudæa natum, & inter Iudæos adhuc versaturum Act. 16. & ipse iuxta legem purificatus est Act. 21. Sed idem Galat. 2. non est passus Titum gentilem circumcidi, ne veritati euangelij præiudicium faceret. Et cap. 5. contestatur Galatas dicens: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* D Iacobus quoque Act. 15. Petro consentiens non sinit inquietari iugo legis eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum. Et idem tamen Act. 21. Paulo fuit author, vt secundùm legem purificatus sisteret se sacerdoti leuitico. Sed & rationi congruit, vt medium illud tempus ab Augustino positum agnoscamus. Primò, quia lex à Deo instituta non subitò abrumpi, ac reijci debuit, velut mala & noxia, quomodo abijciendi statim erant ritus idololatrici, sed sensim minui, & honorificè ad tumulum duci eam oportuit, sic enim & Ioannes, qui legis typum gessit ait: *Illum oportet crescere, me autem minui.*

E Deinde quia neque natura, neque ratio sustinet repentinas mutationes in agendis præsertim.

Tertiò, ne videretur lex noua præcipitanter data, si momento veteri lege remota substitueretur.

Has rationes videre est apud Hugonem Victorinum lib. 1. de sacramentis. Tractant autem hoc argumentum doctè & solidè Augustinus epistola 19. ad Hieronymum. S. Thomas 1. 2. quæst. 103. art. 3. & 4. & Bonauentura in præsentem distinctionem, & Scotus item prolixè.

F Sed obijciet aliquis: Vetera legis sacramenta iuxta apostolum vmbræ erant futurorum. Et August. lib. 19. contra Faustum cap. 16. de significatione sacramentorum scribens ait: Iam non promittitur Christus nasciturus, passurus, resurrecturus, quod vetera sacramenta quodammodo personabant, sed annunciatur, quòd natus sit, passus sit, resurrexerit, quod hæc sacramenta, quæ à christianis aguntur, iam personant, igitur perniciosum erat etiam Iudæis seruare legalia mox à passione

A Christi, quia in religione iam falsum aliquid significabatur, nempe Christum passurum, qui passus erat, non passurus amplius.

In diuersum quoque obijcitur: Si mortua erant legalia continuò à passione Domini, peribant ergo quotquot vbique Iudæorum infantes ab eo tempore nati sine baptismo discederent, vt quibus circumcisio subuenire iam non posset.

Priori obiectioni respondemus, duobus modis intelligi posse Christum nasci, pati, resurgere, vel secundùm rem ipsam, vel secundùm manifestationem rei priùs factæ. Quamuis ergo iam natus, & B passus esset, atque à mortuis redux extitisset Dominus secundùm rei gestæ veritatem, quia tamen nondum ea veritas erat diuulgata, poterat interim adhuc vera legalium significatio retineri respectu manifestationis rerum significatarum: At manifestatione iam facta per sufficientem euangelij diuulgationem, cessare omnino legalia debuerunt, cessante videlicet omni modo vera significatione futuri.

Ad posteriorem respondet Scotus paruulis Iudæorum à passione Domini vsque ad diuulgationem euangelij pro remedio peccati originalis fuisse fidem parentum, sicut fuerat tempore legis naturæ. C Sed probabilius est, & positiuæ legis rationi congruentius, quod apud Bernardū legitur epistola 77. ad Hugonem. Hac enim de Iudæorum infantibus sibi proposita quæstione, tandem ita concludit: Satis profectò ex his apparet, quod damnatio non baptizatorum, & frustratio circumcisorum, & euacuatio sacrificiorum, quæ fortè contra originale peccatum ritus obseruabatur antiquus, generaliter iam tunc minimè cepit, quando Nicodemo clam dictum est: *Nisi quis &c.* Sed nec quando apostolis palam iniunctum est: *Ite & docete omnes gentes baptizantes &c.* sed ex eo tempore tantùm cuique cepit antiqua obseruatio non valere, D & non baptizatus quisque noui præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad eius potuit peruenire noticiam. Sanè paruulis, & necdum ratione vtentibus, quia sola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati præuaricatio, tam diu credendum est antiqua valuisse sacramenta, quamdiu palam interdicta non fuisse constiterit. An verò vltra, penes Deum est, non meum definire. Hactenus Bernardus. Iuxta quem fatendum est legalia, præsertim circumcisionem, quæ tamen non erat ex Moyse, sed ex patribus Ioannis 7. post Christi pas- E sionem vsque ad plenam euangelij promulgationem quibusdam Iudæis non tantùm licita, sed & vtilia fuisse, ijs nimirum, ad quos nouæ institutionis noticia nondum potuerat peruenire: paruulis autem eorum, quamdiu per sufficientem euangelij promulgationem non erant palam illicita. Quod non est contra tripartitam temporis distinctionem suprà positam. Nam medio tempore mortua quidem fuere legalia, non tamen omnibus, sed ijs, F quibus nouæ legis instituta manifestata prodesse iam poterant.



IN DISTINCTIONEM QVARTAM.

§. 1. *Baptiſmo conferri plenam omnium peccatorum remiſsionem.*

S.Tho 3. p. q 69. ar. 1. 2. 3.



DE effectis baptiſmi nunc agendum. Inter quæ primum habet locum remiſſio peccatorum. Qui quidem baptiſmi effectus ex ſcripturis & patribus apertiſſimè oſtenditur. Ait enim Petrus apoſtolus Act. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſsionem peccatorum*, & ſymbolum Conſtant. Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Quam peccatorum remiſſionem ipſe baptiſmus, id eſt, ablutio externa ſignificat. Hinc enim Paulo dictum eſt Act. 22. *Baptizare, & ablue peccata tua*. Et ipſe Paulus ad Corinthios 1. epiſtolæ 6. poſt enumerata aliquot grauia peccatorum genera, ſubiungit: *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis*, videlicet per baptiſmum. Et Heb. 10. baptiſmum notans ait: *Aſperſi eſtis corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda*. Itemque ad Epheſ. 6. Chriſtum dicit mundare eccleſiam ſuam lauacro aquæ in verbo. Hunc baptiſmi effectum clarè prænunciauit his verbis Ezechiel cap. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Et Zacharias 13. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ.*

Eſt autem hæc peccatorum remiſſio plena atque perfecta: plena quidam quia omnia peccata quantumuis multa & grandia condonantur: perfecte verò, quia vnumquodque eorum omnino & perfectè remittitur abſque pœnæ alicuius reſeruatione. Vtrumque docet Auguſtinus enchirid. 64. Baptiſmatis munus, inquit, contra originale peccatum donatum eſt, vt quod generatione attractum eſt, regeneratione detrahatur. Et tamen actiua quoque peccata quæcunque corde, ore, opere commiſſa inuenerit, tollit. Et addit baptiſmo fieri magnam indulgentiam, in qua ſoluatur omnis reatus & ingeneratus & additus. Et lib. 2. de peccatorum meritis cap. 28. Si, inquit, continuò poſt baptiſmum ſequatur ex hac vita migratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus quæ tenebant. Apud eundem lib. 14. de trinitate cap. 17. ſic legitur: In baptiſmo fit renouatio remiſſione omnium peccatorum. Neque enim vel vnum quantulumcunque remanet, quod non remittatur. Similiter Hieronymus in epiſtola 83. ad Oceanum, citans Ezechielem: Ab omnibus. inquit, mundabo vos ſordibus, in omnibus nihil prætermittitur. Vbi pro baptiſmo citat & illud Mich. 7. *Ipſe demerget iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra*. Et rurſum: Omnia noſtra, inquit, cum Chriſto mortua ſunt, vniuerſa chirographi veteris peccata deleta ſunt. Et Ambroſius præfatione in pſalm. 118. In baptiſmo, ait, ſtatim fit plena purgatio. Eſt quoque manifeſta huius rei doctrina in ſermone de ablutione pedum, qui habetur inter opera Cypriani, vbi docetur Baptiſmum ſic lauare hominem, vt nec actualis, nec originalis macula, aliqua ſui poſt ablutionem illam veſtigia relinquat. Idipſum verò ipſe Cyprianus in epiſtola ad Iubaianum ſæpe inculcat. Et paſſim in libris veterum huiuſmodi ſententiæ ſunt obuiæ, vbi de baptiſmi virtute ſermo incidit, neque de hac re vnquam fuit dubitatum. Vnde meritò concilij Florentini patres definierunt huius ſacramenti effectum eſſe remiſſionem omnis culpæ originalis, & actualis, ita vt morientes ante aliam culpam commiſſam ſtatim ad regnum cœlorum, ac Dei viſionem perueniant. Meritò denique à patribus concilij Tridentini ſeſſ. 5. can. 5 definitũ eſt, per gratiã, quæ in baptiſmate confertur, totum illud tolli, quod veram & propriam peccati rationem habet, ita vt nihil prorſus hominem ab ingreſſu cæli remoretur. Hinc fit, vt iuxta vetuſtiſſimam eccleſiæ conſuetudinem, cuius etiam meminit decretum Florentinum, nulla baptizatis imponatur ſatisfactio. Etenim gratia Dei, vt habet commentatius Ambroſ. in Rom 4. in baptiſmo non requirit gemitum, neque planctum, vel etiam opus aliquod, ſed ſolam fidem & omnia gratis condonat. Cæterùm hac de re circa diſtinct. 32. lib. 2. vbi de peccati originalis remiſſione agebatur, dicta ſunt quædam etiam huc pertinentia. Quo loco prætcrea oſtenſum eſt concupiſcentiam, quæ in baptizatis relinquitur, non eſſe peccatum, & proinde non obſtare, quo minus omnia peccata per baptiſmum plenè & perfectè remiſſa dicantur. Vnde calumnioſum illud eſt, quod Pelagiani quondam dicebant, catholicos docere baptiſmum non dare indulgentiam omnium peccatorum, nec auferre crimina, ſed radere, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Quod refellit Auguſtinus lib. 1. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 13.

§. 2. *Reſponſio ad quæſtionem de pœnalitatibus poſt baptiſmum relictis.*

S.Tho.3. p. q. 69 art. 3.

QVæritur quomodo per baptiſmum perfecta detur omnium peccatorum remiſſio, cùm nihilominus perferenda relinquantur, mors, fames, ſitis, fatigatio, morbi, atque aliæ huius vitæ miſeriæ, non adultis tantùm, verùm etiam paruulis, qui nullum adhuc propriæ actionis peccatum contraxerunt. Huius ſolutionem quæſtionis indicat Auguſtinus Enchiridij 66. his verbis: Magis propter futurum iudicium fit remiſſio peccatorum. In hac autem vita vſque adeo valet, quod ſcriptum eſt: Graue iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium, vt etiam paruulos videamus poſt lauacrum regenerationis diuerſorum malorum afflictione cruciari, vt intelligamus totum, quod ſalutaribus agitur ſacramentis, magis ad ſpem futurorum bonorum, quàm ad retentionem vel adeptionem præſentium pertinere. Et libr. 3. contra Iulianum capit. 6. Nonnullis, inquit, etiam paruulis iam renatis vel permanent, cum quibus ſunt nati,

vel accidunt huiusmodi mala, absit vt dicemus indignè. Sed hinc potissimùm intelligemus eis ad alterum sæculum prodesse, quòd renascantur, huius autem sæculi dispositionem propter vicium superbiæ hominis, per quod apostatauit à Deo, diuersis malis hominum peragi in iugo graui super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum &c. Ecclesiastici 40. sic Augustinus. Detur ergo per baptismum perfecta remissio peccatorum, etiam quoad pœnam, non quòd nulla huius sæculi, sed quòd nulla futuri, neque æterna, neque temporalis pœna soluenda remaneat, quodque omnino nihil relinquatur, quod hominem ex hac vita migrantem remoretur ab ingressu regni cælestis, quemadmodum suprà ex concilio Florentino, & Tridentino ostendimus. Nam quod in decreto Florentino dicitur, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur, remissionem in baptismo fieri, quo sensu dictum sit, ostendit quod sequitur: Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungende est satisfactio, sed morientes antequam aliquam culpam committent, statim ad regnum cœlorum perueniunt. Alibi quoque Augustinus ex eo docet plenam fieri remissionem in baptismo, quòd post hanc vitã nihil restet luendũ; vt lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20. & lib. 2. capit. 28. In eandem sententiam scribit lib. 6. contra Iulianum cap. 4. & lib. 21. de ciuit. cap. 14. & 15. Item in psal. 84. & tract. 79. & tract. 124. in Ioannem. Estque similis locus apud Eucherium in 2. Reg. 8. vbi sic ait: Salutis vnda à culpa primi parentis nos absoluit, sed tamen reatum eiusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus. Denique aperta est Prosperi ex Augustino sententia 148. Mors etiam piorum peccati pœna est. Neque ab his diuersum sentiunt Sanct. Thomas, & Bonauentura, quorum ille 3. quæst. 52. art. 5. ad 2. ita scribit: Fideles Christi liberantur per baptismum à reatu actualium peccatorum & à reatu originalis, quantum ad exclusionem à gloria, remanent tamen adhuc obligati reatu originalis peccati, quantum ad necessitatem corporaliter moriendi, quia renouentur secundùm spiritum, sed nondum secundùm carnem, secundùm illud Rom. 8. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem viuit propter iustificationem.* & 1. 2. quæst. 100. art. 8. ad 3. Deus est qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus iustis & iniustis pro peccato primi parentis. Bonauentura verò scribens in hanc distinctionem quæst. 2. Baptismus, inquit, absoluit ab omni pœna æterna, absoluit nihilominus ab omni temporali satisfactoria sine assumpta; non autem ab omni contracta, vtpote à fame, siti & infirmitate, & cæteris pœnis spiritualibus. Ratio autem huius est, quia Deus ad hoc, ipsum non ordinauit. Et huius ratio, quia congruum fuit, vt huiusmodi pœnalitates in nobis relinquerentur &c. Sic ille.

Dicet aliquis: Si manet adhuc pœna peccati originalis post baptismum; igitur sicut reconciliato, ita baptizato poterit iniungi satisfactio, præsertim cùm dicat apostolus 1. Corinth. 11. *Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur, dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Ex qua sententia apparet, quod etiam ad euitandas huius vitæ pœnas satisfactio rectè suscipiatur. Responsio. Quamuis interdum per iniunctam vel sponte susceptam satisfactionem euitentur etiam huius vitæ grauiora mala, attamen neque ordinarium id est, neque directè ad eum effectum ordinatur satisfactio, sed sicut ipsum pœnitẽtiæ sacramentum, ita satisfactio, quæ eius pars est, respicit futuri sæculi pœnas, quas ita Deus voluit esse in nostra potestate, vt eas satisfaciendo possemus euadere. Mortem autem & communes huius sæculi miserias constat eum immobili decreto voluisse relinqui, iuxta sententiam Ecclesiastici 40. suprà citatam, & illud apostoli *Statutum est hominibus semel mori.* Heb. 9. & illud eiusdem Rom. 5. *In omnes homines mors pertransijt.* Neque sententiam illam, qua primo homini dictum est: *Morte morieris,* & iterum: *Terra es & in terram ibis,* cuiquam hominum Deus relaxat. Confirmant hanc doctrinam, præter loca paulò antè annotata, quæ scribit Augustinus lib. 3. contra Iulianum cap. 6. & lib. 6. cap. 10. & lib. 2. de peccatorum meritis cap. 34.

§. 3. *Alterum baptismi effectum esse regenerationem.*

EX priore baptismi effectu, id est, remissione peccatorum, qua fit, vt à potestate tenebrarum baptizati eripiantur, profluit alter effectus, quo iidem transferuntur in regnum Christi, & adoptionem filiorum Dei, atque hæreditatem vitæ æternæ. Est autem regeneratio, quæ alijs nominibus, renouatio, iustificatio, sanctificatio vocatur, de qua apostolus Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritussancti.* Et 1. Corinth. 6. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis,* & Dominus in Euangelio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritusancto, &c.* vbi deinde huius renascentiæ rationem exponens ait: *Non mireris, quia dixi oportet vos nasci denuo. Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est.* His enim verbis docet Christus, quemadmodum ex sanguinibus & voluntate carnis, & voluntate viri, id est, ex concupiscentia carnali nascuntur homines carnaliter, vt videlicet ipsi sic nati, caro, id est carnales sint; ita ex spiritusancto per aquam homines renasci spiritualiter, vt videlicet ipsi sic renati, spiritus, id est, spirituales sint. Vocatur ergo hic effectus regeneratio simul, & renouatio, quia per eum in nouã vitam à priore diuersam homo primùm mutatur, & quodammodo gignitur, iuxta id quod Petrus ad baptizatos scribit 1. epist. 2. *Sicut modò geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite.* Sicut enim aliquid malè formatum reformatur, ita homo malè natus per baptismum renascitur & regeneratur, & quodammodo in alium hominem transmutatur. Vnde Leo serm. 14. de passione Domini dicit, quòd homo susceptus à Christo, Christumque suscipiens, non idem sit post lauacrum, qui ante baptismum fuit.

S. Tho. 3. p. q. 69

Consistit autem nouitas hæc, & regeneratio spiritus in iusticia, & sanctitate veritatis; vt apostolus ait, Ephes. 4. id est, in vera coram Deo iusticia, & sanctitate, per quam Christum induimus, eique conformamur, ac similes efficimur, per quam & in filios Dei, & hæredes regni asscribimur, atque adoptamur. Ita enim ad baptizatos loquitur apostolus Galat. 3. *Omnes filij Dei estis per fidem in Christo Iesu, Quicunque enim in*

Christo baptizati estis, Christum induistis. Et Rom. 8. *Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Sed & alibi docet idem apostolus, qua in renouitas vitæ consistat, dum eam contra vetustatem vitæ prioris distinguit. Sicut enim ad veterem hominem pertinent ea, quæ ipse enumerat Coloss. 3. fornicatio, immundicia, auaritia, & huiusmodi, quæ sunt velut membra quædam hominis ex carne nati: ita ad nouum hominem pertinet non nuda peccatorum remissio, sed virtutas, & sanctæ operationes vicijs, & peccatis illis oppositæ, velut quædam membra hominis ex spiritu renati.

Rectè igitur Augustinus lib. 6. contra Donatistas cap. 1. effectum huius sacramenti positum esse dicit in duobus, videlicet in liberatione à peccatis, & rectitudine cordis, quod nos alijs verbis diximus, in remissione peccatorum, & renouatione mentis. Quamuis autem hominem semel renatum, & iustificatum per omnem vitam oporteat, sicut dicit apostolus, renouari de die in diem, optimè tamen baptismus sacramentum renouationis vocatur, propterea quòd per eum inchoetur noua vita, in qua continuò crescere, & proficere hominem semel renatum oportet. Vnde Augustinus Enchiridij 64. Ab hac, inquit, indulgentia magna quæ fit in baptismo, incipit hominis renouatio. Et Prosper lib. 1. de vocationa gentium cap. 18. Origo veræ vitæ veræque iustitiæ in regenerationis est posita sacramento, vt vbi homo renascitur, ibi etiam ipsarum virtutum veritas oriatur.

§. 4. *Baptismo non conferri remissionem peccatorum absque interna renouatione.*

S. Thom. vbi sup.

QVamuis es dictis satis appareat grauiter eos errare, qui baptismo seu adultorum, seu paruulorum, id tantùm agi putant, vt chirographum peccati deleatur, non autem vt homo interius renouetur diuinæ gratiæ, & virtutum susceptione, quia tamen & hodie hæretici sola peccatorum remissione iusticiam hominis constare docent, & olim non defuerũt qui gratiæ effectum à baptismo saltem paruulorum escluderent, sola remissione peccatorum contenti, idcirco pluribus nunc probandum hanc absque interna mentis per gratiam renouatione nunquam baptizatis conferri, idemque erit iudicium de ijs qui reconciliantur, atque omnino ex impijs iustificantur.

Primùm illustris extat apud Chrysostomum in homil. ad Neophytos tomo 5. sententia, qua baptismi affectus ordine recenset his verbis: Benedictus qui fecit mirabilia solus, qui fecit vniuersa, & conuertit vniuersa, ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captiui, & ciues ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore, & iusticiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantùm sunt liberi, sed & sancti: non tantùm sancti, sed & iusti; non solùm iusti, sed & filij; non solùm filij, sed & hæredes: non solùm hæredes, sed & fratres Christi: nec tantùm fratres Christi, sed & cohæredes; non solùm cohæredes, sed & membra: non tantùm membra, sed & templum: non tantùm templum, sed & organa spiritus. Vides quot sint baptismatis largitates, & nonnulli deputant cælestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere. Nos autem honores computauimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus, cùm non sint coinquinati peccatis, vt eis detur, vel addatur sanctitas, iusticia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt sint eius membra. Hæc Chrysostomus, quæ totidem verbis recitantur ab Augustino lib. 1. contra Iulianum cap. 6. vbi & peccata, quibus coinquinatos negat paruulos, actualia interpretatur, cùm originale vnum sit, similis est Chrysostomi locus homil. 24. in Ioannem.

Augustinus verò lib. 1. de peccatorum meritis cap. 9. affirmat Christum dare fidelibus occultissimam sui spiritus gratiam, quam, inquit, latenter infundit & paruulis, haud dubiè quin in baptismo. Atque inde, velut certa sumptione, probat etiam originale peccatum internum esse, atque animam contagij instar afficere. Et lib. de gratia & libero arbitrio cap. 22. de infantibus, qui quando baptizantur, obluctari solent, & tamen, inquit, hæret etiam in reluctantibus gratia; ecce gratiam inhærentem. Idem epistola 23. de baptizato paruulo ita scribit: Semel perceptam Christi gratiam in baptismo paruulus non amittit, nisi propria impietate, si ætatis accessu tam malus euaserit. Et infrà: Offeruntur paruuli ad percipiendam spiritalem gratiam.

Et sanè si solam peccatorum remissionem tribueret baptismus absque interna gratia renouanta, frustra tot locis tam operosè disputaret Augustinus contra Donatistas de baptismi effectu, respondens non esse meliorem baptismum, qui per meliorem ministrum datur, quia vna hæc probatio suisset satis, quòd baptismus tantùm abluat à peccatis, quod cùm negatiuum, vel priuatiuum sit, plus, minusue participari non potest. Qua tamen probatione nusquam eum vsum legimus.

Huic autem patrum doctrinæ scriptura sacra clarum testimonium reddit, quæ baptismo non solùm tribuit mortem, & peremptionem peccati, sed & vitam iusticiæ: non solùm exuere veterem hominem, sed etiam induere nouum: Neque solùm carnalem esse desinere, verùm etiam fieri spiritualem. Loca sunt Ioannis 3. Rom. 6. Coloss. 2. & 3. Præterea apostolo teste Galat. 3. qui baptizantur, Christum induere dicuntur, non quomodo vestem quis induit extrinsecus tantùm sibi admotam, sed quomodo apud eundem apostolum legitur Coloss. 3. *Induite vos viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, &c.* & Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei, veritatem, iusticiam, fidem.* Christum ergo induit, qui baptizatur, quia per baptismum ea gratia donatur, qua Christo similis efficiatur. Hoc autem est, quod alijs verbis apertius dictum est Ephes. 4. *Induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iusticia & sanctitate veritatis.* Quod autem docet Augustinus lib. 5. contra Donatistas cap. 24. duobus modis homines Christum induere, aliquando vsque ad sacramenti perceptionem, aliquando vsque ad vitæ sanctificationem, non est huic expositioni contrarium. Extendit enim phrasim apostolicam etiam ad malos qui cùm obicem gratiæ opponant, sacramentum tamen, id est, characterem percipiunt, vt ex verbis eius sequentibus est manifestum, quæ etiam ad præsentis doctrinæ confirmationem faciunt. Vnde rectissimè definitum est à patribus concilij Tridentini sess. 6 capit 7. hominem in ipsa Iustificatione vnà cum remissione peccatorum

hæc

A hæc omnia simul infusa accipere per Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem; quippe cùm sine charitate, in qua & cæteræ virtutes ad salutem necessariæ comprehensæ intelliguntur, neque fides neque spes hominem perfectè Deo vnire, viuumque Christi membrum efficere possit.

Cæterùm pro pleniore catholicæ huius doctrinæ declaratione sciendum, pluribus modis intelligi posse, quod baptismo sola detur remissio peccatorum. Vno modo in adultis, si videlicet in ijs omnis renouatio mentis præcedere baptismum

B intelligatur per veram & sinceram ad Deum conuersionem, ita vt nihil sacramento relinquatur præter solutionem reatus. Cui opinioni suffragari fortassa videbitur quorundam catechumenorum singularis excellentia præ multis baptizatis, vsque adeo, vt & ad ponendam pro fratribus animam sint parati. Qua charitate maiorem nemo habet teste Saluatore Ioannis 15. Verùm hæc opinio sic breuiter refellitur. Aut enim eiusmodi catechumenus iam antè consecutus est peccatorum veniam solo baptismi voto, atque ita non ostenditur propositum, nempe

C baptismo aliquando nudam fieri peccatorum remissionem, quia remissio illa priùs facta virtute baptismi voto ac desiderio suscepti renouationem mentis secum coniunctam habuit. Aut fingitur præuiam rem insignem hominis renouationem sola ex baptismo subsequi remissio peccatorum. Quæ sanè imaginatio, vt bene dicit Leusæus, in diuinæ largitatis non paruam redundat iniuriam. Si enim spiritussanctus tantùm gratiæ contulit homini nondum inhabiteos, sed adhuc tantummodo sibi domicilium in eo præparans, absurdum sanè est, vt nihil gratiæ secum

D adferat iam veniens ad inhabitandum, atque ingrediens habitaculum sibi præparatum, quod fit, quando soluto reatu æternæ damnationis, homo efficitur templum Dei. Neque enim vacuum venire eum credendum est, aut deesse, quo inchoata munere augeat, perficiatque. Certè apostolus testatur per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritumsanctum effundi in nos abundè Tit. 3. Quod profectò de sola peccatorum remissione non diceret, que non tam confertur aliquid quàm aufertur. His adde quod excellentium catechumenorum exemplum trahi

E non potest in legem communem, quasi inde sit ostensum in omnibus adultis similiter rem habere.

Alio modo in omnibus tam adultis, quàm paruulis solam fieri peccatorum remissionem sic intelligi potest, vt nec ante baptismum, nec in ipso fiat interior hominis renouatio, sed tota, quæ priùs inerat, vetustate permanente, peccata præcedentia remittantur, id est, non imputentur. Quæ est huius temporis hæreticorum absurdissima doctrina.

F Tertiò in paruulis, si videlicet existimetur peccatum originale, quo solo paruuli rei tenentur, non esse aliud, quàm reatum, seu obligationem ad pœnam propter peccatum primi parentis, non autem inhærentem animo prauitatem. Quo dato non opus esset renouatione mentis, vbi reuera nihil esset vetustatis peccati, sed sufficeret reatum solui ex peccato primi hominis contractum. Sed hęc opinio veram peccati rationem in paruulis tollit, docens pœnam in eos transire sine culpa, quod iam olim in Pelagienis damnatum est, vti

A lib. 2, ostendimus. Fatendum igitur est sicut generatione contrahitur culpa simul & reatus: ita regeneratione culpam tolli per infusam gratiam, & reatum solui per indulgentiam omnium peccatorum.

§. 5. *Paruulis habitualem gratiam infundi per baptismum.*

DE effectu baptismi in paruulis fuit circa tempora Magistri variè disputatum, quemad- *S. Thom. 3 p. q. 69 ar. 6.*

B modum patet ea vltimo paragrapho huius distinctionis, & scholasticorum circa hunc locum quæstionibus. Quidam putarunt non infundi ijs gratiam & virtutes, sed tantùm imprimi characterem cuius virtute postmodum adulti gratiam, & virtutes consequerentur. Verùm quia character esse potest etiam absque remissione peccatorum, sine qua tamen non patet cuiquam aditus ad vitam, sequeretur ex ea opinione paruulos statim baptizatos, quòd solo charactere noteti essent, non posse salutem consequi. Quare explodenda omnino est hæc sententia.

C Alij quorum fit mentio in concilio Viennensi, dixerunt per baptismum paruulis remitti quidem peccatum, sed non infundi gratiam & virtutes. Sed & hæc sententia cum veritate catholicæ fidei non consistit. Nam remissio peccatorum, vt suprà ostendimus, non est absque renouatione interiori mentis. Renouatio autem hæc absque aliquo infuso gratiæ dono esse non potest. Deinde paruulus per baptismum verè iustificatur, atqui iusticie vera non consistit in sola remissione peccatorum, sed præterea requirit inhærentem menti bonam qualitatem, vt habet catholica doctrina. Vnde &

D illa quorundam magistrorum de circumcisione opinio, quòd per eam ablatum fuerit quidem originale peccatum, non tamen gratia collata, quæ & Lombardi sententia est distinct. 1. iure à doctoribus improbatur, propterea quòd sine gratia neque culpa deleri, neque ad æternam vitam perueniri possit. Ex quibus patet eorum sententiam tanquam veram & catholicæ fidei consentaneam prorsus tenendam esse, qui gratiam habitualem & virtutes paruulis in baptismo infundi docent. Pro cuius intellectu

Notandum est hanc quæstionem, vtrùm paruu-

E lis in baptismo præter originalis peccati remissionem, habitualis etiam gratia conferatur, virtutesque infundantur, etsi non quoad vsum, saltem secundùm habitum aliquem, an verò solus spiritussanctus inhabitans habituum huiusmodi locum suppleat, primùm problematicè fuisse disputatam apud scholæ Doctores. Vnde Magister eam in textu proponens non determinat, ac magis in negantem partem propendere videtur, ideo fortè, quod charitas quæ hominem Dei filium constituit, secundùm eum non sit habitus quispiam animæ

F inhærens, sed ipse spiritussanctus. Sed & Innocent. 3. extra de baptismo & eius effectu, cap. Maiores. de hac quæstione tanquam de problemate loquens: Illud verò, inquit, quod opponentes inducunt, fidem aut charitatem, aliasque virtutes paruulis vtpote non consentientibus non infundi à plærisque non conceditur absolutè, cùm propter hoc inter Doctores Theologos quæstio referetur, alijs asserentibus per virtutem baptismi paruulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri:

nonnullis dicentibus dimitti peccatum & virtutes A infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad vsum, donec perueniant ad ætatem adultam.

At postmodum in concilio generali Viennensi sub Clemente 5. pars quæstionis affirmatiua velut probabilior & doctrinæ patrum conformior recepta est & approbata. Concilij verba sunt ista: Quia quantum ad effectum baptismi in paruulis reperiuntur doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuisse, quibusdam dicentibus per virtutem baptismi paruulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri, alijs contra asserentibus, B quòd & culpa ijsdem in baptismo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad vsum: nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam quæ dicit tam paruulis quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis sanctorum, & doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem sacro approbante concilio duximus eligendam. Habetur hæc constitutio in Clementinis titulo de summa trinitate & fide catholica.

Tandem verò re adhuc diligentius examinata C in Tridentino concilio placuit eam simpliciter definiri. Nam sess. 6. cap. 7. generatim patres pronunciant charitatem in cordibus eorum qui iustificantur diffundi, atque ipsis inhærere & proinde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipere hominem per Christum fidem, spem, & charitatem &c. Et can. 11. damnant eos, qui asserunt homines iustificari sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per spiritumsanctum diffundatur, atque illis inhæreat. Item sess. 7. can. 7. D de sacramentis, ij damnantur, qui negant dari gratiam per sacramenta nouæ legis semper & omnibus, quantum est ex parte Dei. Et can. 6. de baptismo ijs anathema dicitur, qui baptizatum dicunt non posse, etiamsi velit gratiam amittere, nisi per infidelitatem. Qui canon præsupponit etiam paruulis gratiam dari. Neque ibi gratia intelligi potest remissio peccatorum. Hæc enim non rectè nec verè dicitur amitti, cùm remissionis gratia semel facta nunquam reuocetur.

Cæterùm non est existimandum dubitatum aliquando fuisse apud orthodoxos, an paruulus per E baptismum mente renouetur ac spiritualis efficiatur, vereque iustificetur non sola peccatorum remissione, sed ea iustitia quæ viuum Christi membrum ac Dei filium vita æterna dignum constituerer. Hæc enim vt suprà generaliter tam de paruulis, quàm adultis ostendimus, ex scriptura, patrumque doctrina manifestè probantur ita se habere. Sed de qualitate seu habitu gratiæ & virtutum inhærente potissimùm videtur agitata quæstio, quam tamen ipsam satis liquidè nunc definiuit synodus Tridentina. Pro qua definitione cum primis facit locus F Chrysostomi suprà recitatus, facit & Augustini locus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 9. & 19. & 20. & lib. de gratia & libero arbitrio cap. 22. & epistola 23. & 107. & alia quæ dudum citauimus. Sed præcipuè Prosperi illa sententia lib. 1. de vocat. gent. cap. 18. originem veræ iustitiæ in regenerationis sacramento positam esse, vt vbi homo renascitur, ibi etiam ipsarum virtutum veritas oriatur.

§. 6. *Ad quorundam obiecta responsio.*

ADuersus hanc doctrinam primùm obijci solet a. Thom. vbi sup. paruulos baptizatos postquam adoleuerint neque actu credere, neque alias virtutum operationes exercere, nisi de nouo edocti atque instituti fuerint, ideoque non esse verisimile virtutum habitus ijs dum baptizarentur, infusos fuisse, vtpote qui per se absque noua institutione nullo modo videantur in actus exire. Quod quidem de fide compertissimum est; nunquam enim actu credent ea quæ fidei sunt, vt Deum esse trinum, Christum pro nobis passum, & mortuū etc; huiusmodi, nisi ab aliquo audita & proposita. Vnde & apostolus Rom. 10. *Quomodo credent*, inquit, *ei quem non audierunt. Quomodo autem audient sine prædicante.* Vnde concludit: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*

Deinde profertur illud Hieronymi ex lib. 1. contra Pelag. Baptismus vetera peccata consciudit, nouas virtutes non tribuit.

Tertiò, quædam ex Augustino loca objiciuntur, quibus tradit baptizatos paruulos fideles vocari non à fide propria, sed vel à fide aliena, nimirum portantium, aut ipsius ecclesiæ, vel propter fidei sacramentum eis impensum, sic enim habet epistola 23. Cùm respondetur paruulus credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei sacramentum & conuertere se ad Deum propter conuersionis sacramentum. Et infrà: Itaque paruulum etsi nondum fides illa, quæ in credentiū volūtate consistit, iam tamē ipsius fidei sacramentum fidelem facit. Item lib. 1. de peccatorum meritis cap. 19. propterea fideles vocari dicit paruulos, quia fidem per verba gestantium quodammodo profitentur. Similia repetit cap. proximo & 33. In cap. autem 27. sic ait: Quis autem nesciat credere esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari? Alius locus est serm. 14. de verbis apost.

Harum obiectionum prima videtur potissimùm mouisse eos, qui baptizatis paruulis habitualem gratiam ademerunt, quòd non viderent quomodo in ijs quos nihil agere secundùm habitum constaret, habitus ratio salua consisteret. Quibus respondemus eas virtutes quas infundi paruulis ecclesia catholica docet non ea ratione habitus dici, quòd instar eorum habituum, qui frequenti operatione acquiruntur, animum ad agendum promptum & expeditum reddant; sed quòd sint qualitates quædam quiescentes ac sopitæ, quæ verè quidem constituāt paruulos habitu credētes, sperātes, diligētes, sed in actus suos exire non possint, nisi remotis impedimētis ætatis, & accedente externa per sensus institutione atque doctrina, quæ deficiente ac vanitate sæculi animum occupante, contingat eas vtpote tenuiter admodum inhærentes cito ac facilè deperdi. Quamquam verisimile est, si infans baptizatus moriatur, charitatem ei per baptismum infusam solam eum obiecti præsentia sufficere ad excitandum in anima separata charitatis actum. Nam fides & spes propter suam, quam includunt, imperfectionem, beatas animas non comitantur.

Porrò apostoli sententiam de actu fidei accipiendam ipse contextus declarat.

Hieronymus autem de ijs loquitur habitibus virtutum, qui promptè statim in actus procedunt.

Quod

Quod ex eo liquet, quia de adultis æquè atque de paruulis pronunciat, & contra eos differit, qui hominem baptismo ita renouari docebant, vt repente omni virtutum genere instructus deinceps sine peccato viuere posset, quod erat Pelagianorum dogma.

Augustinus denique fidei nomine passim non habitum, sed actum credendi intelligit, quem constat paruulis ratione nondum vtentibus inesse non posse. Ideoque huiusmodi Augustini loca valent ad refellendum Lutheri figmentum, qui paruulis in ipsa sacramenti susceptione proprium fidei motum contra sensum omnem humanum tribuere conatus est. Quod & alijs infinitis prope locis rectissimè negat Augustinus.

Sed quæres, cur igitur non dicit paruulos fideles vocari ab habitu fidei infuso? Respondeo ob id fortasse, quòd habitus nomen plus aliquid innuere soleat, quàm nudam & quiescentem qualitatem; includit enim philosophorum vsu promptitudinem & facilitatem agendi, quam constat paruulis non inesse. Vnde consultò Augustinus abstinuisse videtur vocabulo habitus. Et tamen ijsdem locis quæ ab aduersarijs obijciuntur, satis insinuat doctrinam catholicam. Cùm enim dicit non illam fidem, quæ in credentium voluntate, intellige actuali, consistit, paruulum facere fidelem, satis indicat aliam quandam fidem esse, à qua verè fidelis dici possit. Vnde circa initium eiusdem epistolæ dicit, quòd spiritus regenerans in maioribus offerentibus & paruulis oblatis communis est. Videtur autem fidem habitualem clarius agnoscere lib. 3. de peccatorum meritis cap. 2. his verbis: Sicut ergo eorum per quos renascuntur, iustitiæ spiritus, traijcit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt; sic eorum per quos nascuntur, caro peccati traijcit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt. Et sicut eos vitæ spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus mortis in Adam generauit peccatores. Quæ verba significant paruulos sicut internum ac propriè dictum contrahunt peccatum nascendo; ita internam ac veram fidem concipere renascendo.

§. 7. *De alijs quibusdam baptismi effectis.*

S.Tho.3. p.q.69. art.5.

BAptismo præter remissionem peccatorum & renouationem mentis, etiam illuminationis effectum scriptura tribuit, quamquam illa pars quædam est renouationis. Sicut enim ad veterem hominem pertinet non solùm peccatum, verùm etiam ignorantia & tenebræ: ita ad nouum non tantùm sanctificatio per gratiam, verùm etiam illuminatio per fidem. Vnde baptizati Heb. 6. illuminati vocantur iuxta expositionem ferè omnium veterum, & similiter Heb. 10. in ijs verbis: *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati &c.* Et passim apud vetustiores baptismum illuminationis sacramentum appellatum legimus, vt apud Dionysium ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 2. Clementem Alexandrinum lib. 1. pædagogi cap. 6. Nazianzenum oratione in sanctum lauacrum, Epiphanium in hæresi Catharorum, Ambrosium lib. 2. de pœnitentia cap. 2. Atque etiam Ioannem Damascenum lib. 4. de fide cap. 10.

Rationem huius appellationis indicant scripturæ, quia per baptismum eripuit nos Deus de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij sui,

A nosque dignos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. Coloss. 1. *Et de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum.* 1. Petri 2. Et rursum Paulus ait Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino, vt filij lucis ambulate.* Hinc Augustinus in sermone quodam ad competentes: Certatim, inquit, accedite, & illuminamini, estis enim adhuc in tenebris, & tenebræ in vobis. Eritis autem lux in domino, qui illuminat omnem hominem venientem in mundum. Et tract. 44. in Ioannem disserens de cæco nato, per quem vult intelligi totum genus humanum præuaricatione primi hominis

B ab ipso ortu suo per infidelitatem excæcatum. Si enim, inquit, cæcitas est infidelitas, & illuminatio fides, quem fidelem, quando venit Christus, inuenit? Quo etiam loco docet sicut cæcus ille etsi prius à Christo inunctus non prius lumen recepit, quàm lauaretur in natatoria Siloë: ita hominem etsi cathecumenum non priùs accipere lumen fidei, quàm baptizetur. Ait enim de catechumenis, vtique iam credentibus, festinant ad lauacrum, si lumen inquirunt. Quæret igitur aliquis, quomodo lumen inquirunt, qui

C iam credunt? Cui respondemus, quamuis omnis christiana fides lumen quoddam sit mentis humanæ, non tamen quamlibet fidem nomine luminis commendari in scriptura & à patribus, sed eam demum, quæ charitatem habet coniunctam, quæque per charitatem operatur. Hanc enim fidem, vt patres concilij Tridentini loquuntur sess. 6. cap. 7. ante baptismi sacramentum ex apostolorum traditione catechumeni ab ecclesia petunt, cùm petunt fidem vitam æternam præstantem.

Confirmant hanc luminis acceptionem & alia

D scripturæ loca, potissimùm verò Ioannis apostoli, cuius hæc sunt verba 1. epistolæ 1. *Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem*, id est, charitatem, *habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.* Et cap. 2. *Tenebræ transierunt, & verum lumen iam lucet. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc.* Quem locum citans Augustinus epistola 110. ad Honoratum: Si odium tenebræ sunt, inquit, lux ergo animorum charitas est. Et idem apostolus subinde negat eum nosse Deum, qui Deum non diligit. Ex quibus colligitur lumen quo mētes hominum imbuuntur per baptismum vel esse ipsam charitatem,

E quæ fide destituta esse non potest, vel fidem per charitatem operantem. Vnde præterea liquet illuminationem, quæ baptismi effectus est, vel ipsam esse mentis renouationem, vel saltem eius partem.

Porrò alios quosdam baptismi effectus Chrysostomus longo ordine enumerat in homil. ad Neophytos, cuius verba suprà recitauimus. Sunt autem istiusmodi: Libertas à seruitute peccati, mortis, & diaboli, adoptio filiorum Dei, hæreditas regni, fraternitas Christi. Item esse membrum Christi & ecclesiæ, esse habitaculum, tēplum, organum spiritus-

F sancti &c. Sed hi effectus omnes partim in remissione peccatorum, partim in renouatione mentis continentur.

Non solùm autem suprà dicti effectus ex hoc sacramento percipiuntur; verùm etiam de ijsdem adeptis sequitur bona confidentia, & velut securitas quædam, quæ parit bonam, tranquillam & pacatam conscientiam. Atque hunc baptismi effectum indicasse videtur Petrus 1. epist. 3. dicens baptismū esse bonæ conscientiæ interrogationem in Deum, quasi velit baptismum id esse, per quod fidei professione & sacramenti susceptione quæri-

mus & adipiscimur bonam conscientiam coram Deo. Indicat & Paulus Heb. 10. his verbis: *Aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda*, Eundemque effectum Rom. 5. vocat pacem ad Deum, seu cum Deo. Hinc & chattras, quam confert baptismi regeneratio non tantùm esse dicitur de corde puro, sed etiam de conscientia bona. 1. Timoth. 1. nimirum propter conscientiæ pacem & tranquillitatem, quam secum adfert renouatio quæ fit in baptismo. Exemplum huius rei in Augustino habemus, qui l.b. 9. confessionum cap. 4. de seipso nondum renato ita scribit: Fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptismum tum remissa necdum erant. Et cap. 6. de seipso iam renato: Et baptizati sumus, inquit, & fugit à nobis sollicitudo vitæ præteritæ. Nec mirum est hunc effectum baptismo tribui, quando & sacramento pœnitentiæ, in quo non omnis pœna remittitur, eum tribuit synodus Tridentina sess. 14. cap. 3. dicens reconciliationem cum Deo interdum in viris pijs, & cum deuotione sacramentum illud percipientibus conscientiæ pacem ac serenitatem cum vehementi spiritus consolatione consequi solere.

§. 8. *Qua ratione baptismo tribuatur omnis sequens renouatio.*

S.Thom. dist. 3. p. q. 69.

SVnt apud Augustinum aliquot loca, quibus baptismi sacramento tribuit non solùm renouationem præsentem, quæ videlicet in ipsa fit susceptione sacramenti, verùm insuper omnem eam hominis sanctificationem, quæ postea sequitur vsque ad perfectam animi & corporis salutem, qualis per resurrectionem expectatur. Primus locus est lib. 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 33. & 34. Vbi cùm dixisset eadem regeneratione, quæ nunc fit per sacrum lauacrum vsque in finem cuncta mala hominis purgari atque sanari, hanc subijcit illius suæ doctrinæ probationem. Sic enim accipiendum est, quod ait apostolus: *Christus dilexit ecclesiam & semetipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet sibi ipse gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi.* Sic, inquam, accipiendum est, vt eodem lauacro regenerationis & verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanantur; non solùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur; non vt baptisma quoties peccatur, toties repetatur: sed quia ipso quod semel datur fit vt non solùm antea, verùm etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Et initio capitis proximi: Non solùm, inquit, omnia peccata, sed omnia prorsus hominum mala christiani lauacri sanctitate tolluntur, quo mundat ecclesiam suam Christus, vt exhibeat eam sibi non in isto sæculo, sed in futuro non habentem maculam &c.

Alius locus est lib. 6. contra Iulianum cap. 13. vbi de baptismi gratia disserens: Gratia, inquit, perfectè hominem nouum facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatem plenamque fœlicitatem ipsa perducit. Et infrà: Sed ad illam quoque perfectionem quæ speratur, eodem baptismata, A quod hic accipitur, peruenitur. Et cap. 18. Baptisma totius fit causa sanitatis, per quod & incipitur omnis nouitas, & impletur.

Rursum alius est locus in epist. 50 ad Bonifacium comitem vbi sic habet: Quicquid ab eis, qui post acceptum baptismum hic viuunt, infirmitate humana contrahitur quantumcunque culparum, propter ipsum lauacrum dimittitur. Similia sunt loca lib. de peccato originali cap. 39. & 40. & lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3.

Abutuntur autem huiusmodi sententijs hæretici, vt doceant sola baptismi recordatione per fi-B dem remitti omnia peccata, quæ post baptismum committuntur, & omnē subsequentem renouationem sic asse baptismo tribuendam vt nullo alio sacramento sit opus. Quam doctrinam disertè damnauit synodus Tridentina cau. 10. sess. 7. de baptismo.

Respondendum igitur est & ad locum apostoli Ephes. 5. & ad Augustini loca, baptismo rectè tribui omnem mundationem & sanctificationem hominis subsequentem vsque ad statum gloriæ, eo modo quo natiuitati & his quæ nascendo à parentibus accepimus, tribuitur & acceptum fertur subsequens corporis incrementum, robur & perfe-C ctio virilis, & morborum sanatio, quæ tamen nec statim, nec absque externis adminiculis prouenitunt. Natura enim seu naturales facultates initio acceptæ hæc operantur quidem, at non absque nutrimento, motu, arte medica & similibus. Imò & mortuum quempiam à Christo resuscitatum rectè dixeris vitam parentibus debere, tametsi hoc vitæ reuocatæ beneficium propria ratione Christo debeat. Ad hunc igitur modum baptismo tribuitur posteriorum peccatorum remissio, & spiritualis vita per pœnitentiam recuperata, & omnis fructus D operum sequentium; quia & per baptismum prima vita data fuerat, & nisi baptismus præcessisset, nullus essat eorum quæ postea adhibentur fructus aut effectus, quemadmodum in corpora humano nulla esse potest per pharmacum sanitatis operatio, nisi natura ipsa simul operetur. Imò nec vita restituitur per miraculum, nisi quæ prius inerat per naturam.

Hoc modo seipsum explicat Augustinus cap. 33. lib. 1. de nuptijs: Quid enim prodesset, inquit, vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus se-E queretur, vel postea nisi præcedaret? In ipsa quoque dominica oratione, quæ quotidiana est nostra mandatio quo fructu, quo effectu diceretur: *Dimitte nobis debita nostra*, nisi ab ais qui baptizati sunt diceretur? Itemque eleemosynarum largitas &c. Et lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7. Quapropter, inquit, & in baptismata dimittuntur cuncta peccata, & per ipsum lauacrum aquæ in verbo exhibetur Christo ecclesia sina macula & ruga, quia nisi essat baptizata, infructuosè diceretur: *Dimitte nobis debita nostra*. Et in apist. 50. post verba in obiectione posita sequitur: Neque anim F aliquid prodest non baptizato dicere: *Dimitte nobis debita nostra.*

Denique omnia illa Augustini loca quæ probant sacramenti reconciliationis necessitatem, de quo alibi agendum, ostendunt Augustinum non aliter, quàm eo quo diximus modo intelligendum esse. Huic interim loco sufficiat adtecisse quod apud eum est in epist. 23. ad Bonifacium, vbi cùm ageret de paruulo baptizato, qui per ætatis accassum propria actione malus sit futurus ait: Tunc enim etiam propria incipiet habere peccata, quæ

nouo regeneratione auferentur, ſed alia curatione ſanentur. Manifeſtum eſt igitur Auguſtinum huiuſmodi ſententijs non excludere ſacramentum pœnitentiæ, neque ſacerdotis abſolutionem aut claues eccleſiæ, ſed ſalutarem & neceſſarium vſum baptiſmi per omnem vitam hominis Christiani commendare voluiſſe.

§. 9. *An effectus baptiſmi ſit in omnibus æqualis.*

S. Tho. 3. q. 69. art. 8.

QVæſtio hæc, vtrùm æqualem in omnibus effectum producat baptiſmus, intelligenda eſt de effectu gratiæ renouantis hominem, non autem de charactere, de quo non dubitatur, quin ſicut deleri non poteſt, ita nec augeri poſſit nec minui. At neque de remiſſione peccatorum; hæc enim cùm plena & perfecta ſit in omnibus, æqualem eam eſſe oportet, quantum eſt ex virtute baptiſmi, vt qui omnia deleat peccata quæcunque inuenerit. Vnde Damaſcenus lib. 4 cap. 10. peccatorum remiſſionem omnibus æquè per baptiſmum donatam eſſe teſtatur, tametſi inæqualis dici poteſt hic effectus ex conditione ſuſcipientium, non quidem ob maiorem vel minorem diſpoſitionem præſentem, id eſt, fidem vel deuotionem, ſed quòd non æqualiter omnes peccatis ſint onerati, cùm eorum alij ſolum habeant peccatum originale, alij etiam actualia adiecerint vel plura vel pauciora.

Eſt igitur ſenſus quæſtionis vtrùm omnes tam paruuli, quàm adulti percipientes effectum gratiæ ex hoc ſacramento eum percipiant æqualem. Quod quidem ita eſſe videtur oſtendi primùm authoritate, deinde ratione. Cyprianus enim lib. 4. epiſt. 7. adducta ſimilitudine mannæ quæ ab omnibus æqualiter, videlicet ad menſuram gomor colligebatur, Exodi 16. docet Chriſti indulgentiam & cæleſtem gratiam, quæ per baptiſmum datur, æqualiter omnibus diuidi. Et mox addit: Planè eadem gratia ſpiritalis, quæ æqualiter in baptiſmo à credentibus ſumitur, in conuerſatione atque actu noſtro, poſtmodum vel minuitur vel augetur; vt in euangelio dominicum ſemen æqualiter ſeminatur, ſed pro varietate terræ aliud abſumitur, aliud in multiformem copiam vel triceſimi, vel ſexageſimi, vel centeſimi numeri fructu exuberante cumulatur. Et quæ ſequuntur.

Auguſtinus quoque lib. 3. contra Creſconium Grammaticum cap. 6. de baptiſmi effectu loquens: Per miniſtros diſpares, inquit, Dei munus æquale eſt, quia non illorum, ſed eius eſt. Et epiſt. 48. Quamuis non per æquales daretur, quia tamen Chriſti erat baptiſmus, eis quibus dabatur, æqualiter proderat. Cuiuſmodi & aliæ ſententiæ apud eum reperiuntur in libris contra Donatiſtas editis.

Ratio verò hæc adferri poteſt. Effectus baptiſmi magis pendet à conferente, quàm à ſuſcipiente, quemadmodum generaliter effectus quicunque magis dependet ab efficiente cauſa, quàm à materia. Atqui miniſtrorum inæqualitas nihil facit ad inæqualitatem effectus baptiſmi, vti ſuprà ad 1. diſtinct. oſtendimus, quare nec inæqualis diſpoſitio ſuſcipientium quicquam faciet.

Tractans hanc quæſtionem S. Thomas 3. quæſt. 69. art. 8. duplicem diſtinguit effectum baptiſmi, alterum per ſe, alterum per accidens. Per ſe quidem cum ad quem baptiſmus eſt inſtitutus, nempe regenerationem hominum in vitã ſpiritua-

A lem. Per accidens verò ad quem non eſt inſtitutus, licet diuina virtus eum interdum in baptiſmo operetur, qualis eſt liberatio à lepra vel alio corporis morbo, vel à dæmone corporaliter obſidente, cuius meminit Cyprianus in epiſtola ſuprà citata; vel extinctio fomitis, de qua Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 39. Non hoc præſtatur, inquit, in baptiſmo, niſi fortè miraculo ineffabili creatoris, vt lex peccati quæ eſt in membris prorſus extinguatur. Quæ eius verba relata ſunt in gloſſam ordinariam ad illud Rom. 6. *Vt vltra non ſeruiamus peccato.* Hu-
B ius ergo poſterioris generis effectus manifeſtum eſt non æqualiter percipi ab omnibus baptizatis, etiam pari deuotione accedentibus, ſed diſpenſantur huiuſmodi ſecundùm occultam rationem prudentiæ diuinæ. Effectum autem prioris generis æqualiter percipiunt omnes, qui æqualiter ſe habent ad baptiſmum. Vnde, inquit, S. Thomas, quia omnes pueri æqualiter ſe habent ad baptiſmum (non enim in fide propria, ſed in fide eccleſiæ baptizantur) omnes æqualem effectum percipiunt in baptiſmo. Adulti verò qui per propriam fidem ad ba-
C ptiſmum accedunt, non æqualiter ad eum ſe habent. Alij namque maiori, alij minori cum deuotione accedunt, quo fit vt alij plus, alij minus participent gratiæ renouantis. Ea res ſimilitudine ignis declaratur; qui licet quantum in ipſo eſt, æqualiter ad omnes ſuum calorem diffundat, plus tamen caloris ab eo percipiet, qui ad eum propius acceſſerit. Huic doctrinæ fauet ſententia Ioannis Damaſceni lib. 4. cap. 10. vbi ſic ait: Peccatorum remiſſio omnibus æquè per baptiſmum donata eſt, gratia verò ſpiritusſancti ſecundùm diſpoſitionem fidei &
D puritatis.

Cæterùm hic quæri poſſet, an ſicut propria deuotione quis magis appropinquat, ideoque plus gratiæ percipit: ita etiam aliena, velut dum plures vel meliores, Deoque gratiores pro vno quàm pro alio orant, vt gratiæ per baptiſmum particeps fiat. Quod ſi conceditur de adultis, videtur etiam de paruulis concedendum, ſicut concedit Scotus, licèt eius ſententiam improbet Dominicus à Soto, qui tamen non videtur neceſſario aliquo argumento Scoti opinionem deſtruere. Nihil enim prohibet quo minùs alicui auctior à Deo gratia conferatur propter merita vel orationem alterius,
E etiamſi ipſe actuali deuotione ad talem effectum non concurrat, quandoquidem & prima gratia conuerſionis ſeu bonæ voluntatis ſimili modo detur etiam auerſis & malè operantibus.

Ad id quod ex Cypriano adducebatur, reſpondemus eum loqui de æqualitate gratiæ quæ eſt ex parte baptiſmi, præueniendo diuerſitatem diſpoſitionis eorum qui baptiſmum ſuſcipiunt. Agit enim contra eos qui Clinicos, id eſt, in lectulis ob infirmitatem baptizatos, negabant habendos eſſe legitimos Chriſtianos tanquam baptiſmi gratiam non plenè conſecutos.

F Auguſtinus verò ex parte miniſtrorum duntaxat imparitatem baptiſmi negat, nõ autem ex parte ſuſcipientium. Neque ſimilis vtrorumque eſt ratio. Licet enim baptiſmus & quodcunque ſacramentum magis à miniſtro dependeat, ad hoc vt ſit ſacramentum; ad hoc tamen vt effectus ſit maior vel minor magis dependet à ſuſcipiente, tanquam à materia, quæ magis minuſue ad effectum diſponitur.

Portò quod hic de baptiſmi effectus æqualitate dictum eſt, ad cætera ſacramenta ſimiliter accom-

modari

modari potest. Est enim hæc doctrina sacramentis omnibus communis.

§. 10. *In suscipiente baptismum, quæ intentio necessaria.*

S. Tho. 3. p. q. 68. art 7 & 12.

Qvamuis nulla in infantibus baptizandis intentio requiratur, propterea quòd rem intentionis, quàm fidei defectum in ijs ad totum baptismi effectum consequendum abundè suppleat mater ecclesia, itaque idem iudicium de amentibus, qui rationis vsum nunquam antè habuerunt; aliter tamen sentiendum de adultis ratione vtentibus. In his enim ad veritatem baptismi siue ad characteris susceptionem omnino necessaria est intentio suscipiendi baptismum, non tantùm vt est lotio quædam in genere, sed vt talis qualem frequêtet ecclesia. Cuius ratio accipi potest ex ijs, quæ de intentione ministri dicta sunt ad 1. distinctionem. Ita namq; se sua sacramenta Christus instituit, vt humanis actionibus perficerentur tam ex parte suscipientis quàm administrantis. Vnde sicut in ministro faciendi, ita in eo cui ministratur suscipiendi id quod fit in ecclesia, requiritur intentio.

Ex quo consequens est eum, qui omnino inuitus & repugnans, atque adeo reclamans per meram violentiam fuerit immersus, non esse verè baptizatum. Eos verò qui plagis, minis, terroribus, vel simili quacunque ratione compulsi acquieuerint, vt baptizarentur, quoniam voluntas ijs modis ad assentiendum inducta est, verè esse baptizatos; ideoque & compelli posse deinceps ad obseruantiam christianæ religionis, quemadmodum eos compelli volt concilium Toletanum 4 can. 55. his verbis: *Qui autē iam pridem ad christianitatem venire coacti sunt, quia iam constat eos sacramentis diuinis associatos, oportet vt fidem etiam quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur.*

Extat super hac quæstione rescriptum Innocentij 3. cap. Maiores, extra de baptismo & eius effectu, vbi eorum opinionē, qui dicunt non solùm dormientibus & amentibus, verùm etiam inuitis & contradicentibus sacramenta conferri quantum ad characterem, hac primùm obiectione refellit; quòd qui fuissent inuiti & reluctantes immersi, saltem ratione sacramenti ad iurisdictionem ecclesiasticam pertinerent. Vnde ad seruandam regulam fidei christianæ forent rationabiliter compellendi, quod est religioni christianæ contrarium, vt semper inuitus & penitus contradicens ad recipiendam & seruandam christianitatem aliquis compellatur. Deinde quæstionem ipsam ita absoluit: Propter quod inter inuitum, & non inuitum, coactum & non coactum alij non absurdè distinguunt; quòd is qui terroribus atque supplicijs violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, talis, sicut & is qui fictè ad baptismum accedit, characterem suscipit christianitatis impressum, & ipse tanquam conditionaliter volens, licèt absolutè non velit, cogendus est ad obseruantiam fidei christianæ. In quo casu debet intelligi decretum concilij Toletani. Et infrà: Ille verò, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti; quia plus est expressè contradicere, quàm minimè consentire: sicut nec ille notam alicuius reatus incurrit, qui contradicens penitus & reclamās thurificare idolis cogitur violenter. Dormientes autem

A & amentes, si priusquam amentiā incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, si fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti; secus autem, si priùs catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Vnde tales in necessitatis articulo consueuit ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem. Hactenus verba decreti. Cuius authoritate potissimùm nituntur scholastici doctores, vt intentionem, seu,
B vt Innocentius loquitur, propositum suscipiendi baptismum necessarium esse doceant. Vnde S. Thomas 3. quæst. 68. art. 7. ad 2. Si adulto, inquit, deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus. Similiter docet art. 12. ad 3. Eadem Scoti, & Durandi ad hanc distinctionem doctrina est, nec non Bonauenturæ tam ad præsentem, quàm ad sextam huius libri distinctionem scribentis.

Nonnulli tamen propter extremam clausulam dicti decreti, negant intentionem eiusmodi necessariam esse, satis esse putātes, si sacramentū non inueniat obicem contrariæ seu actu repugnantis vo-
C luntatis. Vnde Caietanus sufficere putat indifferentiam voluntatis, cuiusmodi est in homine infideli dormiente, qui de baptismo christianorum nihil vnquam audiuit. Sed hanc opinionem imprimis euertit ratio Innocentij, qui censet cogi posse ad obseruantiam fidei christianæ omnem eum, qui baptismi characterem susceperit. Quod sanè dici non potest de homine infideli nullo suo consensu inter dormiendum baptizato. Deinde Innocentius alijs eiusdem sui rescripti verbis satis apertè consen-
D sum & propositum suscipiendi baptismi requirit. Quocirca postrema clausula ex præcedentibus supplenda est, & ex negatione intelligenda affirmatio opposita, videlicet voluntas non repugnans, sed consentiens, licèt non actu.

§. 11. *Quarundam obiectionum dilutio.*

S. Thom. locis suprà citatis.

Aduersus hanc doctrinam pauca quædam opponi solent.

E Primum, quod ait Augustinus tractatu. 26. in Ioannem: Accipere quisquam potest sacramentum nolens, credere non potest, nisi volens.

Secundum, quod idem lib. 7. contra Donatistas cap. 53. dubitat de eo qui mimicè vel iocularitorè baptismum suscipit, sitne verè baptizatus & in affirmatiuam partem magis propendere videtur.

Tertium, quod idem lib. 4. confessionum cap. 4. de suo quodam amico refert eum cùm facta Manichæus esset, atque in morbo lethali sine sensu iaceret à medicis desperatus, à catholicis qui ade-
F rant, baptizatum, mox vt ad se rediit virtute baptismi quem nesciens susceperat, verè fidelem & catholicum affectum, pristino errori renunciasse, & paulò pôst è vita migrasse.

Quartum, quod concilium Florentinum in decreto Armenis præscripto ad perfectionem vniuscuiusque sacramenti præter materiam & formam solam ministrantis requirit intentionem, nulla suscipientis facta mentione.

Sed ad hæc ita respondemus. Prima Augustini sententia non de eo agit, qui merè per vim

cogitur,

A cogitur, sed qui terrore, vel minis inductus baptismum suscipit, quomodo quidam cogi solent interdum vt ecclesiam, vel sacras conciones adeant. Nam & illud exemplum ibidem ab Augustino positum est. Qui autem sic coguntur non eos esse prorsus inuitos, neque carere intentione suscipiendi sacramenti suprà ex Innocentio ostendimus.

Alter locus Augustini testatur quidem eum qui fallaciter accipit sacramentum, verè accipere his verbis: An plus valent ad confirmandum sacramentum illi veraces inter quos agitur, quàm ad frustrandum illi fallaces à quibus agitur, & in quibus agitur? Et tamen si postea prodatur, nemo B repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur. Et paulò pòst: Non dubito etiam illos habere baptismum, qui quamuis fallaciter id accipiant, in ecclesia tamen accipiunt, vel vbi putatur esse ecclesia ab eis in quorum societate accipitur. Sed ijs sententijs fallacem Augustinus intelligit non respectu baptismi sed præparationis, cum videlicet quem fictum dicere solemus, de quo non dubitat Innocentius pronunciare quin accipiat characterem. Cæterùm de C baptismo mimicè vel ioculariter dato & accepto, nihil ibidem Augustinus definit. Quod tamen postea re diligentius expensa, sicut de dante definitum est, ita de accipiente pari ratione statuendum videtur.

Ad tertium locum responderi potest in eo qui sic nesciens baptizatus fuit, prius aliquando apparuisse voluntatem suscipiendi baptismum, quemadmodum putat S. Thomas 3. 68. art. 12. ad 3. Quæ tamen responsio si minus probatur, eò quòd Augustinus, vti verbis sequentibus indicat, D putauerit illum derisorium fuisse baptismum quem mente & sensu absentissimus perceperat, quodque Manichæi teste Augustino hæresi 46. negét baptismum esse ad salutem necessarium, neque quemquam suorum baptizent, poterit & aliter responderi; nempe Deum extraordinariè ac præter communem institutionis suæ legem ibi aliquid operatum fuisse, vt videlicet talis qui neque baptismum petiuerat, neque sana fide imbutus erat, adhibita lotione mystica verè baptizatus esset, atque insuper recta fide & mentis renouatione donatus, cùm alioqui certum sit adultus non aliter, quàm E cum fide & syncera mentis conuersione accedentes baptismi fructum percipere. Quare fatendum etiam in hoc homine adulto mirabiliter & singulariter id contigisse, quod in paruulis communi lege fieri credimus, quibus per baptismum etiam ipsa fides & bona voluntas inseritur. Nisi fortè quis dicat cor eius latenter in illo morbo priusquam baptizaretur diuinitus tactum fuisse, vt & baptismum ex animo cuperet, & catholicæ fidei lumen aspiceret, licèt propter morbi vim nemini id indicare potuisset. Certè de Genesio histrione etiam per baptismum mimicè datum & susceptum repente in alium hominem mutato, & mox martyre F effecto manifestum, & huic non dissimile exemplum extat in martyrologio ad diem 25. Augusti, sed vt dici solet, priuilegia paucorum non faciunt legem communem.

Ad postremum respondetur Florentinum concilium ea dumtaxat tradere voluisse, quæ generaliter ad omnium sacramentorum substantiam requiruntur. Iam verò suscipientis intentionem constat alicubi non esse necessariam, vt in eucharistiæ sacramento, & in baptismo & confirmatione paruulorum. Aliàs verò semper & in omnibus necessaria est. Vnde hæc doctrina de intentione suscipientis similiter ad alia sacramenta, excepto vno eucharistiæ sacramento accommodanda est, potissimùm verò ad ea, quæ characterem imprimunt, ad quem effectum ex parte suscipientis sola dicta intentio sufficit. Faciunt ad huius doctrinæ declarationem ea quoque quæ circa 1. distinctionem de intentione ministri sacramentorum dicta sunt.

§. 12. *De ijs qui fictè seu indignè baptismum suscipiunt.*

DVm quæritur vtrùm & quando baptismi effectum percipiat, qui ad baptismum fictus accesserit, fictus dicitur non qui monstrat se velle id suscipere quod in ecclesia datur, reuera tamen id suscipere non intendit. Hic enim ne characterem quidem sacramenti suscipit, sed is qui exterius se gerit tanquam ritè dispositum ad suscipiendum sacramenti fructum, videlicet per fidem & synceram mentis conuersionem, cùm tamen eo modo non sit dispositus, vtpote vel fidem nondum tenens, vel adhuc in affectu peccati mortalis constitutus. Cuiusmodi indignè ad baptismi sacramentum accedere dicitur, tametsi indignè accedens latius pateat, quia malus nihil simulans sed apertè profitens se nolle malam vitam relinquere, indignè non fictè accedit. Taliter autem fictus si baptizetur, characterem haud dubiè suscipit, vt ex superiori cap. constat, sed propter obicem infidelitatis vel malæ voluntatis gratiam & peccatorũ remissionem non accipit, quemadmodum in textu rectè probat Magister §. B.

S. Tho. 3. p. q. 69. art. 9. & 10.

Quæritur ergo quando talis postea conuersus effectum baptismi consequatur, vtrumne statim recedente fictione per synceram cordis ad Deum conuersionem, an verò demum per sacramentum reconciliationis.

Et primùm quidem videri potest eum simpliciter non posse adipisci baptismi effectum, quia ordinaria Dei lege non datur effectus baptismi nisi in ipso baptismo, qui cùm repeti non possit impossibile videtur, vt quis eius fructum postea consequatur, quem cùm baptizaretur, non est consecutus.

Quod autem statim recedente fictione consequatur effectum, probari videtur ex Augustino lib. 1. contra Donatistas cap. 12. vbi sic ait: Sicut in illo qui fictus accesserat, fit vt non denuò baptizetur, sed ipsa pia correctione & veraci confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, vt quod antè datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit &c. Quæ verba magis ad sensum quàm ad literam etiam apud Gratianum leguntur de consecrat. distinct. 4. cap. Tunc valere, nec non apud Magistrum in textu, quamuis glossa decreti non baptismo qui iam transijt, sed cordis contritioni putet effectum esse tribuendum.

Eidem sententiæ fauet, quod eodem loco legitur apud Gratianum cap. Ab antiqua ex Gregorio. Ibi enim testatur pontifex ab antiqua patrum institutione manasse, vt qui in hæresi baptizati fuerint aut vnctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris ecclesiæ reuocentur. Et mox subiungit: Quia sanctum baptisma, quod apud hæreticos sunt consecuti tunc in eis vires emundationis recipit, cùm illi vel per impositionem manus spiritum sanctum accepe-

rint, vel isti propter confessionem veræ fidei, sanctæ & vniuersalis ecclesiæ visceribus sunt vniti. A

Rursum Augustin. lib. 3. contra Donatistas cap. 13. de baptismo in hæresi vel schismate accepto scribens ait: Tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cùm ad ecclesiæ pacem venerint, non vt iam dimissa non retineantur, neque vt ille baptismus quasi alienus aut alius improbetur, vt alter tradatur, sed vt ibidem ipse qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem. Et lib. 6. cap. 25. Deus ipse sanctificat sacramentum suum vt homini siue antequam baptizatur, siue cùm baptizatur, siue postea quandoque ad se veraciter con- B uerso idipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem nisi conuerteretur, valeret.

Accedit & ratio. Baptismus enim regeneratio quædam est, dum autem generatur quippiam, simul cum forma suscipit effectum eius proprium & naturalem, nisi quid obstet, quo obstaculo remoto statim eundem effectum consequetur, sicut lapis continuò dum generatur deorsum mouetur, nisi quid externum impediat, quo postea sublato statim cadet: Ita qui baptismum suscipit, gratiam consequitur vel in ipso baptismo, vel si fictio impediat, mox vt ea per veram conuersionem amota C fuerit.

Item baptismus propriè institutus est ad delendum originale peccatum, quemadmodum testatur Augustin. in Enchirid. 64. & concilium Florentinum in decreto Armenis dato, neque vlli alteri sacramento nouæ legis eum effectum patres aliquando asscripserunt. Cùm igitur originale peccatum adulto non dimittatur sine actualibus, consequens videtur, vt non per pœnitentiam, sed per baptismum, sublata fictione fiat omnium remissio.

Cæterùm pro diuersa sententia hæc adferri pos- D sunt.

Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 12. videtur ad sacramentum reconciliationis reijcere effectum baptismi per fictionem frustratum. Dicit enim tunc prodesse tali homini baptismum ad remissionem peccatorum, quando reconciliatus vnitati sacrilegio dissensionis exuitur. Et post verba superius in alteram partem producta ita continuò subijcit: Sic etiam iste, qui baptisma Christi in aliqua hæresi aut schismate accepit, cùm se correxerit, & ad ecclesiæ societatem, vnitatemque venerit, E non iterum baptizandus est; quia ipsa reconciliatione ac pace præstatur, vt ad remissionem peccatorum eius in vnitate iam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat. Vbi videtur Augustinus reconciliationis & pacis nomine sacramentum absolutionis designare. Alius locus est lib. 7. contra Donatistas cap. 53. Si, inquit, postea prodatur (nempe fallaciter quempiam ad baptismum accessisse) nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur. Vbi rursum eam pœnitentiam, quæ sanat virtute clauium, videtur F intelligere, quia excommunicationis meminit, quæ similiter fit potestate clauium.

Videtur autem & ratione probari. Nullum enim peccatum mortale post baptismum dimittitur, nisi per sacramentum pœnitentiæ, præsertim si peccatum illud in baptismo, vel etiam post baptismum commissum fuerit. Atqui fictio & baptismi tempore erat, & post baptismum aliquamdiu perseuerauit, & alia fortè post baptismum peccata mortalia accesserunt. Quare horum remissio non

A videtur spectanda nisi ex sacramento pœnitentiæ.

Vt ad hanc quæstionem probabilis adferatur responsio, distinguendum est inter peccata, quibus obnoxius est homo baptizatus, tunc quando fictionem deponit, & syncerè ad Deum conuerti incipit. Quædam enim baptismum præcesserunt, vt originale & actualia nonnulla, quædam verò vel coniuncta erant baptismo, vel eum secuta sunt, vt fictio, & si quæ alia postmodum peccata accesserint.

Imprimis igitur dicendum videtur, talem non accipere effectum baptismi, id est, cum gratia re- B nouante remissionem peccatorum, nisi in ipso pœnitentiæ sacramento propter rationes suprà positas. Non enim vnum mortale peccatum remittitur absque alio; neque quod post baptismum commissum est, virtute baptismi remitti potest. Veruntamen in ipsa sacramentali absolutione quædam peccata remittuntur virtute baptismi antea suscepti, ea videlicet quæ baptismum præcesserant, tunc enim tollitur impedimentum quod prohibebat, quo minus remitti possent, videlicet reatus fictionis & aliorum postea commissorum. Vnde & illa non necessariò sunt confitenda sacerdoti, neque pro ijs iniungenda est satisfactio, quia perfectè re- C mittuntur tam quoad pœnam, quàm quoad culpam. Alia verò, id est, quæcunque baptismum fuerunt secuta, remittuntur virtute clauium per absolutionem sacerdotis. Vnde tam ipsa fictio quàm peccata postmodum commissa per confessionem detegenda sunt sacerdoti, & pro ijs congrua satisfactio est imponenda.

Hoc igitur pacto tam authoritates, quàm rationes in vtramque partem allatæ conciliari possunt. Non enim August. dicit statim fictione recedente baptismum operari in homine remissionem D peccatorum, sed id fieri per veram confessionem; qua videlicet ministro ecclesiæ fictionis suæ peccatum detegens ad pacem & reconciliationem admitti petit. Quod autem virtuti baptismi eam remissionem totam asscribit Augustinus, eo sensu id accipiendum, quo alibi idem ipse omnem sequentem renouationem baptismo tribuit. Qua de re suo loco diximus.

Gregorius autem de solemni ceremonia, qua recipi solent ab hæresi vel schismate redeuntes loquitur, quæ non vna seruabatur apud omnes, & E sine qua Deo per pœnitentiam reconciliari non poterant. Vbi tamen notandum non Gregorij 1. sed 2. vel 3. esse illud decretum, quia Monothelitarum meminit, qui Gregorio 1. fuerunt posteriores.

Neque postremò obstat, quòd baptismus tunc non existat quando fit illa præcedentium peccatorum remissio, quia baptismus, cùm non tam virtute inexistente, quàm assistente operetur, etiam postquam esse desijt, ad effectum suo modo, id est, tanquam signum efficax cooperari potest, maximè cùm non omnino transierit, sed secundùm a- F liquid permaneat, nempe secundùm characterem, de quo nunc aliquid adijciendum est.

§. 13. *Baptismi characterem esse indelebilem & quomodo definiatur.*

SVprà cùm de sacramentis in genere ageremus, ostendimus esse quædam sacramenta chara- S. Tho. 3. p. q. 63. art. 5. q. 63. ar. 8.

ctarem

cterem imprimentia, quorum primum est baptismus. Quo etiam loco ex concilijs & patribus sed potissimùm ex Augustino sententias produximus, quibus hoc ipsum peculiariter de baptismo confirmatur. Hunc quoque sacramentalem effectum, non sicut gratia renouans & sanctificans, amitti posse, sed perpetuum atque indelebilem esse tam authoritate quàm ratione probauimus. Quod quidem ita intelligendum est, vt nullo scelere, nulla impietate, nulla defectione, ac ne quidem post hanc vitam in ipsis damnatis hoc spirituale signum semel animæ impressum deleatur vnquam. Sicut enim regale signum monetæ impressum manet, etiam inter hostes & peregrinos atque à rege remotissimos: ita signum hoc Christi animæ rationali per baptismum impressum permanet etiam in ijs qui castris Christi relictis & fide negata tenentur sub potestate diaboli. Qua similitudine vtitus Augustinus lib. 2. contra epistol. Parmeniani cap. 13. sicut & altera de charactere militari, ita subiungens: An fortè minùs hærent sacramenta christiana, quàm corporalis hæc nota? cùm videamus nec apostatas carere baptismate, quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse iudicatur &c.

Idem lib. 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 10. alia à coniugali vinculo ducta similitudine vtens: Inter viuentes, inquit, manet quoddam vinculum coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis, sicut apostatæ anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit. Redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens; habet autem hoc qui secesserit ad cumulum supplicij, non ad meritum præmij. Quibus in verbis notandum quod dicit Augustinus lauacro regenerationis accipi sacramentum fidei, qui sermo ineptus videbitur, nisi per sacramentum fidei intelligamus aliquid distinctum ab ipso regenerationis lauacro, nimirum characterem transacto lauacro permanentem. Neque enim vult Augustinus ipsum lauacrum permanere, ac nunquam interire, quod constat falsum esse, sed quendam lauacri effectum, quem ferè sacramenti nomine designat.

Si quæras quid sit character baptismi, breuiter respondemus secundùm ea, quæ dudum de charactere sacramentali in genere dicta sunt; baptismi characterem esse spiritualem quandam potestatem ad ea participanda quæ toti fidelium populo sunt communia: qua quidem velut nota tanquam ciuis ecclesiæ quis agnoscitur, & ab alienis distinguitur. Comparatur enim hic character cum iure ciuitatis, id est, eo quod habent omnes, qui in aliquam ciuitatem asscribuntur; quo iure participes efficiuntur omnium commodorum ac priuilegiorum illius ciuitatis. Indicat hanc characteris baptismalis rationem Dionysius lib. ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 2. parte 3. vbi dicit, quod Deus in quodam signo tradit sui participationem accedenti ad baptismum, perficiens eum diuinum & communicatorem diuinorum. Non videtur autem præcisè sic rectè definiri, quòd sit potestas recipiendi cætera ecclesiæ sacramenta; tum quia etiam ad quædam alia hæc potestas se extendit; tum quia etiamsi fortè præter baptismum nulla alia sacramenta fuissent in ecclesia instituta, nihilominus adhuc characterem imprimeret baptismus.

§. 14. *Baptismum non esse iterandum.*

Commune est omnibus sacramentis characterem imprimentibus, quod repeti non possint in eodem. Cuius potissima ratio ex ipso charactere petenda est. Si namque talium sacramentorum aliquod repeteretur, fieret iniuria characteri, ipsique proinde sacramento, quasi videlicet nota per sacramentum impressa per hominum malitiam deleri posset. Hanc rationem à charactere sumptam tradunt patres conciliorum Florentini & Tridentini, vt ad 1. distinctionem annotauimus. Eodem pertinet altera ratio ibidem loci indicata ex Augustino, Cypriano & Gregorio; quoniam videlicet hæc sacramenta quadam consecratione dantur; consecrationem autem eiusdem rei ad aliquid idem iterari nefas est, cùm res semel Deo consecrata ex ipsa consecrationis natura perpetuò talis maneat, & manere debeat sine vlla cuiusquam retractatione, quemadmodum etiam S. Thomas docet 2. 2. quæst. 88. art. 11. S. Tho. 3. p. q. 66. art. 9.

Præter has autem communes rationes, aliæ sunt baptismo peculiares.

Prima, sicut generatio vna est & repeti non potest, ita & regeneratio. Vnde Augustinus tract. 11. in Ioannis 3. ad illud Nicodemi: *Nunquid potest in ventrem matris suæ &c.* Iam natus sum, inquit, de Adam, non potest me iterum generare Adam. Iam natus sum de Christo, non potest me iterum generare Christus. Quomodo vterus non potest repeti, sic nec baptismus. Et tract. 12. Regeneratio spiritualis vna est, sicut generatio carnalis vna est. Et alibi: Semel nascimur, semel renascimur.

Secunda, baptismus in Christo nihil aliud est, quàm mortis Christi similitudo, quemadmodum testatur Augustin. Enchir. 52. Et probatur ex Apostolo Rom. 6. dicente: *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus &c.* Atqui vt ibidem dicit apostolus, *Christus semel mortuus iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*, & vt Petrus ait 1. epist. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est*, idemque iudicium de sepultura & resurrectione eius, ergo semel tantùm per baptismum Christo commori & consepeliri, & conresurgere possumus. Hanc rationem considerans apostolus Heb. 6. ait: Impossibile esse eos, qui semel sunt illuminati, id est, baptizati, rursus renouari ad pœnitentiam, id est, baptizari, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei & ostentui habentes, ipsa videlicet baptismi iteratione.

Quòd si contra hanc rationem obijcias, eucharistiæ quoque sacramentum & sacrificium quandam habere passionis & mortis Christi similitudinem, cùm dicat Apostolus 1. Corinth. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Et tamen rectè iā oblationē, quā sumptionē eius frequentari

etiam ab iisdem. Respondeo, sacrificium hoc repræsentare mortem Christi absolutè, & quidam eo pacto, vt illa repræsentatio ordinetur ad commemorationem mortis dominicæ & gratiarum actionem, quæ frequens & quotidiana esse debet, ideoq; ipsum rectissimè frequentari. Baptismo autem non absolutè repræsentari mortem Christi, sed quatenus eam semel passus postea resurrexit ad vitam beatam non moriturus amplius. Repræsentatur autem non in imagine, aut in sacrificio, sed in nobis ipsis, qui proinde per baptismum commori Christo dicimur. Vnde & exhortationis materiam accepit apostolus ostendens eum qui semel baptizatus est, & per baptismum peccato mortuus, non debere amplius in veterem relabi seruitutem, sed deinceps in nouitate vitæ ambulare.

Tertia ratio, Peccatum originale semel contractum & deletum nunquam reuocatur, ergo nec remedium ad eius deletionem propriè institutum repeti debet.

Quarta, Circumcisio repeti non potuit, igitur nec baptismus, cuius illa erat figura.

Porrò certissima huius doctrinæ probatio est ex perpetua ecclesiæ traditione, vnanimi patrum consensu & conciliorum authoritate firmata, adeo vt baptismi semel dati iteratio instar sacrilegij semper habita fuerit, quemadmodum videre est apud Gratianum causa 1. quæst. 1. & de consecrat. distinct. 4. atque etiam legibus principum capit. Fuerit punita, vt patet in codice Iust. titul. Ne sanctum baptisma iteretur. Nam & sacri canones in odium tanti sceleris pœnam irregularitatis statuerunt tam rebaptizatis, quàm rebaptizantibus. Testatur etiam Augustinus lib. 5. contra Donatistas capit. 4. occulta quadam Dei inspiratione passim homines detestari anabaptismum; quo fit, vt sicut olim Donatistæ propter hoc scelus toti ecclesiæ habebantur exacrabiles, ita hodie quoque anabaptistæ propter simile sacrilegium tametsi ex diuerso errore profectum non catholicis modò, sed & aliarum sectarum hæreticis sint vehementer exosi.

Eius rei impietas diuino miraculo aliquando prodita est. Refert enim Socrates lib. 7. suæ historiæ cap. 17. cùm Iudæus quidam aliâs baptizatus, iterum ad baptismũ accederet, aquam inter manus episcopi repente euanuisse, ac tum episcopum ei dixisse: Aut veterator es, aut baptismum ignorans accepisti.

Si quis ad probationem scripturas requirat, præter loca Heb. 6. & Rom. 6. superius indicata proferri & ista possunt Ephes. 4. *vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma* Ioannis 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet.* Heb. 10. *Voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia.* His enim scripturis, & ea maximè quæ est in epistola ad Ephes. ad huius dogmatis assertionem non rarò patres vsi leguntur, vt Augustin. tract. 56. & 57. in Ioannem lib. 2. contra Donatistas cap. 14. lib. de 5. hæresibus cap. 7. & Leo epist. 37. & 39. Et Hugo lib. 2. parte 6. cap. 13. de sacramentis, vbi dicit hac authoritate Ephes. 4. vniuersos vti.

Neque robur eius probationis eneruat, quòd fides licet vna quoque ab Apostolo dicatur, amitti tamen & recuperari iterum ac sæpius possit. Aliter enim fides vna dicitur, aliter baptisma: fides ratione obiecti quemadmodum id ad dist. 23. lib. 3. explicatum est: Baptisma verò ratione sui, eò quòd per ipsum quis religioni Christianæ consecratur, atque ecclesiæ Dei ciuis ascribitur, cuiusmodi actus iterationem non recipit.

Vnde etiam fatendum est baptismum iteratum non esse baptismum, quia homo semel baptizatus iam non est capax baptismi suscipiendi, sicut panis semel consecratus non potest iterum consecrari, & sicut res semel cuipiam donata, non potest iterum eidem donari, nisi donatio ex eius parte facta fuerit irrita. Quod quidem in re præsenti locum non habet.

§. 15. *Vtrùm baptizandi de quorum baptismo dubitatur.*

QVæri solet vtrùm baptizandi sint, de quibus dubitatur, fuerintne aliquando baptizati: Baptizari tales suadet sacramenti necessitas, vt sine quo non peruenitur ad salutem. Non baptizari autem monet periculum sacrilegij, ne fortè quod semel datum est, iteretur. Respondens ad hanc quæstionem Leo epist. 37. Imprimis, inquit, prouidere debemus, ne dum speciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum. Et mox: Cùm itaque baptizatum se nec ille recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, quod nesciat consecratum, nihil est in quo peccatũ possit obrepere. Et tandem concludit non posse in iterationis crimen deuenire quod factum esse omnino nescitur, tametsi velit pontifex, priusquam talis baptizetur, sollicita primùm examinatione discuti, ac multo tempore indagari (nisi fortè periculum mortis immineat) vtrùm nemo sit penitus, qui testimonio suo iuuare possit ignorantiam nescientis. Alius locus est apud eundem epist. 92. Si nulla, inquit, existant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est vt renascantur, ne manifestè pereant. In quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, vt videatur iteratum. Leguntur hæc apud Gratianum de consecrat. dist. 4. cap. Cum itaque, & cap. Si nulla. Similiter sentit Innocent. 3. extra, de presbytero non baptizato cap. Veniens. vbi rursus hæc additur ratio, quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum; nec malè de sacramento sentitur, cùm illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit.

Postea verò præsentiua consilium in huiusmodi dubitationis casu ecclesia reperit, quando iussit tales non absolutè, sed sub conditione baptizari, vti habetur extra de baptismo & eius effectu, vbi Alexander tertius ita statuit. De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine patris &c. Atque hoc pontificis decretum vsque in hodiernum diem perpetua praxi in ecclesia obseruatur: Vbi tamen sciendum est, non quamcunque leuem in contrarium suspicionem, vel scrupulum debere sufficere ad hoc vt sub conditione quis hoc pacto baptizetur, sed requiri dubitationem probabilem, quemadmodum ex locis suprà dictis Leonis & Innocentij patet. Ea autem probabilis dubitatio est, quæ facta etiam diligenti indagine discuti non potest, ita vt nec moralis certitudo facti haberi queat.

S. Thom. dist. 3. p. a. q. 66. art. 9. ad 4. q. 62. art. 12. ad 4.

Quo-

est consuetudo quorundam, qui passim ac sine discrimine infantes ab obstetricibus propter vitæ periculum baptizatos iterum sub conditione baptizant, non aliam dubitandi causam habentes, quàm quòd muliercula fortè vel intentione deficere, vel in verbis proferendis hallucinari potuerit, cùm tamen obstetrix interrogata testetur se ritè totum mysterium peregisse. Contra quem abusum grauiter scribunt Dominicus Soto in distinct. 3. art. 6. Petrus de palude dist. 6. quæst. 4. & Siluester titulo, baptismus, 4. num. 9.

§. 16. *Baptismum esse omnibus ad salutem necessarium.*

S. Tho. 3. p. q. 68. art. 1. CVm remissio peccatorum atque imprimis originalis peccati, & regeneratio in vitam spiritualem sit omnibus hominibus absolutè necessaria ad salutem, consequens est baptismum quoque ex quo institutos & promulgatus est, omnibus necessarium esse, in quantum illi effectus absque baptismo non contingunt. Esse autem baptismum ad regenerationem & proinde ad salutem necessarium testatur Dominus Ioannis 3. dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei*. Quam Domini sententiam ecclesia catholica de aquæ baptismo, eiusque necessitate semper intellexit, & perpetua obseruatione intelligendam esse docuit: quippe quæ hoc sacramentum tanquam ad salutem necessarium materna sollicitudine semper omnibus adhibendum curauit, neque pro christianis habuit, qui eo non essent initiati. Vnde Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. Ex illo tempore, inquit, quo saluator noster dixit: *Si quis renatus non fuerit &c.* absque sacramento baptismatis nec regnum cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam. Rursumque cap. 27. & 30 eandem doctrinam repetit. Quam & Gennadius inter ecclesiastica dogmata retulit cap. 74.

Notari præterea possunt & hæc loca August. tract. 11. & 12. in Ioannem, epist 57. lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. lib. 4. contra Donatistas cap. 21. & lib. 6. cap. 12. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 16. 20. 22. 29. & 30. ac rursum lib. 2. cap. 27. lib. 3. de origine animæ cap. 11. & serm. 14. de verbis Apostoli. Item Hieronymus contra vigilantium, Leo epist. 92. Gregorius lib. 7. epist. 53. Bernardus epist. 77. ad Hugonem, & Gratianus in decreto de consecrat. distinct. 4. cap. Filius & cap. Non dubito, & cap. Nulla præter &c. Et alia patrum loca pene innumera.

Manichæos verò contra sentientes baptismum in aqua nihil cuiquam salutis adferre iam olim damnauit ecclesia. Hunc etiam præter alios, errorem ijs asscribit Augustinus hæresi 46. Quem postmodum resuscitauit Ioannes Wicleff Christi sententiam non de materiali sed spirituali aqua, vti hoc sæculo Caluinus, interpretans, quemadmodum de illo refert Thomas Waldensis tomo 2. de sacramentis cap. 101. Quam absurditatem suprà refutauimus, cùm de sacramenti huius materia ageremus. Pelagiani quoque hoc nomine damnati fuerunt, quòd vitam æternam, etsi præter regnum cælorum promitterent infantibus non baptizatis, vt est apud Augustinum lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20. & alibi. Perpetuum autem ecclesiæ sensum de baptismi necessitate nobis consignarunt duo concilia, Florentinum in decreto Armenorum,

A & Tridentinum sess. 6. cap. 4. & sess. 7. de baptismo, canone 5.

Porrò Dominus ipse suæ sententiæ rationem reddens: *Quod natum est*, inquit, *ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est*, quasi diceret. Cùm omnis homo carnalis & peccato obnoxius nascatur ex Adam, spiritualis autem & iustus ideoque & saluus fieri non possit, nisi per spiritum sanctum renascatur, siquidem caro seipsam spiritalem efficere non potest: restat vt ad illud adminiculum confugiatur, per quod spiritussanctus instituit, & sine quo non vult homines facere spiritua-
B les. Hoc autem est lauacrum aquæ. Quare consequens fit debere vnumquemque ex spiritusancto renasci per aquam. Vnde Dominus, etsi is esset, qui baptizaret in spiritusancto, ipse tamen & ante passionem misit apostolos baptizare in aqua, & post passionem ijs vniuersale dedit mandatum dicens: *Euntes baptizate omnes gentes*. Et rursum: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*. Et Paulus Ephes. 5. testatur Christum mundare vniuersam ecclesiam suam lauacro aquæ in verbo. Et Petrus ad omnes scribens fideles 1. epist. 3. *Quod & vos*, inquit, *nunc similis forma saluos facit baptisma*,
C nimirum eo modo, vt sine eo, non sit salus, sicut tempore diluuij salus nemini erat extra arcam.

Cùm autem duplex sit necessitas, altera finis altera præcepti, & iam sit ostensum ad finem, id est, salutem consequendam necessarium esse baptismum, quæri potest, vtrùm etiam necessitate præcepti mortales omnes baptismus obliget. Ad quod respondemus planè hic agnoscendam etiam esse necessitatem præcepti, quæ necessitas satis expressa est supradictis scripturæ locis Ioannis 3. Matth. vltimo & Marci vlt. Si enim sufficienter ostensum
D est baptismum esse necessarium necessitate finis, rectè colligitur etiam præceptum de eo suscipiendo omnibus datum esse, cùm omnes teneantur illum finem quærere. Et certè S. Thomas 3. quæst. 68. art. 1. non alia vtitur probatione, vt præcepti esse doceat baptismum, nisi quia vnusquisque ad id tenetur, sine quo salutem consequi non potest. Qua ratione etiam fatendum est omnes ex præcepto teneri ad fidem & religionem & doctrinam Christi suscipiendam & tenendam, propterea quòd sine ea non possint homines saluari.

Veruntamen hoc loco memoria repetendum
E est quod ad superiorem distinctionem cum de obligatione huius præcepti ageremus, admonuimus, eam esse naturam legis positiuæ, vt neminem obliget nisi promulgata. Quare quicunque laborant inuincibili ignorantia huius legis, vt illi quibus de Christo nihil fuit vnquam annunciatum, & qui omnino legis capaces non sunt, vt insanes & amentes, hactenus quidem excusantur, vt non puniantur tanquam huius præcepti transgressores, at non ita vt non pereant propter sua peccata, à quibus liberari sine hoc diuinitus instituto remedio
F non possunt. Ad huius autem probationem sufficiat in præsens authoritas Bernardi, qui epist. 77. ad Hugonem sententiam Domini Ioannis 3. apertissimè testatur præceptum fuisse positiuum, quod tamen non statim omnes, sed paulatim noticia eius crescente obligare ceperit.

§. 17. *Quomodo baptismus saltem in voto sit omnibus necessarius.*

S. Tho. 3. p. q. 66. ar. 11. & q. 68. art. 2.

OMnibus adultis ita necessarium est hoc baptismi sacramentum, vt sine eo vel reipsa suscepto cùm haberi potest, vel sine eius expresso voto ac desiderio, cùm haberi non potest, nemo salutem consequatur. Estque id commune huic sacramento respectu omnium, cum sacramento B pœnitentiæ respectu relapsorum. Qua de re tria sunt loca in concilio Tridentino. Nam sess. 6. cap. 4. definitur post promulgatum euangelium iustificationem primam fieri non posse sine lauacro regenerationis, aut eius voto, iuxta id quod scriptum est: *Nisi quis renatus &c.* Et sess. 7. canone 4. de sacramentis in genere, damnantur qui dicunt sine sacramentis aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam iustificationis adipisci. Sessionis autem 14. cap. 4. docent patres reconciliationem, quæ aliquando contingit ante sacramentum actu susceptum, ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse C adscribendam.

Ex quibus duo colliguntur, nempe absque voto baptismi vel pœnitentiæ nunquam hominem adultum consequi illorum sacramentorum effectum, & nihilominus ipsum sacramentum esse necessarium ad salutem, nisi necessitate excludatur; quo casu voluntas pro facto reputabitur. Quare non est putandum ob id solum esse necessarium baptismi sacramentum (de pœnitentiæ sacramento quoad relapsos, idem esto iudicium) quia neque contemni, neque negligi potest, cùm nec confirmationis, nec extremæ vnctionis D sacramenta citra culpam contemni possint aut negligi, quæ tamen non similiter cum baptismo dicimus esse necessaria: sed ita necessarium est, vt cùm haberi potest, omnino suscipi debeat sub periculo æternæ salutis, & cùm haberi non potest, debeat expressè desiderari & voto suscipi, id quod non oportet de sacramentis alijs. Quamuis enim omni inuocanti de salute facta est promissio iuxta illud: *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit* Ioel. 2. & illud: *Omnis qui petit, accipit*, propter expressam tamen Dei ordinationem, quæ aquam requirit, debet, si aqua ha- E beri nequeat, illi necessitati respondere inuocatio, qua petatur vt Dei misericordia defectum illum suppleat, id est, præstare dignetur sine sacramento, quod ex ordinatione sua cum sacramento & per sacramentum præstaret.

Cùm igitur baptismus haberi non potest, sed tamen desideratur, rectè illud vsurpatur: Voluntatem pro facto reputari, quando factum excludit necessitas. Quod tamen non est ita accipiendum, quasi voluntas illa seu votum suscipiendi sacramentum, vim sacramenti in se includat, id est, ita operetur effectum sacramenti, F quomodo ipsum sacramentum, si adhibitum esset, suum effectum operaretur. Non enim ex opere operato, sed ex opere operantis valet desiderium illud sacramenti tanquam desiderium operis operati, scilicet baptismi, atque ad præparationem pertinet, perinde vt fides & oratio. Quod ergo ibi voluntas baptismi pro baptismo habeatur, non id prouenit ex natura rei, sed ex Dei misericordia; qui propter fidem & desiderium A quærentis salutem complet in necessitate, quod deest ex parte sacramenti. In ijs autem operibus in quibus non opus operatum spectatur, sed meritum operantis, voluntas dummodo sit satis magna & efficax pro facto propterea reputatur, quod tota meriti ratio in voluntate posita sit, quæ tanta esse potest absque opere, quanta operi coniuncta, atque interdum etiam maior. In quibus proinde, quòd pro facto reputetur voluntas non misericordiæ Dei est, sed aut naturæ & dignitatis rei, aut saltem primæ institutionis. Quod quidem perspicuum est in malis operibus, velut si quis omnino voluit hominem occidere nec potuit tamen. Talis enim non immodica legis seueritate, sed iusto iudicio punietur vt homicida, vtpote qui non minori malicia affectum gerit animum, quàm si homicidium reipsa perpetrasset, quemadmodum ostendimus ad distinctionem 42. lib. 2. In hoc igitur operum genere propriè locum sibi vendicat illud, voluntatem pro facto reputari, non autem in his quæ tantùm ex opere valent operato, nisi in quantum misericordia Dei supplet inuisibiliter, quod visibili opera sacramenti præstari non potuit. Hoc autem misericordiæ diuinæ supplementum, vbi adest voluntas, seu desiderium visibilis sacramenti in necessitate præsto esse semper patres intellexerunt.

Probatur id primùm ex Cypriano, qui in epist. ad Iubaianum cùm doceret baptismum ab hæreticis collatum nullum esse, atque huiusmodi quæstionem sibi opponeret. Quid ergo fiet de his, qui in præteritum de hæresi ad ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt? Potens est, inquit, Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos qui ad ecclesiam simpliciter admissi in ecclesia dormierunt, ab ecclesiæ suæ muneribus non separare. Quod si Cyprianus persuasum habuit de ijs qui sine baptismo, vt ipse putabat, defuncti, opinione tamen sua baptizati fuerant; quodque similiter dicendum erit de ijs qui se baptizatos existimant, etsi reuera fortè per errorem, aut maliciam aliquam parentum, aut aliorum ad quos ea cura spectabat, vel etiam ipsius baptistæ in infantia baptizati non fuerint (Tales enim ita approbant baptismum, quem se suscepisse credunt, vt si se non baptizatos scirent, omnino baptismum & desiderarent & actu percipere vellent) multò magis profectò id dixisset Cyprianus de ijs, quos à baptismo vehementer desiderato necessitas excludit.

Sed clarius huius rei testimonium est apud Ambrosium in oratione funebri de obitu Valentiniani, qui baptismum expetiuerat quidem, sed certas ob causas distulerat, volens ab Ambrosio baptizari. Ad quem priusquam perueniret, in itinere mortuus est. De quo Ambrosius inter alia: Ventrem meum doleo, inquit, quoniam quem in euangelio eram generaturus, amisi, sed ille non amisit gratiam quam poposcit. Et iosta: Audio vos dolere, inquit, quòd non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, vt antequam in Italiam venisset initiaretur, & proximè baptizari se à me velle significauit. Et ideo præ cæteris causis me accersendum putauit. Non habet ergo gratiam, quam desiderauit? non habet quam poposcit? & quia poposcit, accepit? Et vbi illud est: Iustus quacunque morte præuentus fuerit, anima eius in refrigerio erit, Sapientiæ 4. &c. Et paulò pòst:

Quòd si martyres suo abluuntur sanguine, & huic sua pietas abluit & voluntas. Denique post multa conuerso ad eum sermone ait: Non quicunque te sed Christus illuminabit gratia spirituali. Ille te baptizauit, quia humana tibi officia defuerunt. Plus adeptus es, qui minora te amisisse credebas.

Nec minùs clara est Augustini sententia lib. 3. contra Donatistas cap. 23. Inuenio, inquit, non tantùm passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem, conuersionemque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustijs temporum succurri non potest. Et interposito de latrone exemplo ait: Sed tunc impletur inuisibiliter cùm mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Hoc autem supplementum ex parte misericordiæ Dei intelligendum esse apertius significat cap. 25. eiusdem libri. Vbi cùm dixisset salutem hominis ex vtroque compleri, baptismo videlicet & conuersione cordis, ita subijcit: Nec si vnum horum defuerit, ideò putare debemus consequens esse, vt & alterum desit: quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo siue in illo siue in isto, quod non ex voluntate defuisset. Eundem Augustinum vide in Leuiticum quæst. 84.

Porrò Bernardi ætate cùm quidam assereret ex eo tempore, quo dictum est: *Nisi quis renatus &c.* neminem absque eodem percepto actualiter visibili sacramento, vel eius vice martyrio, vllatenus potuisse saluari, etiamsi illud cum vera fide & contritione cordis expeteret, consultus de ea re ab Hugone Victorino Bernardus epist. 77. ita respondet: Si quis voluerit & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequiuerit, dum non desit fides recta, spes pia, charitas syncera, huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere charitatem, tantùm si aquam non contemptus, sed sola, vt dixi, prohibeat impossibilitas. Ac deinde sententiam suam authoritate Ambrosij & Augustini citatis locis supradictis confirmat ita subiungens: Ab his duabus columnis difficile auellor, credens & ipse sola fide hominem posse saluari cum desiderio percipiendi baptismum, si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcunque vis inuincibilis obuiarit. Et quæ sequuntur.

Sed & ipse Hugo cum Bernardo sentit lib. 1. de sacramentis par. 9. cap. 8. Nec ab vtroque dissentit Magister vtriusque contemporaneus §. E. huius distinctionis. His adde duo capitula Innocentij 3. videlicet, Debitum, titulo de baptismo, & eius effectu, & Apostolicam, titulo de presbytero non baptizato. Quorum priore de Iudæo qui seipsum in aquam merserat, ratum putans talem baptismum, affirmat quòd si talis continuò decessisset, ad cælestem patriam protinus euolasset, propter sacramenti fidem, & non propter fidei sacramentum. Posteriore verò incunctanter asserendum pronunciat talem presbyterum, si in sanctæ matris ecclesiæ fide & Christi nominis confessione perseuerauit, ab originali peccato solutum, & cælestis patriæ gaudium esse adeptum. Idque probat testimonijs Augustini & Ambrosij ijs, quæ suprà citauimus. Postremò in hanc sententiam omnes scholastici conueniunt.

Nec verò absque scripturæ authoritate hæc à patribus dicta sunt. Nam generales sententiæ hæ & huiusmodi satis hanc doctrinam astruunt: *Omnis qui petit accipit.* Matth. 7. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Ioelis 2. Rom. 10. Act. 2. *Omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum,* Ioannis 11. *Pax hominibus bonæ voluntatis,* Luc. 2. *Omnis qui credit in illum non confundetur,* Isaiæ 28. Rom. 10. *Non dereliquisti quærentes te Domine,* Psal. 9. *Nullus sperauit in Domino & confusus est,* Ecclesiastici 2. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies,* psal. 50. Ambrosius hac vtitur scriptura: *Iustus quacunque morte &c.* Sapientiæ 4. Iustum intelligens hominem synceré ad Deum conuersum. Augustinus præter exemplum latronis, quod satis idoneum se posuisse negat 2. Retract. 18. quia vtrùm baptizatus non fuerit, incertum est, illud ex apostolo allegat, *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem,* Rom. 10. Bernardus autem vrget quòd cùm dixisset Dominus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit,* non addidit: Qui verò non baptizatus fuerit, sed tantùm *qui non crediderit, condemnabitur;* nimirum innuens (ait Bernardus) solam fidem interdum sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil. Huc quoque vsurpari potest, illud Ezechiæ, 2. paralip. 30. *Dominus bonus propitiabitur cunctis qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, & non imputabit eis quòd minus sanctificati sunt.*

Denique suggerit huius rei argumentum oratio trium puerorum Danielis 3 qui dolentes, quod sacrificijs destituti essent extra Hierosolymam positi, per quæ possent inuenire misericordiam Dei, rogant vt in animo contrito & spiritu humilitatis suscipiantur, hanc addentes orationi suæ clausulam: *Quoniam non est confusio confidentibus in te.*

§. 18 *Ad quædam in contrarium argumenta responsio.*

NVnc ea breuiter diluenda, quæ in contrarium afferri solent. Imprimis autem obijcitur generalis Christi sententia: *Nisi quis renatus &c.* quæ haud dubiè de baptismo aquæ accipienda est. *S. Thom. vbi sup.* Cui si respondeas alias quoque sententias suprà allatas generales esse, & quidem antiquiores, quibus proindè meritò cedere debeat ista recentior, contra obijcitur leges posteriores, quando vtræque positiui sunt iuris, derogare prioribus non contra.

Deinde proferuntur in medium quædam patrum sententiæ. Ambrosius enim lib. 2. de Abraham patriarcha cap. 11. cùm citasset illud: *Nisi quis &c.* adiecit. Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentum necessitate. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. dictam Domini sententiam sic accipit, vt nullum nisi martyrij casum exceptum velit. Similiter & cap. 30. Gennadius item cap. 74 lib. dogmatum ecclesiasticorum: Baptizatis tantum, inquit, iter esse salutis credimus; nullum catechumenum quamuis in bonis operibus defunctum vitam æternam habere credimus excepto martyrio.

Similia leguntur apud Augustinum, vt lib. 1. de origine animæ cap. 9. Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo aut morte pro Christo. Et lib. contra mendacium cap. 20.

significat hominem etiam in necessitate vnde erui nisi mendacio non potest, non posse saluari sine baptismo, idque ad inscrutabile Dei iudicium pertinere, si illi subueniri nequeat. Idem lib. 13. de ciuit. cap. 7. & epist. 108. nullam aliam nisi martyrij exceptionem agnoscit. In epist. verò 180. ad Honoratum ostendens quantum mali consequatur ex fuga pastoris tempore persecutionis: An non cogitamus, inquit, cùm ad istorum periculorum peruenitur extrema, nec est potestas vlla fugiendi, quantus in ecclesia fieri soleat ab vtroque sexu atque ab omni ætate concursus, alijs baptismum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem & sacramentorum confectionem & erogationem? Vbi si ministri desunt, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt? Hæc illa.

Chrysostomus quoque homil. 24. in Ioannem dicit catechumenum perire, si quo casu sine baptismo hinc migret, etiamsi innumera bona fecisset. Producitur & Siluerius papa, qui in epistola quadam admonet episcopum Tarraconensem vt desiderantibus fontem salutarem omni celeritate succurratur, ne regnum & vitam perdant. Et concilium Bracarense 1. canone 35. prohibens oblationem fieri pro catechumenis absque baptismo defunctis. Id quod etiam apud Chrysostomum repetitur homil. 3. in epistolam ad Philippenses.

Ad hæc obiecta respondentes dicimus, legem quidem vtramque tam eam quæ baptismum ad salutem requirit, quàm illam quæ salutem promittit omni credenti & inuocanti Dominum, positiuæ constitutionis esse. Neque enim lege Dei æterna & immutabili debetur salus peccatori credenti & inuocanti, sed benigna ac positiua Dei ordinatione. Verũ id discriminis est, quòd lex baptismi merè sit positiua, altera verò æquitatem habeat ex lege naturæ, quæ dictat congruum esse vt venia detur pœnitenti, & salus præstetur credenti, speranti & inuocanti. Ideoque lex ista simpliciter maioris est dignitatis, cui proinde meritò altera tanquam inferior cedere debet sicubi concurrant.

Ambrosius & Augustinus tam in libro de origine animæ quàm contra mendacium loqui videntur de infantibus, quibus nullum baptismi desiderium succurrere potest. Et sanè bonum authorum quædam obscuriores sententiæ non possunt præiudicare apertissimis eorundem in contrarium testimonijs, quibus & Bernardus & Innocent. 3. ad fundandam suam sententiam vtendum putauerunt.

In alijs verò patrum sententijs sub baptismo etiam baptismi desiderium (quando necessitas actualem eius perceptionem excludit) comprehendere oportet, præsertim cùm hunc casum disertè non excludant.

Quod ad eum Augustini locum attinet, qui profertur ex epist. 180. respondendum est totum quod ibi dicitur intelligi quantum est ex parte ministrorum ecclesiæ, qui suam præsentiam in necessitate fidelibus subtrahentes eos quantum in se est æternæ mortis periculo exponunt. Quibus rectissimè dici potest id quod Mardochæus dixit ad Esther cap. 4. *Si nunc silueris per aliam occasionem liberabuntur Iudæi. Et tu & domus patris tui peribitis.* Quamuis enim Deus misericorditer subueniat ijs qui sacramentum quod desiderant, habere non possunt, non tamen illi excusantur, qui debitum ministerium in necessitate subtraxerunt. Hoc modo ipse Augustinus epist. 23. quendam Cypriani locum ex sermone de lapsis interpretatur, vbi dixerat Cyprianus infantes illos amittere, quod in baptismo fuerant consecuti, qui à parentibus suis essent postea idolis oblati. Nam amittere eos dixit, quantum attinet ad scelus parentum. Quomodo etiam dictum est ab apostolo: *Spiritum nolite extinguere.* 1. Thessal. 5.

§. 19. *An plenum baptismi effectum ex solo eius voto quis consequatur.*

DE eo qui cum solo baptismi voto decedit quæritur, totumne baptismi effectum consequatur perinde atque si reipsa baptizatus esset, an verò præcipuum duntaxat, videlicet beneficium gratiæ & remissionis culpæ, non autem & pœnæ, vt propterea necesse sit taliter decedentem adhuc in futuro sæculo pro pœnis restantibus satisfacere, quod de baptizato non oportet. *S. Tho. 3. p. q. 68. art. 2. ad 2. q. 69. art. 1. ad 2. & 4. ad 2.*

Priori quæstionis parti fauere videntur Innocent. 3. verba in cap. Debitum, vbi de Iudæo à seipso baptizato pronunciat, quod si continuò decessisset, ad cælestem patriam protinus euolasset. Et cap. Apostolicam, vbi presbyterum non baptizatum cęlestis patrię gaudium esse adeptum incunctanter asserit. Idem significare videtur Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani. Nam præterquam quòd dicit eum vita iam frui æterna, his etiam verbis eum affatur: Christus te baptizauit, quia humana tibi officia defuerunt, plus adeptus qui minora te amisisse credebas.

Posterior pars pluribus argumentis nititur. Primùm quia generales sententiæ quæ omnibus Deum inuocantibus salutem promittunt, quamuis ostendant posse saluari hominem absque baptismo actu percepto, consistunt tamen omnes cum debito persoluendæ pœnæ temporalis.

Secundò, Deus præsumitur tantùm supplere quod est necessarium, non igitur tollit omnem reatum pœnæ, sed tantùm reatum culpæ, quo remanente non posset homo saluari.

Tertiò, Innocentius 3. in dicto capitulo, Apostolicam, iubet pro presbytero memorato iuges preces, hostiasque Deo offerri.

Quartò, Ambrosius in supradicta oratione Deum adhuc rogat, vt soluat Valentiniano munus, quod concupiuerat, populumque admonet vt pro illo secum oret, inquiens: Pro requiem eius poscamus affectu. Et iterum: Animam piam nostris oblationibus prosequamur.

Postremò, S. Thomas & Bonauentura hoc pacto sentiunt, ait enim S. Thomas 3. quæst. 68. art. 2. ad 2. Si quis catechumenus sit habens desiderium baptismi, talis decedens non statim peruenit ad vitam æternam, sed patietur pœnam pro peccatis præteritis, ipse tamen saluus erit sic quasi per ignem. Bonauentura verò ad textum distinct. præsentis, Ambrosius, inquit, super Valentiniano dolebat dolore compassionis. Quia enim non fuit baptizatus, ideo pro peccatis suis aliquam sustinuit pœnam purgatoriam. Et his ferè alij scholastici consentiunt. Quæ sententia nobis quoque ob rationes primo & secundo loco allatas probabilior videtur.

Ad authoritatem Innocentij responderi potest Iudæum illum tanto flagrasse baptismi & salutis deside-

desiderio, quantum sufficiens videretur ad pœnam simul eum culpâ delendam. Alter locus de presbytero non vrget, maximè cùm ibidem contrarium statuatur. Ambrosius verò prærogatiuam Valentiniani non in eo statuit, quòd plus gratiæ sit consecutus sine baptismo, quàm alij per baptismum, sed in eo solo quòd cùm alij baptizentur à Christo per hominis ministerium, hic baptizatus fuerit à Christo immediatè, id est, absque ministerio homano. Verùm id non baptismo fluminis sed flaminis tantùm.

§. 20. *Martyrium supplere vicem baptismi.*

S.Tho.3. p.q.66. art.11. SI, quod iam ostensum est, salutem non amittunt, qui syncerè ad Deum conuersi necessitate aliqua à desiderato baptismo excluduntur, multò magis id sentiendum de ijs quorum tanta est fides & dilectio in Deum, vt pro eo etiam mortem oppetant. Vnde semper in ecclesia traditum fuit martyrium supplere vicem baptismi. Cuius quidem ratio conuenientissima hæc à patribus assignatur. Quia cùm baptismus aquæ fiat in mortem Christi, iuxta Apostolum Rom. 6. martyres illam non in figura tantùm, sed in veritate referunt & imitantur; videlicet cum Christo & pro Christo morientes, vt non in aqua, sed in sanguine suo baptizari meritò dicantur.

Præclarum est eius rei testimonium apud Basilium lib. de spiritusancto cap. 16. Si quidam, inquit, in certamine pro pietate suscepto per veritatem & non per imitationem mortem pro Christo sustinant, nihil indigent symbolis aquæ ad salutem, eò quòd in proprio sanguine baptizati sint. Et in lib. de ecclesiasticis dogmatibus dicitur cap. 74. quòd in martyrio omnia baptismi sacramenta complentur, idque pluribus verbis ibidem probatur.

Esse autem martyrium non baptizatis loco baptismi passim in scripturis partum lagitur. Atque imprimis ab Augustino doctè expositum est lib. 13. de ciuit. cap. 7. his verbis: Quicunque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum calorum*, alia sententia istos fecit exceptos, vbi non minùs generaliter dixit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in calis est.* Matt. 10. Et alio loco: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam* Matt. 16. Hinc est quod scriptum est: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, quid enim pretiosius quàm mors, per quam fit vt etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur? Neque enim tanti sunt mariti, qui cùm mortem differre non possent, baptizati sunt, deletisque omnibus peccatis ex hac vita emigrarunt; quanti sunt hi, qui mortè differre cùm possent, idcò non distulerunt, quia maluerunt Christum confitendo finire hanc vitam, quàm eum negando ad eius baptismum peruenire. Hæc Augustinus. Cuius & hæc loca notari possunt lib. 4. contra Donatistas cap. 22. lib. 1. de origine animæ cap. 9. & lib. 2. cap. 12. & in epistola 108.

Huic alij patres vno ore consentiunt Tertullianus in lib. de baptismo, Cyprianus in epist. ad Iubaianum, & in sermone et ascripto de stella & A magis, Clemens Alexandrinus lib. 4. stromatum, Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani & sermone 90. de sancta Agneta, vbi Emerentianam proprio sanguine baptizatam dicit, Romanum breuiarium ad 23. Ianuarij. Item Martyrologium Romanum 25. Augusti de Genesio quodam excepto re in sanguine proprio baptizato, Cyrillus lib. 2. in leuiticum, Prosper sententia 149. & epigrammate 87. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. & 30. Beda lib. 1. historiæ Anglicanæ cap. 7. Bernardus epist. 77. Gratianus in decreto de consecratione distinct. 4. cap. Baptismi vicem. Neque de hac B re fuit vlla inter catholicos dubitatio.

Quæ autem scripturæ id doceant ex recitatis Augustini verbis patet, quibus & hæc adiungi possunt: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioannis 15. *Ore confessio fit ad salutem.* Rom. 10.

§. 21. *Quomodo martyrium baptismi vicem suppleat.*

C DVbium est vtrùm baptismi vicem ita suppleat martyrium, vt pro altero baptismo habeatur, neque martyri sit necesse baptismum aquæ desiderare, propterea quòd sanguinis baptismus per se tantundem vel plus etiam valeat; an verò non suppleat, nisi quomodo extra martyrium supplere dicitur fides & syncera cordis conuersio, nimirum adiuncto simul voto baptismi. S.Thom. dict. 3. p.q.66. ar.12. & art. 1. ad 2.

In priorem partem hæc sunt argumenta. Primum quod veteres cùm de baptismi necessitate loquontur, plærumque solam pro Christo passio em D excipiunt, quam dicunt esse loco baptismi, prætermissa omnino voti eius mentiona. Vnde Augustinus in epistola 108. Quoscunque legimus, inquit, in corpore Christi, quod est ecclesia, pertinere ad regnum cœlorum non nisi baptizatos intelligere debemus, nisi forrè quos angustia passionis inuenit, & nolentes negare Christum antequam baptizarentur, occisi sunt. Quibus ipsa passio pro baptismo deputata est. Idem insinuant Augustini verba ex lib. 13. de ciuit. suprà citata, nec non alia loca eiusdem & aliorum patrum quæ ibidem annotauimus. Cùm enim patribus constaret, nec illorum desperandam esse salutem, quibus syncerè ad E Deum conuersis neq; baptismus contingere potuit neque martyrium, vt suprà ostendimus, non alia videtur ratio cur ita studiosè solum martyrium exceperint, nisi quia martyrium etiam sine voto baptismi idem præstat quod baptismus.

His accedunt peculiares illæ veteribus vsurpatæ sententiæ, martyrium tantundem valere quantum baptismum; imò verò martyrium esse alterum baptismũ, & quidem excellentiorem. Item martyres exceptos esse ab illa sententia: *Nisi quis renatus*, propter alteram generalem sententiam: *Qui me confessus fuerit &c.* Rursum, martyres suo sanguine ablui, atq; F ita planè vt baptismo aquæ non egeant. Id enim disertè testatur Basilius loco suprà allegato. Cyprianus verò in epistola ad Iubaianum catechumenos martyres dicit baptizari gloriosissimo & maximo sanguinis baptismo, de quo Dominus in euangelio dicebat, habere se aliud baptisma baptizari Lucæ 12.

Ad idem vrgeri possunt hæc Ambrosij verba in oratione de obitu Valentiniani: Si martyres suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas. Hoc enim non rectè ita distinctè dici-

datur, si martyrem suus sanguis non abluit, nisi simul adsit & voluntas, id est, votum baptismi.

Præterea non leue argumentum ex eo sumitur, quòd infantes pro Christo interfecti, etiamsi vel olim non circumcisi, vel nunc non baptizati essent, martyres habentur, quibus profectò absque voto sacramenti solum martyrium salutem attulit. Nec enim recipienda est sententia Iacobi à Vitriaco dicentis lib. histor. occid. cap. 36. paruulos non baptizatos Christianorum, etiamsi à paganis pro Christo occiderentur, non saluari; nec ad eos extendi priuilegium speciale innocentium ab Herode pro Christo interfectorum. Communis enim & vera ecclesiæ sententia est in contrarium, scilicet eos saluari æquè atque innocentes, qui fortè nondum circumcisi ab Herode necabantur.

Postremò, si martyrium non sufficit absque voto baptismi, non ergo erunt tria distincta baptismata scilicet fluminis, flaminis & sanguinis, sed duo tantùm. Baptismus enim sanguinis sub baptismo flaminis comprehendetur, vtpote votum baptismi necessariò includens. Imò baptismus sanguinis non erit baptismus in proposito, sed erit vt alia præclara virtutum opera, quæ vt ad salutem prosint, baptismum aut eius votum supponunt.

In contrarium verò obijcitur locus ex epistola Cypriani ad Cornelium, quæ est 2 lib. 1. vbi Cyprianus vult eos qui lapsi erant, priùs recipi, & reconciliari, quàm ad martyrium in persecutione prodirent. Nec quisquam dicat, inquit, Qui martyrium tollit sanguine suo baptizatur, nec pax illi ab episcopo necessaria est, habituro gloriæ suæ pacem, & accepturo maiorē de Domini dignatione mercedē &c. Est autē eadē baptismi & recōciliationis ratio.

Obijcitur & Bernardus epist. 77. vbi in eo qui tantam habet fidem vt pro Christo mori paratus sit, requirit desiderium baptismi, quasi sine eo saluari nequeat.

Tertiò adfertur illud ex Tridentino concilio sess. 6 cap. 4. Iustificationem hominis post euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non posse.

Ad hanc quæstionem respondendum videtur, ex patrum testimonijs satis apparere, quòd sentient martyrium per se efficax esse ad abluenda peccata & præstandam salutem. In primis autem id liquidò conuincitur ex martyrio infantum. Quocirca dicendum martyres non baptizatos habere quidem satis remedij ex martyrio, vt videlicet à peccatis abluti vitam habeant, sed quia baptismus omnibus est in præcepto, ideo illum suscipere tenentur si possint. A quo si vrgente persecutore prohibentur, tunc ne quidem voto eum expetere tenentur, vtpote nulla iam lege ad votum illud astricti, cùm salutem ab alio, eoque excellentiore remedio expectent. Non enim si quis necessitate aliqua prohibetur ab impletione legis positiuæ, velut ieiunij aut vigiliæ, tenetur desiderio ad eam implendam aspirare, sed sufficit, vt non contemnat; nisi fortè lex talis sit, quæ remedium præscribat ad salutem necessarium, cuiusmodi est lex baptismi extra casum martyrij. Vnde de nullis martyribus non baptizatis legimus, quòd in ipso certamine positi, & iam morituri baptismum se desiderare aliquo modo significauerint, licèt de quibusdam legatur, quòd vel in carcere à socijs martyrij baptizati fuerint, vel ad tempus se occultarint, vt baptizari possent, quemadmodum de quodam Antonino refert Vsuardi martyrologium ad XI. calend. Septembris.

Quod ex Cypriano obijcitur non aliud conuincit quàm valde expedire, vt quibus martyrij certamen imminet, priùs vel baptizari, vel reconciliati sint, atque etiam eucharistiæ cibo refecti (nam & hoc sacramentum nominat eo loco Cyprianus) atque ita probè muniti procedant ad pugnam. Imò baptismum vel reconciliationem priùs petere tenentur, tum propter præceptum, vt modò diximus, tum ad vitandum præsumptionis periculum, & vt maiori Dei gratia muniti securius ad pugnam procedant. Quod tamen si non fecerint, etiam illas culpas postea martyrium delebit.

Bernardus autem non de martyre loquitur, sed de eo qui tam fortis est, vt possit, & iam paratus sit martyrium sustinere. Non enim idem valet martyrium, & martyrij desiderium, quantum ad hunc effectum, de quo nunc agimus, sicut nec quantum ad percipiendam martyrij aureolam.

Porrò doctrina concilij iuxta hanc sententiam cum exceptione martyrij intelligenda est; sicut & ipsa scriptura, quæ à concilio citatur cum eadem exceptione intelligenda venit, quemadmodum expressè docet Augustinus lib. 13. de ciuit. cap. 7. & lib. 2. de origine animæ cap. 12.

Ex his autem non absurdè statui videtur martyrium valere ex opere operato. Quo nimirum fit vt tota culpa simul & pœna remittatur, vti habet constans patrum doctrina. Neque tamen ob id sacramentis annumerandum erit, quia non est institutum, vt signum aliquod gratiæ collatiuum, sed est actus eximiæ fortitudinis, & perfectæ charitatis, cui Deus hoc priuilegium contulit, vt eo defuncti siue baptizati, siue non baptizati, nullam moram patiantur, quo minùs statim ad cæleste regnum & coronam euolent.

§. 22. *Quid baptismus conferat homini prius iustificato.*

EFfectum baptismi, id est, internam renouationem cum remissione peccatorum, quam rem sacramenti vocat Magister, alicui contingere posse priusquam baptismum reipsa percipiat etiam extra casum martyrij & necessitatis idem Magister fatetur & docet. (S. Th. 3. p. q. 69. art. 4. ad 2.) Quod tamen ita intelligendum, vt non sine voto baptismi post euangelium promulgatum iuxta concilij Tridentini definitionem contingere putetur. Profertur ad id probandum locus Augustini in quæst. 84. super Leuiticum, vbi propositis exemplis, Moysi, Ioannis Baptistæ, & latronis colligit inuisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse, atque profuisse sine visibilibus sacramentis, ac deinde subiungit: Hinc est quòd Cornelius, & qui cum eo erant, cùm iam inuisibiliter infuso sancto spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen. Nec superflua iudicata est visibilis sanctificatio, quam inuisibilis iam præcesserat.

Hæc ille. Sed notandum est Augustinum, quod de latrone exemplum adtulerat, retractasse lib. 2. cap. 55. Moysen autem circumcisione sanctificatum fuisse. Baptistam quoque ritu iudaico circumcisum, tametsi etiamnum in vtero materno existens singulari priuilegio sanctificatus meritò credatur. Cornelium verò si iustificatum dicere oporret ante baptismi susceptionem, id etiam sine voto baptismi, vt apparet, consecutum. Neque id mirum videri cùm euangelium tunc nondum esset satis promulgatum, & Cornelius de baptismi institutione ac necessitate nihil adhuc audiuisset. Simili

ferè

ferè modo de Cornelio loquitur Augustinus quæst. 33. in Numeros dicens eum audito Petro per fidam ita mundatum fuisse, vt ante visibilem baptismum cum suis, qui aderant acciperet donum spiritussancti.

Alius est locus lib. 4. contra Donatistas cap. 24. Rursum alius lib. 2. quæstion. euangelicarum quæst. 40. vbi dicit Cornelij & sociorum eius mundationem declaratam fuisse signis externis ante perceptum baptismum. Cum quibus tamen locis & alia eiusdem authoris sunt conferenda, velut quæst. 2. ad Simplicianum, epistola 57. ad Dardanum, lib. 1. contra Donatistas cap. 8. & lib. 4. cap. 21. & 22. & tract. 13. in Ioannem, vbi Cornelium cum alijs bonis catechumenis comparat, quibus ad consequendam salutem deest baptismi sacramentum. Quod & sentire videtur Chrysostomus homil 24. in Ioannem.

Alibi verò Augustinus magis absolutè loquitur, vt lib. 6. contra Donatistas cap. 25. Deus, inquit, ipse sanctificat sacramentum suum, vt homini siue antequam baptizetur, siue cùm baptizatur, siue postea quandoque id se veraciter conuerso idipsum valeat ad salutem, quod ad peruiciem, nisi conuerteretur, valeret. Quibus sanè verbis indicat contingere, vt alicui antequam baptizetur, baptismus postmodum adhibendus ad salutem valeat. Quod quidem fit extra casum necessitatis, cùm necessitas baptismum simpliciter excludat.

Porrò certius argumentum huius doctrinæ sumitur ex verbis concilij Tridentini sess. 14. cap. 4. quibus dicitur, quòd contritionem aliquando charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare contingat, priusquam sacramentum actu suscipiatur. Hoc enim etsi de sacramento pœnitentiæ dictum sit, similiter tamen de baptismi sacramento debet intelligi, propterea quòd hac quidem parte vtriusque sacramenti sit eadem ratio, quemadmodum eiusdem sessionis cap. 2. dicitur; nempe sacramentum pœnitentiæ relapsis ita esse ad salutem necessarium, vt nondum regeneratis ipsum baptismi sacramentum.

Hoc igitur constituto ad id quod quærit Magister, quid baptismus conferat ijs, qui iam sanctificati spiritu cum fide & charitate ad baptismum accedunt, respondemus sex bona enumerari posse, quæ illi ex reali baptismi perceptione consequuntur.

Primum est character baptismalis, quem nemo sine baptismo realiter suscepto consequitur, ne quidem in articulo necessitatis, vel casu martyrij.

Secundum, gratiæ augmentum. Neque enim putandum est vel Abraham ex circumcisione, vel Cornelium ex baptismo, si iam antè iustificatus erat à peccato, nullum sanctitatis incrementum accepisse ex singulari fide, & deuotione sanctificationis symbolum suscipientes. Sicut autem gratia augetur, ita & fomes peccati concupiscentia minuitur ac debilitatur.

Tertium: Remissio peccatorum, quæ post iustificationem interim committi potuerunt. Tollit enim baptismus omnia, quæcunque inuenerit peccata.

Quartum. Plena remissio pœnæ temporalis, quatenus per præcedentem iustificationem non fuerit facta. Cuius effectus cum duobus præcedentibus in textu meminit Magister.

Quintum: Securitas remissionis peccatorum, de qua diximus, cùm de varijs baptismi effectibus ageremus. Cùm enim nemini de sua iustificatione
A nondum adhibito baptismi aut reconciliationis sacramento facilè sit præsumendum, securitatem quandam, id est, bonam confidentiam cum tranquillitate conscientiæ præstat etiam ijs, qui iam antè solo sacramenti voto concepto iustificati erant, ipsum sacramentum actu suscepturi.

Postremum, externa seu visibilis hominis incorporatio in ecclesiam Christi. Quamuis enim per gratiam iustificationis antea perceptam Christo quispiam sit incorporatus, viuumque eius membrum effectus, non tamen ab ecclesia inter fideles, & membra Christi reputabitur, priusquam sacra-
B mento fidei fuerit imbutus, quemadmodum rectè admonet in textu Magister.

§. 23. *Baptismum infantibus ad salutem esse necessarium.*

DE baptismo paruulorum, id est, eorum qui per ætatem ratione nondum vtuntur, varij *S. Thom. 1.4. q. 113 art. 3. ad 1. & 3. p. q. 68. ar. 9.* extiterunt, atque etiamnum hodie extant errores; alijs prorsus negantibus eos baptizari licere, alijs id
C permittentibus quidem; sed negantibus vtilitatem aliquam inde paruulis accedere, alijs denique licèt vtilitatem agnoscant, necessitatem tamen eius abnuentibus. Nam præter anabaptistas, qui prorsus tollunt infantium baptismum atque eos etiam baptizatos in adulta ætate rebaptizant, Caluinistæ necessarium negant. Et olim Pelagiani valere paruulis dicebant, non ad vitam æternam, quam ijs etiam absque baptismo promittebant, sed ad regnum consequendum propter illud quod scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non po-*
D *test introire in regnum Dei.* Fuerunt & alij perperam de baptismo paruulorum sentientes vt Hieracitæ, qui omnem salutis spem paruulis etiam baptizatis adimebant, eò quòd certare nequeant, cùm scriptũ sit: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* De quibus vide Epiphanium hæresi 67. Et Fidiani qui in octauum vsque diem iudaico more baptismum differri volebant. Contra quos agit Cyprianus epist. 36.

Aduersus hanc errorum varietatem primò omnium statuendum est omnem hominem etiamsi ex iustis & sanctis parentibus nascatur, nasci obno-
E xium peccato originali, & per peccatum morti æternæ, vti in 2. sententiarum libro ad distinct. 31. monstratum est. Deinde constat ex superioribus ad delendum originale peccatum vnicum esse remedium in noua lege institutum, videlicet baptismi sacramentum. Hinc ergo manifestè consequitur, paruulos aut omnino non posse à peccato liberari, & salutem adipisci, aut vt vtramque hoc beneficium consequantur, necessariò baptizandos esse.

Quod autem illa Domini sententia: *Nisi quis renatus &c.* etiam paruulos complectatur, non sic
F tantùm vt sine baptismo nequeant saluari, verùm ita quoque vt per baptismum saluati possint partim ex scriptura, partim ex perpetua ecclesiæ traditione doceri potest.

Primùm enim ne quis putaret ad adultos tantùm pertinere remedium illis verbis præscriptum: *Nisi quis renatus &c.* subiunxit Dominus: *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Cùm igitur natiuitas carnalis sit omnibus communis, oportuit & remedium præscribi omnibus commune, quo possent de carne transire ad spiritum, atque ita introire in regnum Dei.

Imò

rint, vel isti propter confessionem veræ fidei, sanctæ & vniuersalis ecclesiæ visceribus sunt vniti.

Rursum Augustin. lib. 3. contra Donatistas cap. 13. de baptismo in hæresi vel schismate accepto scribens ait: Tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cùm ad ecclesiæ pacem venerint, non vt iam dimissa non retineantur, neque vt ille baptismus quasi alienus aut alius improbetur, vt alter tradatur, sed vt ibidem ipse qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem. Et lib. 6. cap. 25. Deus ipse sanctificat sacramentum suum vt homini siue antequam baptizetur, siue cùm baptizatur, siue postea quandoque ad se veraciter conuerso idipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem nisi conuerteretur, valeret.

Accedit & ratio. Baptismus enim regeneratio quædam est, dum autem generatur quippiam, simul eum forma suscipit effectum eius proprium & naturalem, nisi quid obstet, quo obstaculo remoto statim eundem effectum consequitur, sicut lapis continuò dum generatur deorsum mouetur, nisi quid externum impediat, quo postea sublato statim cadet: Ita qui baptismum suscipit, gratiam consequitur vel in ipso baptismo, vel si fictio impediat, mox vt ea per veram conuersionem amota fuerit.

Item baptismus propriè institutus est ad delendum originale peccatum, quemadmodum testatur Augustin. in Enchirid. 64. & concilium Florentinum in decreto Armenis dato, neque vlli alteri sacramento nouæ legis eum effectum patres aliquando asscripserent. Cùm igitur originale peccatum adulto non dimittatur sine actualibus, consequens videtur, vt non per pœnitentiam, sed per baptismum, sublata fictione fiat omnium remissio.

Cæterùm pro diuersa sententia hæc adferri possunt.

Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 12. videtur ad sacramentum reconciliationis reijcere effectum baptismi per fictionem frustratum. Dicit enim tunc prodesse tali homini baptismum ad remissionem peccatorum, quando reconciliatos vnitati sacrilegio dissensionis exuitur. Et post verba superius in alteram partem producta ita continuò subijcit: Sic etiam iste, qui baptisma Christi in aliqua hæresi aut schismate accepit, cùm se correxerit, & ad ecclesiæ societatem, vnitatemque venerit, non iterum baptizandus est; quia ipsa reconciliatione ac pace præstatur, vt ad remissionem peccatorum eius in vnitate iam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat. Vbi videtur Augustinus reconciliationis & pacis nomine sacramentum absolutionis designare. Alius locus est lib. 7. contra Donatistas cap. 53. Si, inquit, postea prodatur (nempe fallaciter quempiam ad baptismum accessisse) nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur. Vbi rursum eam pœnitentiam, quæ sanat virtute clauium, videtur intelligere, quia excommunicationis meminit, quæ similiter fit potestate clauium.

Videtur autem & ratione probari. Nullum enim peccatum mortale post baptismum dimittitur, nisi per sacramentum pœnitentiæ, præsertim si peccatum illud in baptismo, vel etiam post baptismum commissum fuerit. Atqui fictio & baptismi tempore erat, & post baptismum aliquamdiu perseuerauit, & alia fortè post baptismum peccata mortalia accesserunt. Quare horum remissio non videtur spectanda nisi ex sacramento pœnitentiæ.

Vt ad hanc quæstionem probabilis adferatur responsio, distinguendum est inter peccata, quibus obnoxius est homo baptizatus, tunc quando fictionem deponit, & syncerè ad Deum conuerti incipit. Quædam enim baptismum præcesserunt, vt originale & actualia nonnulla, quædam verò vel coniuncta erant baptismo, vel eum secuta sunt, vt fictio, & si quæ alia postmodum peccata accesserint.

Imprimis igitur dicendum videtur, talem non accipere effectum baptismi, id est, cum gratia renouante remissionem peccatorum, nisi in ipso pœnitentiæ sacramento propter rationes suprà positas. Non enim vnum mortale peccatum remittitur absque alio; neque quod post baptismum commissum est, virtute baptismi remitti potest. Veruntamen in ipsa sacramentali absolutione quædam peccata remittũtur virtute baptismi antea suscepti; ea videlicet quæ baptismum præcesserant, tunc enim tollitur impedimentum quod prohibebat, quo minus remitti possent, videlicet reatus fictionis & aliorum postea commissorum. Vnde & illa non necessariò sunt confitenda sacerdoti, neque pro ijs iniungenda est satisfactio, quia perfectè remittuntur tam quoad pœnam, quàm quoad culpam. Alia verò, id est, quæcunque baptismum fuerunt secuta, remittuntur virtute clauium per absolutionem sacerdotis. Vnde tam ipsa fictio quàm peccata postmodum commissa per confessionem detegenda sunt sacerdoti, & pro ijs congrua satisfactio est imponenda.

Hoc igitur pacto tam authoritates, quàm rationes in vtramque partem allatæ conciliari possunt. Non enim August. dicit statim fictione recedente baptismum operari in homine remissionem peccatorum, sed id fieri per veram confessionem; qua videlicet ministro ecclesiæ fictionis suæ peccatum detegens ad pacem & reconciliationem admitti petit. Quod autem virtuti baptismi eam remissionem totam asscribit Augustinus, eo sensu id accipiendum, quo alibi idem ipse omnem sequentem renouationem baptismo tribuit. Qua de re suo loco diximus.

Gregorius autem de solemni ceremonia, qua recipi solent ab hæresi vel schismate redeuntes loquitur, quæ non vna seruabatur apud omnes, & sine qua Deo per pœnitentiam reconciliari non poterant. Vbi tamen notandum non Gregorij 1. sed 2. vel 3. esse illud decretum, quia Monothelitarum meminit, qui Gregorio 1. fuerunt posteriores.

Neque postremò obstat, quòd baptismus tunc non existat quando fit illa præcedentium peccatorum remissio, quia baptismus, cùm non tam virtute inexistente, quàm assistente operetur, etiam postquam esse desijt, ad effectum suo modo, id est, tanquam signum efficax cooperari potest, maximè cùm non omnino transierit, sed secundùm aliquid permaneat, nempe secundùm characterem, de quo nunc aliquid adijciendum est.

§. 13. *Baptismi characterem esse indelebilem & quomodo definiatur.*

SVprà cùm de sacramentis in genere ageremus, ostendimus esse quædam sacramenta chara- S. Tho. 3. p. q. 63. art. 5. q. 68. ar. 8.

cterem imprimentis, quorum primum est baptismus. Quo etiam loco ex concilijs & patribus ac potissimùm ex Augustini sententias produximus, quibus hoc ipsum peculiariter de baptismo confirmatur. Hunc quoque sacramentalem effectum, non sicut gratia renouans & sanctificans, amitti posse, sed perpetuum atque indelebilem esse tam authoritate quàm ratione probauimus. Quod quidem ita intelligendum est, vt nullo scelere, nulla impietate, nulla defectione, ac ne quidem post hanc vitam in ipsis damnatis hoc spirituale signum semel animæ impressum deleatur vnquam. Sicut enim regale signum monetæ impressum manet, etiam inter hostes & peregrinos atque à rege remotissimos: ita signum hoc Christi animæ rationali per baptismum impressum permanet etiam in ijs qui castris Christi relictis & fide negata tenentur sub potestate diaboli. Qua similitudine vtitur Augustinus lib. 2. contra epistol. Parmeniani cap. 13. sicut & altera de charactere militari, ita subiungens: An fortè minùs hærent sacramenta christiana, quàm corporalis hæc nota? cùm videamus nec apostatas carere baptismate, quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse iudicatur &c.

Idem lib. 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 10. alia à coniugali vinculo ducta similitudine vtens: Inter viuentes, inquit, manet quoddam vinculum coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis, sicut apostatæ anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis recepit. Redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens; habet autem hoc qui recesserit ad cumulum supplicij, non ad meritum premij. Quibus in verbis notandum quod dicit Augustinus lauacro regenerationis accipi sacramentum fidei, qui sermo ineptus videbitur, nisi per sacramentum fidei intelligamus aliquid distinctum ab ipso regenerationis lauacro, nimirum characterem transacto lauacro permanentem. Neque enim vult Augustinus ipsum lauacrum permanere, ac nunquam interire, quod constat falsum esse, sed quendam lauacri effectum, quem ferè sacramenti nomine designat.

Si quæras quid sit character baptismi, breuiter respondemus secundùm ea, quæ dudum de charactere sacramentali in genere dicta sunt; baptismi characterem esse spiritualem quendam potestatem ad ea participanda quæ toti fidelium populo sunt communia: que quidem velut nota tanquam ciuis ecclesiæ quis agnoscitur, & ab alienis distinguitur. Comparetur enim hic character cum iure ciuitatis, id est, eo quod habent omnes, qui in aliquam ciuitatem ascribuntur; quo iure participes efficiuntur omnium commodorum ac priuilegiorum illius ciuitatis. Indicat hanc characteris baptismalis rationem Dionysius lib. ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 2. parte 3. vbi dicit, quod Deus in quodam signo tradit sui participationem accedenti ad baptismum, perficiens eum diuinum & communicatorem diuinorum. Non videtur autem præcisè sic rectè definiri, quòd sit potestas recipiendi cætera ecclesiæ sacramenta; tum quia etiam ad quædam alia hæc potestas se extendit; tum quia etiamsi fortè præter baptismum nulla alia sacramenta fuissent in ecclesia instituta, nihilominus adhuc characterem imprimeret baptismus.

§. 14. *Baptismum non esse iterandum.*

COmmune est omnibus sacramentis characterem imprimentibus, quod repeti non possint in eodem. Cuius potissima ratio ex ipso charactere petenda est. Si namque talium sacramentorum aliquod repeteretur, fieret iniuria characteri, ipsique proinde sacramento, quasi videlicet nota per sacramentum impressa per hominum malitiam deleri posset. Hanc rationem à charactere sumptam reddunt patres conciliorum Florentini & Tridentini, vti ad 1. distinctionem annotauimus. Eodem pertinet altera ratio ibidem loci indicata ex Augustino, Cypriano & Gregorio; quoniam videlicet hæc sacramenta quadam consecratione dantur; consecrationem autem eiusdem rei ad aliquid idem iterari nefas est, cùm res semel Deo consecrata ex ipsa consecrationis natura perpetuò talis maneat, & manere debeat sine vlla cuiusquam retractatione, quemadmodum etiam S. Thomas docet 2. 2. quæst. 88. art. 11. S.Tho. 3. p. q. 66. art. 9.

Præter has autem communes rationes, aliæ sunt baptismo peculiares.

Prima, sicut generatio vna est & repeti non potest, ita & regeneratio. Vnde Augustinus tract. 11. in Ioannis 3. ad illud Nicodemi: *Nunquid potest in ventrem matris suæ &c.* Iam natus sum, inquit, de Adam, non potest me iterum generare Adam. Iam natus sum de Christo, non potest me iterum generare Christus. Quomodo vterus non potest repeti, sic nec baptismus. Et tract. 12. Regeneratio spiritualis vna est, sicut generatio carnalis vna est. Et alibi: Semel nascimur, semel renascimur.

Secunda, baptismus in Christo nihil aliud est, quàm mortis Christi similitudo, quemadmodum testatur Augustin. Enchir. 52. Et probatur ex Apostolo Rom. 6. dicente: *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus &c.* Atqui vt ibidem dicit apostolus, *Christus semel mortuus iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*, & vt Petrus ait 1. epist. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est*, idemque iudicium de sepultura & resurrectione eius, ergo semel tantùm per baptismum Christo commori & consepeliri, & conresurgere possumus. Hanc rationem considerans apostolus Heb. 6. ait: Impossibile esse eos, qui semel sunt illuminati, id est, baptizati, rursus renouari ad pœnitentiam, id est, baptizari, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei & ostentui habentes, ipsa videlicet baptismi iteratione.

Quòd si contra hanc rationem obijcias, eucharistiæ quoque sacramentum & sacrificium quandam habere passionis & mortis Christi similitudinem, cùm dicat Apostolus 1. Corinth. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat* Et tamen rectè tã oblationẽ, quã sumptionẽ eius frequentari

etiam ab ijsdem. Respondeo, sacrificium hoc repræsentare mortem Christi absoluiè, & quidem eo pacto, vt illa repræsentatio ordinetur ad commemorationem mortis dominicæ & gratiarum actionem, quæ frequens & quotidiana esse debet, ideoque ipsum rectissimè frequentari. Baptismo autem non absoluiè repræsentari mortem Christi, sed quatanus eam semel passus postea resurrexit ad vitam beatam non moriturus amplius. Repræsentatur autem non in imagine, aut in sacrificio, sed in nobis ipsis, qui proinde per baptismum commori Christo dicimur. Vnde & exhortationis materiam accepit apostolus ostendens eum qui semel baptizatus est, & per baptismum peccato mortuus, non debere amplius in veterem relabi seruitutem, sed deinceps in nouitate vitæ ambulare.

Tertia ratio, Peccatum originale semel contractum & deletum nunquam reuocatur, ergo nec remedium ad eius deletionem propriè institutum repeti debet.

Quarta, Circumcisio repeti non potuit, Igitur nec baptismus, cuius illa erat figura.

Porrò certissima huius doctrinæ probatio est ex perpetua ecclesiæ traditione, vnanimi patrum consensu & conciliorum authoritate firmata, adeo vt baptismi semel dati iteratio instar sacrilegij semper habita fuerit, quemadmodum videre est apud Gratianum causa 1. quæst. 1. & de consecrat. distinct. 4. atque etiam legibus principum capit. Fuerit punita, vt patet in codice Iust. titul. Ne sanctum baptisma iteretur. Nam & sacri canones in odium tanti sceleris pœnam irregularitatis statuerunt tam rebaptizatis, quàm rebaptizantibus. Testatur etiam Augustinus lib. 5. contra Donatistas capit. 4. occulta quadam Dei inspiratione passim homines detestari anabaptismum; quo fit, vt sicut olim Donatistæ propter hoc scelus toti ecclesiæ habebantur execrabiles, ita hodie quoque anabaptistæ propter simile sacrilegium tametsi ex diuerso errore profectum non catholicis modò, sed & aliarum sectarum hæreticis sint vehementer exosi.

Eius rei impietas diuino miraculo aliquando prodita est. Refert enim Socrates lib. 7. suæ historiæ cap. 17. cùm Iudæus quidam aliâs baptizatos, iterum ad baptismū accederet, aquam inter manus episcopi repente euanuisse, ac tum episcopum ei dixisse: Aut veterator es, aut baptismum ignorans accepisti.

Si quis ad probationem scripturas requirat, præter loca Heb. 6. & Rom. 6. superios indicata proferri & ista possunt Ephes. 4. *vnus Dominus, una fides, vnum baptisma* Ioannis 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet.* Heb. 10. *Voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia.* His enim scripturis, & ea maximè quæ est in epistola ad Ephes. ad huius dogmatis assertionem non rarò patres vsi leguntur, vt Augustin. tract. 56. & 57. in Ioannem lib. 2. contra Donatistas cap. 14. lib. de 5. hæresibus cap. 7. & Leo epist. 37. & 39. Et Hugo lib. 2. parte 6. cap. 13. de sacramentis, vbi dicit hac authoritate Ephes. 4. vniuersos vti.

Neque robur eius probationis eneruat, quòd fides licet vna quoque ab Apostolo dicatur, amitti tamen & recuperari iterum ac sæpius possit. Aliter enim fides vna dicitur, aliter baptisma: fides ratione obiecti quemadmodum id ad dist. 23. lib. 3. explicatum est: Baptisma verò ratione sui, eò quòd per ipsum quis religioni Christianæ consecratur, atque ecclesiæ Dei ciuis asscribitur, cuiusmodi actus iterationem non recipit.

Vnde etiam fatendum est baptismum iteratum non esse baptismum, quia homo semel baptizatos iam non est capax baptismi suscipiendi, sicut panis semel consecratus non potest iterum consecrari, & sicut res semel cuipiam donata, non potest iterum eidem donari, nisi donatio ex eius parte facta fuerit irrita. Quod quidem in re præsenti locum non habet.

§. 15. *Utrùm baptizandi de quorum baptismo dubitatur.*

QVæri solet vtrùm baptizandi sint, de quibus dubitatur, fuerintne aliquando baptizati: Baptizari tales suadet sacramenti necessitas, vt sine quo non peruenitur ad salutem. Non baptizari autem monet periculum sacrilegij, ne fortè quod semel datum est, iteretur. Respondens ad hanc quæstionem Leo epist. 37. Imprimis, inquit, prouidere debemus, ne dum speciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum. Et mox: Cùm itaque baptizatum se nec ille recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, quod nesciat consecratum, nihil est in quo peccatū possit obrepere. Et tandem concludit non posse in iterationis crimen deuenire quod factum esse omnino nescitur, tametsi velit pontifex, priusquam talis baptizetur, sollicita primùm examinatione discuti, ac multo tempore indagari (nisi fortè periculum mortis immineat) vtrùm nemo sit penitus, qui testimonio suo iuuare possit ignorantiam nescientis. Alius locus est apud eundem epist. 92. Si nulla, inquit, existant iudicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est vt renascantur, ne manifestè pereant. In quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, vt videatur iteratum. Leguntur hæc apud Gratianum de consecrat. dist. 4. cap. Cum itaque, & cap. Si nulla, Similiter sentit Innocent. 3. extra, de presbytero non baptizato cap. Veniens. vbi rursus hæc additur ratio, quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum; nec malè de sacramento sentitur, cùm illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit.

S.Thom. dist. 3.p. 2. q. 66. art. 9. ad 4. q. 65. art. 2. ad 4.

Postea verò præsentius consilium in huiusmodi dubitationis casu ecclesia reperit, quando iussit tales non absoluiè, sed sub conditione baptizari, vti habetur extra de baptismo & eius effectu, vbi Alexander tertius ita statuit. De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine patris &c. Atque hoc pontificis decretum vsque in hodiernum diem perpetua praxi in ecclesia obseruatur: Vbi tamen sciendum est, non quamcunque leuem in contrarium suspicionem, vel scrupulum debere sufficere ad hoc vt sub conditione quis hoc pacto baptizetur, sed requiri dubitationem probabilem, quemadmodum ex locis suprà dictis Leonis & Innocentij patet. Ea autem probabilis dubitatio est, quæ facta etiam diligenti indagine discuti non potest, ita vt nec moralis certitudo facti haberi queat.

est consuetudo quorundam, qui passim ac sine discrimine infantes ab obstetricibus propter vitæ periculum baptizatos iterum sub conditione baptizant, non aliam dubitandi causam habentes, quàm quòd muliercula fortè vel intentione deficere, vel in verbis proferendis hallucinari potuerit, cùm tamen obstetrix interrogata testetur se ritè totum mysterium peregisse. Contra quem abusum grauiter scribunt Dominicus Soto in distinct. 3. art. 6. Petrus de palude dist. 6. quæst. 4. & Siluester titulo, baptismus, 4. num. 9.

§. 16. *Baptismum esse omnibus ad salutem necessarium.*

Tho. 3. q. 68. a. 1.

CVm remissio peccatorum atque imprimis originalis peccati, & regeneratio in vitam spiritualem sit omnibus hominibus absolutè necessaria ad salutem, consequens est baptismum quoque ex quo institutus & promulgatus est, omnibus necessarium esse, in quantum illi effectus absque baptismo non contingunt. Esse autem baptismum ad regenerationem & proinde ad salutem necessarium testatur Dominus Ioannis 3. dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Quam Domini sententiam ecclesia catholica de aquæ baptismo, eiusque necessitate semper intellexit, & perpetua obseruatione intelligendam esse docuit: quippe quæ hoc sacramentum tanquam ad salutem necessarium materna sollicitudine semper omnibus adhibendum curauit, neque pro christianis habuit, qui eo non essent initiati. Vnde Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. Ex illo tempore, inquit, quo saluator noster dixit: *Si quis renatus non fuerit &c.* absque sacramento baptismatis nec regnum cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam. Rursumque cap. 27. & 30 eandem doctrinam repetit. Quam & Gennadius inter ecclesiastica dogmata retulit cap. 74.

Notari præterea possunt & hæc loca August. tract. 11. & 12. in Ioannem, epist 57. lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. lib. 4. contra Donatistas cap. 21. & lib. 6. cap. 12. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 16. 20. 22. 29. & 30. ac rursum lib. 2. cap. 27. lib. 3. de origine animæ cap. 11. & serm. 14. de verbis Apostoli. Item Hieronymus contra vigilantium, Leo epist. 92. Gregorius lib. 7. epist. 53. Bernardus epist. 77. ad Hugonem, & Gratianus in decreto de consecrat. distinct. 4. cap. Filius & cap. Non dubito, & cap. Nulla præter &c. Et alia patrum loca pene innumera.

Manichæos verò contra sentientes baptismum in aqua nihil cuiquam saluris adferre iam olim damnauit ecclesia. Hunc etiam præter alios, errorem ijs asscribit Augustinus hæresi 46. Quem postmodum resuscitauit Ioannes Wicleff Christi sententiam non de materiali sed spirituali aqua, vti hoc sæculo Caluinus, interpretans, quemadmodum de illo refert Thomas Waldensis tomo 2. de sacramentis cap. 101. Quam absurditatem suprà refutauimus, cùm de sacramenti huius materia ageremus. Pelagiani quoque hoc nomine damnati fuerunt, quòd vitam æternam, etsi præter regnum cælorum promitterent infantibus non baptizatis, vt est apud Augustinum lib. 1. de paccatorum meritis cap. 20. & alibi. Perpetuum autem ecclesiæ sensum de baptismi necessitate nobis consignarunt duo concilia, Florentinum in decreto Armenorum, & Tridentinum sess. 6. cap. 4. & sess. 7. de baptismo, canone 5.

Porrò Dominus ipse suæ sententiæ rationem reddens: *Quod natum est*, inquit, *ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est*, quasi diceret. Cùm omnis homo carnalis & peccato obnoxius nascatur ex Adam, spiritualis autem & iustus ideoque & saluus fieri non possit, nisi per spiritumsanctum renascatur, siquidem caro seipsam spiritalem efficere non potest: restat vt ad illud adminiculum confugiatur, per quod spiritussanctus instituit, & sine quo non vult homines facere spirituales. Hoc autem est lauacrum aquæ. Quare consequens sit debere vnumquemque ex spiritusancto renasci per aquam. Vnde Dominus, etsi is esset, qui baptizaret in spiritusancto, ipse tamen & ante passionem misit apostolos baptizare in aqua, & post passionem ijs vniuersale dedit mandatum dicens: *Euntes baptizate omnes gentes.* Et rursum: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et Paulus Ephes. 5. testatur Christum mundare vniuersam ecclesiam suam lauacro aquæ in verbo. Et Petrus ad omnes scribens fideles 1. epist. 3. *Quod & vos*, inquit, *nunc similis formæ saluos facit baptisma*, nimirum eo modo, vt sine eo, non sit salus, sicut tempore diluuij salus nemini erat extra arcam.

Cùm autem duplex sit necessitas, altera finis altera præcepti, & iam sit ostensum ad finem, id est, salutem consequendam necessarium esse baptismum, quæri potest, vtrùm etiam necessitate præcepti mortales omnes baptismus obliget. Ad quod respõdemus planè hic agnoscendã etiam esse necessitatem præcepti, quæ necessitas satis expressa est supradictis scripturæ locis Ioannis 3. Matth. vltimo & Marci vlt. Si enim sufficienter ostensum est baptismum esse necessarium necessitate finis, rectè colligitur etiam præceptum de eo suscipiendo omnibus datum esse, cùm omnes teneantur illum finem quærere. Et certè S. Thomas 3. quæst. 68. art. 1. non alia vtitur probatione, vt præcepti esse doceat baptismum, nisi quia vnusquisque ad id tenetur, sine quo salutem consequi non potest. Qua ratione etiam fatendum est omnes ex præcepto teneri ad fidem & religionem & doctrinam Christi suscipiendam & tenendam, propterea quòd sine ea non possint homines saluari.

Veruntamen hoc loco memoria repetendum est quod ad superiorem distinctionem cum de obligatione huius præcepti ageremus, admonuimus, eam esse naturam legis positiuæ, vt neminem obliget nisi promulgata. Quare quicunque laborant inuincibili ignorantia huius legis, vt illi quibus de Christo nihil fuit vnquam annunciatum, & qui omnino legis capaces non sunt, vt infantes & amentes, hactenus quidem excusantur, vt non puniantur tanquam huius præcepti transgressores, at non ita vt non pereant propter sua peccata, à quibus liberari sine hoc diuinitus instituto remedio non possunt. Ad huius autem probationem sufficiat in præsens authoritas Bernardi, qui epist. 77. ad Hugonem sententiam Domini Ioannis 3. apertissimè testatur præceptum fuisse positiuum, quod tamen non statim omnes, sed paulatim notitia eius crescente obligare ceperit.

§. 17. *Quomodo baptismus saltem in voto sit omnibus necessarius.*

S.Tho.3. p.q.66. ar.n.& q.68. art.2.

OMnibus adultis ita necessarium est hoc baptismi sacramentum, vt sina eo vel reipsa suscepto cùm haberi potest, vel siue eius expresso voto ac desiderio, cùm haberi non potest, nemo salutem consequatur. Estque id commune huic sacramanto respectu omnium, cum sacramento pœnitentiæ respectu relapsorum. Qua de re tria sunt loca in concilio Tridentino. Nam sess. 6. cap. 4. definitur post promulgatum euangelium iustificationem primam fieri non posse sine lauacro regenerationis, aut eius voto, iuxta id quod scriptum est: *Nisi quis renatus &c.* Et sess. 7. canone 4. de sacramentis in genere, damnantur qui dicunt sine sacramentis aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam iustificationis adipisci. Sessionis autem 14. cap. 4. docent patres reconciliationem, quæ aliquando contingit ante sacramentum actu susceptum, ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse ascribendam.

Ex quibus duo colliguntur, nempe absque voto baptismi vel pœnitentiæ nunquam hominem adultum consequi illorum sacramentorum effectum, & nihilominus ipsum sacramentum esse necessarium ad salutem, nisi necessitate excludatur; quo casu voluntas pro facto reputabitur. Quare non est putandum ob id solum esse necessarium baptismi sacramentum (de pœnitentiæ sacramento quoad relapsos, idem esto iudicium) quia neque contemni, neque negligi potest, cùm nec confirmationis, nec extremæ vnctionis sacramenta citra culpam contemni possint aut negligi, quæ tamen non similiter cum baptismo dicimus esse necessaria: sed ita necessarium est, vt cùm haberi potest, omnino suscipi debeat sub periculo æternæ salutis, & cùm haberi non potest, debeat expresse desiderari & voto suscipi, id quod non oportet de sacramentis alijs. Quamuis enim omni inuocanti de salute facta est promissio iuxta illud: *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit* Ioel. 2. & illud: *Omnis qui petit, accipit*, propter expressam tamen Dei ordinationem, quæ aquam requirit, debet, si aqua haberi nequeat, illi necessitati respondere inuocatio, qua petatur vt Dei misericordia defectum illum suppleat, id est, præstare dignetur sine sacramento, quod ex ordinatione sua cum sacramento & per sacramentum præstaret.

Cùm igitur baptismus haberi non potest, sed tamen desideratur, rectè illud vsurpatur: Voluntatem pro facto reputari, quando factum excludit necessitas. Quod tamen non est ita accipiendum, quasi voluntas illa seu votum suscipiendi sacramentum, vim sacramenti in se includat, id est, ita operetur effectum sacramenti, quomodo ipsum sacramentum, si adhibitum esset, suum effectum operaretur. Non enim ex opere operato, sed ex opere operantis valet desiderium illud sacramenti tanquam desiderium operis operati, scilicet baptismi, atque ad præparationem pertinet, perinde vt fides & oratio. Quod ergo ibi voluntas baptismi pro baptismo habeatur, non id prouenit ex natura rei, sed ex Dei misericordia; qui propter fidem & desiderium
A quærentis salutem complet in necessitate, quod
deest ex parte sacramenti. In ijs autem operibus
in quibus non opus operatum spectatur, sed meritum operantis, voluntas dummodo sit satis magna & efficax pro facto propterea reputatur, quod tota meriti ratio in voluntate posita sit, quæ tanta esse potest absque opere, quanta operi coniuncta, atque interdum etiam maior. In quibus proinde, quòd pro facto reputetur voluntas non misericordiæ Dei est, sed aut naturæ & dignitatis rei, aut saltem primæ institutionis. Quod qui-
B dem perspicuum est in malis operibus, velut si
quis omnino voluit hominem occidere nec potuit tamen. Talis enim non immodica legis seueritate, sed iusto iudicio punietur vt homicida, vtpote qui non minori malicia affectum gerit animum, quàm si homicidium reipsa perpetrasset, quemadmodum ostendimus ad distinctionem 42. lib. 2. In hoc igitur operum genere propriè locum sibi vendicat illud, voluntatem pro facto reputari, non autem in his quæ tantùm ex opere valent operato, nisi in quantum misericordia Dei supplet inuisibiliter, quod visibili opere sacramenti præstari non potuit. Hoc autem mise-
C ricordiæ diuinæ supplementum, vbi adest vo-
luntas, seu desiderium visibilis sacramenti in necessitate præsto esse semper patres intellexerunt.

Probatur id primùm ex Cypriano, qui in epist. ad Iubaianum cùm doceret baptismum ab hæreticis collatum nullum esse, atque huiusmodi quæstionem sibi opponeret. Quid ergo fiet de his, qui in præteritum de hæresi ad ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt? Potens est, inquit, Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos qui ad ecclesiam simpliciter admissi in ecclesia dormierunt, ab ecclesiæ suæ muneribus
D non separare. Quod si Cyprianus persuasum ha-
buit de ijs qui sine baptismo, vt ipse putabat, defuncti, opinione tamen sua baptizati fuerant; quodque similiter dicendum erit de ijs qui se baptizatos existimant, etsi reuera fortè per errorem, aut maliciam aliquam parentum, aut aliorum ad quos ea cura spectabat, vel etiam ipsius baptistæ in infantia baptizati non fuerint (Tales enim ita approbant baptismum, quem se suscepisse credunt, vt si se non baptizatos scirent, omnino baptismum & desiderarent & actu percipere vellent) multò magis profectò id dixisset Cypria-
E nus de ijs, quos à baptismo vehementer desidera-
to necessitas excludit.

Sed clarius huius rei testimonium est apud Ambrosium in oratione funebri de obitu Valentiniani, qui baptismum expetiuerat quidem, sed certas ob causas distulerat, volens ab Ambrosio baptizari. Ad quem priusquam perueniret, in itinere mortuus est. De quo Ambrosius inter alia: Ventrem meum doleo, inquit, quoniam quem in euangelio eram generaturus, amisi, sed ille non amisit gratiam quam poposcit. Et infrà: Audio
F vos dolere, inquit, quòd non acceperit sacra-
menta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, vt antequam in Italiam venisset initiaretur, & proximè baptizari se à me velle significauit. Et ideo præ cæteris causis me accersendum putauit. Non habet ergo gratiam, quam desiderauit? non habet quam poposcit? & quia poposcit, accepit? Et vbi illud est: Iustus quacunque morte præuentus fuerit, anima eius in refrigerio erit, Sapientiæ 4. &c. Et paulò pòst:

Quòd si martyres suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas. Denique post multa conuersus ad eum sermone ait: Non quicunque te sed Christus illuminabit gratia spiritali. Ille te baptizauit, quia humana tibi officia defuerunt. Plus adeptus es, qui minora te amisisse credebas.

Nec minùs clara est Augustini sententia lib. 3. contra Donatistas cap. 23. Inuenio, inquit, non tantùm passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem, conuersionemque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustijs temporum succurri non potest. Et interposito de latrone exemplo ait: Sed tunc impletur inuisibiliter cùm mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Hoc autem supplementum ex parte misericordiæ Dei intelligendum esse apertius significat cap. 25. eiusdem libri. Vbi cùm dixisset salutem hominis ex vtroque compleri, baptismo videlicet & conuersione cordis, ita subjicit: Nec si vnum horum defuerit, ideò putare debemus consequens esse, vt & alterum desit: quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo siue in illo siue in isto, quod non ex voluntate defuisset. Eundem Augustinum vide in Leuiticum quæst. 84.

Porrò Bernardi ætate cùm quidam assereret ex eo tempore, quo dictum est: *Nisi quis renatus &c.* neminem absque eodem percepto actualiter visibili sacramento, vel eius vice martyrio, vllatenus potuisse saluari, etiamsi illud cum vera fide & contritione cordis expeteret, consultus de ea re ab Hugone Victorino Bernardus epist. 77. ita respondet: Si quis voluerit & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequiuerit, dum non desit fides recta, spes pia, charitas syncera, huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere charitatem, tantùm si aquam non contemptus, sed sola, vt dixi, prohibeat impossibilitas. Ac deinde sententiam suam authoritate Ambrosij & Augustini citatis locis supradictis confirmat ita subiungens: Ab his duabus columnis difficile auellor, credens & ipse sola fide hominem posse saluari cum desiderio percipiendi baptismum, si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quæcunque vis inuincibilis obuiarit. Et quæ sequuntur.

Sed & ipse Hugo cum Bernardo sentit lib. 1. de sacramentis par. 9. cap. 8. Nec ab vtroque dissentit Magister vtriusque contemporaneus §.E. huius distinctionis. His adde duo capitula Innocentij 3. videlicet, Debitum, titulo de baptismo, & eius effectu, & Apostolicam, titulo de presbytero non baptizato. Quorum priore de Iudæo qui seipsum in aquam merserat, ratum putans talem baptismum, affirmat quòd si talis continuò decessisset, ad cælestem patriam protinus euolasset, propter sacramenti fidem, & non propter fidei sacramentum. Posteriore verò incunctanter asserendum pronunciat talem presbyterum, si in sanctæ matris ecclesiæ fide & Christi nominis confessione perseuerauit, ab originali peccato solutum, & cælestis patriæ gaudium esse adeptum. Idque probat testimonijs Augustini & Ambrosij ijs, quæ suprà citauimus. Postremò in hanc sententiam omnes scholastici conueniunt.

Nec verò absque scripturæ authoritate hæc à patribus dicta sunt. Nam generales sententiæ hæ & huiusmodi satis hanc doctrinam astruunt: *Omnis qui petit accipit.* Matth. 7. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit* Ioelis 2. Rom. 10. Act. 2. *Omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum,* Ioannis 11. *Pax hominibus bonæ voluntatis,* Luc. 2. *Omnis qui credit in illum non confundetur,* Isaiæ 28. Rom. 10. *Non dereliquisti quærentes te Domine,* Psal. 9. *Nullus sperauit in Domino & confusus est,* Ecclesiastici 2. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies,* psal. 50. Ambrosius hac vtitur scriptura: *Iustus quacunque morte &c.* Sapientiæ 4. Iustum intelligens hominem syncerè ad Deum conuersum. Augustinus præter exemplum latronis, quod satis idoneum se posuisse negat 2. Retract. 18 quia vtrùm baptizatus non fuerit, incertum est, illud ex apostolo allegat, *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem,* Rom. 10. Bernardus autem vrget quòd cùm dixisset Dominus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit,* non addidit: Qui verò non baptizatus fuerit, sed tantùm *qui non crediderit, condemnabitur;* nimirum innuens (ait Bernardus) solam fidem interdum sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil. Hic quoque vsurpari potest, illud Ezechiæ, 2. paralip. 30. *Dominus bonus propitiabitur cunctis qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, & non imputabit eis quòd minus sanctificati sunt.*

Denique suggerit huius rei argumentum oratio trium puerorum Danielis 3 qui dolentes, quod sacrificijs destituti essent extra Hierosolymam positi, per quæ possent inuenire misericordiam Dei, rogant vt in animo contrito & spiritu humilitatis suscipiantur, hanc addentes orationi suæ clausulam: *Quoniam non est confusio confidentibus in te.*

§. 18 *Ad quædam in contrarium argumenta responsio.*

NVnc ea breuiter diluenda, quæ in contrarium afferri solent. Imprimis autem objicitur generalis Christi sententia: *Nisi quis renatus &c.* quæ haud dubiè de baptismo aquæ accipienda est. *S. Thom. vbi sup.* Cui si respondeas alias quoque sententias suprà allatas generales esse, & quidem antiquiores, quibus proindè merito cedere debeat ista recentior, contra objicitur leges posteriores, quando vtræque positiui sunt iuris, derogare prioribus non contra.

Deinde proferuntur in medium quædam patrum sententiæ. Ambrosius enim lib. 2. de Abraham patriarcha cap. 11. cùm citasset illud: *Nisi quis &c.* adiecit. Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentum necessitate. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. dictam Domini sententiam sic accipit, vt nullum nisi martyrij casum exceptum velit. Similiter & cap. 30. Gennadius item cap. 74 lib. dogmatum ecclesiasticorum: Baptizatis tantum, inquit, iter esse salutis credimus; nullum catechumenum quamuis in bonis operibus defunctum vitam æternam habere credimus excepto martyrio.

Similia leguntur apud Augustinum, vt lib. 1. de origine animæ cap. 9. Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo aut morte pro Christo. Et lib. contra mendacium cap. 20.

significat homines etiam in necessitate vnde erui nisi mendacio non potest, non posse saluari sine baptismo, idque ad inscrutabile Dei iudicium pertinere, si illi subueniri nequeat. Idem lib. 13. de ciuit. cap. 7. & epist. 108. nullam aliam nisi martyrij exceptionem agnoscit. In epist. verò 180. ad Honoratum ostendens quantum mali consequatur ex fuga pastoris tempore persecutionis: An non cogitamus, inquit, cùm ad istorum periculorum peruenitur extrema, nec est potestas vlla fugiendi, quantus in ecclesia fieri soleat ab vtroque sexu atque ab omni ætate concursus, alijs baptismum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem & sacramentorum confectionem & erogationem? Vbi si ministri desunt, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt? Hæc ille.

Chrysostomus quoque homil. 24. in Ioannem dicit catechumenum perire, si quo casu sine baptismo hinc migret, etiamsi innumera bona fecisset. Producitur & Siluerius papa, qui in epistola quadam admonet episcopum Tarraconensem vt desiderantibus fontem salutarem omni celeritate succurratur, ne regnum & vitam perdant. Et concilium Bracarense 1. canone 35. prohibens oblationem fieri pro catechumenis absque baptismo defunctis. Id quod etiam apud Chrysostomum reperitur homil. 3 in epistolam ad Philippenses.

Ad hæc obiecta respondentes dicimus, legem quidem vtramque tam eam quæ baptismum ad salutem requirit, quàm illam quæ salutem promittit omni credenti & inuocanti Dominum, positiuæ constitutionis esse. Neque enim lege Dei æterna & immutabili debetur salus peccatori credenti & inuocanti, sed benigna ac positiua Dei ordinatione. Verū id discriminis est, quòd lex baptismi merè sit positiua, altera verò æquitatem habeat ex lege naturæ, quæ dictat congruum esse vt venia detur pœnitenti, & salus præstetur credenti, speranti & inuocanti. Ideoque lex ista simpliciter maioris est dignitatis, cui proinde meritò altera tanquam inferior cedere debet sicubi concurrant.

Ambrosius & Augustinus tam in libro de origine animæ quàm contra mendacium loqui videntur de infantibus, quibus nullum baptismi desiderium succurrere potest. Et sanè bonorum authorum quædam obscuriores sententiæ non possunt præiudicare apertissimis eorundem in contrarium testimonijs, quibus & Bernardus & Innocent. 3. ad fundandam suam sententiam vtendum putauerunt.

In alijs verò patrum sententijs sub baptismo etiam baptismi desiderium (quando necessitas actualem eius perceptionem excludit) comprehendere oportet, præsertim cùm hunc casum disertè non excludant.

Quod ad eum Augustini locum attinet, qui profertur ex epist. 180. respondendum est totum quod ibi dicitur intelligi quantum est ex parte ministrorum ecclesiæ, qui suam præsentiam in necessitate fidelibus subtrahentes eos quantum in se est æternæ mortis periculo exponunt. Quibus rectissimè dici potest id quod Mardochæus dixit ad Esther cap. 4. *Si nunc silueris per aliam occasionem liberabuntur Iudæi. Et tu & domus patris tui peribitis.* Quamuis enim Deus misericorditer subueniat ijs qui sacramentum quod desiderant, habere non possunt, non tamen illi excusantur, qui debitum ministerium in necessitate subtraxerunt. Hoc modo ipse Augustinus epist. 23. quendam Cypriani locum ex sermone de lapsis interpretatur, vbi dixerat Cyprianus infantes illos amittere, quod in baptismo fuerant consecuti, qui à parentibus suis essent postea idolis oblati. Nam amittere eos dixit, quantum attinet ad scelus parentum. Quomodo etiam dictum est ab apostolo: *Spiritum nolite extinguere.* 1. Thessal. 5.

§. 19. *An plenum baptismi effectum ex solo eius voto quis consequatur.*

DE eo qui cum solo baptismi voto decedit quæritur, totumne baptismi effectum consequatur perinde atque si reipsa baptizatus esset, an verò præcipuum duntaxat, videlicet beneficium gratiæ & remissionis culpæ, non autem & pœnæ, vt propterea necesse sit taliter decedentem adhuc in futuro sæculo pro pœnis restantibus satisfacere, quod de baptizato non oportet.

S. Tho. 3. p. q. 68. art. 2. ad 2. q. 69. art. 1. ad 2. & 4. ad 2.

Priori quæstionis parti fauere videntur Innocent. 3. verba in cap. Debitum, vbi de Iudæo à seipso baptizato pronunciat, quod si continuò decessisset, ad cælestem patriam protinus euolasset. Et cap. Apostolicam, vbi presbyterum non baptizatum cęlestis patrię gaudium esse adeptum incunctanter asserit. Idem significare videtur Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani. Nam præterquam quòd dicit eum vita iam frui æterna, his etiam verbis eum affatur: Christus te baptizauit, quia humana tibi officia defuerunt, plus adeptus qui minora te amisisse credebas.

Posterior pars pluribus argumentis nititur. Primùm quia generales sententiæ quæ omnibus Deum inuocantibus salutem promittunt, quamuis ostendant posse saluari hominem absque baptismo actu percepto, consistunt tamen omnes cum debito persoluendæ pœnæ temporalis.

Secundò, Deus præsumitur tantùm supplere quod est necessarium, non igitur tollit omnem reatum pœnæ, sed tantùm reatum culpæ, quo remanente non posset homo saluari.

Tertiò, Innocentius 3. in dicto capitulo, Apostolicam, iubet pro presbytero memorato iuges preces, hostiasque Deo offerri.

Quartò, Ambrosius in supradicta oratione Deum adhuc rogat, vt soluat Valentiniano munus, quod concupiuerat, populumque admonet vt pro illo secum oret, inquiens: Pro requiem eius poscamus affectu. Et iterum: Animam piam nostris oblationibus prosequamur.

Postremò, S. Thomas & Bonauentura hoc pacto sentiunt, ait enim S. Thomas 3. quæst. 68. art. 2. ad 2. Si quis catechumenus sit habens desiderium baptismi, talis decedens non statim peruenit ad vitam æternam, sed patietur pœnam pro peccatis præteritis, ipse tamen saluus erit sic quasi per ignem. Bonauentura verò ad textum distinct. præsentis, Ambrosius, inquit, super Valentiniano dolebat dolore compassionis. Quia enim non fuit baptizatus, ideo pro peccatis suis aliquam sustinuit pœnam purgatoriam. Et his ferè alij scholastici consentiunt. Quæ sententia nobis quoque ob rationes primo & secundo loco allatas probabilior videtur.

Ad authoritatem Innocentij responderi potest Iudæum illum tanto flagrasse baptismi & salutis desiderio

desiderio, quantum sufficiens videretur ad pœnam simul cum culpâ delendam. Alter locus de presbytero non vrget, maximè cùm ibidem contrarium statuatur. Ambrosius verò prærogatiuam Valentiniani non in eo statuit, quòd plus gratiæ sit consecutus sine baptismo, quàm alij per baptismum, sed in eo solo quòd cùm alij baptizentur à Christo per hominis ministerium, hic baptizatus fuerit à Christo immediatè, id est, absque ministerio humano. Verùm id non baptismo fluminis sed flaminis tantùm.

§. 20. *Martyrium supplere vicem baptismi.*

S. Tho. 3. p. q. 66. art. 11.

SI, quod iam ostensum est, salutem non amittunt, qui synceré ad Deum conuersi necessitate aliqua à desiderato baptismo excluduntur; multò magis id sentiendum de ijs quorum tanta est fides & dilectio in Deum, vt pro eo etiam mortem oppetant. Vnde semper in ecclesia creditum fuit martyrium supplere vicem baptismi. Cuius quidem ratio conuenientissima hæc à patribus assignatur. Quia cùm baptismus aquæ fiat in mortem Christi, iuxta Apostolum Rom. 6. martyres illam non in figura tantùm, sed in veritate referunt & imitentur; videlicet cum Christo & pro Christo morientes, vt non in aqua, sed in sanguine suo baptizati meritò dicantur.

Præclarum est eius rei testimonium apud Basilium lib. de spiritusancto cap. 16. Si quidam, inquit, in certamine pro pietate suscepto per veritatem & non per imitationem mortem pro Christo sustinent, nihil indigent symbolis aquæ ad salutem, eò quòd in proprio sanguine baptizati sint. Et in lib. de ecclesiasticis dogmatibus dicitur cap. 74. quòd in martyrio omnia baptismi sacramenta complentur, idque pluribus verbis ibidem probatur.

Esse autem martyrium non baptizatis loco baptismi passim in scripturis patrum legitur. Atque imprimis ab Augustino doctè expositum est lib. 13. de ciuit. cap. 7. his verbis: Quicunque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum*, alia sententia istos fecit exceptos, vbi non minùs generaliter dixit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est.* Matt. 10. Et alio loco: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam* Matt. 16. Hinc est quod scriptum est: *Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, quid enim preciosius quàm mors, per quam fit vt etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur? Neque enim tanti sunt meriti, qui cùm mortẽ differre non possent, baptizati sunt, deletisque omnibus peccatis ex hac vita emigrarunt; quanti sunt hi, qui mortẽ differre cùm possent, ideo non distulerunt, quia maluerunt Christum confitendo finire bene vitam, quàm eum negando ad eius baptismum peruenire. Hæc Augustinus. Cuius & hæc loca notari possunt lib. 4. contra Donatistas cap. 22. lib. 1. de origine animæ cap. 9. & lib. 2. cap. 12. & in epistola 108.

Huic alij patres vno ore consentiunt Tertullianus in lib. de baptismo, Cyprianus in epist. ad Iubaianum, & in sermone et ascripto de stella & magis, Clemens Alexandrinus lib. 4. stromatum. Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani & sermone 40. de sancta Agnete, vbi Emerentianam proprio sanguine baptizatam dicit, Romanum breuiarium ad 23. Ianuarij. Item Martyrologium Romanum 25. Augusti de Genesio quodam exceptore in sanguine proprio baptizato, Cyrillus lib. 2. in leuiticum, Prosper sententia 149. & epigrammate 87. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. & 30. Beda lib. 1. historiæ Anglicanæ cap. 7. Bernardus epist. 77. Gratianus in decreto de consecratione distinct. 4. cap. Baptismi vicem. Neque de hac re fuit vlla inter catholicos dubitatio.

Quæ autem scripturæ id doceant ex recitatis Augustini verbis patet, quibus & hæ adiungi possunt: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioannis 15. *Ore confessio fit ad salutem.* Rom. 10.

§. 21. *Quomodo martyrium baptismi vicem suppleat.*

S. Thom. dist. 4. p. q. 66. ar. 12. & 65. art. 2. ad 2.

DVbium est vtrùm baptismi vicem ita suppleat martyrium, vt pro altero baptismo habeatur, neque martyri sit necesse baptismum aquæ desiderare, propterea quòd sanguinis baptismus per se tantundem vel plus etiam valeat; an verò non suppleat, nisi quomodo extra martyrium supplere dicitur fides & synceera cordis conuersio, nimirum adiuncto simul voto baptismi.

In priorem partem hæc sunt argumenta. Primum quod veteres cùm de baptismi necessitate loquuntur, plærumque solam pro Christo passionem excipiunt, quam dicunt esse loco baptismi, prætermissa omnino voti eius mentione. Vnde Augustinus in epistola 108. Quoscunque legimus, inquit, in corpore Christi, quod est ecclesia, pertinere ad regnum cœlorum non nisi baptizatos intelligere debemus, nisi fortè quos angustia passionis inuenit, & nolentes negare Christum antequam baptizarentur, occisi sunt. Quibus ipsa passio pro baptismo deputata est. Idem insinuant Augustini verba ex lib. 13. de ciuit. suprà citata, nec non alia loca eiusdem & aliorum patrum quæ ibidem annotauimus. Cùm enim patribus constaret, nec illorum desperandam esse salutem, quibus syncerè ad Deum conuersis neq; baptismus contingere potuit neque martyrium, vti suprà ostendimus, non alia videtur ratio cur ita studiosè solum martyrium exceperint, nisi quia martyrium etiam sine voto baptismi idem præstat quod baptismus.

His accedunt peculiares illæ veteribus vsurpatæ sententiæ, martyrium tantundem valere quantum baptismum; imò verò martyrium esse alterum baptismũ, & quidem excellentiorem. Item martyres exceptos esse ab illa sententia: *Nisi quis renatus*, propter alteram generalem sententiam: *Qui me confessus fuerit &c.* Rursum, martyres suo sanguine ablui, atq; ita planè vt baptismo aquæ non egeant. Id enim disertè testatur Basilius loco suprà allegato. Cyprianus verò in epistola ad Iubaianum catechumenos martyres dicit baptizari gloriosissimo & maximo sanguinis baptismo, de quo Dominus in euangelio dicebat, habere se aliud baptisma baptizari Lucæ 12.

Ad idem vrgeri possunt hæc Ambrosij verba in oratione de obitu Valentiniani: Si martyres suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas. Hoc enim non rectè ita distinctè dici vi-

ferè modo de Cornelio loquitur Augustinus quæst. 33. in Numeros dicens eum audito Petro per fidem ita mundatum fuisse, vt ante visibilem baptismum cum suis, qui aderant acciperet donum spiritus sancti.

Alius est locus lib. 4. contra Donatistas cap. 24. Rursum alius lib. 2. quæstion. euangelicarum quæst. 40. vbi dicit Cornelij & sociorum eius mundationem declaratam fuisse signis externis ante perceptum baptismum. Cum quibus tamen locis & alia eiusdem authoris sunt conferende, velut quæst. 2. ad Simplicianum, epistola 57. ad Dardanum, lib. 1. contra Donatistas cap. 8. & lib. 4. cap. 21. & 22. & tract. 13. in Ioannem, vbi Cornelium cum alijs bonis catechumenis comparat, quibus ad consequendam salutem deest baptismi sacramentum. Quod & sentire videtur Chrysostomus homil 24. in Ioannem.

Alibi verò Augustinus magis absolutè loquitur, vt lib. 6. contra Donatistas cap. 25. Deus, inquit, ipse sanctificat sacramentum suum, vt homini siue antequam baptizetur, siue cùm baptizatur, siue postea quandoque ad se veraciter conuerso idipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem, nisi conuerteretur, valeret. Quibus sanè verbis indicat contingere, vt alicui antequam baptizetur, baptismus postmodum adhibendus ad salutem valeat. Quod quidem fit extra casum necessitatis, cùm necessitas baptismum simpliciter excludat.

Porrò certius argumentum huius doctrinæ sumitur ex verbis concilij Tridentini sess. 14. cap. 4. quibus dicitur, quòd contritionem aliquando charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare contingat, priusquam sacramentum actu suscipiatur. Hoc enim etsi de sacramento pœnitentiæ dictum sit, similiter tamen de baptismi sacramento debet intelligi, propterea quòd hac quidem parte vtriusque sacramenti sit eadem ratio, quemadmodum eiusdem sessionis cap. 2. dicitur; nempe sacramentum pœnitentiæ relapsis ita esse ad salutem necessarium, vt nondum regeneratis ipsum baptismi sacramentum.

Hoc igitur constituto ad id quod quærit Magister, quid baptismus conferat ijs, qui iam sanctificati spiritu cum fide & charitate ad baptismum accedunt, respondemus sex bona enumerari posse, quæ illi ex reali baptismi perceptione consequuntur.

Primum est character baptismalis, quem nemo sine baptismo realiter suscepto consequitur, ne quidem in articulo necessitatis, vel casu martyrij.

Secundum, gratiæ augmentum. Neque enim putandum est vel Abraham ex circumcisione, vel Cornelium ex baptismo, si iam antè iustificatus erat à peccato, nullum sanctitatis incrementum ecepisse ex singulari fide, & deuotione sanctificationis symbolum suscipientes. Sicut autem gratia augetur, ita & fomes peccati concupiscentia minuitur ac debilitatur.

Tertium: Remissio peccatorum, quæ post iustificationem interim committi potuerunt. Tollit enim baptismus omnia, quæcunque in uenerit peccata.

Quartum. Plena remissio pœnæ temporalis, quatenus per præcedentem iustificationem non fuerit facta. Cuius effectus cum duobus præcedentibus in textu meminit Magister.

Quintum: Securitas remissionis peccatorum, de qua diximus, cùm de varijs baptismi effectibus ageremus. Cùm enim nemini de sua iustificatione

A nondum adhibito baptismi aut reconciliationis sacramento facilè sit præsumendum, securitatem quandam, id est, bonam confidentiam cum tranquillitate conscientiæ præstat etiam ijs, qui iam antè solo sacramenti voto concepto iustificati erant, ipsum sacramentum actu susceptum.

Postremum, externa seu visibilis hominis incorporatio in ecclesiam Christi. Quamuis enim per gratiam iustificationis antea perceptam Christo quispiam sit incorporatus, viuumque eius membrum effectus, non tamen ab ecclesia inter fideles, & membra Christi reputabitur, priusquam sacramento fidei fuerit imbutus, quemadmodum rectè admonet in textu Magister.

B

§. 23. *Baptismum infantibus ad salutem esse necessarium.*

De baptismo paruulorum, id est, eorum qui per ætatem ratione nondum vtuntur, varij extiterunt, atque etiamnum hodie extant errores; alijs prorsus negantibus eos baptizari licere, alijs id permittentibus quidem; sed negantibus vtilitatem aliquam inde paruulis accedere, alijs denique licèt vtilitatem agnoscant, necessitatem tamen eius abnuentibus. Nam præter anabaptistas, qui prorsus tollunt infantium baptismum atque eos etiam baptizatos in adulta ætate rebaptizant, Caluinistæ necessarium negant. Et olim Pelagiani valere paruulis dicebant, non ad vitam æternam, quam ijs etiam absque baptismo promittebant, sed ad regnum consequendum propter illud quod scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Fuerunt & alij perperam de baptismo paruulorum sentientes vt Hieracitæ, qui omnem salutis spem paruulis etiam baptizatis adimebant, eò quòd certare nequeant, cùm scriptū sit: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* De quibus vide Epiphanium hæresi 67. Et Fidiani qui in octauum vsque diem iudaico more baptismum differri volebant. Contra quos agit Cyprianus epist. 36. *S. Thom. 3. p. q. 113. art. 3. ad 1. & 3. p. q. 68. ar. 9.*

C

D

Aduersus hanc errorum varietatem primò omnium statuendum est omnem hominem etiamsi ex iustis & sanctis parentibus nascatur, nasci obnoxium peccato originali, & per peccatum morti æternæ, vti in 2. sententiarum libro ad distinct. 31. monstratum est. Deinde constat ex superioribus ad delendum originale peccatum vnicum esse remedium in noua lege institutum, videlicet baptismi sacramentum. Hinc ergo manifestè consequitur, paruulos aut omnino non posse à peccato liberari, & salutem adipisci, aut vt vtrumque hoc beneficium consequantur, necessariò baptizandos esse.

E

Quod autem illa Domini sententia: *Nisi quis renatus &c.* etiam paruulos complectatur, non sic tantùm vt sine baptismo nequeant saluari, verùm ita quoque vt per baptismum saluari possint partim ex scriptura, partim ex perpetuâ ecclesiæ traditione doceri potest.

F

Primùm enim ne quis putaret ad adultos tantùm pertinere remedium illis verbis præscriptum: *Nisi quis renatus &c.* subiunxit Dominus: *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Cùm igitur natiuitas carnalis sit omnibus communis, oportuit & remedium præscribi omnibus commune, quo possent de carne transire ad spiritum, atque ita introire in regnum Dei.

Imò quæcunque scripturæ paruulis facinnt aditum salutis, & spem regni, eædem conuincunt necessarium ijs esse baptismi sacramentum, cùm scriptura non alia via salutem & regnum ijs promittat qui carnaliter nati sunt, quàm per baptismum Scripturæ sunt huiusmodi. Ait Dominus discipulis increpantibus illos, qui infantes ei offerebant: *Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos, talium enim est regnum Dei.* Deinde complexans eos & imponés manus super illos benedicebat eos Marci 10 Ex quo sequitur paruulos & posse venire ad Christum & capaces esse benedictionis, id est, beneficij Christi, quod non in salute aliqua temporali, sed æterna consistit. Et eos, qui paruulos baptizandos negant, similes esse discipulis Christi adhuc carnalibus prohibentibus eos qui paruulos Saluatori benedicendos offerebant.

Alius locus est Rom. 5: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Quamuis enim latius pateat delictum quàm iusticia, idque propterea vt gratiæ beneficium agnoscatur, dum in paritate meritorum alijs relictis alij liberantur, hactenus tamen in omnes homines pertransijt donum iusticiæ Christi, quia nulla ætas, nullus sexus, nullum omnino genus hominum à gratia & salute excluditur. id quod clarius ab eodẽ Apostolo expressum est 1. Timoth. 2. vbi dicit Christum qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus omnes homines velle saluos fieri, id est, omne genus hominum. Sicut & à Petro dictum est 2. Petri vltimo, quòd neminem Deus velit perire. Quod si de adultis tantùm dictum quis contendat, eo quòd priori sententiæ addatur: Et ad agnitionem veritatis venire, posteriori verò: sed omnes ad pœnitentiam reuerti, quorum neutrum in ætate infantili locum habere posse videtur, attamen negari non potest, vtrumque dictum esse de peccatoribus, id est ijs qui originali peccato etiam propria quantumuis grauia peccata adiecerint. Quorum si nulli à beneficio salutis per baptismum percipiendæ excluduntur, absurdum est & à Dei misericordia alienum ab eo totam eamque innocentem, quantum ad propriæ actionis peccata attinet, infantiam excludi. Neque verò dici potest infantes propter ætatem nondum esse capaces gratiæ Dei: si enim capaces sunt peccati per Adam, capaces sunt & gratiæ per Christnm.

Propius autem proposito seruire videntur illæ scripturæ quæ testantur ab apostolis baptizatas fuisse familias integras in quibus valde verisimile est etiam paruulos fuisse. Nam 1. Corinth. 1. scribit apostolus se baptizasse domum, id est, familiam Stephanæ. Et Act. 16. de custode carceris dicitur: *Baptizatus est ipse & omnis domus eius continuò.* Et ibidem Lydia purpuraria simul & domus eius baptizata esse memoratur.

Denique ex circumcisione tale argumentum ducitur: Circumcisio figura fuit baptismi, qui & in eius locum successit. Igitur si rectè infantes in veteri lege circumcidebantur, rectè quoque in noua lege baptizantur, præsertim cùm ceremonia baptismi facilior, atque infantibus tolerabilior sit, quàm ritus circumcisionis. Et si per circumcisionem hoc consequebatur infantulus, vt anima eius de populo suo non deleretur, consequitur & per baptismum vt renatus ex spiritu introire possit in regnum Dei.

§. 24. *Eiusdem probatio ex perpetua Ecclesiæ traditione.*

Qvamuis ad probandum paruulorum baptismum eiusque necessitatem satis certa sit ex scripturis probatio, neque solidi quicquam aduersus eam ab hæreticis adferatur, quoniam tamen expresè nusquã legitur in scripturis paruulos absque baptismo saluari non posse, aut omnino baptizatos fuisse, aut baptizandos esse; fit vt magis inter traditiones non scriptas hæc doctrina recenseri soleat, quàm inter ea dogmata, quæ de scripturis astruuntur. Et sanè patres etsi supradictis scripturæ testimonijs, & rationibus à nobis indicatis vtantur interdum pro cõfirmatione præsentis doctrinæ; sæpius tamen eam referunt in perpetuam ecclesiæ traditionem ab ipsis apostolorum temporibus deriuatam. Atque ea traditio tantam vim habuit authoritatis, vt Pelagius, qui paruulos in peccato nasci negabat, negare tamen ausus non fuerit baptizandos esse, quia videlicet vniuersalem & constantem ecclesiæ in baptizandis paruulis obseruationem nec ignorare poterat, nec reprehendere audebat.

S. Thom. ibidem.

Huius porrò traditionis apostolicæ certissimum testimonium ex patrum scriptis, qui post apostolos omni sæculo extiterunt, atque ex pontificum & conciliorum decretis accipitur.

Primùm Dionysius Areopag. in fine libri de ecclesiastica hierarchia testatur se à suis præceptoribus, id est, apostolis hanc doctrinam accepisse. Eius meminit & Origenes scribens in illud Rom. 6. *Si enim complantati &c.*

Iustinus quæst. 56. ad orthodoxos respondet infantes baptizatos affici baptismi bonis propter fidem eorum, à quibus offeruntur, non baptizatos autem ijs bonis priuari.

Cyprianus epist. 36. quæ est 8. lib. 3. ex sententia 66. episcoporum, qui vnà concilio interfuerant, non aliquod nouum condens decretum (vt ait Augustinus epist. 28. ad Hieronymum) sed firmissimam ecclesiæ fidem & consuetudinem probans ad corrigendum eos qui putabant ante octauum à natiuitate diem non esse paruulum baptizandum, animam eius nisi baptizetur perituram asserit, ideoque etiam recentissimè natum à baptismo non esse prohibendum: Prohiberi, inquit, non debet infans à baptismo & gratia, qui recens natus nil peccauit, nisi quod secundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit &c. Quam Cypriani epistolam etiam alibi pro traditione ecclesiastica baptizandi paruulos in remissionem peccatorum citat Augustinus, vt lib. 4. contra duas epistolas Pelag. cap. 8. & lib. 1. contra Iulianum cap. 3. & serm. 14. de verbis Apostoli.

Ambrosius lib. 1. in Luc. 1. ad illud: *In spiritu & virtute Eliæ*, testatur paruulos per baptismũ à malicia reformari. Quem item locum citat Augustinus lib. 1. contra Iulianum cap. 3. Rursum lib. 2. de Abraham cap. 11. loquens de ætate eorum, qui olim circumcidi & nunc baptizari debent: Nullum tempus, inquit, vacuum debet esse tutelæ, quia nullum est culpæ vacuum. Et iterum: Omnis ætas peccato obnoxia, & ideo omnis ætas sacramento

A idouea. Et post multa citaus illud: *Nisi quis renatus &c.* ait: Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentum necessitate.

Hieronymus in epistola ad Lætam monet parentes vt curent infantes suos statim baptizari. Meminit & Gregorius Nazianzenus huius ecclesiasticæ traditionis oratione in sanctum lauacrum. Ex Chrysostomo quoque clarum est testimonium homilia ad neophytos, homil. de Adam & Eua, & homil. 23. in Acta apostolorum. Similiter ex Epiphanio hæresi 67. vbi contra Hieracites disputat.

B Apud Augustinum in ijs quæ contra Pelagium scripsit, prope infinita sunt loca, in quibus ecclesiastica consuetudine baptizandi paruulos tanquam inuicto argumento vtitur ad docendum eos nasci peccato obnoxios. Quorum hæc pauca notari possunt. Epist. 23. 28. 57. & 106. Enchirid. 93 lib. 2. De libero arbitrio cap. 23. lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 11. & 23. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 26. & libr. 2. cap. 25. & 27. lib. de peccato originali cap. 40. lib. 14. de ciuit. cap. 1. lib. 2. de origine animæ cap. 12. & lib. 3. cap. 9. item homil. 50. in opere homiliarum & hæresi 47. Et lib. 4. contra

C Donatistas cap. 23. & 24. Et serm. 14. de verbis apostoli. Quo loco sicut & alijs nonnullis scribit tentem fuisse ecclesiasticæ traditionis authoritatem in baptizandis paruulis, vt nec hæretici fuerint ausi de ea re quæstionem catholicis mouere. Idem prorsus senserunt & docuerunt quotquot vel eodem tempore cum Augustino vel postea clari in ecclesia extiterunt, vt Innocentius 1. in epistola ad concilium Mileuitanum, quæ est inter Augustini epistolas 93. Zozymus papa, cuius verba citat Augustinus epistola 157. ad Optatum

D Author hypognosticon apud Augustinum lib. 5. cap. 7. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 27 Leo epistola 86. Prosper lib. 2. de vocatione gent. cap 23. Gregorius lib. 7. epist. 53. Beda in Marci 7. ad illud: *Propter hunc sermonem vade.* Bernardus epist. 77. & 240. serm. 66. in cantic, & serm. 1. in ramis palmarum. Et Innocentius 3. cap. Maiores. extra de baptismo & eius effectu. Hæc denique baptizandorum infantium consuetudo simul cum doctrina, qua negantur præter baptismum posse consequi salutem, ad nos vsque perpetua & fideli traditione transmissa est.

E Nec conciliorum authoritas hac in parte defuit, nam statim exorto Pelagio synodus Palæstina, in qua suum errorem Pelagius verbo tenus recantauit, anathemate notauit eos qui dicunt paruulos sine baptismo vitam æternam habere, vt refert Augustinus epist. 106. Huic accedit synodus Carthaginensis 4. in epistola ad Innocentium 1. quæ est apud Augustinum nonagesima. Successit deinde Mileuitanum seu Numidiæ concilium, cui Augustinus interfuit, in cuius canone 2. dicitur anathema negantibus paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos esse. Eiusdem concilij nomine scripta

F est (apud Augustinum 92.) ad Innocentium Papam, in qua idem dogma confirmatur. His adde quintam synodum Carthaginensem, quæ can. 6. sine scrupulo baptizari vult infantes etiam eos, de quorum baptismo dubitatur, ne per nostram trepidationem pereant.

Demum accessit authoritas generalium conciliorum, Florentini in decreto de sacramentis & Tridentini sess. 5. cap. 4. in quo ipsa Mileuitani concilij verba repetuntur additis istis, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti, & sess. 7. can. 5. 12. & 13. de baptismo.

§. 25. Paruulis alienam fidem prodesse ad salutem.

INfantes etsi per ætatem nec credere nec omnino salutem expetere possint, baptismi tamen ac proinde etiam salutis capaces sunt. Nam, vt ait Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 23. *S. Thom. dicto ar. 9. & 12.* Sicut in adultis fidelibus, quibus per aliquam necessitatem corporaliter baptismus deest, perfecta salus est, quia per pietatem spiritualiter adest; sic cùm ipse baptismus præsto est, si per necessitatem desit fides, perficitur salus. Quod traditum tenet vniuersitas ecclesiæ, cùm paruuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem. Et cap. proximo: sicut in adultis quod in sacramento deest, complet omnipotentis benignitas, quia non superbiâ vel contemptu, sed necessitate deest, sic in infantibus baptizatis eadem gratiâ omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideò cùm alij pro eis respondent, vt impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet vtique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt &c. Sic ille. Ex quo loco & alijs apud eundem non paucis clarè refellitur eorum figmentum, quo vt paruulis salutem concederent, actualem fidei motum eis tribuarunt.

Cæterùm si respiciamus ad communionem sanctorum & totius ecclesiæ charitatem, qua pro omnibus etiam infantibus recens natis, vt Christo renascantur, sollicita est, inuenimus eos tunc quando baptizantur, non omnino fide carere. Nam eis suam fidem ecclesia pia mater accommodat, vt in illa sic baptizentur & baptizati saluentur, sicut in propria, si eam habere possent. Hoc autem prorsus est rationi ac diuinæ bonitati consentaneum, vt videlicet qui aliena culpa cecidit, aliena fide resurgat; & ab eo qui propria actione non peccauit, propria fides non exigatur. Vnde ait Augustinus serm. 14. de verbis apostoli cap. 11. Ad verba aliena sanatur, quia ad factum alienum vulneratur. Et iterum: Conspiratione quadam communicat spiritus, credit in altero, quia peccauit in altero &c.

Ob hanc causam etiam fideles rectè vocantur quemadmodum multis locis idem Augustinus testatur, atque imprimis in eodem sermone cap. 13. his verbis: Consuetudine ecclesiæ antiqua, canonica, fundatissima paruuli baptizati fideles vocantur. Et iterum: Inter credentes igitur baptizatos paruulos ennumerabis, nec iudicare vllo modo aliter audebis, si non vis esse apertus hæreticus. Alios ast locos in epist. 107. & lib. 1. de peccatorum meritis cap. 19. & 20. Eadem Bernardi doctrina est serm. 66. in cantica, & epist. 77. Dicitur autem infans credere in susceptore, seu in illo qui fidem in eius baptismo profitetur, quia fides ecclesiæ, cuius personam ille gestat, ad hoc prodest paruulo vt in baptismo regeneretur. Quæ regeneratio nemini contingit ne adultis quidem, nisi cooperatione matris ecclesiæ. Sic namque diuinitus ordinatum est, vt nemo Dei filius nascatur, nisi ex matre ecclesia quæ est sponsa Christi; de qua apostolus Galat. 4. *Illa quæ sursum est Ierusalem, mater est nostra*, id est, omnium fidelium. Verùm adultis cùm ipsi per se loqui & credere possint, non sufficit fi-

des, &

des, & confessio aliena, paruulis autem sufficit, quemadmodum ex ipsa naturæ lege, dictante vt qui ætatem habet, pro se loquatur Ioannis 9. Qui verò inops est mentis & linguæ, per alium respondeat, declarat Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 24.

Quòd autem totius ecclesiæ charitas infantium saluti cooperetur in baptismo, plenius hæc eiusdem Augustini verba declarant epist. 23. ad Bonifacium: Offeruntur, inquit, paruuli ad percipiendam spiritalem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus, quamuis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt, quàm ab vniuersa societate sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quòd offeruntur, & quorum sancta atque indiuidua charitate ad communicationem sancti spiritus adiuuantur. Tota hoc ergo mater ecclesia, quæ in sanctis est, facit, quia tota omnes, tota singulos parit. Et tract. 80. in Ioannem. Hoc verbum fidei tantum valet in ecclesia Dei, vt per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem.

Est autem hæc doctrina scripturis sacris valde conformis, in quibus legimus sæpenumero ijs qui ætate vel aliâ infirmitate impediti propriam fidem vel nullam vel exiguam habuerunt, succurrisse fidem aliorum ad impetranda Dei beneficia. Ita enim Dominus paucorum hominum portantium paralyticum fidem respiciens ait illi: *Remittuntur tibi peccata tua*, Lucæ 5. Sic etiam Centurio, Chananæa, pater lunatici sua fide alijs propriam fidem non habentibus, Christi beneficium impetrarunt. Sic denique mortui aliorum precibus & intercessione ad vitam redierunt etiam paruuli 3. Regum 17. & 4. Regum 4.

§. 26. *Aliena fide paruulos sine sacramento saluari non posse.*

S. Thom. dist. 9. 68. art. 9. & 11. item 1. 2. q. 113. art. 3. ad 1.

CVm hominem adultum propria fides etiam sine sacramento saluet in necessitate, quæritur cur non idem paruulo præster fides aliena, imò fides totius ecclesiæ, si quâ necessitate à baptismo moriturus excludatur. Ad quod imprimis respondetur nihil in re tanta affirmandum extra sacræ scripturæ & traditionis authoritatem, ideoque cùm scriptura paruulis non baptizatis aliunde nullam salutis spem faciat (neque enim ad eos pertinent illæ sententiæ quæ credentibus & inuocantibus salutem promittunt, quandoquidem constat paruulos credere & inuocare non posse) cumque ex traditione baptismum esse paruulis ad salutem necessarium vt certissimo argumento monstrauerimus, consequens est, vt aliena fides nihil ijs ad salutem suffragetur extra baptismum, & proinde tales omnes sub generali sententia Domini comprehendantur qua dixit: *Nisi quis renatus &c. non potest intrare in regnum Dei.*

Est autem hoc rationi neutiquam dissentaneum, fides enim propria etiam sine sacramento adultum Deo viciniorem & per se commendabilem facit, dum ex fide Deum inuocat, de peccatis dolet, salutem quærit, quale nihil in paruulis operatur fides aliena, sed eum relinquit auersum vsque ad ipsius sacramenti perceptionem. Atqui magis congruit diuinæ bonitati, vt saluetur homo iam conuersus & quærens Dominum, quàm qui adhuc totus auersus est à Deo, nullum vitæ spiritualis in se principium habens.

Adde quod ecclesia, cuius materna charitas Christo filios parit, non intendit fidem suam infantibus accommodare, nisi per medium ad eam rem à Christo institutum, id est, per baptismum. Vnde vanum est, & à catholico sensu alienum ijs alia via, quam neque Christus monstrauit, neque ecclesia agnoscit salutem sperare.

Quare meritò reprobatur quorundam opinio, catholicorum quidem, sed zelum habentium non secundùm scientiam, qui putauerunt paruulos ingruente mortis necessitate si desit aquæ copia, vel si adhuc in vteris existãt maternis saluari posse voto vel precibus parentum aut aliorum fidelium, præsertim, vt aiunt, adhibito signo crucis vel alia quapiam pia ceremonia cum inuocatione Trinitatis. Ita enim sentit Gabriel Biel in præsentē distinctionem & Caietanus in summam S. Thomæ 3. quæst. 68. art. 2. & 11. Et ante vtrumque scripsit in hanc sententiam Ioannes Gerson in sermone quodam habito in synodo Constantiensi de natiuitate Virginis Mariæ consideratione. 2. docens parentes debere orare Deum & sanctos, vt infantem nondum natum, si in vtero matris est moriturus, ideoque baptizari non possit, dignetur Christus baptismo spiritussancti præueniendo consecrare. *Quis enim scit*, inquit, *si fortè exaudiet &c.*

Sed respondendum illi est sic potius orandum esse, vt quia sine baptismo non est salus, dignetur Deus puerum in vita seruare, donec in lucem editus aqua salutis abluatur. Sic orabat illa mulier, de qua in miraculis sancti Stephani lib. 1. cap. vltimo & apud Augustinum de diuersis serm. 32. & 33. cuius, inquam, mulieris infans sine baptismo fuerat mortuus. Orabat enim pro eo non vt saluaretur etiam sine baptismo, sed vt vel ad momentũ reuiuisceret, quo sic baptizari posset, quod & factum est. Sciebat enim illa mulier infantem sine baptismo salutem consequi non posse. Orandum igitur vt ad baptismum perueniãt. Qua in re si non exaudiãtur, intelligant Dei voluntatem esse, vt non perueniat ad salutem, sicut & alij multi infantes non vtique præter Dei voluntatem pereunt. Porrò inter antiquiores scholasticos nemo ita sensit, nisi quod Durandus & Bonauentura simili quadam opinione imbuti fuisse videntur scribentes in distinct. 6. Quærit enim ibi Bonauentura quæst. 1. quid sentiendum sit de salute paruuli, si fortè ministro necessaria defuerit intentio, & respondens, pium est, inquit, credere, quòd summus sacerdos suppleat, si tamen non facit, iustè facit; nec dissimile est quod quæst. 2. scribit Durandus quæ eorum opinio huic de qua nunc agimus non parum patrocinatur. Si enim pium est credere à Deo suppleri quod deest ex parte intentionis, pium quoque erit vt credamus à Deo suppleri quod deest ex parte materiæ, præsertim cùm hic sola occurrat necessitas, illic autem defectum adducat ministri mala voluntas. Quamobrem vtraque opinione reiecta absolutè tenendum est nullam esse exceptionem ab eo quod dictum est: *Nisi quis renatus &c.* præter eam quam alia facit scriptura, ea autem vnica est martyrij exceptio in paruulis: nam & illorum etsi baptizati non fuerint, preciosa mors est in conspectu Domini, & ipsi si animas suas pro Christo perdiderint, inuenient eas. Atque hæc exceptio etiam traditione

ecclesia-

ecclesiastica confirmata est, vti patrum sententijs non difficile fuerit ostendere.

Vt autem intelligatur, quàm ab omni vlteriori exceptione admittenda semper aliena fuerit ecclesia, subiectis aliquot patrum testimonijs id ostendemus. Ait Augustinus lib. 3. de origine animæ cap. 9. Noli credere, noli dicere, noli docere infantes antequam baptizentur morte præuentos peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus. Et lib. 1. de peccatorum meritis capit. 23. Nulla, inquit, ex nostro arbitrio præter baptisma Christi, salus æterna promittitur infantibus, quam non promittit scriptura diuina humanis omnibus ingenijs præferenda. Similia habet cap. proximo. Idem libr. 6. contra Iulianum capit. 4. Non habent, inquit, paruuli vitam, nisi habuerint Christum, quem proculdubio habere non possunt, nisi induerint eum eo modo quo scriptum est: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Et in epistol. 28. ad Hieronymum. Quisquis dixerit, quod in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat ecclesiam; vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo viuificari omnino non posse. Rursum in epistol. 57. ad Dardanum dicit nunquam aliquem in vtero materno fuisse solutum communi lege originalis peccati, idque etiam ad Ioannem baptistam & Hieremiam videtur extendere, quamquam hoc durum esse fatetur Bernardus epistola 174. Nititur autem Augustinus illi generali sententiæ: *Oportet nasci denuo*, siue per aquam, siue, vt quondam, alio modo. Nemo autem, inquit, renascitur, nisi primùm nascatur. Sed id non conuincit. Nam & conceptio hominis in vtero materno interdum natiuitas vocatur. Vnde illud est in euangelio: *Quod enim in ea natum est, de spiritusancto est.* Eodem pertinet, quod aliquoties docuit Augustinus id referendum ad occulta Dei iudicia tametsi iustissima, quod paruulorum alius ad baptismum perueniat & saluetur, alius non perueniat & damnetur, etiamsi salutem eius summopere exoptent, & quantum in ipsis est, omni sollicitudine procurent parentes, vt in epist.57. & 105. & lib. 1. de peccatorum meritis capit.21. Eundem Augustinum videre est lib. 3. contra Iulianum cap. 1 & 12 itemque lib. 2. contra duas ep. Pelag. ca. 4. Et Fulgẽt. de fide ad Pet. ca. 27.

Similiter Innocent. 1. in epistola ad concilium Mileuitanum, quæ apud Augustinum est 93 testatur, quòd vita æterna infantibus non nisi baptismo creditur esse conferenda. Et Gregor. libr. 4. Moral. capit. 2. apertam de hac re tradit sententiam, sicut & libr. 7. epistol. 53.

Deinde Innocent. 3. capit. Non vt, de baptismo & eius effectu consultus, vtrùm paruuli sint pro christianis habendi, quos in articulo mortis constitutos propter aquæ penuriam & absentiam sacerdotis, aliquorum simplicitas in caput ac pectus, ac inter scapulas pro baptismo saliuæ conspersione liniuit. Respondet cùm in baptismo duo semper, videlicet verbum & elementum necessariò requirantur, dubitari non debere, illos verum non habere baptismum, in quibus non solùm vtrùque prædictorum, sed eorum alterum est omissum, & proinde pro Christianis non habẽdos.

Denique in Flor. conc. cùm deprehensum fuisset Armenos seruare suos infantes vsque ad 40. vel 80. diem priusquam eos baptizarent, à patribus concilij moniti fuerunt, vt eos statim in lucem editos baptizarent, propterea quòd præter baptismum aliud eis non superesset salutis remedium.

§. 27. *Solutio eorum quæ contra baptismum infantium obijciuntur.*

QVibus argumentis oppugnetur catholica fides, quæ tradit omnem hominem communi lege ex Adam nascentem indigere peccati originalis remissione, non huius est loci tractare. Pertinet enim ea tractatio ad 2. sent. circa cuius distinct. 30. & 31. catholicam illam doctrinam probauimus, & ad argumenta hæreticorum respondimus, ea potissimùm quibus contendunt ex iustis parentibus natos baptismi remedio non egere.

S. Thom. loco supra citato.

Hoc igitur loco ea dumtaxat refutanda sunt, quæ præsupposita peccati originalis infectione contra baptismatis infantium necessitatem, partim ab Anabaptistis, partim ab alijs obijciuntur. Quorum illud primum & præcipuum est quod Dominus ait Marci vlt. 10. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Ex quo colligunt neminem baptizandum qui non priùs crediderit, credere autem infantes non posse perspicuum est.

Tale est & illud Matth. vltimo: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Ex quo similiter concludunt neminem baptizandum qui non priùs fuerit edoctus quid credere debeat, quod constat circa paruulos fieri non posse. Similes proferunt & alias scripturas quæ fidem & pœnitẽtiam exigere videntur à baptizãdis, vt Act. 2 vbi Petrus ait ad Iudæos: *Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum*, & Act. 8. vbi eunucho baptizari volenti respondet Philippus: *Si credis ex toto cordis affectu, licet.* Item quod dicitur Iac. 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*, & 1. Pet. 1. *Renati per verbum Dei.* Quo vtroque loco vt & alibi sæpe, verbum Dei fidem quam verbo Dei habemus, significat.

Deinde proferunt illud ex 1. Petri 3. *Saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Non enim vel bona conscientia rectè tribuitur infantibus, vel de ea interrogati respondere possunt, tam loquelæ quam scientiæ expertes.

Præterea argumentantur: Præceptum hoc, *Nisi quis renatus fuerit &c.* paruulos non obligat, vtpote præcepti nondum capaces, igitur eo omisso non damnabuntur.

Rursum hoc pacto, sicut dictum est: *Nisi quis renatus &c.* ita dictum quoque est: *Nisi manducaueritis carnem &c.* Neque tamen istud paruulos comprehendit, ergo nec illud.

Aliud argumentum, Baptismus est signum fidei & obedientiæ, nam & circumcisio signaculum erat iusticiæ fidei & obedientiæ quæ erat in Abraham Rom. 4. paruulis autem fides & obedientia non competunt.

Aliud, Omne sacramentum vt cum fructu suscipiatur, requirit præparationem in suscipiente, quæ nulla esse potest in paruulo; imò ex ipsa rei natura remissio peccatorum prærequirit fidem & odium peccati & spem iusticiæ.

Postremò illud Hieronymi obijcitur ex fine commentarij in Matth. Non potest fieri, vt corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei receperit veritatem.

Quibus omnibus breuiter respondemus. Dominus Matth. & Marci vltimo absolutè non prohibet alios baptizari, quàm qui fidem edocti fuerint, neque enim vllum exclusionis signum ibi adiectum reperies, sed tantùm circa eos qui doctrinæ capaces sunt, id est, circa adultos mandat suis apostolis quid agere debeant, nempe vt primùm eos doceant, & fidem exigant, deinde baptizent. Nam & apud Marcum ita præmittitur: *Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ*. Quod patet de adultis dictum esse. Ab illis ergo fides requiritur, qui fidei capaces sunt. Illi verò omnes baptizandi, qui sunt capaces baptismi, id est, ablutionis externæ à Christo institutæ, si tamen prius credant illi qui fidei sunt capaces. Et quidem hoc pacto sententiam, quæ est apud Marcum exposuit Innocentius 3. capit. Maiores, de baptismo & eius effectu. Quòd si eam quis contendat absolutè sic intelligendam, vt nisi quis crediderit siue adultus siue paruulus baptizari non debeat, fateatur necesse est, eum nec saluum fieri posse, quod est contra ipsorum Anabaptistarum doctrinam, qui paruulis sine baptismo tribuunt salutem.

Porrò similiter aliæ scripturæ, quæ fidem & pœnitentiã à regenerandis exigunt, sunt accipiendæ. Omnes enim vel de adultis vel ad adultos scriptæ sunt, in quibus indubiè fides & pœnitentia ad salutarem baptismi perceptionem est necessaria. Vnde Augustinus tract. de pœnitentiæ medicina cap. 2. Omnis qui iam suæ voluntatis arbiter est constitutus, cùm accedit ad sacramentum fidelium, nisi pœniteat eum veteris vitæ, nouam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia cum baptizantur, soli paruuli immunes sunt.

Neque aliud sibi vult Hieronymi sententia in contrarium allata. Negat enim baptisma fructuosè adhiberi corpori hominis adulti, cuius anima fidem non priùs susceperit.

Quòd autem etiam paruulis non omnino fides desit (baptizantur enim & saluantur in fide aliena à qua & fideles nuncupantur) suprà ostendimus.

Ad obiectionem præcepti: *Nisi quis renatus &c.* respondemus non esse necessarium paruulis baptismum propter illud præceptum, sed quia ad salutem peruenire non possunt, nisi soluto vinculo peccati originalis, quod in ijs solui non potest, nisi per baptismum, veluti si dicamus phrenetico tale vel tale pharmacum esse necessarium, non propter præceptum, cuius non est capax phreneticus, sed quia sine tali pharmaco curari non potest.

Ad proximam obiectionem quamuis dici posset non esse vtriusque sententiæ similem formam, eò quòd prior de tertia persona loquatur, posterior verò secundam quasi audientem & intelligentem compellet personam, quales vtique non sunt paruuli, potest tamen & quidem melius ex Augustini & aliorum quorundam insignium doctorum mente responderi, vtrumque etiam ad paruulos pertinere. Intelligunt enim sententiam posteriorem de spirituali manducatione, qua quis corpori Christi inseritur. & gratiæ incarnationis eius particeps efficitur, quæ proculdubio necessaria est & paruulis.

Ad id quod sequitur, respondemus, sicut circumcisio, quæ fuit signaculum iustitiæ fidei, ex legis mandato debebat adhiberi paruulis, ita baptismum licèt eiusmodi sit signaculum, rectè & citra vllam significandi falsitatem, paruulis similiter adhiberi. Vtrumque enim signum est fidei seu iustitiæ, vel præsentis vt in Abraham, cæterisque adultis, vel futuræ vt in Isaac, cæterisque paruulis, vti docet Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 24.

Ad vltimum respondetur, præparationem requiri in adultis; in paruulis verò sufficere, vt non reperiatur obex contrariæ voluntatis, quæ gratiæ per sacramentum oblatæ resistat, quemadmodum idem Augustinus docet epist. 23. ad Bonifaciũ his verbis: Paruulus etiamsi fidem nondum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariæ cogitationis opponit, vnde sacramentum eius salubriter percipit.

§. 28. *Vtrùm expediat baptismum differri in adultam ætatem.*

S. Tho. 3. p. q. 68. art. 3.

NOnnulli tametsi agnoscant paruulos sine baptismo non posse saluari, quibusdam tamen rationibus moti magis expedire putant, vt extra mortis periculum differatur eorum baptismus vsque ad ætatem, qua & intelligere mysteria baptismi, & ipsi pro se respondere, & percepti sacramenti simul & sponsionis factæ postea semper meminisse possint; qua ratione futurum quoque sit vt sponsores minori periculo sese obijciant. Fuit in ea sententia Tertullianus docens lib. 1. de baptismo capit. 18 pro cuiusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate cunctationem baptismi vtiliorem esse, præcipuè verò circa paruulos. Quid enim necesse est, inquit, sponsores etiam periculo ingeri? Et rursum: Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quò veniant, docentur; fiant christiani cùm Christum nosse potuerint &c.

Idem consilium Gregorio Nazianseno placuisse videtur. Siquidem in oratione quadragesima, quæ est in sanctum baptisma, cùm de præparatione baptismi verba faceret, quærit quid de ijs dicendum sit, qui adhuc tenera ætate sunt, nec aut damnum aut gratiam sentiunt, vtrumne etiam illi baptizandi sint, Respondet autem baptizandos esse si quod periculum vrgeat. De reliquis autem, inquit, ita censeo, vt triennio expectato, aut aliquanto breuiori vel longiori temporis spacio, (nam tum & mystici quiddam audire & respondere possunt, ac si minus plenè & exactè intelligunt, imbuuntur tamen & informantur) ita demum per magni baptismi sacramentum & animos & corpora sanctificent &c. Horum sententiam quidam nostri sæculi scriptores alioqui de baptismi necessitate non malè sentientes probandam, ac toti ecclesiæ sequendam censuerunt. Vt Erasmus & Ludouicus Viues in 1. lib. Augustini de ciuit cap. 27.

Sed refellitur hoc humanæ prudentiæ consilium perpetua atque vniuersali ecclesiæ consuetudine ab apostolica traditione descendente, quam profectò summa ratione niti qui dubitauerit, non satis considerat quantas ecclesia à Christo promissiones acceperit.

Certè Cyprianus nihil istiusmodi ratiunculis

commouetur, quo minùs velit recentissimos ab vteris matrum infantes baptizari, & eum consilio sexaginta episcoporum grauiter resistat ei, qui non ante octauum diem baptizandos putabat lib. 3. epist. 8.

Respondendum igitur est periculum æternæ damnationis in quam incidet, si fortè sine baptismo tempore moriatur infans, eo fructu qui expectatur ex dilatione baptismi minimè compensari, præsertim cùm fructu illo non omnino destituatur, quandoquidem & baptizati postquam ætas accesserit, laudabili ecclesiæ instituto catechizantur; vt norint quid in baptismo promiserint, cui fidem suam obstrinxerint, & cui renunciauerint, & quam in baptismo gratiam fuerint consecuti, meminerintque se illius sponsionis in baptismo factæ esse per omnem vitam debitores. Quòd si adulta ætas ad percipiendum baptismum expectaretur, multi malè educati ac voluptatibus dediti aut recusarent omnino baptizari, aut in seram vsque ætatem baptismum differrent, ne citò carni & mundo cogerentur valedicere. At neque satis tutum est vniuscuiusque voluntati liberum relinquere, quod est ad salutem necessarium. Et proinde felici quadam necessitate coguntur, qui fuerunt in infantia baptizati, præstare quod pro eis susceptores spoponderunt, quandoquidem id tale erat, ad quod sponte suscipiendum ipsi, si rationis vsum habuissent, diuina & naturali lege fuissent obligati.

Denique morem baptizandi infantes retinere prorsus expedit in ecclesia, tum vt per hoc ecclesia protestetur fidem suam, qua credit paruulos etsi propria fide destitutos, aliena tamen fide per baptismum posse saluari; tum ne videatur cedere Anabaptistis, qui pædobaptismum prorsus sublatum volunt tanquam inutilem, inefficacem, atque omnino superuacaneum.

Porrò Tertullianum quidam suspicentur de illorum duntaxat paruulorum baptismo disserendo locutum, quorum parentes infideles erant. Hoc enim per illud quod de sponsorum periculo subiecit eum innuisse. Quicquid autem sit de ea Tertulliani opinione, sanè recteque eum sensisse de necessitate baptismi, ea cap. 12. & 13. eiusdem libri clarum est.

Nazianseni consilium de triennio expectando similiter non recipit ecclesia, vtpote periculi plenum. Quod periculum ipse Nazianзenus agnoscens non vult expectari eam ætatem, qua ratio plenius iam vigere incipit, vt annum duodecimum & deinceps. Ita enim subiicit: At propter inopinatos & repentinos periculorum impetus, quique nulla ope atque auxilio propulsari queant, lauacro communiri eos omnino conducibilius est. Quæ ratio Nazianseni non minùs, imò etiam magis militat pro eo tempore, quod est triennio minus, vtpote quando imbecillius est infantis corpusculum, & infirmior valetudo.

Videtur autem dictæ sententiæ improbatio comprehendi sub canone penultimo de baptismo sess. 7. concilij Tridentini, quo anathemate plectuntur, qui dicunt præstare omitti infantium baptisma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide ecclesiæ.

IN DISTINCTIONEM QVINTAM.

§. 1. *Quis sit proprius baptismi minister.*

DE proprio sacramenti baptismi ministro ita breuiter statuit concilium Florentinum in decreto Armenico: Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. Ita quoque apud Isidorum legitur lib. 2. de officijs ecclesiasticis cap. 24. Constat baptisma à solis sacerdotibus esse tractandum. Sic enim Isidori verba citat Gratianus de consecrat. distinct. 4. cap. Constat. Quamuis Magister distinct. 6. paulò aliter ea referat, sed eodem ferè sensu in hunc videlicet modum: Constat baptismum solis sacerdotibus esse traditum. Idem satis ostendunt canones apostolici 46. 47. & 49. vbi tantùm episcopus & presbyter tanquam baptismi minister nominatur.

S. Tho. 3. p. q. 67. art. 1. & 2.

Rationem verò cur id propriè ad sacerdotum munus spectet, hanc reddunt Doctores, quia eiusdem est hominem introducere in ecclesiæ domum, Christique familiam, cuius est illam administrare & regere. Ac rursum, quia eiusdem est homini ius tribuere accedendi ad mensam dominicam, cuius est ex illa sacrum Christi corpus dispensare. Cùm igitur proprium munus sacerdotum sit & ecclesiæ gubernatio & dominici corporis dispensatio, eorum quoque proprium munus erit per baptismum in Christi familiam introducere, atque asscribere quempiam, eidemque eo ipso ius tribuere mensam dominicam adeundi. Pertinet igitur administratio baptismi ad sacerdotem eum qui sit ecclesiæ rector, siue præfectus, episcopum videlicet aut parochum. Imò quoniam primarius ecclesiæ rector est episcopus, ideirco ad eum imprimis, si velit, baptizandi munus pertinet. Vnde & apostolis dictum est: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos.* Et canones prohibent presbyterum baptizare episcopo præsente, velut cui prior ac potior eius ministerij authoritas competat. Ait enim Leo epistol. 88. ad episcopos Germaniæ & Galliæ: Sed neque coram episcopo licet presbyteris in baptisterium introire, nec præsente antistite infantem tingere aut signare &c. nisi illo iubente.

Hoc autem non ita accipiendum est, quasi solus episcopus sit proprius baptismi minister, inferioribus autem pastoribus ex sola superioris commissione ministerium illud competat. Aliud enim est in re quapiam administranda cedere superiori, eumque præsentem honorare, aliud in ea nihil habere præter commissionem seu mandatum superioris. Nam Diaconus quidem nudam habet huius ministerij commissionem, presbyter verò & episcopus propriam eiusdem ministerij functionem; in qua tamen episcopo tanquam primario ecclesiæ rectori cedere debet presbyter. Sicut ergo presbyter ius habet eucharistiam conficiendi, atque etiam plebem exhortandi & pœnitentes reconciliandi, si curam habeat animarum, neque tamen ea ca-

nones patiuntur à presbytero fieri præsente nisi etiam iubente episcopo, quemadmodum in eadem epistola Leouis legitur, sic & baptizandi ius idem habet cum episcopo, sed in eo tamen episcopum superiorem agnoscere, eique deferre debet.

Cæterùm quoniam episcopis alia maiora incumbunt onera ad ipsorum officium peculiariter pertinentia, docere videlicet, & orare quæ quidem impediri possent, si multum in ijs quæ minore sunt occuparentur, hinc factum est, vt iam inde ab initio baptizandi prouincia presbyteris inferioribus relinqueretur, siquidem & Christus non per se baptizauit, sed per discipulos suos Ioannis 4. qui tamen per se & orauit & euangelium prædicauit. Et Petrus Actor. 10. Cornelium familiamque eius à se salutari doctrine priùs instructos per alios baptizari iussit. Et Paulus 1. Corinth. 1. paucissimos à se baptizatos testatur. *Non enim*, inquit, *misit me Christus baptizare, sed euangelizare*. Idem quoque duodecim viris aliorum operâ baptizatis ipse manus imponit Actor. 19. Denique in negotio non dissimili dictum est ab apostolis Actor. 6. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis, considerate ergo &c. Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Similitudo enim in eo est, quòd sicut ministerium illud mensarum etsi pium ac necessarium, vehementer tamen impediebat ab ijs quæ maioris erant momenti, nempe doctrinâ & oratione, & facilè per inferiores fieri poterat: sic & ministerium baptismi, imò etiam multò magis, quia non requirit eam probitatem & industriam, quam mensarum ministerium postulabat.

Quod ergo Christus apostolis in euangelio mandat, vt doceant & baptizent, ita ex Actis & verbis apostolicis intelligendum esse discimus, vt doctrinæ ipsi per se iubeantur intendere, baptismum verò possint, vel etiam debeant (ne à grauioribus ordinis sui functionibus auocentur) per alios administrare. Idipsum confirmat praxis ecclesiæ. In qua perpetua consuetudine fuit obseruatum, vt episcopi præcipuè verbo intenderent, baptizandi verò munus per alios exequerentur.

§. 2. *Quatenus baptismus ab alijs quibuscunque conferri possit.*

[S. Tho. 3. p. q. 67. art. 1. 3. 4 & 5.]

CVm baptismus sit sacramentum omnibus ad salutem necessarium, Dei benignitate prouisum est, vt vbi sacerdos deest, per alium possit hoc sacramentum vrgente necessitate administrari. Atque in primis per diaconum id interdum fieri posse, etiamsi necessitas non vrgeat scriptura docet, Actor. 8. vbi à Philippo Diacono primùm Samaritanos, deinde eunuchum Aethiopem baptizatos legimus. Quod tamen non absque expressa, atque generali ab apostolis accepta commissione eum fecisse arbitrandum est. Quos enim ad euangelizandum mittebant apostoli, ijs ministerium baptizandi pariter committebant, siquidem & ipsi apostoli ante Domini passionem, cùm nondum sacerdotes essent, Domino iubente baptizauerunt Ioannis 4.

Porrò in necessitate non modò diaconus, verùm & subdiaconus, monachus, laicus, imò & mulier baptizare potest. De laico id confirmat concilium Eliberitanum can. 38. Augustinus lib. 2. contra epist. Parmeniani capit. 13. & Isidorus loco supracitato. Cuius rei nonnulla etiam decreta extant apud Gratianum, vt causa 30. quæst. 1. cap. Ad limine, & de consecratione distinct. 4. capit. In necessitate, & capit. Sanctum est. Quæ duo capitula ex quadam Augustini ad Fortunatum epistola, quæ non extat, ab eo desumpta sunt. Eiusdem rei testes sunt Tertullianus libr. de baptismo, & Hieronymus in dialogo contra luciferianos. Idem autem definit Gelasius papa in epistola ad episcopos Lucaniæ capit. 9. & est apud Gratianum distinctione 93. cap. Diaconos.

Mulierem quoque in necessitate posse baptizare docet concilium Carthaginense 4. cui subscripsit Augustinus, cap. 100. citante Magistro distinct. 6. & Gratiano de consecrat. distinctione 4. cap. Mulier. Itemque Vrbanus papa Vitali presbytero Brixiensi scribens, & habetur apud Gratianum causa 30, quæst. 3. capit. Super quibus.

Neque verò tantùm à christiano, verùm etiam ab hæretico, pagano, Iudæo, & quocunque demum homine potest in necessitate baptismus accipi. Quare ita statuit concilium Florentinum in Arm. decreto: In causa necessitatis non solùm sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus & mulier, imò etiam paganus & hæreticus baptizare potest, dummodo formam seruat ecclesiæ, & facere intendat, quod facit ecclesia.

Quod autem huiusmodi baptisma non modò ratum sit, verùm etiam licitè peti possit ab homine necessitate præuento (quidquid sit de eo qui administrat in sua infidelitate persistens, quem profectò nisi mentem mutet, & pœnitentiam concipiat priusquam sacrum hoc opus aggrediatur, excusandum à crimine minimè putamus) ex ijsdem Florentini decreti verbis non obscurè colligi videtur. Nam si concilium non aliud vellet, quàm ratum esse eiusmodi baptisma, frustrà necessitatis faceret mentionem, cùm vt mox dicemus, ratum sit etiam extra necessitatem. Clarius autem id asserit Augustin. lib. 1. contra Donatistas capit. 2. his verbis: Si quem fortè coegerit extrema necessitas, vbi catholicum per quem accipiet, non inuenerit, & in animo pace catholica custodita, per aliquem extra vnitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica vnitate accepturus, si statim etiam de hac vita migrauerit, non eum nisi catholicum deputemus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cùm se catholicæ congregationi etiam corporali præsentia reddiderit, vnde nunquam corde discesserat, non solùm non improbamus quod fecit, sed etiam securissimè, verissimeque laudemus; quia præsentem Deum credidit cordi suo, vbi vnitatem seruabat, & sine sancti baptismi sacramento, quod vbicunque inuenit non hominum sed Dei esse cognouit, noluit ex hac vita migrare. Sic ille. Similem prorsus habet sententiam lib. 6. cap. 5. Est autem eadem ratio de alio quocunque infideli.

At verò sciendum præterea est etiam extra necessitatem à quocunque homine collatum baptismum ratum esse, ac proinde minimè iterandum. Quamuis enim solis sacerdotibus & diaconis id licitum sit extra necessitatem, vt suprà dictum est, ab alijs tamen quacunque ratione attentatum,

verum & ratum efficitur sacramentum. Vnde Augustinus lib. 2. contra epist. Parmeniani cap. 13. Nulla cogente necessitate si fit, alieni muneris vsurpatio est, si autem necessitas vrgeat, aut nullum aut veniale delictum est. Sed & si nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamuis rectè dici possit illicitè datum. Illicitam autem vsurpationem corrigit reminiscentis & pœnitentis affectus. Quod si non correxerit, manebit ad pœnam vsurpatoris, quod datum est, vel eius qui illicitè dedit, vel eius qui illicitè accepit, non tamen pro non dato habebitur. Hæc ille.

Dubitare quidem eodem loco videtur Augustinus de baptismo à non baptizatis collato dum ait: Et hæc quidem alia quæstio est, vtrùm & ab ijs qui nunquam fuerunt christiani, possit baptismus dari, nec aliquid temerè inde affirmandum est sine authoritate tanti concilij, quantum tantæ rei sufficit. Quam dubitationem mouet quoque lib. 7. contra Donatistas capit. 53. Verùm quamuis priore loco nihil asserat, posteriori tamen in eam magis sententiam propendet, vt ratum putet baptismum vbicunque & à quibuscunque collatum. Id autem postea à sede apostolica manifestè definitum est. Nam de baptismo per Iudæos administrato extat decretum Nicolai papæ, quo respondet ad consulta Bulgarorum cap. 3. quod à Gratiano citatur de consecrat. distinct. 4 cap. A Iudæo quodam. De eo verò quod paganus dederit, extat epistola Gregorij 2. ad Bonifacium episcopum citante ibidem Gratiano cap. Quos à paganis. Idque eodem citante testatur his verbis Isidorus: Romanus pontifex non hominem iudicat qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licèt paganus sit, qui baptizat. Confirmauit autem expressius concilium Florentinum verbis suprà à nobis citatis.

Quid porrò sentiendum sit de baptismo, atque in genere de sacramentis, quæ à malis seu hæreticis, seu schismaticis seu quomodocunque criminosis administrantur, circa 1. distinct. ostendimus, probantes effectum sacramenti non dependere à qualitate ministri, & argumenta contraria refellentes.

§. 3. *Obiectionum quarumdam dissolutio..*

S. Thom. ubi sup.

HOc loco peculiariter ea diluenda sunt, quibus ostendi videtur irritum esse baptismum ab homine non initiato, vel saltem non baptizato, aut omnino extra ecclesiam constituto administratum. Quorum hoc sit

Primum, sicut baptismus necessitatis est sacramentum ita & pœnitentia, sed laicus sacramenti pœnitentiæ minister esse non potest vlla necessitate occurrente, igitur nec baptismi.

Secundum, Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap 2. sacramentum, inquit, baptismi est quod habet qui baptizatur, & sacramentum dandi baptismi est, quod habet qui ordinatur. Ex quibus verbis consequi videtur non ordinatos cùm sacramentum dandi baptismi non habeant, baptizare non posse, sicut nec absoluere, cùm sacramentum dandæ absolutionis non acceperint. Vnde & ibidem Augustinus ex eo probare nititur extra ecclesiam esse baptismum, quia sacerdos ec-

A clesiam deserens sacramentum ordinationis non amittit.

Tertium, idem Augustinus lib. 2. contra epistol. Parmeniani cap. 13. dicit in baptismo dari baptizato vt possit per eum dari baptismus, in ordinatione verò dari ius dandi baptismi. Vnde consequens videtur non baptizatum vtroque destitui, tam iure dandi baptismi, quod habet solus ordinatus, quàm absoluta & nuda dandi baptismi potentia, quam habet solus baptizatus.

Quartum, Nemo dare potest, quod non habet; igitur non baptizatus baptizare non po-
B terit.

Quintum, In omni ministerio sacramentorum quædam requiri videtur spiritualis puritas, qua quis idoneus fiat ministrando sacramento; igitur saltem baptismi consecrationem habere debet homo, vt ipsius baptismi minister esse possit, cùm baptismum nulla alia consecratio præcedat.

Sextum, Nicephorus lib. 11. historiæ ecclesiasticæ cap. 11. Illud constat, inquit, qui ipse baptismi sacris initiatus non sit, eum alios baptizare non posse.

C Postremò illud quoque obijci potest, quod in Niceno concilio can. 19. constitutum legitur, Paulianistas & Cataphrygas hæreticos baptizandos esse, si ad ecclesiam veniant. Cuius sanctionis Nicenæ meminit etiam Hieronymus in dialogo contra luciferianos sub finem. Atque idipsum de Paulianistis repertum est in concilio Arelatensi can. 16.

His ordine respondemus.

Ad primum respondet S. Thomas 3. qnæst. 67 art. 3. ad 3. pœnitentiam non esse tantæ necessitatis sicut baptismum. Quod etsi verum sit ab-
D solutè, quia baptismus omnibus est necessarius, pœnitentia tantùm relapsis, existit tamen eadem necessitas pœnitentiæ ad salutem respectu relapsorum, quæ est baptismi respectu omnium; ideoque dicendum videtur non ita prouideri debuisse relapsis, sicut ijs qui gratiam adoptionis nunquam acceperunt. Neque enim patiebatur ratio iustitiæ diuinæ, vt homini tam facilis esset reditus ad reconciliationem, quàm facilis fuerat accessus ad primam gratiam. Quocirca baptismum sic instituit Deus vt effectus eius à solo penderet sacramento, non ab authoritate vel potestate aliqua
E conferentis, sicut sacramentum reconciliationis; cuius effectus in ministro potestatem requirit, quæ in laico non reperitur, ac multò minùs in pagano. Igitur in baptismo conferendo nudum exhibet homo ministerium, in absolutione verò potestate vtitur tametsi ministeriali. Vnde Augustinus lib. 3. contra literas Petiliani cap. 56. Sicut in euangelio prædicando, ita in ministrando baptismo merum esse dicit ministerium. Potestque ea res declarari similitudine ferri & ignis. Nam
F quilibet homo etiamsi faber non sit, ferrum calefacere potest admoto igne, quòd omnis calefaciendi vis in igne posita sit; clauum autem ex ferro candente facere non potest nisi faber, quòd hoc non solùm dependeat ab igne, sed etiam à peritia facientis.

Ad secundum & tertium respondetur solos ordinatos, id est, sacerdotes habere ius dandi baptismi si tamen vel commissione aliqua vel vsurpatione, vel necessitate ab alio detur verè datum esse, quemadmodum eodem loco contra epistol. Parmeniani testatur Augustinus. Nam vt idem ait lib.

5. contra Donatistas cap. 15. Multa contra ius dantur, nec tamen ideo vel nulla, vel non data dicuntur. Quod autem dicit Augustinus in baptismo dati vnicuique vt per eum baptismus dari possit, non aliud velle videtur, quàm congruentius esse vt baptismus per baptizatum detur, quàm per non baptizatum, cùm baptizatus etiam actu habeat id quod tribuit. Vel quia eodem cap. dubitat an non baptizatus baptizare possit, hoc sentit, saltem in baptismo dari, si prius non habeat.

Quamuis autem non baptizatus, (quod erat quartum argumentum) actu baptismum non habeat, habet tamen eo modo, quo causa habet suum effectum. Nam principalis quidē causa effectum suum habet virtualiter, vt sol calorem; causa verò ministerialis, & instrumentalis, hactenus habet effectum, quia ad eum per modum instrumenti vel ministerij cōcurrere potest, quomodo paganus adhibendo materiam & proferendo formam cum intentione debita ad effectum baptismi concurrit.

Ad quintum respondetur in ministro sacramenti non necessariò requiri potestatem spiritualem ad opus aliquod ordinatam, sed in quibusdam sufficere nudum opus ministerij, vt lotionem, vel simile quid, quod non tantùm in baptismo, verùm etiam multorum opinione in matrimonij sacramento locum habet, licèt ad aliorum administrationem præterea quædam spiritualis potestas requiratur.

Sexto argumento prætermisso, quòd Nicephori authoritas in doctrina non sit magni ponderis, ad septimum respondemus, hæreticos illos de quibus in Niceno & Arelatensi concilio, formam baptismi viciasse, quemadmodum docet Augustinus hæresi 41. Idque ex vtroque concilio satis perspicuè colligitur. Nam in concilio Niceno, vt Augustinus testatur lib. 6. contra Donatistas cap. 1. & alibi, generatim approbata est ecclesiæ consuetudo recipiendi hæreticos absque iterato baptismo. Arelatense verò can. 17. cæteros hæreticos, quia in Trinitate baptizabant, non vult iterum baptizari, sed cum manus impositione suscipi. Et sanè alioquin non de vna aut altera secta specialiter, sed de omnibus in vniuersum hæreticis idem in vtroque concilio constitui debuisset, si verum extra ecclesiam non datur baptismi sacramentum.

§. 4. *De potestate Christo propria circa baptismum.*

S.Tho 3. p.q. 64. art. 1. 2. 3 & 4.

DOcet Augustinus tract. 5. in Ioannem ad illa verba capitis primi: *Hic est qui baptizat*; Christum retenta sibi potestate baptismi solum eius ministerium in alios transtulisse, idque Ioannem baptistam, cùm priùs ignoraret didicisse, quando ei dictum est: *Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eo, hic est qui baptizat in spiritusancto.* Quam doctrinam repetit tract. proximè sequenti, & lib. 5. contra Donatistas cap. 13. Quærit igitur Magister, quæ sit illa potestas, quam sibi Christus circa baptismum retinuit, & in alios non transfudit. Ac primùm constat Augustinum non loqui de potestate diuina, quam vocant authoritatis. Ea enim hominibus communicari non potest, vti nec diuina essentia. Sentit autem Augustinus Christum potuisse eam potestatem de qua ibi loquitur, hominibus, si vellet, communicare. Potuit, inquit, hanc potestatem seruis dare & noluit. Et altero loco: Poterat enim si voluisset Dominus Iesus baptismi sui potestatem dare alicui, vel aliquibus præcipuis seruis suis, quos iam fecisset amicos suos, vt quemadmodum per virgam florentem demonstratus est Aaron sacerdos, ita in eius ecclesia per aliquod signum demonstrarentur excellentioris sanctitatis ministri, & dispensatores mysteriorum, qui soli baptizare deberent, vt videlicet non ad alios pertineret baptismi ministerium, quàm quibus competeret baptismi potestas.

Igitur præter diuinam & increatam potestatem & aliæ potestates circa baptismum hoc loco à scholasticis, ac nominatim à Bonauentura distinguuntur. Prima cooperationis, quomodo causa secunda per virtutem sibi datam cooperatur primæ, & quomodo in bono opere liberum arbitrium cooperatur gratiæ Dei. Secunda excellentiæ, qua nimirum fieret, vt pro maiore merito vel sanctitate baptizantis, maior daretur gratia baptizato. Tertia inuocationis, vt videlicet baptismus daretur in nomine Petri vel Pauli, vel cuiuscunque baptizantis. Quarta institutionis, vt sicut à Christo baptismus est institutus, ita & ab alio institui potuisset. Quinta denique est potestas ministerij externi. Verùm quatuor primos potestatis modos S. Thomas vno nomine potestatis excellentiæ comprehendit 3. quæst. 64. art. 3. & 4.

Inter dictos potestatis modos postremus idemque infimus non tantùm potuit alijs hominibus communicari, sed etiam reuera communicatus est. Nam externi ministerij potestatem in baptismo habent sacerdotes, imò & quodammodo omnes homines etiam infideles, vt suprà ostensum est. Quare manifestum est de hac potestate non loqui Augustinum. Proinde dicendum est Augustino sermonem esse de potestate secundi, tertij, & quarti modi. Eam enim omnem & habuit Christus, & alijs communicare potuit, & nihilominus ob certas causas soli sibi retinere voluit, quemadmodum ex supradictis Augustini locis breuiter à nobis declaratum fuit circa 1. distinctionem, vbi de sacramentorum institutione agebatur.

Cæterùm Magister etiam primum modum potestatis hominibus esse communicabilem in textu asserere videtur, cum ait; fieri potuisse, vt sicut homo in ministerio habet exterius sanctificare, ita in ministerio habeat interius mundare. Et addit, similiter posse Deum per hominem creare aliqua, non vt per authorem sed ministrum cum quo & in quo operaretur, sicut in bonis operibus nostris ipse nobiscum & in nobis operatur. Sed hæc Magistri sententia tam quoad gratiæ productionem, quàm quoad rei cuiuspiam creationem à plærisque non recipitur. Idque meritò si de cooperatione propriè dicta loquatur, quemadmodum loqui videtur. Alioqui enim iuxta generalem rationem instrumenti vel ministerij nihil prohibet hominem vel aliam creaturam concurrere ad interiorem hominis mundationem per gratiam & peccatorum remissionem, sicut & ad rerum creationem.



IN DISTINCTIONEM SEXTAM.

§. 1. *Utrùm baptizari & sanctificari quis possit in vtero materno.*

S. Tho. 3. p. q. 68. art. 11. & eodē par. q. 27 art. 1 & 6.

NEMINEM in vtero materno constitutum & nulla adhuc parte ex vtero prominentem baptizari posse indubitanter asserit Magister ex Isidoro lib. 1. de summo bono cap. 24. Cuius verba etiam apud Gratianum leguntur, de consecrat. dist. 4. Qui in maternis. Idque ipsa rei euidentia satis probat. Baptismus enim corporalis quædam ablutio est, non potest autem corpus infantis antequam parte aliqua prodeat, humano ministerio ablui.

Quòd si dicas puerum in vtero matris existentem aliquid esse matris, & proinde matre baptizata puerum quoque baptizari; respondeo id nequaquam consequens esse, tum quia ipsa pueri anima ad cuius sanctificationem ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris; tum quia corpus quoque fœtus animati iam formatum est, ideoque à corpore matris distinctum. Vnde dici non potest, baptismum, quo mater baptizatur, redondare in fœtum, quem vtero gestat. Si verò fœtus nondum sit animatus, tunc omnino non est capax baptismi, quia non est homo. Dictam obiectionem etiam ex praxi ecclesiæ refellit Augustinus lib. 6. contra Iulianum cap. 14. Si, inquit, ad matris corpus id quod in ea concipitur pertineret, ita vt eius pars deputaretur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata est aliquo mortis vrgente periculo, cùm eum gestaret in vtero. Nunc verò cùm etiam ipse baptizatur, non vtique bis baptizatus habebitur. Non ergo ad maternum corpus cum esset in vtero, pertinebat. Sic ille.

Alia quoque ratione probari solet neminem in matris vtero baptizari posse, quia videlicet baptismus regenerationis seu renascentiæ sacramentum est iuxta illud: *Nisi quis renatus &c.* Atqui nemo renasci potest antequam natus sit. Ad hunc modum ratiocinatur Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 27. his verbis: Sacramentum baptismi profectò sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo qui nō vixerit, mori non potest, & qui mortuus non fuerit, resurgere non potest: ita qui natus non fuerit, renasci non potest. Ex quo conficitur neminem in suo parente renasci potuisse non natum. Et in epist. 57. ad Dardanum eandem sententiam, Neminem nisi natum renasci posse, tanquam indubitatam & per se manifestam assumit, & cum repetitione inculcat. Eadem ratione post Augustinum Isidorus loco suprà citato & in textu Magister vtuntur.

Verùm difficultatem habet hæc ratio propter eos qui singulari Dei priuilegio in vteris matrum sanctificati & proinde renati creduntur, vt Beata virgo, Ioannes baptista, & Ieremias propheta. Vnde consequens videtur renasci interdum aliquem antequam sit natus. Quod si neges absurdum esse ideoque concedas, parum solidam videri dictam Augustini rationem, cùm duplex etiam

A secundùm carnem distingui possit hominis natiuitas, altera in vtero, altera ex vtero; prior qua animatur, posterior qua in lucem editur; ac de priore dictum illud Matth. 1. *Quod enim in ea natum est, de spiritusancto est*; de posteriori verò: *Natus est vobis hodie saluator* Luc. 2. & proinde satis esse, si priore modo secundùm carnem natus sit homo priusquam spiritu renascatur. Eam responsionem Augustinus in dicta epistola 57 studiosè refellere conatur dicens, quod si illa quæ in vtero fit prima natiuitas deputetur, iam non secunda, sed tertia erit illa hominis natiuitas, qua postquam fuerit

B natus ex vtero, renascitur ex spiritusancto.

Iam verò quod attinet ad sanctificationem quorundam in vtero, eam cuiuscunque modi fuerit, negat Augustinus eò vsque progressam, vt illos spiritussancti templa constitueret. Excepto, inquit, lapide angulari, non video quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cùm fuerint renati, quod non possunt esse antequam nati. Quamlibet itaque sententiam de prægnantibus, imò de hominibus habeamus intra materna viscera constitutis, verùm

C existimemus eos nec ne donari posse aliquo sanctificationis modo vel propter Ioannem, qui nondum in hanc editus lucem, tamen exultauit in gaudio, quod vtique nisi operatione spiritussancti fieri potuisse quis credat? vel propter Ieremiam cui Dominus dicit, *priusquam exires de vulua, sanctificaui te*, tamen illa sanctificatio, qua efficimur & singuli templa Dei & in vnum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt. Hæc ille.

At verò Bernardus in epistola 174. ad canoni-

D cos Lugdunenses nihil motus Augustini ratione, qua negat renasci posse eum qui non sit natus, primùm de Deipara Virgine firmissimè cum ecclesia sentire se affirmat, in vtero materno eam accepisse vt sancta prodiret. Deinde de Ieremia & Ioanne baptista (interposita etiam Dauidis mentione propter illud psalmi 70 *In te confirmatus sum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus*) similiter etsi non pari firmitate sentire se dicit, non approbans quod in dicta epistola Augustinus Ieremiæ sanctificationem in vtero secundùm prædestinationem interpretatur. Veruntamen ea de re contendere nolens magis persistit in exemplo Ioannis

E baptistæ, quem angelus prænunciauit spiritusancto repletum iri iam inde ab vtero matris suæ, quod ad prædestinationem referri posse negat. Neque tamen liquidò definit, cuiusmodi sanctificationem illa spiritussancti repletio Ioanni contulerit. Certissimè, inquit, sanctus spiritus quem repleuit, sanctificauit. Cæterùm quatenus aduersus originale peccatum hæc ipsa sanctificatio valuerit, siue pro isto, siue pro illo propheta, vel si quis alius simili præuentus gratia fuerit, non temerè dixerim. Sanctificatos tamen non dubitauerim dicere,

F quos Deus sanctificauit, & cum eadem sanctificatione prodijsse ex vtero, quam acceperunt in vtero; nec reatum quem in conceptione traxerunt vllatenus valuisse horum natali iam donatam præpedire seu præripere benedictionem. Attamen quis dicat spiritusancto repletum manere adhuc filiū nihilominus iræ, & si mori in vtero contigisset, cum hac plenitudine spiritus pœnas luiturum damnationis? Durum est. Minimè tamen ausim hinc quippiam mea sententia definire. Sed quicquid de hoc sit, meritò ecclesia quæ cæterorum non natiuitatem, sed mortem sanctorum indicat & prædicat

 preciosam,

preciosam singulari quadam exceptione festis præfert gaudijs, veneraturque illius natalem, de quo nunciante angelo singulariter legit: *Et multi in natiuitate eius gaudebunt*, & quæ sequuntur, in quibus etiam quod suprà de beatæ Virginis in vtero sanctificatione attigeras, pluribus confirmat.

Ea igitur constituta sententia, quæ Bernardo magis probatur, quosdam in vtero materno sanctificatos fuisse vsque ad originalis culpę deletionem, fatendum erit huiusmodi renatos quidem fuisse antequam natos ex vtero, non tamen antequam in vtero nascerentur. Neque absurdum videri debet renasci & à peccato mundari posse quempiam in vtero, qui in vtero potuerit peccato maculari.

Sed neque illud obstat, quod ex renascendi vocabulo objiciunt, quasi secundam non autem tertiam natiuitatem significante. Nam si vocabuli significatum vrgendum est, renasci est iterum nasci, sicut relegere est iterum legere siue secundò siue sæpius id fiat. Deinde cùm natiuitas in vtero & ex vtero pro vna natiuitate carnali computetur, neque propterea dici soleat bis hominem natum, quia primus in vtero, deinde ex vtero natus sit; sed semel tantùm, eò quòd altera natiuitas sit alterius inchoatio, & ambæ vnam perfectam constituant hominis secundùm carnem natiuitatem; rectissimè regeneratio illa qua homo secundùm spiritum renascitur, quamuis iam ex vtero natus sit, secunda non autem tertia hominis natiuitas vocatur.

Dicendum est igitur ordinariè & communi lege neminem renasci nisi natum ex vtero, speciali tamen Dei dispensatione contingere, vt quis renascatur qui nondum ex vtero, sed tantùm in vtero natus sit. Quod quidem de beata Virgine generaliter tenet ecclesia, eam in templum Dei sanctificatam, ideoque ab omni peccato mundam fuisse priusquam ex vtero materno prodiret, siue mundiciam illam ab initio conceptionis habuerit, siue post conceptionem acceperit iuxta diuersorum opiniones, de quibus egimus lib. 3 distinct. 3. At neque de Ioannis in vtero sanctificatione, qua spiritussancti habitaculum effectus fuerit dubitandum videtur, cùm id & scripturæ sit quàm maximè consentaneum, & præter Bernardum, cuius suprà verba citauimus, etiam Ambrosius ita se sentire significat, quando in 1. cap. Luc. scribens affirmat Ioannem in vtero accepisse spiritum gratiæ subiunctis his verbis: Cui enim adest spiritus gratiæ nihil deest. Et cui spiritussanctus infunditur, magnarum plenitudo virtutum est. Quibus denique accedit communis sententia doctorum scholasticorum.

Cæterùm de Ieremia non eadem est certitudo cùm scriptura, quæ id probare videtur Ierem. 1. rectius de sanctificatione secundùm prædestinationem videatur accipienda, quomodo Augustinus eam accepit. Nam & quod præcedit: *Priusquam te formarem in vtero, noui te*, & quod sequitur: *Et prophetam in gentibus dedi te*, similem sensum manifestè postulant. Et similiter de se Paulus loquitur Galat. 1. *Qui me segregauit ex vtero &c.* id est, selegit ad munus apostolicum iam inde ab vtero matris meę. Quare verisimile non est præter matrem Domini, & eum quo inter natos mulierum nemo surrexit maior, cuiquam hoc priuilegij diuinitus concessum fuisse, vt in matris vtero vsque ad originalis maculæ purgationem sanctificaretur.

A

§. 2. *Vtrùm inuitis parentibus filios baptizare liceat.*

Solet etiam quæri, liceatne filios inuitis parentibus baptizare. Cui quidem quæstioni propter diuersitatem tam filiorum, quàm parentum, atque etiam eorum qui baptizant aut baptismum procurant, non vna potest adhiberi responsio. *S. Tho. 2. 2. q. 10. art. 12. & 3. p. q. 68. art. 14.*

Primum enim si filij sunt adulti, & vsu rationis præditi, nemini dubium est, quin parentibus inuitis ipsi baptismum suscipere possint; vt qui ea in re non alieni, sed sui sint arbitrij ac potestatis.

B

Secundò, si filius sit infans, aut rationis vsum nondum assecutus, & parentes infideles sub principe vel quocunque domino christiano iustam patiantur seruitutem, ne sic quidem dubitandum videtur, quin iure talis dominij puer à parentibus abstrahi possit & baptizari, dum tamen parentibus non reddatur, sed alibi christianè educandus collocetur.

C

Tertiò, si puer apud infideles parentes sit permansurus, ab ijsque in infidelitate edocandus nullo modo baptizari debet inscijs aut inuitis parentibus, imò nec ijs conscijs & conniuentibus, ne sacramento iniuria fiat. Nam sicut baptismi sacramentum non est dandum adulto, qui christianam fidem non syncerè profitens, mox ad pristinam infidelitatem reuersurus videatur; ita nec paruulo quem scimus falsa religione à parentibus imbuendum. Vnde zelum pietatis habent non secundùm scientiam, qui Anabaptistarum vel Iudæorum vel aliorum infidelium pueros munusculis ad se pellectos furtim baptizant, ac deinde ad parentes remittunt, quibus vtique si superstites maneant, nihil præstatur. Nam aut in infidelitate permanebũt, atque ita nihil eis confert baptismus; aut ad catholicam religionem conuertuntur, atque ita baptizari illos iterum oportebit, quia non censetur iteratum, quod factum nescitur, vti suo loco diximus.

D

Quartò, ne quidem priuato cuiquam homini licebit puerum sic furtim baptizatum apud se retinere, vel aliò ablegare christianè seu catholicè instituendum; quia nemo priuatus ius habet auferendi ac detinendi filium alterius.

E

Quintò, si princeps publica fungens potestate, ipsisque parentibus superior id faciat quod modò diximus, rectene id fiat maior est dubitatio. Cuius negantem partem asserit S. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 12. & 3. quæst. 68. art. 10 affirmantem tenet Scotus in distinct. 4. quæst. vltima.

S. Thomæ hæc ratio est: Filij nondum habentes vsum liberi arbitrij iure naturæ sunt sub cura parentum, igitur contra iusticiam naturalem est, eos inuitis parentibus baptizare.

Sed in contrarium à Scoto & alijs multa objiciuntur.

F

Primò, Potestas inferior non obligat in his quę sunt contra superiorem, quemadmodum docet Augustinus serm. 6. de verbis Domini, & à nobis declaratum est ad distinctionem vltimam lib. 2. ergo is cui incumbit cura regendæ reipublicæ, magis debet, quantum in se est, cogere vnumquemque subdi superiori quàm inferiori, & per consequens maximè debet princeps tueri dominium supremi Domini, idque agere vt omnes tam maiores quàm minores ei subdantur. Quare non solùm licet, sed & oportet vt princeps subtrahat

pueros dominio parentum infidelium à quibus contra supremi Domini cultum educandi essent, & applicet eos vero ac legitimo Dei cultui.

Secundò, Pater non habet ius impediendi salutem temporalem filij, igitur nec æternam. Et proinde sicut posset ei inuito subtrahi filius, si eum occidere vellet, aut alioqui periclitantem liberari nollet; ita & subtrahi potest volenti eum in infidelitate, quæ mors est animæ, educare.

Tertiò, Si pater docere vellet filium artes illicitas, posset authoritate principis filius ab eo auferri & alibi collocari rectiùs instituendus, igitur id multò magis licebit si filium falsa religione velit imbuere.

Quartò, Pater iure diuino tenetur filium curare baptizandum, igitur id non curans atque insuper impedire volens abutitur patria potestate circa puerum, quare à superiori potestate poterit illi inuito subtrahi puer & baptizari.

Quintò, Si pater bona sua prodigat, authoritate publica dari ei poterunt curatores, ergo si liberos malè educet eadem authoritate poterit eorum cura ei subtrahi & alijs committi.

Sextò, De filijs seruorum peculiariter argumentatur Durandus in distinct. 4. quæst. 6. posse eos parentibus inuitis eripi ab his, quorum serui sunt & diuendi in seruitutem apud fideles, à quibus proinde sicut christianè educari, ita & baptizari possunt. Sed hæc ratio id tantùm ostendit, quod superius secundo loco ponebamus, quamuis nec in eo S. Thomas consentiat.

Hæ rationes & similes opinionem Scoti non parum confirmant. Quam si vt probabilem sequamur, non difficile erit ad rationem fundamentalem ex opposito allatam respondere, nimirum filios nondum rationis vsum habentes esse quidem iure naturæ subditos curæ parentum suorum, sed non ita quin eidem curæ subtrahi possint per potestatem superiorem, si illo iure parentes abutantur. Non enim parentes ius habent filium malè & perniciosè instituendi, sicut nec ius habent venenum porrigendi aut quomodocunque corporaliter occidendi. Vnde si quid tale faciant, vel corporaliter vel spiritualiter, abusus ille patriæ potestatis à superiori potestate corrigendus est.

Interim in hac re sicut & in alijs multis, non tantùm quid liceat, verùm etiam quid expediat, videndum est. Id quod etiam locum habere debet in altera quæstione huic cognata: An infideles, qui fidem nunquam susceperunt, pœnis licitè compelli possint ad eam suscipiendam. Cuius affirmantem partem similiter tenet Scotus, alijs plærisque diuersum asserentibus, sed ea quæstio propriè non huius est instituti.

Quæret aliquis si christianus quispiam priuatus inueniat puerum patris infidelis iam iam moriturum, an eum patre nescio, vel etiam inuito ac repugnante baptizare possit. Respondet Dominicus à Soto (qui alioqui cum S. Thoma de tota hac quæstione sentit) in fine articuli 10. distinct. 5. in 4. se eiusmodi factum, modò sine scandalo fiat, nolle improbare, quia, inquit, iniuria parentum non est adeo superstitiosè, sed secundùm prudentium iudicium intelligenda. Nos aliter dicere possumus id fieri de consensu præsumpto legitimæ potestatis, non minùs quàm si priuatus quispiam puerum de vita periclitantem liberaret patre etiam inuito, quod factum nemo damnaret.

§. 3. *Baptizandis susceptores rectè adhiberi.*

VT baptizandis tam adultis quàm paruulis patrini seu susceptores adhibeantur ab apostolica traditione descendit. De qua apud Dionysium Areopag. lib. de ecclesiastica hierarchia cap. 2. parte 2. sic legitur. Qui autem horum quæ verè cælestia sunt, particeps fieri cupit (de baptismo loquitur) cùm ad aliquem eorum qui initiati sunt adijt, suadet illi quidem vt se rectà ad sacerdotem ducat, ipse autem se omnino ea quæ tradentur facturum esse pollicetur, petitque vt & ad eum adducatur, & vitæ omnis quam deinceps aget, curam suscipiat. Illum autem qui eius quidem salutis sancta cupiditate ducitur, sed ex rei magnitudine hominis ingenium metitur, horror quidam repente, tenuisque difficultas deterret, ad extremum tamen id quod petijt, benignè se facturum esse promittit, acceptumque eum ducit ad sacerdotem &c. S. Tho. 3. p. q. 67. art. 7. & 8.

Paruulis autem similiter patrinos adhiberi solitos idem Dionysius testis est eiusdem libri cap. vltimo inter alia sic inquiens. Placuit diuinis nostris præceptoribus (apostolos intelligit) admitti pueros hoc sancto modo, vt naturales pueri qui introfertur, parentes tradant filium alicui eorum qui initiati sunt, bono puerorum in diuinis rebus informatori, ac deinceps ei puer det operam, vt diuino patri, sponsorique sanctæ salutis. Ab hoc igitur qui puerum in sancta vita instituturũ se esse pollicetur, exigit pontifex, vt ita dicam, abrenunciationum professionem, sanctasque professiones, non quòd, vt quidam ridentes dicunt, alium pro alio diuinis sacris initiet. Non enim hoc ait: Ego pro puero abrenuncio aut promitto, sed puer abrenunciat & profitetur, id est, profiteor me huic puero suasurum, cùm intelligere sacra per ætatem poterit, diuinis meis institutionibus, vt & nuncium remittat aduersarijs, atque ab eis deficiat, & profiteatur exoluatque diuina promissa. Non ergo, vt opinor, absurdum est, si puer diuinæ vitæ instituatur, cùm ducem sponsoremque habeat, qui eum & diuinarum rerum scientia imbuat & ab aduersarijs tutum custodiat. Hæc Dionysius.

Ex quibus perspicuè intelligitur quod sit erga susceptos suos sponsorum seu susceptorum officium, nempe vt velut pædagogi eorum ac magistri rudimenta fidei, rectæque vitæ rationem eos doceant, ac semper paternam pro salute eorum curam gerant. Vnde Augustinus in sermone quodam susceptores diligenter admonet, vt pro spiritualibus suis in baptismo filijs fideiussores se factos esse meminerint. Verba sunt ista apud Gratianum de consecrat. dist. 4. Vos ante omnia tam mulieres quàm viros qui filios in baptismo suscepistis moneo, vt vos cognoscatis fideiussores apud Deum extitisse pro illis quos visi estis de sacro fonte suscipere, ideoque semper eos admonete vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant. Ante omnia symbolum & orationem dominicam & vosipsi tenete, & illis quos suscepistis ex sacro fonte ostendite. Similis apud eum locus est serm. 163. de tempore, vbi hæc ferè eadem copiosiùs habentur. Breuiter autem id, quod in hac functione præcipuum est, admonet concilium Maguntiacum can. 47. præcipiens vt vnusquisque compater spirituales filios suos catholicè instruat. His adde canonem 1. concilij 4. Wormaciensis & canonem

2. con-

2. concilij Parisiensis, vbi paulò plenius suscepto rum officium explicatur. Quæ cùm ita sint nec ouem lupo committi recta ratio sinat, manifestè consequens est, hæreticos aut alioqui criminosos, atque omnino ad curandam aliorum salutem ineptos non esse ad hoc munus à parentibus aduocandos, & si quidem notoriè tales sint, nec à parochis admittendos.

Quoniam autem quæ multis committuntur plærumque minùs rectè curari solent, hinc prudenter olim constitutum fuit, primùm ab Higinio papa, deinde à Leone, vti refert Gratianus de consecrat. distinct. 4. vt non plures ad suscipiendum de sacro fonte puerum accedant quàm vnus siue vir, siue mulier. Atque id iam inde ab initio obseruatum fuisse satis liquet ex Dionysij verbis suprà recitatis. Cuius tamen constitutionis & alia causa exstitit, ne videlicet matrimonij impedimenta in quibus est cognatio spiritualis, quæ per susceptionem è sacro fonte contrahitur, nimium multiplicentur. Quam rationem attendens synodus Tridentina sess. 24. cap. 2. reformationis matrimonij statuit vt vnus tantùm siue vir siue mulier iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum vnus & vna baptizatum de baptismo suscipiant.

Quod ad fœminas susceptrices attinet Dionysius earum non meminit. Meminit tamen Augustinus vtroque loco paulò ante memorato, sit quoque earum mentio in decreto Leonis & canone Wormaciensi modò citatis. Sed verisimile est fœminas non nisi puellis susceptrices datas fuisse, sicut viros pueris, cùm id planè videatur honestas exigere.

Porrò canon 55. Maguntinensis vetat ne quis proprium filium vel filiam de sacro fonte suscipiat & canon. 25. Altisiodorensis ne abbas vel monachus cuiquam susceptor fiat. Prioris ratio videtur tum vt cogantur homines amicitiam ad alios propagare, tum quia melius prouidetur puero, dum præter parentem carnalem, qui iure naturæ tenetur eius salutem procurare, ei datur insuper parens spiritualis, cuius id proprium munus fiat ex sponsione. Posterioris ratio quia quamuis sit res sancta filios de fonte suscipere, non tamen ijs conuenit, qui solitariam vitam profitentur, præsertim si sub aliorum obedientia vel potestate sint constituti.

§. 4. *Ceremoniæ quæ in baptismo adhibentur quem vsum habeant.*

S.Tho.3. p.q.71. per tot. PRæter ceremoniam huic sacramento essentialem, quæ in forma & materia eiusque applicatione consistit, sunt aliæ quæ ex veteri atq; adeo apostolica traditione circa baptismum adhibentur, accidentariæ dumtaxat, id est, quæ sacramenti substantiam non attingunt, & sine quibus sacramentum perfici potest. Sunt autem in duplici genere. Quædam enim efficientes sunt, aliæ tantùm significantes, omnes tamen ad doctrinam & exhortationem plurimum valent.

Efficientes ceremoniæ sunt exorcismus & exsufflatio. Per eas enim potestas diaboli reprimitur & coercetur, ne procurandam per baptismum salutem hominis quoquo modo impediat. Qua de re Cælestinus papa 1. in epistola ad episcopos Galliarum cap. 12. ita scribit: Illud etiam quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu, cùm siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniūt sacramentum, non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis & exsufflationibus clericorū, spiritus ab eis immundus abigatur, vt tunc verè appareat quomodo princeps mundi huius mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis & deinceps vasa eius diripiantur in possessionem translata victoris, qui captiuam ducit captiuitatem & dat dona hominibus. Quæ Cælestini verba etiam in Gennadij libro de ecclesiasticis dogmatibus cap. 31. leguntur.

B Augustinus quoque lib. 1. de peccatorum meritis cap. 34. dum ait, Quid in paruulo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? haud dubiè significat exorcismum in paruulo non tantùm significatiuam sed efficacem esse ceremoniam, atq; agere aliquid in comprimenda potestate diaboli. Idem lib. 1. de symbolo cap. 1. Ideo, inquit, paruuli exsufflantur & exorcizantur, vt pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominē vt possideret homines, & lib. 2. cap. 1. catechumenos alloquens dicit Deum per exorcismum diabolum sua virtute fugasse, & ab eius dominio suam familiam liberasse. Sed & alibi sæpe huius efficaciæ meminit; loca sunt lib. 1. contra Iulianum cap. 4. lib. 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 20. lib. de gratia Christi cap. 40. In epistola 105. ad Sixtum lib. de fide & operibus cap. 6. & in psalm. 65. ad illud: *Transiuimus per ignem & aquam.*

C Meminerunt præterea huius ceremoniæ Dionysius Areopag. ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 2. p. 2. Cornelius papa apud Eusebium, lib 6. cap. 43. historiæ ecclesiasticæ. Tertullianus lib. de idololatria & alibi. Ambrosius tam in lib. 1. de sacramentis, quàm in libro de iis initiandis. Cyrillus Hierosolymitanus catech. mystagog. 2. & Gregorius homil. 29. in euangelia. Cyprianus verò lib. 4. epist. 7. docet vsque adeo potentes esse exorcismos qui baptismo præmittuntur, vt etiam valeant ad eijciendos dæmones ab ijs, qui corporaliter obsessi tenentur.

D Ex qua item epistola petenda est solutio quæstionis, quomodo potestas diaboli cohibeatur per exorcismum, cùm homo exorcizatus, si postea non baptizetur, æquè vt priùs maneat sub diaboli potestate. Respondet enim Cyprianus, quòd sicut olim Pharao repressus quidem fuit aliquatenus per Moysem & Aaron priusquam ad mare rubrum veniretur, non tamen oppressus. Quin potiùs adhuc populum opprimere conabatur. Sed postquam mare rubrum populus transiuit, penitus ab eius dominatione liberatus est, tyranno in aquis demerso & suffocato; ita diaboli potestas per exorcismos ante baptismum reprimitur quidem nonnihil, sed non aufertur penitus nisi per baptismū, adeo vt si baptismus non sequatur, iterum antiquo iure diabolus hominem totum possidest, sicut Israelem Pharao possedisset, si ante transitum maris rubri præoccupare eum potuisset. Quare omnis illa vis exorcismi & exsufflationis in baptismo consummatur, & sine baptismo inanis redditur. Ad cuius explicationem facit & ea comparatio, quam ex euangelio Cælestinus pontifex adducit de forti priùs alligato ac deinde spoliato. Plenius autem ac distinctè de efficientia dictarum ceremoniarum scribentem videre est S. Thomam 3. quæst. 71. art. 3. Quo item loco in responsione ad 4. docet etiam vnctionem illam, quæ post baptismum in vertice fit baptizati, non solùm significare, sed etiam

efficere

efficere aliquid, quia, inquit, oparatur ad conseruationem gratiæ spiritalis.

Iam si quæras quomodo huiusmodi ceramoniæ non sint sacramenta propriè dicta, si signa sint efficacia, ab eodem S. Thoma respondetur ea non efficere principalem effectum, qui est gratia, sed solùm tollere impedimenta gratiæ consequendæ vel retinendæ. Verùm cùm ecclesia non habeat potestatem instituendi signa, ne quidem ad huiusmodi effectus, ex opere operato valentia, quemadmodum diximus ad distinct. 1. cùm de virtute aquæ benedictæ ageremus, idcirco verior responsio videtur, huiusmodi sacramentalia, quæ ab apostolis fuerunt instituta, atque ecclesiæ tradita, eo distingui à sacramentis, quòd non ex opere operato valeant, sed ex fide & deuotione ecclesiæ, in cuius persona ab eius ministris peraguntur.

Aliæ porrò ceremoniæ siue ante siue post baptismum adhiberi solitæ in significatione sola consistunt, & eiusmodi sunt quæ ad doctrinam & exhortationem tam eius qui baptizatur, si sit adultus, quàm aliorum qui mysterijs astant non parum conducunt. Quamquam easdem quoque nonnullas vt efficientes commemorat Rabanus lib. 1. de institutione clericorum cap. 27. citante S. Thoma loco memorato. Quæ doctrina exstat apud Ambrosium totidem ferè verbis lib. 1. de sacramentis cap. 1. Reperies enim euangelica historia vbi dicitur, *Epheta, id est, adaperire.* Ideo ergo, inquit, tibi sacerdos aures tetigit vt aperirentur aures tuæ ad sermonem & ad eloquium sacerdotis, nares, vt bonum odorem percipias pietatis æternæ, vt cum apostolo dicas, *Christi bonus odor sumus Deo*, & sit in te fidei, deuotionisque plena fragrantia. Sic ille.

§. 5. *Quid de ijs, qui absque ceremonijs fuerint baptizati.*

S. Thom. 3. p. dist. 3. 71. art.

SI qui vel in mortis periculo, vel apud hæreticos aut quocunque errore absque ceremonijs ecclesiæ baptizati fuerint, ijs postea saltem omnes illæ solemni ritu erunt adhibendæ, quemadmodum rectè docet S. Thomas quæstione suprà citata art. 3. ad 3. & facto suo monstrat ecclesia, cuius quidem praxis ecclesiasticæ multæ sunt rationes.

Prima, ne sacramentum careat sua solemnitate. Referuntur enim tunc ceremoniæ ad baptismum præcedentem, ideoque non est absurdum etiam illas adhiberi, quæ solent baptismo præmitti, vt catechismum, exorcismum &c.

Secunda, quia exorcismus etiam postea aliquid agit. Nam vt ait S. Thomas vbi suprà, sicut impediri potest effectus baptismi antequam percipiatur, ita & frustrari potest postquam fuerit perceptus, & quemadmodum Cyprianus ait lib. 4. epist. 7. sicut diabolus in baptismo fide credentis excluditur, ita potest fide postmodum deficiente regredi; quod ne fiat sicut oratione, ita exorcismi ceremonia agi potest.

Tertia, vt quemadmodum S. Thomas ibidem ait, in baptismo seruetur vniformitas, sicut enim vnum est baptisma, ita conuenit omni baptismo easdem adhiberi ceremonias.

Quarta, vt publico hoc ritu ecclesia declaret ratum se habere baptismum à quocunque collatum, vt à laico, fœmina, hæretico &c.

Quinta, vt baptizatus habeat publicè deputatum sibi susceptorem, cuius cura catholicè instruatur. A

Sexta, vt expressa per susceptores sponsione facta baptizatus cùm adoleuerit magis agnoscat atque intelligat suam obligationem.

Ne autem nouicium hoc esse quispiam suspicetur, quod de ceremonijs postea supplendis dicimus, refert Nicephorus lib. 8. cap. 44 ex Sozomeno lib. 2. cap. 27. & Ruffino lib. 10. cap. 14. (quod & habetur in decreto Gratiani 1. quæst. 1. ca. Spiritussanctus) quod Athanasij pueri baptizantis actum ratum habuerit quidem Alexander B episcopus, sed per ecclesiæ ministros suppleri postea iusserit solemnes illius sacramenti ceremonias.

IN DISTINCTIONEM SEPTIMAM.

§. 1. *Confirmationis sacramentum quibus nominibus appellatum & quomodo definiatur.* C

SECVNDVM inter nouæ legis sacramenta locum obtinet confirmatio sic dicta ab effectu, quòd videlicet gratiam in baptismo perceptam augeat, confirmetque, & ipsum baptizatum corroboret aduersus hostes fidei. Vocatur etiam passim à veteribus manus seu manuum impositio, idque à ceremonia quę D in eius celebratione adhibetur. Quo nomine significatur in scriptura Act. 8. tametsi alioqui nomen manus impositionis, sicut & ipsa ceremonia latissimè pateat etiam extra hoc sacramentum, vti ex scriptura & patribus ostendere facile est. Præterea vocatur spiritale signaculum ab Ambrosio lib. 3. de sacramentis cap. 2. & de mitiandis cap. 7. & signaculum Dominicum à Cypriano in epist. ad Iobaianum, & signum Christi ab Augustino lib. 19. contra Faustum cap. 14. Interdum quoque vocatur à patribus sigillum & consignatio seu obsignatio. Quæ nomina vel à signo crucis, quod in E fronte pingitur, vel ab ipso signationis episcopalis actu, cuius & forma sacramenti meminit, accepta sunt.

S. Tho. 3. p. q. 72.

Cæterùm ab elemento cuius in eo est vsus, appellatur sacramentum chrismatis ab Augustino lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. & signaculum chrismatis à Cornelio papa apud Eusebium lib. 6. historiæ ecclesiasticæ cap. 33. & hostia chrismatis seu vnctio perfectiua à Dionysio lib. ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 4. Denique nonnunquam simpliciter vnctio vocatur, vt à Cypriano lib. 1. epistola vltima.

F Potest autem breuiter ad hunc modum definiri: Confirmatio est sacramentum nouæ legis, quo baptizatis additur robur spiritus, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam intrepidè confitendam. Alij alias adferunt definitiones, sed quarum idem ferè sensus sit. Plenior autem earum intelligentia colligenda ex ijs quæ deinceps dicemus, maximè vbi de huius sacramenti effectu agetur.

§. 2. Quare

§. 2. *Quare confirmatio secundum inter sacramenta locum habeat.*

Ad dict. q. 2. art. 1.

DE ordine huius sacramenti respectu cæterorum hoc primò notandum est, non propter eius præstantiam supra cætera quinque secundum ei locum à sacris scriptoribus tribui, cùm indubiè præstantius ac dignius eo sit eucharistiæ sacramentum, vt interim de ordinatione sacra nihil dicam, quæ cur illi dignitatis nomine cedere debeat ratio non apparet. Sed propterea id factum, quod in ecclesia Christi secundum locum ordine administrationis habere soleat. Nam & apostoli baptizatis statim nullo alio intermedio sacramento per manuum impositionem spiritumsanctum tribuerunt. Act. 8. & 19.

Et Dionysius Areopag. lib. ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 2. parte 3. testatur baptizatos priùs chrismate inungi ab episcopo, deinde ad mensam Domini admitti solere. Pontifex, inquit, hominem ita perfectum, id est, sacra vnctione confirmatum, ad sacratissimam eucharistiam vocat, & consummantium illi sacramentorum communionem Deificam tradit. Similiter Ambrosius lib. 3 de sacramentis cap. 2. & de initiandis cap. 6. Sequitur, inquit, spirituale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis spiritussanctus infunditur. Et mox. Post hæc quid sequitur? Venit habes ad altare &c. Nec dissimilia leguntur apud Cyrillum Hierosolymitanum catech. mystagog. 2. 3 & 4. Eundem ordinem indicant Tertullianus lib. de baptismo & lib. de resurrectione & Cyprianus lib. 1. epist. 12. Scribit item Theophylactus in 1. Corinth. 12. spiritumsanctum post baptisma dari, priusquam sacra mysteria corporis & sanguinis Domini participemus. Sed & concilium Toletanum 4. canone 55. tria hæc sacramenta sic ordine enumerat, baptismi gratiam, chrismatis vnctionem, corpus & sanguinem Domini. Et sanè conuenientissimus est hic ordo, vt ad id quod perfectum est gradibus quibusdam & congrua præparatione ascenderetur.

Verumtamen non est existimandum hunc ordinem perpetuò velut quadam legis necessitate fuisse seruatum. Cùm enim constet presbyteros ordinariè baptizare solitos, nec episcopos qui baptizatos adulta ætate homines consignarent statim præsto fuisse, credibile est eucharistiam ante confirmationem sæpe fuisse ministratam, præsertim cùm Hieronymus in dialogo contra Luciferianos cap. 8. testetur diaconum neque eucharistiam conficere posse, neque tamen baptismum sine eucharistia tradere. Ex quibus verbis apparet fuisse morem ecclesiæ, vt baptizatis etiam absente episcopo seu per presbyterum seu per diaconum statim eucharistia traderetur; quod tamen si præsens adesset episcopus absque præuia consignatione non fiebat, vti monstrant superiora. Huius autem rei rationem reddens Cyrillus lib. 2. in Ioannem cap. 36. ad illud. *Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis.* Non est, inquit, stabilis fides eorum qui nuper crediderunt, nec mens firma inest in fide recentibus, cùm adhuc pietate firmati non sunt. Quare nec Christus huiusmodi se hominibus credidit; discant igitur omnes quibus saluatoris mysteria credita sunt, non nimium citò ad diuinam mensam neophytos accipere. Sic ille.

§. 3. *Confirmationem esse verum ac proprium nouæ legis sacramentum.*

S. Thom. dict. 3 p. q. 72. art. 1.

COnfirmationem è numero sacramentorum primi sustulerunt ante annos 400. Waldenses hæretici, quemadmodum refert Aeneas Syluius lib. de origine Boemorum cap. 35. quem errorem secutus est Ioannes Wicleff. Sequuntur & omnes ferè huius ætatis sectarij, quorum alij Lutero magistro dicunt eam nunc dono miraculorum cessante tantùm esse ociosam quandam baptizatorum ceremoniam, quasi videlicet apostolorum tempore tantummodo linguarum donum, vel similem aliquam miraculorum gratiam contulerit: alij à Caluino educti volunt primis ecclesiæ temporibus nihil aliud fuisse, quàm catechesin quandam, qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram ecclesia exponebant. Quam vtramque sententiam anathemate damnat synodus Tridentina sess. 7. can. 1. de confirmatione.

Aduersus huiusmodi errores certissimè tenendum est confirmationem esse verum & proprium nouæ legis sacramentum. Cuius catholicę doctrinæ prima probatio sit ex definitione sacramenti. Confirmatio enim ita instituta est, atque à principio semper vsitata, vt sub externo & visibili signo spiritussanctus daretur ad robur ijs qui baptizati essēt. Est igitur visibile atque operatorium signum inuisibilis gratiæ, quod quidem ad rationem sacramenti nouæ legis sufficit. Sed plenius id nobis probandum erit vbi ad declarandum effectum huius sacramenti ventum fuerit. Hoc loco subiungenda est de eadem re patrum doctrina.

Dionysius Areopag. lib. eccl. hier. cap. 4 parte 3. & sensibilis signi, videlicet vnctionis eius quæ chrismate fit mentionem, & perfectionem gratiæ in baptismo perceptæ attribuit his verbis: Sacræ regenerationis donum & gratia, vnguenti sacratissima consummatione perficitur.

Tertullianus lib. de resurrect. carnis ita breuiter vtrumque complexus est: Caro vngitur, vt anima consecretur; caro signatur, vt anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, vt anima spiritu illuminetur. Ponit autem ibi hoc sacramentum medium inter baptismum & eucharistiam.

Cyprianus lib. 1. epist. 1. & 12. impositionem manuum disertè sacramentum esse testatur. Est etiam apud eum sermo de vnctione chrismatis inter eos qui de operibus cardinalibus inscribuntur, vbi author ille quisquis est (quem sanè vetustum & eruditum esse constat, ego cum Pamelio Saluianum esse puto) luculentè admodum de hoc sacramento præter alia scribit in hunc modum: Non est hæc vnctio medendis corporibus instituta, quia sanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum, sed virtus diuina potentius operatur, sed adest veritas signo & spiritus sacramento, vt & ipsis rerum efficientijs gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quanta ex his detur authoritas Deiformi conuersatione & cælestibus moribus innotescat. Et alia, quæ sequuntur.

Eusebius quoque pontifex & Martyr in epist. 3. ad episcopos Tusciæ & Campaniæ clarum testimonium huic sacramento præbet.

Quem

A Quem secutus Melchiades papa cùm ab Hispaniç episcopis consuleretur, vtrù maius esset baptismi an confirmationis sacramentum, vtrumque magnum esse sacramentum respondet & latè probat. Post eum verò Innocentius 1. in epistola ad Decentium episcopum cap. 3. ita de consignationis sacramẽto loquitur, vt non mòdò certũ gratiæ effectũ, verùm etiam determinatam materiã & formam ei assignet.

Ambrosius in opere de sacramentis & in libro de initiãdis ex professo de sacramẽtis ecclesiç disserens cõsignationi proximum à baptismo locum tribuit.

Hilarius in fine can. 4 in Matt. consignationẽ sacramentum spiritus appellat, quod bonis iamq́ne
B lauacro purgatis plenitudo spiritus per illud detur.

Hieronymus in dialogo contra Luciferianos sacramentum manus impositionis episcopalis ex scriptura simul & traditione probat sub persona quidem Luciferiani, sed approbante orthodoxo.

Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. clarissimè de hoc sacramento pronunciat. Tractans enim illud ex psalmo 132. *Sicut vnguentum in capite*, ita scribit: In hoc vnguento sacramentum chrismatis vult interpretari. Quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse
C baptismus, sed potest esse & in hominibus pessimis &c. Et infrà: Discerne ergo visibile sanctum sacramentum, quod esse & in bonis & in malis potest, ab inuisibili vnctione charitatis, quæ propria bonorum est. Idem lib. 19. contra Faustũ cap. 14. signum Christi, id est, sacramentum confirmationis baptismo & eucharistiæ connumerat, & inter ea sacramenta reponit, quorum vis ad pietatem inenarrabiliter plurimum valet, & pro quibus multò magis omnia dura & horrenda perpeti debeat christianus, quàm pro veteribus illis & prænunciatiuis sacramentis passi fuerunt antiqui iusti. Meminit item hu-
D ius sacramenti tract. 3. & 118. in Ioãnem, & expressiùs lib. 15 de trinitate cap. 26. Item lib. 3. contra Donatistas cap. 16. & serm. 19 de sanctis.

Denique vt alios breuiter recenseam, meminerunt huius sacramenti Vrbanus papa in epistola decretali ad vniuersos episcopos, Fabianus papa in epist. 2. ad episcopos Orientales, Cornelius papa apud Eusebium lib. 6. cap. 33. Leo 1. in epist. 86 Gregorius 1. lib. 3. epist. 9. & 26. Gregorius 3. in epist. ad Bonifacium, Innocentius 3. extra de sacra vnctione cap. vnico. Cyrillus lib. 9. in Leuiticũ, Beda in Act. 8. & quæst. 54. super exodum, Bernardus in vita
E Malachiæ. Laodicense cõcilium cap. 48 & alia nonnulla particularia concilia. Quibus demum accessit definitio duorum generalium, Florent. in decreto Armenis dato & Trident. loco suprà citato.

Neque porrò destituitur hæc constans patrum doctrina scripturç testimonio. Nam Act. 8 ad quem locum huius sacramenti primordia omnes referunt, legimus Petrum & Ioannem manus imposuisse Samaritanis, qui fuerãt à Philippo baptizati, atque ita eos accepisse spiritumsanctum. Et additur scriptura:
F *Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus apostolorum daretur spiritussanctus, obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat spiritumsanctum.* Qui scripturç locus & signum corporale & effectum eius spiritualem manifestè nobis designat. Quàuis enim dici possit circa eos qui spiritumsanctum acceperisse dicuntur externum & visibile aliquid accidisse, vt vel linguis loquerentur, vel ignitæ linguæ super ijs apparerent, (neq; enim aliter videre potuit Simon Magus quòd per impositionem manus apostolorum daretur spiritussanctus) non tamen externum illud fuisse putandum est absque infusione gratiæ internæ, cùm in scriptura sacra nemo legatur accepisse spiritumsanctum absque interna sanctificatione.

Deinde Act. 10. de talibus dicit Petrus: *Acceperũt spiritumsanctum sicut & nos*; acceperant autem apostoli in die pentecostes non solùm donũ linguarum sed vel maximè internam spiritussancti corroborationem, iuxta illud quod eis dixerat Dominus Luc. vltimo: *Induemini virtute ex alto.* & Act. 1. *Accipietis virtutem superuenientis in vos spiritussancti.* Adde quòd Act. 10. ex eo quod circa Cornelium & comites eius acciderat, dixerunt inter se discipuli: *Quoniam & in gentes gratia spiritussancti effusa est.* Non igitur externum illud qualecunque signum vel donum intelligebant separatum à gratia spiritussancti, quæ hominem Deo commendat. Præterea, qui ad hunc modum linguis loquebantur, non quidlibet sonabant, sed tanquam diuino spiritu pleni statim eructabant magnalia Dei, vti de apostolis Act. 2. & de Cornelio eiusq́ue socijs Act. 10 & de Ephesijs quibusdam Act. 19. testatur scriptura.

Deniq; ex eo intelligitur fuisse illud signũ gratiæ operatorium, & non tantùm instar orationis quę fit super hominẽ, quia Philippus diaconus illud exhibere non potuit, sed eius administrandi gratia Hierosolymis apostolos euocari oportuit, cùm alioqui nihil prohiberet diaconum super baptizatis orationem fundere, etiam adhibito ritu aliquo externo.

Sunt autem & aliæ scripturæ in quibus huius sacramenti fit insinuatio, vt Act. 2. in verbis à Petro ex Ioele recitatis, quæ promissionem continent spiritus in nouissimis diebus effundendi super omnem carnem, id est, (vt postea exponit) super seruos & ancillas Dei. Quod de alio sacramento aptius intelligi non potest, quàm de sacramento manus impositionis, quomodo & Melchiades papa intellexit. Nam Petro exponente primùm in apostolis id impletũ est die pentecostes, deinde in alijs implendum significatur per impositionem manuũ apostolorum. Vnde eodẽ cap. ait Petrus ad Iudæos corde compunctos: *Baptizetur vnusquisque vestrũ &c. & accipietis donum spiritussancti*, id est, post acceptam in baptismo peccatorũ remissionẽ, accipietis etiam donum spiritussancti, quale nos nunc accepisse videtis, idq; per impositionẽ manuũ nostrarũ. Non enim putandum est apostolos qui Samaritanis lõgè positis hac parte deesse noluerũt, non idem sacramentũ cõtulisse Iudçis præsentibus, ac primò omniũ sua prædicatione conuersis. Eodem pertinet prophetia Isaiæ 44. *Effundam aquas super sitientem, & effundam spiritũ meum super semen tuum*; quorũ alterum de baptismo, alterũ de confirmatione dictum conuenienter accipitur.

Alia scripturæ loca sunt Act. 19. vbi Paulus baptizatis quibusdam manus imponit. Ephes. 1. vbi ait: *In quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto*, id est, postquam credidistis, seu fidei sacramentum accepistis etiam sigillo spiritussancti obsignati estis. Hunc enim sensum Græca monstrant & Ambros. commentarius tradit. Simile est illud Ephes. 4. *Nolite contristare spiritumsanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Rursum ad Heb. 6. inter doctrinæ christianæ rudimenta post baptismum proximè numeratur impositio manuum. Et iterum post illuminationem qui baptismi effectus est, subiungitur donum cæleste & participatio spiritussancti, quæ effecta sunt impositionis manuum, sic enim intelligenda hæc esse monent commentaria Ambros. Chrysostomi, & Theophylacti.

His omnibus postremò accedit perpetua consuetudo ecclesiæ quæ ab ipsis apostolorum tempo-

ribus hoc signaculo seu chrismatis seu manus impositionis semper vsa est ad tribuēdum peculiarem quemdam effectum spiritussancti. De quo postea suo loco.

§. 4. Confirmationis sacramentum quomodo à Christo institutum.

S. Tho. 3. p. q. 72. art. 1. ad 1.

EX ijs quæ ad 1. distinct. de factamantis in genere anuutata sunt, manifestum relinquitur, etiam hoc eunfirmatiunis saeramentum à Christo instiutum esse, vt cætera omnia iuxta synodi Tridentinę definitionē, & quidam immadiatè. quamadmudum rationes eo loco adductæ satis prubant.

Sed quomodo id factum sit, quæritur. S. Thomas 3 quæst. 72 srt. 1. ad 1. dicit Christum instituisse huc sacramentum per se qnidem & immediatè, non tamen exhibendo sed promittendo secundùm illud iuannis 16. *Si non abiero, paracletus non venies ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Verùm si proptetaa sacramentum hoc instituir prumittendo, quia promisit discipulis spiritumsanctum, cuius virtute induerentur ex alto, igitur & exhibendo; quia ipse spiritumsanctum quem promiserat mitrendo exhibuit. Sed sicur illa axhibitiu nou fuit sacramenti, ita nec prumissiu. Quòd si sacramentum aliquud constituas in lingnis igneis cum quibus in discipulos descendit spiritussanctus, erit igitur hoc sacramantum à Christo nun mudò promissum, sed etiam axhibitum in die penteeostes. Quamquā potest id quud S. Thom. dicit ita intelligi, vt negetur Christus hoc saeramentum exhibuissa præsentia sua corporali, sicut eahibuir sacramentum baptismi & eucharistiæ. Er banc arbitror esse mentē S. Doctoris.

Quidam upinantur hoc sacramentum à Christo institutum esse tantùm genarali quadam rationa, ita nimirum vt sub aliquu visibili signo virtutam spiritussancti rribui vellet baptixatis, non tamen determinando eertam matatiam, cuius esset futurus in ecclesia perpetuus vsus, sed aius rei determinationem relinquendu & committando apustolis. Hinc aiunt apustolos initio impositiune manuum vsos fuisse pro materia huius sacramenti, dainda in eius locum ex eotomdem ordinatione chrismatis vnctionem successisse. Sed hæc opinio reuera eum ea consentit, quæ tradit non immediatè saeramania omnia nouæ legis à Christu instituta esse. Nam ad sacramaoti alicuius institutionem pertinat materiæ & formæ determinatio, vt quæ sacramento sint assentialia.

Magis igitur probabila est totum illud quod ad huius sacramenti substanriam pertinet, specialiter atque immediatè à Christo institutum & apostolis ab eo traditum fuisse. Id anim non modò osteuditur ex apistola Fabiani papæ ad episcupos Orientales, in qua seribit Christum pust nouissimam cœnam apostulus ducuissa chrismatis conficiendi modum, verùm atiam ax epistola 4. Clementis colligitur, vbi de hoc saeramanto eiusque effectu loquens, addit: Vt à beato Petro accepimus, & cætari sancti apostoli præcipienta Domioo docueronr. Quæ verba significant Christum ea ipsa præcepisse quæ apostoli de boc sactamento transmiserunt ad posteros. Quare sicut apostolus Paulus qui ramen Christum io eatna mortali non viderat, ab illo accepit immediatè ea quæ de institutione sacramanti eochatistiæ tradir Corinthijs 1. Corinth. 11. dicans: *Ego enim accepi à Domino &c.* ita meritò creditor alios apostolos qui eum Christo io terris fuerant conuersati, de alijs quoque sacramentis in par-

A ticulari fuissa eductos. An autem apostuli eadem materia, qua nunc ecclesia vtitur in hoc sacramento ministrando val semper vel aliquando fuerint vsi, postea dicemus.

§. 5. Quæ sit huius sacramenti materia.

S. Thom. dist. q. 72. art. 2.

MAteriam seu visibile elamentum sacramenti eunfirmationis esse chrisma ex veterum doctrina manifestè ostenditur. In primis enim Dio-
B nysius Areopagyta lib. ecclesiasticæ hierarch. cap. 4 parte 3. non tantùm chrisma nominat, dum hoc sacramautum voeat chrismatis hustiam, sed præterea (ne quis cauilletur, chrisma ex vi nominis non aliud quàm vnctiunem significare) significat in eo asse collectionam quandam suaniter spirantium matatiarum, eamq; ob causam etiam vnguenti noman ei tribuit. Tertullianos autem vnctionis numine eam designat lib. de baptismu & lib. de resurrect. carnis. At Cyprianus Græco vucabulo iam Latinis recepto & huic significandæ materiæ appropriato chrisma numinauit, ita scribens lib. 1. epistola 12. Vngi quoque necesse est eum qui baptixatus
G sit, vt accepto chrismate, id est, vnctiona esse vnctus Dei & babera in se Christi gratiam, pussit. Er ante Cyprianum Fabianus papa de chrismate, eiusque confectiune apertissimè scribir in epist. 2. ad episcopos Orientales. Et Cypriani tempore Cornelius papa da Nouato hæretico seribit, quòd signaeulo chrismatis consummatus non fuerit, vti legitur apud Eusebium lib. 6. eap. 33. vel 34. ex versione Ruffini. Vnde etiam Theodoretus narrat in lib. da peruarsis hæreticurum fabulis, quòd qui Nouatum sectabantur, huminibus à sa baptizatis sacrusanctum non exhibeant chrisma. Quod idem
D & Pacianus de Nouatianis testatur lib. 3. epist. ad Sempronianum. Meminir prætarea Prudentius in hymnu, cuius ex ordiū. *Cultor Dei memento.* Et alibi, cùm dicit infideles dicere solitos de christianis, lotus procul absit & vnctus.

Sad meminit præter alios frequenter Augustinus, interdum ulaum, interdum vnguantum, interdum verò chrisma vocitans, cuius lib. 15. de triuit. cap. 26. hæc sunt verba: Christum vnxit Deus spiritusancto, nun vtique oleo visibili sad dono gratiæ, quud visibili signifieatur vnguento, quo baptixatos vnxit acclesia. Vocar autē chrisma tract.
E 33 & 118. in Ioan. serm. 47. de verbis Dumini lib 2. cuntra literas Petiliani cap. 104. & lib. 17. da ciuit. cap 4. Ac rursum olei numine designat lib. 5. contra Donatistas cap. 20. Et vnctionis nomiua tract. 3. in Iuan. apist.

Est item apud alios non infrequens huius mentio, è quibus bæc luca notasse sufficiat. Cyrillus lib. 3. in Ioannem cap. 1. Leu epist. 86. Et eius tempora habirom concilium Arausicanum 1. cap. 1. & 2. Prosper sententia 342. Gelasius papa apud Gratianum de consecrat. distinct. 4. cap. Presbyte-
F ros. Auctor sermonis apud Cyprianum de vnctione chrismatis. Gregorius in Cantic. 1. Beda in Act. 8. & supar Exod. cap. 54. & in psalm. 26. & lib. 6. in Luc. cap. 16. super Lue. 19. Faostus de libero arbitrio lib. 1. cap. 14. Et bis aotiqoiora concilia, Carthagioanse tertium cap. 136. & quartum cap. 36. Præ cæteris autam apertè & prolixè de chrismatis vnctione, banedictione, significatione scribit Innocanr. 3. extra de sacra vnctione. Quibus demum accessir clara drfinitio concilij Florentini in decreto Eugeniano ad Armanos.

Quam-

Quamuis autem chrismatis vt est huius sacramenti materia, nullam in sacris literis expressam mentionem habeamus, non abs re tamen putauerunt quidam, inter quos Rabanus lib. 1. de institutione clericorum cap 27. Ioannem apostolum eò allusisse, quando muniens atque instruens fideles aduersus hæreticorum versutiam ait 1. epist. 2. *Sed vos vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia.* Et iterum: *Vnctionem quam accepistis, maneat in vobis. Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus.* Quibus locis Græcè est chrisma, per quod spiritumsanctum videtur apostolus significare voluisse, nimirum respiciens ad ecclesiæ ritum, quo sub visibili chrismate spiritussanctus dabatur. Vnde Augustinus tract. 3. in epist. Ioan. ait: Vnctio spiritalis ipse spiritussanctus est, cuius sacramentum est in vnctione visibili. Similis allusio videtur esse apud apostolum Paulum 2. Corinth. 1. in his verbis: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.*

Quid autem chrismatis nomine dum de materia quæritur huius sacramenti, veniat intelligendum, declarat synodus Florentina, quando definit huius sacramenti materiam esse chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorē significat bonæ famæ, per episcopum benedicto. Quæ concilij verba sumpta videntur ex epistola Innocentij 3. ad patriarcham Constantinopolitanum quæ habetur extra de sacra vnctione, vbi tota res ista fusiùs explicatur. De eodem ita scribit author sermonis de vnctione chrismatis apud Cyprianum: Sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum regiæ & sacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem. Et eo vetustior Fabianus in 2 epist. chrismatis ex oleo & balsamo conficiendi rationem apostolis à Christo traditam commemorat. Rursum de eo sic à Gregorio scriptum est in Cant. 1. ad illud: *In vineis Engaddi.* In Engaddi, inquit, balsamum gignitur, quod cum oleo pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona sancti spiritus exprimuntur.

§. 6. *Vtrùm apostoli ad hoc sacramentum chrismate fuerint vsi.*

S. Thom. dicta q. 72. art. 2. ad 1.

PLærique opinantur apostolos in conferendo confirmationis sacramento chrismate nunquā vsos fuisse, sed sola manuum impositione baptizatis tribuisse spiritumsanctum, propterea quòd Act. 8. & 19. vbi fit huius sacramenti mentio, sola manuum impositio nominetur, & à Simone Mago generaliter dictum sit: *Date mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat spiritumsanctum.*

Deinde quia nec opus fuisse dicunt, vt alia ceremonia adhiberetur, quamdiu etiam visibiliter dabatur spiritussanctus.

Tertiò, quia balsamum preciosissimi liquoris genus est, cuius copiam apostoli pauperes & paupertatem professi habere non potuerunt ad consignandum omnes fideles, præsertim cùm legamus vno die tria milia & alio quatuor milia hominum, & Philippo euangelizante totam Samaritanorum ciuitatem credidisse, quibus omnibus post baptismum apostoli manus imposuerunt.

Quartò, quia in decreto Florentino sic legitur:

A Loco autem illius manus impositionis (de qua videlicet habetur Act. 8.) datur in ecclesia confirmatio. Quæ verba significare videntur illam manus impositionem ab apostolis vsurpatam, tito diuersam fuisse à confirmatione qua vtitur ecclesia.

Aliorum sententia est apostolos quamuis id in scriptura non sit expressum, etiam tunc quando per manus impositionem tradidisse dicuntur spiritumsanctum Act. 8. & 19. chrismate vsos fuisse; neque sine chrismate tanquam propria ac necessaria huius sacramenti materia vnquam fidelibus ad accipiendum spiritumsanctum manus imposuisse,
B idque probare nituntur.

Primò, quia si apostoli non eodem signo visibili fuerunt vsi, quo nunc vtitur ecclesia, non ergo idem est sacramentum quod nunc dat ecclesia & quod initio dederunt apostoli. Pertinet enim ad substantiam sacramenti signum externum, materia videlicet & forma.

Deinde, quia constat ex veterum testimonijs apostolos hunc confirmationis ritum qui fit chrismatis inunctione, tradidisse suis successoribus. Id enim testatur Fabianus iam aliquoties citatus, Dionysius ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 4. & cap. vlti-
C mo, Clemens epistola 4. & Innocentius 1. in epistola ad Decentium episcopum. Non est autem verisimile apostolos in sacramentorum ritibus, præsertim essentialibus id tradidisse posteris, quod ipsimet vsu & praxi sua non antè confirmassent.

Videtur sanè probabiliter ad hanc dubitationem responderi posse apostolos in hoc sacramento ministrando, neque semper neque nunquam chrismate vsos fuisse. Nam argumenta quidem prioris partis non aliud exigunt, quàm in ipsis statim exordijs suæ prædicationis apostolos non fuisse communiter vsos chrismate ad confirmandam totam fide-
D lium multitudinem. Cæterùm quin postea rebus ecclesiæ constitutis atque ordinatis chrismatis vnctionem adhibuerint, nihil obstat, imò valde verisimile est & quasi certum.

Ad illud autem quod in diuersum obijcitur, respondere possumus id ad tempus dispensatoriè factum fuisse ab apostolis, vt omissa materia quæ minùs obuia esset, nec ita facilè comparari poterat, communi quadam ceremonia vterentur ad impertiendum sacramenti effectum, maximè quando de ipso effectu propter externū ac diuinum quod circa
E fideles accidebat miraculum, dubitari non poterat. Neque laborandum esse de signo externo, dum res ipsa indubitatè habetur. Vnde dicunt qui hoc pacto sentiunt in ipsis ecclesiæ initijs linguas igneas vel linguarum donum vicem elementi visibilis suppleuisse, quibus postea cessantibus apostolos vti cepisse eo quod institutum à Christo acceperant. Et quamuis externo ritu diuersum illud erat quod ini-
F tio agebatur per apostolos ab eo quod postea ab ijsdem celebratum, ac perpetuò obseruandum ecclesiæ traditum est, idem tamen est quantum ad principale, id est, quantum ad rem sacramenti siue effectum spiritualem attinet: atque ita non debet censeri sacramentum planè diuersum, quomodo diuersa sunt inter se baptismus & confirmatio, & cætera ecclesiæ sacramenta, quæ omnia præter ceremonias etiam proprijs effectibus distinguuntur.

Sciendum tamen est argumentum primo loco positum parum efficaciter concludere, cùm enim ea quæ ad ritus sacramentorum pertinent, secretissima haberentur, ac ferè sola voce quasi per manus traderentur, facilè responderi queat noluisse Lucam neque elementum neque verbum huius

A nouus sacramenti scripto prodere, ideoque vsum fuisse vocabulo manus impositionis, quæ generalis quædam ceremonia est variè adhiberi soli a, quemadmodum ex compluribus scripturæ locis manifestum est. Quo fit vt non solùm hoc confirmationis sacramentum significet, sed & sacramentum ordinationis & reconciliationis, & interdum alios quosdam huiusmodi actus solemnes, vti patet perlegenti veterum scripta. Qua de re plura dicemus, vbi ad ordinis sacramentum peruenerimus. Sanè cùm veteres plerique hoc sacramentum vocent manuum impositionem, ea ipsis tamen constat B etiam chrismatis vnctionem fuisse adhibitam, sed more scripturæ sub generali ac nota ceremonia voluerunt cætera quæ peculiaria & secretiora sunt, subintelligi.

§. 7. *Duarum quæstionum ex dictis emergentium dissolutio.*

Ad 8. Thom. ibidem.

EX ijs quæ modò sunt dicta, duæ quæstiones emergunt altera de linguis igneis, altera de manus impositione.

Prior quæstio est vtrùm aliquando linguæ igneæ C ad aliquam huius sacramenti partem pertinuerint. Quod ea eo videri potest, quia suprà dictum est principio linguas igneas vicem elementi visibilis in hoc sacramento suppleuisse, idque maximè verum apparet in apostolis, quando spiritumsanctum acceperunt die pentecostes. Tunc enim neque manus impositio, neque aliud quicquam humanitus ijs admotum fuit, quo tanquam signo externo mediante spiritussanctus in eos descenderet, sed *factus est*, inquit scriptura, *repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus*, id est, venti *vehementis, & repleuit totam domũ vbi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertita linguæ tanquam ignis, seditq; super singulos eorum,* D *& repleti sunt omnes spiritusancto &c.* Ex quibus verbis suspicari quispiam posset, ibi nec formam nec materiam defuisse, nimirum sonitu venti vehementis supplente locum verbi audibilis, linguis verò igneis locum elementi visibilis, nisi fortè quis malit instar formæ fuisse ipsam linguarum locutionem, de qua mox sequitur: *Et cœperunt loqui varijs linguis.*

Respondemos apostolos die pentecostes non sacramentum confirmationis, sed rem illius sacra- E menti accepisse ab eo cuius potentia signis sensibilibus non est alligata. Idemque dicendum de Cornelio eiusque consortibus ante baptismum spiritusancto repletis, vt est Act. 10. vbi tamen neque venti sonantis, neque linguarum ignearum vlla fit mentio, sed tantùm dicitur cecidisse in eos spiritussanctus, idque ex eo indicio agnoscebatur, quia qui aderant, audiebant illos loquẽtes linguis & magnificantes Deum. Neque probari potest spiritumsanctum in alios quàm in apostolos die pentecostes cum sonitu venti & linguis igneis delapsum fuisse, F quibus tamen neque materiæ, neque formæ sacramentalis ratio propriè competebat, licèt aliquo modo dici possit illa fuisse loco materiæ & formæ. Non enim aliqua eiusmodi institutio facta erat, vt per illa signa foris exhibita descenderet in homines spiritussanctus, sed tantùm ad significandum, & notificandum toti populo id quod intus in cordibus apostolorum per spiritumsanctum tunc agebatur, voluit Deus tale quid exterius vel audiri vel videri.

Ipsa verò linguarum locutio significabat qui- A dem etiam apostolos spiritusancto repletos esse, sed eo modo quo effectus significat suam causam, tametsi effectus ille neque proprius erat illius causæ, neque perpetuus futurus, sed extraordinarius & temporaneus duntaxat ad præsignificandum futurum aliquid, nempe quod eadem illa ecclesia quæ tunc inchoabatur, per vniuersum orbem propaganda omnium gentium linguis locutura esset, id quod dudum videmus impletum atque etiamnum hodie impleri.

Posterior quæstio est an ceremonia manus seu B manuum impositionis sit vel fuerit aliquando ad substantiam vel saltem ad integritatem huius sacramenti necessaria. Ad quod respondemos, dato, quæ communior sententia est, apostolos initio suæ prædicationis non vsos fuisse chrismate in administratione huius sacramenti, probabile quoque videri, quòd eodem tempore manus impositio locum materiæ tenuerit, sicut & oratio locum formæ, ita videlicet vt vtraque tunc necessariò adhiberetur ad tradendum humano ministerio spiritumsanctum, donec introducto chrismatis vsu simul cum forma illi materiæ accommodata, quæ solæ sunt huius sacramenti partes essentiales, necessitas im- C positionis manuum cessaret, quantum quidem ad essentiam vel integritatem attinet sacramenti, cùm iam neque forma eius sit neque materia, neque formæ vel materiæ pars, sed tantùm ceremonia quædam sacramentalis ex apostolica traditione accepta, & ideo nequaquam omittenda, vtpote necessitatem adhuc retinens præcepti, etsi non sacramenti.

Quæ doctrina conformis est decreto Florentino de sacramentis, in quo legitur quod loco illius manus impositionis, per quam apostoli dabant spiritum sanctum, in ecclesia datur confirmatio, cu- D ius materia est chrisma &c. Ex quibus verbis vtrumque colligitur, & initio necessariam fuisse manuum impositionem sacramenti necessitate, & eandem eius necessitatem signaculo chrismatis introducto cessasse.

Significat autem hæc ceremonia impositionis seu obumbrationis manuum tum hic tum alibi adhibita, vel protectionem ac præsidium diuinum, vt vult Dionysius ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 5. parte. 3 vel inuocationem gratiæ ac beneficij diuini super hominem, vti Tertullianus & Augustinus volunt, quorum ille in lib. de baptismo E cap. 8 Manus, inquit, imponitur per benedictionẽ aduocans & inuitans spiritumsanctum. Hic verò lib. 3. de baptismo cap. 16. dicit manus impositionem non aliud esse nisi orationem super hominem, quia videlicet externum illud signum oratio quædam ceremonialis est, significans orationem internam eius, qui manum imponit, vel totius ecclesiæ, cuius ille minister est, pro eo cui manus imponitur.

§. 8. *Vtrùm ad hoc sacramentum admixtio balsami sit necessaria.*

SOlet etiam quæri vtrùm ad huius sacramenti substantiam necessarium sit balsamum oleo admisceri, an verò sine balsamo perfici possit, solo oleo oliuæ in materiam adhibito. Necessitatem balsami comprobare videntur quæ suprà de materia huius sacramenti dicta sunt. Ibi enim ex patribus atque ex definitione Florentini concilij monstratum est materiam huius sacramenti *S. Thom. hic art. 2.*

esse

esse chrisma compositum ex oleo & balsamo. Est autem materia pars aliqua substantiæ tai, quæ si desit eodem concilio definiente non perficitur sacramentum. Idem ostendi videtur ex forma huius sacramenti, in qua dicitur: Confirmo te chrismate salutis. Quod verè dici non poterit, si oleum solum adhibeatur, cùm chrisma significat vnguentum ex oleo & balsamo confectum. A

Cæterùm in partem contrariam sunt argumenta non contemnenda.

Primum, Materia sacramenti, quod omnibus christianis communiter & sine exceptione dandum est, vulgaris & obuia esse debet, vel certè eiusmodi quæ vbique terrarum haberi possit, etiamsi sacramentum non sit omnino ad salutem necessarium. Atqui balsamū arbusculæ genus est preciosissimum & rarissimum vtpote vnius terrarum Iudææ concessum, nec nisi in duobus illius terræ hortis quondam repetiebatur, vt refert Plinius lib. 12 naturæ lis historiæ cap. 25. Nunc autem bellorum frequentia ex ea regione ferè dissipatum atque exterminatum esse perhibetur. B

Secundum, Materia sacramenti certa & cognitu facilis esse debet, vt equa, panis, vinum, quæ facilè quòd verè huiusmodi sint cognoscuntur: Atqui balsamum multis modis adulteratur, vt eodem loco refert Plinius, ita vt ne à peritis quidem facilè discerni queat verum à falso. Atque id quod ex occidentali nouo orbe affertur, vtrùm verum sit balsamum vehementer à peritis dubitatur. Et priusquam inde adferretur magna erat in his partibus balsami penuria. C

Tertium, Dionysius in ecclesiastice hierarchiæ cap. 4. vbi de materia huius sacramenti agit balsami non meminit, sed tantùm in genere scribit vnguenti illius compositionem esse collectionem quandam spirantium suauiter materiarum. Quæ verba innuunt non vnum aliquid genus fragrantis materiæ, sed plura chrismatis oleo misceri solere, quę tamen ad substantiam sacramēti non pertinere certum est. D

Quartum, Patres sæpe materiam hanc nudè oleum appellant, vt Tertullianus lib. 1. contra Marcionem. Augustinus lib. 15. de trinit. cap. 26. & lib. 5 contra Donatistas cap. 20. & tract. 118. in Ioannem, & alij.

Quintum, Quamuis vinum aque mixtum sit materia sacramenti eucharistiæ, non tamen ad eius substantiam aqua est necessaria, ergo similiter quamuis oleum balsamo mixtum statuatur materia sacramenti confirmationis, non tamen ex eo consequens est, balsamum ad eius substantiam necessariò requiri. E

Postremum & præcipuum argumentum sumitur ex Innocentio 3. extra de sacramentis non iterandis cap. Pastoralis, vbi consultus Pontifex, vtrùm confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuerat non chrismate sed oleo delinitus, respondet, quòd in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendū quod incautè fuerat prætermissum. Vbi dicens non esse iterandum sed supplendum, planè significat fuisse sacramentum, & proinde chrisma, quatenus balsami admixtionem includit, non fuisse ad eius substantiam necessarium; alioquin enim iterandum fuisset, quod priùs factum non subsistebat, sicut esset iterum baptizandus, qui non in aqua sed vino fuisset baptizatus. Hoc præcipuè argumento mouentur Caietanus in 3. quæst. 72. art. 2. & 2. & Dominicus in hac distinct. vt sentiant balsamum non esse absolutè necessarium non magis quàm manus impositio F

necessaria sit ad conferendum diaconatum, nam de ea sub eodem verborum tenore similiter loquitur Pontifex.

Iuxta hanc non improbabilem opinionem ad ea quæ in contrarium obijciuntur facilè respondetur ab omnibus, requiri balsamum, vt necessarium necessitate præcepti, atque institutionis Christi, non autem necessitate sacramenti. Quomodo Cyprianus in epist. 68. ad Cæcilium de sacramento dominici calicis aquam ex eiusdem Christi institutione docet esse necessariò miscendam vino in calice, quæ tamen si omittatur, constabit nihilominus substantia sacramenti, vt suo loco docabimus.

Ad id quod ex ratione materiæ obijcitur, respondemus esse quidem necessariam ad substantiam sacramenti materiam, at non quamlibet materiæ partem, vt in compositis tam naturalibus quàm arte factis, atque in ipso pœnitentiæ sacramento facilè est ostendere.

Nec difficilem solutionem habet, quod ex formæ verbis argumentum sumitur, Nam chrisma generaliter vnctionem seu vnguentum significat. Vnde & Innocentius 1. in epist. ad Decentium, oleum infirmorum, cui balsamum non miscetur, chrisma vocauit, & Augustinus lib. 17. de ciuitate cap. 10. In veteri, inquit, testamento reges Christi vocabantur chrismate illo mystico consecrati, vbi nomine chrismatis oleum merum, quo reges vngebantur, significat.

§. 9. *Vtrùm necessaria sit chrismatis per episcopum benedictio.*

NOn dubium est quin chrisma priusquam in vsum huius sacramenti veniat, benedictum seu consecratum esse debeat, neque ab alio quàm ab episcopo, si quidem de præcepti necessitate quæstio sit. Nam præter definitionem Florentini concilij frequentes extant canones & decreta veterum tam pontificum quàm conciliorum, quibus ne quid secus attentetur districtè prohibent, valut est in decretis Siluestri & apud Leonem epist. 86. e-lias 88. & in decretis Gelasij distinct. 25. cap. Presbyteros. Idem statuunt concilium secundum Carthaginense cap. 3. & Carthaginense tertium cap. 36. Toletanum 1. cap. 20. Hispalense cap. 7. & Bracarense cap. 37. Quibus consonat Beda scribens in Act. 8. *S. Thom. dist. 7. art. 3.*

An verò pertinde necessarium sit necessitate sacramenti, non eadem omniū est sententia. Quidā enim simpliciter affirmant nullum fore sacramentum, si non consecratum fuerit chrisma & quidem per episcopum. Alij sentiunt ad sacramenti substantiam requiri quidem consecrationem chrismatis, non tamen necessariò per episcopum factam. Putant enim & per simplicem presbyterum consecrationem eius factam valere. Sunt denique qui putant subsistere sacramentum etiam absque omni materiæ ahus præuia consecratione.

Primam sententiam plerique tenent, nitentes constitutionibus canonū & decretorū, quæ benedictionem chrismatis ita soli episcopo concedūt, vt eā protsus à simplici presbytero remoueant. Potissimū autē vrgēt Florētini cōcilij decretū, quo declaratur huius sacramenti materia esse chrisma ab episcopo benedictū, & in quo prætetea dicitur, quòd licèt legatur per apostolicam dispensationem factum, vt simplex presbyter conferret hoc sacramentum, non tamen nisi chrismate per episcopū benedicto. Media

Caietano est scribenti in 3 quæst. 72. art. 3. qui monetur hac ratione: Nulla est maior consecratio, quàm ea qua consecratur eucharistia, quæ quum possit à simplici presbytero fieri, poterit & omnis alia non sacramentalis ab eo effici.

Huic sententiæ fauere videtur Hieronymus in epistola ad Rusticum Narbonensem de septem gradibus ecclesiæ, in qua apertè asserit, hanc consecrandi chrismatis potestatem penes presbyterum & non penes solum episcopum esse, idque probat tum suprà dicta Caietani ratione, tum multarum ecclesiarum consuetudine. Illud quoque suffragatur quod in decretis Siluestri legitur eum constituisse, vt chrisma ab episcopo conficeretur, quasi antea presbyteris etiam id commune fuerit.

Verùm hæc non certò concludunt. Nam ad rationem respondere potest, non continuò eum qui potest quod maius est, id etiam omne posse quod minus est, sed vniuscuiusque potestatem ijs terminis circumscribi, quos gratiarum largitor & distributor spiritussanctus ei constituit. Vnde quamuis potestas consecrandi corpus Domini sit excellentior potestate conferendi sacros ordines & potestate miraculorum, & quauis potestate angelica, non ideo tamen consequens est omnem huiusmodi potestatem cuiuis sacerdoti competere.

Ad auctoritatem verò Hieronymi & Siluestri respondetur, epistolam allegatam non esse Hieronymi, sed incerti authoris, qui (quod manifestè falsum est) omnium sacramentorum ministrum facit simplicem presbyterum & pro consuetudine eo turpiùs quorundam locorum obtrudit. Siluester autem decreto suo non nouum aliquod priuilegium episcopis tribuere, sed quod eis ex apostolica traditione competebat, aduersus quorundam presbyterorum præsumptionem noua constitutione communire.

Quod verò Caietanus addit præsuppossita potestate papæ, quod dispensare possit, vt presbyter hoc sacramentum ministret (de quo postea videbimus) non esse rationem dubitandi, quin etiam dispensare possit, vt presbyter chrisma conferret, non omnino verum videtur. Nam potest consecratio materiæ propriè esse superiori, cuius tamen vsus etiam inferioribus concedetur, vt de eucharistia atque ipso etiam chrismate facilè ostenditur. Neque enim interest sine in sacramento, sua extra sacramentum materia consecrata quis vtatur, dummodo ad sic vtendum potestatem acceperit, cui tamen ad consecrandú non sit data potestas. Non enim diaconus quia distribuere potest corpus Domini, ideo potest & consecrare. Et quidem de ipso confirmationis sacramento Florentini concilij patres sic loquuntur, vt quamuis fateantur alicubi legi, quod per dispensationem à simplici sacerdote sit administratum, adijciunt tamen id factum adhibito chrismate per episcopum confecto, quasi videlicet minùs committi presbytero posse videatur consecratio chrismatis, quàm ipsius sacramenti collatio. Atque id sanè etiam vetustati magis consonat.

Tertia sententia quam tenet saltem de oleo infirmorum Franciscus à Victoria, quem sequitur Emanuel Sa, nititur huiusmodi ratione, quæ communis est vtrique sacramento: Verum est baptismi sacramentum ex fonte non consecrato, & verum eucharistiæ sacramentum ex pane non priùs benedicto, igitur & vera confirmatio ex oleo nulla priùs benedictione sanctificato. Quod si respondeas hac benedictione determinari oleum ad sacramenti huius materiam, quæritur quæ sit huius determi-

A nationis necessitas, in hoc sacramento magis quàm in baptismo & alijs, præsertim cùm & intentiona ministri & applicatione ad vsum sacramenti, & ipsa formæ prolatione, satis videatur materia determinati. Sed respondent Christum ipsum contactu mundissimæ carnis suæ quando baptizatus fuit in Iordane aquas omnes sanctificasse, similiter & panem & vinum quando ex ijs corpus suum fecit & sanguinem, ideoque nullam aliam quæ per episcopum, vel presbyterum fiat harum rerum sanctificationem necessariò prærequiri; oleum verò nusquam

B quam sie ipso vsu à Christo sanctificatum reperiri. Quibus rursum obijcitur si Christus illarum rerum vsu sanctificasse censetur in posterum omnem aquam & panem & vinum, igitur in Christi intuitiam postmodum accedit ijsdem rebus benedictio sacerdotis.

Deinde sicut Christus legitur aqua lotus à Ioanne, sic legitur & oleo vnctus semel & iterum à muliere, ac tertiò à Nicodemo. Neque videtur obstare si dicas vnctiones has neque sacramenta fuisse neque sacramentalia. Nam & baptismus Ioannis quo Christus in Iordane lotus est, neque sacramentum neque sacramenti ceremonia fuit, nisi generali quadam sacramenti ratione, quomodo &

C vnctiones illæ mysterio suo non caruerunt.

Porrò Durandus suprà dictæ rationi putauit aliter esse respondendum. Dicendum est, inquit, quod materia sacramenti est quasi quod iam instrumentum, quo minister vtitur in sacramentis, quæ consistunt in vsu & applicatione materiæ ad suscipientem, propter quod materia debet congruere ministro, & minister materiæ. In quocunque igitur sacramento minister est determinatus aliqua ordinatione, materia determinata est aliqua benedictione, & vbi vnum non est, nec alterum: sicut

D cut patet in baptismo, cuius minister non est determinatus certa ordinatione, potest enim quilibet baptizare. Vnde nec materia indiget aliqua benedictione, sed in sacramento confirmationis minister determinatus est certa ordinatione, scilicet episcopali, & ideo necessarium est materiam esse determinatam certa benedictione. Quare de chrismate non benedicto nullus posset confirmari. Sic ille.

Sed nec ista declaratio satis solida videtur, ideóque meritò à Dominico oppugnatur. Nam sacramentum eucharistiæ licèt habeat ministrum certa

E ordinatione determinatum, non tamen necessariò requirit materiam priùs benedictam. Nec vllius momenti est, quòd declarationa n suam restringit Durandus ad sacramenta quæ consistunt in vsu & applicatione materiæ ad suscipientem, tum quia ratio nulla redditur, cur non & in eucharistiæ sacramento idem debeat locum habere, si, vt ille vult, ratio determinandæ materiæ petenda est à determinatione ministri; tum quia in sacramento ordinis quod haud dubiè in applicatione materiæ consistit, etsi minister episcopali consecratione determinatus sit, non tamen oportet ad hoc vt sacramentum

F subsistat, materiam eius certa benedictione determinatam esse, præsertim cùm in eo quædam locum materiæ teneant, quæ benedici non solent, vt liber euangeliorum, cuius porrectione diaconus ordinatur.

Videtur itaque dicendum, si prima sententia quæ plurimorum est tenenda sit, rationem eius petendam esse ex sola voluntate instituentis, qui non aliam voluit esse materiam huius sacramenti, quàm quæ esset ab episcopo benedicta. Baptismi verò materiam

tariam propter summam illius sacramenti necessitatem non debuisse necessariò astringi aliqua consecratione. Quam etiam ob causam & ministerium eius latissimè patet, & materia instituta est omnium maximè obuia.

Si verò postrema sententia placet, videlicet absque benedictione materiam ac proinde & substantiam huius sacramenti consistere, præter suprà positam rationem non leue argumentum pro ea sumitur ex decreto Innocentij 3. extra de sacramentis non iterandis cap. Pastoralis, vbi pontifex ritum habet hoc sacramentum factum vnctione solius olei, quod quidem non est verisimile benedictum fuisse saltem ea benedictione, quæ chrismati adhibetur, cùm sint diuersæ & ad diuersa ordinatæ benedictiones olei simplicis & chrismatis. Adde quod Augustinus tract. 118. in Ioan. de benedictione aquæ baptismalis & chrismatis loquitur similiter, quasi vtrumque respectu sui sacramenti pariter habeat rationem.

Ad obiecta verò responderi poterit ea non aliud conuincere, quàm præcepti necessitatem; patres autem idcirco studiosius vrgere necessitatem benedictionis chrismatis quàm aquæ, tum quòd illa ex diuina institutione descenderit non ista, tum ne videantur arctare viam salutis si necessitatem benedictionis aquæ vehementius vrgerent, quamuis & illa sit in præcepto. Porrò quæ de chrismate benedicendo, eadem & de oleo infirmorum ratio est, vti suo loco dicemus.

§. 10. *Quæ sit huius sacramenti forma.*

S. Thom. dicta q. 72. ar. 4.

FOrmam huius sacramenti hanc tradit Florentinum concilium: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine patris & filij & spiritussancti. Nec refert quòd pro signo, consigno plerumque hodie dicitur, sicut pro salutis, sanctificationis in quibusdam ecclesijs dici solitum esse S. Thomas & Scotus testantur, idem enim est quod significatur. Non est autem dubitandum, quin huius sacramenti, sicut & aliorum, forma ab apostolis ex Christi institutione tradita sit ecclesiæ, quantum ad ea verba sine quibus sacramentum non perficitur. Quæ autem sint illa verba, non est vsque adeo clarum propter varietatem quæ in ea apud scriptores reperitur.

Nam synodus 1. Constantinopolitana & Simeon Thessalon. episcopus in mysterijs diuinis citante Turriano formam hanc ponunt: Signaculum virtutis spiritussancti, Amen. In actis Siluestri & in edicto Constantini de sua conuersione legitur hæc forma: Signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine patris & filij & spiritussancti, in consignatione fidei Amen, sed id fortasse minùs authenticum est, quod Acta Siluestri Gelasius pontifex simpliciter approbare non audet. Nec admodum probabile est synodum 1. Constantinopolitanam propalasse formam huius sacramenti, cùm veteres sedulò ac sollicitè cauerint, ne huiusmodi mysteria vulgarentur, vt monuimus cùm de formis sacramentorum in genere ageremus. Vnde Innocentius 1. in epistola ad Decentium cùm de hoc sacramento consultus quædam respondisset, adiecit: Verba verò dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.

Ad eam certè verborum formam, quam Florentini Patres tradunt, propè admodum alludit

A Ambrosius lib. de initiandis cap. 7. dum confirmatum his inter alia verbis alloquitur: Signauit te Deus pater, confirmauit te Christus Dominus, & dedit pignus spiritus in cordibus tuis. Cyprianus quoque in epistola ad Iubaianum consignandi nomen in collatione huius sacramenti audiri solere insinuat, cùm dicit baptizatos in ecclesia per manus impositionem episcoporum spiritumsanctum consequi & signaculo dominico consummari. Quamquam & apud alios scriptores signi ac signaculi nomen huic sacramento tributum non infrequens est, inde vt appareat desumptum, quod episcopus pronunciet se signo dominico consignare

B eum quem vngit.

Addi autem solere illud postremum, in nomine patris & filij & spiritussancti, indicant Athanasius in lib. de trinitate & spiritusancto, & Augustinus serm. 99 de diuersis cap. 2. dicens, Stephanum habuisse in fronte sua nomen patris & filij & spiritussancti. Qui locus innuit etiam apostolos iam inde ab initio fidelium frontem signasse cum inuocatione trinitatis. Non enim ab alio quàm ab apostolo Stephanum hoc signaculum accepisse putandum

C est.

Iam verò ex dictis satis apparet ad formæ substantiam in primis pertinere verbum quod actum consignationis significet deinde & personæ consignandæ expressionem, non autem & personæ consignantis, quemadmodum nec in baptismo personæ baptizantis.

Quamuis autem & reliquorum quæ consueta forma continet, nihil prætermittere liceat, dubitari tamen potest an sint ad eius integritatem necessaria; sicut anne sufficit hæc baptismi forma:

D Baptizo te in nomine patris &c. ita non immeritò videri potest & hæc confirmationis sufficere: Consigno te in nomine patris. &c. vel confirmo te in nomine patris &c. Vtrumque enim tam consignandi quàm confirmandi verbum vsu ecclesiæ significat actum ministerialem huius sacramenti, sicut baptizandi verbum in sacramento baptismi, neque ratio aliqua prægnans adfertur, cur aliquid præterea necessariò sit addendum necessitate sacramenti.

Sed & hoc quæritur, an postrema verba, quæ trinitatis expressam nomenclaturam continent

E sint de essentia. Quamuis enim sine ijs baptisma non perficiatur, absolutio tamen & alia sacramenta absque ijs cõsistunt, vt habet recepta multorum sententia, propterea quòd solum baptisma sit sacramentum professionis fidei. Quamquam & ad hoc responderi posset cõfirmationem cùm sit perfectio quedam & complementum baptismi, rectè quoque censeri sacramentum professionis fidei, præsertim cùm ad hoc conferatur, vt baptizatus intrepidè fidem profiteatur.

F Qui verò diuersum sentiunt hoc discriminis statuunt inter baptismum & alia sacramenta, quod in baptismo operatur inuocatio trinitatis, non autem aliqua per consecrationem accepta potestas ministri, sicut in alijs quæ necessariò certum ac determinatum requirunt ministrum. In quibus proinde trinitatis inuocationem negant esse necessariam, vti in baptismo, sed satis esse putant ad hoc, vt ratum sit sacramentum, si illius potestatis actus circa suscipientem exprimatur. Quæ quidem sententia non est improbabilis, tametsi altera sit magis tuta.

§. 11. *Quo ritu confirmatio fiat.*

S. Thom. dicta q. 72. art. 12.

Confertur hoc sacramentum non in qualibet corporis parte sed in fronte, vbi verecundiæ sedes est, ne, vt aiunt patres Florentini concilij, fidelis erubescat Christi nomen confiteri, & præcipuè crucem eius, quæ Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia. Propter quod & signo crucis signatur, chrismate videlicet fronti in modum crucis illito, interim dum sacramenti verba recitantur. Cuius ceremoniæ & altera significatio est, quòd videlicet signo illo quo Christus contra superbas potestates triumphauit, in numerum militum eius is qui pridem baptizatus est, iam adscribatur.

Ad hanc porrò consignationis ceremoniam veteres respiciunt & alludunt frequentissimè, ac potissimùm Augustinus dum fideles omnes, ipsosque adeo reges & principes dicit portare signum crucis in frontibus suis, vt in psalm. 56. Alia loca sunt tract. 11. 50. 53. & 118. in Ioan. homil. 31. inter 50. serm. 22. de verbis apostoli serm. 19. de sanctis. serm. 99. de diuersis cap 2 Rationem autem cur in fronte figatur, signum crucis, quia videlicet ibi sedes pudoris est, expressit serm. 8. de verbis apostoli & fragmento vltimo cap. 2. & 3. Prudentius quoque in hymno 9. de signo crucis sic cecinit: Pange vexillum notatis quod refulget frontibus. Id autem chrismate solere fieri in alio hymno docet, cuius initium: Cultor Dei memento te chrismate innotatum. Denique Innocentius 3. extra de sacra vnctione. In fronte, inquit, vngitur baptizatus, vt liberè confiteatur quod credit; quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit salutem.

§. 12. *Proprium effectum huius sacramenti non fuisse donum linguarum.*

Ad q. se- pe cita. art. 7.

Volunt huius temporis sectarij non aliũ fuisse effectum impositionis manuũ in primordijs ecclesiæ; quàm donum linguarũ vel prophetiæ, vel simile quiddã mirabile atq; exterius sese prodens, quo primis illis temporibus fides christiana recens adhuc apud homines commendaretur, quem errorem facile est tum ex scriptura tum per rationes refellere.

Primò, fideles per manuum impositionem spiritumsanctum acceperunt ad eum effectum ad quem antea per Christũ erat promissus, promissio autem Christi continetur his verbis Lucæ vltimo: *Ego mittam promissum patris mei in vos, vos autem sedete, in ciuitate, quoadusq; induamini virtute ex alto.* Et Act. 1. *Accipietis virtutẽ superuenientis spiritussancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalem & in omni Iudea &c.* Igitur spiritussanctus, sicut promissus, ita & datus est fidelibus non peculiariter ad donum linguarum, vel quid simile, sed ad virtutem, id est, fortitudinem & robur, quo inuicti persisterent in confessione & professione fidei. Eius autem effectus promissionem non ad solos apostolos, sed ad omnes fideles pertinere Petrus Act 2. probat ex Ioelis Vaticinio, quo nimirum promiserat Dominus effusurũ se spiritumsanctũ super omnem carnem; manifestiùs autem ostendit illis verbis, quibus ad credentes & compunctos corde ait: *Baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritussancti* (videlicet idem illud, quod nos nunc accepisse videtis) *Vobis enim est repromissio & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster.*

Secundò, magna cura & sollicitudine ab apostolis actum fuit vt baptizatis manus imponerentur ad accipiendum Spiritumsanctum, vt patet Act. 8. vbi huius rei causa Hierosolymis ad Samaritanos mittuntur apostolorum præcipui Petrus & Ioannes, & Act. 19. vbi Paulus primùm quidem interrogat discipulos quosdam Ephesios num Spiritumsanctum accepissent credentes, deinde cùm illos nec baptizatos esse intelligeret, baptizari iussit, moxque manibus impositis Spiritumsanctum ijs impertitur. Constat autem quàm parum solliciti fuerint apostoli, vt fideles donum haberent linguarum, vtpote vnum ex eorum numero quę propter aliorum dantur vtilitatem, non eius propriè cui dantur, quodque nec inter charismata meliora recensetur & prophetiæ postponitur, & charitatis comparatione pro nihilo reputatur, vt patet legenti cap. 12. 13. & 14. prioris ad Corinth.

Tertiò, Petrus Act. 2 post baptismum & remissionem peccatorum, pro magno credentibus promittit donum Spiritussancti, oportet ergo illud maius aliquod fuisse remissione peccatorum per baptismum data.

Quartò, omnes baptizati sine discrimine per manus impositionem apostolorum Spiritumsanctum accipiebant, nec tamen omnes aut linguis loquebantur aut prophetabant, etiamsi fide, spe, ac charitate feruerent dicente apostolo 1. Corinth. 12. *Nunquid omnes prophetæ? nunquid omnes linguis loquuntur?*

Quintò, Eodem apostolo teste 1. Corinth. 14. *Linguæ in signum sunt non fidelibus sed infidelibus*, quis autem dixerit Spiritumsanctum ex alto fuisse promissum non propter fideles sed propter infideles.

Sextò, Idem apostolus Heb. 6. impositionem manuum annumerat pœnitentiæ, baptismo, doctrinæ resurrectionis mortuorum, alijsque quæ tanquam elementa fidei christianæ præscribebantur vel tradebantur rudibus; non ergo pertinat ea ad gratiam miraculorum, vt quæ nec illis quidem adsit omnibus, qui in fide sensus habent exercitatos.

Septimò, Act. 8. Philippus diaconus apud Samaritanos Spiritus immundos è multis ejiciebat, multos paralyticos & claudos curabat aliaque signa & virtutes maximas faciebat, habebat ergo miraculorum gratiá. Nec apparet ratio cur non & manuum suarum impositione potuerit Samaritanis impetrare donum linguarum, si non maior aliquis effectus reseruatus apostolici ordinis ministerio per manus impositionem expectandus fuisset.

Postremò, donum linguarum temporarium fuit, ac primis illis temporibus dumtaxat ad ecclesiam propagandam necessarium, Christus autem spiritumsanctum fidelibus promisit, *qui maneat*, inquit, *vobiscum in æternum.* Est igitur præter donum linguarum effectus quidam impositionis manuum præcipuus ac permanens in ecclesia. Vnde Augustinus lib. 3. contra Donatistas cap. 16. Neque enim, inquit, temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur spiritussanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei & ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt ij quibus manus ad accipiendum spiritumsanctum imponi-

tur, repente incipiat linguis loqui? Sed insuper latenter intelligitur per vinculum pacis diuina charitas eorum cordibus inspirari, vt possint dicere: *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Hæc ille. Quibus similia atque etiam plura videre est apud eum tract. in epist. Ioan.

Ex his patet, quod sicut spiritussanctus in die pentecostes discipulis datus quidem est cum externo dono linguarum, sed idem ipse tanquam digitus Dei scripsit legem suam intus in eorum cordibus, induitque eos virtute ex alto; ita Samaritani alij que quibus apostoli ad accipiendum spiritumsanctum manus imposuerunt, præter externum donum linguarum aut prophetiæ, acceperunt internam spiritussancti gratiam, id est, virtutem & robur quo confirmati quod crediderant intrepidè confiterentur: ita denique qui vel eodem tempore vel posterioribus ecclesiæ temporibus per impositionem manuum apostolorum vel episcoporum donum linguarum non acceperunt, interioti tamen dono spiritussancti, quod ecclesiæ suæ perpetuo promisit Deus, neutiquam sunt defraudati. Manet enim id citius gratia principaliter est institutum sacramentorum, deficiente licet eo quod fuit aliquando accessorium. Vnde sicut aliquando per baptismum sanitas corporis reddita est, cum tamen non erat proprius nec præcipuus illius sacramenti effectus, ita linguarum donum, etsi ad tempus multis in ecclesia fidelibus per manuum impositionem datum est, non tamen proprius nec præcipuus erat effectus, quem per sacramentum impositionis manuum expectare oportebat, nec propter illum effectum dabatur.

§. 13. *Quis sit proprius effectus sacramenti confirmationis.*

S. Thom. dicta q. 72. ar. 7. Effectum huius sacramenti proprium esse robur spiritussancti, id est, gratiam qua per spiritumsanctum confirmatus & corroboratus animus christianus persistat in pietate atque impugnantibus resistat, tam quæ modò dicta sunt ostendunt, quàm aliunde plenius adhuc ostendi potest. Nam Lucæ vltimo & Act. 1. virtus, id est, fortitudo spiritus promittitur apostolis, quam promissionem non ad solos apostolos, sed ad omnes fideles pertinere iam monstrauimus.

Hinc apud veteres passim legimus perfectionem, consummationem, confirmationem, augmentum, constantiam, robur, & fortitudinem huic sacramēto velut effectus tribui. Inter quos vetustissimus Dionysius eccles. hierat. cap. 4. parte 3. dicit sacræ regenerationis donum & gratiam vnguenti sacratissima consummatione perfici. Clemens lib. 3. constitutionum apostolicarum cap. 17. vnguentum esse confirmationem professionis, & epist. 4. eum qui consignatur septiformi spiritus gratia confirmari, neque aliter perfectum christianum esse posse, nec sedem habere inter perfectos. Tertullianus lib. de resurrectione carnis. Caro, inquit, sig natur, vt anima muniatur. Fabianus papa in 2. epist. ad episcopos Orientales affirmat baptismum sancti chrismatis vnctione perfici & confirmari. Vrbanus primus in epist. ad vniuersos episcopos de hoc sacramento loquens, cùm spiritussanctus infunditur, inquit, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur. Cornelius in epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. 6 cap. 35. scribit Nouatum sigillo Domini non fuisse ab episcopo obsignatum, & proinde spiritumsanctum non accepisse, quamuis baptizatus fuisset. Loquitur enim pontifex de acceptione spiritussancti, quomodo scriptura Act. 8. & 19. Melchiades in epistola ad episcopos Hispaniæ inter alia tribuit huic sacramento, quòd baptizatis augmentum tribuat ad gratiam, quòd ad pugnam roboret & confirmet, quodque ad agones huius mundi & prælia reseruandos armet & instruat, sumpto etiam argumento ex eo quod spiritussanctus operatus fuit in apostolis die pentecostes. Ambrosius lib. 3. de sacramentis cap. 2. Post fontem, inquit, superest, vt perfectio fiat, ac deinde septem spiritussancti dona seu virtutes, vt ipse nominat, per consignationem dandas enumerat. Hieronymus, vel quisquis author in psalm. 67. ad illud: *Confirma hoc Deus*, per hoc signaculum confirmari dicit, quod in baptismo acceptum est. Augustinus serm. 47. de verbis Domini, & tract. 33. in Ioannem de chrismatis vnctione loquens: Ideo Christus, inquit, nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit, quod similiter ad fortitudinem pertinet. Idem quoque repertum est à Prospero in sententiis Augustini sententia 342. Leo in epistola ad Niceram episcopum testatur baptizatos inuocatione spiritussancti per impositionem manuum confirmari. Beda quoque scribens in psal. 26. dicit quod post baptismum vnctione chrismatis magis firmamur.

Neque ad id probandū pluribus opus est, quando & ipsum confirmationis nomen ab initio ferè huic sacramento tributum, hunc effectum firmitatis & roboris satis declarat. Vnde Innocent. 3. extra de sacra vnctione, dicitur, inquit, confirmatio, quia per eam spiritussanctus ad augmentum datur & robur. Quin & forma sacramenti, qua dicitur: Confirmo te chrismate salutis, hoc ipsum comprobat.

Ac postremò Florentinum concilium de eo ita pronunciat: Effectus huius sacramenti est, quia in eo datur spiritussanctus ad robur, sicut datus est apostolis in die pentecostes.

§. 14. *Quæ fortitudo sit effectus huius sacramenti.*

Sed quæritur, vtrùm quæcunque fortitudo hominis christiani ad huius sacramenti effectum pertineat, an ea sola qua roboratur contra visibiles hostes fidei et religionis. Nam testimonia partim modò allata indistinctè loqui videntur de quacunque fortitudine & perfectione christiana. Respondemus hoc confirmationis sacramentum directè ac peculiariter valere ad roborandos fideles contra hostes seu persecutores fidei visibiles, ad hoc nimirum vt coram ijs liberè & constanter fidem suam profiteantur. Quod ita probatur. S. Thom. eiusdem q. 72. ar. 5. & 7.

Primò, quia talem virtutem apostolis suis Christus promisit Act. 1. quod patet ex verbis proximè sequentibus: *Et eritis mihi testes in Iudæa &c.*

Deinde id ostendit ipsius frontis consignatio, cuius hanc rationem supra dedimus, ne Christi crucem apud hostes ac derisores crucis confiteri christianos erubescat.

Tertiò, huc quoque pertinet balsami significatio. Eo enim odore bonæ famæ significari diximus, quem se spargit christianus non tantùm propter innocentiam & integritatem conuersationis, quæ renatis omnibus communis est, sed ma-

ximè propter christiani nominis & fidei liberam atque immobilem apud omnes confessionem.

Denique accedit decretum Florentinum, in quo post verba suprà posita ita consequenter legitur: Vt christianus audacter Christi nomen confiteatur, ideoque in fronte, vbi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem eius, quæ Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia.

Porrò indirectè ac generaliter instruit hoc sacramentum fideles etiam aduersus hostes inuisibiles & alia quæcunque mala pietati aduersantia. Nam fortitudo hæc non est sine charitate, *charitas* autem secundùm apostolum 1. Corinth. 13. *patiens est, benigna est*, atque inter cætera quæ ei asscribuntur virtutum opera, *omnia suffert, omnia sustinet*. Est enim connexio omnium virtutum in charitate, sed tamen eo magis tribuitur huic sacramento robur aduersus omnia quæ pietatem impugnant, quàm aliarum virtutum actiones, quòd ad vnam communem fortitudinis virtutem hæc omnia referantur. Rectè igitur pontifices, alijque patres superiori cap. citati de confirmationis effectu interdum generalius loquuntur septiformem spiritussancti gratiam ei asscribentes, ac nominatim Melchiades papa in sua decretali multa recensens inter effectus confirmationis, quibus non tantùm contra hostes fidei externos, sed & contra internos, & quæcunque vicia ac tentationes homo fidelis instruitur. Nam & scriptura de huius sacramenti effectu ita subinde loquitur indistinctè, vt dicat spiritumsanctum dari, non addens ad quem peculiarem effectum detur, vt Act. 2. 8. & 19.

Verùm adhuc objiciet aliquis, maiori fortitudine opus esse aduersus hostes inuisibiles tanquam fortiores, quàm aduersus visibiles, ideoque potiùs aduersus illos quàm istos institui debere confirmationis sacramentum.

Item ad hoc per confirmationem dari spiritumsanctum, vt inchoata per baptismum gratia crescat & perficiatur, & proinde tam latè patere gratiam confirmationis atque baptismi.

Priori obiectioni respondemus, omnem pugnam christianam esse aduersus hostes inuisibiles teste apostolo, qui dicit Ephes. 6. non esse nobis colluctationem aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spiritualia nequiciæ. Oppugnat autem nos hostis inuisibilis interdum sola interna suggestione peccati, interdum per mundi & carnis illecebras, interdum verò externa ac manifesta persecutione per homines malos tanquam suæ, id est, diabolicæ maliciæ aptissima instrumenta. Atque hæc tertia oppugnatio omnium grauissima est, contra quam proinde muniendus fuit christianus confirmationis sacramento.

Ad posteriorem respondetur, augmentum & perfectionem gratiæ in genere consideratam non propriè tribui huic sacramento (nam hæc etiam sacramentis eucharistiæ & ordinis tribuuntur) sed hac ratione tantùm, quatenus gratia aucta & perfecta robustum & constantem reddit hominem aduersus visibiles oppugnatores fidei, id est, quatenus ea gratia respicit memoratum actum fortitudinis.

Vnde etiam si quæratur, quæ sit virtus illa seu fortitudo, de qua ait Dominus: *Induemini virtute ex alto*, quamque propriam esse diximus huic sacramento, non aliud probabilius videtur respondendum, quàm intelligi fortitudinem quæ ex cardinalibus virtutibus vna est, quatenus tamen ad actum suprà dictum peculiariter ordinatur. Neque ab ea diuersam ponimus fortitudinem quæ inter dona spiritussancti numeratur, vt libro superiori dictum est, vti nec illam, quæ octauæ beatitudini respondet, de qua dicitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.*

§. 15. *Sacramentum hoc characterem imprimere & iterari non posse.*

INter ea sacramenta quæ characterem imprimunt, ideoque repeti in eodem non possunt, confirmationem numerandam esse, circa 1. distinct. ostendimus, cùm de sacramentis in genere tractaramus, sed idem nunc breuiter ac specialiter de hoc sacramẽto probemus; probatur autem tam ratione quàm authoritate. Ratione quidem duplici, primùm quia datur hoc sacramentum per modum consecrationis, consecrationis autem natura iterationem non admittit. Quam rationem ex Augustino vrget magister in textu. *S. Thom. citato q. 72. art. 5.*

Deinde, quia sacramentum est perfectæ & virilis secundùm spiritum ætatis. Quare quemadmodum semel tantùm in hac corporis vita, virilem ætatem assequimur, ita in vita spirituali semel tantùm hoc sacramento confirmamur.

Authoritate verò multiplici. Nam Clemens lib. 3. constitutionum apostolicarum cap. 16. vocat hoc sacramentum infrangibile sigillum, quod ferè idem est cum eo, quod à doctoribus dici solet indelebile signum. Cyprianus, vel quisquis author, in sermone de ablutione pedũ ex natura consecrationis argumento sumpto ostendit inter alia nec hoc sacramentum iterari posse. Gregorius 1. lib. 12. epist. cap. 31. confirmationem perinde vt baptismum non sinit repeti, nisi quando nec scripto nec testibus facta probari potest. Gregorius 2. in epistola ad Bonifacium episcopum, iterationem huius sacramenti prorsus prohibet, vt habetur apud Gratianum de consecrat. distinct. 5. cap. Dn homine. Idem statuit Innocentius 3. extra de sacramentis non iterandis cap. Pastoralis.

Nec minùs clarè decretum id legitur in concilijs primùm prouincialibus, deinde generalibus. Ea sunt Cabilonense 2 sub Carolo Magno cap. 27. & Toletanum 8. cap. 7. Quo quidem loco notandum rursus est, quòd concilium vrgeat naturam consecrationis. Item his antiquius concilium Tarraconense celebratum Felice 3 papa, circa annum Domini 490. cap. 6. Generalia verò Florentinum in decreto Armenis dato & Tridentinum sess. 7. de sacramentis can. 9.

Quàm sit autem hæc doctrina scripturæ sanctæ conformis ex eo intelligitur, quòd Paulus Act. 19. non priùs spiritumsanctum discipulis illis Ephesijs dare voluit per manuum suarum impositionem, quàm intelligeret eos spiritumsanctum nondum accepisse.

§. 16. *Quomodo character confirmationis à charactere baptismi differat.*

NOnnihil difficultatis habet quæstio quæ moueri solet de discrimine characteris huius sacramenti à charactere baptismi, vtrùm videlicet hic *S. Thom. ubi sup.*

ab illo

ab illo differat ipso genere signi, an verò tantùm secundùm rationam persecti & imparfecti. Quod enim specie differant inter se ex eo apparet, quia in baptismo imprimitur charactar ciuitaris, hic autam character militiæ, differunt autam specie ac propria ratione ciuis & miles, tametsi in eundem incidant.

Dainde, non recipit idem subiectum simul plura accidentia eiusdem speciai, nisi ex illis vnum fiat, quod hic non est dicendum, quia fideles confirmati, non vnicum habent characterem sed duos distinctos.

Præterea, sacramanta ipsa specie distincta sunt, igitur & characteres specie differunt, præsertim cùm sit indubiatum characterem ordinis à reliquis duobus etiam specie distingui.

His adde quòd consecrationes ad idem aliquid non iterantor, si ergo character confirmationis esset vna eadamque potastas secundùm speciam cum charactere baptismi, sequeratur malè superaddi alterum altari, qoia sic repeteretur hominis consecratio ad idem aliquid.

In contrarium varò proferunt, quòd non tantùm in confirmationa, verùm etiam in baptismo quis asscribitur in militiam christianam. Quod in primis ax Ambrosio probant, qui lib. 1. de sacramentis cap. 2. vnctionem inter scapulas eius qui baptizandus ast, ad pugnæ significationem refert. Voctus as, inquit, quasi athleta Christi, quasi certamen huius sæculi luctaturus. Idem ax Melchiade confirmant, cuius in epist. ad episcopos Hispaniæ hæc sunt verba: Sicut exigit militaris ordo, vt cùm imperator quemcunque in militum receperit numerum, non solùm signat receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum; ita in baptizato benadictio illa munitio ast, dadisti militem, da ei adiumentum militiæ &c.

Rursum hoc argumento id probant: Omnis vita christiana nihil est aliud quàm militia super terram, cùm igitur per baptismum consecretur homo ad vitam christianam, eo ipso consecrari videtur ad militiam.

Item, in baptismo renunciat homo diabolo & omnibus pompis eius, quod certè non est aliud, quàm aperta denunciatione diabolo bellum indicara.

Postremò, potestas spiritualis quæ character dicitur, aut est actiua, aut passiua; actiua per ordinis sacramentum confertur; passiua sen receptiua per sacramantum baptismi, igitur per sacramentum confirmationis nullus datur character à priore diuersus, cùm sit certum eum non coincidere cum charactere ordinis.

Licet autem his rationibus nonnulli moueantor, vt putent charactarem confirmationis non specie, sed solùm superaddita quadā perfectione distingui à charactera baptismi, prioris tamen partis rationes reuera plus ponderis habera videntur. Quare secundùm S. Thomam 3. quæst. 72. art. 5. raspondemus, quòd sicut alia est actio hominis recens nati & alia competens ei, qui ad perfectam ætatam peruenerit, ita & alia sit potestas quæ in baptismo tanquam spirituali hominis natiuitate datur, alia quæ in confirmatione qua baptizatus ad virile robur proficit. Ibi enim potastatē accipit homo ad ea quæ propriam spectant salutem. hic verò ad ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, id quod exemplo apostolorum ibidem S. Thomas declarat.

Ad postariora igitur argumenta respondendum est omnes baptizatos quadàm ratione milites assa, quatenus videlicet ad omnes pertinet pugna spiritualis contra hostes inuisibilas, seu contra communas & quotidianas tentationas à mundo, carne, diabolo; solos autem confirmatos peculiariter asscriptos esse in militiam quæ suscipitur contra hostes visibiles, id est, fidei parsecutores, vt qui iam ad virilam ætatem perducti tali militiæ reputentur idonei, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Scribo vobis iuuenes quoniam fortes estis & vicistis malignum.*

Ad prostremum respondetur characterem confirmationis potestatem quandam esse, neque ad racipiendum ea quæ religionis sunt sicut baptismi, neque ad tradendum ea, sicut ordinis, sed ad resistendum contrarijs, & agendū ea quæ talis pugna requirit. Deinde nihil obstar quo minus in eodem genere potestatis actiuæ vel passiuæ plures ac distinctæ potestatis species contineantur, vti manifestum ast in potentijs naturalibus.

§. 17. *An confirmatio baptismum necessariò prærequirat.*

S. Thom. dicta q. 72. ar. 6.

HVius quæstionis qua quæritur an confirmatio baptismum prætequirat seu præsupponat necessariò, quadrifariam accipi potest intellactus. vtrùm videlicet character præsupponat characterem, an effectus effectum, an effectus characteram, an denique character effectum.

Quarum quæstionum prima responsionem absque dubio postulat affirmatiuam, nempe quòd character confirmationis ita necessariò præsupponat characteram baptismi, vt si cui non baptizato confirmationis sacramentum impenderetur, prorsus irritum esset, iterumque impendi oporteret post baptismom. Cuius rationem reddit S. Thomas, quia sic se habet ad baptismum confirmatio, sicut ad generationem augmentum; quare sicut impossibile est hominem augeri priusquam sit natus, ita fieri non potest vt confirmationis sacramentum suscipiat antequam sit baptizatus. Est quoque hæc generalis ratio, quia baptismus est ianua sacramentorum, sine quo proinde nullum verum sacramentum suscipitur, cuius substantia consistat in applicationa ad suscipientem.

Quod autem Act. 9. legitur Paulo ab Anania manum impositam fuisse priusquam baptizaretur, non est huic doctrinæ contrarium. Neque enim Ananias episcopus erat, sed diaconus, vt in eum locum scribans testatur Oecumenius, & manum Paulo imposuit non ad impertiendum ei spiritumsanctum, sed quemadmodom scriptura loquitur, vt visum reciperet. Quod enim postea subditur, *Vt implearis spiritusancto*, non ad manus impositionem referendum est, sed ad baptismum mox secututum, vt patet locum diligenter consideranti.

De secunda quæstione similiter respondendum putat S. Thomas, cuius hæc verba sunt in fine art. 6. quæst. 72 Sicut enim effectus confirmationis, qui est robur spirituale, præsupponit effectum baptismi qui ast iustificatio, ita sacramentum confirmationis præsupponit sacramentum baptismi.

Cui responsioni si obijcias exemplum Cornelij centurionis, qui ante baptismum spiritumsanctum accepit, vt scriptura testatur Act. 10 responderi facilè poterit Cornelium eiusque comites sicut effectum confirmationis sine sacramento acceperunt, ita & effectum baptismi vel eodem momento, vel iam ante percepisse, nondum accepto bap-

tismi sacramento. Idque significat his verbis Petri apostoli Act. 11. *Cùm autem cœpissem loqui, cecidit spiritussanctus super eos, sicut & in nos initio. Recordatus autem sum verbi Domini, sicut dicebat: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini spiritusancto. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis qui credidimus in Dominum Iesum Christum, ego quis eram qui possem prohibere Deum?* Quæ verba significant eos non tantùm confirmationis, sed & baptismi effectum iam tum absque visibili sacramento accepisse, vtpote qui etsi nondum aqua, iam tamen baptizati erant spiritusancto.

Verùm vtcunque se habeat quod circa Cornelium gestum est (qua de re non vno prorsus B modo loquitur Augustinus, vt annotauimus ad 4. distinct. vbi quærebatur quid baptismus conferat homini priùs iustificato) plus dubitationis adferunt exempla quorundam catechumenorum, in quibus tanta fuit fortitudo, vt & fidem Christi intrepidè coram hostibus fidei confiterentur & pro ea mortem quoque constanter oppeterent, atque ita nondum baptizati in aqua, in suo sanguine baptizarentur. Neque enim dicendum videtur omnes eos effectum baptismi iam ante percepisse, priusquam videlicet effectum confirmationis, id est, robur spiritus ad confitendum fidem Christi acci- C perent. Nam vt ad eandem distinct. ostendimus, ipsum martyrium seu passio pro Christo suscepta supplet in eis locum baptismi, tantumque eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis, vt Augustinus ait lib. 13 de ciuit. cap. 7. Et alioqui non baptismo sanguinis sed baptismo flaminis omnes eos baptizatos fuisse fatendum esset, quod planè repugnat distinctioni triplicis baptismi, de qua satis suo loco egimus. Ex quibus apparet effectum confirmationis non necessariò requirere præuium effectum baptismi, quod D & Thomas Waldensis sentit lib. 2. de sacramentis cap. 113.

Quod si obijcias: Augmentum præsupponit esse, & proinde non consistere hoc robur spiritus absque præuia spirituali generatione quæ baptismi effectus est. Respondere possumus in suprà dictis catechumenis præcedere quoddam esse spirituale, tametsi separatum à remissione peccatorum, nimirum per fidem præuiam, synceram ad Deum conuersionem, quæ ad initium seu natiuitatem pertinent hominis spiritualis, licèt filium Dei nondum E constituant.

Tertia quæstio difficultatem non habet. Non enim dubitatur, quin effectus confirmationis sicut haberi potest sine sacramento confirmationis, ita etiam haberi possit sine præuio sacramento baptismi, vt in Cornelio & catechumenis ad martyrium paratis perspicuum est.

Eadem responsio est ad postremam quæstionem. Sicut enim quis fictè ad sacramentum baptismi accedens sacramentum percipit sine re sacramenti, ita idem ille si vlteriùs ingerat se sacramento con- F firmationis charactere quidem huius sacramenti insignietur, rem tamen neque baptismi neque confirmationis consequetur, nisi postquam syncerè per pœnitentiam fuerit ad Deum conuersus.

§. 18. *An hoc sacramentum sit ad salutem necessarium.*

S. Thom. dist. 4. q. 2. art. 3. ad 3. & art. 6. ad 1.

SAcramentum confirmationis an absolutè sit omnibus ad salutem necessarium, nullam apud A Doctores quæstionem habet. Certum est enim baptismum ad hoc per se valere, vt hominem è peccato liberet, iustitia donet, filium Dei & hæredem regni constituat. Qui proinde in eo statu ex hac vita discedens siue paruulus siue adultus is fuerit, præmio iustitiæ ac promissa hæreditate fraudari non poterit, etiamsi signaculo chrismatis non fuerit communitus. Vnde Melchiades in epistola sæpe citata eos ritò transituris sufficere dicit ad salutem regenerationis beneficia. Et rursum: Regeneratio, inquit, per se saluat mox in pace beati sæculi recipiendos. Et infrà: Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus B peruenit ad mortem, confirmatur morte, quia non potest peccare post mortem. Confirmari autem morte eum dicit non propter sacramentum, vel proprium sacramenti effectum, sed vt ipse exponit, quia non potest peccare post mortem, id est, transit ad eum statum, in quo non est amplius peccandi periculum, quomodo beatos omnes dicimus esse in bono confirmatos.

Item Hieronymus in dialogo contra Luciferianos: Si quæris, inquit, quare in ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat spiritumsanctum, quem omnes asserimus in vero baptismate C tribui, disce hanc obseruationem ex ea authoritate descendere, quòd post ascensum Domini spiritussanctus ad apostolos descendit. Et multis in locis (intellige scripturæ) idem factitatum reperimus ad honorem potius sacerdotij, quàm ad legis necessitatem. Alioquin si ad episcopi tantùm imprecationem spiritussanctus defluit, lugendi sunt qui in vinculis aut in remotioribus locis per presbyteros & diaconos baptizati ante dormierunt, quàm ab episcopis inuiserentur. Sic ille. Quibus verbis simul obiectionem remouet de spirituسancto sine quo nemo D saluatur. Nam & in baptismo spiritussanctus datur, sed vt Melchiades ait, ad innocentiam, qui in confirmatione datur ad fortitudinem. Quorum effectuum prior absolutè necessarius est, non posterior.

Vnde manifestè patet discrimen inter baptismum & confirmationem quoad necessitatem. Baptismus enim absolutè necessarius est ratione proprij effectus, quia nemo nisi renatus salutem consequi potest, idemque iudicium est de sacramento reconciliationis respectu relapsorum; con- E firmatio verò non ita, cùm non fortes modò sed & infirmi multi per veram iustitiam salutem consequantur. His accedit canon Elibertini concilij 77. qui sic habet: Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizauerit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod si ante de sæculo recesserit, sub fide qua quis crediderit, poterit esse iustus. Similiter docet Innocentius 3. extra de consuetudine cap. Quanto.

Sed etsi nulla alia suppeteret huius rei probatio, sola ecclesiæ vniuersalis consuetudo satis ma- F gnam vim ad probandum haberet, vtpote quæ baptizatis seu paruulis seu adultis in mortis necessitate constitutis, nec adhuc confirmatis sacramentum hoc adhibere non curat, quod profectò neutiquam omitteret pia & sollicita mater, si ad salutem necessarium putaret.

Verùm maior quæstio est, an quia ad fortiter pugnandum aduersus fidei hostes institutum est hoc sacramentum, saltem victuris & pugnaturis necessarium sit, ne in pugna succumbant. Hoc enim ita esse non immeritò videri potest.

Primùm ex eo quod ait Melchiades papa victu-

ris ne-

ris necessariè esse confirmationis auxilia, quodque alterum ab altero, id est, confirmatio à baptismo, nisi præueniente morte non debeat separari.

Deinde quia sicut baptismus ad regenerationem, ita confirmationis auxilium propriè institutum est à Deo ad roborandum hominem aduersus fidei persecutores. Quare sicut non regeneratur homo sine baptismo, ita nec roboratur sine confirmatione.

Cui rationi S. Thomas 3. quæst. 72. art. 6. ad 1. non obscurè subscribit dicens, quòd sicut nullus consequitur effectum baptismi sine baptismi voto, ita nullus consequitur effectum confirmationis sine voto ipsius.

Quidquid autem sit de sententia S. Thomæ dicendum sanè videtur à victuris & pugnaturis ita necessario suscipiendum esse hoc sacramentum, vt si quis illud prætermittat sciens & prudens, vel cùm sit opportuna eius susceptio, suscipere negligat, etiamsi non contemnat, à peccato non possit excusari. quemadmodum peccare eum non dubitatur, qui sine sacramento extremæ vnctionis peculiariter ad hoc instituto vt hominem moriturum futuro sæculo præparet, cùm facile id consequi possit, discedere ex hac vita sustinet.

Cuius ratio duplex reddi potest; Vna, quia quamuis expressum de eo præceptum nusquam legeretur, illa tamen sacramenti ad talem finem peculiaris ordinatio tacitam præcepti vim continere videtur, apud eos saltem quibus commoditas eius suscipiendi non deest.

Altera quia etsi non negemus robur illud spiritus sine hoc sacramento eiusque voto haberi posse, cuiusdam tamen præsumptionis est non sequi viam ordinariam, quæ per sacramentum monstratur ad tantum bonum consequendum, vel omnino bonum illud se iam consecutum esse putare sacramento nondum suscepto.

Quòd si quæras vtrùm eius omissio quando commodè haberi potest, sit mortale an veniale peccatum; respondetur, omitti non posse absque mortali culpâ tempore & loco persecutionis fidei, vbi videlicet homini propter infirmitatem periculum sit, ne fidem vel abneget verbo aut facto, vel saltem vbi opus sit, confiteri erubescat, aliàs verò culpam videri tantùm venialem, modò absit contemptus.

Porrò dicta necessitas ex eo quoque comprobatur, quòd olim diligenter curatum fuerit à sanctis pontificibus, vt baptizati omnes vel statim præsente episcopo vel prima opportunitate consignarentur, vt ex varijs decretis & canonibus ostendi potest, idque apostolorum facto planè congruit. Nam Paulus Ephesijs baptizatis statim manus imposuit Act. 19. Similiter alios apostolos initio fecisse ex illis Petri verbis apparet Act. 2. *Baptizetur vnusquisque vestrûm & accipietis donum spiritussancti*. Ad Samaritanos autem longiùs dissitos, vbi primùm auditum fuit eos verbum Dei recepisse, excurrerunt Petrus & Ioannes, vt eis manus imponerent. Quorum alacritatem ac studium in conferendo hoc sacramentum imitari conuenit omnes episcopos, maximè quòd huius subsidij neglectu fiat, vt persecutionis tempore multi deficiant aut labantur, sicut teste Cornelio papa Nouato accidit.

§. 19. *Responsio ad ea quæ absolutam huius sacramenti necessitatem statuere videntur.*

AD ea nunc respondendum quæ docere videntur omnino necessarium esse ad salutem hoc sacramentum. *S. Thom. ibidem.*

Prima obiectio est ex Clemēte qui in epist. 4. ait: Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo & demum consignari ab episcopo, id est, septiformem gratiam spiritussancti percipere, quia aliter perfectus christianus esse non potest, si non necessitate sed incuria vel voluntate sic remanserit, quod à beato Petro accepimus & cæteri apostoli docuerūt.

Secunda ex Vrbano, cuius hæc verba sunt: Omnes fideles per manus impositionem episcoporum spiritumsanctum post baptisma accipere debent, vt plenè christiani inueniantur.

Tertia ex Melchiade qui dicit baptismum & confirmationem, nisi morte præueniente nullatenus à se mutuò seperari.

Quarta ex Cypriano qui epist. 70. ad Ianuarium sic habet: Vngi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, vt accepto chrismate id est vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se Christi gratiā possit.

Quinta ex concilio Laodiceni cuius canon 48. sic habet: Oportet baptizatos post baptismum sacratissimum chrisma percipere & regni cælestis participes fieri.

Sexta ex Syluestro, qui referente Damaso in pontificali, constituit vt baptizatum liniat presbyter chrismate leuatum de aqua propter occasionem transitus mortis.

Septima ex concilio Arausicano 1. cap. 12 in quo de hæreticis in mortis discrimine positis, si catholici esse desiderent, idem statuitur. Et cap. 1. vbi necessariè vocatur chrismatio.

Octaua ex concilio Perusiēsi, quod cap. 33. vult morte periclitantibus incunctanter tradi donum spiritussancti.

Nona ex Hugone Victorino, qui lib. 2. de sacramentis parte 3. cap. 7. Quid prodest, inquit, si à lapsu erigeris, nisi ad standum confirmeris? Et timendum est ijs qui per negligentiam amittunt episcopi præsentiam, & non suscipiunt manus impositionem, ne fortè propterea damnentur, quia festinare debuerunt cùm poterant. Propter eos enim qui articulo temporis præueniuntur, instituta est illa qua sacerdos baptizatum statim in vertice linit, sacramenti chrismatis vnctio, vt in hoc ipso ostendatur, quoniam hoc sacramentum ad salutem necessarium est, eùm tam sollicitè vniuersis caueatur, ne fortè sine episcopo ex hac vita subtrahantur.

Decima ex Hieronymo qui in cap. 9. Ezech. scribens, nulli ætati parcendum esse dicit, si absque Christi signaculo aliquid esse se credunt.

Vndecima ex Gregorio qui lib. 12. epist. 31. confirmationem quæ facta probari non potest, iterari vult sicut baptismum, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat.

Duodecima ac postrema ex ratione. Effectus enim huius sacramenti proprius est ea fortitudo qua quis paratus sit pro Christo si res postulet, mortem oppetere, quæ animi præparatio necessariè est ad salutem. Qui enim non ita est animo affectus, non diligit Christum præ omnibus, & proinde nec est in statu iustitiæ, quæ talem dilectionem requirit.

His obiectionibus respondentes dicimus in-

primis ex ijs satis apparate, quòd sit aliquo modo præcepti hoc sacramentum suscipere; vel quia, vt suprà dicebamus, tacitam præcepti vim continet huius sacramenti ad robur spiritus accipiendum omnibus proposita ordinatio; vel quia pontifices & concilia putauerunt id etiam expressè præcipiendum, quò minùs à fidelibus negligeretur hoc sacramentum. Quæ tamen lex non videtur aliter obligare quàm vt superiori cap. dictum est, quandoquidem constet ratione effectus hoc sacramentorum non esse absolutè necessarium, præsertim cùm probabile sit effectum eius etiam absque sacramento & voto eius haberi posse.

Deinde notandum patres vbi requirere videntur hoc sacramentum tanquam necessarium, non hanc addere rationem: quia aliter salus haberi non potest, sed quia aliter perfecti esse non possunt christiani. Nam ordinariè præter hoc sacramentum non obtinetur virilis perfectio & robur hominis christiani, quemadmodum satis indicant Dionys. ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 4. parte 3. & Amb. lib. 2 de sacramentis cap. 2.

Obseruandum etiam patres in huiusmodi sententijs ferè alludere ad nomen Christi, quod vnctum significat. Vnde negant eos plenè christianos qui vnctionem episcopalem nondum acceperunt, videlicet vim facientes in vocabulo christiani, quomodo dicit Augustinus lib. 17. de ciuit. cap. 4. omnes chrismate vnctos rectè Christos vocari.

Ex his patet in quem sensum Clementis & Vrbani verba sint accipienda. Melchiades autem episcopis præcipit, vt baptizatos statim muniant sacramento confirmationis, nisi fortè periculum mortis cogat aliquem absente episcopo baptizari, extra tempora statuta, quem tamen etiam sine hoc sacramento ipsa morte confirmari testatur idem pontifex.

Cyprianus per Christi gratiam intelligit vberiorem gratiæ copiam, quæ videlicet vnctioni respondeat, & hominem vnctum Dei constituat; vel gratiam Christi intellige qua sit Christus, id est vnctus vnctione spirituali, quæ respondeat vnctioni sacramentali exteriori.

Laodicense concilium non aliud vult, quàm fideles vnctione chrismatis reges constitui, & proinde quod ad significationem chrismatis attinet, regni celestis participes fieri.

Siluester & concilium Arausicanum loquuntur de inunctione verticis, quam faciebat presbyter absente episcopo non propter salutis necessitatem, sed ne absque omni chrismatis vnctione baptizatus discederet. Quam tamen vnctionem patres neque confirmationē neq; consignationē appellāt. Idem videtur respondendū ad verba Hugonis, quē tamē alij erroris incusāt hac in parte, sed immeritò vt nobis videtur. Non enim de absoluta necessitate eum loqui inde patet, quòd eodē loco dicit infantes confirmatos maiorē gloriam habituros. Ex quo patet eum non simpliciter excludere à gloria eos qui percepto baptismo confirmati non fuerint.

Hieronymus Christi signaculum eo loco non crucem fronti impressam, sed legis impletionem interpretatur.

Ad Gregorium respondetur confirmationis defectum non à fidelibus fieri, dū mors persecutione fidei caret fortitudine ad resistendum necessaria.

Ad rationem vltimo loco positam respondendum, quamuis omnem christianum sic affectum esse oporteat, vt mori malit quàm fidem negare. non tamen fortitudinem tantam, qua id reipsa præstetur, omnibus semper esse ad salutem necessariam, sed tunc demum quando res postulat, vt pro fide ad mortem vsque certetur.

§. 20. *Solum episcopum esse huius sacramenti ministrum ordinarium.*

PRoprius & ordinarius huius sacramenti minister est episcopus, quemadmodum in concilio Florentino definitum est & in Tridentino repetitum sess. 7 can. 3. de confirmatione & sess. 23. cap. 4 & can. 7. *S.Thom. supr. cit. q.72. ar. 11.*

Cuius doctrinæ fundamentum est in sacris literis. Nam Act.8. ad confirmandum eos qui in Samaria à Philippo baptizati erant, etiam vsque ad infimam plebem, mittuntur apostolorum præcipui Petrus & Ioannes, cùm tamen idem Petrus Cornelium virum insignem, ac diuinitus sibi commendatum vnà cum eius familiaribus non per se sed aliorum ministerio baptizare voluerit Act. 10.

Rursum autem Act. 19. cùm Ephesij quidam Paulo iubente ab alijs baptizati essent, ipse Paulus mox eis manum imposuit, vt spiritumsanctum acciperent, cùm alioqui & huius sacramenti ministerium sicut baptismi potuisset alijs mandare, si non iudicasset ab alijs quàm ab episcopis fieri non posse.

His scripturæ exemplis & maximè eo, quod habetur Act 8. edocti veteres pontifices ac patres vno ore tradiderunt ad solum episcopum pertinere huius sacramenti administrationem. Sic enim docent Clemens lib. 3. constitutionum apostolicarum cap 15. & 16. Eusebius papa in epist. 3. ad episcopos Tusciæ & Campaniæ. Melchiades in epist. ad episcopos Hispaniæ. Damasus in epist. 4. contra chorepiscopos edita, & Ioannes 3. in decretali epistola eiusdem argumenti. Item Innocentius 1. in epistola ad Decentium cap. 3. Leo epistola 88. Gelasius apud Gratianum distinct. 25 cap. presbyteros. Gregorius lib. 3. epistola 9. Innocentius 3. extra de sacra vnctione cap. vnico, & de consuetudine cap. Quanto. Quibus & alij patres consentiunt, vt Cyprianus in epist ad Iubaianum. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos: Augustinus lib. 15. de trinitate cap. 26. Isidorus lib. 7. Etymol. cap. 12. Beda & Oecumenius in Act. 8. & concilia Hispalense 2. cap. 7. & Constantiense in condemnatione articuli 28. Ioannis Wicleff.

Declarat hoc idem perpetua ecclesiæ consuetudo, quæ non alijs vnquam nisi episcopis concessit huius sacramenti administrationem, qua consuetudine post scripturam sacram nituntur maximè modò citati authores, vt in eorum scriptis videre est.

Ratio verò hæc reddi potest, quia fideles hoc sacramento perficiuntur, vt patres docent, ideoque congruebat non ab alio quàm ab eo qui constitutus est in ordine perficientium, illud conferri. Est autem episcopatus ordo perficientium, sicut presbyteratus ordo illuminantium, & diaconatus ordo purgantium, vt docet Dionysius Areopag. ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 5.

Aliam rationem indicat Hieronymus in dialogo contra Luciferianos dicens id constitutum esse ad honorem sacerdotij, id est, episcopalis dignitatis, à qua pendet ecclesiæ salus. Cui si non, inquit, exsors quædam & omnibus eminens detur

potestas,

potestas, tot in ecclesijs efficientur schismata, quot erunt sacerdotes &c.

§. 21. *Utrùm simplici presbytero committi poßit huius sacramenti collatio.*

S. Thom. ibidem in resp. ad 1.

QVæstio est apud Doctores variè disputata vtrùm ea commissione superioris, saltem summi pontificis sacramentum confirmationis ab alio quàm ab episcopo conferri possit. Et quidem S. Thomæ sententia est 3. quæst. 72. art. 11. ad 1. summum pontificem ex plenitudine potestatis quam habet in ecclesia, posse quædam quæ sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines. Et ex hac, inquit, plenitudine potestatis concessit Gregorius papa, quòd simplices sacerdotes hoc sacramentum conferrent, donec scandalum tolleretur. Ferè similiter sentit Scotus dicens papam dum presbytero committit potestatem confirmandi, facere eum episcopum, quantum ad illud munus attinet. Sed & alij non pauci hanc sententiam secuti sunt, inter quos tamen hæc diuersitas reperitur, quòd nonnulli existiment presbyteros, si tentent hoc sacramentum conferre, etiam absque commissione apostolica, verum conferre sacramentum, tametsi grauiter peccent, sicut verè ordinat episcopus hominem non sibi subditum: alij verò complures sentiant nihil eum prorsus efficere, non magis quàm si tentaret absoluere quempiam sibi non subiectum.

Porrò Durandus ab his dissentiens putat nulla superioris commissione effici posse, vt ratum sit hoc sacramentum à simplici presbytero collatum. Atque idem sentire videtur Bonauentura, eamque sententiam vt veriorem validè propugnat Adrianus 6. in 4. Sunt autem argumenta pro hac sententia, tum ex authoritate, tum ex ratione petita neutiquam contemnenda.

Primum, Eusebius papa in epist. 3. de hoc sacramento loquens: Quod ab alijs, inquit, perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus; nec tempore apostolorum ab alijs quàm ab ipsis apostolis legitur aut scitur esse peractum; neque ab alijs quàm ab illis qui eorum locum tenent vnquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habetur & vacuum, nec inter ecclesiastica vnquam reputabitur sacramenta.

Item Damasus epistola 4. de chorepiscopis ait, Benedictio quam prædicti chorepiscopi ante suam prohibitionem dabant, magis nobis videtur vulnus inferre quàm salutem. Probat autem ex eo, quia dare nemo potest quod non habet, significans chorepiscopos ex sua ordinatione simpliciter non habere potestatem huius sacramenti conferendi. Concludit deinde: Et ideo quicquid ex suprà dictis ministerijs pontificalibus præsumebant, irritum erat, & nihil tactis proficiebat. Et ob id reiterari necessum est, quod legitimè actum aut collatum minimè approbatur.

Nec minus clarum est, quod à Ioanne 3. papa circa annum Domini 560. ante Gregorij tempora contra eosdem chorepiscopos scriptum legitur, vbi post alia, Præsertim, inquit, cùm nullus ex septuaginta discipulis quorum speciem gerunt presbyteri, legatur donum spiritussancti per manuum impositionem tradidisse. Et paucis interiectis: Apostoli autem præcipiente Domino, illisque denunciante, vt illi & successores eorum tantummodo per manus impositionem traderent spiritumsanctum, nulli vnquam ex septoaginta tradere spiritumsanctum per manus impositionem permiserunt, eis scientes illicitum fore, dantes successoribus exemplum, ne vnquam talia præsumerent. Et continuò subijciens verba Act. 8. addit, Non ergo aliquem ex septuaginta licèt pauci essent apostoli, ad hoc opus perficiendum direxerunt, sed Petrum & Ioannem apostolos, quorum vicem episcopi in ecclesia gerunt & non chorepiscopi &c.

Item Innocent. 3. extra de consuetudine cap. Quanto, scribit in hæc verba; Peruenit ad audientiam nostram, quòd quidam simplices sacerdotes apud Constantinopolim ea sacramenta præsumunt fidelibus exhibere, quæ ab apostolorum tempore fuerunt solis pontificibus reseruata, vt est sacramentum confirmationis, solam consuetudinem prætendentes. Et mox: Quæ licèt non sint à fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, omittere, quàm vt ab his, quibus ea conferre non licet, ea temeritate quæ lege damnatur, non sine graui periculo inaniter conferantur, cùm vmbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.

Ex his pontificum decretis illud imprimis liquet nihil effici, si quis presbyter absque commissione superioris tentet hoc sacramentum conferre. Deinde & illud apparet, nunquam ab alijs quàm episcopis collatum fuisse, sic vt ratum esset ac verum sacramentum.

Ex quo vlteriùs colligitur nulla vnquam dispensatione ministerium huius sacramenti presbytero simplici fuisse commissum, saltem ante tempora Ioannis 3. Quod quidem satis apertè indicant ipsius verba modò recitata. Dum enim negat apostolos licèt adeo pauci essent, commisisse alicui ex septuaginta discipulis administrationem huius sacramenti, significat nec apostolorum successores id facere posse, absolutè hanc rationem addens, quia sciebant apostoli id presbyteris illicitum esse, omnimodum lege diuina, in qua illi dispensare se non posse agnoscebant.

Iam verò ratione quoque perspicua probari videtur eadem hæc sententia. Aut enim ratione iurisdictionis competit episcopo confirmandi potestas, aut ratione ordinis seu consecrationis suæ. Quod si ratione iurisdictionis, multa sequentur absurda. Primùm quod episcopus nondum consecratus confirmare poterit. Nam si sit electus & à summo pontifice confirmatus, iam obtinet iurisdictionem etiam ante consecrationem. Deinde quòd nulla erit ea confirmatio, & proinde iteranda, qua episcopus quempiam non sibi subditum confirmauerit. Tertiò sequetur non modò presbyterum, sed & diaconum, imò & simplicem clericum ex commissione posse confirmare, sicut & excommunicare. Quartò hoc ipsum posse presbyterum non tantùm ex commissione summi pontificis, verùm etiam ex commissione inferioris ac proprij episcopi, nisi fortè peculiaris obstiterit reseruatio, quæ tamen nusquam extat, & si extaret, tantùm esset iuris humani.

Restat igitur, vt concedatur potestatem confirmandi episcopo competere ratione consecrationis. Aut ergo competit ei ratione sacerdotalis consecratio-

secrationis aut ratione episcopalis. Quorum prius dici non posse videtur. Nam ita omnibus sacerdotibus communis esset hæc potestas, sicut potestas consecrandi corpus & sanguinem Domini. Quare verum esset confirmationis sacramētum collatum à quocūque presbytero, etiam citra commissionem, sicut verè conficit eucharistiam etiam suspensus & degradatus licèt non sine graui peccato. Hoc autem ex manifestis pontificum verbis iam suprà improbatum est. Deinde videri posset ad iniuriam sacerdotalis ordinis id pertinere, si confirmandi potestatem ei à Christo annexam perpetua lege sibi episcopi reseruarent. De qua re Ioannes Wicleff episcopis ecclesiæ calumniam ingessit. Imò potestas illa frustrà dare videri queat, cùm vix vnquam permissum fuerit presbyteris eâ vti. Adde quod illius potestatis nulla fit mentio in presbyterorum ordinatione. Quòd si verò ratione consecrationis episcopalis competit, non poterit igitur qui eam consecrationem non habet, vlla superioris commissione characterem confirmationis imprimere, quomodo nec diaconus potest ex commissione consecrare corpus Domini, nec à peccatis absoluere, nec presbyter aut diaconus sacros ordines conferre, quoniam hæc omnia ordinis sunt, & certam consecrationem necessariò prærequirunt. Vnde sicut pontifex efficere non potest, vt irritum sit & inane quod episcopus vel presbyter agit, ordinando, confirmando, consecrando, quia ordinem semel datum euellere non potest, ita nec ratum facere potest, quòd simplex sacerdos in conferendo ordinis aut confirmationis sacramento tentauerit. Cuius ratio est, quia simplici commissione ordinem, cuius illi sunt actus, dare nequit.

Ex quo etiam suprà dicta Scoti sententia videtur refelli. Non enim sola commissione dari potest, quod non nisi consecratione confertur, siue sit tota potestas ordinis episcopalis, siue pars eius. Neque verò vlla videtur solida ratio adferri posse, cur in ministerio sacræ ordinationis & eucharistiæ & absolutionis non eandem committendi potestatem habeat pontifex, si eam habet circa ministerium confirmationis.

Obstat denique huic sententiæ illud quod habetur extra de consecratione ecclesiæ vel altaris cap. penultimo. Quæ consecrationis sunt, ea non consecrato committi non posse. Atque hac ratione ex consecratione petita potissimùm niti videntur in suprà dictis decretis pontifices, quò ducant presbyteris illicitum esse munus confirmandi. Quod & Leo non obscurè indicauit in epist. 88. cùm ait: Hæc omnia illicita sunt chorepiscopis vel presbyteris, quia quamquam consecrationem (intellige sacerdotalem) habeant, pontificatus tamen apicem non habent. Quæ verba eadem ferè apud Innocentium I leguntur.

Postremò si qua dispensatione presbyteris committi posset huius sacramenti collatio, saltem in ijs locis vbi episcopi non sunt, & quò vix vnquam accedunt, aliquando committeretur presbyteris propter magnam populi vtilitatem, & quandam sacramenti necessitatem, quod tamen nec ante nec post Gregorium factum legitur, vtrùm autem Gregorius fecerit, mox videbimus.

§. 22. *Ad argumenta contrariæ opinionis responsio.*

PRo diuersa opinione hæc ferè adducuntur argumenta.

Primum ac potissimum ex Gregorio, qui cùm lib. 3. epist. 9. ad Ianuarium vetuisset, ne presbyteri baptizatos chrismate signarent in frontibus, postea scandalo ex ea prohibitione nato hoc idem concessit in epist. 26. ad eundem Ianuarium scripta his verbis: Peruenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteris chrismate tangere in fronte eos qui baptizandi sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundùm vsum veterem ecclesiæ nostræ fecimus, sed si omnino hac de re aliqui contristantur, vbi episcopi desunt vt presbyteri etiā in frontibus baptizādos chrismate tāgere debeant, concedimus, sic Gregorius & habetur apud Gratianum distinct. 95. cap. peruenit, vbi tamen pro baptizandi, legitur baptizati. Respondendum si de baptizandis loquitur Gregorius, nullam esse quæstionem, quia quacunque parte corporis vngantur baptizandi, siue à presbytero siue ab episcopo, sacramentum esse non potest, cùm baptismus sit ianua sacramentorum. Si verò cum Gratiano de baptizatis Gregorium loqui intelligimus, responderi potest Gregorium permisisse quidem propter obortum scandalum, vt quod presbyteri præsumpta quadam consuetudine ante eius prohibitionem faciebant, adhuc facerent, id est, in frontibus vngerent baptizatos, non tamen vt sacramentum confirmationis conferrent, quod nec priùs conferebant. Visum enim fuit Gregorio vitandi scandali causa ceremoniam illam signandi frontem chrismate permittendam presbyteris ad tempus, cùm alioqui non frontem sed verticem vel, vt alia exemplaria habent, pectus chrismate signare iuberentur. Nec à presbyteris de quibus loquitur Gregorius, aliud factum videtur, quàm quod non ea corporis parte qua debebant, signarent baptizatos, formam autem verborum huic sacramento propriam eos vsurpasse non apparet.

Secundum, Florentinum & Tridentinum concilium facit episcopum huius sacramenti ministrum ordinarium, vt suprà dictum est, ergo agnoscunt alium extraordinarium. Respondeo idcirco sic locutos vtriusque concilij patres, quòd quæstionem inter Doctores controuersam definire nollēt, quomodo & locuti sunt de ministro sacramenti ordinis propter controuersiā de minoribus ordinibus.

Tertium, Magis adhuc vrgent hæc Florentini concilij verba: Legitur tamen aliquando per apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili & vrgenti admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum. Sed respondetur concilium non affirmare id aliquando factum esse (nam re vera factum esse probari non potest) sed id legi vel in decreto Gratiani vel apud scholasticos doctores, qui factum Gregorij iuxta suam opinionem sunt interpretati, eamque ob causam se addidisse ordinariam, quod ita opinantibus præiudicare nollet.

Quartum, Hieronymus in epist. de septem gradibus ecclesiæ apertè docet ad presbyteri & non solius episcopi munus pertinere cōfirmationem & chrismatis confectionē, ac semel omnium sacramētorum administrationem, vna ordinatione excepta.

Respondeo eam epistolam non essa Hieronymi, sed authoris incerti. Quid autem ipse Hieronymus sentiat, ex dialogo eius contra Luciferianos intelligi potest.

Quintò, nihilominus ex eodem dialogo obijcitur Hieronymum dicere, quòd huius sacramenti administratio in episcopis magis pertineat ad sacerdotij honorem, quàm ad legis necessitatem. Vnde videri parest, non esse episcopum omnino necessarium huius sacramenti ministrum. Sed respondetur Hieronymum non negare necessitarem ministri, sed sacramenti: id quod declarant verba eius sequentia: Alioqui lugendi sunt qui &c.

Sextum, Ambrosios in Ephes. 4. Apud Ægyptum, inquit, presbyteri consignant, si præsens non sit episcopus. Respondeo commentatorem illum (quem satis constat Ambrosium non essa) rantùm referre quid in Ægypto fiat, factum ipsum neque probare neque improbare.

Septimum, Concilium Arausicanum 1. cap. 1. & 2. & Toletanum 1. can. 20. presbytero mandant chrismationem absente episcopo. Sed intelligenda est ea quæ fit in ceremonijs baptismi, quam præsente episcopo presbyter olim facere non solat, quando baptizabat.

Octauum, De Siluestro Damasus refert eum episcopis contulisse priuilegium, vt baptizatos consignarent; presbyteris verò concessisse, vt chrismate linirent baptizatos in mortis periculo. Respondeo Siluestrum hoc priuilegium contulisse non nouum instituendo, sed quod atat à Christo institutum, & quorundam presbyterorum temeritate labefactatum, noua constitutiona ad primæ institutionis obseruationem reuocando. Quo sensu & alia quædam à Romanis pontificibus vel instituta vel constituta leguntur. Presbyteris verò eam rantùm vnctionem absente episcopo permittit, quę ad baptismi ceremonias pertinet.

Nonum, vnus est ordo sacerdotij & episcopatus, si ergo rationa ordinis competit episcopo ministratio huius sacramenti, competet & presbytero. Respondeo ex hoc argumento consequens fore, quòd ordines etiam maiores conferre possit simplex presbyter. Dicendum igitur episcopum licèt non diuerso aliquo ordine differat à presbytero, differre tamen ordinis excellentia & perfectione quadam, quam ei tribuit diuersa à priori consecratio, ratione cuius excellentiæ & perfectionis competit ei tam ordinandi quàm confirmandi potestas.

Decimum argumentum sumitur ex plenitudine potestatis quam in ecclesia babet Romanus pontifex. Sed respondendum eam potestatis plenitudinem non extendi ad hoc, vt proprij sacramentorum ministri mutari possint, sicut nec ad immutandum aliquid circa materiam & formam & alia ad substantiam sacramentorum requisita.

Vtrùm autam & quatenus committera possit summus pontifex collationem ordinum minorum (quoniam inde etiam argumentum petitur pro confirmatione) eius difficultatis explicationem suo loco reseruamus.

§. 23. *Qua ætate suscipiendum hoc sacramentum.*

S. Thom. ibidem art. 8. ad 2.

SAcramentum confirmationis olim etiam infantibus adhiberi solitum testes sont Innocentius 1. in epist. ad Decentium cap. 3. quod ita incipit. De consignandis verò infantibus &c. & Gregorius lib.
A 3. epist. 9. ad Ianuarium. Qua de re tale item decretum extat apud Gratianum de cõsecrat. distinct. 4 cap. Si qui. Si verò paruuli sunt & hebetes qui doctrinam non capiunt, respondeant pro illis qui eos offerunt &c.

Quidam id probari posse putant ex sacris literis, tum Act. 2. vbi Petrus de effectu huius sacramenti loquens Iudæis iam credentibus dicebat: *Vobis enim est repromißio & filijs vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster;* tum Act. 8. vbi omnibus à Philippo baptizatis, inter quos infantas quoque à parentibus oblatos fu-
B isse rectè creditur, manus ab apostolis imponuntur; tum denique ex eo quod in euangelio Christus legitur infantibus manum imposuisse, velut huius sacramenti figuram quandam præferens. Huc accedit, quod veteri more ecclesiæ baptizatis omnibus vbi præsentes erãt episcopi, statim manus imponebantur, vt initio admonuimus. Atque eum morem etiam sui temporis fuisse quibusdam in locis, nec illum reprobandum Iacobus Vitriacus in histor. occidentali cap. 37. testatur his verbis: Hoc confirmationis sacramentum quidam ita coniungunt baptismo, vt statim velint ipsum post baptismum de-
C bere conferri, quia per hoc confirmatur fides, quæ in baptismo suscipitur. Quæ consuetudo satis approbanda est, vbi haberi potest copia seu præsentia maioris sacerdotis. Hæc ille.

Ratio quoque idẽ faciendũ suadere videtur, cùm enim nemo catholicorum dubitet paruulos, sicut baptismi, ita & confirmationis capacas esse, sequitur eos accepto per hoc sacramentum gratiæ augmento maiorem etiam in futuro sęculo gloriam habituros, si in infantili ætate decesserint, quàm si sacramentum hoc non percepissent, quemadmodum luculentè tradunt Hugo Victorinus lib. de sa-
D cramentis, & S. Thomas parte 3. suæ summæ, vbi de hoc sacramento tractant.

His autem argumentis moti nonnulli existimãt etiam hodie hoc sacramentũ infantibus administrandum esse, neque expectandam ætatem discretionis, ne videlicet præoccupanta morte priuentur & gratia & gloria ampliore, ad quam prouehit confirmatio.

Alij verò etsi veterum morem non damnent, conuenientius tamen putant, vt ad annum vsque septimum vel octauum expectetur. Cùm enim hoc sacramentum non sit ad salutem necessarium, præ-
E sertim infantibus, vti suprà ostendimus, satis profectò conuenit illud tempus expectari, quo, vt quidam scripsit, opportunissimè, aptissimè & vtilissimè suscipiatur. Quod quidem tempus est septem aut circiter annorum. Opportunissimè namque ea ætate suscipitur, quia tum primùm exacente se rationis vsu periclitari à mundi tentationibus atque impugnationibus homo incipit. Aptissimè verò, quòd ante eam ætatem vix esse soleat homo ad pugnandum idoneus, quare nec ar-
F mis ad pugnandum instruendus. Vtilissimè denique, quoniam & maius est gratiæ donum & tenacius inhærens, quod vigilante iam fide & proprio mentis motu ac præuia præparatione susceptum fuerit, quàm quod in ætate infantili in qua nihil illorum præstari potest, fuerit infusum.

Quidam & hanc adducunt rationem, vt qui in infantia baptizati baptismi suscepti meminisse non possunt, saltem huius suscepti sacramenti quod est baptismi consummatio, per omnem vitam meminerint. Eaque causa etiam alapam ex more ab episcopo confirmatis leniter

A impingi dicunt, tamen si huius ceremoniæ magis placet ea ratio quam Dominicus à Soto tradit; ideo videlicet eum qui confirmatur, alapa cædi, vt admoneatur pro fide contumelias & verbera perferenda esse si opus sit etiam vsque ad mortem. Nam & Christus, & Paulus leguntur alapa percussi ob veritatis confessionem. Et apostoli gaudent quòd digni habeantur pro nomine Iesu contumeliam pati. Constat autem alapam magis ad contumeliam pertinere, quàm ad pœnam doloris aut læsionem corporis.

B Porrò dictis rationibus moti posteriores constituerunt, ne pueri confirmentur infra septimum vel octauum annum aut circiter. Ita enim constitutum legitur in synodo quadam Leodicensi sub Ioanne episcopo per Nicolaum papam approbata, & in synodis aliquot recentioribus, ac nominatim in synodo Cameracensi nouissima, itemque generaliter approbat vsus ecclesiæ.

Postremò sciendum quòd etsi iam iam morituris non sit hoc sacramentum necessarium propter periculum pugnæ præsentia, vbi mors aut mortis metus non infertur propter fidem, quemadmodum fatetur Melchiades papa, non tamen erit inutile aut inconueniens etiam illos confirmari, vt C perfecti christiani hinc ad Dominum discedant, & maiore gloria potiantur, & vt S. Thomas loquitur, vt perfecti in resurrectione appareant. Vnde concilium Parisiense cap. 33. præscribens tempora dandæ confirmationis eadem quæ baptismi, videlicet pascha & pentecosten, excipit infirmos & morte periclitantes, quibus sicut baptismatis gratia succurrendum, ita vult incunctanter donum spiritussancti esse tradendum. Estque id conforme sententiæ Clementis, si tamen ille author, qui epist. 4. omnibus festinandum esse monet, vt ab episcopo consignentur, quia, inquit, incertus est vniuscuiusque exitus vitæ, neq; aliter perfectus esse christianus poterit, nec sedem habere inter perfectos &c.

§. 24. *Qua præparatione ad hoc sacramentum accedere oporteat.*

S. Thom. ibidem art. 7. ad 2.

CVm per hoc sacramentum confirmentur omnis idem in ecclesia præterito fidelibus, quod in die pentecostes datum est centum viginti discipulis, nempe vt pro suo quisque modulo induatur E virtute ex alto, patet & similem quandam cum illis præparationem meritò ab omnibus illud suscepturis exigi. Legitur autem de apostolis Lucæ vltimo, quòd iussi expectare promissum spiritumsanctum, fuerint assiduè in templo laudantes & benedicentes Deum. Et rursum Act. 1. Quòd erant omnes perseuerantes vnanimiter in oratione. Et cap. 2. quòd erant omnes pariter, vel vt Græcè est, vnanimiter in eodem loco. Quæ loca significant apostolos diuinis laudibus & precibus ac mutuâ charitate, seu animorum consensu præparatos accepisse spiri F tumsanctum. Quoniam autem sancti solent orationibus etiam ieiunia adiungere, quoties magnum aliquid à Deo obtinere cupiunt, quemadmodum exemplis scripturæ facilè potest ostendi, verisimile est & apostolos sponso iam ablato alium paracletum expectantes, ad ieiunij quoque præsidium confugisse.

Illud quoque notandum quod Ioan. 16. Dominus discipulis ait: *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos;* impediente videlicet eos à tanto munere pro dignitate suscipiendo carnali consuetudine, qua nimium adhuc erga Christum tenebantur. Vnde intelligitur erectam esse debere mentem ad superna, & ab affectibus carnalibus liberam, vt satis digno cum fructu hoc sacramentum suscipiatur. Rectè igitur in Aurelianensi quodam concilio, vt apud Gratianum legitur de consecrat. dist. 5. decretum est, vt non nisi ieiuni ad confirmationem accedant fideles, moneanturque priùs facere confessionem, vt mundi donum sancti spiritus accipere valeant. Quin & in concilio Parisiensi sub Ludouico & Lothario Imperatoribus præcipitur ipsis B episcopis, vt ieiuni hoc sacramentum conferant, vtrumque autem & hodie in ecclesijs reformatis diligenter seruatur. Quamquam quod de confessione peccatorum præmittenda præscribitur, olim non ita seruatum fuit, et neque obseruatu necessarium erat, propterea quòd solerent fideles statim post baptismum consignari, ac deinde ad mensam Domini accedere. Atqui recenter baptizatis pœnitentiæ remedium non erat necessarium.

Quod si quæres, vtrùm nunc ita sit necesse præmitti confessionem ab eo qui mortali peccato sit obnoxius, vt absque eo fructu sacramenti defraudetur, respondent non improbabiliter Ruardus & C Dominicus à Soto negatiuè, existimantes eam præparationem ad consequendum fructum sacramenti sufficere (maximè quod ad legem diuinam attinet) qua quis cum pia deuotione & corde contrito ad hoc sacramentum accedat. Neque enim par est ratio huius sacramenti & eucharistiæ, cùm eucharistia sit panis filiorum, ideoque maior quædam & singularis sui ipsius probatio & præparatio ad eam requiratur, scilicet illa quam exponit Synodus Tridentina, quæ vtique non exigitur ad alia sacramenta.

D Dices prærequiri adoptionem iuxta illud; *Qui promissum spiritumsanctum in filios adoptionis effudit.* Respondeo ibi non dicitur hoc esse necessarium, sed tantùm quid in die pentecostes factum sit. Deinde fatendum requiri adoptionem in desiderio & voto; nam in re non requiri apparet ex exemplo Cornelij & sociorum eius.

Cæterùm constitutio de ieiunio non ita obligat, quin ab eo excusentur in primis infirmi & morte periclitantes, quemadmodum ex Meldensi concilio ostendit S. Thomas. Deinde propter multitudinem fidelium & imminentia pericula aliasue necessitates rectè interdû sustinetur, vt à nõ ieiunis E hoc sacramentum vel detur vel accipiatur, propterea quòd vnus episcopus in magna præsertim diœcesi non sufficeret ad omnes intra tempus vel horam ieiunij confirmandos, & sæpe contingeret, vt ad locum vbi sunt qui confirmentur, serò veniat, citò abiturus.

§. 25. *Patrinum ei qui confirmatur adhibendum esse.*

S. Thom. dist. 9. 72. art. 10.

F HAbet hoc ecclesiæ perpetua consuetudo, vt sicut ij qui baptizantur, ita & ij qui confirmantur, sui adhibeantur patrini seu susceptores. Vnde apud Gratianum de consecrat. distinct. 4. cap. si qui, vbi de confirmandis paruulis, vel hebetibus agitur, præcipitur vt respondeant pro illis qui eos offerunt, idque secundùm morem baptismi. Idem quoque patet ex Innocentij decreto quod est 30. quæst. 4. cap. si quis ex coniugio. Rursum de consecratione dist. 4. cap. non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quàm vnus

siue vir siue mulier. In confirmatione quoque idipsum fiat. Et iam olim ab Higinio papa qui fuit circa annum 140. (vti habetur de consecrat. dist. 4. cap. catechismum, & in decreto Iuonis lib. 1.) constitutum est, vt quemadmodum in catechismo sic & in confirmatione singuli singulos habeant patrinos iuxta morem ecclesiæ Romanæ, nisi necessitas cogat, vt vnus plures suscipiat. Sed & hodierna consuetudo non habet, vt plures quàm vnus ad suscipiendum confirmatum accedant, idque vi detur præsupponere concilium Tridentinum sess. 24. cap. 2. reformationis matrimonij, vbi nominatur tanens tantùm singulari numero.

Quamuis autem qui confirmatur velut iam adultam ingrediens ætatem robur accipiat spiritus sancti, ideoque ad vitam christianam instructior esse debet eo qui baptizatur, quem scriptura comparat infanti modò genito, non tamen præter rationem est ei quoque susceptorem dari. Nam quemadmodum in militia nouus tyro etiam in militum numerum assumptus atque ascriptus, debet à veterano instrui, ita & recens confirmatus à susceptore. Vnde & susceptorem omnino oportet talem eligi, qui iam antè aliquamdiu confirmatus fuerit. Cæteras verò conditiones in patrinis requisitas satis exposuimus cùm de baptismo ageremus.

IN DISTINCTIONEM OCTAVAM.

§. 1. *Sacramentum Eucharistiæ quotum inter sacramenta, quæ eius nomina & nominum rationes.*

S. Tho. 3. p. q. 73. art. 4.

POST baptismum & confirmationem proximum est, vt de augusto ac venerabili eucharistiæ sacramento disseramus, quod propter ram contentam, id est, corpus & sanguinem Domini inter omnia sacramenta dignitate atque excellentia primum est. Tertio autem loco numerari atque à scriptoribus tractari propterea solet, quod olim fideles post baptismum & consignationem statim nullo alio intermedio sacramento, ad participationem huius diuini mysterij soleant admitti vt patet ex Dionysio ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 2. par. 3. Tertulliano lib de baptismo, & lib. de resurrect. Ambrosio lib. 3. de sacramentis cap. 2 & de initiandis cap. 6. & alijs authoribus ac locis à nobis indicatis, cùm de sacramenti confirmationis ordine, quem habet ad cætera sacramenta, ageremus.

Variæ autem sunt huius sacramenti nomenclaturæ, quibus diuersi eius vel effectus, vel proprietates, aliæue circumstantiæ designantur. Primùm vsitatissimè vocatur eucharistia, sic dicta vel à bona gratia, quòd Christum omnium gratiarum fontem in eo recipiamus, quomodo Magister, S. Thomas & alij scholastici hoc nomen interpretantur; vel potiùs à gratiarum actione. Descendit enim à verbo εὐχαριστεῖν, quod iam in sacris quàm profanis literis gratias agere significat, & apud tres euangelistas simul & Paulum institutionem huius sacramenti describentes legitur, cùm dicunt Christum accepto pane & calice gratias egisse, id quod etiam verba canonis missæ continent. Vnde & in ipsa sacrificij præparatione (qua parte incipit missa fidelium) astantes hortatur sacerdos dicens: *Gratias agamus Domino Deo nostro.* Vocatur ergo hoc sacramentum gratiarum actionis, eò quod per eius oblationem & sumptionem Deo gratias agamus pro vniuersis eius erga nos beneficijs, præcipuè verò pro beneficio passionis & mortis eius qua nos ab æterna morte redemit. Vnde dicitur: *Hoc facite in meam commemorationem.* Item, *quotiescunque &c. mortem Domini annunciabitis.* Deinde & pro ipso hoc sacramento eiusque fructu. Eiusdem originis vocabulum est εὐχαριστήριον (quod in can. 13. Niceno legitur) quasi dicas symbolum gratiarum actionis.

Vocatur item synaxis (quæ vox cœtum, conuentum vel coniunctionem significat) vel quòd christianis in vnum conuenientibus celebrari hoc sacramentum & sumi soleat; vel quia pacis & vnionis sacramentum est; quo nimirum fit vt fideles tanquam vnius corporis membra sibi inuicem & Christo capiti arctiùs conglutinentur. Vtramque ob caussam etiam communionis nomen accepit, adeo vt qui ab eius perceptione ob crimen prohiberentur, excommunicati dicti fuerint. Hoc autem nomen in Græco legitur apud apostolum 1. Corinth. 10. vbi noster interpres modò communionem, modò participationem vertit.

Vocatur etiam panis & vinum tum à materia præcedente, tum à specie præsente, tum ab effectu, quoniam & corporaliter & spiritualiter alit ac reficit.

Viaticum quoque appellatur, quia vt ait Magister, in via nos reficiens ad patriam deducit, ac tunc præsertim quando ex hac vita est emigrandum. Semper enim in ecclesia fuit obseruatum, vt non absque hoc sacramento è vita discederent fideles.

Præterea sacrificium, oblatio, hostia passim vocatur, eò quòd non tantùm vt sumatur, verùm etiam vt offeratur, sit institutum.

Sunt & alia nomina, quibus hoc sacramentũ ad monstrandam eius dignitatem à veteribus fuit insignitum. Vnde factum vt quemadmodum apud Iudæos locus templi secretissimus & summè venerabilis dictus fuit sancta sanctorum, ita hoc sacramentum quod apud christianos inter omnia mysteria summam venerationem meretur, vocatum fuerit mysterium mysteriorum, perfectio perfectionum, atque etiam sancta sanctorum. De quibus & similibus videre est Dionysium ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 3 parte 1. & Damascenum lib. 4. cap. 14. Ad eandem pertinet huius sacramenti venerationem, quòd de eo quam secretissimè veteres locuti fuerint ac præcipuè Augustinus. Apud quem illa frequentissima huius sacramenti nota io est, quod norunt fideles, qui sic velut ænigmaticè loqui voluit, maximè in sermonibus ad promiscuam plebem, ne huius tanti sacramenti secretum infidelibus quoquo modo prodere videretur, imò nec ipsis catechumenis, vtpote quibus diuinorum mysteriorum celebrationi interesse minimè licebat.

Porrò notandum est nostri temporis sectarios hoc sacramentum vix alio nomine dignari, quàm cœnæ domini Pauli ad hoc abutentes testimonio, qui 1. Corint. 11. sic ipsum appellauerit. Hoc autem nomine propterea libentiùs vtuntur, quòd falsæ suæ doctrinæ, quam circa hoc sacramentum tradunt, existiment nomen illud maximè congruere. Si enim cœna tantùm est, vt illi ex eo nomine probare volunt, igitur nec sacrificium est, nec asser-

A nari debet, nec à ieiunis sumendum est, & alia huiusmodi, sed sola sumptione, eaque diei nouissimæ perficitur. Quare catholicis vel omnino ab hoc nomine abstinendum est, vel non nisi sobriè vtendum ne occasionem præbeat errori.

Quod verò ad apostoli locum attinet, multò probabilius est cœnam dominicam ibi non eucharistiæ sumptionem intelligi, sed conuiuium, quod christiani primis illis ecclesiæ temporibus solemni more celebrare solent in commune; cuiusmodi conuiuia, quod ad fouendam charitatem essent instituta, græco nomine ἀγαπαὶ vocabantur quasi charitates. Quorum apud vetustissimos authores Iustinum, Tertullianum, Clementem, Ignatium, frequens est mentio. B

§. 2. *Eucharistiam esse sacramentum nouæ legis à Christo institutum & de eius significatione.*

S. Tho. 3. p. q. 71. art. 1. QVemadmodum ad vitam corporalem præter generationem per quam homo viuere incipit, & augmentum quo ad statum & perfectionem perducitur, requiritur etiam alimentum quo nutriatur & conseruetur in vita; sic ad vitam spiritualem præter sacramentum baptismi & confirmationis; quorum illud spiritualis quædam generatio est, hoc autem spirituale augmentum, institui oportuit sacramentum, quo tanquam alimento spirituali in eâ vita homo conseruaretur, hoc autem est sacramentum eucharistiæ. Quod ita breuiter definiri potest, vt dicatur esse sacramentum corporis & sanguinis Christi ad spiritualem fidelium alimoniam ab ipso Christo institutum. C D

Extat autem huius sacramenti institutio in scripturis apertissimè, videlicet apud Matth. Marcum, Lucam in descriptione cœnæ Domini nouissimæ, & apud Paulum 1. Corinth. 11. Quibus locis non tantùm præcepit Dominus, quid postea fieri vellet, sed simul & celebrauit hoc sacramentum, & perpetuò celebrandum ecclesiæ mandauit. Cumque institutum sit in signis quibusdam externis & sensibilibus, per quæ inuisibilis gratia non tantùm significaretur, verùm etiam conferretur, vt in consequentibus pleniùs ostendetur; consequens est ipsum esse verum & propriè dictum nouæ legis sacramentum. Quod quin ita sit vsque adeo in ecclesia nunquam fuit dubitatum, vt nec hæretici huius temporis licèt alia pleraque in dubium vocantes, negare possint eucharistiam in numerum sacramentorum nouæ legis recipiendam esse, quemadmodum ad primam distinctionem, vbi de numero sacramentorum agebatur, ostendimus. Vnde nihil necesse est patrum testimonia, quæ pene sunt infinita, ad huius rei probationem adducere. E

Iam quod ad significationem huius sacramenti attinet, notandum est ex Hugone Victorino lib. 2 de sacramentis parte 8. cap. 7. (cuius authoris in hac distinctione doctrinam Magister sequitur) in hoc sacramento tria esse consideranda, vnum quod tantum est sacramentum, alterum quod simul & res est & sacramentum, & tertium quod est res & non sacramentum. Sacramentum tantùm est species visibilis panis & vini. Ea enim ita signum est alicuius rei, vt ipsa non vlterius significetur. Significat autem corpus Christi verum, quod sub ea continetur, & præterea corpus Christi mysticum F

A quod est ecclesia; illud quidem ratione nutrimenti seu refectionis, quia sicut panis præ cæteris cibis corporaliter hominem nutrit, & vinum corporaliter exhilarat, ita caro & sanguis Christi spiritualiter hominem nutriunt & recreant. Hoc verò ratione vnionis, quia sicut ex multis granis vnus panis conficitur, & sicut ex multis acinis vinum in vnum confluit; ita ex omnibus fidelibus tanquam varijs membris charitate compaginatis vnum mysticum Christi corpus, quod est ecclesia constituitur, vti declarat Augustinus tract. 26. in Ioan. & sermone ad infantes. Cuius verba recitat Magister § D.

B Porrò res simul & sacramentum est corpus & sanguis Domini, quia & significatur per species visibiles & significat corpus mysticum & gratiam inuisibilem. Res autem & non sacramentum est ipsum mysticum Christi corpus, quod hoc sacramento non continetur, sed significatur tantùm; & præterea gratia inuisibilis, quam sacramentum istud virtute continet & dignè suscipientibus confert. Ex quibus satis intelligitur, quæ & quotuplex sit huius sacramenti significatio.

§. 3. *Quid sit quod propriè vocatur sacramentum Eucharistiæ.*

C SEd quæritur inter scholasticos quid sit illud quod propriè sacramentum eucharistiæ vocatur, siue pro qua re supponat sacramentum in hac materia; vtrùm pro actione aliqua vel motu, an pro speciebus ipsis visibilibus, an verò pro corpore & sanguine Domini. *Ad dist. q. 73. ar. 1.*

Quidam vel consecrationem, vel sumptionem eucharistiæ, vel vtrumque putant ipsum esse sacramentum. Pro consecratione est hæc ratio: Cætera sacramenta in ea actione consistunt, qua forma applicatur materiæ, vt baptismus, confirmatio &c. igitur & sacramentum eucharistiæ, Atqui ea actio est consecratio, quæ verba proferuntur super materiam, ergo in ea consistit eucharistiæ sacramentum. D

Pro sumptione ratio hæc est: Cætera sacramenta consistunt in ea actione qua gratia confertur, vt in lotione, vnctione, absolutione &c. huiusmodi autem actio in sacramento eucharistiæ est sumptio, ergo in ea consistit hoc sacramentum. E

Pro vtrâque simul iuncta faciunt eædem rationes coniunctæ. Nam cætera sacramenta consistunt in actione quâ forma applicatur materiæ, simulque gratia confertur, vt patet in singulis, ergo idem dicendum de sacramento eucharistiæ: atqui in eo sunt duæ actiones, quarum vna fit vt forma applicetur materiæ scilicet consecratio, altera fit vt qui sacramentum suscipit, gratiam percipiat, ipsa nimirum sumptio: ergo in illis duabus actionibus coniunctis huius sacramenti ratio videbitur consistere. Hanc opinionem tenent Gabriel in hunc locum & Caietanus super 3. par. quæst. 63. art. 5. Et ipse S. Thomas in 4. ad hanc distinctionem. F

Quo non obstante dicendum est, quamuis consecratio vel etiam sumptio eucharistiæ quadam ratione sacramentum vocari possit, quatenus est actio quædam mystica, propriè tamen in neutram earum competere sacramenti nomen, vt in proposito vsurpatur, cùm de septem ecclesiæ sacramentis agitur. Vnde & S. Thomas in summa ab ea sententia recessit. Ratio quia sacramentum est inuisibilis gratiæ visibile & efficax signum, quod neque in

conse-

consecrationem eucharistiæ, neque in sumptionem eius competit.

Pro cuius rei declaratione & obiectæ rationis dissolutione notandum est hoc loco discrimen sacramenti eucharistiæ à reliquis sacramentis, quod tradit S. Thomas par. 3 quæst. 73. art. 1. & indicat concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. Eo namque ab illis differt, quod cùm illa consistant in vsu materiæ, vel certè in actione aliqua externa, in ijs ipsa actio vel vsus materiæ sacramentum est & dicitur, vt ablutio, vnctio, absolutio &c. Per eas enim actiones gratia confertur. Hoc autem sacramentum non in vsu seu actione aliqua consistit, neque in fieri, vt loquuntur, sed in facto esse. Quare consecratio non est sacramentum gratiam conferens, sed est actio seu via ad illud quod gratiam continet & confert: quod proinde propriè sacramentum dicitur. id nimirum quod consecratione perficitur, quod quidem est res permanens. Neque igitur sumptio sacramentum est, nec gratiam efficit, sed tantùm est applicatio virtutis sacramẽtalis ad suscipientem, quemadmodum in naturalibus applicatio ignis non est propriè causa caloris, sed ignis qui applicatur. In alijs sacramentis in quibus post actionem nihil relinquitur quod gratiam contineat, ipsæmet actiones ita sunt institutæ, vt gratiam conferant, ideoque propriè sunt & dicuntur sacramenta. Sed

Obijcies chrisma & aqua fontis consecrata habent in se virtutem ex sua consecratione De chrismate probatur ex canone 2. concilij Tridentini sess. 7. de confirmatione. De aqua fontis, quia in eius consecratione dicitur: *Descendat in hanc aquam virtus spiritussancti*, ergo & horum consecratio est sacramentum, quia per consecrationem res accipit virtutem, vt postea possit applicari suscipienti. Respondeo, propriè non accipit virtutem, sed deputatur ad vsum benedictione sacerdotali; nec postea sufficit applicatio, sed opus est verbis ex diuina institutione efficacibus ad effectum producendum, quibus nullis est opus in sumptione eucharistiæ, quia eucharistia per se efficax est ad effectum tribuendum sumenti.

Ex his soluitur & istud argumentum: In cæteris sacramentis gratia confertur, dum forma super materiam pronunciatur, ergo & in isto. Dicendum enim in hoc sacramento pronunciatione verborum plus aliquid effici, quàm in cæteris. Nam per ea præsens exhibetur corpus & sanguis Domini, quæ vim gratiæ sumentibus conferendæ in se continent, vt quoties dignè sumuntur, toties gratia percipiatur.

Porrò sunt alij qui speciem visibilem panis & vini putent habere propriam rationem sacramenti. Quæ sententia videtur esse Magistri in §. D. vbi sacramenti definitionem speciei visibili accommodat his verbis: Forma ergo panis & vini quæ ibi videtur, est sacramentum, id est, signum rei sacræ, quia præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Idem sentire videtur S. Thomas in summa vbi suprà, quem plerique sequuntur. Probari autem putant hac ratione, quia sacramentum oportet esse signum externum & visibile. Si igitur eucharistiæ sacramentum non est actio aliqua externa, vt modò probatum est, sequitur vt sit ipsa species oculis conspicua, cùm in hoc sacramento non possit aliud quicquam designari externum & sensibile.

Nihilominus tamen aliorum sententia est, eaque valde probabilis, corpus & sanguinem Christi in hoc mysterio veram & propriam habere sacramenti rationem, non quidem absolutè considerata, sed quatenus sub visibilibus panis & vini speciebus existunt, ita vt verè Christus in hoc sacramento visibilis esse dicatur, nimirum sub specie aliena: sicut & dicitur corpus eius frangi, comedi & dentibus atteri & sanguis eius fundi & bibi; hoc enim totum verè dicitur ratione specierum, quibus corpus & sanguis Christi, ideoque Christus ipse ineffabili quodam modo coniunctus est.

Probatur autem hæc sententia primùm ex communi vsu loquendi fidelium, qui hoc sacramentum vocant non species panis & vini, sed ipsum Christi corpus & sanguinem.

Deinde, quia sacramentum hoc à fidelibus adoratur, atque adorandum esse docent patres concilij Tridentini sess. 13. cap. 5 & can. 6. Hoc autem non de speciebus, sed de ipso corpore & sanguine Christi indubiè intelligitur.

Tertiò, quia apud Gratianum de consecrat. dist. 2. cap. Hoc est. dicitur hoc sacramentum duobus constare, videlicet visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri carne & sanguine: quia nimirum Christi caro & sanguis per se nobis inuisibilis, per species illas externas visibilis nobis efficitur atque exhibetur.

Quartò, idem clarius probatur ex cap. Multi. 1. quæst. 1. quod sumptum est ex Gregorio, vbi disertè corpus & sanguis Christi sacramentum vocatur, sicut baptisma & chrisma, id est, vnctio. Et similiter Augustinus loquitur in epist. 23 ad Bonifacium.

Quintò, quia sacramentum eucharistiæ fit atque esse incipit in altari per consecrationem, hoc autem de speciebus panis & vini verè non dicitur (sunt enim illæ & ante consecrationem) sed de ipso Christi corpore & sanguine.

Sextò, quia in iuramento fidei dicitur: Fateor sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi, ergo species ipsa non est sacramentum.

Postremò, quia sacramentum, id est, quod gratiam continet & confert, quod quidem in proposito non species sunt panis & vini, sed speciebus illis velatum corpus & sanguis Christi. Hanc porrò sententiam apertè tradit Thomas Waldensis tomo 2. de sacramentis cap. 21.

Neque diuersum probat, quòd hoc sacramentum vsitatissimè vocamus sacramentum corporis & sanguinis Domini quasi aliud sit sacramentum, aliud corpus & sanguis Domini. Hinc enim potiùs contrarium statuitur, sicut enim sacramentum baptismi non aliud est quàm ipse baptismus, & sacramentum confirmationis non aliud quàm confirmatio, & sic in alijs: ita sacramentum corporis & sanguinis Domini non aliud intelligitur, quàm ipsum Domini corpus & sanguis.

Neque illud obstat quod aliquando dicunt patres corpus Christi esse in hoc sacramento, quomodo aliquoties loquitur concilium Tridentinum sess. 13. Ita enim hoc dictum est quomodo dicitur Deus esse in Christo. Sicut enim in Christo homine Deus factus est visibilis, idemque Christus est Deus, ita in eucharistiæ sacramento Christus redditur nobis visibilis, idemque sacramentum reuera Christus est.

§. 4. En-

§. 4. *Eucharistiæ sacramentum vnum esse non plura.*

S. Thom. dicta q. 73. art. 2.

EVcharistia in sacramentorum numero vnum sacramentum constituit non plura. Quod manifestè ostenditur ex ijs patrum testimonijs, in quibus hoc sacramentum alijs ennumerant. Recensent enim illud inter alia non vt duo sacramenta, sed vt vnum, quemadmodū videre est in suprà dicto cap. Multi. & alibi apud Augustinum lib. 19. cōtra Faustum cap. 14 & lib. 5. contra Donatistas cap. 20. & de doctrina christiana lib. 3. cap 9. Itemque in psal. 103. conc. 1. & apud alios. Vnde & in officio ecclesiastico singulari numero sacramentum sæpe vocatur, & à Gelasio papa apud Gratianum de consecrat. dist. 2. cap. Comperimus apertè vocatur vnum mysterium seu sacramentum.

Præterea idem ex eo probatur, quia Eucharistia sacramentum est ecclesiasticæ vnitatis iuxta illud apost. 1. Corinth. 10. *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus.* Cùm ergo sacramentum eius rei cuius est sacramentum, gerat similitudinem, consequitur vt sacramentum ipsum vnum sit.

Notendum est autem hoc sacramentum vnum esse, non vt indiuisibile, vel vt continuum, sed vt totum quoddam perfectum constans ex partibus ad totius integritatem concurrentibus & ad eiusdem finem atque perfectionem requisitis, quemadmodum id rectè S. Thomas declarat 3. quæst. 73. art. 2. Ordinatur enim hoc sacramentum ad spiritalem refectionem corporali respondentem. Vnde sicut ad refectionem corporalem vnam duo requiruntur cibus & potus, ita similiter ad spiritalis refectionis integritatem duo concurrunt, nimirum spiritalis cibus, & spiritalis potus, quorum etsi effectus fortè non sit diuersus, sicut in refectione corporali (quo de re suo loco dicemus) species tamen externa secundùm quam cibi ac potus rationem habent, est diuersa. Quocirca materialiter quidem ratione partium plurali numero sacramenta vocari potest hoc eucharistiæ sacramentum, quomodo & sæpenumero in officio ecclesiastico vocatur, partibus enim constat, quarum vtraque seorsim sumpta verè sacramentum est, formaliter verò seu perfectiuè, vt loquuntur, totum ipsum vnum est sacramentum. Simile autem est iudicium de sacramento extremæ vnctionis, quod & ipsum partibus suis integrantibus ac discontinuis constat.

§. 5. *Quæ sit materia sacramenti corporis Christi.*

S. Tho 3. p. q. 74. art. 1.

MAteria huius sacramenti non ea intelligitur, quæ in ipso permaneat, vel ea qua constet, sed ea qua tanquam materia transeunte fiet hoc sacramentum, corpus videlicet & sanguis Christi. Hanc igitur materiam, id est, elementum ex quo consecratur corpus Domini, panem esse ex euangelica historia & perpetuo vsu ecclesiæ certum est & indubitatum. Rationes autem tam panis quàm vini in hoc sacramento pro materia instituti conuenientissimæ fuerunt.

Prima ex parte effectus præsentis. Sicut enim pane & vino tanquam elimento omnibus notissimo nutritur & reficitur corpus, ita corpore & sanA guine Domini in hoc sacramento nutritur & reficitur anima, idque norunt omnes fideles, dicente Domino: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

Secunda ex parte rei commemoratæ. Nam per hæc symbola conuenienter recolitur, & ob oculos ponitur passio & mors Christi, in qua sanguis à corpore per effusionem separatus fuit, sicut hîc species panis, & species vini separatim exhibentur. Atque illius separationis significatæ insinuatio fit per verba consecrationis calicis, tum apud tres euangelistas & Paulum, tum in canone missæ.

B Tertia ex parte corporis mystici. Sicut enim panis ex multis granis conficitur & vinum ex multis acinis colligitur, ita per hoc sacramentum fideles in vnum ecclesiæ corpus arctiori charitatis vinculo colligantur, quemadmodum ex Augustino tradit Beda in illud 1. Corinth. 10. *Multi vnum corpus sumus &c.*

Quarta ex parte effectus futuri. Quia sicut pane & vino perducuntur homines ad saturitatem & ebrietatem ac profusam lætitiam; ita frequentatione huius mysterij eodem eò perducuntur fideles, vbi diuinitatis contemplatione perfectè satientur, atque inebrientur ab vbertate domus Dei.

C Iam si quæreret aliquis, cur potiùs terræ fructus quàm animalium carnes & sanguinem elegerit Dominus pro symbolis huius sacramenti, cùm in his expressior fieri potuerit repræsentatio passionis & mortis Christi. Multò enim expressiùs caro carnē, & sanguis sanguinem, & effusio effusionē & occisio occisionem & mors mortem repræsentat, quàm panis & vini symbola separatim oblata, vel exhibita quicquam eorum possit repræsentare. Respondet S. Thomas 3. quæst. 74. art. 1. quòd licèt carnes animalium occisorum expressiùs Christi passio- D nem repræsentent, minùs tamen competunt ad vsum communem huius sacramenti, & ad vnitatem ecclesiæ significandam. Alia quoque ratio reddi potest, quia non videretur lex vetus abolita, si adhuc nouæ legis tempore carnes animalium in sacrificium mactarentur. Rursum quia conueniens erat, vt sicut tempore veteris legis offerebātur caro & sanguis animaliū sine carne & sanguine Christi, ita vicissim nunc offerantur caro & sanguis Christi sine carne & sanguine animaliū, & quidē sub symbolis earum rerum quæ esui & potui sunt aptissimæ E & partibus constant homogeneis, ac proinde totæ sumuntur nulla parte reiecta, quibusque puritas huius sanctissimæ hostiæ multò perfectiùs repræsentatur, cùm è diuerso pecorum immolatio multum habeat impuritatis. Denique & hæc addi potest ratio; quia homo in statu innocentiæ fructibus terræ vescebatur. Vnde ad illius status dignitatem reuocari, imò & supra eam sublimari debuit per corpus & sanguinem Domini sub speciebus fructuum terræ sumpta.

Porrò contra quosdam qui olim aliud quiddam præter panem & vinum tentauerunt offerre F in Christiano hoc sacrificio, cuiusmodi fuere Artotyritæ, Cataphryges, Pepiziani, Aquarij, Manichæi, extant decreta pontificum & conciliorum, quibus cauetur, ne quid aliud quàm quod Christus instituit, pro huius sacramenti materia assumatur, cùm alioqui consecratio nulla fit. Ita statuunt Alexander 1. in epistola ad omnes orthodoxos, Concilium Carthaginense 3. can. 24. concilium Triburiense can. 19. concilium Florentinum in vnione Græcorum & Armeniorum. Item apud Gratianum de consecrat. dist. 2. cap. Non oportet & cap.

In secra-

in ſacramanto. Et eatra de ſumma Trinitate cap. Firmiter & de celebratione miſſarum cap. Cum Marthæ.

§. 6. *Quis panis & quantus & qualis huius ſacramenti materia eſſe poßit.*

S. Thom. d. 1. q. 74. art. 2. & 3.

NVnc breuiter dicendum, cuius ſubſtantiæ, quantitatis & qualitatis panem eſſe oporteat, ex quo conſecratur corpus Chriſti. Quorum quidem lattor explicatio à ſummiſtis petenda eſt.

Quod igitur ad ſubſtantiam attinet, dicimus propriam huius ſacramenti materiam eſſe panem triticeum, ita vt ea omni & ſolo tritico panis fieri poſſit, qui ſit idonea huius ſacramenti materia. Ratio aſt, primũ quia non dubitatur quin Chriſtus triticeum panem in huius ſacramenti materiam aſſumpſerit, qui & ſeipſum grano frumenti comparaſſe legitur in euangelio. Deinde quia vt S. Thomas ait art. 3. vbi ſuprà, in vſum ſacramentorum aſſumitur talis materia, quæ communiter apud homines in talem vſum venit; communiter autem vtuntur homines pane triticeo. Nam alij panes introducti eſſa videntur in huius panis defactum, vt patet de ijs qui confici ſolant premente annonæ inopia. Adde quòd triticeus panis magis quàm cæteri confortat hominem, ideoque conuenientiùs effectum huius ſacramenti ſignificat. His accedit perpetua eccleſiæ conſuetudo, ac demum eiuſdem in decreto Florentino expraſſa definitio. Patet igitur & ſatis conuenit inter Doctores (licet Caietanus nonnihil diſſentiat) panem confectum ex hordeo, auena, milio, panico, piſis, fabis & ſimilibus, quæ vel ſpecie vel genere à tritico diſſident, non eſſe materiam huius ſacramenti.

Sed quæſtio de tribus potiſſimùm frumenti generibus agitatur, ſiligine, farre quod propriè adoreum dicitur, & Zea quæ vulgo ſpelta vocatur, vtrùm ex his poſſit fieri panis qui ſit huius ſacramenti materia. Ad quam probabilis eſt reſponſio affirmatiua. Et de ſiligine quidem ſecundùm eam ſignificationem, quam habet apud Plinium & alios authores latinos, nulla aſt dubitatio. Significat enim illis candidiſſimum & ſelectiſſimum tritici genus, dictum videlicet à ſeligendo, vt teſtatur Iſidorus lib. 17. etymologiarum cap. 3. Sed neque dubitandum videtur de ſiligine, vt nunc vulgo accipitur, quam tritico deteriorem eſſe conſtat. Nam vt S. Tho. ratiocinatur 3. p. quæſt. 74. art. 3. generans generat ſibi ſimile in ſpecie, licèt fiat aliqua diſſimilitudo generantis ad genitum quantũ ad accidentia, vel propter materiam vel propter debilitatem virtutis generatiuæ. Vnde ſi qua fromenta ex ſemine tritici generari poſſunt, ſicut ex grano ſeminato in malis terris naſcitur ſiligo, ex tali frumento panis confectus poteſt eſſa materia huius ſacramenti. Sic ille. Quòd autem inter ſiliginem & triticum motua ſit commutatio generationis etiam Plinius & Columella teſtantur dicentes alterum in alterum tranſire poſſe ſecunda vel tertia ſatione. Veruntamen hoc argumentum vt probabile eſt, ita non eſt prorſus irrefragabile. Nam ſi Plinio credimus, poteſt triticum tandem etiam in auenam degenerare, ex qua tamen panis, qui ſit huius ſacramenti materia, confici non poteſt. Quare vt firmum ſit argumentum, intelligi debet de ijs quæ ſecundùm figuram, vires & proprietates non tantam habent

A diſtantiam, vt vel ſpecies vel proximum commune genus mutari videatur.

Eadem porrò ratio eſſe videtur de farre & ſpelta, quamuis maior de his inter Doctores ſit altercatio, multique diuerſum ſentiant, de quibus Dominicum à Soto videre licet diſt. 19. in 4. Ratio, inquam, eadem videtur, tum quia accidentibus hæc parum differunt à tritico, tum quia, vti Paludanus teſtatur, compertum eſt inter hæc & triticum fieri mutuum tranſitum generationis.

Si obijcias ex his non confici panem triticeum cùm ſint ſpecies frumenti à tritico diuerſæ. B Reſpondendum tria ſuprà dicta reuera ad tritici naturam, ſpeciem & definitionem pertinere, licèt vulgus ea tritici appellatione non comprehendat. Nec intereſt ad præſentem diſputationem, vtrùm triticum ſit ſpecies infima an ſubalterna. Si enim infima eſt, ad eam pertinebunt iam dicta frumenti genera, vt ſolis accidentibus diſtincta, ſin autem ſubalterna, erit triticum genus illarum ſpecierum.

Sed quid ſi tritico permiſceantur grana alterius frumenti, vt hordei vel auenæ, aut etiam legumina, vtrumne panis ex horum commixtione C confectus eſſe poterit huius ſacramenti materia? Reſpondetur cum S. Thoma modicam permixtionem non ſoluere ſpeciem. Quod enim modicum eſt, quodammodo abſumitur ab eo quod copioſum eſt. Quare ſi modicum alterius generis fuerit admixtum, poterit exinde panis fieri huic ſacramento idoneus, ſin multum non poterit, vtpote ſpecie propter copiam alieni generis admixti demutata.

Notandum denique ſecundùm eiuſdem doctoris receptam & tutiorem ſententiam (licèt in D dubium id reuocet Caietanus) requiri ad confectionem panis qui ſit huius ſacramenti materia, vt farinæ fuerit admixta aqua naturalis, non autem alia quæcunque, vt roſacea vel ſimilis. Alioqui enim veriſimiliter fiet diuerſa ſpecies propter materiæ ex qua, diuerſitatem.

Iam quod ad quantitatem attinet, primum diſtinguendum eſt inter id quod licet, & id quod ratum eſt, factumque tenet, tametſi illicitè fiat. Poſſet enim quis maiorem panis quantitatem conſecrare quàm opus ſit ad probabilẽ vſum fidelium ſecundũ cõſuetudinem eccleſiæ. Quæ conſecratio rara quidem erit, licèt factum ſit illicitum. E Secundò ſtatuendum eſt quantitatem materiæ huius ſacramenti non ita eſſe determinatam, vt certa quantitas deſignari poſſit ſupra vel infra quam conſecratio fieri nequeat; imò nullam quantumuis exiguam eius quãtitatem ſalua eſſentiali forma obſtare conſecrationi. Tertiò requiritur, vt materia ſit præſens conſecranti: præſens, inquam, more humano; quo videlicet id præſens dicitur, quod velut in vſum humanum aſſumendum demonſtrari poſſit dicendo hic eſt. Cùm enim ſacramentum hoc hominibus ad ipſorum vſum collatum ſit, humano F quoque more facienda eſt demonſtratio. Huiuſmodi autem præſentiam materiæ requiri patet ex forma ſacramenti tam corporis quàm calicis, in qua pronomen eſt rei præſentis demonſtratiuum. Ex his quartò ſtatuitur tantam de facto conſecrari poſſe materiam, quanta humano iudicio cenſetur præſens conſecranti. Et quia hoc exactè ſemper determinari non poteſt, ſequitur conſecrationem ex parte quantitatis materiæ non ſemper eſſe certam, ſed interdum dubiam; dum videlicet certò æſtimari non poteſt, vtrùm præſens ſit conſecranti materia an non. Cum enim præſentia ex ſano ho-

minum iudicio æstimanda sit, posset casus incidere dubius, vtrùm præsens, an absens consecranti materia censeri deberet, quo quidem casu attentate consecrationem grande esset sacrilegium. Sed hac de re apud nonnullos scholasticos & plura & subtiliora & præsenti instituto non necessaria.

Superest qualitas, de qua breuiter notandum omni diligentia cauendum esse, ne panis qui consecrandus assumitur, vel corruptus sit vel corrumpi & viciari incipiat, sed vt boni panis qualitates ac proprietates in se habeat, id quod ex colore, odore, alijsque accidentibus dignosci potest. Si enim corruptus iam sit vsque ad speciei solutionem, non potest ea eo fieri consecratio; sin autem ad corruptionem tendat, rata quidem erit consecratio; sed non fieret absque graui peccato irreuerentiæ tanti sacramenti, nisi fortè necessitas excuset & metus scandali.

§. 7. *Vtrùm ex azymo, an fermentato confici debeat hoc sacramentum*

S. Tho. 3. q. 74. art. 4.

IN ecclesiæ doctrina certum & indubitatum est tam in azymo pane quàm fermentato celebrari posse sacramentum corporis Domini. Cùm enim ad materiam huius sacramenti non aliud requiratur quàm vt sit panis triticeus, vt suprà monstratum est, nec vllo modo dubitari debeat, quin reuera triticeus sit panis, siue fermentatus sit, siue non fermentatus, perspicuum est ex vtroque eucharistiam consecrari posse. De quo in ecclesia Christi catholica nunquam fuit dubitatum, quamuis in ea quædam consuetudinis esset diuersitas. Nam Latini in azymo, Græci in fermentato consecrare soliti sunt, vtrique suæ ecclesiæ seruantes consuetudinem ac diuersam minimè damnantes. Qua de re prolixè & grauiter scribit Leo 9. pontifex in epist. aduersus præsumptiones Michaelis Constantinopolitani patriarchæ. Cùm autem ea de re contentiones Græcorum aduersus Latinos obortæ ex schismatis occasione magis magisque glíscerent, tandem in Florentino concilio vtrisque consentientibus clarè definitum est vtroque modo factam consecrationem validã esse, & vtroque rectè & rationabiliter fieri; sed ita vt quisque seruare teneatur suæ ecclesiæ consuetudinem, quemadmodum videre licet in literis vnionis Græcorum cum Latinis eiusdem concilij decreto confectis & probatis.

Sunt autem Latinæ consuetudinis hæ rationes. Prima quia in hoc Latini Christum imitantur, qui vt ex euangelio clarum est, sacramentum corporis & sanguinis sui instituit & celebrauit post cœnam agni paschalis, quæ secundùm legem azymis panibus peragebatur.

Secunda quia in fermento peccati & corruptionis significatio est non solùm in veteri lege, quæ propter eam causam in suis oblationibus fermentum non admittebat; verùm etiam apud apostolum 1. Corint. 5. & alibi. Caro autem Christi fuit omnino expers peccati & mortua corruptionem non vidit.

Tertio, quia christiani huic sacramento communicantes debent iuxta apostolicam in eodem loco admonitionem epulari, *non in fermento veteri, neque in fermento malicia & nequicia, sed in azymis sinceritatis & veritatis.*

Porrò Græcanica consuetudo suas quoque rationes habet. Primùm enim ideirco panem fermentatum elegisse græci videntur, vt ipso facto declararent quantum detestarentur Iudaizantes qui docebant legem cum euangelio seruandam, dum nec in hoc externo ritu Iudæis similes esse voluerunt.

Deinde propter significationem, considerantes videlicet filium Dei assumpsisse carnem mortalem & miseram velut quoddam non maliciæ sed miseriæ fermentum. Vtriusque consuetudinis rationem paulò aliter reddit Gregorius in registro, quemadmodum citatur à S. Thoma 3. quæst. 74. art. 4. Romana, inquit, ecclesia offert azymos panes, propterea quòd Dominus sine vlla commistione suscepit carnem, sed cetræ ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo quòd verbum patris indutum est carne sicut fermentum miscetur farinæ. Apud eundem panis azymi mysticam significationem videre est hom. 22. in euangelia.

Hic si quæritur vtra consuetudo sit rationabilior, omnino fatendũ est in cõsuetudine Latinorum plus esse rationis & congruentiæ, tum propter institutionem & exemplum Christi, de quo mox plura; tum quia panis magis est sacramentum corporis Christi (quod sine corruptione conceptum est) quàm diuinitatis eius tanquam carni permixtæ; tum denique quia magis competit sinceritati fidelium, qui hoc sacramento vtuntur. Quæ quidem duæ significationes Latinorum consuetudini suffragantes magis quàm vna illa quæ pro Græcorum consuetudine producitur, sunt in scriptura fundatæ, vt ex dictis liquet.

§. 8. *Responsio ad argumenta Græcorum contra azymum.*

S. Thom. ubi sup. q. 46. art. 9.

QVæ inter Græcos & Latinos est consuetudinis diuersitas quoad azymum & fermentatum, non videtur initium sumpsisse ab apostolis, sed multò post. Nam quemadmodum tradunt Innocentius 3. lib. 4. de sacro altaris mysterio cap. e. & S. Thomas in 4. initio vniuersa ecclesia tam orientalis quàm occidentalis azymo vtebatur in sacris mysterijs, idque ex Christi & apostolorum institutione. Verùm postea exorta hæresi Ebionitarum & Nazaræorum, qui simul cum euangelio legalia seruanda docebant, in horum detestationem tota ecclesia remotis azymis fermentatos panes assumpsit ad mysteria. Vnde apud Græcos Chrysostomum, Origenem, aliosque vetustiores, huius diuersitatis aut discordiæ nullum apparet vestigium. Postmodum verò eã hæresi exstincta, redijt ecclesia Latina ad morem pristinum consecrandi azymos, Græcia interim receptam ex occasione consuetudinem retinentibus, quę prima extitit consuetudinis inter vtrosque diuersitas.

Porrò cùm Græci posteriores schisma facere cepissent ab ecclesia Romana, etiam hunc morem suum ita defendere ceperunt, vt Latinos diuersam consuetudinem sequentes damnarent tanquam præuaricatores institutionis diuinæ. Vnde contra eos argumenta conquirere ceperunt, quibus ostenderent Christum non in azymo, sed in fermentato eucharistiam instituisse. Eoque quorũdam tandem improbitas processit, vt dicerent azyme panem non esse, ideoque nos verè non consecrare. Sed hoc commentum quàm sit absurdum, nemo non videt, cùm scriptura azymos vbique panes appellet, vt Exodi 12. & 29. Num. 6. Iosue 5. Iudicum 6.

Lucæ 24. & alibi. Cui accadit omnium gentium consensus credentium & appellantium azyma panem, idque absque vllo sermonis tropo vel improprietate, quandoquidem nec quisquam fermentum in panis definitione putauit ponendum.

Verùm de Christi facto maior ab illis mouetur quæstio Christum enim in extrema cœna non azymis sed fermentato vsum fuisse planè contendunt ex eo quod non luna 14. ad vesperam sed 13. id est, pridè eius diei, quo incipiebat pascha Iudæorum, cœnam illam nouissimam fecerit cum discipulis. Ad quod probandum quatuor scripturæ testimonijs vtuntur.

Primum est quod apud tres primos euangelistas legitur in concilio Iudæorum decretum fuisse, ne in die festo Christus comprehenderetur & morte afficeretur, ne forè tumultus fieret in populo, qui frequentissimus ad solemnitatem paschalem confluebat.

Secundum ex illis verbis Ioan. 13. *Ante diem festum paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius &c.*

Tertium ex his eiusdem euangelistæ verbis cap. 18. *Ipsi autem non introierunt in prætorium vt non contaminarentur, sed vt comederent pascha.*

Quartum ex cap. eiusdem 19. vbi dicitur: *Erat autem parasceue paschæ.* Et rursum: *Iudæi autem quia parasceue erat &c.* Quo die etiam vt ex eodem cap. & alijs euangelistis liquet, Ioseph & Nicodemus ac piæ mulieres emebant & parabant aromata ad vngendum & sepeliendum corpus Christi, quod in die paschæ non licebat.

Ad hæc Græcorum argumenta non vna est omnium responsio. Et primum quidem ex tribus primis euangelistis manifestum est, Christum prima die azymorum quæ erat ipsa festiuitas paschalis, fecisse discipulis cœnam in qua instituit sacramentum corporis & sanguinis sui. Sic enim legitur apud Matth. 26. *Prima autem die azymorum accesserunt &c.* & apud Marcum 14. *Primo die azymorum quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli &c.* & apud Lucam 22. *Venit autem dies azymorum in qua necesse erat occidi pascha.* Ex quibus patet ipso die paschæ, cuius initium erat ad vesperam, Christum edisse agnum paschalem & Eucharistiæ sacramentum instituisse. Nec de eâ re videtur à patribus fuisse dubitatum.

Vt igitur ad Græcorum obiecta respondeatur, Latinorum quidam dicunt Christum quidem legitimum tempus edendi agni paschalis obseruasse, quod est 14. luna ad vesperam, Iudæos verò auiditate Christi occidendi suum pascha distulisse in diē proximum sed hoc de Iudæis parùm probabile est. Primum quia non tota multitudo Iudæorum, sed eorum principes occultè in mortem Christi conspirauerant, qui festum diem ad quem vndique immensa hominum multitudo confluebat, transferre propter priuatum scelus non fuissent ausi. Deinde quia etiā à pijs hominibus, de quibus suprà, videtur pascha non ante sequentis diei vesperam celebrari ceptum fuisse. Censent igitur alij Iudæos eodem prorsus tempore quo Christum, pascha celebrasse, & agnum paschalem iuxta legis præscriptum comedisse, idque ex tribus euangelistis satis conformiter loquentibus non tantum de paschate à Christo celebrato, sed generaliter nominantibus primum diem azymorum, quo videlicet Iudæi pascha immolabant, vt ait Marcus, & in quo necesse erat occidi pascha, vt ait Lucas, putant efficaciter probari.

A Hæc satis communis fuit sententia patrum. Quamuis enim Chrysostomus homil. 85. in Matth. dicat principes Iudæorum cupiditate interficiendi Christum præuaricatos fuisse legem, & alia die pascha comedisse, non tamen idem sentit de populo ipso Iudaico, sed contrarium potiùs significat. Expressius autem id tradit Augustinus in epist. 86. ad Casulanum presbyterum, & Hieronymus in Matt. 26. & apertissimè Beda in lib. de natura rerum cap. 63. Peculiariter verò contra Græcos hanc sententiam confirmant Innocentius 3. lib. 4. de sacro altaris mysterio cap. 2. & 4. Leo 9. in epist. B ad Michaelem Constantinopolitanum, Anselmus in lib. de fermentato & azymo, Gennadius Scholarius patriarcha Constantinopolitanus in defensione synodi Florentinæ cap. 2. & complures alij. Laborant autem hi in soluendis argumentis Græcorum, ijs potissimùm quæ ex Ioannis euangelio proferuntur. Nam ad id quod apud alios legitur euangelistas dixisse Iudæos de Christi morte consultantes, *Non in die festo*, non est difficilis responsio, eum qui passus est quia voluit, etiam quando voluit passum esse, non obstantibus Iudæorum consilijs, qui ad vitandum populi tumultum C maluissent post solemnitatem paschalem eum interfici.

Ad locum igitur Ioan. 13. respondent Christum cœnam fecisse ante diem festum paschæ, id est pridie diei solaris, qui pascha dicabatur, licèt dies paschæ naturalis iam cepisset initium ab ipsa nimirum vespera, in qua Christus cœnam fecit. Et hæc quidem responsio probabilitatem habet.

Cæterùm quod respondent ad locum alterum, qui est cap. 18. dicentes eo loco per pascha intelligi azyma, vt sit sensus, Pontifices prætorium D Pilati ingredi noluisse ne contaminerentur, id est legalem immundiciam contraherent, atque ita ab azymis manducandis prohiberentur, prorsus improbabiliter dicitur, tam quia nusquam in sacris literis pascha pro azymis accipitur, tum quia poterant azyma comedi etiam ab immundis, quod ex eo manifestum est, quoniam per totum tempus paschale quod durabat septem diebus continuis, comedere aliquid fermētatum Iudæis capitale erat, vt patet Exodi 12. cùm tamen immundiciæ legales leuissimis ex causis etiam sine culpa contraherentur, quædam etiam multis continuis diebus E durarent vt patet ex Leuitico.

Iam nec illud probabile est quod respondent ad locum cap. 19. feriam sextam dictam parasceuen paschæ, id est, parasceuen seu præparationem sabbathi, quæ incidebat in tempus paschale. Non enim videtur per parasceuen alicuius diei aliud rectè intelligi, quàm præparationem ad illum ipsum diem, cuius parasceue dicitur. Quare parasceue paschæ non aliud est quàm præparatio ad pascha.

F Cùm igitur nondum ex his appareat consensus verborum Ioannis cum cæteris euangelistis, illud restat vt dicatur Christum suum pascha celebrasse pridie quàm Iudæi, nec Christum tamen, quod Græci volunt, legitimum tempus anticipasse, nec Iudæos studio interficiendi Christū, vt quidam volunt, sed alia quadam ratione in diem proximè sequentem idem illud festum distulisse. Quæ autem illa fuerit ratio breuiter indicat Rupertus scribēs in Matth. 26. vbi dicit Iudæos ex traditione patrum nunquam duo festa in quibus ab opere seruili abstinendum erat, continuè celebrare solitos; quod

A difficile esset muttuorum corpura aut cocta olere vel carnes in tertium vſque diem incurrupta ſeruare uh regiunis illius calorem, ideuq; e feſtiuitatam paſchæ quurieſcunque incideret in feriam ſextam, quemadmodum euenit tempore paſſiunis Domini, tranſtuliſſe in proximum diem, videlices ſabbethum. Hanc rationem exactè & prolixè proſequitur Psulus Burgenſis ex Iudæo chriſtianus in ſuis ad Lirani cummentarium annuratiunibus, cummemurans & alias Iudaici populi traditiunes eodem pertiuentes.

B Puriò quuniam morem hunc Iudæi cuntra Dei legem ſuæ tantùm cummoditatis canſa introduxerant, vt alia mulia, noluit Chriſtus eius habere ratiunem, præſertim cùm ipſe eu die quu ad veſperam Iudæi ſuum agnum peſchalem manducaturi erant, immulandus eſſet in patibulo crucis verus aguus qui tullit peccatum mundi; qui ptoinde ſnum nouiſſimum legale paſcha meritò celebrandum cenſuit eo die quem lex diuins præſcripſerat, nimirum 14. luna, cùm Iudæi, vt diximns, eius celebratiunē differrent in lunem 15. Verùtemau fatendum eſt vtroſqua illud celebraſſe legitimo tempore; Chriſtū quidem ſecundùm legem Dei, Iudæus verò ſecuodùm legem ſeu traditionem meiorum. Neq; opurtebat etiā iuſtos quales fuere Nicodemus & Ioſeph G & mulieres quæ Chriſtum ſequebantur, à cōmuni ohſeruantia totius populi diſcrepare, quandoquidē culpa feſti in alteium diem tranſlati præfectis & maiuribus populi imputanda erat, nou ſubditis.

Hanc ſententiam velur ad conciliandus euangeliſtas & refutandus Græcos maximè expeditem ferè ſequuntur neoterici, licèt ei vehemeuter obſiſtat Dominicus à Soto, cuius tamen rationes nun tauti ſunt ponderis, vt ab ea videarur recedendum. Eandem indicaſſe videtur Auguſtinus tract. 120. in D Ioan. vbi paraſceuem, cuius Ioannes meminit, à Iudæis cœnam puram vocari ſcribit, id eſt, vt puto, cœnam axymorum.

Ad id verò, quod ex tribus prioribus euangeliſtis obijcitur eum diem ad cuius veſperam Chriſtus paſcha manduceuit cum diſcipulis vocari diem primum azymorum, quu immulaudum erat paſcha, reſpōdet Euthymius in Matth. ſcribens, illud: *Primo die azymorum*, tautundem eſſe ac ſi dictum eſſet, pridie azymorum. Sed magis conſeutaneum eſt, ſi dicatur euāgeliſtas ijs verbis partim reſpexiſſe ad factum & obſeruationem Chriſti & diſcipulorum E eius parū anxius de traditiune Iudaica; partim ſignificare voluiſſe quid ſecundùm Dei legem populum quoque ipſum facere oportuiſſet. Vnde notanter à Luca dictum eſt, *in qua necesse erat*, ſeu oportebat, *occidi paſcha*.

Poſtremò contra Græcos notandum, quòd etiamſi Chriſtus, vt illi volunt, iu celebratione paſchæ legitimum eius tempus, id eſt, 14. lunam propter cauſam aliquam præuenire voluiſſet, nondum tamen conſequens furet eum fermentato iu illa nouiſſima cœna vſum fuiſſe. Sicut enim ipſius agni F paſchalis immolariuuem & eſum, ita & totum eius ritum in lege præſcriptum, qui inter alia habet, vt cum azymis & lactucis agreſtibus comederut, credendum eſt eum obſeruare voluiſſe: Vnde Chryſoſtomus ait humil. 82. in Matth. Dominum factu ſuo demonſtraſſe, quòd à principio circumciſionis ſuæ vſque ad diem paſchæ extremum non erat contrarius diuinæ legi. Quud ita eſſe probet etiam Petri apoſtoli Chriſtu maximè familiaris exemplum, qui Act. 10. proteſtatur nunquam ſe commune & immundum comediſſe.

§. 9. *Ex qua materia conſecretur ſanguis Chriſti.*

ALterius partis huius ſacramenti materia eſt vinum de vite, vt loquitur decretum Florentinum, idque tum ex euangeliu, vbi negat Duminus amplius ſe bibiturum de genimine vitis, tum ex cuncilio Carthaginenſi 3. can. 24. vbi vinum B de vuis ad huc ſacramentum requiritur, tum ex perpetua eccleſiæ traditiune manifeſtum eſt. Extans hac de se cumplura capitula apud Gratianum de cunſecrat. diſt. 2. idemque habetur titulu de ſumma trinitate & fide catholice cap. Firmiter. Latè prubat hoc ipſum Cyprianus in epiſtula ad Cæcilium, quæ eſt tertia lib. 2. vbi contra Aquarius hæreticus diſputet, ſic dictos, quud aqua ſula prætextu ſobrietatis in myſterijs vterentur; quorum & Auguſtinus in lib. de hæreſ. meminit. Et Chryſoſtumus homil. 83. in Matth. ita ſcribens. De genimine vitis, inquit, quæ certè vinum non aquam producit, iu quo hæreſim eorum euellere G voluit, qui aqua in his myſterijs vtuntur. Sic ille. *S. Tho. 3. p. q. 74. art. 1. & 5.*

Ex his patet omne & ſolum vinum vitis eſſe materiam ex qua ſanguis Chriſti confectari poſſit. Neque refert vtrùm ſit in vino ſpecierum diuerſitas, an verò ſint omnia eiuſdem ſpeciei, ſicut & de tritico dicebamus. Sufficit enim & requiritur vera vini natura, ſiue ea generica ſit, ſiue ſpecifica. Quare quicunque liquores aliundè expreſſi, vel qualibet arte facti ſunt, huc nou pertinent; vt ſuccus pomorum, cereuiſia, & huiuſmodi; tametſi eò prurupit hæreticorum quurundam noſtri D temporis audacia, vt dicant vbi vini copia deeſt, alium putum vſitatum velut cereuiſiam aſſumi poſſe. Id enim legiſſe me memini apud quendam Calminianum. Quanquam hoc nou adeo mirum, vt quibus euchariſtia tantùm ſignum eſt dominici corporis & ſanguinis, etiam aliæ res præter panem, & vinum ad huiuſmodi ſignificatiunem pro placito poſſint adhiberi. Cæterùm nobis catholicis inſtitutiunem Chriſti firmiter retinentibus, hoc loco dubitationes occurrunt, primùm de aceto, deinde de omphacio, quæ vulgo agreſta vocatur, tertiò de muſto, quartò de vue, quintò de E vino mixto, poſtremò de vino congelato, vtrumne poſſit vnumquodque horum eſſe idonea materia huius ſacramenti, de quibus ordine breuiter reſpondemus.

De primu quidem, ſi vinum perfectè fuerit cunuerſum in acetum, nun eſſe huius ſacramenti materiam; quia murata eſt ſpecies, & vinum eſſe deſijt. Si verò vinum aceſcat quidem, ſed nun ita vt in aceti naturam iam ſit couuerſum, poteſt ex eo fieri cuuſecratio, licèt uon abſque peccato, niſi fortè neceſſitas excuſet. Atque hoc eſt quod dicit F Innocentius 3. lib. 4. de ſacro altaris myſterio cap. 31 vinum acidum quud appellatur acetum, poſſe eſſe materiam huius ſacramenti. Intelligit enim de eo, quod etſi propter acorem acetum vocari poſſit, nundum tamen perfectè in eius naturam tranſijt. Quare nun eſt illi gloſſæ auſcultandum, quæ legitur ad cap. Sicut in ſanctificando de conſecrat. diſt. 2. dicenti acetum dummodu ſit ex vino, eſſe materiam huius ſacramenti, niſi intelligatur eo modo quo Innocentium expoſuimus.

De secundo similis est responsio, sicot enim acetom est liquor in qoo species & natura vini per corruptionem iam desijt, ita omphacium succos est vuæ acerbæ, qui etsi fit in via generationis ad vinũ, nondum tamen eius speciem attigit. Vode ex eo consecratio fieri non potest, nisi fortè ea vnis matoresceotibus capressum fuerit. Tunc enim sicot species eius dubia foret, Ita & consecratio; qoæ proiode saltem non absque peccato fieret, eò quòd dubia materia in sacramentis, atqua in hoc potissimũm euchatistiæ sacrsmento nulla ratione vti liceat.

De tertio responsio est affirmatiua, quia mustum verè vinum est tam vulgi quàm Doctorum iudicio. Et probatur authoritate Iulij papæ, qoi apud Gratianum da consecratione dist. a. cap. Cùm omne. permittit vt botrus vuarom rempore necessitatis captimatur in calice, atque ex eo admiata aqua fiat consecratio; sed id catra necessitatem non est faciendum, eò quòd ob commiationem crassiorum particularum pariter exptessarom adhuc impurum fit mostum & feculenium, à qoibus sensim repurgari ac defecari debet.

De quarto negatiuè respondetor. Nsm vua non est vinum, neque potabile quiddam, sed comestibile potiùs, tametsi ex ea per capressionem statim vinum fieri possit; nec eo quidem obstante, quod fortè species liquotis qui caprimitor, ipsa capressione non mutetur.

Ad quintum adhibenda est distinctio, siue enim aqua vino fuerit admiata, siue quicunque alius liqoor, si tanta est ea admixtio, vt vini species pereat & in aliam sit murata, nulla fit consecratio; fiet autem si species oondum murata fuerit, coius rei coniectura sumenda est ea accidentibus.

Ad postremum similiter respondent distinguendo. Nam si recens est congelatio, vtpote in calice facta paulò aote consectationem, manet adhuc salua tam virtos quàm species vini, quod proinde consecrationi aptum esse volunt; sin ita dudum congelatum est vt vi frigoris virtus simul & species vini perierit, cartum est consecratiooi ineptum esse Sed prioti patti huius responsionis opponi potest, quod paulò antè de vua dicebatur; nam vinum congelatum etiamsi speciem vini retioeat, non est potabile quiddam. Cui obiectioni etsi possit aliquid probabiliter tesponderi, videlicet congelatum vinum non capressione vel separatione aliqua sed sola resolutione fieri potabile perinde vt aquam; omoino tamen tutius est ab eios consecratione tanquam dubia, donec resolutio facta sit, abstinere. Cætera huc pertioentia à summistis petaotur.

§. 10. *Quatenus aquæ admixtio sit necessaria.*

S. Thom. dist. 9. 74. art. 6. 7. & 8.

NEcessitste præcepti certum est aquam vino in calice offerendo misceri oportere, vti mooet synodus Tridentina sess. 22. cap. 7. & eiusdem sess canone vltimo. Qua de re sic statnit decretum Florentinum: Vino aote consecrarionem aquam modicissimam admisceri debere. Eatant autem in hac re decreta tam pontificum quàm conciliorum peruetusta, vt Alaaandti 1. epist. 1. & Iulij 1. apud Gratianom de consecrat. dist. a. & Cypriani lib. a. epist. 3. cuius bona pars etiam apud Gratiaoum legitur. Item concilij 3. Carthaginensis can. 24. & 3. Bracarensis cap. 1. & Triburiensis can. 19. Quorum doctrinæ insistit Bernardos epist. 69. & Innocentius 3. lib. 4. de sacro altaris mysterio cap. 32 & io decretalibus titulo de celebratione missarom cap. Cùm Marthæ & cap. In quadam. Neqoe verò ita proponitur ab illis hæc constitutio, quasi ioris tantùm sit humani, sed tanquam sit institutionis diuinæ, scilicet à Christo per apostolos ad nos transmissæ.

Rationes porrò tres aut qoatuor hoius præcepti adseruotur tum ab alijs, tum nominatim à Florentino & Tridentino concilijs. Quarum prima est, quia ioata testimonia sanctorom patrum ac præcipuè Cypriani in suprà dicta epist. creditur Christum ipsum in vino aqua permiato hoc instituisse sacramentum.

Secunda, quia conuenit hoc dominicæ passionis repræsentationi. Nam, vt ait Aleaander papa quintus à Petro, In sacramantorum oblatioonibus vioum aqua permiatum offerti debet, quia vtrumque, id est sanguis & aqua, ea latere Christi profluaisse legitur Ioan. 19. Quem locom tractans Augustinus tract. 120. in Ioan. Aqua, inquit, salutate temperat poculum.

Tertia, quia conuenit ad significandum hoius sacramenti effectum, qui est vnio populi christiani cum capite Christo. Aqua enim populum significat Apocalyp. 17. & Christus vitem veram se vocat Ioannis 15. Fit autem miatio in calice, quia Christo coniungimor virtute passionis eius.

Postremam hanc rationem addit S. Thomas, quia conuenit ad repræsentandom vltimom huius sacramenti effectum, qui est introitus in vitam æternam. Vnde ait Ambrosius lib. 5. de sacramentis cap. 1. Reduodat aqua in calicem & salit in vitam æternam.

Si verò quæritur de necessitata sacramenti, respondendom oegatiuè quod in primis ex Cyptiano colligitur, qui in epist. iam antè citata sic ait: Si aliquis de antecessoribos nostris vel ignoranter vel simpliciter non obseruauit, vt aquam vino misceret, potest simplicitati eius venia concedi. Quibus verbis venialem eam fuisse culpam significat. Qoalis profectò non fuisset si sacramentuoi omuino sine aquæ admiatiooe non constitetat.

Sed clatior est Bernardi seotentia in epist. 69. & Innocantij 3. lib. 4. de sacro altsris mysterio cap. 32. quos scholastici ferè omnes sequontur.

Probatur & ratione, quia tum ea consoetudine tom ea præcepto ecclesiæ iam modicum aquæ admiscetur, vt in vinum conuetti possit, ptiusquam fiat consecratio. Vnda nec offertur aqua seorsim, sicut seorsim offatuntur panis & vinum, sed offertur aqua vino miata, vel potiùs vinum aqua miatum. Nnnquam enim aa aqua sed ea vino tantùm fit consectatio. Quòd autem modicum aquæ fit admiscendum vioo præter decretum Florentinum suprà citatum traduot Honorius 3. eatra de celebratione missarum cap. Perniciosus & Inoocent. 3. ibid. cap. Cùm Marthæ. Idemque satis insinuat Iulius papa de consecrat. dist. a. cap. Cùm omne.

Quæ verò in contrarium adferuntur ea decretis pontificum vel conciliorum, omnia ad necessitatem præcepti, non sacramenti referenda sunt. Nec aliter accipienda illa Cypriani vatba in soprà dicta epist. Sic calix Domini non est aqua sola aut vinum solum, nisi vtrumque misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola aut aqua sola, nisi vtrumque adunatum fuerit & copulatum

& panis vnius compage solidatum. In vtroque enim præcepti necessitas significetur non sacramenti. Vrget enim Cyprianus Christi institutionem, quæ omnino seruenda est, & hoc modo tum Cypriani tum aliorum verba esse accipienda significat Magister dist. 11. sub finem, vbi de hac re disserit.

Quòd si ex Cypriani verbis sic à simili argumenteris: Ex sola farina non fit corpus Christi, ergo ex solo vino non fit sanguis Christi, negandum est esse simile. Nam farina priusquam possit esse materia corporis Christi, debet substantialiter mutari; vinum autem etiamsi aqua misceatur, mutationem substantialem non patitur, sed vinum manet & in ipsum aqua conuertitur, non ipsum in aquam, neque ambo in aliquid tertium. At non ita aqua in farinam, quandoquidem farinæ aqua sic commiscetur, vt ex ijs arte pistoria fiat quid tertium, nempe panis qui materia est corporis Christi, sicut vinum sanguinis.

§. 11. *Quibus verbis consecretur eucharistia.*

S. Tho. 3. p. q. 78. art. 1. 2. & 3.

FOrmam huius sacramenti, id est, verba quibus consecrentur panis & vinum in corpus & sanguinem Domini, apertè nobis tradit historia euangelica. Sunt enim illa, quibus Christus post panis viniq́ue benedictionem se suum corpus ac suum sanguinem discipulis præbere disertè ac perspicuè testatus est dicens: *Hoc est corpus meum*; *Hic est sanguis meus*. Eisdem enim verbis & Christus olim hoc sacramentum instituens, consecrauit corpus & sanguinem suum, & institori ab eo sacerdotes consecrant. Cùm enim consecratio fiat à sacerdotibus per imitationem eorum quæ tunc acta sunt à Christo, ipsaq́ue consecrationis verba in persona Christi proferantur, nulla ratione subsistit quorundam opinio, qui fatentur quidem sacerdotes Christi ministros per verba prædicta consecrare eucharistiam, ipsum verò Christum non per ea consecrasse, sed vel sine verbis solo imperio voluntatis, vel per verba aliqua secretò prolata & ab euangelistis omissa.

Certè patres de verbis consecrationis loquentes eadem verba indifferenter & Christo & alijs sacerdotibus tribuunt. Nam Chrysost. homil. 5. in Matth. ait: Dixit Christus; *Hoc est corpus meum*, & rem simul cum verbo perfecit. Et hom. quadam de proditione Iudæ: Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia. *Hoc est*, ait, *corpus meum*. Hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox quæ dicit: *Crescite & multiplicamini & replete terram*, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas ecclesiæ vsque ad hodiernum diem & vsque ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem, sic ille.

Cui plenè consentiunt Ambrosij verba lib. 4. de sacramentis cap. 4. Consecratio, inquit, quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris: vbi venitur vt conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo

A Christi hoc conficit sacramentum. Et alia quæ tum eodem tum proximo cap. sequuntur. Idem lib. de ijs qui mysterijs initiantur cap. 9. Quòd si, inquit, tantum valuit humana benedictio vt naturam mutaret, quid dicimus de ipsa consecratione, diuina vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur.

Tertullianus quoque lib. 4. contra Marcionem clarè testatur, quòd Christus panem corpus suum fecerit dicendo: *Hoc est corpus meum*. Eandem
B sententiam confirmat Alexander 1. in prima decretali epist. Augustin. epist. 59. Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14. Innocentius 3. extra de celebratione missarum cap. Cùm Marthæ. Et apertissimè Magister in hac 8. dist. quem posteriores omnes sequuntur.

Ad extremum autem in concilio Florentino Græcis consentientibus, definitum est illis Christi verbis confici hoc sacramentum, vt patet ex actis vltimæ sess. ac rursum comprobata in decreto Armenis dato, vbi sic legitur: Forma huius sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc sacramentum conficitur. Sacerdos enim in per-
C sona Christi loquens hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi &c. Deinde eandem hanc doctrinam etsi non expressit, satis tamen indicat, imò & præsupponit Tridentinum concilium sess. 13, cap. 1. & 3.

Denique probatur optima ratione: Nam Christus alia miracula fecit verbis significantibus effectum siue enunciatiuis siue imperatiuis, præsertim vbi legimus eum talia verba prolocutum, vt quando dixit: *Filius tuus viuit*: *Dimissa es ab infirmitate tua*: *Mundare*: *Respice*. Cùm ergo
D hic talia verba apertissimè pronunciauerit tradita nobis à tribus euangelistis & quarto Paulo apostolo, planè consequitur ijs verbis Christum ex pane corpus suum & ex vino sanguinem fecisse.

Porrò mirum videri non debet, quod nec euangelistæ inter se, vel cum apostolo Paulo, nec ijdem cum canone quo Romana ecclesia vtitur, vel etiam cum Græcorum liturgijs verbotenus per omnia consentiant in tradenda consecrationis forma. Nam præterquam quod euangelistis propositum non fuit tradere certas formulas, quibus
E in conficiendis mysterijs vti omnes deberent, satis quoque ijs erat tum ad veritatem euangelicæ narrationis, tum ad formam consecrationis designandam ea exprimere quæ sufficerent ad huius sacramenti seu consecrationis eius substantiam, qualia sunt verba quæ initio posuimus. Vnde nec putamus à quoquam eorum, sicut nec ab apostolo Paulo quicquam in his verbis omissum, quod ad consecrationem vel corporis vel sanguinis Domini sit necessarium. Et quidem ad corporis consecrationem non tantùm ea verba quæ ab omnibus posita sunt, scilicet: *Hoc est corpus meum*, sed &
F ista: *Hæc est caro mea*, sufficere posse videntur, cùm res eadem vtrisque verbis significetur, vti satis colligitur ex 6. cap. Ioan. non obstante eo, quod ibi probabiliter admodum significetur mãducatio spiritualis. Nam significatio carnis & sanguinis non propterea mutatur.

Quod autem ad verba consecrationis calicis attinet, quamuis nonnulli, inter quos S. Thomas 3. q. 78. ar. 3. existiment omnia ea quæ in canone missæ leguntur esse ad consecrandum calicem ne-

cessaria,

cessaria, multò tamen probabilius est Bonaueoturæ, Scoti, Caietani & aliorum sententia sacramenti necessitate sola hæc verba esse necessaria: *Hic est sanguis meus.* Quod probatur tripliciter. Primò à simili, quia ad consecrationem corporis Christi præter suprà dicta verba nihil amplius requiritur, etiamsi constet ex Luca & Paulo Christum præterea aliquid adiecisse, nempe *quod pro vobis datur* seu *tradetur.*

Secundò hac ratione: Formæ sacramentorum significant id quod efficiunt, Atqui effectus iste qui est conuersio vini in sanguinem Christi, sufficienter significatur his verbis in Christi persona prolatis, sicut illis conuersio panis in corpus Christi, sufficiunt ergo hæc verba ad efficiendum sacramentum. Neque verò necesse est effectum remissionis peccatorum per formam significari; nam effectus ille est ipsius sacramenti, non verborum quibus sacramentum conficitur, neque præcisè in ipsa consecratione confertur, sed vel in sumptione, vel durante sacrificio. Vnde & illius effectus nulla mentio est in verbis consecrationis panis.

Tertiò authoritate & exemplo. Ambrosius enim lib. 4. de sacramentis cap. 5. ex professo agens de verbis quibus consecratio perficitur, hæc tantùm consecrationis calicis verba posuit: *Hic est sanguis meus.* Neq; plus addit Magister in textu hoc ipsum tractans. Græci verò in suis liturgijs Basilij & Chrysostomi licèt addant quædam vt nos, non tamen omnia quæ in nostro canone adduntur, sed sola ea quæ sunt apud Matth. nisi quòd ex Luca adijciant illud: *Pro vobis.*

Ex quibus satis manifestum est illa verba, *noui & aeterni testamenti* & quæ sequuntur, non pertinere ad consecrationis necessitatem, sed continuo sermone sic addita esse à Christo, sicut addita sunt illa *quod pro vobis datur*, vt Lucas habet, vel *tradetur*, vt Paulus secundùm vulgatam versionem, vel *frangitur*, vt in Paulo Græci legunt, vel *pro multis confringetur*, vt legit Ambrosius, addita, inquam, explicationis & doctrinæ causa. Quare siue dicatur: *Hic est sanguis meus*, siue: *Hic est calix sanguinis mei*, vel: *Hoc est poculum sanguinis mei*, siue: *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo.* Siue etiam cætera quæ apud euangelistas & in canone missæ sunt, verba addantur, omnibus ijs modis ratam fieri putamus consecrationem, tametsi non absque damnabili præsumptione quis tentaret vel omittere, vel mutare verba in canone præscripta. De quibus ita scribit Innocentius 3. loco suprà citato: Credimus quòd formam verborum, sicut in canone reperitur, & à Christo apostoli, & ab apostolis eorum acceperint successores. Sic ille.

Hoc postremo loco adijcimus virtutem quam Florentinum decretum tribuit verbis consecrationis, probabiliùs cum Bonaueotura & Scoto & alijs plerisque scholasticis increatam & assistentem, quàm creatam & inhærentem intelligi. Quorum rationes partim cùm de sacramentis in genere agemus, expositæ sunt, partim atque vbertiùs apud ipsos legi possunt. De hac re vide etiam Caietanum super art. 4.

§. 12. *Solutio eorum quæ superiori doctrinæ obijciuntur.*

Argumenta quibus superior doctrina de forma consecrationis huius sacramenti oppugnatur, partim eiusmodi sunt per quæ doceri videatur Christum non ijs verbis quæ diximus, consecrasse corpus suum & sanguinem; partim eò proferuntur vt de sacerdotibus à Christo institutis hoc ipsum probetur. S. Thom. locis suprà citatis.

Prima obiectio est ex euangelio. Priùs enim legitur Dominus acceptum panem benedixisse & fregisse & discipulis dedisse dicendo: *Accipite & comedite*, quàm diceret: *Hoc est corpus meum.* Priùs item accepto calice gratias egisse, eumque discipulis dedisse dicendo: *Bibite ex eo omnes*, quàm diceret. *Hic est sanguis meus.* Qui ordo maximè apparet apud Matthæum. Marcus verò etiam multò magis id significasse videtur, quando de calice ita scribit: *Et accepto calice gratias agens dedit eis & biberunt ex illo omnes, Et ait illis: Hic est sanguis &c.* Vnde videri potest discipulos priùs bibisse de calice, quàm hæc postrema verba à Christo dicerentur. Quod si ita est, non his verbis sed vel alijs vel nullis solo voluntatis eius imperio facta est consecratio.

Secunda obiectio Græcorum quorundam est, qui contendunt sacerdotes non verbis illis euangelicis in Christi persona prolatis aut saltem non solis illis, sed præterea etiam precibus quibusdam subsequentibus conficere corpus & sanguinem Domini. Nam in missa Basilij & Chrysostomi, quibus Græci vtuntur, post recitata à sacerdote euangelica verba dicit diaconus: Benedic Domine sanctum panem, & Benedic Domine sanctum poculum. Deinde sacerdos respondet. Fac panem quidem hunc preciosum corpus Christi tui, id verò quod est in hoc poculo, preciosum sanguinem Christi tui, ea sancto tuo spiritu transmutante.

Tertia, Augustinus in psal. 10. & serm. 11. de verbis Domini cap. 11. dicit eucharistiam manibus Christi confectam esse. Quibus verbis hoc innui videtur Christum statim vt panem & calicem sumpsit in manus, ea transmutasse, ipso velut contactu suarum manuum.

Quarta, Hieronymus in epistola ad Euagrium de sacerdotibus loquens ait: Ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur. Et Hieronymi titulo tract. de septem gradibus ecclesiæ cap. vltimo, quòd visibilia per verbum & orationem sanctificata Christi corpus effecta sunt. Quin & Augustinus lib. 5. contra Donatistas cap. 20. precibus sacerdotum videtur ascribere consecrationem eucharistiæ. Dicit enim quòd Deus exaudit sacerdotem etiam homicidam deprecantem super eucharistiam.

Quinta, Odo episcopus Cameracensis qui vixit ante annos 460. scribens in canonem missæ dist. 3. putat Christum ea benedictione quæ præcessit hæc verba: *Hic est corpus meum*, transmutasse panem in corpus suum. Et similiter sentit de calice, licèt fateatur institutos ab eo sacerdotes non nisi illis verbis consecrare. Quam etiam sententiam non improbat Innocentius 3. lib. 4. de sacro altaris mysterio cap. 6. Eandem opinionem Iacobus de Vitriaco Romanæ ecclesiæ cardinalis Innocentio contemporaneus satis rationabilem esse putat

falsitatem, sed intendit vt aliâs sæpe, operari aliquid suo sermone, nimirum ex pane corpus suum efficere, idque operatoria enunciatione significare. Quare beatus Ambrosius lib. 4. de sacramentis cap. 4. sermonem hunc Christi operatorium esse affirmat, sicut operatorius fuit sermo, quo ab initio fecit omnia. Quocirca pronomen *hoc*, non est referendum ad panem, qui erat ante verborum prolationem, atque etiam ipsa prolatione durante, sed ad corpus Christi, quod per ea verba fit ex pane, vt sit sensus: Hoc quod ex hoc pane facere intendo & facio, est corpus meum.

Iam vt plenius intelligatur suprà dictum discrimen enunciationum, notandum est, quod vti S. Thomas grauiter & acutè scriptum reliquit 3. quæst. 78. art. 5. cùm hic Christi sermo habeat victutem factiuam conuersionis panis in corpus Christi, ideo comparatur ad alias locutiones quę habent solùm vim significatiuam & non factiuam, sicut comparatur conceptio intellectus practici, quæ est factiua rei, ad conceptionem intellectus nostri specolatiui, quæ à rebus accepta, tantùm ipsarum rerum est significatiua. Voces enim sunt signa conceptuum. Quocirca sicut conceptio intellectus practici non præsupponit rem conceptam, sed eam facit, ita veritas verborum Christi non præsupponit rem significatam, vt aliæ locutiones, sed eam efficit. Rectè quoque circa hunc locum annotauit Bonauentura, quòd sicut in verbo æterno Dei filio est veritas & omnipotentia, sic in verbo tẽporali & transitorio ab eius ore prolato est veritas & efficacia, quodque tale verbum competat sacramentis nouæ legis, in quibus fit id quod dicitur, aut quomodolibet significatur.

Potuisset quidem Dominus vti sermone imperatiuo ad operandam dictam conuersionem, dicendo: Fiat hoc corpus meum, sicut in exordio mundi dixisse legitur: *Fiat lux*, &, *fiat firmamentum* & sicut in euangelio dixit: *Volo, mundare*, *Surge & ambula*, *Lazare veni foras*. Sed maluit vti indicatiuo atque enunciatiuo sermone, tum quia aptiùs hic sermo cohærebat verbis præcedentibus; tum ideo vt à sumentibus non dubitaretur nulla temporis mora interposita, sed simul cum verbo prolato & completo ibi esse quod significatur. Non enim ita aptè diceretur: Accipite & comedite, fiat enim hoc corpus meum, sicut dicitur: *Accipite & comedite, Hoc est enim corpus meum*. Vbi etiam finito sermone dubitari posset, vtrùm iam factum sit, an adhuc futurum quod verbo mandatur vt fiat. Hîc autem dubitatio illa locum non habet. Quòd autem hic Christi sermo sit operatorius, nunc vt verum supponimus. Veritas autem eius partim ex antè dictis patet, vbi monstratum est authoritate Ambrosij, Chrysostomi & aliorum, his Christi verbis fieri consecrationem; partim patebit ex ijs quæ infrà de conuersione quæ fit in hoc sacramento, dicentur.

Porrò ex dicta declaratione planum est, quod de pronomine quærebatur. Non enim demonstrat panem, sed eam rem singularem, cui attributum verè competit oratione finita. Ea autem res est corpus Christi.

Neque ob id identica est hæc propositio: *Hoc est corpus meum*. Identicam enim vocamus propositionem non in qua attributum & subiectum pro eadem re singulari accipiuntur, ea nimirum pro qua verificatur ipsa propositio. Sic enim omnis affirmatio vera de præsenti foret identica, vt Christus est Deus, Paulus disputat. Sed in qua res eadem vocabulo eodem aut synonymo de seipsa e-

A nunciatur, vt homo est homo, gladius est ensis. Hæc igitur enunciatio: *Hoc est corpus meum*, etiamsi vera esse nequeat, nisi attributum & subiectum pro eadem re singulari accipiantur, non tamen identica dici debet. Non enim sensus est, corpus meum est corpus meum, sed enunciatio est cõmunis attributi de singulari subiecto, quemadmodũ ista, hic est liber meus. Nam licèt Christus vnicum corpus habuerit, attamẽ etiam si decem corpora habuisset, de quolibet eorum dicere potuisset: Hoc est corpus meum. Sensus igitur talis illi assignari debet, qualis alijs quibuscunque similis formæ propositionibus, nem-
B pe hanc rem esse talem, id est, huic rei singulari verè competere id quod attributo significatur. Eo tamen manente discrimine, quòd propositio operatoria veritatem non requirat, nisi in vltimo instanti prolationis, ad quod instans tota propositio referenda est. Quod non ita se habet in alijs quibuscunque propositionibus, licèt in quibusdam alijs locum habere possit.

Illud præterea ex dictis patet verbum, *est*, in hac propositione propriam & consuetam suam retinere significationem, qua nimirum significat substan-
C tialitatem, vt loquuntur, id est, alterum alteri simpliciter & verè competere. Qua in significatione semper à maioribus in hoc Christi sermone acceptum est.

Cæterùm subijcienda est hoc loco quorundam catholicorum opinio, qui putant quidem in his verbis: *Hoc est corpus meum*, pronomen, *hoc*, demonstrare panem, idque proprium esse volunt propositionibus operatorijs, vt subiectum significet terminum à quo fit transmutatio. Verùm ab ijs si quæritur, quomodo vera sit talis propositio, cùm sub-
D iecto prædicatum repugnet, conformiter respondent copulam in ea, sicut & in similibus aliquo modo ampliari, vt sensus sit: Hic panis, id est, quod nunc me loquente & demonstrante panis est, in termino prolationis est corpus meum. iuxta quos non tantùm verè dicitur hoc seu hæc res est corpus meum, sed etiam verè diceretur: Hic panis est corpus meum, & conuertens aquam in vinum verè diceret, hæc aqua est vinum id est, id quod demonstro, & nunc aqua est, in termino prolationis est vinum. Simile quippiam est in his propositionibus: *Cæci vident, claudi ambulant &c.* præsertim si per
E eas propositiones Dominus voluisset ea miracula facere. Similiter quoque quis donans alteri suam vestem, verè diceret, hæc mea vestis est tua. Hæc autem vtrùm ad præsentem Domini sermonem rectè accommodentur, & an talis verborum Domini expositio nullum inuoluat errorem aut absurditatem, cùm non maneat ibi subiectũ aliquod idem, de quo modò panis, modò corpus verificetur, aut quod saltẽ vtriusq; formam successiuè in se recipiat, expendant studiosi. Certè prior expositio, quam dedimus, vt ab omnibus ferè catholicis Doctoribus traditur, ita ab omni erroris periculo est remotior.

Restat quæstio quid corporis nomine significe-
F tur in verbis consecrationis. Quidam inter quos Titelmannus in canonem missæ scribens, putant corpus accipi pro toto homine & non solùm pro altera hominis parte, eò quòd sub specie panis totum esse Christum, non autem carnem sine anima certò persuasum nobis esse debeat. Sed horum error ex eo conuincitur, quòd corpus hîc manifestè distinguitur à sanguine, quodque eo modo quo hîc nominatur distinctè corpus & sanguis, ita Ioan. 6. distinctè caro & sanguis promittebantur, illa manducanda, hic bibẽdus. Item si totum hominem

corpus significat, non potuisset illis verbis fieri consecratio in triduo mortis Christi, quia tunc Christus homo non erat. Adde quòd hæc verborum forma iusta eam corporis acceptionem non conueniret repræsentandæ passioni Christi, in cuius tamen memoriam institutum est hoc sacramentum. Quare non est dubitandum, quin corpus hoc loco significet alteram hominis partem substantialem, vt ab anima atque etiam à sanguine distinguitur. Id quod potissimum ostenditur authoritate concilij Tridentini sess. 13. cap. 3. vbi dicitur animam & sanguinem sub specie panis tantùm esse vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini inter se copulantur.

§. 14. Christi verba non figurato sed proprio sensu esse accipienda.

S. Thom. dist. 9. 78. ar. 3 ad 5. &c.

QVi realem Christi præsentiam in eucharistia negant, ideoque proprio & aperto sensui verborum Christi, quibus dixit: *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, acquiescere nolunt, in varios, peregrinos, improprios & figuratos sensus ea detorserunt, quibus id potissimùm conati sunt ostendere, Christum ijs verbis atque huius sacramenti institutione non verum corpus suum & sanguinem, sed signum siue figuram corporis & sanguinis sui reliquisse, vt verissimè de hoc hominum genere dixeris August. lib. 3. de doctrina christiana cap. 10. quòd quorum animum occupauit alicuius erroris opinio, quidquid aliter asseruerit scriptura, figuratum arbitrantur. Ita enim Origenes allegoricis interpretationibus veram scripturæ sententiã multis locis sustulit. Vt igitur de alijs ijsq; te absurdioribus verborũ Christi interpretationibus nihil dicamus, duæ sunt quibus præcipuè aduersarij insistunt; altera qua verbum, *est*, per significat interpretantur; altera qua corpus pro figura corporis positum volunt. Quorum argumenta priusquam refellamus, monstrandum est quàm improbè faciant, qui apertissima hæc Christi verba coactis interpretationibus obscurare, imò peruertere nituntur, quamque verba ipsa eiusmodi interpretationes non admittant.

Ac primò quidem consideratione dignissimum est, quod Christus hoc sacramentum fidelibus reliquit instar testamenti, quando erat ex hoc mundo migraturus ad patrem. Atqui testamenti verba, ne ex ijs lites postmodum nascantur, aperta & plana esse oportet, idque in humanis, vt fiat, studiosissimè cauere solet. Quantò magis igitur existimandum est Christum in huius sacramenti tanquam testamenti sui institutione proprio, plano, & aperto sermone, voluisse toti ecclesiæ suæ extremam voluntatem suam declarare?

Secundò, nulla causa erat, vt Christus qui vel mentiri non potuit, ita nec fallere, tam obscurè & perplexè de re tam seria rudibus adhuc apostolis loqueretur, cùm potuisset vtique sine tropo rem facillimè explicare dicendo: Hoc signum est corporis mei, sicut de circumcisione dixerat Genes. 17. eam esse signum fœderis inter ipsum & posteros Abrahæ.

Tertiò, cùm spiritussanctus per tres euangelistas ac deinde per quartum testem apostolum Paulum disertè affirmet Christum dixisse: *Hoc est corpus meum*, si quid in ijs verbis improprietatis inesset, vnde in errorem fideles ducerentur, saltem per

A vnum aliquem illorum eam improprietatem & obscuritatem explicuisset, cùm sciret quantum vniuersæ ecclesiæ interesset de ea re veritatem tenere.

Quartò, Christus hoc mysterium non coram turbis, quibus in figuris & parabolis loqui solitus erat, sed coram solis apostolis instituit, quibus seorsim solet quæ aliàs obscurè dixerat, explicare, quibusque dicit Math. 13. *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, cæteris autem non est datum*.

Quintò, si quæ in verbis Christi fuisset obscuritas, statim quid sibi vellet illa parabola seu figura sermonis interrogatori fuissent apostoli, vt fecerunt alibi non semel, quemadmodum annotarunt
B Chrysostomus homil. 83. in Ioan. & Cyrillus lib. 3. in Ioan. 3.

Sextò, vel eò maximè debuit Christus plano ac proprio sermone vti, non autem obscuro & figurato, ne occasione verborum eius tota ecclesia in horrendam idololatriam laberetur, si quidem ea tot sæculis perduraret. Quod quidem de ea sentire ac dicere, vt faciunt hæretici, intolerabilis est in Christi sponsam atque adeo in Christum eius sponsum blasphemia.

Septimò, Christus si hoc significare voluisset, quod Catholici credunt eum significasse, nempe
C se tradere nobis verum ac naturale suum corpus in cibum, non alijs planioribus secundùm hominem verbis id facere potuisset, quàm ijs ipsis quibus nunc vsus est. Quòd si ergo ijs non instituit realem corporis sui præsentiam, nullis alijs etiamsi maximè voluisset, eam instituere potuit.

Octauò, sicut pater cælestis de Iesu homine apertè & sine figura testatus est dicens: *Hic est filius meus dilectus*, & ex eiusdem reuelatione Petrus hoc idem confessus est. Ex vtroque autem testimonio instructa tota ecclesia idipsum simpliciter & nudè
D sine tropo aut alia sermonis improprietate verum esse confitetur, nempe Iesum esse filium Dei. Ita Christus de eo quod in vltima cœna discipulis edendum, bibendumque dedit, licèt aliam haberet speciem, apertè dixit: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*. Ex quo Christi testimonio simpliciter vt verba sonant intellecto, tota ecclesia semper credidit, Christum apostolis verum ac naturale corpus suum & sanguinem porrexisse, eademque in posterum fidelibus in cibum & potum reliquisse.

Nonò, Hæc Christi verba: *Hic est sanguis meus noui testamenti*, planè respondent illis Moysi verbis
E Exodi 24. repetitis ab apostolo Heb. 9. *Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus*. Cùm igitur hæc Moysi verba proprium & apertum sensum habeant, etiam de Christi verbis prorsus similibus, & ad quandam illorum vt apparet, imitationem expressis idem est sentiendum.

Decimò, verba Christi proprio sensu accepta nihil impossibile, nihil absurdum continent, sed inæstimabilem thesaurum à sponso Christo sponsæ ecclesiæ relictum esse significant, neque vlla est scriptura alia, cui vel apparenter repugnent, non
F ergo ad improprium sensum sunt detorquenda.

Vndecimò, Circunstantiæ rei gestæ, videlicet apparatus antecedens & consequens, desiderium ardentissimum peragendi huius mysterij declaratum illis verbis: *Desiderio desideraui &c.* Separata vtriusque elementi benedictio & diligentissima trium euangelistarum & Pauli narratio satis arguũt Christum & rem maximi momenti tunc gessisse, & proinde rei tam necessariæ intelligentiam nulla sermonis obscuritate, quæ toti ecclesiæ offendiculo futura esset, præcludere debuisse.

Duode-

Duodecimò, Christus cùm dixisset: *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est sanguis meus*, non solùm nulla verba adiunxit, quibus impropriè se locutum significaret, verùm etiam ea continuò subiunxit quæ verborum præcedentium proprium sensum omnino postularent, hæc videlicet, *quod pro vobis tradetur*, &, *qui pro vobis effundetur*. Quæ verba nullo modo in corpus Christi metonymicum seu figuratum, sed proprium ac naturale tantùm conueniunt: nempe illud ipsum quod ex virgine natum & in cruce suspensum mortem subijt, & in verum eius sanguinem ex eo corpore fusum.

Decimuternò verbum *est* pro significat positum non temere in tota scripture inuenias, quando nec apud Latinos eam habet significationem, tantum abest vt in his verbis quibus maximi sacramenti perpetuò duraturi institutio continetur, tale quid imaginari oporteat.

Decimoquartò, si in his verbis: *Hic est calix sanguinis mei*, est, pro significat ponitur, erit hic sensus: Hoc vinum significet calicem sanguinis mei. At hic sensus nec aduersarijs congruit, qui non calicem sanguinis, sed sanguinem volunt repræsentari per vinum quod est in calice.

Decimoquintò. Metonymia qua corpus pro figura corporis positum volunt, non satis apertè quadrat huic orationi. Primùm quia metonymicè quidem signum pro re signata ponimus, verbi gratia togam pro pace, arma pro bello, vt in hac oratione, cedant arma togæ; non autem dicere solemus togam esse pacem, arma esse bellum, enunciando videlicet rem signatam de signo, quin potiùs talis sermo ineptus haberetur. Quare etsi detur panem significare corpus Christi & alicubi pro corpore Christi ponatur, non tamen aptè dicetur panis seu hic panis est corpus Christi. Deinde hoc metonymiæ genus locum habet, quando signum exprimitur & res signata subticetur, vt in exemplo iam dato patet. In hac autem propositione: Hic panis est corpus meum, vtrumque nominatur.

Postremò in metonymia signi, signum & signatum non reciprocantur; id est, non sicut signum pro signato ponitur, ita vicissim signatum subit locum signi. Etsi enim arma pro bello, togam pro pace vsurpamus, nemo tamen contra bellum pro armis, pacem pro toga dixerit. At in Christi verbis non signum pro re signata, id est, panem pro corpore, sed rem signatam pro signo, id est, corpus pro pane tanquam corporis signo positum esse volunt aduersarij. Huc adduci possunt aperta testimonia patrum disertè excludentium sensum figuratum, & affirmantium proprio sensu verba Christi accipienda esse. Sed ea vide infrà dist. 10. & illic verba Damasceni & secundæ synodi Nicenæ.

§. 15. *Responsio ad argumenta hæreticorum.*

S. Thom. vbi sup.

RESpondendum nunc ad ea hæreticorum argumenta quibus figuratam suam interpretationem stabilire conantur.

Primum & præcipuè ab ijs obijci solet illud apostoli 1 Corinth. 10. *Petra erat Christus*, cuius hunc sensum esse volunt. Petra illa à Moyse percussa in Oreb Christum significabat, vel signum & figura Christi erat. Atque inde ostensum putant horum quoque Christi verborum: *Hoc est corpus meum*, similem sensum reddi debere.

Deinde, alia proferunt scripturæ loca, in quibus signum rei significatæ nomen gerat, vt cum agnus vocatur phase, id est, transitus. Exodi. 12. & alibi. Circumcisio fœdus Genes. 17. aquæ populi Apocalyp. 17. columba spiritussanctus Matth. 3. duo filij Abrahæ duo testamenta Galat. 4. Sacrificia expiationes peccatorum Leuit. 4. & 17. arca testimonij Deus vel Dei præsentia Exodi 32. sanguis anima Deuter. 12.

Tertiò, Perpetuum est, ait Caluinus, in scriptura dum agitur de sacramentis, vt signum pro re signata collocetur. Idque etiam probari videtur authoritate Augustini qui lib. 3. contra Maximinum cap. 22. dicit in sacramentis non quid sint sed quid ostendant, semper attendi.

Quartò, Vulgari etiam sermone signa nominibus rerum signatarum appellantur, vt pictura leonis leo vocatur, & statua Cæsaris Cæsar, & imago S. Antonij S. Antonius. Imò & singulis his digito monstratis dicimus, hic est leo, hic est Cæsar, hic est S. Antonius.

Quintò, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 40. hunc sensum verborum Domini reddere videtur, dum de eo sic ait: Acceptum panem & distributum discipulis corpus suum illum fecit, *Hoc est corpus meum*, dicendo, id est, figura corporis mei. Vnde idem lib. de anima cap. 17. Christum dicit vinum in sanguinis sui memoriam consecrasse.

Sextò, Augustinus lib. contra Adimantum cap. 12. ait. Non dubitauit Dominus dicere: *Hoc est corpus meum*, cum signum daret corporis sui. In hoc argumento mirè triumphant sacramentarij.

Septimò, Idem epist. 23. ad Bonifacium cùm ostendisset signa quædam rerum signatarum nominibus appellari, subiunxit: Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum fidei fides est.

Octauò, Rursus idem Augustinus lib. 3. de doctrina christiana cap. 16. Si scriptura, inquit, flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem aut beneficentiam vetare, figurata locutio est. Et rem exemplo declarans: *Nisi manducaueritis*, inquit, *carnem filij hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis*, facinus vel flagitium videtur iubere, figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit.

Nonò, Rursum Augustinus in psalm. 3. testatur Dominum in cœna commendasse corporis & sanguinis sui figuram. Et similiter loquitur lib. 20. contra Faustum cap. 21. & tract. 45 in Ioan. Quorum priore loco dicit in passione Christi per veritatem dari carnem eius & sanguinem, post ascensionem verò per sacramentum memoriæ celebrari: posteriore, ita eucharistiam Christum esse, sicut petra Christus est.

Postremò proferuntur & alij patres subinde testantes eucharistiam signum esse, vel symbolum, vel figuram, vel imaginem Christi, vt Ambrosius lib. 4. de sacramentis cap. 5. lib. 1. offic. cap. 48. de initiandis cap. 9. & in psal. 30. & in commentario illi inscripto in 1. Corinth. 11. Item Basilius in liturgia, qui vocat antitypa corporis & sangui-

nis Do-

nis Domini, quod & apud Clementem legitur lib. 5. constitutionum apostolicarum cap. 16. & Epiphanius in septima synodo.

Nos ad hæc omnia sic ordine respondemus.

Ad locum apostoli, *Petra erat Christus*, multiplex io promptu est responsio. Primùm non est consequens, si fortè alicubi in tota scriptura reperiri quest verbum, est, positum pro, significat, continuò etiam hoc in loco sic accipiendum esse, aut accipi posse. Alioqui etenim hac interpretandi licentia ipsa fidei nostræ fundamenta subruemus, vt verbi gratia, quod dictum est voce caelitus à patre delapsa: *Hic est filius meus*, interpretari liceat hoc modo, Hic repræsentat filium meum sicut adoptiuus naturalem. Deinde non est similis illa Pauli locutio cum ista de qua nunc agitur. Non enim hîc dicitur: Panis est corpus meum, sed demõstratiuè, *Hoc est corpus meum*. At qui demonstratio adhibetur, vt rem quampiam singularem quæ incognita erat, cognoscat is cui fit demonstratio, neque potest clariùs res proposita cuipiam notificari, quàm si dicatur, hoc est tale. At verò si contextus apostoli diligentiùs expendatur, patebit nec in illis Pauli verbis esse tropum quem volunt aduersarij, vt videlicet, est, pro, significat, vel Christus pro figura Christi accipiatur, sed simpliciter intelligendum petram illam, de qua loquitur apostolus, esse Christum. Præcedit enim proximè: *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra*, Vbi per spiritualem petram non potest intelligi petra illa inanimata, è quæ fluxerunt aquæ populo in deserto. Ea enim immota permanens non sequebatur populum. Sed Christus ipse intelligendus est, qui vt Deus populũ illum in deserto comitabatur, cuius beneficio aquæ de petra populo profluxerunt. Præterea non improbabiliter dici queat in dicta apostoli sententia non petram sed Christum esse enũciationis subiectum; vt ita dictum sit à Paulo, Christus erat petra, sicut Act. 4 de Christo dictum est à Petro: *Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus*. Sic enim & Ioannes Christũ cõmonstrās ait: *Ecce agnus Dei*, quasi diceret, Hic est agnus, & Christus de seipso: *Hic est panis de cælo descendens*, &, *Ego sum panis vitæ*, & alibi: *Ego sum vitis & vos palmites*, &, *Ego sum ostium*, &, *Ego sum via*, & ad discipulos, *Vos estis sal terræ*, & huiusmodi multa, in quibus locutionibus non res significata de signo dicitur, aut pro signo ponitur, sed ad designandam certam subiecti proprietatem vocabulum translatum, seu metaphoricè acceptum subiecto attribuitur. Neque statim in his conuertere licebit sermonem, vt in rebus particularibus demonstratis dicamus, hic agnus est Christus, vel hoc ostium est Christus sicut dictum est: *Hoc est corpus meum*. Nam neque Moyses illa petra demonstrata dixisse legitur: Hæc petra est Christus. Quod autem in verbis apostoli petra ex parte attributi rectissimè construatur, ex his locis vbi similis est constructio, intelligi potest Act. 8. *Credo filium Dei esse Iesum Christum* Act. 18. *testificans Iudæis esse Christum Iesum*, & rursum, *ostendens per scripturas esse Christum Iesum*, & præcipuè ex illo Ioan. 1. *Et Deus erat verbum*, vbi perspicuum est Deum attributi locum habere & verbum subiecti. Iam quòd petra spiritualis ab apostolo Christus ipse intelligatur, authores sunt Chrysostomus & Ambrosius in commentarijs, & Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 29. & tract. 26. in Ioan. Vide & nostrum commentarium.

Ad exemple scripturæ secundo loco allatæ respondemus nihil illorum simile esse exemplo pro-

A posito, quia in nullo eorum fit demonstratio rei alicuius singularis. Deinde agnus paschalis non tam per figuram quàm proprio nomine sibi peculiariter imposito dictus est phase, vt satis ostendit frequentissima illa eius in scripturis appellatio. Ratio autem seu etymon nominis inde ductum, quia in memoriam transitus Domini comedebatur. Circumcisionem esse fœdus seu pactum scriptura nõ dicit, sed vocat signum fœderis Gen. 17. Illa autem verba: *Hoc est pactum meum*, non de circumcisione dicuntur, sed de conuentione quam Deus iniit cum semine Abrahæ, cuius videlicet conuentionis seu

B pacti signum esse voluit circumcisionem. Porrò aquæ populi dicuntur, sicut petra Christus. Intelliguntur enim aquæ spirituales. Columbam scripturæ spiritumsanctum non appellat, sed testatur spiritumsanctum sicut columbam, id est, in specie columbæ super Christum descendisse. Nec duos Abrahæ filios duo testamenta vocat apostolus, sed allegoricè duas illorum natiuitates duo testamenta interpretatur. Nec sacrificia alicubi expiationes vocantur, sed in expiationem vel ad expiationem vel ad expiandum offerri dicuntur. At neque arcam, licèt Dei præsentiam significaret,

C legimus Deum nuncupatam, nisi fortè à Philisthæis non rectè de Deo sentientibus, quando arce ad exercitum Israelitarum adducta timentes dixerunt: *Venit Deus in castra* 1. Regum. 4. Denique nec sanguis dicitur esse anima, sed pro anima, sicut & contrà anima esse dicitur in sanguine, quis videlicet vita animalis ita in sanguine consistit, vt eo effuso pereat.

Quod tertio loco perpetuum esse dicit Caluinus, falsum est. Quamuis enim aqua, vel ablutio externa rectè dicatur significare mundationem internam, non tamen ita loquitur scriptura, aut

D nos loqui solemus, aqua seu ablutio corporis externa est mundatio animæ interna & sic in alijs. Augustinus verò non vult eo loco sacramenta rerum signatarum nominibus vocari, sed quid significent, semper in eis attendi dicit, non semper autem quid sint, non negans interim aliquando quid sint in eis attendi posse.

Ad quartum respondetur earum locutionum aliam esse rationem. In ijs enim manifestum est analogiæ indicium inter signum & rem signatam, non autem ita in proposito. Non enim in pene

E mensæ apposito relucet ipsa corporis Christi imago, ex qua statim intelligatur analogia, secundùm quam dixerit Christus *Hoc est corpus meum*, sicut in pictura vel statua relucet imago rei, vnde statim intelligitur analogia, secundùm quam dicitur esse simulacrum huius aut illius. Neque Christus ante hæc verba admonuerat apostolos, vt quoties viderent panem mensæ appositum, de corpore ipsius cogitarent, ipsumque tanquam sui corporis signum aspicerent, vt illi audientes hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, mox cogitarent eum non aliud velle significare quàm panem quem manibus tenebat, esse corporis sui signum & memoriam.

F Ad Tertullianum in primis respondetur tum ex eo ipso loco tum ex alijs, quæ infrà citabuntur, perspicuè patere non id eum velle, quod hæc eius verba prima facie præ se ferunt. Quomodo autem ea sint accipienda non constat inter omnes. Plærique sic accipiunt, Tertullianum non dicere quòd symbolum panis tantùm sit figura corporis, sed hoc sensu corpus interpretari corporis figuram, quia etiam verum Christi corpus & sanguis vt subsistunt in hoc sacramento sub symbolis panis &

vini,

vini, sunt figura corporis & sanguinis Christi, vt hæc io ara crucis fuerunt oblata. Et hac expositione vsum dicunt Tertullianum, vt ex ea contra Marciooem colligeret, Christum non habuisse corpus phantasticum sed verum. Vnde mox subijcit: Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterùm vacua res, quod est phantasma, figurā capere non posset. Alij & lucū & scopum Tertolliani accuratiùs considerantes, deprehenderunt longè aliud eum voluisse. Dicens enim, id est figura corporis mei, non voluit explicare tropum, qui sit in verbis, *corpus meum*, sed expositionem illam suam retolit ad pronomen, *hoc*, vt sensus Tertulliani sit, Christum quando accepto pane dixit: *Hoc est corpus meum*, hoc, nempe paoem, qui in veteri testamento fuit figura corporis sui, effecisse tam corpus suum, nimirum impleodo figuram veterem. Quem sensum ostendit scopus authoris. Nam io eo libro ei propositum est, vt cootra Marcionem osteodat coocordiam veteris & noui testamenti, ex eo quòd veteris testamenti figuræ ooui testamenti veritate adimpleantur. Vnde & in verbis illis subiunctis; Figura aorem non fuisset, nisi veritatis esset corpus, temporum noranda est distinctio. Non enim dicit, figora noo esset, sed non fuisset; nimirom respicieos ad tempus veteris restamenti, qoando panis tantùm erat Christi corporis figura, non autem in Christi corpus mutabatur. Et similia quædam addit de sanguine, cuius figuras veteres repetens tandem concludit; Ita & nunc in vino sanguinem suum consecrauit, qui tunc vinum in sanguine figurauit. Ex quibus patet Tertollianum non ipsa mysteria eucharistiæ vocare figuras, sed horum figuras affirmare ea quæ in veteri erant testamento. Alter locus Tertulliani nihil conuincit. Nam memoriæ rem ipsam non excludit, vt mox plenius explicabitur. Vnde & ipse Tertollianus, qui vno loco dicit Christum consecrasse vinum in memoriam sangniois sui, alibi dicit eum io vino sanguinem suum consecrasse lib. 4. contra Marcionem.

Portò pro intellectu locorum qui ex Augustino & alijs patribus obijciuntur, sciendum est, neotiquam repugnare, vt idem sit signum & signatum; qoippe cùm fieri possit, vt idem aliqoid signet seu repræsentet seipsum, atque adeo suiipsius sit figura, quatenus est in alia atque alia specie. Igitor eucharistiæ sacramentum appellatur qoidem à veteribus interdum signum & figura corporis Christi, sed eiusmodi, quod sit etiam res ipsa signata & figurata. Corpus enim Christi verè existens in eucharistia sub aliene tamen specie occultatum, signum est suiipsius sub propria specie quondam conuersantis in hoc mundo, patientis in cruce, & nunc assistentis patri in cælis. Veteres igitur quoties hoc sacramentom signum esse dicunt & figuram corporis Christi, non negant ibi esse verum Christi corpus, sed intelligunt non ibi esse in propria specie, quomodo apparebat quum in terris versaretor, & quomodo nunc in cælo cernitor. Maximè verò ob id signum corporis Christi vocatur, quia nobis ob oculos ponit corpus Christi sub ea qualitate, qua erat in passione & cruce, vti satis intelligitur ex verbis institutionis & ipsa symbolorum distinctione. Hanc autem esse mentem Augustini clarum est ex verbis quæ titulo sententiarum Prosperi citantur à Gratiano de consecrat. dist. 2. Corpus Christi, inquit, & veritas est & figura; veritas dum corpus Christi & sanguis virtute spiritus in verbo ipsius ex panis vinique substantia efficitur; figura verò quod exterius sentitur. Et alia ibidem

A cap. Hoc est. Tertullianus quoque lib. 5. contra Marcionem cap. penoltimo ostendit nibil obstare, quo minus idem & veritas sit & figura; siquidem Christus & in forma Dei esse dicitur, & imago inuisibilis Dei vocatur, qui tamen verè Deus est, idémque *in similitudinem hominum factus & habitu*, seu figura *inuentus vt homo*, nihilominus verus homo fuit. Qoi ergo dicunt: Eucharistia est signum corporis Domini, ergo oon est corpus Domini, argumentantor more veterum hæreticorum dicentium, Christus in similitudinem hominum factus est, & habitu seu figura inuentus vt homo, ergo noo erat B verus homo.

Ad primum igitur Augustioi locom iam patet responsio. Vult enim eucharistiam esse signum corporis Christi eo modo, quo in animali sanguis animæ signum dicitur, nempe non nudum signum, sed quo etiam ipsa res significata continetor. Neque enim Augustinus dicit huius sententiæ; *Hoc est corpus meum*, hunc esse sensum, id est, hoc est signum corporis mei, sed dicit idipsum quod est corpus Christi esse signum corporis eius, quasi diceret. Nō dubitauit Dominus dicere, *Hoc est corpus meum*, C quamuis signum daret corporis sui. Non enim pugnat, vt quod dabat, fuerit corpus eius, & signum corporis.

Patet etiam ad alterum Augustini locom responsio. Sacramentum enim corporis Christi quatenus habet speciem panis, signum est corporis Christi propriam speciem habentis, sed id peculiare habet, vt rem signatam etiam contineat. Quod eo loco Augustinus vt oon exprimit, ita ooo negat. Alibi verò disertissimè affirmat.

Ad tertium ex Augustino locum respondetur D flagitiom aut facinus esse si intelligatur manducandam Christi caroem & bibendum eios sanguinem in propria specie, ita vt caro eius laniętur & sanguis fundatur, sicut caro & saoguis pecudum quando mactaotur, quomodo Augustinus tum eodem loco, tum in Ioan. 6. scribens, tum alibi mentem suam exponit. Quod enim non simpliciter id absurdum & flagitiosum censeat, si videlicet eo modo intelligatur qoo intelligunt fideles, ex alio eios loco monstratur. Nam lib. 2. contra aduers. legis & prophetarum cap. 9. Christum Iesum, inquit, carnem suam manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore susE cipimus, quamuis horribilius videatur homanam carnem manducere, quàm perimere, & humanum sangoinem potare quàm fundere.

Notandum autem quando Christus dixit illa verba, *Nisi manducaueritis &c.* noodum instituisse sacramentum corporis & sangoinis sui sob panis & vini speciebus, ideoque verba illa propriè accepta videbantur flagitium aut facinus significare. At in vltima cœna vbi sub speciebus panis & vini Christus instituebat sumi corpus suum & sangoinem non visus est præcipere facinus verbis propriè acF ceptis, quia sub illis speciebus sumere eius corpus & sanguinem non est horrendum. Vnde nec iudicatur facinus.

Ad reliqua obiecta ex dictis plana est solutio, & quod ad Ambrosij locum attinet, ex eo ipso loco apertissimè contrarium struitur.

IN DISTINCTIONEM NONAM.

§. 1. *Quot modis intelligatur manducari corpus Christi.*

S. Tho. 3. p. q. 80. a. 1. & 2.

RECTÈ ex Augustino docet Magister duos esse modos manducandi corpus Christi, alterum sacramentalem quo manducatur à bonis & malis; alterum spiritualem quo manducatur à solis bonis. Quos modos etiã tradit glossa ordinaria super illud 1. Corinth. 11. *Qui manducat & bibit indignè.* Pro cuius doctrinæ pleniore intellectu sciendum est in scripturis & patribus quatuor modos inueniri, quibus intelligi possit quempiam manducare carnem seu corpus Christi, & bibere eius sanguinem, videlicet carnaliter, crudeliter, sacramentaliter, & spiritualiter. Qui postremus modus rursum in aliquot membra subdiuiditur.

Carnalem modum manducandi & bibendi corpus & sanguinem Christi scriptura quidem non tradit, sed ex Christi verbis Ioan. 6. malè intellexerunt Capharnaitæ putantes à Christo promitti carnem eius manducandam more carnium animalium occisorum, quæ laniatæ aut dissectæ in partes vel crudæ vorantur à bestijs, vel coctæ manduntur ab hominibus: Et de sanguine similiter. Hunc modum & Dominus in euangelio tanquam carnalem reprobat, & patres tanquam barbarum & flagitiosum explodunt & condemnant, nominatim Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 16.

Crudeliter manducare carnem Domini dicuntur in scriptura Iudæi Christum interficientes, ac de morte eius exultantes. Si enim Christus ait in psalm. *Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas*, & alibi, *Aperuerunt super me os suum sicut Leo rapiens & rugiens*, & rursum, *Ne dicant, Deuorabimus eum*, sic & illud Iob 31. à nonnullis intelligitur. *Quis det de carnibus eius, vt saturemur.*

Sacramentaliter manducare carnem Domini & bibere eius sanguinem, est ea sumere in sacramento eucharistiæ, in quo verè caro & sanguis eius continetur sub speciebus panis & vini. Ad quem manducandi & bibendi modum Dominus suos discipulos inuitauit dicens: *Accipite, manducate & bibite.* Eum autem communem esse bonis & malis ostendit Paulus 10. & 11. cap. 1. Corinth. Idque mox plenius probabitur.

Porrò spiritualis manducatio quæ nimirum intelligitur secundùm fructum aliquem spiritualem, multiplex est.

Primùm, Augustinus scribens in 6. Ioan. & alijs aliquot locis quæ citantur hac distinct. à Magistro & de consecrat. dist. 2. à Gratiano, accipit manducare carnem Domini & bibere eius sanguinem pro eo quod est incorporari mystico corpori Christi, siue id fiat per baptismum, siue per eucharistiam, siue quocunque alio modo. Nam hunc manducandi modum etiam paruulis tribuit in eo quod baptizantur. Vnde lib. 1. de peccat. meritis cap. 20. scripturam illam Ioan. 6. *Nisi manducaueritis &c.* asserit sine dubio etiã ad paruulos pertinere, nec posse eos sine participatione corporis & sanguinis Domini vitam in se habere. Et lib. 3. cap. 4. Nisi, inquit, manducauerint homines carnem eius, id est, participes facti fuerint corporis eius, non habebunt vitam. Vbi & de paruulis statim subijcit: Nec vitam æternam possunt habere præter Christi corpus, cui vt incorporentur sacramento baptismatis imbuuntur. Scribens autem in Ioan. 6. & illum locum, *Nisi manducaueritis &c.* interpretans ait: Hunc itaque cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est ecclesia in prædestinatis &c. Similiter Innocent. 1. in epist. scripta ad patres Concilij Mileuitani, quæ est inter Augustini epistolas 92. sententiam Domini interpretatur, eamque testatur in paruulis impleri quando baptizantur. Respexerunt autem qui hunc modum spiritualis manducationis tradiderunt, & de eo locum Ioan. 6. interpretati sunt, ad rem sacramento eucharistiæ significatam & non contentam, quæ est corpus Christi mysticum, id est, ecclesia, extra quam nemo saluus esse potest; non autem ad rem significatam simul & contentam quæ est corpus Christi verum, sine cuius reali participatione contingit salus.

Secundo autem modo spiritualis manducatio intelligitur quæ fit per fidem in carnem Christi traditam pro nobis in cruce, & sanguinem pro nobis effusum. Quem modum alij probabilibus argumentis moti putant propriè significatum esse à Domino in illo sermone quem habuit Ioan. 6. Quem & Augustinus tradit loco memorato de doctrina christiana cum ait in illis verbis: *Nisi manducaueritis &c.* figuram esse, qua præcipiatur passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa sit & vulnerata.

Tertius est modus spiritualis manducationis dum quis percipit effectum sacramenti eucharistię, siue ipsum sacramentum reipsa suscipiat, siue voto ac desiderio tantùm, vtpote vel necessitate aliqua prohibitus, vel ob reuerentiam abstinens ab actuali susceptione sacramenti. Nec tamen, inquit S. Thomas 3. quæst. 80. art. 1. frustrà adhibetur sacramentalis manducatio, si solum desiderium sufficit ad consequendum eius effectum, quia plenius inducit effectum sacramenti ipsa sacramenti susceptio quàm solum desiderium.

Quartus modus est quo suscipitur in figura, sicut susceperunt patres veteris testamenti comedentes manna de cælo & bibentes aquam de petra. Vnde dicit apost. 1. Corinth. 10. Quòd patres nostri baptizati sunt in nube & in mari, quòd eandem spiritualem escam manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt.

Postremus est quem tradit S Thomas art. 2. dictæ quæstionis quo Christus in sua specie consistens spiritualiter manducatur ab angelis, alijsque beatis in cælo, scilicet in quantum Christo homini vniuntur fruitione charitatis perfectæ & visione manifesta. Vnde etiam panis angelorum Christus homo vocatur. Verùm licèt angeli iuxta eum modum dicantur spiritualiter manducare Christum, non tamen conuenit eis spiritualiter manducare hoc sacramentum, id est, Christum sub specie panis & vini, id quod solis viatoribus proprium est.

§ 2. *Verum*

§. 2. *Verum Christi corpus sumi etiam à malis.*

S.Tho.3. p.q.80. art.3.

ALterum huius distinctionis caput est in quo quæritur, vtrùm etiam à malis verum Christi corpus sumatur in hoc sacramento. Qua in quæstione supponitur in primis id quod partim iam probatum est, partim latiùs adhuc probandum restat, Christi corpus verè ac realiter in hoc sacramento contineri. Deinde mali intelliguntur, non vt in illis Christi verbis Matth. 7. *Si vos cùm sitis mali &c.* sic enim omnes mali sumus propter quotidianas offensiones, sed qui sunt in affectu peccati mortalis. Quamuis igitur vt refert D. Thomas 3. quæst. 80. art. 3. quidam antiqui dixerint corpus Christi nec sacramentaliter sumi à peccatoribus. Quam sententiam postea tenuit Ioannes Wicleff, vt est apud Thomam Waldensem tom. 2. de sacramentis cap. 60. indubiè tamen tenendum est cum vtroque Thoma & omnibus scholasticis verè sumi corpus Christi in sacramento eucharistiæ non à bonis tantùm, verùm etiam à malis & peccatoribus.

Quod apertè probatur ipsius veritatis testimonio, quæ discipulis suis omnibus, inter quos Iudæ proditori, hoc sacramentum porrigens dixit, *Edite, Hoc est corpus meum, bibite, Hic est sanguis meus.*

Item testimonio Pauli 1. Corinth. 10. Vbi cùm dixisset; *panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est?* subiecit, omnes de vno illo pane participare. Inter quos tamen malos quosdam fuisse ex cap. 5. & 6. eiusdem epist. manifestum est. Idem ex eo satis ostenditur, quod eodem cap. dicit apostolus: *Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Sensus enim est id minimè licere, quod non prohiberet apostolus, si fieri omnino non posset. Sed apertissimè probatur hæc doctrina ex cap. 11. eiusdem epist. *Quicunque*, inquit, *manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Et iterum: *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Sumunt ergo reuera mali corpus & sanguinem Domini, quos propterea reprehendit apostolus, quod ea sumant indignè, nec sumendo diiudicent à communibus cibis, ideoque corporis & sanguinis Christi malè tractati rei existant.

Hanc porrò doctrinam patres vno ore tradunt. Inter quos peculiariter videre est Chrysostomum in dictum apostoli locum & alibi, atque alios authores, qui in apostolum sunt commentati. Quo loco etiam Augustinus vtitur ad id probandum cùm ait tract. 26. in Ioan. Multi de altari accipiunt & moriuntur, & accipiendo moriuntur. Vnde dicit apostolus: *Iudicium sibi manducat & bibit &c.* Idem lib. 5. contra Donatistas cap. 8. sic ait: Iudignè quis sumens corpus Christi non efficit, vt quia malus est, malum sit quod accipit; vel quia non ad salutem accipit, nil accipiat. Corpus enim & sanguis Domini nihilominus erat in illis, quibus ait apostolus: *Qui manducat indignè &c.* & epist. 162. de Iuda proditore ita scribit: Tolerat ipse Dominus Iudam, diabolum, furem & venditorem suum. Sinit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles nouerunt precium nostrum. Reperit id de Iuda epist. 163. tract. 6. & 26. in Ioannem, in

A psalm. 10. & serm. 11. de verbis Domini cap. 11. Alibi rursum docet carnales & superbos carnem Christi in eucharistia comedere; quales interpretatur diuites terræ in illo versiculo psalm. 21. *Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ*, vt conc. 1. in eum psalm. & pleniùs in epist. 120. ad Honoratum cap. 27. Loca similia sunt tract. 7. in epist. Ioan. & fragmento 7.

Est & apud Gregorium locus apertissimus lib. 2. in 1. lib. Regum cap. 1. Est quidem, inquit, in peccatoribus & indignè sumentibus vera Christi caro & verus sanguis, sed essentiâ, non salubri efficientiâ. Quin & ipsius ecclesiæ vox publica id te-

B statur, qua canit in officio diuino: *Sumunt boni, sumunt mali, &c.* Rectè igitur Magister in textu indubitanter tenendum asserit carnem Christi & sanguinem à bonis quidem sumi sacramentaliter simul & spiritualiter, à malis verò tantùm sacramentaliter. Quod idem docent patres concilij Tridentini sess. 13. cap. 8. Quam doctrinam etiam his argumentis confirmare licet.

Primo, quia ad huius sacramenti veritatem pertinet, vt tantisper dum species sacramētales perdurant, etiam corpus Christi & sanguis sub eis

C permaneat, à quocunque demum sumatur, vel vbicunque reponatur, aut quomodocunque tractetur.

Secundo, Mali sacerdotes verè consectant corpus Domini, vt suo loco docebitur, ergo & peccatores quilibet verè illud sumunt.

Tertio. Ex eo quod pater cælestis super Iordanem testatus est Iesum esse filium suum, consequens fuit eum esse filium Dei etiam postea, quando ignominiosè fuit tractatus à Iudæis vsque ad supplicium crucis & mortis; quia nimirum res eadem erat atque substantia, ergo cùm tam

D apertè Dominus dixerit: *Hoc est corpus meum*, confitendum est eam substantiam de qua hoc dixit, quamdiu secundùm eam speciem durauerit, & vbicunque fuerit inuenta & à quibuscunque sumpta, corpus esse Christi.

Postremò. Semper studiosè cauerunt fideles, ne sacramentum hoc veniret aliquo pacto in manus infidelium, atque etiam ne quid ex eo fortè humi decideret. Quòd si quando casu vel malicia hominum contingeret, non absque horrore & dolore ab ijs audiri solet. Quod nequaquam fieret nisi persuasum certissimè haberent, etiam verè ab in-

E fidelibus aliisque peccatoribus sumi & malè tractari ipsum Christi corpus.

§. 3. *Diluuntur argumenta quædam in contrarium.*

ADuersus superiorem catholicam doctrinam nonnulla obijciuntur potissimùm ex Augu- S.Thom. ibidem.

F stino, qui locis aliquot sumptionem corporis & sanguinis Domini bonis propriam facere videtur. Nam tract. 25. in Ioan. ad illud Ioan. 6. *Hoc est opus Dei vt credatis in eum quem misit ille*, sic ait: Vt quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti. Intelligit autem fidem viuam, vt in consequentibus declarat, ergo qui non credunt fide per dilectionem operante, non manducant. Et tract. 26. Credere in eum, inquit, hoc est manducare panem viuum. Qui credit in eum, manducat & infrà: Qui nō manet in Christo, & in quo nō manet Christus,

procul dubio nec manducat spiritualiter (vt addunt quædam exemplaria) carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit. Item tract. 59. loquens de apostolis & Iuda, Illi manducabant panem dominicum, ille panem Domini contra Dominum. Qua antithesi significare videtur Iudam non manducasse panem dominicum. Et lib. 21. de ciuitate cap. 25. dicit extra ecclesiam verè non manducari corpus Christi. Sic & Prosper sententia 339. Qui discordat à Christo, nec carnem eius manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.

Præterea Hilarius in Matth. scribens negat Iudam sumpsisse corpus Domini. Dignus, inquit, æternorum sacramentorum communione non fuerat, neque sanè bibere cum eo poterat, qui non erat bibiturus in regno, cùm vniuersos tum bibentes ex vitis istius fructu bibituros secum postea polliceretur.

Tertiò, Non decet, inquit, tantam maiestatem & carnem tam sanctam & puram in corpus peccatis subditum introire, igitur Deus neutiquam permittit.

Quartò, Magistri sententia est dist. 13. quòd à brutis animalibus corpus Christi non sumitur, etsi sumi videatur. Cum quo sentire videntur Hugo lib. 2. de sacramentis parte 8. cap. 13. & Innocentius lib. 4. de mysterio missæ cap. 11. & 16. Apertè autem consentiunt Bonauentura in 4. dist. 13. & Thomas Waldensis tomo 2. de sacramentis cap. 60. Et quidem Bonauentura hanc opinionem vocat communiorem, honestiorem, & rationabiliorem. Eamque tenent glossæ quædam super dist. 2. de consecrat. apud Gratianum cap. Tribus. Atqui peccator magis est Deo abominabilis, quàm animal brutum, multò minùs igitur peccator sumit Christi corpus.

Verùm ad hæc non est difficile respondere. Quod enim ad Augustinum attinet, patet ex ijs quæ suprà diximus de multiplici modo manducandi corpus Christi, quo sensu is interdum neget infideles, & malos manducare corpus & bibere sanguinem Christi. Intelligit enim spiritualem illam manducationem qua is manducare dicitur corpus Christi, qui Christo per fidem & charitatem coniungitur atque incorporatur, ac viuum eius membrum efficitur. Id quod malis non esse commune palam est. Hunc autem esse verborum Augustini sensum ex circumstantijs facilè perspicitur & clariùs ab ipso explicatur serm. 11. de verbis Domini cap. 11. vbi quæstione sibi proposita ex his Domini verbis, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo*. quomodo multi mali & ficti, qualis fuit Iudas, verè manducent ipsam eius carnem & ipsum sanguinem; cùm in Christo non maneant, nec Christus in illis. Respondet esse certum quendam modum manducandi illam carnem & bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducauerit & biberit, in Christo manet & Christus in eo, modum videlicet manducandi & bibendi spiritualiter. Idemque sentiendum de sententia Prosperi ex Augustino sumpta tract. 26. in Ioan. Sacramentum autem tantæ rei vterque vocat eucharistiam, quatenus significat corpus Christi mysticum.

Porrò Hilarius in ea fuit quidem sententia, vt putaret Iudam institutioni & distributioni eucharistiæ non interfuisse, vtpote iam ante inde egressum ad perpetrandum scelus traditionis. Quod tamen non est probabile, nec historiæ euangelicæ consentaneum. Nusquam autem dicit Iudam aut quemcunque peccatorem sumendo hoc eucharistiæ sacramentum, non sumere verum corpus Domini. Tantùm ijs verbis quæ allata sunt, significat Iudam indignum fuisse, qui tantorum mysteriorum participationi interesset.

Ad tertium respondetur id non esse indecens bonitati diuinæ, qua in sacramento se nobis realiter & corporaliter præsentem exhibere dignatus est, quantum ad illud, non distinguens inter bonos & malos, cùm istud non sit discretionis tempus, sed misericordiæ ad quam pertinet vsus sacramentorum. Adde quòd propriè nec inquinatur corpus Domini, sicut nec læditur aut percutitur, sed omnes illæ externæ iniuriosæ actiones propriè speciebus ipsis tantùm inferuntur; quandoquidem Christi corpus & immortale est, & ineffabili quodam modo sub speciebus continetur. Vnde non ita redundant huiusmodi iniuriæ in Christi corpus, sicut olim quæ à Iudæis Christo adhuc mortali in propria specie illatæ fuerunt.

Ad postremum dicendum est cum S. Thoma vbi suprà, substantiam corporis Christi non desinere esse sub speciebus, quamdiu species ipsæ permanent, id est, quamdiu substantia panis permaneret, si non esset facta consecratio, quicquid demum circa ipsum vel ab hominibus vel etiam à bestijs agatur. Nec id vergere in detrimentum dignitatis corporis Christi, qui voluit etiam à peccatoribus crucifigi; præsertim, inquit, cùm mus aut canis non tangat ipsum Christi corpus secundùm propriam speciem, sed solùm secundùm species sacramentales. Quare hac in parte non est tenenda Magistri sententia, vt nec aliorum qui cum Magistro sentiunt.

§. 4. *An peccatori hoc sacramentum petenti sacerdos id denegare debeat.*

QVæri præterea solet, vtrùm sacerdos denegare debeat hoc sacramentum subdito petenti, quem sciat esse peccatorem, id est, mortali peccato obnoxium. Quod enim negare debeat multipliciter ostendi videtur. *S. Thom. 3. p. q. 80. ar. 6.*

Primò, quia præceptum Domini est Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus*, & Matth. 15. *Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.*

Secundò, ex authoritate Cypriani qui lib. 1. epist. 10. ad Eucratium ita scribit: Pro dilectione tua consulendum me existimasti, quid mihi videatur de histrione quodam qui apud vos constitutus, in eiusdem adhuc artis suæ dedecore perseuerat, an talis debeat communicare nobiscum. Quod puto ego nec maiestati diuinæ, nec euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.

Tertiò, sacramentum hoc sicut vita est bonis,

ita mors

ita mors est malis, vt ecclesia canit, & patres sæpenumero testantur, & apostolus ipse declarat 1. Corinth. 11. ergo sacerdos malis id porrigere non debet, nihilo magis quàm medicus pharmacum ægroto ex quo sciret eum moriturum.

Quartò ex duobus malis eligendum quod minus est, atque minus est malum peccatorem infamari, vel dare ei hostiam non consecratam, quàm eum sumendo corpus Christi iudicium mortis sibi sumere.

Quintò, furioso repetenti gladium suum reddere non licet, ergo nec peccatori petenti corpus Domini dare licet, quamuis ad id fortasse ius aliquod habeat.

Porrò in contrarium est exemplum Christi, qui corpus suum dedit Iudæ proditori, vt suprà probatum est.

Deinde illud Augustini super hoc versu psal. 21. *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ*, & habetur in decreto Gratiani de consecrat. dist. 2. Non prohibeat dispensator pingues terræ, id est, peccatores in mensa Domini manducare. Item illud eiusdem Augustini lib. de pœnitentiæ medicina, cap. 7. Nos à communione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio ecclesiastico vel seculari nominatum atque conuictum.

Pro huius quæstionis explicatione duplex adhibenda est distinctio. Aut enim peccator occultus est, aut manifestus, vel quod eodem recidit, aut secretum est crimen eius aut notorium. Et rursum. Aut petit in occulto, aut in publico. Manifesti autem dicuntur peccatores, vel per euidentiam facti, vt publici vsurarij, lustriones, meretrices; vel per aliquod iudicium ecclesiasticum aut seculare conuicti & condemnati. Quibus etiam annumerandi sunt notoriè excommunicati. Ex hac autem gemina distinctione quadruplex oritur consideratio. Aut enim peccator occultus petit in occulto, aut manifestus in publico, aut occultus in publico, aut denique manifestus in occulto.

Si primum negari ei potest sacramentum, imò & debet, etiamsi fortè per solam confessionem eitimen eius seu impœnitentia sit sacerdoti nota, nisi petat eo tempore quo fideles omnes tenentur communionem percipere. Ratio est, quia nulla fit sic petenti iniuria, quoniam nec infamatur, cùm negatio sit occulta; nec iure suo defraudatur, cùm reuera ius non habeat ad sumendum corpus Domini, licèt id habeat secundùm iudicium ecclesiæ, quamdiu peccatum eius non est ecclesiæ notum. Quare cùm sacerdos eo casu dare non teneatur, profectò tenetur non dare, tum ad impediendum peccatum proximi, tum ne malè dispenset cibum Domini.

Si secundum, certum quoque est non esse dandum iuxta citatas sententias Cypriani & Augustini, tametsi Cyprianus non peculiariter de communione corporis Domini, sed in genere de communione ecclesiastica loqui videtur. Ratio manifesta est, quia tales peccatores cùm sint in crimine notorio, id est publicè sufficienter noto, ius non habent ad mensam Domini, ne quidem in facie ecclesiæ. Ideoque si eos sacerdos mensæ Domini participes faceret, iniustæ dispensationis reus efficeretur, & iram Domini contra se prouocaret, vt testatur Chrysost. homil. 83. in Matth.

Si tertium negare non debet, vt ex suprà dictis Augustini testimonijs & Christi exemplo probatur. Huius autem ratio est, Prima ne prodat crimen occultum, atque ita proximum infamet, Secunda, ne alios scandalizet, Tertia, ne petentem iure quod adhuc habet in facie ecclesiæ, defraudet. Confirmatur deinde authoritate Chrysostomi qui in eadem homil. Quod si quis, inquit, venerit cum sordibus ignoranter, hoc est, occultus peccator, non est ministrantis culpa illi administrare. Pleniùs autem id probant canones. Si tantum: &, si placuit. 6. qu. 1. &cap. si sacerdos extra de officio ordinarij.

De postremo patet satis ex primo & secundo casu quid agendum. Certissimum enim est negari debere, tum quia manifestus est peccator, tum quia petit in occulto, vbi nec occulto peccatori dandum esset. Generaliter autem notandum est circa præsentem quæstionem, quòd sacerdos peccatori licitè dare non potest corpus Domini, nisi eo casu quo tenetur; tum quia dum quis iure potest negare alicui quod iniustè petit, si confert, sponte sua confert, atque ita particeps fit illius criminis; tum quia sacerdos rei sacræ non dominus est, sed dispensator, ad cuius proinde officium pertinet, sacramentum dignè tractare. Vndè indignè accepturo non debet ministrare, nisi iure aliquo ad hoc teneatur. Iuxta dictam igitur declarationé argumenta vtriusque partis expendenda sunt. Non enim aliud concludunt, quàm manifesto peccatori non esse dandum sacramentum, occulto autem dandum esse.

Ad illam Domini sententiam: *Nolite sanctum dare canibus*, variè respondetur. Alij dicunt prohibitum dare, id est sponte offerre, non autem reddere, videlicet vt ius habenti. Alij respondent præceptum illud intelligi, quando via iuridica impleri potest. Alij per canes intelligunt peccatores manifestos. Verùm maximè probabile est prouerbiali sermone per sanctum & margaritas Christum significare voluisse doctrinam euangelicam, vt sit sensus: Doctrinam veritatis non esse is proponendam, qui videantur magis contempturi & laceraturi tanquam canes & porci, quàm per eam reducendi ad rectam fidem & sanctam conuersionem. Quamuis enim coram talibus interdum veritas prædicanda sit, sicut Christus fecisse legitur, non tamen propter eos sed propter alios, in quibus fructus aliquis meritò speratur.

Ad tertium argumentum respondetur sacramentum hoc non nisi culpa sumentis verti ei in malum. Secus est de pharmaco quod per se & naturaliter operatur. Deinde nec ægrotus ius habet aliquod ad pharmacum sibi nociturum, sicut peccator ad sacramentum.

Ad quartum respondetur, sicut non sunt facienda mala vt eueniant bona, ita nec facienda minora mala, vt caueantur maiora. Neque enim cuiquam peccare licet, ne venialiter quidem, vt alium à peccato liberet, quantumlibet graui. Nam vt ait Augustinus quæst. 42. in Genes. Periculosissimè admittitur hæc compensatio, vt nos faciamus aliquid mali, ne alius grauius malum faciat. Quamuis igitur minus sit malum peccatorem infamari, quàm ad sacramentum indignè accedere, sacerdoti tamen illud malum facere non licet, vt hoc in peccatore præcaueat.

Quod autem ad remedium attinet hostiæ non consecratæ, neutiquam id probandum est, ne quidem ipso peccatore, vt ita suo consulatur honori, consentiente. Ratio est, quia sacerdos

quantum in se est, faceret alios ibidem præsentes idololatriam committere, dum hostiam adorant, vt moris est fidelium. Deinde vt in alijs, ita maximè in sacramentis vitanda est simulatio. Vnde Innocent. 3. extra de celebratione missæ cap. de homine ait, quòd cùm falsa sint abijcienda remedia, quæ veris sunt periculis grauiora, licèt is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet grauiter, si se ingerat irreuerenter ad sacramentum; grauius tamen videtur offendere, qui illud fraudulenter præsumpserit simulare.

Ad quintum respondet Bonauentura, quod sicut in iudicio quis teneretur reddere gladium homini furioso, quem non constaret esse furiosum: ita peccatori quem talem esse publicè non constat, ius suum reddendum sit circa perceptionem sacramenti, quod ei in foro exteriori debetur. Aliam huius argumenti solutionem, eamque subtiliorem videre est apud Dominicum in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 6.

Si quæritur, an corpus Christi rectè detur interdum suspectis de crimine ad eius manifestationem, Respondetur nec id licere. Non enim eò institutum est hoc sacramentum, vt alicuius peccatum manifestetur. Quare nec eo modo rectè dispensatur, præsertim cùm eiusmodi dispensatio non fiat sine tentatione Dei, quemadmodum S. Thomas dicit. Item per hoc manifestè datur occasio indignæ sumptionis eucharistiæ, dum ille qui crimen commisit, nolens se prodere, cum cæteris accedit ad mensam Domini. Nec verò est vlla necessitas id faciendi, nam occulta peccata diuino sunt reseruanda iudicio. Et quamuis nonnulli canones hoc vel præcipere vel permittere videantur, abrogati tamen sunt illi; vel potiùs nunquam recepti. Vnde Stephanus papa de consecrat. dist. 2. cap. consuluisti, ita rescribit; ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorquere à quolibet sacri canones non concedunt. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta commissa sunt regimini nostro iudicare. Occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum. Sic ille.

IN DISTINCTIONEM DECIMAM.

§. 1. *Esse in Eucharistia verum Christi corpus & sanguinem ex scripturis ostenditur.*

S. Tho. 3. p. q. 75. art. 2.

NVNC ad probandam veram ac realem corporis & sanguinis Christi in eucharistiæ sacramento præsentiam, prout ecclesia catholica palam & indubitatè semper tenuit ac docuit, accedamus. Sit autem prima probatio ex scripturis, in quibus hæc veritas apertissimè traditur. Siquidem tres euangelistæ Matthęus,

A Marcus, Lucas, & quartus euangelistæ quoque fungens officio hac in parte Paulus, cœnam Domini nouissimam commemorantes adeo apertè testati sunt Dominum de eo quod manibus tenebat & discipulis edendum bibendumque porrigebat dixisse: *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, vt nullum reliquerint tergiuersationi locum; præsertim cùm etiam testentur Christum vtrobique adiunxisse verba determinantia de quo corpore & de quo sanguine loqueretur, hæc nimirum, *Quod pro vobis tradetur*, *Qui pro vobis effundetur &c.* atque insuper non
B tantùm attributis dictarum propositionum, verùm etiam verbis adiunctis articulos apposuerunt, quæ articulorum congeminatio magnam apud Græcos vim habet. Verùm quia superiùs ad dist. 8. cum de forma huius sacramenti ageremus, multis argumentis ostendimus hæc eadem Christi verba non figurato sed proprio sensu esse accipienda; ex quo plane consequens est Christi corpus & sanguinem verè & propriè in hoc sacramento contineri, nihil opus est ijs verbis explicandis ampliùs immorari.

Alter locus est 1. Corinth. 10. vbi per interrogationem tanquam de re confessa & certissima lo-
C quens apostolus ait: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne cōmunicatio sanguinis Christi est? & panis quē frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* quasi diceret; Ita in ecclesia instituti estis, vt nemo vestrum hoc ignoret. Verè ergo & realiter in hoc sacramento participant fideles corpus & sanguinem Domini. Alioqui enim dicere debuisset apostolus, Panis quē frangimus, participatio spiritus Domini est, eò quòd nec ipsum Christi corpus nec sanguinem in hoc sacramento, sed solum spiritum merito Christi acciperemus.

Deinde & illa sequentia Pauli verba: *Quoniam*
D *vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus*, ad idem probandum non parum habent momenti. Si enim non verè in eucharistia sumitur corpus Christi, sed panis communis, falsum erit omnes christianos de vno pane participare; quin potiùs fatendum erit à diuersis hominibus diuersos panes manducari, & tot panes sumi, quot sunt manducantes, sicut in veteri lege non de vno agno paschali omnes communicabant, etiamsi agnus ille vnum Christum significaret, sed tot comedebantur agni quot erant familiæ. At verò si intelligamus apostolum loqui de pane consecrato, qui
E corpus est Christi, manifestum est omnes fideles vbicunque terrarum existentes, de vno pane qui corpus est Christi, participare, id est, vnum eundemque illum panem comedere.

Alius est locus 1. Corinth. 11. vbi repetens apostolus huius sacramenti institutionem ijsdem pene verbis, quibus ea descripsit Luc. pro eo quod apud Lucam est, *Quod pro vobis datur*, & quod in vulgata editione apud apostolū legitur, *quod pro vobis tradetur*, iuxta omniū Græcorū codicū fidem habet, *quod pro vobis frangitur*. Idem ergo illud corpus, quod Lucas Christi verba referens, dicit tradendum pro nobis,
F vtique in mortem: Paulus asserit frangi pro nobis, quemadmodum in apostoli locum scribens ratiocinatur Chrysostomus homilia 24. Consequens igitur est ipsum corpus Christi, quod in mortem traditum fuit, sub speciebus panis verè contineri, vt earum ratione de eo verè possit affirmari, quòd frangatur.

Porrò ex sequentibus apostoli verbis in eodem capite alia adhuc, eaque illustrior probatio sumitur: *Quicunque*, inquit, *manducauerit panem*

hunc

hanc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Et iterum: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quæ verba apostoli multipliciter confirmant non panem communem, sed ipsum Christi corpus in hoc sacramento sumi. Primùm quia indignè sumentē dicit reum esse corporis & sanguinis Domini, id est, obnoxium teneri iniuriæ corpori sanguinique dominico illatæ; ideoque iudicium, id est, damnationem æternę mortis sibi sumere. Hoc enim iudiciū intelligi, paulò pòst indicat cùm ait: *Vt non cum hoc mundo damnemur.* Illud autem de nudi signi acceptione vel vsu dici nequaquam potest. Neque enim si quis absque debita animi præparatione de agno paschali comedisset, reus propterea fuisset corporis Domini, quod per agnum significabatur aut mortale peccatum eo ipso incurrisset. Deinde, quia singularem quandam probationem requirit, quæ sanè ad vsum nudi sacramenti non requirebatur. Tertiò, quia apertè testatur indignè accedentem non dijudicare corpus Domini, id est, sic accedere ad hunc cibum, quasi eum non discerneret à communibus cibis. Quam discretionem hanc esse vult apostolus, quòd hoc sit corpus Domini, cætera non sint. Hoc enim est dijudicare corpus Domini. Est hoc etiam notandum in dictis apostoli verbis, quod cum sententia illa. *Itaque quicunque &c.* ex præcedentibus inferatur, necesse est corpus & sanguinem vtrobique eodem modo accipi, ne fallax sit argumentatio. Manifestè autem accipiuntur in hac sententia pro ipso Christi corpore & sanguine, igitur & in præcedentibus, vbi commemorantur verba institutionis.

Postremò ad probandam hanc catholicam veritatem adfertur à plærisque locus Ioan. 6. Vbi Dominus carnem suam manducandam & sanguinem potandum promittit his verbis: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et iterum: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem &c.* Item: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem &c.* Verùm hæc probatio propter varias sanctorum patrum & doctorum interpretationes, quibus eum locum exponunt, vt agnoscit Tridentinum concilium sess. 21. cap. 1. non perinde efficax est, vt priores. Nec tamen intellectus locus ille de spirituali sumptione alienus ab hoc argumento existit. Nam iuxta eam interpretationem non erit negandum, Dominum hoc tropo manducandi carnem & bibendi sanguinem, eo libentiùs vsum in illo sermone, quod aliquando carnem & sanguinem traditurus esset teipsa in sacramento sumenda; ideoque etsi de sacramentali perceptione ibi præcipuè non videatur locutus, ad eam tamen etiam respexerit, ipsisque verbis alludere voluerit.

§. 2. Eiusdem doctrinæ probatio ex patribus.

S. Thom. ibidem.

Vix vllum est catholicum ecclesiæ dogma tanta testium ac testimoniorum copia subnixum, atque hoc dogma realis præsentiæ corporis & sanguinis Christi in eucharistia, adeo vt si scripturarum authoritate destitutum esset, non posset tamen non ex consensu omnium patrum tam frequenter & clarè de eo loquentium probatissimum ac certissimum haberi. Quoniam autem infiniti pene negocij foret omnium testimonia citare, pauca tantùm eaque præcipua sufficiet nobis hîc annotasse ab ipsis apostolorum temporibus sumpto initio.

Beatus Andreas apostolus, vt in passione eius à presbyteris Achaiæ conscripta legitur, iudici vt idolis immolaret præcipienti respondit, se omnipotenti Deo quotidie in altari sacrificare agnum immaculatum; cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducauerit & sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus.

Ignatius Ioannis discipulus in epist. ad Rom. Panem Dei volo, inquit, panem cælestem, panem vitæ, qui est caro Iesu Christi filij Dei viui. Et potum volo sanguinis eius. Et in epist. ad Smyrnenses de quibusdam hæreticis ita scribit: Eucharistias & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur eucharistiam esse carnem seruatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam pater sua benignitate suscitauit. Citat hæc verba vt Ignatij scribentis ad Smyrnenses Theodoretus dial. 3.

Dionysius Areopagyta ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 3. inter alia quæ de diuino, sacrosancto & augustissimo, vt ipse vocat, eucharistiæ mysterio tradit, testatur per illud Christū signari simul & sumi, atque à pontifice adorandum fidelibus ostendi.

Clemens lib. 2. constitutionum apostolicarum cap. 61. admonet, vt Christiani ad hoc sacramentum tanquam ad regis corpus accedant, & sacerdotes in fragmentis Eucharistiæ diligentem curam adhibeant.

Anacletus epist. 2. sacerdotes sacri Dominici corporis tractatores vocat.

Alexander 1. epist. 1. testatur in sacrificio missæ corpus & sanguinem Christi confici, eiusque sacrificij virtutem & dignitatem commendans: Nihil enim, inquit, in sacrificijs maius esse potest quàm corpus & sanguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit.

Telesphorus in epist. ad omnes episcopos dicit sacerdotes proprio ore corpus Christi conficere. Quod postea ab Hieronymo in epist. 1. ad Heliodorum totidem verbis repetitum est.

Iustinus martyr in apolog. 2. ad Antoninum; Cibum illum, inquit, qui à nobis vocatur eucharistia, cùm benedictus fuerit, ipsius Iesu incarnati carnem & sanguinem esse edocti sumus.

Irenæus lib. 4. cap. 32. aduersus hæreses Valentini adeo certum habet hoc dogma, vt ex veritate corporis & sanguinis Christi in hoc sacramento contra infideles probet veritatem incarnationis Christi, & communis omnium resurrectionis. Ac similia repetit lib. 5.

Tertullianus in lib. de resurrectione carnis cap. 8. Caro, inquit, corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur. Alibi verò vt lib. 2. ad vxorem, nefas esse reputat hoc sacramentum infidelibus ostendere, qui panem hunc non Christum, sed panem communem esse credunt. Et in lib. de idololatria capit. 7. ipsum Christi corpus etiam manibus eorum, qui idola fabricant contrectari dicit. Et lib. 1. contra Marcionem capit. 14. panem vocat quo ipsum corpus suum in sacramentis repræsentat, id est, præsens

exhiber. Hoc enim Tertulliano est repræsentare, vt ex ali s locis facile ostenditur.

Origenes homil. 38. in Lucam ait: Manna in ænigmate cibus erat, nunc autem in specie caro verbi Dei verus est cibus. Alia non minùs aperta eius testimonia sunt homil. 6. in diuersos homil. 13. in Exodum hom. 2. in Iosue & lib. 8. contra Celsum, hom. 7. & 16. super Numeros.

Cyprianus in serm. de lapsis inter alia de communicantibus indignè ait: Vis infertur corpori Domini, & plus in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm si Dominum negauissent. Alia sunt loca lib. 1. epist. 2. & lib. 4. epist. 6. Denique eius titulo sermo de cœna Domini apertissimè de hac re loquitur.

Hilarius lib. 8. de Trinitate ex instituto probat Christum non solùm spiritualiter, sed & carnaliter atque corporaliter (his enim verbis vtitur) in nobis manere, dicens inter alia: De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est. Ac deinde ex hac veritate probat, sicut nos per substantiam in hoc sacramento vnum cum Christo sumus, ita Christum per substantiam vnum esse cum patre.

Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica: Non panem, inquit, iubemur gustare, sed quod sub speciebus panis est corpus Christi. Et iterum: Cùm igitur ipse pronunciauerit dicens: *Hoc est corpus meum*, quis audebit deinceps ambigere? Et cùm idem ipse tam asseueranter dixerit: *Hic est sanguis meus*, quis vnquam dubitauerit, vt dicat, non esse eius sanguinem? Et quæ sequuntur in eandem prorsus sententiam; vbi denique subiungit, quòd qui videtur panis, non panis est quamuis gustui videatur, sed corpus Christi; & quod videtur vinum, non vinum est, quamuis ita gustus censeat, sed sanguis Christi.

Gregorius Nyssenus in vita Moysis. Huius, inquit, corporis panem non aratio, non satio, non agricolarum opus effecit. Et in sermone catechistico de diuinis sacramentis: Dei verbo sanctificatum panem, in Dei verbi corpus credimus immutari.

Gregorius Naziansenus oratione in sanctum pascha sic ait: Absque confusione comede corpus, & sanguinem bibe, si vitæ desiderio teneris, neque sermonibus qui de carne habentur, fidem deneges.

Ambrosius lib. 4. de sacramentis cap. 4. & 5. Panis iste, inquit, panis est ante verba sacramentorum, vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Et mox: Ergo tibi vt respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quod iam corpus est Christi. Et quæ sequuntur, in quibus clarissimè veritatem hanc asserit, ita vt nullum relinquat tergiuersandi locum. Item lib. 6. de sacramentis cap. 1. cùm similia dixisset, tandem addit Christum ideo reliquisse similitudinem seu speciem panis & vini, ne cruoris species horrorem generaret.

Nec minùs clarè scribunt Hesychius lib. 6. in Leuiticum cap. 22. & Optatus lib. 6. contra Donatistas.

Porrò Hieronymus præter locum suprà indicatum in epist. ad Damasum de filio prodigo: Vitulus, inquit, saginatus, qui ad pœnitentiæ immolatur salutem, ipse saluator est, cuius quotidie carne vescimur, cruore potamur. Similia loca in comment. in Ezech. 36. & 45. Idem ad Hedibiam quæst. 2. post alia dicit: Dominus Iesus ipse conuiua & conuiuium; ipse comedens & qui comeditur. Illius bibimus sanguinem &c.

Chrysostomus homilia 60. ad populum Antiochenum & hom. 83. in Matth. inter multa quibus manifestissimè realem in eucharistia corporis Christi præsentiam astruit, etiam illud habet, quo peculiariter viam præcludit subdolis hæreticorum effugijs atque interpretationibus. Quod Christus semetipsum nobis commiscet, & non fide tantùm verùm & reipsa nos suum efficit corpus. Et in homil. de proditione Iudæ; Iudas, inquit, triginta denarijs paciscitur, vt Christum vendat, & Christus ei sanguinem quem vendidit, offerebat. Sunt & alia plurima apud eum loca è quibus hæc notari possunt lib. 3. de sacerdotio, homil. 45. in Ioan. homil. 24. in illud 1. Corinth. 10. *Calix cui benedicimus &c.* homil. 3. in epist. ad Ephes. & homil. 2. ad populum Antiochenum, & homil. 21. in Acta apostolorum.

Epiphanius in anchorato fidem huius veritatis tanquam indubitatam ad hoc allegat, vt non dubitetur hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum.

Augustinus quem impudenter & peruersè sibi vendicant Sacramentarij, licèt interdum obscurius loquatur, cuius rationem infrà reddemus, alibi tamen & quidem frequentissimè sic loquitur, vt nihil clarius dici queat. Sunt autem hæc loca è multis pauca. lib. 12. contra Faustum cap. 10. Fideles, inquit, in sacramento eundem sanguinem bibunt, quo redempti sunt. Et in psalm. 33. post nonnulla sic ait: Verè magnus Dominus, qui nobis dedit mãducare corpus suum, in quo tanta perpessus est. Et in psalm. 65. Iudæi ipsum sanguinem quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberũt. Et in psal. 93. de ijsdem. Fuderunt precium suum & biberunt precium suum. Idem de Iudæis conuersis aliàs subinde reperit, vt in psalm. 94. & in præfatione in psalm. 96. Serm. 59. de verbis Domini. hom. 27. inter quinquaginta. & tractatu 31. 38. & 40. in Ioan. Rursum scribens in psalm. 98. Christus, inquit, de carne Mariæ carnem accepit, & in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit. Et lib. 2. contra aduersarium legis & prophetarum cap. 9. docet nos per hoc sacramentum non tantùm effici vnum spiritu cum Christo, sed etiam vnum carne, iuxta illud Pauli ad Ephes. *Membra sumus corporis eius & de ossibus eius*, idque reperit scribens in psalm. 39. Item lib. 3. de Trinitate cap. 4. dicit hoc sacramentum significare Christum, sicut & alia eum significant; verùm præ cæteris id proprium habere, quòd etiam corpus & sanguis Christi sit. Et eiusdem libri cap. 10. grauissima authoritate traditum fidelibus dicit hoc quod est in altari, esse Christi corpus: adeo vt si nusquam alibi species illa nisi in altari videretur, nihil aliud crederetur, quàm Christum in tali specie apparuisse mortalibus, & talem liquorem de latere eius fluxisse.

Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioan. cap. 13. Nos, inquit, firmam fidem mysterijs adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus illud, quomodo aut cogitemus aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est. Et paulò pòst. Cùm Deus operetur, non quæramus, quomodo, sed operis sui viam atque scientiam illi soli concedamus. Et quibusdam interpositis. Innumerabilia sunt in quibus si quomodo quæris, vniuersam euertere tibi scripturam necesse erit. Et post multa: Quoniam saluatoris

caro verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta est, viuifica effecta est: quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis illi coniuncti, quæ vna effecta est. Et rursum. Quòd si solo tactu carnis Christi corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus, qui carnem illam & gustamus & manducamus? Et alia multa quæ sequuntur. Idem lib. 10. cap. 13. dicit Christum communicatione carnis suæ, virtute mysticæ benedictionis corporaliter in nobis habitare, atque in corpus nostrum recipi, & lib. 11. cap. 27. Christum corporaliter & substantialiter per mysticam benedictionem nobis vniri.

Leo serm. 6. de ieiunio septimi mensis. Sic, inquit, sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustrà ab illis Amen respondetur, à quibus contra id quod accipitur, disputatur. Idem epist. 23. testatur hoc in ecclesia Dei in omnium ore tam consonum esse, vt nec ab infantium linguis veritas corporis & sanguinis Christi inter communis sacramenta fidei taceatur.

Gregorius Roma. homil. 22. in euangelia, quid prodest corpus & sanguinem Domini ore percipere, & ei peruersis moribus contraire? Et in fine dialogorum de Christi in altari oblatione loquens. Eius, inquit, ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur &c.

Aliorum porrò sententijs, quæ plurimæ sunt, recitandis supersedebimus. Tantum sufficiet aliquot loca cum suis authoribus commonstrasse. Tradunt igitur hanc doctrinam præter suprà dictos. Eusebius lib. 1. demonstrationum euangelicarum capit. 10. Athanasius in oratione de fide, Iuuencus lib. 4. historiæ euangelicæ. Basilius tract. de baptismo, Prudentius in apotheosi aduersus Iudæos, Theophilus Alexandrinus lib. 1. & 2. paschali, Maximus homil. 5. de natali Domini. Quod Christus, inquit, in præsepi, vbi pastus est animalium, sua collocari membra permittit, in æternam refectionem vescendum à mortalibus suum corpus ostendit. Paulinus in epist. de pœnitentia, Sozomenus lib. 6. histor. eccles. cap. 24. Eucherius Lugdunensis in lib. 1. Regum 4. Sedulius lib. 4. & 5. mirabilium diuinorum, Euthymius in Matth. 26. Theodoretus dialogo. 2. & 3. Petrus Chrysologus serm. 5. de filio prodigo, Victor Vticensis lib. 1. & 3. persecut. Vandal. Fulgentius lib. 2. ad Monymum, Cassiodorus in psal. 109. Isidorus lib. 1. de officijs ecclesiasticis cap. 18. Beda homil. in illa verba euangelij: *Vidit Ioannes Iesum ad se venientem*, Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 14. Theophylactus in Matth. & Marcum circa institutionem huius sacramenti, vbi verbis adeo apertis affirmat & inculcat non figuram tantùm & exemplar Dominici corporis esse, quod Christus consecratum dedit discipulis, sed ipsummet Christi corpus, vt nihil à catholico dici possit apertius. Quomodo etiam loquitur in Ioan. 6. Item superioribus accedunt Alcuinus in Ioan. 6. & Paulus diaconus lib. 13. rerum Romanarum. Iam ex ijs qui posterioribus adhuc sæculis extiterunt, nihil opus est, cuiusquam testimonium citare, quandoquidem non multò post exorta hæresis Berengariana ab omnibus catholicis vno ore cum execratione explosa est.

§. 3. *Eadem doctrina conciliorum authoritate confirmata.*

QVo certius constet, quàm catholicum sit hoc dogma realis præsentiæ Christi in Eucharistia, concilia patrum proferemus, præsertim generalia, in quibus totius ecclesiæ sententia maximè declaratur.

Nicæna synodus prima in doctrina sic ait: Fide intelligamus situm in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à sacerdotibus immolatum, & preciosum ipsius corpus & sanguinem nos verè sumere, credentes hæc ipsa esse nostræ resurrectionis symbola, &c. atque idem apertè significatur eiusdem synodi canone 14. aliàs 18. quem postea renouauit Arelarense concilium can. 15.

Concilium verò Ephesinum in epistola ad Nestorium sic habet: Ad mysticas benedictiones accedimus & sanctificamur, participes sancti corporis & preciosi sanguinis Christi effecti non vt communem carnem percipientes (quod absit) sed verè viuificatricem & ipsius verbi propriam factam. Eadem ferè verba reperies in concilio Alexandrino sub idem tempus habito, de quo vide Cyrillum epist. 10. ad Nestorium.

Sexta verò synodus generalis cap. 3. sic statuit: Quicunque de calice sacrato, quo sanguis Christi recipitur, aliud biberit præter Christi sanguinem, deterrendus est exemplo Balthasaris, qui profanans vasa sacra vitam amisit & regnum. Huc accedit canon 101. inter eos qui sextæ synodo ascribuntur in quo perinde clarum huius rei testimonium legitur.

Septima synodus, quæ est Nicæna secunda de eadem re in hunc modum testatur Act. 6. Nemo vnquam apostolorum aut patrum, incruentum nostrum sacrificium, imaginem corporis illius dixerit. Ait enim Dominus: *Sumite, edite, Hoc est corpus meum*, non autem dixit; sumite, edite imaginem corporis mei. Et infrà: Legas quousque voles, nusquam inuenies, neque Dominum, neque apostolos, neque patres incruentum illud sacrificium, quod à sacerdote offertur, imaginem dixisse, sed ipsum corpus & sanguinem. Deinde addit inter alia, Basilium in sua liturgia ante consecrationem quidem oblata vocasse antitypa corporis, sed post consecrationem, inquit, non nisi corpus Domini & vocatur & esse creditur.

Cæterùm particularia eorundem temporum concilia, in quibus hæc veritas vel exprimitur, vel indicatur, omnia recensere nimis longum est & non necessarium.

Porrò sciendum circa annum Domini 1040. Berengarium quendam primum, qui quidem alicuius esset nominis, post tot sæcula contra catholicam illam veritatem disputare ausum fuisse, ac dicere Eucharistiam Domini non esse verè substantialiterque corpus & sanguinem Domini, sed ideo tantùm sic appellari, quod eius signum esset & figura. Contra quem errorem varia coacta fuerunt concilia. Primum Romanum sub Leone 9. secundum Vercellense sub eodem pontifice, tertium Turonense sub Victore secundo, in quo Berengarius præsens errorem suum conuictus recantauit. Sed cùm is paulò pòst in pristinam perfidiam relapsus esset, quartum idemque generale concilium à Nicolao 2. Romæ habitum est, in quo iterum & error ipse

damnatus est & ab authore suo cum anathemate reuocatus. Cùm autem ille tertiò ad vomitum rediisset, quintum concilium iterum Romæ à Gregorio 7. congregatum est, in quo Berengarius tertiò sui erroris palinodiam cecinit, planè ac disertè confitens non tantùm per signum & virtutem sacramenti, sed etiam in proprietate naturæ & veritate substantiæ verum Christi corpus & sanguinem post consecrationem in eucharistia esse, quemadmodum videre est in formula eius concilij Berengario præscripta.

Nec verò tantùm concilijs, sed & doctissimorum virorum scriptis per idem tempus contra eam hæresim laboratũ ac decertatũ est, vt probant libri à Paschasio, Lanfraco, Algero, Guitmundo, Anselmo, Ruperto; Petro Cluniacensi & alijs conscripti & editi. Quibus omnibus demum pro confirmatione addimus subsecuta deinde concilia generalia Lateranense sub Innocentio 3. capit. 1. Constantiense sess. 8. Basiliense sess. 30. Florentinum in decretis vnionis tam Græcorum quàm Armenorum, & Tridentinum sess. 13.

Ecce igitur propositam nobis nubem testium ex tota retro antiquitate præcipuorum ac probatissimorum, qui hanc fidem & tenuerunt & docuerunt, & libris consignatam nobis tradiderunt. Nunc consideret Lector quantæ temeritatis, quantique periculi sit, tot patrum, Doctorum, sanctorum consentientium authoritate postposita, tantùm quia sensus reluctatur, nolle credere, quod vniuersa ecclesia à Christo & apostolis edocta credendum proponit.

§. 4. *Alijs aliquot argumentis eadem veritas ostenditur.*

S. Thom. vbi sup.

PRæter ea argumenta quibus ad distinctionem octauam ostendimus verba Christi: *Hoc est corpus meum.* proprio sensu accipienda esse, sunt & alia obseruatu digna, quibus catholica veritas quam illis verbis Christus nobis expressit, & credendam reliquit, plurimum illustratur.

Primum est quod ante Berengarium totis videlicet mille annis ab instituto sacramento, nemo doctrinam hanc in dubium reuocauerit, nisi fortè Bertramus quidam presbyter, qui post annum 800. tectè admodum atque id sine successu contra eam scribere cepit. Nam illi quos notat Ignatius in epist. ad Smyrnenses, ex eo fundamento sic errasse videntur, quòd non crederent Christum veram carnis naturam assumpsisse.

Secundum, quod ne quidem exorto Berengario hæresis illa magnum successum habuit, quando & omnes ecclesiarum præfecti vnanimiter ei restiterunt, ita vt ne vnus quidem episcopus legatur eius dogmati consensisse, quo nomine longè probabilior fuit hæresis Ariana, quam tenuerunt innumerabiles episcopi. Denique ipse tertiò eam recantauit, & in eiusdem hæresis suæ detestatione & catholicæ fidei confessione mortuus est, vix vllis relictis post se sui erroris sequacibus.

Tertium quod olim apud ecclesiæ doctores hæc res adeo certa est habita, vt inde alias hæreses sua ætate exurgentes refutarent, aut doctrinam alioqui obscurã declararent. Hinc enim Irenæus refellit eos qui carnis resurrectionem negabant lib. 4. & 5. contra hæreses cap. 25. Ignatius verò in memorata epistola, & Amphilochius apud Theodoretum dialogo. 2. & 3. Et Leo serm. 2. de ieiunio septimi mensis, rursumque Irenæus lib. 5. eos ex hoc dogmate refutant, qui Christi carnem negauerunt. Item Hilarius & Cyrillus Arianos, Synodus Ephesina Nestorianos, Leo contra eosdem, simul & Eutychianos locis supracitatis hac ratione oppugnant. Augustinns verò lib. 3. de Trinitate cap. 4. inde tanquam à notiori declarat, quomodo aliter spiritussanctus per columbam, & pater per vocem, aliter filius Dei per filium Mariæ significatus ac repræsentatus fuerit.

Quartum quòd miraculis prope innumeris hæc veritas diuinitus iam olim confirmata fuit, quorum plurima apud probatissimos authores Cyprianum serm. de lapsis, Ambrosium in oratione funebri de obitu fratris, Amphilochium in vita Basilij, Optatum lib. 2. contra Donatistas, Nazianzenum in oratione funebri in sororem Gorgoniam, Chrysostomum lib. 6. de sacerdotio, Augustinum lib. 22. de ciuitate cap. 8. Sozomenum lib. 8. cap. 5. Gregoriũ Ro. lib. 3. dialog. cap. 3. Bernardum in vita Malachiæ, Cæsarium in dialogis, & alios leguntur. Quorum sanè miraculorum pleraque eiusmodi sunt, vt in confirmationem huius catholicæ veritatis edita sint, alia sic exhibita, vt si Christus non verè ac realiter est in eucharistia, fateri cogamur Deum (quod nefas est vel suspicari) ad peccatum idololatriæ homines induxisse, aut certè in eo grauissimo errore magnopere confirmasse.

Quintum sumitur ex adoratione, quæ vel maximè testibus aduersarijs, non signo sed soli Deo debetur. Adorandam autem esse eucharistiam apertè docent Augustini verba suprà citata in psalm. 98. & infrà ostendemus.

Sextum ex eo quòd pij fideles semper omni studio cauerint, ne hoc sacramentum in manus infidelium quoquo modo deueniret, parati mortem oppetere potiùs quàm id vel proderent, etiam auferri ac malè tractari permitterent: idque non ob aliud quàm quòd certò persuasum haberent verum esse illud Christi corpus, ipsumque sanctum sanctorum. Huius rei meminit Tertull. lib. 2. ad vxorem, & exemplum habemus in Tharsitio acolytho Romano, qui ea causa martyrium subijt, vt est in martyrologio Romano ad diem decimum quintum Augusti.

Septimum quod maxima cautela semper prouisum fuit, ne hoc sacramentum, aut vlla eius particula vel in terram caderet, vel aliquo modo per negligentiam periret; itemque ne quid de sanguine Domini vel in terram vel super altare vel super linteum stillaret, grauibus etiam pœnis in delinquentes constitutis. De quibus videre licet Clementem Romanum epist. 2. decretũ Pij 1. quod est apud Gratianũ de consecrat. dist. 2. conciliũ Arelatense apud eundem eodem loco citatum cap. Qui bene Toletanum 3. can. 11. & Matisconense 2. can. 6. Idem testãtur Tertullianus lib. de corona militis. Origenes homil. 13. in Exodum. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 8. mystagogica. Augustinus hom. 26. inter quinquaginta. Quò etiam pertinet quòd Athanasius in vita Antonij, Chrysostomus in epist. ad Innocentium papam, quæ legitur apud Nicephorum lib. 13. historiæ cap. 19. & Victor Vticensis lib. 1. persecutionis Vandalorum cap. 30. tam grauiter conqueruntur de iniurijs Christi corpori vel sanguini per improbos illatis.

Octauum ex eo quod antiquitus à gentilibus accusati fuerunt christiani tanquam vescerentur carne humana. Quæ opinio ex rumore, quem de hoc sacramento acceperant, nata erat; quòd vide-

licet

licet audisset christianos in suis mysterijs vesci carne & sanguine. De qua re scribit Eusebius lib. 5. histor. cap. 1. & Iustinus in apol. Huc quoque referendum quod ijdem infideles objiciebant christianis, quòd dicerent se Christum in locis abditis videre, vt est in epist. cuiusdam Maximi pagani 43. inter epistolas Augustini, atque illud profani iudicis apud Prudentium in hymno Laurentij: Argenteis scyphis ferunt fumare sacrum sanguinem.

Nonum, quòd patres circa hoc sacramentum exigunt fidem & à sensu auocant, & ad Dei omnipotentiam confugiunt, & modum inquiri vetant, vt doceant esse corpus & sanguinem Christi. Quorum nihil opus est si in eo non est corpus & sanguis Christi nisi vt in signo. Loca sunt suprà citata ex Dionysio Alexandrino, ex vtroq; Cyrillo, Ambrosio, Nazianseno, Chrysostomo, Leone & alijs.

Decimum ex eo quòd patres hîc agnoscunt conuersionem seu transmutationem & transsubstantiationem, vt infrà docebimus. Eamque rem declarant exemplis substantialis transmutationis, vt aquæ in vinum & in sanguinem, atque similis terum creationis, vt apud Ambrosium videre est. Atqui non dicitur res transmutari seu conuerti in aliam, ac multò minùs transsubstantiari, cùm accipit nouam duntaxat relationem; maximè si ea relatio sit non realis sed rationis tantùm, qualis est relatio signi ad signatum, vt quæ pendeat ex sola operatione intellectus.

Vndecimum, quòd vetustissima phrasi sacerdotes dicuntur conficere corpus Domini, vt apud Alexandrum, Telesphorum, Hieronymum locis suprà notatis, & apud Chrysostomum homil. 2. in 2. Timoth. & alios subinde. Hoc enim ineptè de eo diceretur, quod tantùm ad significandum assumitur.

Duodecimũ, quod in liturgijs Basilij & Chrysostomi olim per totã ecclesiam oriẽtalem celebratis, imò & Iacobi apostoli eæ preces, inuocationes, & ceremoniæ continentur, quæ vel stultæ sint, vel impiæ, si non in hoc sacramento verus est Christus Dei filius. De quo etiam vide Basilium lib. de spiritusancto cap. 25. Dionysium de ecclesiastica hierarchia cap. 2. & Origenem homil. 6. in diuersa loca euang. vbi refert etiam illud: *Domine non sum dignus &c.* à suscepturis eucharistiam dici solitum.

Decimumtertium, quòd olim fideles eucharistiam suscipientes profitebantur se ipsum corpus & sanguinem Domini sumere. Moris enim erat, vt sacerdote vel diacono porrigente hoc sacramentum & dicente corpus Christi, & rursus, Sanguis Christi, communicaturus ad vtrumque respondetet, Amen. Vnde Ambrosius lib. 4. de sacramentis cap. 4. Dicit tibi sacerdos, corpus Christi, & tu dicis Amen, hoc est, verum, quod confitetur lingua, teneat affectus. In eandem sententiam scribunt Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. cap. 8. Leo sermone 6. de ieiunio septimi mensis, Clemens Romanus lib. 8. constitutionum apostolicarum cap. 20. & Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 8. mystagogica. Itẽ Cornelius in epist. ad Fabium Antioch. apud Eusebium lib. 6. cap. 35. quòd populus Nouato eucharistiam porrigente pro, amen, quod dicere debuerat, iussus fuerit dicere: Non amplius ad Corneliũ reuertar, scilicet Nouato suos astringente eiusmodi iuramento per corpus & sanguinem Domini.

Decimumquartum, quòd vasa quibus hoc sacramentum ministratur, semper in tanto honore

A sint habita, vt non nisi ministris ad hoc peculiariter consecratis ea liceret attingere, vt ex varijs pontificum decretis, aliorumque patrum sententijs facile probari potest. Quorum vnus Hieronymus in epist. ad Theophilum Alexandrinum sic ait: Discant qui ignorant, qua maiestate sacri calices & velamina sint colenda, & iterum: Templa, altaria, vestes, calices, & id genus alia propter consortium corporis Domini magna veneratione coluntur. Hinc est quod Nazianzenus & Optatus ijsdem ferè verbis, ille contra Arianos in oratione, hic contra
B Donatistas lib. 6. sic exclamant: Facinus geminatum est, dum fregistis calicem dominici sanguinis portatorem. ô facinus nefarium, scelus inauditum? Eum calicem Chrysostomus vocat terribilem & maximè formidandum homil. 24. in 1. Cor. 10.

Decimumquintum, quòd huius mysterij celebrationi, angelos, archangelos, aliasque virtutes celestes interesse atque astare cum ingenti veneratione, horrore ac tremore tegi suo ministrantes, eumque adorãtes non vno loco testatur Chrysostomus vt lib. 6. de sacerdotio referens insignem quandam
C visionem, de qua suprà, item homil. 65. ad populum Antioch. hom. 21. in Acta apostolorum hom. 3. in ep. ad Eph. hom. 3. contra Anomæos, & homil. quadam habita in encænijs. Tale etiam est quod sub finem sui dialogi Gregorius ait. Quis enim fidelium habere dubium posset, ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, angelorum choros interesse &c.

Decimumsextũ, quòd si eucharistia tantùm est corpus Christi symbolicum, non ergo differt à pane benedicto, qui olim catechumenis dabatur. Nam & ille symbolum erat corporis Christi & in memo-
D riã passionis eis dabatur, Atqui catechumeni olim non tantùm arcebantur à sumptione eucharistiæ, sed & ne oculis eucharistiam aspicerent, neque sacrificio interessent, seuerissimè cauebatur, vt ex concilijs alijsque patrum decretis constat. Et ipse Augustinus multis locis testatur, id quod dabatur catechumenis licèt sit panis benedictus, non tamen esse corpus Christi; imò catechumenos prorsus nescire quid comedant christiani. Loca sunt tract. 11. & 96. in Ioannem lib. 2. de peccatorum meritis cap. 20. & 26. lib. 10. de ciuitate cap. 6. hom. 42. inter quinquaginta in psal. 39. & 109. & serm. 46. de
E tempore. Hinc est & illud ab Augustino toties frequentatum: Norunt fideles, vel, Nostis fideles. vt epist. 162. tract. 22. 26. 45. & 47. in Ioannem & alibi, fideles autem Augustino sunt soli baptizati, exclusis non tantùm infidelibus, sed etiam catechumenis.

Postremum id satis conuincunt epitheta & honorificentissimæ illæ nomenclaturæ, quibus veteres hoc sacramentum & sacrificium appellarunt Dionysius enim in hierarchia sua ecclesiastica vocat sacrosancta, augustissima, & venerabilissima mysteria. Eusebius lib. 1. demonst. euang. cap. 10. Deo plenum, & horrorem adferens, & sacrosanctum sacrificium.
F Chrysostomus mysterium omnium maximè horrendum, verendumque & rursum, Ineffabilia, veneranda, tremenda, horrendissima mysteria, terribile & formidandum sacrificium. Loca sunt apud eum passim obuia. Similia apud Nazianzenum, Cyrillum, Damascenum, & alios occurrunt. Quæ omnia nimis quàm ineptum & absurdum est ad nudum signum referre.

§. 5. Ad-

§. 5. *Aduersariorum argumentis ab authoritate petitis respondetur.*

Vide S. Thom. ibidem

VEritas supradictæ catholicæ doctrinæ multis argumentis ab aduersarijs oppugnatur, quorum quibusdam dudum respõsum est, vbi de sensu verborum Christi, *Hoc est corpus meum*, agebatur. Alia verò ex authoritate & alia rursum ex ratione naturali petuntur. Quæ authoritati nituntur, hæc ferè sunt.

Primum Christus Ioannis 6. cùm carnem suam manducandam & potandum sanguinem promisisset, eoque sermone plærique auditores offensi discederent dicentes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum.* Et iterum; *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* peruersum eorum intellectũ correxit his verbis: *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam, verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Quo responso reuocat auditores ab intellectu manducationis carnalis ad intellectum manducationis spiritualis, iuxta illud Augustini eum locum tractantis tract. 27. in Ioan. Quid est, inquit, spiritus & vita sunt? spiritualiter intelligenda sunt, Intellexisti spiritualiter? spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter? etiam sic illa spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt.

Secundum, Matth. 24. præmonuit suos Dominus dicens: *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere* Et iterum, *Si dixerit vobis ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere*, ergo Christus non est corporaliter in sacramento, sic vt monstrari possit & dicier hic est.

Tertium Ioannis 12. disertè dictum est à Domino ad discipulos, eorumque successores; *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis.* Quod de corporali præsentia intelligitur. Nam de spirituali sic loquitur Matth. vltimo. *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.*

Quartum, Monet ecclesia fideles inter ipsa missarum solemnia, vt sursum cor habeant & apostolus Colos. 3. ait: *Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram.* Non ergo Christus hic super terram est in sacramento.

Quintum, In secreta missæ secundæ natiuitatis Domini rogat sacerdos, vt hæc terrena substantia conferat quod diuinum est. Non igitur transit in substantiam corporis Christi.

Sextum Augustinus scribens in psalm. 98. ad illa verba: *Adorate scabellum pedum eius &c.* in Christi persona sic ait: Verba quæ locutus sum vobis, spiritus est & vita. Spiritaliter intelligite quæ locutus sum; non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritaliter intellectum viuificabit vos. Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi. Ex quibus verbis apparet Augustinum non nisi spiritualiter intelligere Christi corpus & sanguinem à fidelibus manducari & bibi.

Septimum, Idem Augustinus serm. 28. de verbis Domini dicit corpus Christi non esse panem qui descendit in ventrem, & tamen lib. 3. de trinitate cap. 10. dicit panem Eucharistiæ consumi edendo, igitur panis eucharistiæ non est corpus Christi.

Octauum Idem tract. 25. in Ioan. ostendit cor-
A pus Christi tantùm fide manducari his verbis: Vt quid paras dentes & ventrem? Crede, & manducasti, igitur quod dentibus teritur & in ventrem mittitur, non est corpus Christi.

Nonum, Idem homil. 26. inter quinquaginta loquens de prædicatione euangelica. Quid vobis, inquit, plus esse videtur, verbum Dei, an corpus Christi? si verum vultis respondete, hoc vtique dicere debetis, quòd non sit minus verbum Dei quàm corpus Christi. Et paulò pòst, Non minùs reus erit qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit. Hæc ille, quæ vera non
B essent, si verum & non symbolicum esset corpus Christi in eucharistia.

Decimum, Idem Augustinus concione 1. in psalm. 30. dicit quod Christum in cælo sedentem nullus homo tangit, non ergo sic est in altari, vt tangi possit, nempe corporaliter.

Postremum, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi. 14. ait: Si dixerint: ecce hic Christus, ecce illic, ne credas, neque deinceps infrà & in terram respice. Ad eum modum & Maximus loquitur homil. 4. de sepultura Domini dicens: Christum nec super terram nec in terra quærendum esse. His argu-
C mentis ita sigillarim respondemus.

Et primo quidem Christum ijs verbis non significasse, quòd caro sua nil prosit hominibus ad iusticiam & salutem. Nam si caro nihil prodesset (ait Augustinus tract. 27. in Ioan.) verbum caro non fieret, vt inhabitaret in nobis, *Sed caro non prodest quicquã*, quomodo Capharnaitę intellexerũt; sic nimirũ quomodo caro in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Sic & in expositione psalm. 98. de eisdem loquens ait: Acceperunt illud stultè, carnaliter il-
D lud cogitauerunt, & putauerunt, quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis. Similiter scribit lib. 3. de doctrina christiana cap. 16. & rursum in Ioan. tract. 11. Vult autem Augustinus ita dictum esse: *Spiritus viuificat, caro non prodest.* sicut dictum est: *Scientia inflat, caritas ædificat*; vt quomodo hac sententia significatum est scientiam inflare sine charitate, sic illa significetur carnem nihil prodesse sine spiritu; videlicet diuino. Vnde nec dixit Dominus: Caro mea non prodest, id est, caro verbo coniuncta, sed absolutè, *caro non*
E *prodest.* Hunc sensum etiam Cyrillus reddit in Ioan. scribens. Cæterùm Chrysostomo & eius sequacibus magis placet, vt per spiritum & carnem accipiatur spiritalis & carnalis dictorum intelligentia; spiritualis quidem secundùm quam intelliguntur vel de sola spirituali manducatione, vel de spirituali & sacramentali manducatione simul, idque iuxta diuersas patrum interpretationes. Carnalis verò secundùm quam intelliguntur eo modo quem paulò antè verbis Augustini reprobauimus. Vnde quod sequitur conformiter accipiendum est hoc modo: Verba quæ locutus sum vobis de mandu-
F canda mea carne & bibendo sanguine, spiritalia sunt, & spiritualiter intelligenda, atque eo modo intellecta conferunt vitam. Non igitur his verbis corporalis seu sacramentalis manducatio excluditur, sed carnalis, de qua etiam dictum est ad dist. 9.

Ad secundum respondetur Christum eo loco fideles præmunire contra pseudoprophetas seu falsos doctores, quorum quisque se verum esse Christum, & apud se veram esse Christi ecclesiam & à se veram de Christo doctrinam tradi iactabit.

Quem

Quem sensum clarè monstrant sequentia: *Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ &c.* Quòd si verba Domini crudè accipias, neminem esse audiendum qui dicat, Hic est Christus, cogeris fateri nec Deum audiendum, quando dixit, *Hic est filius meus dilectus.*

Ad tertium scripturæ locum respondetur, non de quacunque corporali præsentia loqui Dominum. Nam & post resurrectionem etsi discipulis corpore præsentem se exhiberet, quoniam tamen non ita tunc illis erat præsens, sicut antè fuerat, hunc præsentem se negat cùm ait Lucæ vltimo: *Hæc locutus sum, cum adhuc essem vobiscum.* Loquitur ergo Dominus de ea præsentia qua tanquam homo humanis necessitatibus obnoxius familiarem cum hominibus habebat conuersationem, & ab ijs humanæ necessitatis ministeria suscipiebat. Quo modo Christus haudquaquam nobis præsens est in sacramento.

Ad quartum respondetur, si sursum cor habere id esset quod contemplari ea quæ sunt in loco sublimi, hac ratione astrologi maximè cor sursum haberent; sed sursum cor habere illi verè dicendi sunt, qui mentem habent intentam spiritualibus ac diuinis rebus, quocunque res illæ sint loco: quomodo sursum cor habebant beata Maria & Magi, & discipuli Christi, & multi alij, etiam tunc quando Christum in terris adhuc versantem adorabant. Similiter autem quid sit ea quæ sursum sunt quærere, vel ea quæ sunt super terram, facile est ex ipso contextu apostoli Colos. 3. declarare. Iuxta quem sensum fatendum quoque est Christum non esse super terram, quia cibus est diuinus ac cęlestis, quo animus pascitur, non quo corpus saginatur.

Ad quintum respondendum in ea oratione intelligi terrenam substantiam, quatenus in cælestem est commutanda. Recitatur enim illa oratio ante consecrationem. Potest nihilominus etiam per terrenam substantiam caro Christi intelligi, quæ sua origine terrena quidem est, vtpote de terra sumpta, quemadmodum Augustinus testatur scribens in psalm. 56. eadem tamen quatenus est verbo coniuncta, diuinum nobis confert effectum.

Quod ex Augustino primum obijcitur, nullo modo significat verum Christi corpus in eucharistia non esse, cùm id eodem loco Augustinus apertissimè affirmet, sed hoc sensu accipiendum: Non esse ibi corpus Christi in propria sua specie, quomodo apparebat cùm in terra versaretur, & quomodo nunc beatis apparet in cælo. Hoc enim est quod ait: Non hoc corpus quod videtis, non illum sanguinem quem fusuri sunt, id est, non illa specie qua tunc & corpus & sanguis apparuit. Excludit ergo verbis illis carnalem manducationem corporis Christi, non sacramentalem, neque corporalem, sicut & Christus Ioan. 6. dicens: *Verba quæ locutus sum vobis &c.* ad quæ respicit hoc loco Augustinus. Et nota Augustinum alibi expressè dicere nos edere idem ipsum corpus quod traditum est in mortem, & bibere eundem sanguinem qui effusus est in cruce, vt in expositione psal. 33. Magnus Dominus, inquit, qui nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est.

Cur autem Augustinus & alij quidam ex veteribus interdum obscuriùs locuti fuerint, aut scripserint de hoc mysterio, hæc causa fuit, quòd auditores habere se scirent non tantùm christianos, sed & catecbumenos & infideles, quibus occultanda erant secretiora religionis nostræ mysteria. Qua de re Dionysius in hierarchia eccles. Timotheum

A diligenter admonet & obtestatur, ne quæ à se scripta essent de mysterijs diuinis, passim diuulget. Similis est admonitio Ambrosij initio libri de iis qui mysterijs initiantur. Eius rei meminit & Basilius lib. de spiritusancto cap. 27. Et ipse Augustinus ob hanc causam, vt suprà monuimus, quoties ferè mentio incideret huius sacramenti, dicere solitus erat, Norunt fideles, qui legit intelligat, vel quid simile; videlicet huiusmodi verbo fidelibus tanquam conscijs insinuans de quo mysterio loqueretur: neque tamen id prodes aut infidelibus, ne fortè contemnerent, aut catechumenis, vt rem occultatā
B tantò magis desiderarent, & desiderando ad baptismi gratiam properarent. Quam de catechumenis rationem ipse reddit tract. 96. in Ioan. his verbis: Quia etsi non eis fidelium sacramenta produntur, non ideo fit quòd ea ferre non possint, sed vt ab eis tantò ardentiùs concupiscantur, quantò eis honorabiliùs occultantur.

Ad id quod septimo ex duobus Augustini locis obijciebatur, respondemus ea loca neque inter se, neque cum catholica doctrina pugnare. Prior enim locus significat corpus Christi non esse panem
C ad hoc institutum, vt in ventrem dimissus corpus nutriat, sed vt animam pascat. Vnde ibidem vocatur panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Quanquam sermo ille non Augustini est sed Ambrosij, videlicet idem prorsus cum quarto cap. lib. 5. de sacramentis. Posterior non aliud vult quàm panem illum edendo consumi ratione specierum post consecrationem remanentium, sub quibus est corpus Christi.

Ad octauum in primis responderi potest, Augustinum eo loco non agere de eucharistia, sed de
D pane profano. Explicat enim illa Christi verba: *Quæritis me quia manducastis ex panibus & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Quem cibum ipse Dominus mox interpretatur opus fidei. Quo loco nulla adhuc facta fuerat mentio carnis & sanguinis Christi in alimoniam instituendi. Quoniam tamen interrogatio Augustini generalis est, quæ ad omne id quod corporaliter manducatur, extendi possit, quam proinde & Magister dist. 9. & Gratianus de consecrat dist. 2. cap. vt quid. & plærique alij etiam ad sacramentalem eucharistiæ sumptionem pertinere intellexerunt: hinc generaliter quoque
E respondemus Augustinum illis verbis hortari ad id quod præcipuum est, quodque per se solum sufficere potest, & sine quo id quod sumitur, corporaliter non prodest; nimirum ad fidem charitate formatam; atque hanc spiritualem manducationem præferre non modò sumptioni cibi cuiuscunque profani, verùm etiam ipsius eucharistiæ. Quo sensu alibi scriptura misericordiam sacrificio, spiritum literæ, charitatem scientiæ comparat.

Ad nonum respondemus eam homiliam non esse Augustini, cuiuscunque tamen sit, nihil continere catholicæ veritati contrarium. Sicut enim au-
F thor ille non dicit corpus Christi plus esse quàm verbum Dei, ita nec contra affirmat verbum Dei plus esse quàm corpus Christi, quod tamen secundùm doctrinam aduersariorum dicendum erat, sed tantùm negat minus esse. Intelligit enim verbum Dei secundùm res per illud significatas, hoc est, diuinas, in quibus est Deus ipse, & verbum æternum. Quarum quidem rerum ratione magna debetur ipsi verbo prædicationis veneratio, quam hyperbolicè significare voluit, quando dixit: Non minùs reum esse, qui verbum Dei negligenter audierit

&c.ni-

&c. nimirum hoc persuadere volens, vt summo studio & attentione audiatur res tantopere commendata.

Ad decimum respondetur, quòd Christum in cælo sedentem nemo tangit humano modo, sic videlicet vt lædere seu nocumentum corporale inferre possit. De tali enim tangendi modo ibi Augustinus loquitur, tametsi & sic intelligi potest, secundùm proprias sui corporis qualitates Christum nunc tangi non posse ab homine in terris posito. Nam in eucharistia tangitur tantummodo secundùm species alienas.

Ad postremum respondetur Cyrillum idem significare quod Christus in euangelio; nempe secundùm humanam conuersationem & visibilem corporis præsentiam non amplius eum in terra futurum nobiscum, & proinde si quis Christum eo modo præsentem hic nobis monstrare voluerit, non ei esse credendum. Non dissimilem sensum habent verba Maximi, Christus enim postquam semel in cælos ascendit, non iam vel super terram quærendus est, quomodo à discipulis & Iudæis, & ab ipsa matre sua mortalis adhuc existens quærebatur; vel in terra, hoc est, in sepulcro, quomodo à mulierculis quæsitus fuit iam mortuus, nempe secundum speciem humanam, in qua ab hominibus tunc conspici potuit. Nam secundùm illam speciem subtractus mortalium oculis nunc regnat immortalis in cælis.

§. 6. *Respondetur ad argumenta quæ ex ratione petuntur, ea potissimùm, quæ contendit idem corpus esse non posse in pluribus locis.*

S. Thom. dist. 9. 75. art. 1. & 9. 76. ar. 1. & 5. 6 & 7.

AD ea nunc aduersariorum argumenta respondeamus, quæ veritatem huius sacramenti ex ratione naturali oppugnant. Inter quę primum & præcipuum hoc est: Fieri non posse, ne quidem per miraculum seu virtute diuina, vt idem aliquod corpus sit in pluribus ac distinctis locis, ideoque impossibile esse vt corpus Christi simul sit in cælo & in terra, simulque sit in tam multis altaribus, in quibus consecratur. Cùm igitur in symbolo confiteamur Christum secundùm humanam naturam in cælum ascendisse, ibique sedere ad dexteram patris, atque inde venturum ad generale iudicium. Et Act. 3. Petrus testetur de eo dicens: *Quem oportet quidem cælum suscipere vsque in tempora restitutionis omniũ*, consequens videtur eum non esse corporaliter nobis præsentem in sacramento, præsertim in tam multis altaribus quibus eodem tempore fit consecratio. Propositionem autem variè probant.

Primum ex verbis angeli dicentis ad mulieres de Christi corpore Matth. 28. *Non est hic, surrexit enim sicut dixit.* Quæ verba videntur hanc argumentationem continere: Christus surrexit ex hoc loco, ergo non est in hoc loco.

Deinde ex quibusdam Augustini dictis. Nam in epist. 57. ad Dardanum disputans quomodo Deus vbique, docet Christum vt hominem non vbique esse sed certo loco, scilicet cælo contineri. Noli, inquit, dubitare ibi nunc esse hominem Christum Iesum vnde venturus est, nec aliunde quàm inde venturus est ad viuos, mortuosque iudicandos. Item tract. 30. in Ioannem sic ait: Donec seculum finiatur sursum est Dominus, sed etiam hic est veritas dominus. Corpus enim Domini, in quo resurrexit vno loco esse potest, veritas eius vbique diffusa est. Et tract. 50. ad illud: *Me autem non semper habebitis*, ait: Non est hic, Ibi enim sedet ad dexteram patris. Quibus verbis hanc indicat argumentationem: Christus est in cælo, ergo non est in terra. Et eodem loco non aliter Christum hic præsentem agnoscit, quàm secundùm præsentiam maiestatis.

Præterea huiusmodi proferunt rationes. Primò si idem corpus simul esse posset in diuersis locis, eadem ratione posset esse in omnibus locis & in infinitis, hoc autem falsum est, cùm sit diuinitati proprium esse vbique & omnia implere.

Secundò, si corpus idem esset in pluribus locis, existeret extra terminos proprios (locus enim proprius terminus est & mensura corporis) & proinde esset extra seipsum.

Tertiò, ex eadem positione sequeretur idem corpus posse simul moueri motibus contrarijs, velut sursum & deorsum, dextrorsum & sinistrorsum. Hoc autem est impossibile, vtpote ex contrarietate contradictionem inuoluens.

Quartò, rursum sequitur idem corpus posse simul qualitatibus contrarijs affici, sicque fieri poterit, vt simul sit calidum & frigidum, sanum & ægrum, viuum & mortuum, quod est absurdissimum.

Quintò, Nulla virtute fieri potest, vt sit idem simul in diuersis temporibus, ergo nec fieri potest, vt sit in diuersis locis.

Iam præter hoc argumentum ex diuersitate locorum sumptum adferuntur & alia eiusdem generis. quale est illud: Si corpus Christi est in eucharistia, sequetur id quod maius est, contineri à minori, maius enim est corpus Christi quàm species illa panis. Id autem est impossibile & naturæ rerum repugnat.

Item: Corpus Christi in eucharistia aut quantum est aut non quantum; si quantum, igitur vt dictum est, minor quantitas comprehendet maiorem. Si non quantum, ergo idem corpus esset quantum & non quantum; scilicet in cælo quantum, in eucharistia non quantum. Imo sequetur ipsum in eucharistia non esse corpus, quandoquidem corporis ratio sine quantitate non subsistit.

Huc accedit quod Augustinus in epistola dicta ad Dardanum dicit partes corporis necessariò inter se distare & simul esse non posse: quoniam, inquit, sua quæque spacia locorum tenent, minores minora, maiora maiores &c. & infrà: Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt; & quia nusquam erunt, nec erunt. Imò Augustinus in serm. ad infantes eo argumento probat Christi corpus non esse in altari, quia receptum est in cælum. Illuc, inquit, leuauit corpus suum, vnde est venturus vt iudicet viuos & mortuos. Ibi est modò sedés ad dexteram patris. Quomodo est ergo panis corpus eius? & calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis eius?

Postremò sic argumentatur Caluinus, Christus ait: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet*, sententia igitur Christi carnis veritas probatur ex eo, quod palpari possit & videri. Aufer ergo ista, & caro esse desinit.

Obijciunt etiam præsentiam Christi corporalem impedimento esse ad fruendum præsentia eius spirituali, & accipiendum spiritumsanctum iuxta illud. Ioan. 16. *Expedit vobis vt ego vadam si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos*, tanquam

dicerer ait Augustinus in illum locum tract. 94. Expedit vobis vt hæc forma serui auferatur à vobis, & iterum: Non potestis capere spiritum quandiu secundùm carnem persistitis nosse Christum. Vnde ille qui iam acceperat spiritum. *Etsi noueramus*, inquit, *secundùm carnem Christum, sed nunc iam non nouimus*. 2. Corinth. 5.

His argumentis vt respondeamus primò omnium statuendum est, multa Deo possibilia esse, quæ ab intellectu humano comprehendi non possunt, atque inter ea haud dubiè etiam istud esse, quod de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in eucharistiæ sacramento tradit ecclesiæ fides. Neque proinde laborandum esse, vt quæ in hoc sacramento mirabilia sunt, à nobis intelligantur; velut quomodo Christus sit in hoc sacramento, quomodo fieri possit, vt sit idem in pluribus locis, quomodo totus sit in toto sacramento, & in qualibet parte, quomodo fiat ipsa conuersio & alia huiusmodi: sed indoctis quidem sufficere, vt simpliciter credant hæc ita se habere, doctis verò, si præterea possint ipsam veritatem idoneis argumentis ac testimonijs aliquatenus ostendere & confirmare, eamque ab omni absurditate aduersus infidelium argumenta defendere & vindicare, vt monet Augustinus lib. 14. de Trinitate cap. 1. Qui verò pro fundamento habent, vt aliud credere nolint quàm quod intelligunt, ideoque hæc quæ modò diximus, Deo possibilia esse negant, similes illis sunt qui dixerunt: *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto*, &: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*, & Sadducæis qui possibilem esse negantes mortuorum resurrectionem, audierunt à Christo: *Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei*, & paganis, qui partum virginis tanquam impossibilem respuerunt. Contra quos Augustinus epist. 3. ad Volusianum ait: Hic si ratio quæritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse quod nos fateamur inuestigare non posse; in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. Sic ille. Nec dissimiliter Gregorius homil. 26. in euangelia. Sciendum nobis est, inquit, quòd diuina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Hæc ille. Quod autem Deo non sit impossibile, vt idem corpus esse faciat in diuersis locis, primùm ex eo probatur; quia nullam id impliceat contradictionem, ideoque à Dei omnipotentia minimè remouendum.

Deinde confirmatur à simili quod in scriptura sacra manifestè declaratum habemus, videlicet diuersa corpora per omnipotentiam Dei simul esse posse; Christus enim clauso sepulchro resurrexit Matth. 28. & ad discipulos ianuis clausis ingressus est Ioan. 20. vt ea interim omittamus, de quibus aliquo modo dubitari posset, nempe an clauso penitus vtero materno prodierit in lucem, & an in cælum ascenderit absque celestium orbium diuisione. Nam quod ad duo priora exempla attinet, nullam nobis disputationem post scripturam clarissima & consona patrum testimonia relinquunt. Ita enim disertè testatur Ambrosius in Lucæ vltimum, Origenes homil. 17. in Lucam. Augustinus serm. 102. de diuersis capit. 8. & 12. vbi dicit: Dominus noster, quod radius oculi nostri non potest, corpus etiam per claustra, id est, per ostia clausa traiecit. Et quà nos videre non possumus, ille potuit & intrare. Idem affirmant ac docent Gregorius homil. 26. iam memorata, Beda homil. 1. inter æstiuales de tempore. Theophylactus in Ioan. 20. & alij quicunque hoc argumentum attigerunt. Cùm igitur apud philosophos naturales non minùs impossibilis sit penetratio dimensionum corporearum, qua fit vt duo corpora in eodem sint loco, quàm pluribus in locis vnum idemque corpus esse; si alterum Deo possibile est, erit & alterum. Et sanè prius illud etiam aduersariorum quidam concedunt, vt B. Aretius Bernensium Theologus scribens in Ioan. 20.

Disputatur quidem variè apud scholasticos possitne virtute diuina idem corpus circumscriptiuè siue localiter esse in pluribus locis. Quod etsi certis rationibus moti quidam negant, vt Sanct. Thomas & qui eum sequuntur, quorum sententia magnam habet ex ratione probabilitatem: Scotus tamen & alij nonnulli non improbabiliter affirmant; tum quia nec id contradictionem includit; tum quia constat virtute diuina duo corpora etiam circumscriptiuè eodem in loco esse, vt iam probatum est. Illud interim apud omnes Theologos indubitatum est, sacramentaliter idem corpus esse posse in pluribus locis, vel in vno localiter, & in alio vel alijs sacramentaliter, idque sufficit ad præsentem disputationem. Quamuis enim fide tenendum sit iuxta patrum doctrinam & concilij Tridentini definitionem sess. 13. capit. 1. & can. 1. verè, realiter ac substantialiter in eucharistiæ sacramento contineri corpus Christi, non tamen ibi est localiter seu circumscriptiuè seu naturaliter, neque proinde passibiliter neque sensibiliter. Vnde consequens non est idem corpus diuersis in locis tali aliquo modo existere. Hæc autem inter se non pugnant, quemadmodum ibidem Tridentina synodus declarat, vt Christus Saluator nunc semper ad dexteram patris in cælis assideat, iuxta modum existendi naturalem; & vt multis nihilominus alijs in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, & constantissimè credere debemus. Hæc synodus. Hunc autem modum existendi doctores cum synodo sacramentalem appellant, dicuntque Christum in eucharistia esse sacramentaliter. Qua phrasi non significatur Christum ibi tantùm esse vt in signo, licèt sacramentum sit in genere signi, sed corpus Christi in eo esse secundùm modum proprium huic sacramento, vt ait Sanct. Thomas 3. quæst. 75. artic. 1. ad 3. Modus autem ille cùm à nobis ad plenum intelligi non possit, magis per negationem quàm affirmationem explicandus est. Quatuor autem aut quinque sunt quæ competunt alijs corporibus, & tamen remouentur à corpore Christi, vt est in hoc sacramento. Quorum primum est alicubi esse circumscriptiuè. Non enim circumscribitur quantitas corporis Christi vel speciebus ipsis vel loco specierum, neque illi commensuratur secundùm extensionem. Hoc enim modo tantùm est in loco, quem in cælis habet.

Alterum est esse passibiliter, cuius negatio ex priori sequitur. Nam si corpus Christi non est

localiter in hoc ſacramento, igitur in eo non poteſt agere, neque pati quicquam ſecundùm naturam. Nulla enim actio vel paſſio naturalis terminari poteſt, niſi ad aliquid loco extenſum, cui naturalia agentia appropinqoare debent vt agant. Vnde rectiſſimè dicitur hic eſſe Chriſti corpus per modum ſubſtantiæ, quæ quidem paſſionem non admittit, niſi ſecundùm accidentium extenſionem. Quare nec corpus Chriſti mortale, quando ab ipſo conſecratum fuit in vltima cæna, quicquam in hoc ſacramento patiebatur, aut pati poterat, velut quando diuidebatur, & à diſcipulis manducabatur. Non enim eo modo ibi erat quo pati poſſet. Vnde quamuis paſſibile & mortale corpus ſuum tunc dederit Chriſtus diſcipulis, non tamen in ſacramento tunc pati poterat aut mori, niſi per accidens, quatenus paſſio aut mors ei poterat inferri ſecundùm propriam ſpeciem & naturalem exiſtendi modum.

Tertium eſt eſſe ſenſibiliter. Cuius item negatio ex primo negato conſequitur. Vt enim tangatur, aut videatur, aut alio ſenſu percipiatur quippiam, neceſſe eſt vt extenſionem habeat ipſarum ſenſibilium qualitatum. At in hoc ſacramento licèt adſint accidentia corporis Chriſti, non tamen ad locum ordinem habent immediatum, ſed ad ſubſtantiam Quare neque extenſio ſecundùm locum illis competit. Ex quo etiam infertur, nec ab oculo glorificato Chriſtum in hoc ſacramento propriè videri poſſe, vt rectè docet S. Thomas 3. quæſt. 76. art. 7.

Quartum eſt per ſe moueri ſecundùm locum. Cuius negatio ſimiliter negationem primi conſequitur. Motus enim localis per ſe præſupponit eſſe in loco per ſe. Quare ſi per ſe non eſt corpus Chriſti in hoc loco (quia non eſt ibi circumſcriptiuè) nec per ſe in eo, vel ſecundùm eum mouebitur. Mouetur autem per accidens ad motionem ſpecierum, quomodo ad motionem hominis mouetur ſcientia, quæ in ipſo eſt.

Quintum eſt, poſſe deſinere per ſe. Quod ſimiliter ſuperioribus cohæret. Si enim corpus Chriſti vt eſt in hoc ſacramento, à nullo agente pati poteſt, certè nec corrumpi poterit, nec omnino effici vt per ſe ibi eſſe deſinat; videlicet per præuiam aliquam ſui mutationem, ſed tantùm deſinit ibi eſſe per accidens, vtpote per corruptionem, & vt ita loquamur, deſitionem ſpecierum.

Denique cùm mutatio qua corpus Chriſti eſſe incipit in hoc ſacramento, terminetur immediatè ad ſubſtantiam corporis Chriſti, dicente ſacerdote, *Hoc eſt corpus meum*: tenendum eſt, & ipſum Chriſti corpus & quantitatem eius, & cætera accidentia in eo eſſe non per modum quantitatis, ſed per modum ſubſtantiæ, quamuis ille modus ſit nobis incomprehenſibilis.

His ita præmiſſis ad primam & præcipuam obiectionem initio propoſitam reſpondemos, vt ſeſe habeat opinio Scoti & aliorum putantium virtute diuina poſſe idem corpus eſſe in pluribus locis circumſcriptiuè, certum tamen eſſe iuxta modum iam dictum id Deo eſſe poſſibile, quomodo etiam ſine dubitatione confitemur animam rationalem eandem numero totam eſſe in ſingulis membris humani corporis, licèt illa membra diſtantiam inter ſe localem habeant. Eſt enim hoc quandantenus ſimile. Nam licèt anima non ſit corpus, ideoque magis mirabile ſit, minuſque in-

A telligibile tale quid virtute diuina repetiri in corpore; ſciendum tamen eſt etiam naturam alicuius ſubſtantiæ corporeæ vt aëris vel aquæ totam eſſe ſub qualibet parte dimenſionum ſub quibus continetur, idque indifferenter; ſiue dimenſiones ipſæ ſint actu diuiſæ, ſiue actu indiuiſæ, diuiſibiles autem potentia, quemadmodum explicat Sanct. Thomas 3. quæſt. 76. artic. 3.

Ad priorem probationem reſpondetur, bonam eſſe ſequelam in verbis angeli; vel quia natu-
B raliter fieri nequit, vt ſit idem corpus in diuerſis locis; vel quia ſimpliciter id impoſſibile eſt ſecundùm modum exiſtendi naturalem. Qua ratione Chriſti corpus in ſepulchro quærebatur. Vnde poſterior hæc reſponſio melior eſt.

Ad poſteriorem ſimilis eſt reſponſio. Vult enim Auguſtinus iuxta dictum exiſtendi modum non alibi Chriſtum eſſe quàm in cælo, eiuſque certo ac determinato loco, nec aliunde venturum ad iudicium; quamquam hoc poſterius nulla huiuſmodi limitatione indiget. Quamuis enim ſit Chriſtus in altari, quoniam tamen non ibi ſic eſt, vt per ſe loco moueatur, quemadmodum iam
C oſtendimus, abſolutè verum eſt Chriſtum non inde, ſed è cælo tantùm per localem deſcenſum ad iudicium venturum eſſe.

Iam quod ad ſubiectas ratiunculas attinet, reſpondemus ad primam non eſſe Deo impoſſibile, vt ſaltem ſecundùm modum exiſtendi ſacramentalem idem corpus ſit in omnibus locis, non tamen in infinitis actu; quoniam nec infinita actu loca exiſtere poſſunt. Diuinitas autem peculiari quodam & incommunicabili modo vbique eſt, vti docetur diſtinct. 37. lib. 1.

Ad ſecundam nec id Deo eſſe impoſſibile, vt
D ſecundùm modum iam dictum corpus eſſe faciat etiam extra locum illum cui ſecundùm quantitatem commenſuratur, & proinde extra terminum proprium, quem ibi habet. Nec ſic erit extra ſeipſum, ſed idem ipſum in diuerſis locis, ſicut anima non extra ſe, ſed eadem eſt in diuerſis membris.

Ad tertiam & quartam, licèt opinionem Scoti fortè deſtruant hæ rationes (de quo impræſentiarum non laboramus) non tamen eum modum exiſtendi in diuerſis locis, quem corpori Chriſti tribuimos. Vt enim declarando diximus,
E corpus Chriſti vt eſt in ſacramento, neque pati poteſt, neque corrumpi, neque per ſe loco moueri, neque per ſe deſinere. Per accidens autem moueri quippiam motibus contrarijs, aut eſſe deſinere cùm adhuc alibi exiſtat, nihil eſt abſurdi, poteſtque res ea ſatis animæ rationalis exemplo declarari.

De poſtrema patet non eſſe ſimile. Non enim ſicut loca ſic tempora plura ſimul eſſe poſſunt, cùm temporis propria ratio in ſucceſſione conſiſtat. Et tamen nec id prorſus videtur impoſſibile. Poteſt enim Deus facere duos mun-
F dos & idem corpus ponere in vtroque, & ſic erit ſimul in diuerſis temporibus, quia diuerſorum mundorum diuerſa erunt tempora, licèt ſimul currentia.

Ad ſecundum principale argumentum ex dictis quoque reſponſio patet. Sicut enim corpus Chriſti ſic & quantitas eius eſt in hoc ſacramento, non per modum quantitatis, ſed ſubſtantiæ: cuius propria totalitas) vt S. Thomas ait 3. quæſt. 76. art. 1. ad 3.) continetur indifferenter in parua

vel ma-

vel magna quantitate. Hoc ergo modo magnam quantitatem sub parua contineri non est inconueniens.

Tertij argumenti solutio similiter obuia est ex dictis. Vbi tamen addimus posse diuina virtute quantitatem corpoream à corpore substantia separari, cùm non sit ei essentialis.

Quod rursum ex epist. Augustini ad Dardanum adfertur, id de naturali modo existendi corporum intelligi iam supra monuimus. Non enim ibi quid Deus possit, quærit Augustinus, sed quid corporibus naturaliter competat, exponit.

Porrò Caluini argumentum quàm sit infirmum ex eo ostenditur, quòd Christus aliquando inuisibilem se reddidit, & sic euanuit ex oculis circumstantium, vt Lucæ 4. & 24. & Ioan. 8. nec sic tamen verum corpus humanum habere desijt. Tale & illud est, quod super mare ambulauit, Matth. 14. & Ioan. 6. imò & Petro vt idem faceret, præstitit, quamuis hoc sit contra naturam corporis grauis. Similiter autem & iopalpabilem reddere se potuit. Quantò igitur magis hæc eadem præstare potest corpori suo in sacramento, vbi non naturalem sicut in dictis exemplis, sed peculiarem quendam habet existendi modum? Quocirca ad argumentum respondetur, rectè quidem, vt Christus fecit, affirmatiuè colligi; Palpatur & videtur, ergo corpus est, non spiritus neque phantasma. Signa enim hæc io suo genere sufficientia erant ad ostendendam humani corporis veritatem; præsertim vbi & alia concurrebant ad probandum efficaciora, quemadmodum S. Thomas declarat 3. quæst. 55. art. 6. Negatiuè autem vt facit Caluinus, non rectè, nisi fortè consequens intelligatur de corpore iuxta oaturalem eius existendi modum, atque excluso miraculo. Nam contrarium alioqui probant exempla iam dicta.

Quod vltimo loco obijcitur, de ea præsentia dumtaxat accipiendum, qua præsens quis dicitur secundùm modum humanæ conuersationis in hac vita. Talis enim præsentia impedimento esse solet, ne satis honorabiliter & præclarè de aliquo sentiamus. Vnde beati prædicantur qui in Christi humilitate non fuerunt scandalizati; sed & Pauli apostoli præsentia corporis infirma fuit & sermo contemptibilis, vt ipse testatur 2. Corinth. 10. At in eucharistia Christus est inuisibili & spirituali quodam modo, & proinde admirabili magis quàm contemptibili. Quin etiam in cælesti gloria (cuius hoc sacramentum pignus quoddam est) Christum corporaliter & visibiliter præsentem semper habebimus; nec ea res impedit quò minùs eo perfectè fruamur secundùm spiritum. Quæ hic de accidentibus seu speciebus panis & vini remanentibus obijci & tractari poterant, oportuniùs ad distinct. 12. cum Magistro à nobis tractabuntur.



§. 7. *Totum Christum sub vtraque specie & qualibet parte contineri.*

SEmper hæc fides in ecclesia Dei fuit, aiunt patres concilij Tridentini sess. 13. cap. 3. statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem sub panis & vini specie, vnà cum ipsius anima & diuinitate existere. Sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus Rom. 6. inter se copulantur; diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypostaticam vnionem. Quapropter verissimum est tantundem sub alterutra specie atque sub vtraque contineri. Totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quauis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie & sub eius partibus existit. Hæc apertissima est synodi doctrina, quam deinde repetit can. 1. & 3. eiusdem sess. & iterum sess. 21. capit. 3. & can. 3. Similiter iam antè definierat synodus Constantiensis sess. 13. & Florentina in decreto Eugenij ad Armenos. Quòd autem hæc fides, vt Tridentina synodus testatur, in ecclesia Dei semper fuerit, ostendere non est difficile.

S. Tho. 3. p. q. 76. ar. 1. 2. 3. & 4. item 9. 11.

Primùm Andreas apostolus, vt legitur in epist. presbyterorum & diaconorum Achaiæ, coram iudice affirmat se quotidie io altari sacrificare agnum immaculatum; qui cùm à toto fidelium populo comedatur, nihilominus integer perseuerat & viuus. Hanc ergo fidem apostoli successoribus suis reliquerunt. Vnde passim apud veteres legimus non tantùm Christi corpus vel Christi sanguinem in hoc sacramento contineri, offerri atque à fidelibus sumi, sed & Christum ipsum Dei filium & agnum tollentem peccata mundi; quod propriè verum non esset, nisi totus Christus sub vtraque specie contineretur. Nam corpus Christi, & sanguis Christi non est Christus. Sic Augustinus scribens in psalm. 33. docet Christum in cœna semetipsum manibus tenuisse, & illud quod de Dauide legitur secundùm septuaginta, *ferebatur in manibus suis*, cùm in alijs impossibile videatur, in Christo propriè impletum fuisse, ergo iuxta mentem Augustini Christus ipse Deus & homo suis manibus portabatur. Ambrosius autem in libro de ijs, qui mysterijs initiantur cap. 9. In illo sacramento, inquit, Christus est, quia corpus est Christi. Quæ probatio inde robur habet, quia in Christo nec diuinitas ab humanitate, nec post eius resurrectionem anima potest à corpore separari. Itaque rectè definit Synodus Ephesina in epistola ad Nestorium scripta, eos qui ad mysticas accedunt benedictiones, participare carnem Christi, non vt carnem communem, sed verè viuificatricem, vtpote ipsius verbi propriam, & diuinitati coniunctam, idemque de eius sanguine testatur. Similia multa leguntur apud Cyrillum Alexandrinum,

num, vt lib. 4. in Ioannem cap. 13. & sequentibus, & lib. 11. cap. 32. vbi scribit per tunicam Christi indiuisam mysticè significari, quòd quatuor orbis partes ad salutem reductæ carnem eius impartibiliter inter se partitæ sunt. In singulos enim, inquit, partibiliter transiens vnigenitus, & animam atque corpus eorum per carnem suam sanctificans impartibiliter atque integrè in omnibus est, cùm vnus vbique sit nullo modo diuisus. Hi testimoniis ea adiungi possunt, quæ sunt apud Gratianum de consecrat. dist. 2. per aliquot capitula, & locus titulo Eusebij Emisseni homil. 5. de paschate.

Rursum idem ex eo probatur, quòd patres incruentum vocent hoc sacrificium; quale non omnino esset, si consecrario faceret vt seorsim corpus ac seorsim sanguis existerent in hoc sacramento.

Item ex eo quòd patres & in ijs nominatim Augustinus lib. 3. de doctrina christiana cap. 16. & tract. 27. in Ioan. & in psalm. 98. reprehendit illum intellectum Capharnaitarum, qui putabant carnem Christi membratim seu frustulatim diuidendam, atque eo pacto manducandam ab ipso promitti. Sentiunt ergo patres neque in manducatione, neque in fractione, neque in ipsa distinctarum specierum consecratione vllam huiusmodi fieri diuisionem. Adde quòd si in Eucharistia caro Christi esset absque diuinitate, nihil nobis eius esus prodesset. Spiritus enim, id est, interprete Augustino, diuinitas est quæ viuificat, caro autem sine spiritu, id est, diuinitate non prodest quicquam.

Denique ex Christi facto & verbis id ostenditur, qui in cœna corpus suum tradidit idem, quod in mortem tradendum erat, & ipsum sanguinem qui in passione erat fundendus. Hoc autem corpus tunc viuebat, & sanguis ille viuo corpori tunc permixtus erat. Quare cùm & nunc Christus nobis tradat corpus & sanguinem, quæ pro nobis in cruce obtulit, eaque iam sint animæ coniuncta, consequens est sub specie panis animam & sanguinem corpori coniuncta contineri, & sub specie vini à sanguine animatum Christi corpus neutiquam abesse.

Cæterùm si in triduo mortis Christi consecratum, vel ex cœna dominica seruatum fuisset hoc sacramentum, mortuum quoque & exangue fuisset ibi corpus Christi sub specie panis, quale videlicet tunc iacebat in sepulchro. Similiter & sanguis sine corpore & anima fuisset sub specie vini, vti reuera tunc erat effusione separatus. Nec hîc scrupulosè quærimus sitne sanguis propriè pars humani corporis, siue ipsius hominis, de qua re dissentire videntur S. Thomas & Scotus, quorum sententias Caietanus exponit. Sufficit enim præsenti doctrinæ sanguinem ita pertinere ad integritatem corporis vt absque eo corpus viuum & animatum esse non possit iuxta illud Leuitici 17. *Anima carnis in sanguine est.*

Iam quod sub qualibet parte vtriusque speciei totus sit Christus, vti synodus Tridentina definit, ex ijs quæ superiore capite dicta sunt, planum euadit. Cùm enim per modum substantiæ, non autem per modum quantitatis in hoc sacramento sit corpus & sanguis Christi; natura autem substantiæ tota sit sub qualibet parte dimensionum corporis, manifestum est totum Christum sub quacunque parte specierum panis &

A vini contineri, etiam integra specie manente, & non tantùm cùm frangitur aut diuiditur, vt doctè explicat Sanct. Thomas 3. quæst. 76. artic. 3.

Idem porrò iudicium sit de quantitate & cæteris accidentibus Christi absolutis. Est enim in hoc sacramento idem Christus qui in cælo nulla circa ipsum reali mutatione facta. Quare vbicunque ipse est in natura humana, concomitanter est omne accidens realiter ei coniunctum, vti S. Thomas ibidem docet art. 1. & 4. Cui rei

B intelligendæ rursum seruit comparatio animæ rationalis, quæ non solùm secundùm substantiam suam, sed etiam secundùm potentias, habitus, affectiones, cæteraque accidentia sua in qualibet est parte corporis, nimirum ob naturalem coniunctionem accidentis cum subiecto.

§. 8. Corpus Christi non esse vbique.

C Circa dogma corporalis præsentiæ Christi Lutherus, Brentius, & quidam alij dum ab hæresi Sacramentariorum quàm longissimè volunt recedere, in contrarium lapsi sunt errorem, quando non solùm in cælo & in eucharistiæ sacramento, sed vbique Christum secundùm humanam naturam præsentem esse docuerunt moti his argumentis. *S. Tho. 3. p. q. 52. adar. 3.*

Primo, quia natura humana in Christo hypostaticè vnita est cum diuina, ergo vbicunque vna, ibi est & altera.

Secundo, quia Christus secundùm naturam humanam sedet ad dexteram patris, si ergo

D dextera Dei vbique est, erit & humanitas Christi vbique.

Tertio, quia Christus in terra existens ait Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo*, filius hominis, id est, Christus homo tunc simul in terra & in cælo, & pari ratione in omni alio loco.

Quarto, quia de Christo dicit apostolus Ephes. 4. *Qui descendit in inferiores partes terræ, ipse est & qui ascendit supra omnes cælos, vt impleret om-*

E *nia.* Quod cùm de diuinitate eius intelligi nequeat secundùm quam iam inde ab initio mundi omnia implet, iuxta illud Ierem. 23. *Cælum & terram ego impleo dicit Dominus*, de humanitate accipi debet, secundùm quam & descenderat ad infernum, & ascenderat in cælum. Quo sensu Theophylactus quoque cum locum interpretatur, dictum videlicet id accipiens de Christo secundùm carnem.

Verùm hæc doctrina multis modis falsa & absurda comprobatur.

F Primùm enim Christum secundùm humanam naturam esse vbique, cùm id sit supra naturam humani corporis, vt ex superioribus liquet, magnum profectò miraculum esset, idemque perpetuum. Quod quidem absque magna authoritate & ratione non est statuendum. Atqui nulla est authoritas quæ id suadeat, vt mox ex solutione argumentorum patebit. Imò & manifestè repugnat authoritati scripturæ, & patrum vt sequentia probabunt. Repugnat & rationi, frustrà enim humanitas Christi vbique

præsens

præsens ponitur, cùm non possit ei tribui peculiaris operatio seu effectus, quem vbique locorum habeat. Quin & contra dignitatem illius id esset, si corpus & anima Christi in qualibet vilissima creatura, & in sordidis quibusque locis, & in inferno cum dæmonibus & damnatis semper esset, & cum terra conculcari pedibus nostris dicatur & huiusmodi alia. Quorum indignitas ex eo declaratur; quòd si quid tale per hominum maliciam vel negligentiam aliquando accidat sacramento eucharistiæ, meritò fideles exhorrescere & grauiter commoueri solent.

Secundò, si vbique & in omnibus est corpus Christi, nihil peculiare nobis relictum est in eucharistiæ sacramento. Nam æquè in omnibus alijs cibis & potibus sumet Christianus, imò & infidelis quisque (vt de bestijs interim taceamus) corpus & sanguinem ac totam humanitatem Christi.

Tertiò, qui ita sentiunt, ijdem docent Christi corpus in eucharistia realiter non adesse, nisi vsus accedat. Qua eorum hypothesi data manifestè consequitur Christi corpus non esse vbique, cùm nec in ipsa eucharistia, vbi iuxta Domini institutionem maximè id esse oportebat, semper adsit. Sibi ergo contradicunt & suam ipsorum doctrinam euertunt.

Quartò ex scriptura. Nam Ioan. 5. Christus reliquisse Iudæam dicitur, & Ioan. 11. ait ad discipulos: *Gaudeo propter vos, quoniam non eram ibi*, & 16. *Relinquo mundum & vado ad patrem*. Et Lucæ 5. *Cùm ablatus fuerit ab eis sponsus, tunc ieiunabunt* Et Marci vltimo. *Surrexit, non est hic.* Quæ omnia de præsentia humanitatis eius intelligi perspicuum est. Nec ea limitari oportet, vbi alia scriptura in contrarium non occurrit.

Postremò ex Augustino qui in epist. 57. ad Dardanum ex professo docet Christum etsi vt Deus vbique sit, iuxta naturam tamen humanam non vbique esse. Venturus est, inquit, ad iudicium in eadem carnis forma atque substantia, cui immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundùm hanc formam non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus &c. Eandem doctrinam satis indicat Augustinus tract. 30. & 50. in Ioan.

Huc quoque referenda sunt quæ diximus ad 22. distinct. lib. 3. vbi quærebatur, an Christus homo sit vbique.

Quæ verò in contrarium allata sunt, prorsus non concludunt. Quod enim ad primum attinet. Ex vnione hypostatica duarum naturarum in Christo nullo modo sequitur, vt quicquid vni naturæ tribuitur, etiam alteri tribuatur. Sic enim natura humana in Christo omnipotens esset & æterna & immutabilis & diuinæ naturæ æqualis, imò esset ipsa natura diuina, quæ sunt absurda & impossibilia, sed tantùm sequitur communicatio idiomatum vtriusque naturæ in supposito æterno; quale est, Christum hominem omnipotentem esse & æternum & Deo æqualem, & similiter Christum hominem esse vbique, non tamen vt hominem sed vt Deum, quemadmodum ad distinctionem iam dictam pleniùs explicatum est.

Secundi argumenti inefficaciam ostendit hoc simile: Iustorum animæ in manu Dei sunt, manus Dei vbique est, ergo iustorum animæ vbique sunt. Item omnis creatura est in Deo, Deus vbique est, ergo omnis creatura vbique est. Non enim vbicunque est continens ibi necesse est esse contentum. Vnde Augustinus in epist. ad Dardanum. Non est autem consequens, inquit, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Nam & de nobis veracissima scriptura dicit, quòd *in illo viuimus, mouemur, & sumus*; nec tamen sicut ille; vbique sumus. Hæc August. Quamquam & negari potest dextram Dei ad sensum symboli esse vbique. Nam ibi per dextram Dei videtur intelligi ea gloria qua Christi humanitas à patre donata est in cælis, quæ non est vbique. Sic autem etiam quodam sensu omnes beati sunt à dextris Dei, quia fruuntur bonis sibi à Deo præparatis, non tamen vbique esse dicendi sunt.

Ad tertium quid respondendum sit, patet ex solutione primi, & iam olim responsum est ab Augustino in dicta epistola his verbis: Nec tamen cùm filium Dei Christum dicimus, hominem separamus; aut cùm eundem Christum filium hominis dicimus, separamus Deum. Secundùm hominem namque in terra erat, non in cælo vbi nunc est, quando dicebat, *Nemo ascendit in cælum nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui est in cælo*, quamuis secundùm id quod filius Dei erat, esset in cælo; secundùm id verò quod filius hominis erat, adhuc esset in terra, nondumque ascendisset in cælum & quæ sequuntur.

Quod quarto loco obijcitur, de Christo vt homine accipiendum esse non negamus, sed hoc sensu, quia Christus vt homo accepit potestatem & dominium quoddam vniuersale, de quo ipse ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra* Ad capiendam autem illius potestatis possessionem descendit in infima terræ, & ascendit super omnes cælos, vt sic potestate impleret omnia, quomodo rex aliquis ratione potestatis dicitur esse in toto regno. Et hunc sensum confirmat interpretatio Theophylacti. Interim hoc adijcimus. Quòd si Christus ascendit supra omnes cælos, vt impleret omnia, quemadmodum dicit apostolus, ergo non ante implebat omnia, & proinde illud, implere omnia, quomodocunque intelligatur, non ei competit ratione vnionis hypostaticæ, vt volebat primum argumentum. Quæ ratio etiam ex secundo argumento duci potest. Si enim per hoc quod ascendens in cælum consedit ad dexteram patris, vbique esse cepit secundùm hominem Christus, non ergo præstitit hoc ei vnio hypostatica quæ multò antè præcesserat.

§. 9. *Esse in Eucharistia corpus Christi etiam extra vsum.*

Receptissimum est inter Lutheranos dogma, sub eucharistiæ sacramento Christi corpus & sanguinem tantùm esse in vsu, vt loquuntur, & per vsum, id est, dum sumitur, & vi sumptionis. Verùm huius dogmatis falsitas satis superque ex superioribus refelli potest. *S. Tho. 3. p. q. 73. ad ar. 1.*

Primùm ex ijs quæ de forma consecrationis eiusq; efficacia dicta sunt. Si enim in hoc sacraméto corpus Christi est vi consecrationis, non ergo demum per sumptionem ibi esse incipit, cùm sumptio cõsecrationé sequatur; vnde nec sumptione finita ibi esse desinit, sed tantisper manet, dũ species perdurãt. Deinde ex argumẽtis plerisq;, quibus ostẽdebamus

etiam à malis sumi verum Christi corpus, ac tertiò ex generali doctrina, qua absolutè probatum est in eucharistia corpus Christi verè contineri. Quæ quidem doctrina limitationem hanc vsus seu sumptionis non admittit. Rursus idem patebit ex doctrina de adoratione & asseruatione eucharistiæ de quibus infrà. Cæterùm peculiares quasdam probationes etiam hoc loco adferre operæprecium est.

Certissima autem eius probatio est ex verbis Christi quibus dixit: *Hoc est corpus meum*, idque propriè & non figuratè, vt Lutherani fatentur, & ante sumptionem seu vsum eius quod porrigebat. Cùm enim semel tantùm hæc verba protulerit, vt satis patet ex euangelica narratione, non tamen simul omnes discipuli, sed alius post alium id quod porrigebatur, sumpserunt. Erat ergo verum corpus Christi virtute verborum eius etiam antequam à singulis sumeretur.

Secundò, si tantùm est Christi corpus in vsu fidelium, sequetur eius præsentiam, imò & veritatem verborum Christi pendere ex arbitrio ac mutabili voluntate eius, cui eucharistia porrigitur, vt si fortè is mutato consilio nolit sumere quod priùs volebat, iam falsa sunt verba à sacerdote in Christi persona prolata. Hæc autem perabsurda sunt.

Tertiò, si præter consecrationem etiam sumptio necessaria est, vt adsit corpus Christi, ergo consecratio seu verborum prolatio nunquam præcedere sumptionem, sed simul cum ea fieri semper debet, quemadmodum fit in alijs sacramentis vtpote in vsu seu applicatione ad suscipientem consistentibus. In quibus sanè si quis primùm verba proferret, postea verò mora aliqua interposita lotionem verbi gratia vel vnctionem adhiberet, nihil efficeret. At nec ipsi sententiæ huius authores id obseruant, neque etiam si velint, obseruare perpetuò possunt, tunc præsertim, quando quis seipsum communicat.

Quartò, Christus nullum tempus præfixit, quo inciperet esse vera hæc propositio: *Hoc est corpus meum* ergo æstimanda est eius veritas ex natura propositionis operatiuæ, quæ requirit vt in termino prolationis existat, quod dicitur.

Quintò, Cyrillus Alexandrinus in epistola ad Calosyrium de quibusdam Nestorianis negantibus extra vsum remanere verum Christi corpus in eucharistia: Insaniunt, inquit, dicentes mysticam benedictionem à sanctificatione cessare, si quæ reliquiæ remanserint eius in diem subsequentem. Non enim mutabitur sacrosanctum corpus Christi, sed virtus benedictionis & viuificatiua gratia iugis in eo est.

Sextò idem confirmant omnes illæ veterum sententiæ quibus asserunt verbis Domini seu precibus sacerdotis, seu mystica benedictione fieri, confici, consecrari corpus Christi, atque in ipsum conuerti ac transmutari panem, vinumque in sanguinem. Cuiusmodi sententijs recensendis, quoniam alibi partim citatæ, partim adhuc citandæ sunt, non est hoc loco commorandum.

Septimò, Cyprianus, vel quisquis author in serm. de cœna Domini, & Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 16. & tract. 8. in Ioan. docent & rationibus probant, post actionem cuiusque sacramenti quod in consecratione quadam consistit, semper manere sacramenti seu consecrationis effectum in eo quod consecratum est, velut characterem in baptizato. Manet igitur & in hoc sacramento consecrationis effectus, id est, corpus Christi quamdiu species ipsæ sensibiles permanent.

His postremò accessit clara definitio concilij Trident. sess. 13. cap. 3. & canone 4. vbi in eos qui aliter docent, anathema pronunciatur.

§. 10. *Christum in Eucharistia adorandum esse.*

QVæcunque vel ratio vel authoritas docet Deum esse adorandum, eadem docet & Christum, qui verus Deus est, adorandum esse. Vnde non tantùm generaliter de Deo, sed & peculiariter de Christo, id est, Deo homine adorando vel adorato extant in scripturis testimonia, vt in psalmis 21. 44. 71. & 96. qui postremus psalmus etiam ab apostolo citatur de Christo Hebr. 1. *S. Tho. 3. p. q. 25. ad 1. & 3. & 4. ad ar. 1.*

Quocirca rectè peculiariter ex hoc psalmi loco patres concilij Tridentini sess. 13. statuunt Christi in eucharistia adorationem. Idem apostolus Philipp. 2. scribit Christo datum nomen super omne nomen, vt in nomine eius flectatur omne genu &c. Adoratum autem eum frequenter legimus, & quidem adhuc in terra degentem, velut à Magis cùm adhuc infans esset, Matth. 2. à leproso Matth. 8. à discipulis Matth. 14. & 28. & Lucæ 24. à cæco illuminato Ioan. 9. à muliere Chananæa Matth. 15. ab alijs mulieribus Matth. vltimo, à Thoma apostolo Ioan. 20. Si ergo vt hîc supponitur, & suprà abunde probatum est, Christus ipse verè & corporaliter continetur in hoc sacramento, manifestissimè consequens est ipsum rectè in eo adorari, atque etiam loco & tempore adorandum esse.

Cùm enim non aliud sit adoratio, quàm creditæ diuinitatis externa seu corporalis per genuflexionem, capitis inclinationem, vel alium venerabundum gestum professio ac protestatio, satis liquet ei tanquam vero Deo non minùs in hoc sacramento, quàm alibi cultum adorationis, quam λατρείαν Theologi vocant, exhibendum esse: imò & corpus eius & sanguinem & animam & humanitatem tum in sacramento tum extra sacramentum, vbicunque fuerint, eodem genere cultus adorari debere. Quamuis enim nihil horum sit Christus, quomodo nec manus, nec caput regis ipsa est regis persona; attamen sicut qui vel manum vel caput regis osculatur aut percutit, ipsum regem osculari vel percutere verè dicitur: ita qui corpus vel animam Christi, atque omnino humanitatem eius adorat, non alium quàm filium Dei, ipsumque Deum adorare censendus est. Subsistunt enim illa in persona filij Dei, nec vllam ab eo diuersam habent subsistentiam. Vnde & Iudæi corpus Christi vulnerantes & crucifigentes non alium quàm Dominum gloriæ vulnerarunt & iuxta apostolum 1. Corinth. 2. crucifixerunt.

Et quidem hac de re satis dictum est ad dist. 9. lib. 3. vbi docebatur humanitatem Christi propter vnionem hypostaticam eadem adoratione cum diuinitate venerandam esse. Nunc quod de Christo seu corpore eius in eucharistia adorando diximus, paulò pleniùs probemus. Vbi primùm scriptura occurrit 1. Corinth. 11, quæ grauiter quosdam reprehendit, quòd non dijudicarent corpus Domini, hoc est, non discernerent ab alijs cibis veneratione singulariter debita, vt ait Augustinus in epist. 118. Atqui veneratio illa corpori Domini singulariter debita ea nimirum est, qua quis mente cognoscens illud esse corpus Domini, etiam externa corporis adoratione hoc ipsum protestatur.

Verùm

Verùm etsi nulla scriptura extaret quæ id disertè testaretur, sufficere tamen deberet constans & perpetua ecclesiæ traditio, qua sicut semper creditum est Christi corpus esse in hoc sacramento, ita simul traditum est, ipsum esse adorandum, semperque adoratum fuit. Nam vt eodem loco scribit Augustinus. Si quid tota per orbem frequentat ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.

Huius porrò traditionis luculentissima testimonia sunt apud veteres atque in primis apud Augustinum qui scribens in psalm. 98. & quærens, quomodo fiat illud à nobis, quod dicit psalmus: *Adorate scabellum pedum eius*, cùm apud Isaiam 66. dicat Dominus: *Terra scabellum pedum meorum*, nefas autem sit terram adorare, respondet terram à nobis adorandam esse carnem Christi de terra sumptam. Et quia, inquit, in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit: inuentum est quemadmodum adoretur scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Vbi deinde ostendit carnem illam non per se consideratam, sed ratione spiritus, id est diuinitatis coniunctæ adorandam esse. Eum autem illius versiculi commentarium Augustinus ex Ambrosio sumpsisse videtur, qui lib. 3. de spiritusancto cap. 12. post alia: Videamus, inquit, ne terram illam dicat adorandam propheta quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus, & quam apostoli in Domino Iesu adorarunt &c. Idem verò & alibi docet Augustinus vt in expositione psalmi 21. concione 1. & epist. 120. ad Honoratum cap. 27. vtrobique tractans illud, *Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ*. Rursum lib. 20. contra Faustum cap. 13. & serm. 58. de verbis Domini.

In eandem sententiam frequentissimè simul & apertissimè scribit Chrysostomus, dum modò exemplo angelorum, qui sacrificium adorabundi circumstant, modò exemplo Magorum qui Christum puerum in stabulo adorarunt, modò exemplo sacerdotis sacrificantis hortatur populum, vt cum horrore & tremore mysterijs assistat, Christumque in eis adoret. Loca sunt homil. 24. 36. & 41. in 1. Corinth. homil. 8. in Matth. homil. 4. contra Anomæos. homil. 6. & 61. ad populum Antiochenum. homil. 1. de verbis Isaiæ, *Vidi Dominum*; homil. habita in encænijs & altera de incomprehensibili Dei natura. In sermone de sancto Philogonio, & lib. 6. de sacerdotio.

Basilius etiam inter non scriptas traditiones recenset Christi in eucharistia innocationem lib. de spiritusancto cap. 24. Vterque verò in sua liturgia frequenter eucharistiam adorat, & adorandam admonet, quod & facit Dionysius cap. 3. ecclesiasticæ hierarchię. Similiter autem docent Clemens lib. 2. cōstitutionum apostolicarum cap. 5. & lib. 8. cap. 2. Alexander papa epist. 1. Origenes homil. 5. in diuersa Euangelij loca. Cyrillus catechesi 5. mystagogica, Eusebius Emisseni titulo homil. 5. de passione & Theodoretus dialogo 2. in Polymorpho.

Quocirca in concilio Viennensi meritò acclamatum fuit: O excellentissimum sacramentum, ô adorandum, venerandum &c. vt est in Clementina titulo de reliquijs & veneratione sanctorum. Et à patribus concilij Tridentini sub anathemate definitum, in sancto Eucharistiæ sacramento Christum vnigenitum Dei filium cultu latriæ etiam externo adorandum, eiusque rei gratia rectè hoc sacramentum etiam publicè populo proponi atque exhiberi sess. 13. cap. 5. & canone 6.

Quæ verò hîc ab aduersariis obijciuntur, non magni momenti sunt ac facilè dilui possunt ex dictis ad distinctionem 9. lib. 3.

§. 11. *Rectè Eucharistiam asseruari, & publicè circumferri.*

CVm semper in ecclesia catholica fuerit obseruatum, vt ad vsum fidelium, & præcipuè ad morientium viaticum reuerenter atque honorificè reponeretur & seruaretur Eucharistia, profectò perperam & maliciosè prorsus id hodie reprehenditur à sectarijs. Eam ecclesię consuetudinem asserit & probat Tridentina synodus sess. 13. cap. 6. & vt ratam ac licitam sub anathemate confirmat can. 7. Huius autem consuetudinis testimonia pene sunt infinita apud veteres, quorum præcipua tantùm subnotabimus.

Adq. 11. 71. & 81 art. sup. cit.

Basilius in epist. ad Patriciam longa consuetudine confirmatum fuisse scribit, vt asseruaretur eucharistia domi à quolibet etiam plebeio, vtque omnes in eremo solitariam vitam agentes synaxin apud se seruarent & seipsos communicarent. Quod quidem ita se habere varijs modis testatum nobis relinquunt Tertullianus lib. ad vxorem, & lib. de oratione sub finem. Cyprianus sermone de lapsis, Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum, Origenes homil. 13. in Exodum, homil. de lapsis, Ambrosius prima oratione funebri fratris, Nazianzenus oratione funebri sororis & alij. Quibus annumero Hieronymum in apologia ad Pammachium cap. 6. sic loquentem: An alius in publico, alius in domo Christus est? Agit autem de sumptione eucharistiæ, quam quidē post nocturnum cum vxore coitum audebant sumere domi; non tamen publicè in ecclesia, vt ex eodem loco patet.

Solet etiam ad episcopos eucharistia mitti velut symbolum pacis ac mutuæ communionis. Hoc enim Romanos pontifices facere solere testis est Irenæus in epist. ad Victorem papam, quæ est apud Eusebium lib. 5. cap. 24. Et meminit eius rei Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 23. Verùm vtraque hac consuetudine propter periculum tandem sublata, semper ea tanquam necessaria retenta est, qua seruabatur eucharistia in loco sacratiori, tum pro viatico morientium, tum ad quotidianum vsum fidelium. Meminerunt huius consuetudinis Optatus lib. 2. contra Donatistas, Paulinus in vita Ambrosij, Hieronymus in epist. ad Rusticum monachum, & in apologia contra Iouinianum, Chrysostomus in epist. ad Innocentium. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 16. Et his omnibus antiquior Iustinus in apologia 2. cap. 3. Nam sequentibus post Augustinum sæculis idem obseruatum fuisse minùs dubitatur.

His adde pontificum & conciliorum decreta quibus eadem consuetudo vel præcipitur vel approbatur, vt Pij primi apud Gratianum de consecrat. dist. 2. can. 27. Niceni concilij primi can. 12. 14. & 64. concilij Lateranensis sub Innocentio 3. cap. 26. Ancyrani, cap. 6. Carthaginensis 4. cap. 77. & 78. &c.

Porrò in huius rei typum olim iussu Domini manna pro sabbatho seruabatur, idemque in vasculo repositum custoditum fuit in futuras retro generationes, vt est Exodi 16. Et panes propositionis manebant coram Domino per septem dies, videlicet de sabbatho in sabbathum vt legitur 1. Paralipp. 9.

Morem autem circumgestandi venerabile hoc sacramentum in publicis processionibus doctè breuiterque confirmat synodus Tridentina in cap. suprà citato. Cuius item rei typum nobis prætulit vetus testamentum in arca Domini, quæ sæpenumero tum Dei iussu, tum ex sacerdotum, regis & populi deuotione solenni pompa deportata ac circumlata fuit ad impetrandam opem & misericordiam diuinam, vt Iosue 2. & 6. 1. Regum 4. & 14. 2. Regum 6. Arcam autem Eucharistiæ figuram extitisse vel illud psalmi probat ab Ambrosio & Augustino de eucharistia mysticè expositum, *Adorate scabellum pedum eius*, quod ad literam de arca fœderis intelligitur.

IN DISTINCTIONEM VNDECIMAM.

§. 1. *Panis & vini substantiam in Eucharistia non remanere.*



S. Tho 3. p. q. 75 art. 2. & 6.

QVIDAM cùm manifesta luce veritatis conuicti negare non possint corpus & sanguinem Christi realiter in eucharistiæ sacramento contineri, sensui tamen adhuc nimium inhærentes docent nihilominus substantiam panis & vini remanere, simulque cum Christi corpore & sanguine existere in eucharistia. Quæ sententia potissimùm apud Lutheranos obtinuit. Quamquam nec ipsi satis hac in parte inter se consentiunt, dum alij docent panem esse essentialiter ipsum corpus Christi, alij volunt pani adesse corpus Christi, alij in, cum, sub pane, aut circumcirca panem esse corpus Christi, alij denique Christi corpus in panem transire asseuerant. Ne autem singulis immoremur, sufficiet ostendisse iuxta catholicam fidem substantiam panis & vini prorsus in eucharistia non remanere.

Probatur id primùm ex ipsis consecrationis verbis, quibus rem singularem demonstrando dicitur: *Hoc est corpus meū*. Atqui diuersa, seu vt Dialectici loquuntur, disparata sunt corpus humanum & panis, sicut homo & frumentum. Quare de quo singulari veritas dicit: *Hoc est corpus meum*, de eodem à nobis verè dici non potest, hoc est panis, cùm disparata de eodem singulari nunquam verè dicantur.

Nec est quòd quis hîc recurrat ad miraculum supernaturalis coniunctionis, seu vnionis panis cum corpore Christi. Nunquam enim in ecclesia traditum nec auditū est Dei filium assumpsisse naturam irrationalem & insensibilem, seu quamuis aliam præter humanam; quæ tamen ipsa non sic assumpta est, vt priùs existeret propriam habens subsistentiam, ac deinde in vnitatem susciperetur filij Dei, id est, vt priùs existeret homo aliquis, qui postea fieret filius Dei: sed ita vt ipsa nunquam nec ante nec post habuerit, vel habitura sit subsistentiam ab æterna filij Dei persona diuersam. Tale quid autem de pane dici non potest, vt qui priùs in sua natura subsistat, quàm consecratio fiat. Deinde ad significandam talem vnionem non satis apta est propositio, *Hoc est corpus meum*, sed sicut dicitur, *Verbum caro factum est*, ita dicere Christus debuisset, Corpus meum est, vel factum est panis. Subiecti enim locum tenere debet id cui altera substantia per vnionem adiungitur, sicuti verbo adiuncta est caro, id est humana natura. At nunc neque ea loquēdi forma vsus est Christus, neque omnino panem nominauit, sed nudè ac demonstratiuè dixit, *Hoc est corpus meum*. His adde quòd semel admissa hypostatica vnione panis & corporis Christi, innumera sequentur absurda, velut panem ex virgine natum, passum, crucifixum, mortuum esse, à mortuis resurrexisse, sedere ad dexteram patris, à nobis adorandum esse, & alia quæcunque de corpore Christi verè dici possunt. Vicissim quoque sequetur omnia ea corpori Christi competere quæcunque verè dicuntur de pane. Quod totum consequens erit propter idiomatum communionem, quam necessariò secum trahit vnio diuersorum hypostatica, vt ex superiori libro manifestum est.

Iam verò quod alij fatentur quidem nullam hîc imaginandam esse istiusmodi vnionem, sed tantùm volunt panem in propria natura subsistentem certa quadam habitudine coniungi corpori dominico quomodo aquæ spongia, aut homini vestis coniungitur, aut quocunque alio modo ab illis confictо, non minùs id euangelicis verbis repugnat. Non enim dixit Dominus, Hic, id est, hoc loco est corpus meum, vt intelligi possit simul ibi esse panis cum corpore Christi, sed significare voluit, hoc ipsum quod apostolis suis ad sensum demonstrabat, esse corpus suum.

Præterea si tantùm coniungitur pani corpus Domini, non erit verum quod testantur euangelistæ, apostolos manducasse corpus Domini, sed tantùm manducasse panem cui certo modo corpus Domini fuerit coniunctum, quemadmodum nec verum esset filium Dei passum, crucifixum, mortuum esse, si homo ille qui passus, crucifixus, mortuus est, diuersam habuisset personalitatem à filio Dei, sola cum eo amicitia vel accidentaria quapiam habitudine coniunctus, vt Nestoriani volebant. Sed his rationibus ex scriptura sacra depromptis nonnulla etiam patrum testimonia subijciamus, quibus disertè negant panem communem & vsitatum in eucharistia remanere.

Cyrillus catechesi 4. mystagogica: Certò tibi persuasum sit, inquit, quòd qui videtur panis, non panis est, quamuis gustui videatur, sed corpus Christi; & quod videtur vinum, non vinum est, quamuis ita gustus iudicet, sed sanguis Christi.

Gregorius Nissenus sermone catechetico de diuinis sacramentis ait: Panis per verbum Dei & orationem sanctificatur, non quia comeditur, eò progrediens vt Verbi corpus euadat, sed statim per verbum in corpus mutatur.

Ambrosius lib. de ijs qui mysterijs initiantur cap. 9. fortè dicas, inquit, aliud video, quomodo tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam? Quantis igitur exemplis vtimur, vt probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit? &c. Et lib. 4. de sacramentis cap. 4. Tu fortè dicis, inquit, meus panis est vsitatus, sed panis iste panis est ante verba sacramentorum, vbi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi. Et in psalm. 134. Licèt figura panis & vini videatur, nihil tamen aliud quàm caro Christi & sanguis

sanguis post consecrationem credendum est. Eandem sententiam Augustinus expressit ijs verbis quæ recitat Gratianus de consecrat. dist. 2. cap. 48. Sunt autem ista: Caro Christi est quam forma panis opertam in sacramento accipimus, & sanguis eius est, quem sub vini specie & sapore potamus. Idem serm. 28. de verbis Domini. Ante consecrationem, ait, quod offertur panem dici, vbi verò Christi verba prolata fuerint, iam non appellari panem simpliciter, sed ἐπιούσιον, id est supersubstantialem, quia non est panis qui vadit in corpus, sed panis vitæ æternæ qui animæ nostræ substantiam fulcit.

Possent huc multò plures ex vetustate testes adduci, sed quoniam mox agemus de conuersione substantiali quæ fit in hoc sacramento, ex qua certissimè sequitur panem non remanere, sed in aliud transire. Quam quidem conuersionem omnis antiquitas agnuscit; nihil hîc vltrà addemus præter duorum conciliorum œcumenicorũ authoritatem, Constantiensis & Tridentini, quorum illud in condemnatione articulorum Ioannis Wicleff. istud can. 2. sess. 13. anathemate condemnat eam doctrinam, quæ substantiam panis & vini asserit in hoc sacramento remanere vnà cum corpore & sanguine Christi.

§. 2. *Obiectiones aduersariorum diluuntur.*

S. Thom. vbi sup.

SVperiori doctrinæ primùm ac præcipuè illud opponere solent aduersarij, quòd in scripturis eucharistia aliquoties panis appellatur. Dicit enim apostolus 1. Corinth. 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini?* & cap. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc &c.* Item: *Quicunque manducauerit panem hunc &c.* Et iterum: *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Et Christus Ioan. 6. *Ego sum panis viuus qui de cælo descendi, Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Similiter Act. 2. communio eucharistiæ fractio panis vocatur.

Deinde obijciunt calicem consecratum à Domino apud tres euangelistas vinum appellari his verbis: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis &c.*

Præterea ex verbis euangelistarum & Pauli sic argumentantur: Christus id quod accepit in manus dedit discipulis suis dicens: *Accipite & comedite.* Accepit autem panem, vt disertè omnes testantur, ergo panem comedendum dedit discipulis. Item: De eo quod in manus accepit, dixit: *Hoc est corpus meum,* igitur panem dixit esse corpus suum. Quod rursum ita confirmant. Pronomen, *hoc*, rem aliquam existentem demonstrat, eam videlicet quam manibus Christus tenebat. Ea autem non alia erat quàm panis, panem ergo demonstrat, ac proinde panis manet vnà cum corpore.

Quartò loca quædam proferuntur ex patribus. Nam Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 34. dicit eucharistiam ex duabus rebus terrena & cælesti compositam esse. Quò respicit etiam illa ecclesiæ oratio qua de propositis symbolis orat sacerdos, vt hæc terrena substantia conferat quod diuinum est.

Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 14. panem eucharistiæ creaturam vocat.

Origenes homil. in 15. Matth. dicit eucharistiam iuxta id quod habet materiale, in ventrem descendere, & in secessum eijci.

Cyprianus lib. 2. epist. 3. quæ est de sacramento dominici calicis, dicit eucharistiam constare ex farina & aqua.

Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 2. mystagogica docet eucharistiam post consecrationem, non esse nudum & communem panem, sicut oleũ post sacerdotis benedictionem non est profanum & commune oleum.

Ambrosius lib. 4. de sacramentis cap. 4. docet in hoc sacramento fieri, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur.

Augustinus lib. 16. de ciuit. Dei cap. 37. significat manere frumentum & vinum in sacramento corporis & sanguinis Domini. Et lib. 3. de trinitate cap. 10. de eucharistia loquens dicit panem illum consumi comedendo. Idem tract. 26. in Ioan. testatur Christum corpus & sanguinem suum in ijs rebus commendasse, quæ ad vnum aliquid rediguntur, vt in pane qui conficitur ex multis granis, & in vino quod confluit ex multis racemis, idque certæ significationis causa. Quæ quidẽ significatio considerari non potest in nudis accidentibus. Hoc argumentum vehementer vrgent aduersarij velut fundatum in verbis apostoli 1. Corinth. 10: *Panis quem frangimus &c.*

Adducitur etiã Gregorij locus lib. 4. dialog. cap. 58. vbi dicit in hoc mysterio summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum ex visibilibus atque inuisibilibus fieri. Constat ergo sacramentum hoc ex pane & corpore Christi.

Postremò tali ratione vtuntur. Quorum est vna eademque operatio, eorum est vna natura atque substantia, atqui in eucharistia est quod sapit, nutrit, recreat, confortat corporaliter, quodque cætera omnia operatur, quæ panis & vinum operari solent, ergo ibi vera est panis vinique substantia. Propositionem confirmat experientia in omnibus alijs rebus, vt in plantis, metallis, alijsque mixtis. Deinde & ratio. Nam natura cuiusque rei agnoscitur & ab vnaquaque alia distinguitur per aggregatum naturalium proprietatum, atque operationum tanquam causa per effectum proprium & adæquatum. Hinc Augustinus præfatione in secundam enarrationem psalm. 29. per hoc ostendit Christum habuisse verum corpus, quia ambulauit, sedit & cætera fecit quæ corporis sunt: sicut & ostenditur eum veram habuisse animam quia sitiuit, esuriuit, contristatus est, quæ propria sunt animæ. Et addit: Si ex eo verum corpus, quia vera officia corporis, ex eo vera anima, quia vera officia animæ. Licebit igitur & nobis similiter dicere. Ex eo verus panis, quia veræ operationes panis. Quo sanè modo ratiocinari videtur Theodoretus dialogo 1. contra Eutychetem docens in eucharistia manere panis naturam, ex eo quòd maneant operationes eius naturales. Vnde vlteriùs probat in Christo vtramque esse naturam diuinam & humanam, quòd in eo reperiantur vtriusque naturæ proprietates. Alij quoque patres ad probandam duarum naturarum in Christo veritatem eodem hoc argumento non rarò vtuntur, præsertim Leo pontifex & Cyrillus Alexandrinus.

Solent & aliæ rationes ex accidentibus in eucharistia reliquis desumptæ proferri, sed quarum solutio patebit ex proxima dist. in qua peculiariter de ijs accidentibus agendum erit.

Ad obiecta verò sic ordine respondemus. Ad primum quidem eucharistiam in scriptura & à patribus subinde panem vocari, non quòd substantia panis in ea permaneat, sed alia ratione eaque multiplici. Primò quia ex pane facta seu consecra-

ta est eucharistia, quomodo Exodi 7. serpens vocatur virga his verbis: *Deuorauit virga Aaron virgas magorum*, quia nimirum vt in superioribus dicitur: Virgæ in serpentes versæ fuerant, ideoque etiam post substantialem mutationem pristinum nomen retinebant. Qua item ratione Eua os & caro viri, homo puluis terræ, Christus Abrahæ semen esse dicitur; videlicet nominibus rerum, ex quibus hæc facta sunt, iis quæ ex illis facta sunt, attributis. Secundò quia visibilem panis figuram prorsus eandem retinet. Quomodo angeli in scriptura interdum iuuenes aut viri vocantur vt Gen. 8. Tob. 9. Act. 1. & Deus antiquus dierum Danielis 7. nimirum propter externam & sensibus obiectam illiusmodi speciem. Tertiò propter operationes easdem, cuiusmodi sunt reficere, nutrire, confortare. Sic enim quod ex oriza vel hordeo fit, panem vocamus, licèt propriè panis non sit. Quartò propter analogiam, sicut enim panis nutrit corporaliter, sic corpus Christi vegetat spiritualiter, & sicut vinum exhilarat corporaliter, sic Christi sanguis inebriat spiritualiter. Et hac ratione Christus apud Ioan. vocat se panem viuum, qui de cælo descendit, qui dat vitam mundo. Notandum autem non ita simpliciter in scriptura & patribus corpus Christi panem vocari, quin plærumque adijci soleat determinatio quæpiam significans, non vulgarem ac propriè dictum, sed eximium quendam panem intelligi; cui impropriè illud nomen ob memoratas rationes tribuatur. Ait enim apostolus: *Panis quem frangimus*, &, *Quotiescunque manducabitis panem hunc*, & *De pane illo edat*. Similes sunt determinationes Ioan. 6. tametsi sententiæ illæ quibus se Christus vocat panem viuum, etiam extra hoc sacramentum veræ sunt; eo scilicet modo intelligendæ quo aliæ quibus lux, agnus, pastor, ostium, lapis, vitis vocatur, ob solam proprietatum quarundum similitudinem. Similiter autem & patres eucharistiam panem vocantes plærunque aliquid adijciunt, quo significent se de pane illo singulari loqui, qui est caro filij Dei, vt Ignatius in epist. ad Philadelphios, Tertullianus, Cyprianus, Gregorius Nissenus in expositione orationis dominicæ, Ambrosius lib. 5. de sacramentis cap. 8. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 8. Augustinus serm. 28. de verbis Domini, & Theodoretus dialogo 2.

Ad secundum argumentum quorundam responsio est ea verba à Domino non esse dicta post calicem sacrum, sed post calicem illum cuius Lucas priori loco meminit, quem à posteriori, id est, sacro calice volunt esse diuersum, de quo videlicet Christus cum apostolis biberit post esum agni paschalis, priusquam institueret sacramentum corporis & sanguinis sui. Sic Caietanus intelligit, cui & Hieronymus fauere videtur, dum scribens in Matth. 26. dicit apud Lucam duos calices legi discipulis propinatos. Quod ergo dicitur de genimine vitis, ad priorem calicem referunt, qui non erat consecratus, non ad posteriorem. Verùm hanc interpretationem non admittunt Matthæus & Marcus, qui cùm eadem Domini verba quibus negat se amodo bibiturum de genimine vitis, cõmemorent, prioris tamen calicis prorsus non meminerunt. Quare probabilior est Augustini sententia, qui lib. 3. de consensu euangelist. cap. 1. vnicum agnoscit calicem, quem Lucas bis cõmemorauerit semel præoccupando & iterum ordine suo post benedictionem panis. Sic quoque sentit Euthymius in Lucam & alij plærique. Iuxta hanc sententiam dicendum est dominum quando dixit, *de hoc genimine vitis*, non voluisse præcisè demonstrare id quod fuerat in calice post consecrationem, sed vinum in genere quod fuerat in mensa, & vnde calix fuerat impletus tum ante tum post consecrationem, vt more scripturæ vini nomine comprehendatur etiam id quod ex vino factum est, & vini speciem retinet; videlicet sanguis Christi, quomodo diximus corpus Christi panem interdum in sacris literis vocari.

Quæ tertio loco objiciuntur, sophistica sunt, ad quæ proinde breuiter respondemus, Christum accepisse panem, acceptum verò consecrasse his verbis: *Hoc est corpus meum*, consecratum autem, id est, corpus suum transmutatum dedisse discipulis comedendum. Non ergo idem illud secundùm substantiam quod accepit, discipulis comedendum dedit, sed inter acceptionem & dationem substantialiter mutatum. Item: non de eo quod in manus accepit, dixit, *Hoc est corpus meum*, sed de eo quod manibus tenebat illo temporis puncto quo veram esse oportebat eam propositionem, nempe in fine prolationis, quemadmodum ad 8. distinct. dictum est, vbi de intellectu illius propositionis agebatur. Vnde etiam liquet, quid ad subiectam confirmationem sit respondendum. Nam pronomen, *hoc*, rem demonstrat existentem non eo momento quo ipsum pronomen profertur, sed eo quo veram esse oportet propositionem, vti iam diximus. Possunt autem similia prorsus objici, si Christus, vel in nuptijs aquam manibus acceptam in vinum conuertisset dicendo: Hoc est vinum, vel in deserto lapidem manibus acceptum in panem conuertere voluisset, dicendo: Hic est panis, atque ita vtrumque bibere vel edere volentibus porrexisset, Quod totum ab eo fieri potuisse quis dubitet?

Ad patrum loca veniamus, quorum Irenæus non aliud vult quàm eucharistiam constare ex re terrena, scilicet pane tanquam materia quadam partim transeunte, partim remanente; transeunte quidem secũdùm substantiã, remanente verò secundùm accidentia: in quibus tota substantiæ vis & operatio nihilominus perseuerat. Potestque similiter intelligi, quod ex oratione ecclesiæ objicitur, tametsi & aliter ad id responderi posse circa superiorem distinctionem ostendimus.

Tertullianus contra Marcionem docet creaturas vsque adeo non esse reprobandas, vt & Christus in celebratione & institutione sacramentorum creaturas assumere voluerit, velut aquam, oleum & panem. Quòd autem in sacramentis hæc omnia permaneant, non dicit, sed de pane potiùs contrarium significat.

Origenis sententia de accidentibus intelligenda est, & de eo in quod accidentia corrumpuntur.

Cyprianus haud dubiè materiam transeuntem significare voluit, quandoquidem nec in ipso pane farina & aqua actu remanent.

Cyrilli comparatio inter oleum benedictum & panem consecratum generalis est, qua significatur vtrumque sacrum esse. Quo sensu autem intelligi possit de pane dictum, *Hoc est corpus meũ*, ostendimus ad distinct. 8. vbi agebamus de sensu horum verborum. Quòd verò Cyrillus non sentiat panis substantiam remanere, ex apertissimis eius verbis suprà monstratum est.

Ambrosij sensus est, in hoc sacramento neque creationem fieri, neque annihilationem, sed eiusmodi mutationem, qua id quod est substantia-

liter,

liter, conuertatur in aliud, ens videlicet in ens, vt (A) hoc pacto maneat esse in genere, licèt mutetur in specie.

Augustini loca de materia transeunte & remanentibus eiusdem accidentibus intelligenda sunt. Nam frumentum nec in ipso pane secundùm substantiam suam permanet: accidentia verò quæ panis ipsius omnem operationem retinent, comedendo consumuntur. Significatio quoque illa quam Augustinus super Ioan. & alibi considerat, sufficienter retinetur in eo, quòd tam corpus quàm sanguis Domini conficiuntur ex ijs rebus quæ ad vnum aliquid rediguntur, etiamsi res illæ non (B) permaneant secundùm substantiam. Nam certè alioqui nec in pane ipso remanent grana, nec in vino racemi, ex quibus vtrumque coalescit.

Gregorij locus similiter intelligi debet de speciebus seu accidentibus quæ remanent, & ineffabili modo iunguntur corpori & sanguini Domini.

Ad rationem postremo loco adductam respondetur ex proprietatibus & operationibus proprijs rectè colligi naturam seu substantiam rei, nisi singulari miraculo tam proprietates quàm operationes (C) subsistant & conseruentur absque natura, idque in natura aliena, vt fit in hoc admirabili sacramento. Rectè itaque ratiocinatur Augustinus & alij patres, dum ex proprietatibus atque ex operationibus animæ, corporis ac totius humanæ naturæ docent Christum habuisse veram animam & verum corpus, ac proinde in eo fuisse veram atque integram naturam humanam. Non enim hæretici contra quos disputabant, dicere voluerunt proprietates illas & operationes aliquo miraculo à substantia sua propria fuisse separatas. Neque si id dixissent, audiri debuissent, (D) cùm id nec scriptura nec traditio doceat. Theodoretus autem naturam intelligit, naturales vires ac proprietates, quomodo non rarò naturæ nomen apud physicos accipitur.

§. 3. *Panem & vinum conuerti in corpus & sanguinem Christi.*

S. Tho 3. p. q. 75. ar. 4.

ETsi disertis verbis scriptura non tradat in (E) eucharistiæ sacramento panem conuerti, transire, transmutari in corpus Christi & vinum in sanguinem, certissima tamen fide hoc ipsum tenendum esse docet ecclesia, tum ex sacris literis bene intellectis, tum ex perpetuo patrum consensu & conciliorum authoritate instructa.

Cùm enim (vt de scriptura primùm dicamus) in superioribus ad octauam distinctionem ostensum sit, non figuratum sed proprium esse Christi sermonem, & proinde operatorium, quo panem manibus tenens dixit, *Hoc est corpus meum*, sitque prorsus absurdum & in ecclesia inauditum, vt iam (F) ostendimus, Christi corpus verè & propriè dici panem, necessariò sequitur ijs verbis effici, vt panis in corpus Christi conuertatur; quomodo si virgam vel aquam vel lapidem manibus tenens dixisset, Hic est serpens, hoc est vinum, hic est panis; haud dubiè enim huiusmodi verba à Christo verace & omnipotente prolata efficaciter res illas in istas conuertissent, neque alium aliquem talium verborum sensum probabilem proprietate sermonis retenta fingere quis poterit. Vnde & Caluinus quodam loco contra Lutheranos proprium sen- (A) sum verborum Christi retinere volentes, & tamen transmutationem negantes, disputans apertè testatur non consistere verborum Christi simplicitatem, nisi panis conflettur in corpus, vt pontificij docent.

Est autem huic loco impertinens, vtrùm secundùm proprietatem sermonis hic reddatur dictorum verborum sensus, Hæc res (quam videlicet ex hoc pane facere intendo & facio) est corpus meum; an verò iste, Hic panis fit, vel mox erit corpus meum, vel transit in corpus meum. Sanè potuisset Dominus in illuminando cæco conuenien- (B) ter talibus vti verbis, ijsque operatorijs, hic cæcus videt, quemadmodum ab eodem assertoriè dictum est, *cæci vident claudi ambulant*. Quæ quidem verba hunc haberent sensum, Hic qui nunc cæcus est, videt hac mea oratione completa. Vnde videri potest non absurdè illorum verborum, *Hoc est corpus meum*, similem sensum reddi posse, vt quibusdam catholicis visum est. Qua de re diximus aliquid ad 8. distinct. Sufficit interim huic loco ex vtralibet interpretatione satis certò intelligi, ad eius propositionis veritatem requiri, vt non (C) permaneat id quod priùs erat, sed in aliud committetur. Id quod etiam in ijs sententijs quæ accidentalem tantummodo & relatiuam mutationem significant, locum habet. Nam qui librum suum manu tenens dicit alteri, Hic est liber tuus, non vult ea propositione efficere, vt liber manens suus fiat alterius, sed vt ex suo fiat alterius; ita nimirum, vt suus esse desinat.

Huc porrò maximè faciunt ea patrum loca quibus docent in hoc sacramento conuerti panem seu transmutari in corpus Christi; quomodo Chri- (D) stus aquam conuertit in vinum, & quomodo virga Aaron versa est in serpentem, ac vicissim serpens in virgam, & aqua Nili in sanguinem. Sed nunc aliquot illustriora patrum testimonia subijciamus, quibus hanc conuersionem postea transsubstantiationem à catholicis nuncupatam, etiam allatis ijs, quas dixi comparationibus, clarè & disertè agnoscunt.

Irenæus lib. 5. contra hæreses sub initium affirmat panem percipere verbum Dei & fieri corpus Christi.

Iustinus in secunda apologia sic ait: Alimen- (E) tum per precationem verborum Christi consecratum, ex quo mutatione facta, sanguis & carnes nostræ nutriuntur, illius incarnati Iesu carnem & sanguinem esse didicimus.

Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica inter alia sic ait: Christus aquam mutauit aliquando in vinum, quod est sanguini proximum; & non erit fide dignus, cui credamus, vinum transmutari in sanguinem?

Basilius in liturgia inuocat spiritumsanctum, vt faciat hunc panem preciosum corpus Christi, & quod in calice est, preciosum sanguinem Christi, (F) mutans ea spiritu suo sancto.

Gregorius Nissenus in vita Mosis & sermone catechetico de diuinis sacramentis apertissimè testatur per verbum Christi panem verti in carnem seu corpus Christi, sic vt panis esse desinat. Idem in sermone ad catechumenos sic ratiocinatur: Si panis quem comedebat Christus, in diuinum eius corpus naturali virtute mutabatur, cur non credimus panem sanctificatum diuina vi in idem corpus transmutari?

Ambrosius cap. 9. de ijs qui mysterijs initiantur, probare volēs in eucharistia non hoc esse quod

natura

A natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, hoc simile adducit: Virgam tenebat Moyses, proiecit eam & facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam & serpentis & virgæ. Et mox subiungit: Quòd si tantùm valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicemus de consecratione diuina? & quæ sequuntur. Item lib. 4. de sacramentis cap. 4. Vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Et lib. 4. de fide cap. 5. dicit transfigurari, id est, transformari panem in corpus Domini. Neque enim ad figuram externam id referri B potest, vti per se clarum est.

Hieronymus in epistola ad Heliodorum & altera ad Euagrium, & tertia ad Fabiolam testatur sacerdotes sacro ore corpus Christi conficere, haud dubiè non aliunde quàm ex pane. Id quod & clariùs ab eo dicitur de tritico panem cælestem effici comment. in Isaiæ 62. & in Ezech. 26. item vinum consecrari in Christi sanguinem. Comment. in Galat. 5.

Hesychius lib. 6. in Leuitic. 22. dicit sanctificationem mystici sacrificij, & à sensibilibus ad intelligibilia translationem siue cõmutationem, Christo qui verus est sacerdos, ascribendam esse. C

Ioannes Chrysostomus homil. 83. in Matth. ait: Nos ministrorum ordinem tenemus, qui verò hæc sanctificat & transmutat, Christus est. Idem subinde testatur, Deum visibilia elementa in corpus Christi transmutare, vt hom. de encænijs. hom. 60. ad populum Antiochenũ, homil. de eucharistia, homil. de proditione Iudæ, & in Liturgia.

Augustinus nec hac parte quicquam à superioribus diuersum sentit. Nam in sermone quodam de verbis euangelij quem citat Beda in 1. D Corinth. 10. Nouerunt fideles, inquit, sciunt quid dicam, nouerunt Christum in fractione panis. Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi. & lib. 3. de Trinit. cap. 4 & 10 significat ex fructibus terræ videlicet frumento & vino confici corpus & sanguinem Christi. Sed clarissimè id asserit sermone quodam, cuius initium est: Veritas quæ est Christus, ait, & tam à Magistro quàm à Gratiano citatur his verbis: Sicut per spiritumsanctum vera Christi caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis & vini idem corpus Christi & sanguis conse- E cratur, & iterum: Corpus Christi & sanguis virtute spiritussancti ex panis vinique substantia efficitur. Vide etiam serm. 28. de verbis Domini, & locum à Gratiano citatum de consecrat. distinct. 2. cap. Nos autem.

Eusebius Emisseni titulo in sermone de corpore & sãguine Domini. Inuisibilis, inquit, sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate commutat. & homil. 5. de paschate. Mortalia & terrena in Christi substantiam conuertuntur. Quid mirum si ea quæ verbo potuit creare, verbo potuit creata conuer- F tere?

Cyrillus Alexandrinus in epist. ad Calosyrium hanc conuersionem varijs tum rationibus tum exemplis confirmans dicit inter alia: Ne horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostræ fragilitati influit oblatis, conuertens ea in veritatem carnis suæ.

Petrus Chrysologus serm. 160. testatur ea virtute Christum aquam conuertisse in vinum, qua postea vinum commutauit in sanguinem.

A Gregorius Romanus homil. 14. in euangelia, Christum ita nos dilexisse, vt in sacramento nostro corpus suum & sanguinem verteret, & oues quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret. Quod ait corpus suum & sanguinem verteret, dicitur ea phrasi qua dicere solemus interpretem pro hac voce vertere illam, vt pro λόγω, verbum, quia λόγον, vertit in verbum. Vertit ergo Dominus corpus suum & sanguinem, quia conuersionis cuiusdam mirabilis terminum fecit.

Ioannes Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 14. Panis inquit, & vinum transmutatur in corpus & sanguinem Dei. Si autem modum requi- B ris, quonam pacto fiat, sat tibi sit audire, quoniam per spiritumsanctum. Ac deinde allato exemplo conuersionis naturalis, qua cibus & potus transit in substantiam edentis & bibentis, sic, inquit, Panis & vinum per inuocationem & aduentum spiritussancti supernaturaliter transmutatur in corpus & sanguinem Christi. Et non sunt duo, sed vnum & idem.

Theophylactus in Marci 14. *Hoc est corpus meũ*, hoc, inquam, ipsum quod sumimus. Non enim figura & exemplar quoddam dominici corporis panis est, sed in illum ipsum conuertitur corpus Chri- C sti. Misericors Deus nostræ infirmitati condescendens speciem quidem panis & vini seruat, in veritatem autem carnis & sanguinis transelemẽtat. Nec minùs apertè scribit in Matth. 26. & Ioan. 6.

Porrò his addimus Origenem lib. 8. contra Celsum, Theodoretum dialogo 2. Isidorum lib. 1. de officijs ecclesiasticis cap. 18. & Euthymium in Matth. 26. Atquæ hi omnes cùm ante exortam Berengarij hæresim scripserint, in primis idonei habendi sunt, qui ad eam conuincendam testes adhibeantur.

D Demum his accessit authoritas eorum conciliorum quæ contra hæresim iam exortam habita vnanimi patrum consensu hanc ipsam doctrinam vt catholicam definierunt. Ea sunt vnum Vercellis in Italia, duo Turonis in Gallia, & tria Romæ celebrata, vt ex gestis illorum temporum constat. Item generalia quatuor postmodum habita. Quorum primum Lateranense sub Innocentio 3. in definitionibus fidei cap. 1. sic habet: Iesu Christi corpus & sanguis in altaris sacramento sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transsubstantiatis pa- E ne in corpus & vino in sanguinem potestate diuina. Secundum Constantiense in condemnatione articulorum primi & secundi Ioannis Wicleff, & in interrogationibus in diplomate Martini V. præscriptis. Tertium Florentinum in decreto de sacramentis, vbi dicitur quòd virtute verborum Christi substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur. Postremum Tridentinum cuius de eadem re apertissima est definitio sess. 13. cap. 4. & can. 2.

F
§. 4. *Quis sit modus dictæ conuersionis.*

CONuersionem quæ virtute verborum Christi fit in eucharistiæ sacramento, Tridentina synodus mirabilem & singularẽ appellat; mirabilem quia modus eius ab humano ingenio comprehendi nequit, ideoque magis creditur quàm intelligitur; singularem quia nulla mutatio ei similis in rerum natura inuenitur. Veruntamen fide pro fundamento collocata nihil prohibet secundùm ea quæ in scripturis

S. Tho. 3. p. q. 75. ar. 2. 3. 4. 7. & 8.

scripturis & patrum doctrina nobis tradita sunt, modum illius conuersionis aliquatenus explicari & ad intelligentiam nostram perduci. Quod quidem breuiter & articulatè velut per capita facere tentabimus.

Primum igitur hoc sit: In hoc sacramento panis conuertitur præcisè in corpus Christi, & vinum in sanguinem, non autem in animam, neque diuinitatem, neque totum Christum. At neque panis in sanguinem neque vinum in corpus. Patet id manifestè ex verbis consecrationis: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Atque hoc est quod synodus Tridentina sess. 13. cap. 3. docet, corpus quidem sub specie panis & sanguinem sub specie vini contineri ex vi verborum Christi; cætera verò omnia simul sub vtraque specie existere partim vi naturalis illius connexionis seu concomitantiæ, qua partes Christi Domini inter se copulantur, partim ratione hypostaticæ vnionis.

Secundum. In hoc sacramento tota substantia panis conuertitur in corpus seu substantiam corporis Christi, & tota substantia vini in sanguinem seu substantiam sanguinis eius. Ita tradit synodus Tridentina cap. 4. & can. 2. dictæ sessionis. Adde fieri hanc conuersionem in totum corpus & in totum sanguinem, vt rectè docet Sanctus Thomas 3. quæstio. 75. articul. 8. Item totius substantiæ in totam substantiam ibidem.

Tertium. Hæc conuersio neque generatio est, neque corruptio, multoque minùs ad aliud aliquod genus mutationis naturalis pertinet. Sequitur istud ex secundo. Non enim manet hîc aliquod subiectum idem, ne quidem materia prima, sed, vt dictum est, tota rei substantia in aliam conuertitur.

Quartum. Fit hæc conuersio in instanti, non tantùm eo modo quo generationes naturales, sed omnino absque vlla alteratione præuia. Nam virtute verborum Christi nulla hîc alteratio contingit, quia nec significatur; sed in termino prolationis fit ipsa conuersio, quam verborum significatio requirit. Adde quòd alterationis officium est materiam suscipiendæ formæ præparare, hîc autem nullum manet idem subiectum.

Quintum. Manent in hac conuersione omnia accidentia substantiæ prioris. Quod quidem sensu notum est, nec probatione indiget. In quo autem illa fundentur subiectu destituta, proxima distinctione explicabitur.

Sextum. Panis & vinum non resoluuntur in præiacentem materiam. Consequens id est ex secundo, tertio & quarto. Ac præterea probatur, quia resolutio mixti fit in elementa, non in nudam materiam: at nullum hîc post consecrationem manet elementum, nulla prorsus substantia præter corpus & sanguinem Christi.

Septimum. Panis & vinum non rediguntur in nihilum. Ratio est, quia quamuis non videatur negandum absolutè Deum posse facere, vt corpus Christi fiat alicubi præsens neque per motum localem, neque per creationem, neque per conuersionem alterius in ipsum (de qua re controuersia est inter sectatores Aquinatis & Scoti) fatendum tamen est reuera corpus Christi non aliter fieri præsens in eucharistiæ sacramento, nisi per conuersionem panis in ipsum, idque virtute verborum, quæ hanc conuersionem exigunt. Iam verò quod in aliud conuertitur, siue totius substantiæ mutatione conuertatur; siue partis tantummodo, non annihilatur; quippe cùm terminus annihilationis sit nihil, conuersionis autem id in quod fit conuersio. Quamuis igitur panis esse desinat, & corpus Christi ibidem esse incipiat, quoniam tamen id fit per conuersionem vnius in alterum, dici non potest panem annihilari, vel corpus Christi ex nihilo creari, etiamsi poneretur ipsum priùs nusquam extitisse. Significatum est autem hoc non obscurè iis Ambrosij verbis quibus ait, vt sint quæ erant, & in aliud conuertantur lib. 4. de sacramentis cap. 4. Sensus enim est vt quæ erant, non in nihilum redigantur, sed adhuc sint in aliud conuersa. Neque iis verbis significatur communis materia aut subiectum, sed commune genus entis.

§. 5. *Quomodo de hac conuersione loquendum sit.*

AD significandam hanc conuersionem tribus ferè modis patres loquuntur, vt ex suprà positis testimonijs & aliunde animaduerti facile potest. Primùm enim huiusmodi forma sermonis vtuntur. Ex pane fit, efficitur, conficitur, consecratur corpus Christi. Interdum autem præpositionem, de, ad idem significandum vsurpant, dicentes de pane fieri corpus aut carnem Christi. Sic Ambrosius lib. 4. de sacramentis cap. 4. Deinde loquuntur hoc modo: Panis conuertitur, transmutatur, transit, transelementatur in corpus Christi. Denique & hoc modo: Panis fit corpus Christi.

S. Tho. 3. p. q. 75. ar. 8.

Docet autem S. Thomas 3. quæst. 75. art. 8. non propriè dici de hac conuersione panis erit corpus Christi, propterea quòd in hac mutatione sicut & in creatione nullum idem subiectum sub vtroque termino maneat. Qua ratione nec has propositiones propriè veras esse censet; panis fit corpus Christi, vel de pane fit corpus Christi, quoniam & illæ subiectum aliquod vnum requirunt. Quia tamen, inquit, in hoc sacramento facta conuersione aliquid idem manet, scilicet accidentia panis, secundum quandam similitudinem hæ locutiones possunt concedi; vt nomine panis non intelligatur substantia panis, sed in vniuersali hoc quod speciebus panis continetur, sub quibus priùs continetur substantia panis & postea corpus Christi. Sic ille.

Sed huic declarationi repugnat illud in primis quòd istiusmodi loquendi modi etiam apud patres sunt frequentissimi, vt videre est in locis suprà citatis, & alibi, & nominatim apud Ambrosium lib. 4. de sacramentis capit. 4. & Irenæum contra hæreses lib. 5. Quin & in canone missæ, quo nunc tota ecclesia vtitur, & in liturgijs Basilij & Chrysostomi disertè petit sacerdos, vt oblata, videlicet panis & vinum, fiant corpus & sanguis Christi. Item in confessione Berengarij tam priori quàm posteriori, quam vtramque in Romano concilio summi pontifices ei præscripserant, legitur, quòd panis & vinum post consecrationem sint verum Christi corpus & sanguis: quod non est aliud dicere quàm panẽ & vinũ fieri corpus & sanguinem Christi. Sic & Magister hac distinct. dicit, quòd substantia panis & vini, quæ antè non fuerat corpus & sanguis, verbo Christi efficitur corpus & sanguis, idque pluribus etiam verbis declarat. Et Innocent. 3. lib. 4. de

officio missæ cap. 6. Incomparabiliter maius est, inquit, quòd Deus ita factus est homo, vt non desierit esse Deus, quàm quòd panis ita fit caro, vt desinat esse panis. Et infrà. Quod panis erat cùm accepit, corpus suum erat cùm dedit. Similiter Guitmundus loquitur lib. 2. contra Berengarium, vbi sensum reddit illorum verborum, *Hoc est corpus meum*. Et Thomas Waldensis tomo 2. de sacramentis cap. 68. Manifestum est autem omnibus ijs locis panem propriè accipi, vt id significet quod in euang lio, vbi dicitur: *Accepit Iesus panem.*

Prætera quamuis ita sit quòd in omni naturali mutatione reuera maneat idem aliquod subiectum, non tamen id videtur necessariò includi in sermone quo dicimus, hoc fit illud, sed tantùm, vt aliud sit post aliud via mutationis seu conuersionis. Quocirca non improbabile est, quod ad S. Thomam annotat Caietanus, propositiones huiusmodi etiam vt propriè veras esse concedendas, neque eas quicquam derogare vero intellectui, quem de conuersione totius substantiæ in totam substantiam habere oportet.

§. 6. *Dictam conuersionem rectè vocari transsubstantiationem.*

S. Thom. dicta q. 75. ar. 4.

CVm in sancto eucharistiæ sacramento panis conuertatur in corpus Christi, nec remaneat quidem eius materia; eò quòd corpus Christi iam ante existens suam propriam habeat sicuti formam sic & materiam, quam semel assumptam nunquam deponit nec mutat; atque hoc pacto, vt suprà dictum est, tota substantia panis transmutetur in totam substantiam corporis Christi, nimirum secundùm materiam simul & formam. Cumque prætetea etiam accidentia panis omnia remaneant, ideoque nec alteratio hanc mutationem vlla præcedat, sed solummodo fiat substantiarum alterius in alteram conuersio; profectò conuenienter admodum & propriè patres eam mutationem transsubstantiationis nomine significarunt in concilio Lateranensi sub Innocentio 3. approbante hoc ipsum synodo Tridentina sess. 13. cap. 4. In qua voce excogitanda potissimùm eò spectasse patres videntur, vt huiusmodi voce sub qua non posset hæresis venenum suum abscondere, tanquam symbolo quodam à Sacramentarijs Catholici distinguerentur. Nam & illi concedere solent in hoc sacramento corpus esse Christi, idque verè, & vt quidam eorum non negant, realiter, nimirum propter veram significationem & realem operationem. Sed substantiam panis in eo penitus abesse, vt quæ in corporis Christi substantiam sit transmutata, & subinde corpus Christi substantialiter illic adesse, id vt fateantur, quia tergiuersationi locum non reperiunt, adduci nolunt. Nec verò quemquam offendere meritò potest huius vocabuli nouitas, cùm res per ipsum significata sit vetustissima; vtpote in doctrina patrum & sacris literis fundata, quemadmodum suprà ostendimus. Quamquam ab hac voce non multum absuerunt, qui panem transfigurari & transelementari dixerunt, vt Ambrosius & Theophylactus dudum citati.

Nihil autem prohibet quò minùs ecclesia docendi & declarandi causa nouum aliquod vocabulum excogitet atque vsurpet, quando in re ipsa nihil est nouum. Ita enim olim fecit in his vo-
A cabulis ὁμοούσιος seu consubstantialis, ingenitus, trinitas, persona, catholicum, Deipara ac similibus; quibus voluit & suam fidem manifestiùs profiteri, & occultis atque insidiosis hæreticorum sensibus ac subterfugijs viam præcludere, quemadmodum tradunt Athanasius in disputatione cum Ario, Nazianzenus lib. de fide, Fulgentius responsione septima contra Arianos & Vincentius Lyrinensis in libello contra profanas hæresum nouationes. Quorum Athanasius his verbis Arium alloquitur: Nominisne offenderis nouitate,
B an etiam rei ipsius veritate, quæ hoc est sortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua nouum nomen accepit, non vocabulo nouo noua rei veritas accessit. Ac deinum addit, tot nouorum verborum antiquæ veritatis religioso intellectui extitisse nomina, quot fuerunt subministratæ occasiones. Vincentius autem sic ait: Ecclesia plærumque propter intelligentiæ lucem non nouum fidei sensum nouæ appellationis proprietate signat. Qui eodem loco profanas vocum nouitates (quod ex apostolo obijci solet 1. Timoth. 6.) interpretatur eas, quæ à sacra Christi doctrina sunt alienæ, & antiquitati contrariæ. Ta-
C les erant quas olim Gnostici & Manichæi proferebant. Tales quoque sunt, quas hodie nouorum dogmatum authores comminiscuntur, vt iustitia specialis & imputatiua, Christum iniustificatum fuisse, Christum in eucharistia inpanari & alia huiusmodi.

§. 7. *Communionem vtriusque speciei non esse omnibus necessariam.*

D

S. Tho. 3. p. q. 80. ar. 12.

PRimis ecclesiæ temporibus eucharistiam fideli populo communicatam fuisse sub vtraque specie manifestum est ex veteri historia, & scriptis omnium ferè patrum, qui subinde testantur fideles bibere sanguinem Christi, vt Tertullianus, Origenes, Cyprianus, & post eos Augustinus frequenter, velut scribens in psalm. 94. & 96. serm. 59. de verbis Domini, homil. 27. inter quinquaginta tract. 31. 38. 40. & 45. in Ioan. & quæst. 57. in Leuiticum. Item Chrysostomus non minùs fre-
E quenter in homilijs ad plebem. Et Gregorius homil. 22. in euangelia, cuius ad populum Romanum hæc sunt verba: Quid sit sanguis agni non iam audiendo, sed bibendo didicistis. Et lib. 4. dialog. cap. 58. de Christo dicit: Eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Idem lib. 3. dialog. cap. 36. refert fideles in mari periclitantes corpus & sanguinem redemptoris accepisse. Quin & hodie in persona recens baptizatorum canit ecclesia. *Cuius corpus sanctissimum cruore eius roseo gustando viuimus Deo.* Porrò ipsis apostolis in cœna præbitam à Domino fuisse vtramque speciem ex
F euangelica historia notissimum est, quemadmodum nec obscurè colligitur ex 1. Corinth. 11. populum Corinthium vtriusque speciei communione hoc sacramentum celebrasse.

Verùm perinde quoque ex historia veteris ecclesiæ manifestum est, non eam patres opinionem habuisse, vt quicunque corpus Christi manducaret, eidem putarent ex Christi præcepto necessariã esse sumptionem calicis. Certum est enim illo tempore propter crebras & quasi continuas persecutiones raros conuentus à christianis agi potuisse, quando

tamen

tamen interim eucharistiæ communione haudquaquam destituebantur. Nam tradebatur eis in manus eucharistia, domum asportanda, & quidem non aliter quàm sub specie panis. Siquidem vini speciem auferendam & ad vsum asseruandam laicis tradere periculosissimum erat.

Testantur autem id Tertullianus lib. ad Vxorem, & Cyprianus serm. de lapsis, & Ambrosius in prima oratione in obitum fratris. Simile quid de Tharsitio quodam commemorat Beda in martyrologio ad decimum quintum Augusti, & post Bedam Algerus lib. 2. de sacramento eucharistiæ cap. 10. Meminit eiusdem consuetudinis August. lib. 2. contra literas Petiliani cap. 13. & Hieronymus in apologia contra Iouinianum. Alius item locus est apud Bedam lib. 2. histor. Anglorum cap. 5. & rursum alius lib. 4. cap. 21. quorum prior significat etiam toti populo celebratis missarum solennijs alicubi dari solitam eucharistiam tantùm sub specie panis.

Narrat præterea Nicephorus lib. 18. cap. 6 pueros innocentes ieiunos Constantinopoli ex more admitti solitos ad edendas reliquias immaculati corporis Christi. His adde quòd veteres tribuentes diacono potestatem erogandi populo corpus Christi, plærumque sanguinis dispensandi non meminerunt, velut rei non necessariò coniunctæ, vt Carthaginense concilium 4. cap. 38. & Hieronymus in epistola de cereo paschali.

Huc denique pertinent ea, quæ suprà diximus de asseruanda eucharistia, eaque deportanda ad infirmos. Quæ quidem asseruatio ac deportatio fieri non solet, neque commodè potest nisi in specie panis. Hæc igitur satis declarant iam inde ab initio ecclesiam sensisse, neminem Christi præcepto teneri ad vtramque speciem semper sumendam, quoties hoc sacramentum percipere vellet, etiamsi consuetudo vtriusque speciei distribuendæ ab initio obtinuerit, ac deinde per aliquot sæcula durauerit.

Cæterùm crescente postea fidelium multitudine & deuotione decrescente, ideoque & periculis irreuerentiæ & effusionis sanguinis Domini solito frequentiùs occurrentibus, præsertim cùm multi in magno populo sint parum cauti & prouidi, plærique etiam parum religiosi, cœpit ecclesia tota ante annos circiter quingentos non tam lege lata quàm tacita & sensim apud omnes recepta consuetudine vnica specie esse contenta. Cui consuetudini nonnullam quoque occasionem dedisse videtur circa id tempus exorta hæresis Berengarij. Cùm enim ille in hoc sacramento tantùm agnosceret signa corporis & sanguinis Domini, non ipsum eius corpus & sanguinem, cœperunt vti sua libertate fideles, vt videlicet altera specie contenti (quoniam præceptum vtriusque speciei nullum agnoscebant) profiterentur verum ac viuum Christi corpus vnà cum sanguine, anima & diuinitate Christi, id est, totum Christum sub altera specie contineri, ideoque se nulla parte rei contentæ defraudari, etiamsi non vtrumque signum perciperent.

Accessit & alia ratio, nimirum conuersio populorum Aquilonarium, apud quos nec nascitur vinum, nec facilè importatur, nec nisi magno precio comparatur, nec proinde nisi à ditioribus haberi potest; adeo vt consultus aliquando fuerit Romanus pontifex, an & sacrificare liceret in ijs regionibus tantùm in specie panis. De qua re suo loco dicemus. Et sanè apud Anglos qui aquilo-

A nares sunt, eam consuetudinem sub altera specie communicandi inualuisse iam ante Bedæ tempora, ex eius historia supracitata colligi videtur. Non debuit autem ecclesia permittere vt alijs regionibus ob vini defectum altera tãtùm specie contentis, aliæ vtraque specie potirentur; ne ea consuetudinis in diuinissimo hoc sacramento participando difformitas vnitatem fidei & mutuæ charitatis, quæ nobis vnicè in eo commendatur, quoquo pacto dissolueret; dum in hoc sacramento minus aliquid se habere, ideoque Christo minus curæ fuisse suspicarentur illi, quibus non est vini copia, B quàm alij Christiani.

Denique non minimum momentum habet hæc ratio quòd in populo christiano multi sint abstemij, & qui ab vsu vini prorsus abhorreant, quales certè primis etiam sęculis fuisse non est dubium, quos tamen ab huius sacramenti perceptione Christum arcere voluisse nulla ratione credendum est.

Hæ rationes satis ostendunt nec Christum debuisse omnibus præcipere vsum calicis, & ecclesiam iustissimis de causis motam esse, vt consuetudinem communicandi sub altera tantùm speC cie paulatim introduceret.

Posteaquam verò in odium Romanæ & catholicæ ecclesiæ quidam ex scripturis malè intellectis docere cœperunt vnicæ speciei communione violari præceptum Christi, dogmatis illius falsitati resistere volens ecclesia; & contrarium definiuit, nempe Christi præcepto non aduersari consuetudinem communicandi tantùm sub specie panis; & sanxit eam consuetudinem priuata authoritate non immutandam. Fecit autem vtrumque tum in concilio Constantiensi sess. 13. tum in Tridentino sess. 21. capit. 1. & 2. & canon. 1. D & 2.

Quòd autem nullum sit Christi præceptum, quod communicaturo vtriusque speciei necessitatem imponat (etsi negatiuum hoc sit, cuius proinde probatio exigi non debeat) breuiter tamen ex euangelica & apostolica scriptura sic ostendimus. Christus cùm sacramentum corporis & sanguinis sui institueret, nullum in futura tempora præceptum dedit præter illud de corpore suo, *Hoc facite in meam commemorationem*, vt habent Lucas & Paulus; & illud de sanguine suo: *Hoc facite quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*, E quod legitur apud solum Paulum. Nam illa verba, *Accipite & manducate & bibite ex hoc omnes*, manifestè tantùm ad eos pertinent, qui tunc pręsentes erant, nempe duodecim apostolos, quos ijs verbis ad oblata sumenda Dominus inuitabat. Vnde de eo quod apud Matthæum legitur, *bibite ex hoc omnes*, Marcus studiosè asscripsit, mox in eadem cœna fuisse impletum, dicens: *Et biberunt ex eo omnes*. Ex quibus sequitur si alterutra species est à Domino præcepta, non speciem vini sed speciem panis præceptam esse, quandoquidem F absolutè dictum est post corporis dominici distributionem: *Hoc facite in meam cõmemorationem*, eoque pręcepto teneri primùm apostolos & eorum successores sacerdotes ad consecrandum & offerendum, deinde tam ipsos quàm cæteros omnes fideles ad sumendum. Quod enim post calicis cõsecrationem dixisse Dominum commemorat apostolus, quoniam additum est, *quotiescunque bibetis* non simpliciter obligat quemquam ad vsum calicis, sed ad hoc tantùm, vt quotiescunque de calice bibit, id in eius commemorationẽ faciat. Sicut olim in veteri lege,

quamuis omnibus præceptum esset de agno paschali comedere, & ex more non absque vino agnus paschalis sumeretur, quemadmodū euangelistę cœnam dominicā describentes insinuant, & Beda in Lucam scribens annotatur, non tamen præceptum fuit, vt vinum ab his qui agnum paschalem comederent, biberetur. Et quamuis in veteribus sacrificijs vinum quoque offerri solitum erat, nunquam tamen inde ad plebem offerentem vini portio redibat, tametsi carnium immolatarum particeps foret, vti paret ex Leuitico.

Præterea ex Paulo argumentum non improbabile potest accipi, quo ostendatur hoc sacramētum etiam tunc sub vna specie interdum sumi solitum. Ait enim disiunctiuè. *Quicunque manducauerit panem vel biberit calicem Domini indignè*, sic enim & græci habent, & emendatiora latina. Si ergo non frustrà disiunctiua coniunctione vsus est Paulus, consequitur non semper, neque ex Christi præcepto sumendam esse vtramque speciem. Nisi quis dicat ei qui speciem panis sumpserit, ac postea interueniēte peccato alteram dignè sumere non possit, à specie vini abstinendum esse, & ad id significandum Paulum disiunctione vsum fuisse. Quod si ita est, iam saltem consequens erit vel ex ipsis Pauli verbis aliquem dari casum, quo liceat sumpta specie panis à specie vini abstinere, & proinde non semper quoties communicandum est, vtraque specie ex Christi præcepto vtendum esse. Iam si vnum casum excipias, nihil vetabit quò minùs & plures excipi possint.

Alia probatio sumitur ex facto Christi & apostolorum. Siquidem tam Christus sacramenti institutor, quàm apostoli leguntur interdum panem fregisse, & corpus Domini administrasse absque mentione calicis: Christus quidem duobus discipulis in Emmaus Lucæ vltimo iuxta interpretationem Augustini lib. 3. de consensu euang. cap. 25. & in serm. feriæ 2. & 3. paschæ. Cuius doctoris verba recitat Beda in Lucę vltimum. Quam interpretationem Theophylactus quoque sequitur. Apostoli verò Act 2. 20. & 27. iuxta veterum quorundam expositionem, pro qua vide Chrysostomum homil. 17. operis imperfecti in Matth. & Augustinum epist. 86. ad Casulanum. Et sanè interdum per fractionem panis intelligi communicationem corporis Domini perspicuum est ex 1. Corint. 10.

Postremò sic probatur, quia species hæc vel illa non tam ad substantiam quàm ad modum pertinet sacramenti. Sumitur enim totus Christus sub vtralibet specie & qualibet parte, vt suprà ostensum est. Atqui modum & ordinem celebrandi huius sacramenti Christus apostolus constituendum reliquit. Vnde Paulus ait: *Cætera cùm venero disponam.* Quæ verba citans Augustinus epist. 118. ad Ianuarium cap. 6. Christus inquit, non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur eucharistia, vt apostolis per quos ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios semper sumeretur eucharistia, eum morem nemo variasset. Ita & nos dicere possemus, Si Christus præcepisset, vel tantùm monuisset eucharistiam ab omnibus sumi sub vtraque specie, eum certè morem ecclesia nunquam variasset.

§. 8. *Aduersariorum argumenta refelluntur.*

S. Thom. ibidem.

PRæter argumenta quorum solutionem iam indicauimus, ea nimirum quæ sumi possunt ex verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, &, *Bibite ex eo omnes*, alia non pauca partim ex scriptura, partim ex patribus obijci solent aduersus supradictam ecclesię doctrinam & consuetudinem. Ex quibus hæc sunt præcipua.

Prinium rale est. Christus instituit hoc sacramentum sub vtraque specie, ergo nisi sub vtraque specie dispensetur, & accipiatur, non seruatur institutio Christi.

Secundum. Calix sanguinis Christi testamentum quoddam est christianis omnibus à Christo relictum, vt significant illa eius verba, *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*, Atqui vt Paulus ait Galat. 3. *Confirmatum semel hominis testamentum nemo spernit aut superordinat*, ergo calix non potest laicis subtrahi absque iniuria & sacrilegio in Christum eiusque testamentum.

Tertium. Ait Paulus imperatiuè simul & copulatiuè, *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Quartum. Sumendum est hoc sacramentum in commemorationem passionis & mortis dominicæ, vt idem apostolus eodem loco testatur dicens: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*, Non potest autem mors & passio Domini commemorari sumptione vnius tantùm speciei, præsertim panis; quia repræsentare oportet sanguinem in morte effusum & proinde à corpore separatum. Quare ad id repræsentandum vtramque seorsim speciem sumere oportet.

Quintum. Expressa est Domini sententia Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Sextum. Sacramentum eucharistiæ duas habet partes ex quibus eius integritas & perfectio constituitur, ergo qui alteram tantùm partem accipit, non integrum accipit sacramentum, sed dimidium atque imperfectum.

Septimum. Alius est effectus cibi, alius potus, ergo peculiari aliquo effectu defraudantur qui hoc sacramentum accipiunt tantùm per modum cibi & non per modum potus.

Octanò & postremò varia obijciuntur loca patrum. Inter quos Cypriani authqriras potissimùm vrgetur, qui lib. 2. epist. 3. contra Aquarios disputans, dicit in calice Domini sanctificando & plebi ministrando tenendam esse traditionis euangelicæ veritatem; nec ab eo quod magister & præcepit & gessit, humana & nouella institutione esse decedendum; eosque vehementer errare qui in administrando calice non hoc faciunt, quod Christus docuit: & quod inuenimur non obseruare quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus. Idem in sermone de cœna Domini; lex, inquit, esum sanguinis prohibet, euangelium pręcipit vt bibatur. Bibimus autem de sanguine, Christo ipso iubente. Et rursum lib. 1. epist. 2. de pœnitentibus ita scribit: Quomodo prouocamus eos in confessione sangui-

nem

nem suum fundere, si eis militaturis sanguinem Christi denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum priùs in ecclesia poculum domini iure communicationis admittimus?

Chrysostomus homil. 18. in 2. Corinth. sic ait: Est vbi nihil differt sacerdos à subdito, vt quando fruendum est mysterijs. Similiter enim omnes vt illa participemus, digni habemur. Eadem ferè verba leguntur apud eum in homil. 41. in Matth.

Augustinus quæst. 57. in Leuiticum de nouæ legis sacrificio loquens. A cuius, inquit, sacrificij sanguine in alimentum sumendo non solùm nemo prohibetur, sed & ad bibendum potiùs omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.

Gelasius pontifex apud Gratianum de consecrat. dist. 2. cap. Comperimus, de quibusdam calicem recusantibus ac refugientibus ait: Aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, eò quòd diuisio vnius eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio nequeat prouenire.

Damascenus lib. 4. orthodox. cap. 14. Christus, inquit, nouum testamentum disposuit sanctis discipulis, & per ipsos alijs in ipsum credentibus.

Theophylactus quoque scribens in 1. Corinth. 11. dicit tremendum calicem Domini cunctis pari conditione traditum esse.

Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini cap. 15. similiter, inquit, & calicem porrigit Dominus ministris dicens: *Accipite & bibite ex hoc omnes* tam ministri quàm reliqui credentes. Idem Paschasius & post eum Algerus, disputantes quare Christus diuisim sub duabus speciebus eucharistiam instituerit, pro ratione adferunt hanc Augustini sententiam: Nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne iure communicatur.

His addunt canonem 1. Bracarensis concilij 3. qui habetur in decreto de consecrat. dist. 2. cap. Cùm omne crimen vbi statuitur non intinctam calici eucharistiam fidelibus porrigendam esse, sed vtramque speciem seorsim iuxta Christi institutionem.

Ad hæc obiecta sic ordine respondemus. Quod primo loco de institutione Christi objicitur, nequaquam conuincit. Multa enim Dominus instituit & fieri voluit, non ita tamen vt omnia ab omnibus fierent (nisi fortè peculiare aliquod præceptum intercederet) sed vt eius institutioni satis sit, si alius hoc, alius aliud faciat. Instituit enim sacramentum matrimonij, sed non ita vt ab omnibus suscipi velit, instituit in ecclesia pastores & doctores, nec tamen id munus ad omnes pertinere voluit. Ita & circa hoc sacramentum instituit alios qui consecrarent & offerrent, alios qui tantùm sumerent. Instituit autem illud sub vtraque specie, vt Deo in sacrificium offerretur, ac deinde sumeretur, ac sumendum traderetur; non ita tamen vt quisque fidelium vtramque speciem sumere deberet, sed vel vtramque vel alteram iuxta rationabilem ordinationem ecclesiæ. Sic enim & in veteri lege omnes integrum agnum paschalem offerebant, & integrum phase celebrabant, sed alius hanc, alius aliam partem edebat. Nec omnes vinum bibebant quod erat pars quædam illius epuli.

Ad secundum respondetur sanguinem domini propriè non esse nouum testamentum, vtpote quod tempore & origine multò sit antiquius incarnatione Christi, qua sanguinem assumpsit, & passione qua sanguinem fudit. Nam & veteri lege antiquius est, vt apostolus docet Galat. 3. Similiter autem neque sanguis hircorum aut vitulorum propriè erat testamentum vetus, sed vocatur sanguis testamentum, quia est confirmatio & stabilimentum testamenti seu fœderis, quod Deus inijt cum homine. Vnde magis propriè genitiuo casu dicitur sanguis noui testamenti scilicet confirmationis, quem casum habent Matthæus & Marcus & canon Missæ, & Moyses, Exodi 24. dicens: *Hic est sanguis fœderis.* Est autem hic noui testamenti calix ita à Christo institutus, vt dispensari quidem ab ecclesia possit omnibus credentibus, si ita videretur, non ita tamen vt necesse sit semper cum omnibus dispensari. Estque pro legato quodam testamentario relictus quidem ecclesiæ, verùm non ea conditione, vt omnibus omnino distribueretur, sed illis & eo modo; quemadmodum id expedire iudicaret ecclesia.

Quod tertio loco ex apostolo objicitur, non præceptum continet edendi & bibendi, sed semetipsum probandi priusquam ad panem illum & calicem quis accedat, velut si dicatur, Probet seipsum homo, & sic virginitatem Deo voueat. Quo sermone non votum, sed probatio ante votum necessaria præcipitur.

Ad quartum respondetur quòd non tantùm vtriusque, sed etiam vnius speciei sumptione fiat commemoratio mortis Christi. Nam eo ipso quo vna species sumitur sine altera, significatur corpus à sanguine fuisse separatum. Fatendum tamen est non ita plenam & expressam esse hanc significationem, sicut dum sumitur vtraque species, quia euidentius exprimitur passio Christi sumptione corporis & sanguinis distincta sub diuersis speciebus, quàm sumptione vnius sine altera. Verùm illa perfecta repræsentatio non ita requiritur in sumptione, quemadmodum in ipsa oblatione. Nec enim necesse est ab omnibus fieri, sed sufficit vt fiat à sacerdote, & quadantenus ab omnibus; quatenus videlicet consensu ac deuotione mentis omnes vnum cum sacerdote offerunt sacrificium. Quòd autem sola sumptione corporis commemoratio fiat mortis dominicæ, ex apostolo colligitur, qui bis meminit huius commemorationis, primùm post panis deinde post calicis consecrationem. Per quod significatur in vtrolibet seorsim memoriam passionis dominicæ fieri posse. Potest etiam dici apostolum à manducantibus & bibentibus exigere quidem commemorationem mortis Domini, non tamen velle vt ipso manducandi & bibendi actu mortem Domini repræsentent, sed eam repræsentationem fieri intelligant à sacerdote in ipso sacrificio, de quo posteà edendo vel bibendo participant.

Ad quintum his verbis respondet concilium Tridentinum sess. 21. cap. 1. Sed neque ex sermone illo apud Ioan. 6. rectè colligitur vtriusque speciei communionem à Domino præceptam esse, vtcunque iuxta varias sanctorum patrum & doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* dixit quoque, *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.* Et qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* dixit etiam. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et denique qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinē, in me manet & ego in illo,* dixit nihilominus,

Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Quibus verbis Tridentini patres satis habuerint ostendisse nihil aduersus catholicam doctrinam sequi ex illis Domini verbis, quandoquidem siue de spirituali sumptione siue de sacramentali intelligantur, iuxta diuersas patrum expositiones ex eodem capite facile obiecta refelli possint. Quoniam quicquid ibi tribuitur vtrique coniunctim sumpto, carni videlicet & sanguini Domini, id in eodem sermone pani seu carni seorsim nominatæ legitur attributum. Porrò nullam difficultatem adfert sententia illa, *Nisi manducaueritis &c.* si accipiatur de spirituali seu mystica manducatione, de qua egimus ad distinctionem nonam, quomodo totum eum locum interpretatur Augustinus tract. 25. 26. & 27. in Ioannem. Quomodo etiam dicta sententia intellecta fuit tum ab eodem Augustino lib. 3. de doctrina christiana cap. 16. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20. & lib. 3. cap. 4. serm. tt. de verbis Domini & serm. ad infantes citato à venerabili Beda ad 1. Corinth. 10. itemq; locis à Gratiano recitatis de cõsecrat. dist. 2. cap. Quid est Christum, &c. Qui discordat & qui passus est, & sententia 339. apud Prosperum; tum ab alijs multis patribus, vt Innocent. 1. in epist. ad patres concilij Mileuitani, quæ inter Augustini epistolas est 93. Basilio epist. 141. Bernardo lib. de diligendo Deo & in expositione psalm. 90. & Alcuino in Ioan. Pro eadem interpretatione possunt ex ipso textu rationes aliquot probabiles adferri, quas hic studio breuitatis omittimus. Alij tam veteres quàm recentiores sermonem illum Domini ab eo loco, *Panis quem ego dabo, caro mea est &c.* intelligunt de sumptione sacramentali, qua nimirum sumitur in sacramento eucharistiæ sub specie panis & vini. Iuxta quem intellectum responderi potest ad argumentum tripliciter. Primò, quia non dixit Dominus. Nisi manducaueritis hunc panem & calicem Domini biberitis &c. Quomodo si dixisset, sic forsan vtrumque externum symbolum significaretur esse necessarium, sed dixit, *Nisi manducaueritis carnem &c.* Caro autem manducatur & sanguis bibitur, etiam tunc, quando sumitur sola species panis, quia sub ea totus est Christus, ac proinde & sanguis. Quare iuxta hãc respõsionem sẽsus erit: Nisi sumpseritis seu receperitis intra vos carnẽ & sanguinem filij hominis, non habebitis vitam; vt videlicet non vrgeatur peculiariter actus edendi & bibendi. Quę profectò vrgere non oportet, quandoquidem & corpus Domini non tam mandendo sumunt fideles, quàm leniter glutiendo. Secundò reddi potest hic sensus. Si neque manducaueritis carnem filij hominis, neque biberitis eius sanguinem &c. Iuxta quam explicationem coniunctio copulans pro disiungente posita erit, quod non est infrequens in scripturis. Tertiò respondetur eum qui Christum sumit sub specie panis, rectè dici & manducare & bibere, non ratione actus exterioris qui tantùm est manducatio, sed ratione interioris, nimirum rationе fidei quæ in vtrumque fertur, carnem scilicet in cruce passam & sanguinem effusum. Atque hoc pacto Christum hîc loqui de manducatione sacramentali, quatenus adiunctam habeat manducationem spiritualem. Quidam respondent illa verba *Nisi manducaueritis &c.* dicta ecclesiæ non singulis, & proinde ecclesiam teneri ad retinendam & sumendam vtramque speciem, non tamen singulos quosque. Id enim facit in sacerdotibus. Sed ille sensus nec scopo Christi nec contextui consentaneus est. Nam cæteræ eiusdem loci sententiæ ad singulos pertinent. Item sic dicitur, *Nisi manducaueritis &c.* sicut, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c* & perinde est ac si diceretur, Nisi quis manducauerit &c.

A

B

C

D

E

F

Ad sextum argumentum respondetur quoad rem contentam nihilo plus accipi ab eo cui vtraque species porrigitur, quàm cui altera tantùm, vterque enim vnum ac totum Christum sumit. Quoad speciem verò externam plus aliquid accipit ille quàm iste. Et hac dumtaxat ratione dici potest imperfectum vel non integrum sumere sacramentum is qui vnicam speciem sumit. Veruntamen si respiciatur ad sacrificium cuius tam hic quàm ille æquè fit particeps, intelligetur ab integri sacramenti participatione non excludi. Cùm enim vtraque species in sacrificio offeratur, qui vnam speciem accipit, plenitudinem sacramenti habet; quia vnius partis perceptione totius sacramenti particeps esse significatur. Sicut in lege veteri qui partem de sacrificio edebat, totius sacrificij particeps habebatur.

Ad septimum respondemus corporalis quidem cibi & potus effectum esse diuersum, at non spiritualis, quia vt iam diximus, prorsus vnum & idem est quod sub vtralibet specie sumitur. Quod autem ad quæstionem attinet de fructu maiori vel minori ex perceptione vtriusque vel alterius speciei, patribus Tridentinis sess. 21. cap. 3. satis fuit respondere nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari qui vnam speciem solùm accipiunt. Præter hoc tamen etiam respondetur, cùm totus Christus sit sub vtraque specie, tantum esse virtutis & efficaciæ ad gratiam conferendam in alterutra specie quantum est in vtraque. Quin etiam si sola caro esset sub specie panis, separata videlicet à sanguine & anima, quemadmodum fuit in triduo mortis, nihilo tamen minus adhuc haberet virtutis ad vitam nobis præstandam, quàm nunc habet. Virtus enim carnis & sanguinis Christi tota est à diuinitate illis hypostaticè & inseparabiliter vnita. Hinc Christus Ioan. 6. modò carnem & sanguinem coniungens, modò carnem vel panem solum nominans, eundem prorsus vitæ effectum illis asscribit. Sic & Paulus 1. Corinth. 10. soli panis sumptioni plenum effectum tribuit cùm ait: *Vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno participamus.* Denique sicut caro non prodest quicquam sine spiritu, ita nec sanguis nec anima; quia spiritus, id est, diuinitas est quæ viuificat. Denique hæc æqualitas fructus videtur præfigurata per illud Exodi 16. citatum à Paulo 2. Corinth. 8. *Qui multum non abundauit: & qui modicum, non minorauit.*

Iam ad eas obiectiones quæ ex patribus adferuntur, dissoluendas diligenter obseruandum est, & quo tempore illi scripserint, & quis fuerit scribentium scopus, item quæ scribendorum occasio, & quæ scriptorum circumstantia. Quidam enim eorum simpliciter referunt morem in ecclesijs seruari solitum nulla indicata præcepti necessitate, vt Chrysostomus, Augustinus, & Theophylactus locis citatis, & Cyprianus in epist. 2. libri primi. Quidam generalem tantùm vrgent institutionem vtriusque speciei, vt Cyprianus in epist. 3. libri 2. & Damascenus.

Alij de spirituali esu & potu loquuntur, vt author sermonis de cœna Domini apud Cyprianum & frequenter Augustinus.

Alij verò propriè contra eos agunt, qui cùm corpus Domini sumerent, à sacrato calice superstitione quadam abstinebant, putantes vel Christum non habuisse sanguinem, vel vinum esse creaturam

diaboli,

diaboli, quò respexit Gelasius, quando dixit grande esse sacrilegium, si quis mysterium euchatistiæ diuidat; alteram nimirum speciem approbando, alteram reprobando. Hunc enim Gelasij sensum esse liquet ex serm. 4. Leonis de quadragesima. Quem pontifex Gelasius duobus tantùm intermedijs secutus est. Eodem spectat Augustini sententia à Paschasio & Algero citata. Requirit enim fidem qua credamus carnem & sanguinem ab inuicem non separari.

Rursum alij vt Bracarensis synodus, & in decreto quodam Iulius papa non calicem absolutè in præcepto esse volunt, sed præsupposita calicis sumptione docent corpus & sanguinem populo seorsim tradenda esse, non autem vtrumque simul porrigendum, videlicet hostiam calici intinctam.

Alij denique scripturas non tam interpretatur quàm ad vsum sui temporis accommodarit, vt Paschasius hæc verba, *Bibite ex hoc omnes.* Ea enim ad solos discipulos qui tunc præsentes erant, à Domino dicta, extendit ad omnes credentes, quos omnes illius adhuc tempore ecclesia publico vsu ad calicem inuitabat.

§. 9. *Utrùm expediat hodie calicem omnibus concedi.*

Ad dist. 9. 40. ar. 22.

CVm satis probatum sit ius calicis dominici non ad omnes christianos ex Christi mandato pertinere, quæri tamen adhuc potest, vtrùm expediat vsum calicis iusta licèt ratione ademptum, hodie omnibus fidelibus restitui atque concedi. Et si quidem coocedendus videatur, quibus id conditionibus fieri debeat. Ita enim quibusdam catholicis aliquando visum fuit existimantibus hac ecclesiæ benignitate effectum iri, vt regna quædam & prouinciæ ob ademptum calicis vsum offensæ & ab ecclesiastica vnitate diuulsæ ad gremium ipsius redeant. Quæstionem hanc indiscussam reliquerunt patres concilij Tridentioi rem totam ad sedem apostolicam referentes, vt per eam id constituatur, quod & vtile christianæ reipublicæ & petentibus salutare iudicauerit, vt videre est in decreto peculiari super petitione calicis in fine sess. 22.

Cæterùm postea quorundam principum oratores & legati, dum eam petitionem summo pontifici proposuissent, ita tunc eorum rationibus pleoè satisfactum est, & taliter instructi ab eo redierunt, vt abiecta sua petitione cum Romano pontifice & orbe Christiano consentirent. Et certè si rationes tum eas quę ecclesiam aliquando mouerunt, tum alias recentiores consideremus, omnino non videtur expedire vt hoc quidem tempore calix petentibus concedatur. Quod enim ad eas attinet rationes propter quas primùm mutata fuit ecclesiæ consuetudo & vsus calicis remotus, omnes illæ adhuc hodie subsistunt; imò & quædam earum magis hoc sæculo nostro locum habeot quàm olim habuerint, vt facile patet eas expendenti.

Deinde nouæ accesserunt rationes. Vna vt profiteâmur totum Christum contineri sub vtraque specie.

Altera vt profiteamur fidèles omoes oon teneri ex Christi præcepto & salutis necessitate ad vtramque speciem.

Tertia vt per totam ecclesiam seruetur consuetudinis vniformitas, cùm hodie multæ sint regiones recenter ad fidem conuersæ, quibus vini vsum communicari perdifficile ac penè impossibile est.

Denique quoniam qui calicis vsum petunt, ex errore scripturis & sanæ doctrinę contrario petunt, durante eo errore nulla ratione istiusmodi petitioni acquiesceodum videtur. Siquidem ex hæresi postulantibus annuere quid aliud est quàm ipso facto hæresim approbare? Quare sicut olim contra Nestorianos decretum fuit beatam Virginem non χριστοτόκον, sed θεοτόκον appellendam, licèt verè χριστοτόκος esset; & sicut contra nónullos hæreticos aliquando constitutum fuit non trina sed vna mersione baptismum fieri debere, licèt trina mersio per se licita sit & bona: ita hoc nostro sæculo propter eos qui contendunt vtramque speciem à Christo præceptam, & ad salutem esse necessariam, persistere debet ecclesia in ea consuetudine qua iam ab annis 400. & vltrà fideles sub vna specie communicauit, etiamsi pro certo nouerit & profiteatur vtriusque speciei communionem neque secundùm se illicitam esse, & olim à fidelibus fuisse frequentatam.

§. 10. *An sacerdotes iure diuino teneantur ad vtramque speciem.*

q. Ibem. dicta q. 80. ar. 12 item q. 82. ar. 4

QVæstio êst inter catholicos controuersa, vtrùm sacerdotes ex iure diuino seu mandato Christi sint obligati ad vtriusque speciei sumptionem, tunc nimirum quando sacerdotali munere funguntur, id est, quando missæ sacrificium offerunt. Nam si oon sacrificent, sed communicent tantùm, non dubitatur quin vt cæteri omnes vnica specie debeant esse cootenti, quemadmodum patet ex cap. 1. & can. 2. sess. 13. Tridentini concilii. At neque illud in quæstiooem venit, an sacerdotibus passim liceat in vna tantùm specie consecrare. Certum est enim non licere; vti nec illud quærendum, vtrùm possit ecclesia consecrationem & oblationem calicis, ac proinde & eius sumptionem quæ fit in missa, generali statuto abrogare. Certum est enim non posse. Est autem præsenti quæstioni altera affinis & pene connexa, vtrùm iure diuino teneatur sacerdos sub vtraque specie consecrare. Vtriusque quæstionis affirmatiuam partem suadent hæc argumenta.

Primum, quia dictum est à Domino apostolis & eorum successoribus, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod quomodo intelligendum sit, declarat synodus Tridentina sess. 22. cap. 1. cùm ait: Christus corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo patri obtulit, ac sub earuodem rerum symbolis apostolis quos tunc noui testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus vt offerrent, præcepit in hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, vti semper catholica ecclesia intellexit, & docuit. Et mox subiungit, Christum instituisse nouum pascha, seipsum ab ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum. Deinde canone 2. ita statuit, Si quis dixerit illis verbis, *Hoc facite in meam cõmemorationem*, Christum non instituisse apostolos sacerdotes, aut oon ordinasse, vt ipsi, alijque sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit.

Secundum, Cyprianus in epist. ad Cæcilium de sacramento calicis dominici: Si, inquit, in sacrificio quod Christus obtulit, non nisi Christus sequêdus est, vtique id nos obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse man-

dauit. Et infrà: Si Christus patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, vtique ille sacerdos vice Christi verè fungitur qui id quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum & plenum tunc offert in ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.

Tertium. Sacrificium missæ ita diuinitus institutum est, vt contineat perfectam repræsentationem mortis dominicæ. Ea autem perfectè non repræsentatur, nisi oblata vtraque specie.

Quartum. Regulæ missalis Romani volunt repeti consecrationem calicis, si deprehendatur non vinum, sed alius liquor fuisse in calice.

Postremum. Quicunque sacrificium offert, tenetur eius fieri particeps, idque ex lege naturæ; quia exterius sacrificium signum est interioris, quo seipsum homo offert Deo. Vnde nisi de sacrificio participet, non ostendet interius sacrificium ad se pertinere; ac nisi de vtraque oblationis parte communicet, non videbitur perfectè & integrè sibi illud applicare. Hinc in concilio quodam Toletano citato à Gratiano de consecrat. dist. 2. cap. Relatum. ita legitur: Modis omnibus tenendum est, vt quotiescunque sacrificans corpus & sanguinem Domini in altari immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis participem se præbeat. Et ibidem: Quale est sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? quod de vtraque specie intelligendum esse superiora verba manifestant.

Porrò negantem partem quidam probabilem putant ex eo, quod legatur aliquando summus pontifex dispensasse cum quibusdam populis Septentrionalibus, vt liceret apud eos in sola panis specie oblationem missæ fieri. Id enim Noruuegis propter vini apud eos inopiam concessum fuisse ab Innocentio 4. author est Raphaël Volaterranus. Dispensationem autem in iure diuino fieri per ecclesiam non posse constat.

Probant id præterea, quia si eucharistia vt aliquando per miraculum contigit, appareret in altari specie carnis & sanguinis, sumere eam sacerdos non teneretur, nec deberet; quemadmodum nec calicem bibere si post consecrationem intelligeret immissum esse venenum. Huic sententiæ fauent Alexander ab Ales, Ruardus Tapper & alij nonnulli. A quibus etiam ad argumenta in diuersum allata solutiones redduntur non improbabiles.

Ad primum enim responderi potest, præceptum quidem esse apostolis & eorum successoribus vt offerant, sed non esse præceptum ijs omnibus & singulis, vt quotiescunque offerunt, in vtraque specie id faciant. Quia sicut in communione, sic in oblatione substantia rei omnibus præcepta est, non modus. Et in verbis concilij non liquet, vtrùm ad postremum quoque membrum referri debeat illud, sub earundem rerum symbolis. Dici quoque posset ita præceptam esse à Christo vtriusque speciei oblationem & sumptionem, vt ecclesiæ non liceat simpliciter alteram speciē omittere seu abrogare, cum quo nihilominus cōsistit dispēsatio in certis casibus.

Cyprianus autem contra Aquarios disputans vrget præceptum Domini, non tam pro vtriusque speciei oblatione, quàm ne aqua sine vino offeratur, quod contra Christi institutionem prætextu sobrietatis Aquarij præsumebant.

Ad tertium responderi posset perfectam repræsentationem non ita esse necessariam, quin ex legitima causa tolerari possit etiam in sacrificio repræsentatio imperfecta.

Ad quartum, regulas illas non esse diuinæ institutionis & id præcipere quod securius est.

Ad postremum, quamuis legi naturæ consentaneum sit, vt sacrificans de sacrificio participet, non tamen eam postulare, vt ab omnibus perpetuò id fiat. Vnde & in veteri lege de holocausto, quod totum igne absumebatur, neque sacerdos edebat neque populus. Toletanum autem concilium non meminit iuris diuini, & proinde dispensationem non excludit.

Si cui verò alia magis placet sententia, respondere poterit exemplum illud dispensationis pontificiæ haud omnino certum esse. Miraculum verò, quia diuinitus fit, absoluere hominem à præcepto, quo alioqui participare de sacrificio teneretur, idque S. Thomam satis significare in solutione ad 3. dictæ quæstionis 82. art. 4. Similiter nec teneri si poculum sit venenatum propter legem naturæ qua prohibetur seipsum occidere. Vtroque tamen hoc casu consulitur, vt iteretur consecratio, vt ita sacerdos plenè ac perfectè de sacrificio participet. S. Thomas ibidem.

IN DISTINCTIONEM DVODECIMAM.

§. 1. *Quatenus in Eucharistia sint accidentia sine subiecto.*



ACCIDENTIA panis & vini, vt colorem, saporem, grauitatem, quantitatem &c. in eucharistiæ sacramento remanere, probatione non indiget; quia partim sensu notum est, vt de ijs quæ sub sensum cadunt, partim argumento à paritate rationis tanquam certum habetur. Qua enim ratione manent ea quæ sensibus sunt obiecta, cætera quoque omnia manere consentaneum est, vt quorum permanentia non magis, quàm illorum pugnat cum absentia subiecti & præsentia corporis & sanguinis Christi, quantum ad virtutem diuinam attinet. Cùm igitur fide credamus panem & vinum in eucharistia non manere, sed conuerti in corpus & sanguinem Christi, vt ad superiorem distinctionem probatum est, manifestè sequitur in hoc sacramento remanere accidentia sine subiecto. Et quæcunque valent ad probandam illam conuersionem, æquè seruiunt demonstrandæ huic præsenti veritati. S. Tho. 3 p. q. 75. ar. 5. & q. 77. a. 1. & 2.

Probatur deinde hac Augustini sententia ex libro sententiarum Prosperi citata à Gratiano de consecrat. distinct. 2. cap. Nos autem, in specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus; nec similiter comprehendimus has duas species, quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus: cùm fideliter fateamur ante consecrationem panem esse & vinum quod natura formauit, post consecrationem verò carnem Christi & sanguinem quod benedictio consecrauit. Et ibidem ex Gregorio: Species & similitudo illarum rerum vocabula sunt quæ antè fuerunt, scilicet panis & vini. Vnde in fine cuiusdam missæ oratur & dicitur: Perficiant in nobis quæsumus Domine tua sacramenta quod continent, vt quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Ex quibus etiam verbis intelligitur, quare accidentia quæ remanent, ea

maximè

maximè quæ ſenſu percipiuntur, ſpecies panis & vini vocari ſoleant; quia nimirum ſpeciem ſeu ſimilitudinem panis & vini referunt, ſub quibus tanquam alienis inuoluctis velata quodammodo contineantur corpus & ſanguis Chriſti. Hoc ſenſu & Ambroſius lib. 4. de ſacramentis cap. 4. ſpecierum panis & vini meminit.

Eadem eſt confeſſio magni Lateraneuſis concilij ſub Innocentio 3. in cap. 1. Dum tradit verum Chriſti corpus & ſanguinem in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineri. Vnde in concilio Conſtantienſi damnatus eſt hic Wicleffi articulus 2. Accidentia panis non manent ſine ſubiecto in ſacramento altaris. Eandem fidem confirmat Florentina ſynodus in decreto de ſacramentis, ac nouiſſimè Tridentina ſeſſ. 13. cap. 1. 3. & 4. Et canone 2. & 3.

Hæc porrò non ita intelligenda ſunt, quaſi nihil omnino remaneat poſt eouſecrationem, quod ſubiecti rationem habeat, ideoque omnia accidentia quæ remanent, omni prorſus ſubiecto ſint deſtituta. Quamuis enim ita definat ibi eſſe ſubſtantia panis, vt nec materia eius remaneat, atque ob id nullum maneat ſubiectum quantitatis, vt quæ immediatè erat in materia prima, eaque mediante in toto compoſito: ipſa tamen quantitas coloris, ſaporis cæterorumque accidentium ſubiectum eſt; ante conſecrationem quidem tale ſubiectum quo mediante in ſubſtantiam accidentia recipiantur, poſt autem tale quod diuino miraculo per ſe accidentia ſuſtentet, & cui vltimò ea inſint, ita vt quantitas tunc quodammodo vicem ſubeat ſubſtantiæ in ſuſtinendis accidentibus. Si quando ergo generaliter dicitur in euchariſtia omnia panis accidentia remanere ſine ſubiecto, vel exceptio facienda eſt in quantitate, vel ſubiecti nomine ſubſtantia intelligenda eſt, quæ nimirum ſuapte natura cæteris omnibus ſubſtat. Quorundam verò opiniones qui vel in aëre circunſtante, vel in corpore Chriſti tanquam in ſubiecto omnia ea accidentia collocant, nihil hîc opus eſt refellere, cùm & philoſophiæ naturali manifeſtè repugnent, & nulla nitantur authoritate diuina, quemadmodum à S. Thoma aliiſque ſcholaſticis luculentè monſtratum eſt.

Cur autem voluerit Chriſtus ſub alienis ſpeciebus nobis relinquere corpus ſuum & ſãguinem, tres rationes ex patribus colliguntur. Quarum prima eſt, ne horrori nobis eſſet hoc ſacramentum, quod ad vſum fidelium eſt inſtitutum. Horrendum enim & inhumanum habetur humana carne & ſanguine veſci in propria ſpecie. Hanc rationem indicant Ambroſius, Cyrillus, Damaſcenus & alij locis alibi citatis. Secunda quia inſtitutum eſt ad ſignificationem. Panis enim & vinum quibus corporaliter nutrimur tanquam optimis alimentis altero ſicco, altero liquido, id eſt, cibo & potu; ſignificant id quod eorum ſpeciebus tegitur, eſſe alimentum noſtrum ſpirituale, idemque longè omnium præſtantiſſimum, vtpote gratiarum omnium fontem. Tertia, vt fides locum habeat & fidei exercitio meritum creſcat.

§. 2. *Reſponſio ad ea quæ contrà obijciuntur.*

S. Thom. vbi ſup. QVoniam hæretici tam ij qui negant corporalem Chriſti præſentiam in euchariſtia, quàm qui panem ſimul cum corpore Chriſti manere volunt, hunc inter alia fundamento plurimum nitun-

A tur, quod ſumitur ex permanentia accidentium, quæ ſine ſubiecto exiſtere incredibile eſſe putant, ideo breuiter ad eorum rationes reſpondendum.

Primum igitur impoſſibile eſſe dicunt ac rerum naturam pati poſſe negant, vt accidens aliquando exiſtat extra ſuum ſubiectum. Quibus reſpondetur impoſſibile quidem id eſſe ſecundùm naturalem rerum ordinem. At Deo qui naturæ author eſt, ideoque legibus naturæ non ſubditur, id nequaquam eſſe impoſſibile, ſed hoc non minùs quàm alia quæcunque contradictionem non implicant, in omnipotenti eius virtute ſitum eſſe.
B Quod vſque adeo non eſt negandum, vt etiam philoſophi quidam naturales Plato, Anaxagoras, & alij accidentia quædam extra ſubiecta poſuerint, quemadmodum doctè oſtendit Thomas Waldenſis tomo 2. de ſacramentis cap. 76. & ſequentibus. Inter Chriſtianos autem Baſilius homil. 6. hexameron & poſt eum Damaſcenus lib. 2. de orthodoxa cap. 7. lucem illam quæ primo die facta legitur, nullo in corpore fuiſſe putant. Quæ etſi non ita ſe habeant, eò tamen pertinent, vt intelligamus ab hominum etiam doctiſſimorum, imò &
C eccleſiæ Doctorum opinione non eſſe alienum poſſe accidens exiſtere ſine ſubiecto, ſaltem virtute ſupernaturali.

Sed contrà obijciunt fieri non poſſe ne quidem virtute diuina, vt definitio rei à re ipſa ſeparetur, inde enim manifeſtè conſequi contradictionem; rem videlicet non eſſe id quod eſt. Cum igitur accidentis definitio ſit eſſe in ſubiecto, & vulgo etiam tritum ſit illud, accidentis eſſe eſt ineſſe, non poterit hoc quod eſt eſſe in ſubiecto, ab accidente ſeparari: conſequens enim erit
D accidens non eſſe accidens. Ad quod reſpondetur accidentis definitionem ſic intelligẽdam. Accidens eſt, cui naturaliter competit alicui ſubiecto inhærere, quomodo & hæc ſubſtantiæ definitio. Res per ſe ſubſiſtens, accipienda eſt in hunc ſenſum. Subſtantia eſt res cui ſuapte natura competit per ſe ſubſiſtere. Sicut ergo definitio ſubſtantiæ à ſubſtantia non ſeparatur per hoc quod humanitas Chriſti ſuſtentatur in alieno ſuppoſito, nempe diuino; ita nec ab accidente ſeparatur accidentis definitio, quando virtute diuina ac modo ſupernaturali ſubſiſtit accidens non in alio ſed per ſe. Manet enim vtrique ſua definitio ſalua, nempe ſuapte natura
E ſubſiſtere per ſe vel in ſubiecto.

Similiter reſpondendum ijs qui putant ſaltem ea accidentia quæ propriæ paſſiones vocantur, & profluere dicuntur ex ipſa ſubiecti eſſentia non poſſe ſupernaturaliter à ſubiectis ſeparari. Cùm enim ſubiecta non ſint de eorum eſſentia, & proinde ex eiuſmodi ſeparatione nulla ſequatur contradictio, nihil obſtat quò minus id quoque diuinæ omnipotentiæ ſubijciatur, præſertim cùm ſenſus & experientia planè doceant omnes panis & vini proprietates permanere. Vnde nec dubitandum eſt, quod apud quoſdam ſchola-
F ſticos dubitatum fuit, quin ſicut Deus in euchariſtia conſeruat quantitatem abſque omni ſubiecto, ita & cætera accidentia abſque quantitate & ſimpliciter abſque omni ſubiecto conſeruare poſſit.

Sed rurſum argumentantur. Deus nec falli poteſt nec fallere, atqui ſi accidentia præſertim ea quæ ſenſus afficiunt, à ſubiectis ſeparentur, manifeſta ſequitur deceptio ſenſuum, imò ipſius hominis qui per ſenſum iudicat de rebus, non ergo Deo talis ſeparatio aſſeribi poteſt. Quòd ſi reſpondeas nullam eſſe deceptionem ex parte Dei, quando

Deus ipse per verbum suum testatur, ibi non esse panem sed corpus Christi, nec debere hominem contra Dei verbum sensibus fidem adhibere. Contrà objicitur, illum saltem decipi à Deo qui inuincibiliter ignorat hostiam esse consecratam. Et quidem nonnullæ doctorum sententiæ ita sonant, quasi in hoc sacramento reuera contingat sensuum delusio. Rythmus enim D. Thomæ attributus, cuius initium, Adoro te, sic habet: *Visus, gustus, tactus in te fallitur, sed auditu solo in te creditur*, & ante eum Odo Cameracensis episcopus in canonem missæ distinct. 3. ita scribit: Intus est verus sanguis vera fide, exterius est falsum vinum vera specie. Sentitur vinum & non est, non apparet sanguis & est; sensus decipitur qualitate, certa tenetur fides rei veritate, ideoque sanguis dicitur fidei mysterium, quia sanguinem fides credit intus occultum. Sic ille. Similiter quidam Ioannes Vitalis in speculo morali. Vox quidem, inquit, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau, sicut tactus Isaac deceptus fuit, & non auditus; sic in isto sacramento tactus, visus, gustus, olfactus decipitur, quia secundùm iudicium istorum sensuum nihil ibi videtur esse, nisi panis & vinum, sed auditus non decipitur. Audis enim, *Hoc est corpus meum*, & veraciter est. Eodem spectare videntur hæc Cyrilli verba catachesi 4. mystagogica. Nam etsi sensus aliud tibi renunciat, fides tamen te confirmet; ne iudices rem ex gustu, sed te citra vllam dubitationem fides certum reddit. Et infrà. Qui videtur panis, non panis est, quamuis gustui videatur; & quod videtur vinum, non vinum est, quamuis ita gustus censeat. Tale est & illud Ambrosij lib. de initiandis cap. 9. Fortè dicas, Aliud video, quomodo tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam?

Verùm ex eodem Ambrosio Magister in textu §. B. pro diuersa sententia citat hæc verba: Nihil falsi putandum est in sacrificio veritatis, sicut fit in magorum præstigijs, vbi delusione quadam falluntur oculi, vt videant esse quod non est.

Ad hanc porrò dubitationem explicandam conducit explicatio quæstionis à nonnullis scholasticis tractatæ, vtrùm sicut post consecrationem manent accidentia, sic maneat noticia tam sensitiua quàm intellectiua eadem de pane & vino. De qua quæstione videre est Dominicum Soto in Quartum distinct. 9. quæst. 2. articulo 5.

Interim quod ad præsentem attinet obiectionem, respondemus nullam in hoc sacramento propriè dictam fieri deceptionem seu illusionem. Si enim Christus duobus discipulis euntibus in Emmaus absque vlla deceptione apparuit in alia effigie Marci 16. (quod exemplum allegat Magister in textu) & si angelus Raphael induens speciem Azariæ filij Ananiæ non decepit intuentes, vti nec alij angeli quoties in humana forma hominibus apparuerunt; multò minùs in hoc sacramēto deceptionē aliquam fieri credendū est, vbi non species aliunde assumptæ objiciuntur sensibus, neque mutatio tantum fit, vel in medio, vel in oculo, aliove sensus instrumento, vti in alijs quibusdam forsitan interdum factum fuit, sed ipsa eadem manent accidentia panis & vini, quæ priùs erant, ideoque & nata sunt eodem prorsus modo sensum afficere siue immutare. Cùm igitur sensus propriè & per se sit accidentium nempe qualitatum sensibilium, substantiarum autem non nisi per accidens, consequitur sensum propriè non falli dū percipit accidentia sensibilia subiecto suo destituta. Vnde S. Thomas in sermone de venerabili sacramento eucharistiæ opusculo 57. Accidentia, inquit, sine subiecto existunt, vt fides locum habeat, dum inuisibile visibiliter sumitur sub aliena specie occultatum & sensus à deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus iudicant sibi notis. Et parte 3. quæst. 75. art. 5. proposito sibi hoc argumento, In sacramento veritatis non debet esse deceptio &c. respondet hîc nullam esse deceptionem. Sunt enim ibi, inquit, secundùm rei veritatem accidentia quæ sensibus dijudicantur. Intellectus autem cuius est proprium obiectum substantia, per fidem à deceptione præseruatur. Fides verò non est contra sensum, sed est de eo ad quod sensus non attingit. Hæc ille. Iam si quis inuincibiliter ignoret hostiam esse consecratam, fallitur ille quidem sed à seipso per proprium mentis suæ iudicium, citra culpam tamen suam propter inuincibilem ignorantiam.

Authoritates autem deceptionem sensuum circa hoc sacramentum innuentes intelligendæ videntur de iudicio intellectus rem ex sensu æstimantis absque adminiculo fidei. Si enim solum sensum consulamus, iudicabimus panem esse & vinum quod sumimus, non quòd sensus propriè nos fallat, sed quia ex accidentibus sensu perceptis de substantia iudicare solemus. At si posthabito sensu Dei verbo credamus, nulla erit nec in intellectu nec in sensu deceptio, sed tantùm ex accidentibus creari poterit nuda subiectorum quasi præsentium apprehensio, cum qua tamen consistit fides de eisdem tanquam absentibus vel non existentibus. Atque in hunc sensum nihil etiam prohibet dictas authoritates vel earum nonnullas intelligi.

§. 3. *Corpori & sanguini Christi quatenus tribuantur specierum idiomata.*

Dubitari potest hoc loco, num idiomata seu proprietates specierum remanentium atque adeo ipsæ species, id est accidentia panis & vini, verè rectèque tribuantur corpori & sanguini Christi quæ sub illis continentur. Cuiusmodi accidentia & accidentium proprietates sunt quantitas, color, figura, sapor, odor. Item motus localis, diuisio, fractio, attritio, videri, tangi, manducari bibi, gustari & alia huiusmodi. Hæc enim vel aliqua horum rectè attribui rebus contentis apparet ex apostolo, qui de corpore Christi loquens 1. Corinth. 10. ait, *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est.* Et proximo capite secundùm Græcos: *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur.* Lucas etiam Act. 2. fractionem illi pani tribuit. Manducari autem corpus seu carnem Domini, & bibi eius sanguinem ex euangelistarum & Pauli narratione & ex Ioannis 6. secundùm multorum interpretationem, item ex patrum atque omnium fidelium loquendi more indubitatum est.

S. Thom. 9. dist. q. 7. ad ar. 7.

Sed plus etiam Chrysostomus affirmat cùm dicit homil. 83. in Matth. & 60. ad populum Antiochenum. Quod nunc dicunt, vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta. Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas &c. Addit insuper tam ipse homil. 61. ad populum Antiochenum, quàm Cyrillus Hierosolymitanus catech. 4. mystagogica nos gustare corpus & sanguinem Christi. Quæ si verè dicuntur, consequens erit Christo seu corpori eius & sanguini competere qualitates ipsas sensibiles, quarum ratione videri,

tangi,

tangi, gustari dicantur. Scribit præterea Chrysostomus homil. 24. in 1. Corinth. 10. de Christo in hæc verba: Quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi sustinet, vt omnes satiet. Idemque in homil. 60. ad populum Antiochenum dicit carnem Christi à nobis diuidi. Et Ambrosius lib. 6. in Luc. 9. dicit in apostolorum ministerio scilicet distribuentium panes recumbentibus turbis, futuram diuisionem dominici corporis sanguinisque promitti. Et Gregorius lib. 4. dialog. cap. 58. Christi caro, inquit, in populi salutem partitur. Et Augustinus in quodam sermone de verbis euangelij citante Magistro. Norunt fideles quando manducant carnem Christi, vnusquisque accipit partem suam. Et illis longè posterior Odo Cameracensis in canonem missæ scribens dist. 3. Christus inquit, ipse inter suos digitos frangebatur & diuidebatur in partes. Quo loco etiam attritionis & consumptionis meminit.

Similes sententias & alibi apud patres reperire est. Quas hîc proferre nihil est opus, cùm apertissimam habeamus confessionem Berengarij in concilio Romano sub Nicolao 2. qua disertè condemnat hæresim quæ dicit non posse corpus & sanguinem Christi sensualiter nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Profitetur autem contrarium, scilicet verum corpus & sanguinem Christi sensualiter non solùm in sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Quibus sanè verbis nihil dici potest expressius.

Attamen diuersum ostendi videtur ex eo quòd certum sit Christum sicut non amplius moritur, ita nec amplius pati, nimirũ corpore prædito immortali & impassibili. In quo proinde nulla fractio, diuisio, attritio locum habere videtur. Vnde probatum fuit distinct. 10. Christum totum & integrum sub vtraque specie & qualibet speciei parte contineri. Constat quoque ex superioribus accidentia panis & vini post conuersionem non ipsi corpori & sanguini Christi inhærere, sed sine subiecto permanere. Vnde apparet ea non rectè illis attribui.

Verùm pro dubitationis explicatione notandum est. Primò singularem, admirabilem & ineffabilem esse coniunctionem qua species sacramentales corpori & sanguini Christi coniunctæ sunt; ita vt meritò ratione illius coniunctionis accidentia panis & vini etsi non omnia, saltem aliqua, & motus seu operationes quæ in ijs vel circa ea fiunt, tribuantur rebus contentis: sicut Deo & filio Dei ratione humanitatis personaliter coniunctæ, tribuuntur omnia humanæ naturæ idiomata, siue id fiat denominatione externa, siue per accidens. Vnde Gregorius post verba suprà citata, vt significaret se ea dixisse propter illam admirabilem symbolorum panis & vini cum corpore & sanguine Christi coniunctionem, subiungit in hoc sacramento summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus atque inuisibilibus fieri; vnum, inquam, non natura, sed sacramento. Propter quam tamen vnitatem nihil sit absurdi plæraque speciebus propria etiam rebus contentis tribui.

Sciendum tamen est quædam huiusmodi propriè, alia autem minùs propriè dici de corpore & sanguine Christi. Nam motus localis propriè illis tribuitur, etsi per accidens; velut cùm dicitur corpus Domini eleuari, circumferri, recondi &c. Eiusdem generis esse videtur, cùm dicitur corpus aut caro Christi manducari & sanguis bibi. Hæc enim in motu quodam consistunt. Cætera verò minùs propriè & specierum dumtaxat ratione illis tribuuntur, vt tangi, videri, gustari, frangi, diuidi &c. quia nimirum species ipsæ tanguntur, videntur &c. quibus certo & admirabili modo corpus Christi coniunctum, & secundum Gregorij authoritatem vnitum & sociatum est.

Scholastici verò modum loquendi magis proprium, ideoque & magis tutum in istis ferè sequuntur. Vnde D. Thomas in prosa missæ venerabilis sacramenti distinctè sic loquitur. A sumente non concisus, non confractus, nec diuisus, integer accipitur. Et iterum: Fracto demum sacramento ne vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Nulla rei fit scissura, signi tantùm fit fractura &c. Augustinus etiam huic proprietati sermonis innitens tract. 27. in Ioan. & alibi pro absurdo habet carnem Christi concidi & dentibus laniari.

Denique notandum quòd in secunda Berengarij confessione facta in altero concilio Romano sub Gregorio 7. nulla fiat fractionis aut attritionis corporis Christi mentio. Quæ res satis insinuat non omnino propriè illa in priori confessione posita fuisse. Alioquin enim nihil opus erat verba cõfessionis mutare. Quod autem in eadem dicitur non solùm in sacramento, sed in veritate ac sensualiter tractari, frangi, & atteri corpus Christi, hunc sensum habet: Corpus Christi in veritate & non tantùm vt in signo sub illis speciebus contineri; quarum ratione verè (tametsi minùs propriè dicatur) ipsum sensualiter tractari, frangi, & atteri: præsertim cùm post fractionem non sub vna tantùm parte remaneat, sed ea fractione fiat vt sub diuersis specierum particulis ac seorsim verè existat, quod prius sub vna integra specie existebat. Nec aliud velle Augustinum ex consequentibus eius verbis, quæ apud Magistrum leguntur, perspicuum est.

Porrò Chrysostomus passionem intelligit non dolorem inferentem & animalibus propriam, sed eam quæ genus est ad diuisionem seu fractionem. Sed & illud quod ex Odone adfertur quo sensu sit accipiendum, ab eodem authore subsequentibus verbis satis declaratur.

§. 4. *Alia quædam notanda circa species sacramentales.*

NVnc cætera quæ de accidentibus in eucharistia remanentibus consideratione digna tradi solent, enumeratione quadam complectemur. S. Tho. 3. p. sup. art. q. 77. ar. 1. 4. 5. & 6.

Quorum primum est, quod cùm per sensum manifestum sit, species remanentes immutare posse aliquid extra positum, vt aërem, oculum, palatum; & nonnulli quidem existiment non absque nouo miraculo id fieri, præsertim si eam immutationem consequatur alia mutatio substantialis; probabilius tamen videtur species diuino miraculo semel à subiectis separatas absque nouo deinceps miraculo sensum immutare, eaque agere quæ agerent si subiectis suis inhærerent, virtute scilicet propria ac naturali quæ illis per separationem subiecti non adimitur: ita vt quidquid agere poterant manente substantia panis & vini, consequenter idem possint illis absentibus, neque duo sint hîc agnoscenda miracula, per se subsistere, & agere, sed dato priori ex natura rei sequatur alterum.

vnio fidelium inter se. Qui enim vniuntur alicui tertio, etiam inter se vnum efficiuntur. Hinc idem apostolus ait 1. Corinth. 10. *Vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno corpore participamus*. Et quamuis baptismo quoque hoc tribuatur, quòd nos Christo atque inter nos vniat dicente apostolo 1. Corinth. 12. *Omnes in vnum corpus baptizati sumus*, peculiari tamen ratione id competit eucharistiæ sacramento. Vnitatem enim quam baptismus inchoat, eucharistia perficit quodammodo & excellentiore quadam ratione nobis communicat, dum non spiritu tantùm sed & carne nos Christo coniungit. Quantum autem bonum sit vnum esse cum Christo, & consequenter cum vniuerso corpore eius quod est ecclesia, non huius loci est exponere. Pertinet enim hoc ad articulum symboli de communione sanctorum. Tantum suffecerit hic annotasse eum qui Christo & ecclesiæ vnitus est, omnium bonorum tam Christi quàm totius ecclesiæ, id est, sanctorum omnium participem effici. Quod quanti sit faciendum, ea vnitate ciuili discere in promptu est, vbi nemo quantumuis alioqui industrius & sapiens per se sibi sufficit ad omnia vitæ necessaria, sed necesse habet à reliquo ciuitatis corpore adiuuari, nimirum alijs alia ad communem vsum conferentibus ac subministrantibus.

Tertius effectus est augmentom seu abundantia gratiæ. Cùm enim ex Christi passione fructus omnis spiritualis seu gratia nobis proueniat, consentaneum est in hoc sacramento tantò copiosiorem nobis gratiam conferri, quantò magis præ cæteris sacramentis hîc Christi passio recolitur & repræsentatur. Nam alia quidem sacramenta ad certum aliquem effectum passionis Christi consequendum sunt instituta; istud autem præcipuè ad hoc, vt iugiter in memoriam passionis eius & offeratur & sumatur, quemadmodum ex euangelijs & Paulo liquet. Vnde publica voce testatur ecclesia, quòd in hoc sacro Christi conuiuio recolitur memoria passionis eius & mens impletur gratia. Et in canone missæ dicitur; vt quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur, id est, omni genere cælestium donorum quibus in Deum tenditur. Et Augustinus lib. 2. contra Parmeniani epistolam capit. 6. ait: Qui dignè manducat & bibit, gratiam sibi manducat & bibit & tract. de quarta feria capit. 4. Vide quomodo accipias hunc sanguinem, quia qui eum bene accipit, accipit benedictionem. Quamquam hæc loca etiam ad alios effectus extendi possunt. Omnis enim huiusmodi effectus generali nomine gratia est & benedictio in canone missæ expressa.

Quartus est spirituale nutrimentum. De quo effectu initio diximus. Hinc autem sequitur, quòd cùm cibus & potus corporalis hominem exteriorem nutriat, conseruet, confortet, delectet; hæc eadem spiritualiter operetur hoc sacramentum in homine interiori. Quam analogiam alimenti corporalis & corporis atque sanguinis sui tanquam alimenti spiritualis satis expressit Dominus Ioan. 6. tum alijs sententijs, tum ista præcipuè: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*.

Postremus, peccatorum præteritorum purgatio seu remissio, atque à futuris præseruatio. Nam sacramentum hoc non tantùm porrigitur

A tanquam cibus hominis sani ac robusti, verùm etiam tanquam cibus medicinalis infirmi, quo pellatur & expurgetur quicquid est viciosum, & consumatur quicquid est crudum & indigestum in anima hominis; atque ipse in posterum aduersus occurrentes tentationes velut antidoto quodam præmuniatur. Quam ob causam meritò Ambrosius medicinam appellauit venerabile & celeste hoc sacramentum lib. 5. de sacramentis capit. 4. Et lib. 4. capit. 5. ita scribit: Qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non morietur in æternum. Item huc pertinet quòd
B huius sacramenti pia frequentatio stimulum carnis retundit, & legem membrorum eneruat. Vnde Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 17. dicit inter alia sacramentum hoc sedare sæuientem membrorum nostrorum legem. Quam ob causam Zachar. 9. vocatur vinum germinans virgines, id est, virginales & castas in nobis suscitans affectiones. Cæterùm ex Ambrosio apparet sacerdotem porrigentem fidelibus corpus Domini solere dicere: Corpus Christi sit tibi remissio peccatorum.

Porrò ad effectus iam enumeratos facile re-
C ducuntur quicunque vel in sacris literis, vel apud patres, vel in sacro missæ officio solent eucharistiæ tribui, cuiusmodi sunt; conferre vitam æternam, mentem renouare, mutare & protegere contra mala animi & corporis, peccata remittere, culpas abluere, pascere, vegetare, gubernare, expiare. Item perceptio gratiæ in præsenti & gloriæ in futuro. Eodem reuocantur tres generales vtilitates & duodecim speciales ex vsu seu communione huius sacramenti prouenientes, quas enumerat Ioannes Gerson in expositione cantici B. Virginis. Potest his adiun-
D gi quod Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 13. & sequentibus & lib. 10. cap. 13. beatam corporum nostrorum immortalitatem quam expectamus in resurrectione, refert acceptam sumptioni carnis & sanguinis Christi. Quibus locis & alios quosdam insignes huius sacramenti effectus commemorat.

E

§. 6. *Quæ præparatio sit ad hoc sacramentum sumendum necessaria.*

SIcut maximum fructum adfert sacra communio dignè sumentibus, ita sumentes indignè grauissimum exinde reatum contrahunt. Quod enim vita est bonis, mors est malis & quod bonis Christi discipulis panis erat, venenum fuit Iudæ proditori; non quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit, vt ait Augustinus tract. 26. in Ioan. Quæ quidem
F apertissima est apostoli doctrina 1. Corinth. 11. dicentis. *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini*, indignè scilicet atque ignominiosè tractati. Et iterum: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium*, id est damnationem, *sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini*, id est, non discernens ab alijs cibis, sed ita ad ipsum accedens tanquam ad cibum promiscuum, & profanum. Facere autem illud censetur, quisquis ad hoc sacramentum non debitè præparatus accedit.

S. Tho. q. 79. ar. 8. & q. 80. ar. 4. & 5.

Quartò. Idem Augustinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 19. maxima bona ea esse dicit, quibus nullus malè vtitur. Cùm igitur Christi corpus, imò Christus ipse inter magna bona numerari debeat, vel potiùs omnium maximum bonum sit; non erit ab eo prohibendus peccator, cùm non possit eo malè vti.

Quintò. Peccator non peccat videndo corpus Christi. Nam id ecclesia omnibus videndum ostendit, ergo nec tangendo, nec gustando.

Sextò. Ecclesia in publicis orationibus precatur, vt hoc sacramentum sumptum sit nobis ablutio, scelerum & vt hæc communio nos purget à crimine, aliaque huiusmodi.

Septimò. Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 2. affirmat per eucharistiæ sacrificium crimina & peccata etiam ingentia dimitti, non igitur prærequirit talium remissionem.

Postremò. Contingit vt peccator non habeat peccati conscientiam, qui si peccaret sumendo hoc sacramentum, periculosum esset hanc mensam accedere; quia meritò quisque metuit etiam post iustum examen conscientiæ, ne adhuc lateat aliquid in corde ipsius propter quod Deo displiceat, iuxta illud apostoli 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*. Has obiectiones ita breuiter dissoluimus.

Ad primam respondetur eas scripturas & exempla nihil simile continere cum perceptione huius sacramenti. Cùm enim eucharistia ex Christi institutione significet corpus eius mysticum, quod est societas sanctorum, quicunque hoc sacramentum sumit, eo ipso significat se esse Christo vnitum & membris eius incorporatum, quod non fit nisi per fidem viuam. Quisquis ergo mortalis peccati reus ad hoc sacramentum accedit, falsum in ipsa sacramenti susceptione significat, quod ad crimen sacrilegij pertinet. Cæterùm extra hoc sacramentum Christus non ideo ad se inuitauit homines, vel se ijs tangendum exhibuit, vt accessu vel tactu illo significaretur eorum spiritualis vnio, cum Christo, sed ad hoc potiùs vt illi accedendo vel tangendo tandem cum ipso vnirentur, eique per fidem & charitatem inhærerent. Addit autem S. Thomas 3. quæst. 80. art. 4. conuenienter Christum peccatoribus tangendum se exhibuisse, quando adhuc gerebat similitudinem carnis peccati: qua remota per gloriam resurrectionis se tangi prohibuit à muliere, quæ fidei defectum circa ipsum patiebatur. Nec valet argumentum à medicina sumptum. Alia enim medicina conuenit ægrotis qua à morbo liberentur, alia liberatis qua in sanitate confirmentur. Prioris generis est pœnitentia, posterioris eucharistia.

Ad secundum. Eucharistia panis viuificus dicitur more scripturæ sacræ, non quia mortuis vitam, sed quia viuentibus vitam ac sanitatem conseruat, auget & confortat. Caro autem Christi apud Ioannem dicitur dare vitam mundo iuxta Augustini interpretationem, non quatenus sumitur in hoc sacramento, sed hoc sensu, quia per fidem verbi incarnati & passi impius iustificatur.

Ad tertium respondetur ijs locis etiam minorem excommunicationem comprehendi, quæ incurritur per quodcunque peccatum mortale.

Ad quartum. Augustinus eo loco distinguens bona maxima, media, & minima, de ijs loquitur bonis quæ in ipso sunt homine. In quo minima bona sunt sine quibus potest rectè viui, vt sanitas & robur, & forma corporis; media sine quibus non potest rectè viui, vt facultates animi; maxima quibus non nisi rectè viuitur, quia ijs nemo malè vtitur, vt virtutes animi. Quod ita intelligendum, quia ijs nemo malè vti potest vt principijs operandi, quamuis possit malè vti vt obiectis; velut si quis de virtute continentiæ superbiat. Hoc autem similiter dici potest de corpore Christi, quod cùm sit per se bonum, fit malum ei qui malè accipit, quemadmodum clarè docet Augustinus tract. 62. in Ioan.

Ad quintum. Videndo non sumitur hoc sacramentum sicut tangendo & gustando, & proinde non est horum sensuum par ratio. Dictum est enim quòd peccat indignè accedens, quatenus sumendo hoc sacramentum in cibum, significat se esse filium & amicum, cùm reuera non sit. Deinde certum est ad tangendam rem aliquam requiri maiorem reuerentiam, quàm ad videndum tantùm, vt patet de vasis sacris; quia tactus percipit sine medio externo, visus autem per medium & longinquum, Quanquam & à videndo corpore Domini antiquissimo ecclesiæ more arcentur qui nondum sunt baptizati, cuius rei meminit Dionysius ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 7. parte 3.

Ad sextum. Eiusmodi orationes ecclesiæ sic accipi possunt, vt significent quid operetur eucharistia vt sacrificium, non vt sacramentum, id est, in ijs pro quibus offertur, non à quibus sumitur, quomodo etiam manifestè intelligendum est, quod septimo loco ex Tridentino concilio obiectum fuit. Significatur enim quòd Dominus huius sacrificij oblatione placatus inspirat peccatoribus pro quibus offertur, gratiam, & donum pœnitentiæ, quibus ad remissionem criminum perueniant, vt ibidem concilium declarat. Si autem tales orationes ad ipsos sumentes referantur, intelligendæ sunt de remissione criminum & scelerum quoad temporales pœnas pro eis adhuc debitas. Nota tamen criminis nomen interdum etiam ad venialia extendi.

Ad postremum respondet Diu. Thomas bifariam contingere, vt quis non habeat conscientiam peccati; vno modo per culpam suam, si vel negligenter conscientiam examinauit, vel laboret ignorantia iuris non excusante, putans non esse peccatum mortale, quod scire debet tale esse. Qui quidem non excusatur cùm ipsa ignorantia sit ei peccatum. Alio modo sine culpa sua, puta cùm doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus. Et in tali casu, inquit, non peccat sumendo corpus Christi, quia homo per certitudinem scire non potest, verùm sit verè contritus. Sufficit enim si in se signa contritionis inueniat, puta si doleat de præteritis & proponat cauere de futuris. Amplius autem aliquid dicit quæstione septuagesimanona articulo tertio nempe quòd hoc sacramentum operatur remissionem peccatorum, etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet. Fortè enim, inquit, primò non fuit sufficienter contritus, sed deuotè ac reuerenter accedens consequetur per hoc sacra-

mentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remissionem peccati. An autem ea ratio quam adfert S. Thomas, nempe quia per certitudinem homo scire non potest, vtrùm sit verè contritus, sufficiat ad totalem excusationem, cùm ea locum etiam habeat in homine qui occultum gerit affectum Deo contrarium, quem ipse in se non videt, non huius est loci exactè discutere. Porrò si quis penitus oblitus est peccati commissi, sufficit ad eius deletionem contritio generalis, accedente sacramento.

Iam si quærat aliquis quid de ijs dicendum sit, qui post diligentem præparationem sentiunt se adhuc duci timore seruili, vtpote ita affectos, vt si non obstaret metus gehennæ, cuperent perpetrare peccatum, cuiusmodi sunt multi inter christianos, vtrumne tales ad mensam Domini licitè & cum fructu accedant. Mihi certè respondendum videtur, si quis sentiat se duci timore seruili, cùm is nondum sit filius, non esse ei licitum ad hanc mensam accedere.

Sciendum tamen non omnes eos qui peccaturi essent, si non obstaret terror gehennæ, esse seruos, & à gratia adoptionis filiorum alienos. Nam metus gehennæ etiam filios vtiliter coërcet, ne abstrahantur delectatione peccati. Vnde & apostolis & omnibus fidelibus à Domino dicitur: *Timete eum qui potest & corpus & animam perdere in gehennam*, & in persona iusti psalmista dicit: *Confige timore tuo carnes meas.* Aliud enim est quempiam sic affectum esse, vt cuperet committere peccatum, si posset impunè, quod seruile est. Aliud autem ita infirmum esse, vt si pœna non esset proposita, facilè laberetur in peccatum, quod plerisque etiam filijs competit, qui quamuis Deum præ omnibus diligant, in ea tamen dilectione & mandatorum eius obseruatione non diu contineri possent, nisi freno timoris à peccato cohiberentur.

§. 8. *Quo præcepto fideles ad Eucharistiam sumendam astringantur.*

S. Tho. 3. p. q. 79. ar. 1. & q. 80. ar. 11.

CIrca quæstionem necessitatis huius sacramenti, primò sciendum est, ac pro certo statuendum, non esse sumptionem eius simpliciter ad salutem necessariam; eo videlicet modo quo omnibus necessarius est baptismus, vel relapsis necessarium sacramentum pœnitentiæ. Probant id ea scripturæ & patrum testimonia, quæ significant baptismum ad salutem sufficere, vtpote per quem percepta plena peccatorum remissione iusti, sancti, filij Dei, & heredes vitæ æternæ constituuntur.

Idque etiam ex ipsa huius sacramenti natura ostenditur. Institutum est enim tanquam cibus quidam spiritualis. Sicut ergo cibus corporalis non est necessarius ad vitam corporis inchoandam sed conseruandam tantùm, imò vitam corporis necessariò præsupponit, simili quodam modo hoc sacramentum se habet ad vitam animæ. Discrimen tamen in eo est, quòd etsi cibus spiritualis sit ad vitam spiritualem conseruandam necessarius, non tamen ex eo sequitur eucharistiæ sacramentum ad eam necessarium esse, cùm præter hoc sacramentum sint & alia media velut cibi quidam spirituales, quibus in vita spirituali possit homo conseruari & augeri, tametsi primum inter ea omnia locum obtineat hoc excellentissimum sacramentum. Quocirca Christus ita illud instituit, vt eius quoque sumptionem præceperit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. Ijs enim verbis non solam præcepit consecrationem & oblationem eucharistiæ apostolis & eorum successoribus, verùm etiam omnibus fidelibus vsum eius seu sumptionem præceptam esse voluit. Cuius rei documentum est ex apostolo qui 1. Corinth. 11. sumptionem quoque in illis verbis includi ostendit, dum ea explicans ita subijcit: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.*

Probatur deinde ex simili loco scripturæ. Nam Exodi 12. vbi modus immolandi & edendi agni paschalis describitur, subiunxit Dominus: *Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud.* Quod enim ijs verbis præcipiatur immolatio seu sacrificium agni paschalis patet ex Numer. 9. vbi exterminanda dicitur anima de populo, quæ non fecerit phase, eò quòd sacrificium Domino non obtulit in tempore suo. Quod autem & esum agni eadem verba præcipiant ex loco Exodi clarum est, vbi tam ea quæ sequuntur quàm quæ præcedunt dictam sententiam, id manifestè ostendunt. Sicut ergo legali illo præcepto tam sacrificium quàm esus agni mandatur, ita hoc nouæ legis mandato vtrumque præcipi intelligendum est, nimirum & consecrationem atque oblationem eucharistiæ, quemadmodum id intellexit Cyprianus lib. 2. epist. 3. & præterea ipsam sumptionem, quemadmodum intellexerunt Basilius in regula 21. morali cap. 3. & Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 58. Quin & loci circunstantia hunc sensum postulat. Cùm enim non tantùm oblationis sed & sumptionis ibi mentio fiat, idque etiam expressiùs cùm dicitur: *Accipite & comedite*, non est pronomen *hoc* ad solam oblationem & consecrationem restringendum, sed ita potiùs accipiendum, vt per illud: *Hoc facite*, generaliter id præceptum esse intelligatur, quod euangelistæ Dominum & apostolos tunc fecisse describunt, vt hic sit verborum sensus. Quod iam fecimus, ego quidem consecrando, & offerendo, vos autem consecratum & oblatum sumendo, id post mortem meam facite in mei memoriam. Præceptum igitur hoc etsi quadam ratione pertineat ad solos sacerdotes, in quantum & consecrandi potestas datur, & consecratio præcipitur, ex parte tamen ad omnes pertinet Christianos, in quantum scilicet rei consecratæ sumptio iubetur. Quanquam & oblatio eucharistiæ laicis quoque competit suo modo, nimirum per ministerium sacerdotum, vt liquet ex his verbis canonis: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* & infrà: *Vnde & memores nos serui tui sed & plebs tua sancta offerimus.* Quomodo & in lege Moysi populus offerre dicitur sed per sacerdotes Leuit. 17. 2. Paralipp. 30. & 35.

Alius locus Christi præceptum continens profertur ex Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, sed de eius loci vero intellectu alibi dictũ est & infrà quoque aliquid dicetur. Quòd si in illis verbis contineretur præceptum percipiendi hu-

ius

ius sacramenti, sequeretur hoc sacramentum esse necessarium ad salutem eo modo quo baptismus, scilicet necessitate finis, & non solùm præcepti; quia sicut dictum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non intrabit in regnum cælorum*, ita hîc dicitur: *Nisi manducaueritis &c. non habebitis vitam in vobis*. Itaque præceptum eucharistiæ sumendæ non in hoc loco fundandum est, sed in eo quem diximus.

Cæterùm Christi præcepto generali accessit præceptum ecclesiæ speciale ac determinatiuum. Et primis quidem temporibus quando feruente adhuc religione fideles sponte sua satis frequentabant hoc sacramentum, non putauit ecclesia lege aliqua vlteriori eos astringendos, qua certum tempus percipiendæ Eucharistiæ eis præscriberetur. Verùm postquam tepescere cœpit deuotio fidelium, statuit vt saltem ter quotannis fideles omnes communicarent, iis nimirum diebus, quibus præcipua christianæ religionis mysteria solenniter recoluntur, id est, festis paschæ, pentecostes & natiuitatis Domini. Ita enim decretum est à Fabiano papa, vt habetur apud Gratianum de consecrat. distinct. 3. cap. Etsi non frequentius, & à concilio Agathensi can. 81. Deinde verò magis adhuc frigescente pietate constitutum est, vt adulti omnes semel saltem in anno, videlicet dominicæ passionis & resurrectionis tempore eucharistiam in eiusdem passionis memoriam sumerent, addita hac pœna; vt qui non paruerit & viuens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura. Quæ lex ecclesiæ prorsus consentanea est illi Mosaicæ: *Qui non fecerit phase in tempore suo, exterminabitur de populis suis*. Præceptum illud editum est in concilio magno Lateranensi sub Innocentio 3. ea constitutione quæ incipit, Omnis vtriusque sexus, ac renouatum in synodo Tridentina sess. 13. can. 9. his verbis. Si quis negauerit omnes & singulos Christi fideles vtriusque sexus, cùm ad annos discretionis peruenerint, teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum, iuxta præceptum sanctæ matris ecclesiæ, anathema sit.

Præter hoc autem ecclesiæ præceptum, est perpetua ecclesiæ consuetudo alterius præcepti vim habens, vt infirmi antequam ex hac vita discedant, hoc sacramentum tanquam viaticum sibi ministrari curent. Vnde magna cautela semper prouisum fuit, ne quo casu eucharistia deesset, si quem fidelium grauiùs infirmari contingeret, ne fortè absque hoc saluberrimo viatico emigraret; non quia putaretur aut diuinitus præceptum, aut ad salutem esse necessarium, sed quod non ignorarent patres, quàm hoc sit contra diabolum extremo certamine luctaturis singulare præsidium. De quo Chrysostomus scribit lib. 6. de sacerdotio, virtute accepti corporis Christi animam è corpore discedentem in cælum sublenari. Exstat huius rei insigne exemplum quod refert Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. cap. 34. de quodam Serapione. Vnde liquet quantam salutis spem collocabant prisci Christiani in hoc viatico, quantaque sollicitudine cauerint, ne sine eo migrarent ex hac vita. Hinc & in 1. Niceno concilio can. 12. & in Ancyrano cap. 6. & in Carthaginensi 4. can. 77. & 78. & alijs quibusdam præcipitur, ne cui verè pœnitenti morituro negetur sacra communio. In quibus etiam ferè viatici nomine ob dictam causam appellatur, quemadmodum expressiùs indicat Arausicana synodus 1. can. 3. Quin etiam, vt Iustinus author est in apolog. 2. tempore persecutionis mos erat vt singulis diebus Dominicis ad infirmos, qui publicæ communioni interesse non poterant, per diaconos hoc sacramentum deferretur. Alia loca eodem pertinentia annotauimus ad distinctionem 10. vbi de asseruatione eucharistiæ agebatur. Ex quibus datur intelligi neminem fidelium qui suæ saluti consultum velit, committere debere, vt absque eucharistiæ perceptione ex hac vita emigret, eiusque rei crassam negligentiam periculo salutis non carere, qualis meritò iudicatur, si omittatur, vbi oportunitas accipiendi non deest. Cæterùm alijs temporibus præter suprà dicta sumptionem eucharistiæ simpliciter in præcepto esse non apparet, nisi quatenus spectata vtilitate tanti sacramenti ratio ipsa dictat, eo tanquam infirmitatis nostræ remedio interdum vtendum esse & quidem frequenter, vt infrà ostendemus.

§. 9. *Eucharistiam infantibus non esse ministrandam.*

S. Tho 3. p. dist. 9. 73. ar. 3. & q 80. ar. 9.

PRæceptum sumendæ eucharistiæ de quo iam diximus, ad adultos tantùm pertinet, non etiam ad paruulos, qui rationis vsum nondum sunt assecuti & proinde præcepti nondum capaces. At neque adultis aliqua lege præceptum est vt paruulis eucharistiam ministrent, aut ministrari curent. Cuius ratio est, quia sacramentum hoc non ab alio suscipi debet, quàm qui priùs seipsum probauerit dicente apostolo: *Probet seipsum homo & sic de pane illo edat.* Manifestum est autem paruulos id facere non posse.

Item præcipit Dominus vt quotiescunque quis de pane hoc edit, mortem ipsius annunciet, quod à paruulis fieri non posse æquè manifestum est. Præterea vel ex eo id colligi potest, quod Dominus hoc sacramentum in ijs rebus instituerit, quæ à recens natis sumi non possunt absque vitæ vel sanitatis periculo, pane videlicet & vino, cùm alioquin & aqua ablui & oleo liniri facilè possint. Meritò igitur ab ecclesiæ consuetudine alienum est infantibus & quibuscunque paruulis nondum ratione vtentibus hoc sacramentum porrigere; tametsi negandum non est olim aliquando id factum fuisse, vt patet ex Cypriano sermone de lapsis, & videri potest ex cap. Si qui apud Gratianum de consecrat. dist. 3. sed id tunc factum vel potiùs permissum ab ecclesia fuit, quò ab idolorum sacrificijs, in quibus idolothyti pars etiam infantibus in os ingeri solet, homines magis abstraherentur. Illud sanè ex historia Exodi 12. satis apparet, infantes Hebræorum de agno paschali non solitos edere, quia nimirum ea quæ comedentibus præscribuntur, facere non poterant.

At verò quia fuere nonnulli qui paruulis necessariam existimarent eucharistiæ sumptionem propter illam Domini sententiam Ioannis 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c.* alij verò non pauci saltem putarunt Augustinum in ea fuisse sententia, propter quædam loca quibus dictam Domini sententiam de sacramento eucharistiæ intellectam etiam ad paruulos extendit, breuiter vtrisque respondendum est.

Quod ad verba Christi attinet, ea quibus modis rectè & absque offendiculo accipi possint, alibi diximus, cùm de communione vtriusque speciei ageremus. Sensus autem maximè probabilis & quàm minimum contradictioni obnoxius esse videtur, quo intelligatur de spirituali manducatione carnis Christi, quæ fit vel generaliter per fidem & charitatem, vel specialiter per suauem & gratam recordationem beneficiorum passionis & mortis Christi. Quem sensum præter authores eo loco citatos videlicet Augustinum, Innocentium 1. Gelasium, Basilium, Bedam, Bernardum, etiam sequitur S. Bonauentura in quartum dist. 12. numero 77. & Petrus à Soto lect. 8. de sacramento eucharistiæ, vbi affirmat hoc constare quòd sensus illius loci sit de spirituali manducatione.

Sed obijciuntur loca nonnulla ex Augustino, quorum vnus est lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20. vbi producta contra Pelagianos illa Domini sententia: *Nisi manducaueritis &c.* subiungit: An verò quisquam etiam hoc dicere audebit, quòd ad paruulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis huius & sanguinis in se habere vitam? & quæ eodem cap. sequuntur. Similia loca sunt eiusdem libri cap. 24. & lib. 3. cap. 4. & 12. lib. de peccato originali cap. 18. lib. 3. contra Iulianum cap. 12. lib. 4. contra duas epistolas Pelag. cap. 4. epistola 106. & 107. serm. 8. de verbis apostoli & hypognost. lib. 5. cap. 5. In quam sententiam etiam pertrahere volunt Innocentium epist. 93. apud Augustinum.

Verùm istam neque Augustini neque Innocentij sententiam fuisse aliunde perspicuè probari potest. Nam passim Augustinus & alij patres cum tota ecclesia docent solum baptismum infantibus ad salutem sufficere. Quod apud Augustinum nominatim inuenitur lib. 1. de peccatorum meritis cap. 19. 21. & 22. & lib. 2. cap. 28. lib. 3. contra Iulianum cap. 25. lib. 1. contra duas epistolas Pelag. cap. 22. & epistola 106.

Respondendum igitur est Augustinum quidem ijs locis loqui de sacramento corporis & sanguinis Domini. Nam id manifestè distinguit contra baptismum, non tamen de visibili & sacramentali eius sumptione, sed de spirituali, hoc est, de re & virtute sacramenti: cuius participes fieri dicit infantes, quando per baptismum Christi corpori quod est ecclesia, incorporantur, vnumque cum Christo fiunt, vitam simul & salutem ab eo haurientes. Quam Christo vniendi atque incorporandi vim subinde apostolus baptismo asscribit vt Rom. 6. 1. Corinth. 12. Coloss. 2. Hanc Augustini mentem esse ac proinde & Innocentij qui prorsus similiter cum Augustino loquitur, clarissimè monstrant ea quæ Augustinus habet in sermone quodam de infantibus citata à venerabili Beda ad 1. Corinth. 10. & à Gratiano de consecrat. dist. 2. cap. Quia passus est. Verba hæc sunt: Nulli est aliquatenus dubitandum, vnumquemque fidelium corporis & sanguinis Dominici tunc esse participẽ, quando in baptismate membrũ efficitur Christi; nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, calicemque bibat, de hoc sæculo migrauerit in vnitate corporis Christi constitutus. Sacramenti quippe participatione ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc quod illud sacramentum significat, inuenit, aut vt meliùs legitur apud Gratianum, quãdo in ipso hoc quod illud sacramentum significat, inuenitur. Hæc Augustinus. Hunc verò sensum esse eorum quæ obijciebantur, ex ipsis locis attentiùs consideratis satis intelligitur, præsertim lib. 3. de peccatorum meritis cap. 4. & epist. Innocent. qui seipsum exponens, subijcit: Qui autem hanc eis (id est vitam paruulis) sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cùm prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. Sic ille.

§. 10. *Utrùm expediat frequenter communicare.*

QVæri præterea solet vtrùm & quàm frequenter expediat sacram eucharistiam sumere. Quæ quæstio etiam ipsos sacrificantes comprehendit. Pro infrequenti communione facere videntur tam rationes quàm exempla aliquot Sanctorum.

S. Tho. 3. p. q. 80. ar. 10. q. 83. ar. 2.

Primùm enim; Agnus paschalis qui fuit insignis quædam figura eucharistiæ, semel tantùm quotannis edebatur.

Secundò. Si frequens eucharistię sumptio magnum fructum adferret fidelibus, ecclesia pro filiorum suorum salute materno affectu solicita, non semel sed sæpius in anno communicandum præciperet.

Tertiò. Si laudanda est frequens communio, igitur quò frequentior, eò est laudabilior; ac proinde sæpius etiam in dies communicare expediret, quod tamen ecclesia non permittit.

Quartò. Reuerentia quæ erga augustissimum sacramentum summa esse debet, exigit vt rarissimè eo vtamur. Nam & rebus preciosissimis quàm parcissimè vti solemus.

Quintò. Tutius est abstinere quàm accedere; ac rursum tutius est rariùs quàm accedere frequentiùs. Nam qui abstinet eximit se periculo indignæ communionis, ac nihilominus pio voto ac desiderio sacramenti fit particeps effectus eius, spiritualiter ipsum manducans. Similiter qui rariùs accedit, plærumque accedit magis præparatus, cùm è diuerso frequentia neglectum adferat & deuotionem minuat. Nam vt dici solet, familiaritas parit contemptum.

Sextò. Profertur è scriptura exemplum centurionis mirificè laudati à Domino propter illam humilitatem, qua præsentiam eius corporalem non sustinens dicebat: *Non sum dignus vt intres &c.* Nec dissimile illud est, quod Petrus humiliter dixit Lucæ 5. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.*

Postremò & alia ex historijs proferuntur exempla, vt Marci euangelistæ qui præciso pollice ineptum se ad sacrificandum reddidisse dicitur, & Mariæ Ægyptiacæ quæ semel tantùm in vita post multos actæ pœnitentiæ annos sacram communionem percepisse legitur, & aliorum eremitarum, qui in desertis agentes eucharistiam rarissimè percipiebant, & beatorum Hieronymi & Vincentij presbyterorum, quorum humilitatem commendat Epiphanius in epistola quadam 60. inter Hieronymianas, quòd indignos sese reputantes à consecratione corporis & sanguinis Domini abstinerent.

Veruntamen his non obstantibus ad quæstionem articulatim ita respondemus.

Primò. Sumptionem seu communionem huius sacramenti secundum se consideratam, id est quantum est ex parte ipsius sacramenti valde vtiliter frequentari. Cùm enim huius sacramenti virtus sit hominibus admodum salutaris, sitque ipsum institu-

tum

tum vt panis quotidianus & medicina quotidiana, expedit & conuenit vt frequenter, imò quotidie sumatur. Qua consideratione ab Ambrosio dictum est lib. 4. de sacramentis cap. 6. Si quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, sẽper debeo habere medicinam. Et lib. 5. cap. 4. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quẽadmodum Græci in oriente facere consueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Et quæ sequuntur. Item lib. 6. cap. 5. Ideo quotidie accipito, vt quotidie debito tuo indulgentiam petas. Eadem pene verba sunt apud Augustinum Sermone 28. de verbis Domini.

Secundò. Propter diuetsitatem dispositionis sumentium expedit vel rariùs vel frequentiùs sumere. Requiritur enim ex parte sumentis, vt quemadmodum D. Thomas ait, 3. q. 80. art. 10. cum magna deuotione & reuerentia ad hoc sacramentum accedat. Quare qui quotidie sic se paratos inueniunt, rectè & laudabiliter faciunt, si quotidie accedant. Vnde Ambrosius lib. 5. de sacramentis cap. 4. post verba superiora subijcit: Sic viue vt quotidie merearis accipere. Verùm quia multis hominibus multa occurrunt impedimenta debitæ deuotionis, fit vt ijs non expediat quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed certis dierum interuallis, prout quisque secundùm statum ac professionem vitæ suæ se ad id præparatum inuenire potuerit. Hanc enim variam hominum dispositionem spectasse videtur qui dixit lib. de ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. Quotidie eucharistiæ communionem percipere nec laudo nec reprehendo.

Tertiò. Qui erga hoc sacramentum debitam habet deuotionem & reuerentiam, sicut potest laudabiliter accedere, ita potest & laudabiliter abstinere. Ratio quia vtrumque est opus virtutis, alterum quidem amoris ac deuotionis, alterum verò humilitatis & reuerentiæ. Et alterum quidem probatur exemplo Zachei qui gaudens Christum excepit in domum suam, cui adiungi potest exemplum peccatricis & aliarum fœminarum, quæ Christi pedes deuota quadam familiaritate tetigisse leguntur: alterum verò exemplo Petri & centurionis & aliorum quorum suprà meminimus. Hinc Augustinus epist. 118. cùm commemorasset varias regionum consuetudines circa Eucharistiæ frequentem vel infrequentem sumptionem, ac deinde de quotidiana communione quasi ex persona concertantium rationes hinc inde posuisset, ita subiungit: Rectiùs inter eos fortasse quisquam dirimit litem, qui monet vt præcipuè in Christi pace permaneāt, faciat autem vnusquisque quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt. Ac mox prolatis exemplis Zachæi & centurionis, qui ambo saluatorem honorarunt diuerso & quasi contrario modo, & argumento ex veteri manna desumpto, quod vnicuique secundùm propriam voluntatem sapiebat: Sic, inquit, in ore cuiusque Christiani sacramentum illud, quomodo sumatur, æstimandum. Nam & ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando, non audet vllo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna fastidium &c.

Quartò. Etsi vtrumque laudabile est, & secundùm diuersas hominum affectiones alterum altero melius, simpliciter tamen laudabilius est & vtilius accedere, quàm non accedere, modò id cum deuotione ac reuerentia fiat. Ratio quia affectus amoris quo adducitur homo ad sumendum hoc sacramentum, simpliciter melior est, & statui christiano conguentior, quàm affectus timoris, quo ab eo sumendo retrahitur. Deinde & ex ipsa sumptione sacramenti gratiam conferentis peculiaris fructus percipitur. Ob hanc causam omnibus christianis saltem christianè viuentibus suadetur sæpius, & quidem omnibus diebus dominicis, vel certè semel quolibet mense, atque in maioribus ecclesiæ solennitatibus eucharistiæ communionem accipere. Vnde in lib. de ecclesiasticis dogmatibus post verba supracitata sequitur: omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo & hortor. Et Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 17. multis verbis hortatur fideles ad frequentem & pene quotidianam communionem, remouens excusationes indignitatis & periculi, quas plærique prætendere solent, & ad eam excitans spe maximarum vtilitatum quæ ex frequenti communione proueniunt.

Quintò. Freqoeotia communionis ad sacerdotes præcipuè spectat, qui ex officio sunt mediatores inter Deum & populum. Vnde & sanctiùs atque inculpatiùs eos viuere oportet, & minùs quàm cæteri implicari debent eiusmodi actionibus, quibus ob nimiam animi distractionem affectus eorum atque deuotio tepescat erga hoc sacramentum. Quod autem hæc sacrificandi frequentia in episcopis & sacerdotibns sit commendabilis ex Gregorio discere licet, qui homil. 37. in euangelia & lib. 4. dialog. cap. 56. inter laudes episcopi cuiusdam nomine Cassij hoc præcipuum ponit, quòd quotidianum Deo sacrificium offerre consueuerat, addens quanta animi præparatione & deuotione id ab eo factum fuerit.

His igitur præmissis ad obiecta breuiter respondeamus.

Ad primum, Agnus paschalis figura fuit huius sacramenti potissimùm ratione passionis & mortis Christi per ipsum repræsentatæ. Vnde quia Christus semel mortuus est, semel in anno sumebatur. Hîc autem exhibetur memoriale passionis Domini instar cibi qui quotidie sumitur. Et hac ratione præfiguratum fuit per manna, quod quotidie sumebatur à populo.

Ad secundum. Licèt ecclesia propter multorum indeuotionem & torporem de hoc sacramento sumendo nihil amplius in præcepto ponere voluit, quàm vt semel sumatur in anno; suadet tamen & hortatur omnes, vt ad frequentiùs communicandum dignè se præparent, idque vt fiat, vehementer exoptat.

Ad tertium. Sicut in alijs rebus, ita in suscipiendis sacramentis modus & ordo adhiberi debuit, ideoque & ipsam communicandi frequentiam, ne fortè immoderata & inordinata esset, certis limitibus contineri oportebat, sufficit enim vt quotidie semel sumatur, quia panis est quotidianus, simul vt vnica per diem sumptione repræsentetur Christum semel tantùm passum esse.

Ad cætera ex dictis patet responsio. Quamuis enim Christi corpus sit res preciosissima, meminisse tamen oportet à Christo nobis illud amantissimè & liberalissimè relictum esse in cibum ac remedium quotidianum, & vt sit iuge quoddam monumentum passionis & mortis eius, qua nos è seruitute redemit. Et si tutius est abstinere, vtilius tamen est accedere. Qnanquam reuera non

turius est abstinere, quia qui abstinet, caret illo singulari annidoto contra venena serpentis, & proinde facilius succumbit tentationibus. Adde quòd in eo qui post leginmam sui probationem accedit deuotè, non est periculum; quia periculum est mali verisimilis, non autem mali possibilis. Vnde non dicitur se committere periculo cadendi qni per viam planam incedit, licèt possit cadere. Habet autem homo certitudinem moralem, quòd bene se præparaoerit, & probauerit, & quòd sit in gratia, multò magis quàm habeat de fidelitate amici per longam experientiam cogniti. Cui si pecunias custodiendas committat, non dicitur eas periculo committere, sed in bonam custodiam deponere. Et quamuis fortè qui rariùs accedunt, actualem sentiant maiorem deuotionem, illi tamen qui frequentiùs ac nihilominus dignè accedunt, eo ipso habitualiter magis affecti sunt erga hoc sacramentum; vt qui in charitate & virtutum operatione ex qua profectus hominis intelligitur, sint exercitariores. Denique sæpenumero contingit verum esse quod Ambrosius dicit loco suprà citato. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere; quia nimirum causæ quibus à frequenti communione plærique retrahuntur, vt sunt affectus & cõsuetudo peccaodi, torpor & iodeuotio erga sacramentum, etiam post annum remaneot, quin potiùs augentur. Nam difficilius est post multa peccata seriò pœnitere, & ad sacram hanc mensam dignè se præparare, quàm post panciora, & præ diuturna absentia cibi illius celestis animus velut exarescit humore gratiæ diuinæ destitutus, iuxta illud psalmistæ psalmo 101. *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

§. 11. *Eucharistiam à Christo institutam esse vt sacrificium nouæ legis.*

S. Thom. 3. 2. q. 73 item 3. p. q. 82. & 83.

VSus sacrosanctæ eucharistiæ non in eo tantùm est positus, vt sit cibus fidelium, verumetiam vt à fidelibus & pro fidelibus Deo offeratur. Neque enim tantùm instituta est à Christo, vt nouæ legis sacramentum, verùm etiam vt nouæ legis sacrificium, idque priùs Deo offerendum quàm à fidelibus sumendum.

Sed quia huic catholico dogmati vehementer hodie à sectarijs omnibns resistitur, operæ precium est, vt quàm certa & solida sit illa ecclesiæ doctrina, intelligatur, in eius probatione nonnihil immorari.

Primùm igitur vt à communioribus ordiamur, non solùm lex Dei positiua, sed & naturalis docet externum aliquod sacrificium Deo in protestationem subiectionis nostræ & gratitudinis erga eum tanquam supremum Dominum, & omnium bonorum autorem offerendum esse; externum, inquam, propterea quòd nos qui non animo tantùm sed & corpore constamus, vtraqne parte Deo seruire & cultum internum etiam exterius profiteri, atque ex sensibilibus ad spiritualia rendere debeamus. Vnde valde probabile est (tametsi nonnulli Catholici dissentiant) etiam in statu innocentiæ futurum fuisse externi sacrificij offerendi vsum inter homines, quemadmodum satis indicat Tridentinum concilium sess. 22. cap. 1. generaliter affirmans hominum naturam exigere externum & visibile sacrificium, & D. Thomas 2. 2. quæst. 85. art. 1. docens ad legem naturæ pertinere, vt sacrificium Deo offeratur. Manifestum est autem præcepta legis naturæ eadem permansisse ante & post peccatum.

Cæterùm post lapsum vsque adeo id animis hominum mansit impressum, vt non solùm fideles, verùm omnes aut pene omnes gentes semper existimauerint offerendum esse sacrificium, atque id obtulerint illi quem Deum esse vel scirẽt vel putareot; nimirum persuasum habentes hunc sũmum esse honorem, qui ab hominibus Deo exhiberi posset. Quocirca eum nulli detulerunt ne quidem per assentationem, nisi quem Deum esse seu veraciter seu fallaciter significare vellent, vti inter alia ostendit exemplum Lystrensium Act. 14. qui Barnabam & Paulum, vt Deos honorare volentes victimas eis mactandas adducebant. Ideoqoe meritò inter fideles tam veteris quàm noui testamenti semper habiti sunt idololatriæ criminis rei qui alijs quàm vni vero Deo sacrificium offerrent. Et apud Epiphanium damnatæ leguntur Collyridianæ mulieres, quòd Deiparæ virgini (cui alioqui post Deum summus honor debetur) sacrificia offerrent; quodque amplius, ne Christo quidem vt homini offerendum esse sacrificium author est Augustinus serm. 101. de diuersis. Quæ cùm ita sint, nec pro priuata cuiusque opinione, sed publico & communi consensu seu lege constitui atque offerri sacrificia debeant, ne sit vlla in præcipuo religionis actu ex diuersitate discordia, Deus in primo illo populo Hebraico ad sui cultum peculiariter delecto instituit certa sacrificia per certos ministros certis ritibus, certo loco, certoque tempore offerenda. Imò & aliæ gentes etsi verum Deum ignorantes, ex quodam tamen legis naturæ impulsu similiter certa sacrificia cum ministris, ritibus ac cæteris publica lege decretis offerenda ijs quos pro Dijs colebant, instituerunt.

Cùm igitur Christus Dominus noo venerit soluere legem, vel naturæ, vel Moysi, sed vtramque per legem suam nouam adimplere; & adimplendo quæ viciosa erant, tollere, & quæ imperfecta ad perfectum adducere & in meliorem formam transferre: necesse est, vt & in noua lege ac nouo populo, id est, christiano sacrificium aliquod externum agnoscamus, per quod ille populus & legi naturæ satisfaciat, & in quod sacrificia legis Mosaicæ translata & commutata esse intelligantur. Qua in re ne quid inordinatè, indecenter, aut superstitiosè constitueretur, non minùs nouo quàm veteri populo Deus prouisum esse voluit; nempe vt sicut in veteri lege sic & in noua sacrificium illud externum non ab homine, sed ab ipso Deo suam institutionem acciperet. Qnod quidem factum est à Christo vero Deo noui testamenti authore in vltima cœna, quando celebrato veteri pascha finem veteribus institutis imposuit, nouumque pascha instituit offerens Deo patri corpus suũ & sanguinem, eaque discipulis suis sumenda porrigens, & quod ipse fecerat, deinceps in memoriam mortis suæ vsque in finem sæculi ab eis eorumque successoribus fieri præcipiens his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Sicut enim veteri populo præceptum fuerat, vt in memoriam liberationis ex Ægyptia seruitute agnum paschalem quotannis offerrent, ita præcepit Christus in memoriam liberationis per ipsum præstitę, id est, redemptionis generis humani per mortem eius, id quod ipse coram discipulis in cœna faciebat, deinceps in populo suo fieri. Vnde ex analogia quæ est inter agnum paschalem

chalem & eucharistiam, satis intelligitur eucharistiam esse sacrificium. Nam sicut reuera & propriè sacrificium erat non tantùm primus ille agnus immolatus, non quidem io memoriam liberationis ex Aegypto, quæ tunc nondum erat facta, sed cuius sanguine domibus aspersu erant Israelitæ primùm ab angelo percutiente, deinde ex Ægypto liberandi; verùm etiam cæteri omnes qui succedentibus deinde temporibus in memoriam liberationis illius immolati fuerunt: ita & Christus verus agnus & verum pascha verè & propriè sacrificium est, non tantùm quatenus oblatus fuit in cruce pro redemptione generis humani; verùm etiam quatenus in memoriam peractæ semel in cruce redemptionis quotidie sub speciebus panis & vini ex ipsius Christi iostitutione offertur in altari.

Quod si dicat quispiam analogiam non constare, propterea quòd ibi sicut initio, ita & deinceps agnus verè mactabatur & occidebatur, hic autem Christus semel tantùm mactatus & occisus deinceps nec moritur, nec patitur. Respondeo seposita paulùm ea difficultate quomodo in altari Christus sacrificetur, de quo postea agemus, id saltem ex dicta declaratione satis ostendi, quòd sicut agnus paschalis institutus in memoriam accepti quondam beneficij erat sacrificium, ita eucharistia similiter in memoriam accepti per crucem beneficij instituta, vel sacrificium vel oblatio esse possit, & conuenienter esse iotelligatur. Quod autem ita sit ex eo probatur; quia sicut per ritum agni paschalis solennitas fiebat Domino Exodi 12. ita per ritum eucharistiæ celebris memoria mortis dominicæ agitur, siue vt apostolus loquitur, annunciatur Deo, non vt ipse eius recordetur quasi oblitus, sed vt ei pro tanto beneficio à nobis agantur gratiæ, vnde & eucharistiæ nomen accepit. Atqui per externum eucharistiæ munus gratiæ Deo non aguntur, nisi hoc ipsum munus cum grata recordatione ac protestatione beneficij accepit Deo offeratur, quemadmodum faciebant olim Israelitæ offerentes primitias frugum suarum cum professione beneficiorum Dei conceptis verbis pronunciata, & ita demum ex ijs in conspectu Domini epulantes, vti præscribitur Deuter. 26. Sic enim & tunc totius populi nomine offertur eucharistia tanquam primitiæ, id est, primus & præstantissimus fructus totius creaturæ, idque cum professione beneficiorum redemptionis Christi, ac demum tam sacerdos quàm populus rei oblatæ edendo & quodammodo epulando particeps efficitur.

Ex his intelligitur Dominum ijs verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, non nudam mortis suæ recordationem præcepisse, sed simul insinuasse eucharistiam, id est, corpus suum & sanguinem quæ sub sensibilibus signis relinquebat, in tanti beneficij memoriam Deo offerenda esse. Nec aliter id ecclesia intelligit, quando in canone missæ proximè post dicta verba subijcit: Vnde & memores Domine nos serui tui, tam beatæ passionis Christi filij tui, offerimus præclaræ maiestati tuæ &c. Ita & patres Ephesinæ synodi vniuersalis in epistola ad Nestoriũ ea verba intellexerunt. Sic enim scribunt: Annũciantes sicut secundùm carnem mortem vnigeniti filij Dei, id est, Iesu Christi & resurrectionem eius, & in cœlos ascensionem pariter confiteotes, incruẽtam celebramus in ecclesijs sacrificij seruitutem &c. Cæterùm id ipsum clariùs apparebit, vbi ostenderimus Christum in vltima cœna obtulisse patri corpus suum & sanguinem, atque adeo sacerdotis munere functum fuisse. Eo enim posito mani-

A festè sequitur illis verbis: *Hoc facite &c.* præcipi oblationem & sacrificium, quandoquidem Christus id fieri præcipit quod à se factum erat.

Quod autem nonnulli neoterici vim faciẽdam putant in verbo, *facite*, quasi idem significet quod sacrificate, eò quòd facere pro sacrificare tum in profanis authoribus, tum etiam in sacris literis interdum positum legatur, nobis parum solidum videtur, nec apud veteres interpretes ea expositio vsquam reperitur, nec sanè proposito conuenit. Non enim absolutè dicitur *facite*, sed, *hoc facite*, id est, id quod à me & à vobis nunc fit aut factum est, dein-
B ceps vos & vestri successores, *facite in mei memoriam.* Qua loquendi forma dixit ad milites suos Abimelech Iudicum 9. *Quod me videtis facere, citò facite.* Vnde in canone missæ pluraliter dicitur: Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Et Paulus 1. Corinth. 11. illud *facere*, etiam ad plebem refert edentem & bibentem de hoc sacramento quando ait: *Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem: Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* In quibus sententijs manifestum est *facere*,
C non idem esse quod sacrificare, sed consuetam retinere significationem.

Ex alijs igitur scripturæ locis plenior probatio petenda nobis est. Apostolus Paulus 1. Corinth. 10. volens abstrahere fideles à sacrificijs idolorum & societate dæmonum. *Videte*, inquit, *Israel secundùm carnem, nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Et mox: *Sed quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse &*
D *mensæ dæmoniorum.* Quibus verbis conferens mensam dominicam, id est, mensam corporis & sanguinis Domini (nam de ea loqui Paulum ex superioribus patet) cum altari Iudæorum & mensa dæmoniorum, satis apertè significat se per mensam altare intelligere. Ex quo deinde consequens fit id quod in mensa ponitur, nempe eucharistiam esse sacrificium, quod Deo priùs offeratur quàm à fidelibus sumatur, sicut & in Iudæorum & gentilium sacrificijs fiebat. Hoc modo eum locum iuxta patrũ interpretatiooem intelligit Tridentinum concilium sess. 22. cap. 1.

Idem apostolus in epistola ad Hebræos vlti-
E mo reuocans fideles ab esu sacrificiorum Iudaicorum dicit nos habere altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt, id est, qui Mosaicis adhuc ceremonijs inhærent. Cùm autem cibus ille sacer cuius edendi potestatem habent non Iudæi sed Christiani, non sit alius quàm sacra eucharistia, à qua infideles omnes vsque adeo arcentur, vt nec catechumeni ad eum ne videndum quidem admittantur. Cumque eum cibum de altari nos accipere apostolus testetur, consequenter ostendit eum priùs Deo in altari offerri. Nam alioqui & hic frustrà altaris meminisset.

F Alius locus est Act. 13. vbi de prophetis & doctoribus qui erant Antiochiæ dicitur: *Ministrantibus autem illis Domino & ieiunantibus dixit spiritussanctus &c.* Quo loco pro *ministrantibus* græcè est, λειτουργούντων, id est, *sacrificantibus*, quomodo etiam Erasmus vertit. Est enim ea vox à qua Liturgiæ, id est sacrificij nomen Græcis patribus vsitatissimum deriuatur. Sicut ergo externum & corporale ieiunium ijs verbis significatum est, ita & externum sacrificium à fidelibus Deo oblatum, vt idonei ministri designarentur in opus euangelicæ prædicatio-

nis. Hoc

tutius est abstinere, quia qui abstinet, caret illo singulari antidoto contra venena serpentis, & proinde facilius succumbit tentationibus. Adde quòd in eo qui post legitimam sui probationem accedit deuotè, non est periculum; quia periculum est mali verisimilis, non autem mali possibilis. Vnde non dicitur se committere periculo cadendi qui per viam planam incedit, licèt possit cadere. Habet autem homo certitudinem moralem, quòd bene se præparauerit, & probauerit, & quòd sit in gratia, multò magis quàm habeat de fidelitate amici per longam experientiam cogniti. Cui si pecunias custodiendas committat, non dicitur eas periculo committere, sed in bonam custodiam deponere. Et quamuis fortè qui rariùs accedunt, actualem sentiant maiorem deuotionem, illi tamen qui frequentiùs ac nihilominus dignè accedunt, eo ipso habitualiter magis affecti sunt erga hoc sacramentum; vt qui in charitate & virtutum operatione ex qua profectus hominis intelligitur, sint exercitatiores. Denique sæpenumero contingit verum esse quod Ambrosius dicit loco suprà citato. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere; quia nimirum causæ quibus à frequenti communione plærique retrahuntur, vt sunt affectus & cõsuetudo peccandi, torpor & indeuotio erga sacramentum, etiam post annum remanent, quin potiùs augentur. Nam difficilius est post multa peccata seriò pœnitere, & ad sacram hanc mensam dignè se præparare, quàm post pauciora, & præ diuturna absentia cibi illius cœlestis animus velut exarescit humore gratiæ diuinæ destitutus, iuxta illud psalmistæ psalmo 101. *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

§. II. *Eucharistiam à Christo institutam esse vt sacrificium nouæ legis.*

S. Thom. 3. p. q. 73 item 3. p. q. 82. & 83.

VSus sacrosanctæ eucharistiæ non in eo tantùm est positus, vt sit cibus fidelium, verumetiam vt à fidelibus & pro fidelibus Deo offeratur. Neque enim tantùm instituta est à Christo, vt nouæ legis sacramentum, verùm etiam vt nouæ legis sacrificium, idque priùs Deo offerendum quàm à fidelibus sumendum.

Sed quia huic catholico dogmati vehementer hodie à sectarijs omnibus resistitur, operæ precium est, vt quàm certa & solida sit illa ecclesiæ doctrina, intelligatur, in eius probatione nonnihil immorari.

Primùm igitur vt à communioribus ordiamur, non solùm lex Dei positiua, sed & naturalis docet externum aliquod sacrificium Deo in protestationem subiectionis nostræ & gratitudinis erga eum tanquam supremum Dominum, & omnium bonorum authorem offerendum esse; externum, inquam, propterea quòd nos qui non animo tantùm sed & corpore constamus, vtraque parte Deo seruire & cultum internum etiam exterius profiteri, atque ex sensibilibus ad spiritualia tendere debeamus. Vnde valde probabile est (tametsi nonnulli Catholici dissentiant) etiam in statu innocentiæ futurum fuisse externi sacrificij offerendi vsum inter homines, quemadmodum satis indicat Tridentinum concilium sess. 22. cap. 1. generaliter affirmans hominum naturam exigere externum & visibile sacrificium, & D. Thomas 1. 2. quæst. 85. art. 1. docens ad legem naturæ pertinere, vt sacrificium Deo offeratur. Manifestum est autem præcepta legis naturæ eadem permansisse ante & post peccatum.

Cæterùm post lapsum vsque adeo id animis hominum mansit impressum, vt non solùm fideles, verùm omnes aut pene omnes gentes semper existimauerint offerendum esse sacrificium, atque id obtulerint illi quem Deum esse vel scirent vel putarent; nimirum persuasum habentes hunc sũmum esse honorem, qui ab hominibus Deo exhiberi posset. Quocirca eum nulli detulerunt ne quidem per assentationem, nisi quem Deum esse seu veraciter seu fallaciter significare vellent, vti inter alia ostendit exemplum Lystrensium Act. 14. qui Barnabam & Paulum, vt Deos honorare volentes victimas eis mactandas adducebant. Ideoque meritò inter fideles tam veteris quàm noui testamenti semper habiti sunt idololatriæ criminis rei qui alijs quàm vni vero Deo sacrificium offerrent. Et apud Epiphanium damnatæ leguntur Collyridianæ mulieres, quòd Deiparæ virgini (cui alioqui post Deum summus honor debetur) sacrificia offerrent; quodque amplius, ne Christo quidem vt homini offerendum esse sacrificium author est Augustinus serm. 101. de diuersis. Quæ cùm ita sint, nec pro priuata cuiusque opinione, sed publico & communi consensu seu lege constitui atque offerri sacrificia debeant, ne sit vlla in præcipuo religionis actu ex diuersitate discordia, Deus in primo illo populo Hebraico ad sui cultum peculiariter delecto instituit certa sacrificia per certos ministros certis ritibus, certo loco, certoque tempore offerenda. Imò & aliæ gentes etsi verum Deum ignorantes, ex quodam tamen legis naturæ impulsu similiter certa sacrificia cum ministris, ritibus ac cæteris publica lege decretis offerenda ijs quos pro Dijs colebant, instituerunt.

Cùm igitur Christus Dominus non venerit soluere legem, vel naturæ, vel Moysi, sed vtramque per legem suam nouam adimplere; & adimplendo quæ viciosa erant, tollere, & quæ imperfecta ad perfectum adducere & in meliorem formam transferre: necesse est, vt & in noua lege ac nouo populo, id est, christiano sacrificium aliquod externum agnoscamus, per quod ille populus & legi naturæ satisfaciat, & in quod sacrificia legis Mosaicæ translata & commutata esse intelligantur. Qua in re ne quid inordinatè, indecenter, aut superstitiosè constitueretur, non minùs nouo quàm veteri populo Deus prouisum esse voluit; nempe vt sicut in veteri lege sic & in noua sacrificium illud externum non ab homine, sed ab ipso Deo suam institutionem acciperet. Quod quidem factum est à Christo vero Deo noui testamenti authore in vltima cœna, quando celebrato veteri pascha finem veteribus institutis imposuit, nouumque pascha instituit offerens Deo patri corpus suũ & sanguinem, eaque discipulis suis sumenda porrigens, & quod ipse fecerat, deinceps in memoriam mortis suæ vsque in finem sæculi ab eis eorumque successoribus fieri præcipiens his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Sicut enim veteri populo præceptum fuerat, vt in memoriam liberationis ex Ægyptia seruitute agnum paschalem quotannis offerrent, ita præcepit Christus in memoriam liberationis per ipsum præstitę, id est, redemptionis generis humani per mortem eius, id quod ipse coram discipulis in cœna faciebat, deinceps in populo suo fieri. Vnde ex analogia quæ est inter agnum pas-

chalem

chalem & eucharistiam, satis intelligitur eucharistiam esse sacrificium. Nam sicut vere & propriè sacrificium erat non tantùm primus ille agnus immolatus, non quidem in memoriam liberationis ex Aegypto, quæ tunc nondum erat facta, sed cuius sanguine domibus asperso erant Israelitæ primùm ab angelo percutiente, deinde ex Ægypto liberandi; verùm etiam cæteri omnes qui succedentibus deinde temporibus in memoriam liberationis illius immolati fuerunt: ita & Christus verus agnus & verum pascha verè & propriè sacrificium est, non tantùm quatenus oblatus fuit in cruce pro redemptione generis humani; verùm etiam quatenus in memoriam peractæ semel in cruce redemptionis quotidie sub speciebus panis & vini ex ipsius Christi institutione offertur in altari.

Quod si dicat quispiam analogiam non constare, propterea quòd ibi sicut initio, ita & deinceps agnus verè mactabatur & occidebatur, hîc autem Christus semel tantùm mactatus & occisus deinceps nec moritur, nec patitur. Respondeo seposita paulùm ea difficultate quomodo in altari Christus sacrificetur, de quo postea agemus, id saltem ex dicta declaratione satis ostendi, quòd sicut agnus paschalis institutus in memoriam accepti quondam beneficij erat sacrificium, ita eucharistia similiter in memoriam accepti per crucem beneficij instituta, vel sacrificium vel oblatio esse possit, & conuenienter esse intelligatur. Quod autem ita sit ex eo probatur, quia sicut per ritum agni paschalis solennitas fiebat Domino Exodi 12. ita per ritum eucharistiæ celebris memoria mortis dominicæ agitur, siue vt apostolus loquitur, annunciatur Deo, non vt ipse eius recordetur quasi oblitus, sed vt ei pro tanto beneficio à nobis agantur gratiæ, vnde & eucharistiæ nomen accepit. Atqui per externum eucharistiæ munus gratiæ Deo non aguntur, nisi hoc ipsum munus cum grata recordatione ac protestatione beneficij accepti Deo offeratur, quemadmodum faciebant olim Israelitæ offerentes primitias frugum suarum cum professione beneficiorum Dei conceptis verbis pronunciata, & ita demum ex ijs in conspectu Domini epulantes, vti præscribitur Deuter. 26. Sic enim & tunc totius populi nomine offertur eucharistia tanquam primitiæ, id est, primus & præstantissimus fructus totius creaturæ, idque cum professione beneficiorum redemptionis Christi, ac demum tam sacerdos quàm populus rei oblatæ edendo & quodammodo epulando particeps efficitur.

Ex his intelligitur Dominum ijs verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, non nudam mortis suæ recordationem præcepisse, sed simul insinuasse eucharistiam, id est, corpus suum & sanguinem quæ sub sensibilibus signis relinquebat, in tanti beneficij memoriam Deo offerenda esse. Nec aliter id ecclesia intelligit, quando in canone missæ proximè post dicta verba subijcit: Vnde & memores Domine nos serui tui, tam beatæ passionis Christi filij tui, offerimus præclaræ maiestati tuæ &c. Ita & patres Ephesinæ synodi vniuersalis in epistola ad Nestoriũ ea verba intellexerunt. Sic enim scribunt: Annũciantes sicut secundùm carnem mortem vnigeniti filij Dei, id est, Iesu Christi & resurrectionem eius, & in cœlos ascensionem pariter confitentes, incruentam celebramus in ecclesijs sacrificij seruitutem &c. Cæterùm id ipsum clariùs apparebit, vbi ostenderimus Christum in vltima cœna obtulisse patri corpus suum & sanguinem, atque adeo sacerdotis munere functum fuisse. Eo enim posito manifestè sequitur illis verbis: *Hoc facite &c.* præcipi oblationem & sacrificium, quandoquidem Christus id fieri præcipit quod à se factum erat.

Quod autem nonnulli neoterici vim faciẽdam putant in verbo, *facite*, quasi idem significet quod sacrificate, eò quòd facere pro sacrificare tum in profanis authoribus, tum etiam in sacris literis interdum positum legatur, nobis parum solidum videtur, nec apud veteres interpretes ea expositio vsquam reperitur, nec sanè proposito conuenit. Non enim absolutè dicitur *facite*, sed, *hoc facite*, id est, id quod à me & à vobis nunc fit aut factum est, deinceps vos & vestri successores, *facite in mei memoriam.* Qua loquendi forma dixit ad milites suos Abimelech Iudicum 9. *Quod me vidistis facere, citò facite.* Vnde in canone missæ pluraliter dicitur: Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Et Paulus 1. Corinth. 11. illud *facere*, etiam ad plebem refert edentem & bibentem de hoc sacramento quando ait: *Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* In quibus sententijs manifestum est *facere*, non idem esse quod sacrificare, sed consuetam retinere significationem.

Ex alijs igitur scripturæ locis plenior probatio petenda nobis est. Apostolus Paulus 1. Corinth. 10. volens abstrahere fideles à sacrificijs idolorum & societate dæmonum. *Videte*, inquit, *Israel secundùm carnem, nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Et mox: *Sed quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum.* Quibus verbis conferens mensam dominicam, id est, mensam corporis & sanguinis Domini (nam de ea loqui Paulum ex superioribus patet) cum altari Iudæorum & mensa dæmoniorum, satis apertè significat se per mensam altare intelligere. Ex quo deinde consequens fit id quòd in mensa ponitur, nempe eucharistiam esse sacrificium quod Deo priùs offeratur quàm à fidelibus sumatur, sicut & in Iudæorum & gentilium sacrificijs fiebat. Hoc modo eum locum iuxta patrũ interpretationem intelligit Tridentinum concilium sess. 22. cap. 1.

Idem apostolus in epistola ad Hebræos vltimo reuocans fideles ab esu sacrificiorum Iudaicorum dicit nos habere altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt, id est, qui Mosaicis adhuc ceremonijs inhærent. Cùm autem cibus ille sacer cuius edendi potestatem habent non Iudæi sed Christiani, non sit alius quàm sacra eucharistia, à qua infideles omnes vsque adeo arcentur, vt nec catechumeni ad eum ne videndum quidem admittantur. Cumque eum cibum de altari nos accipere apostolus testetur, consequenter ostendit eum prius Deo in altari offerri. Nam alioqui & hîc frustrà altaris meminisset.

Alius locus est Act. 13. vbi de prophetis & doctoribus qui erant Antiochiæ dicitur: *Ministrantibus autem illis Domino & ieiunantibus dixit spiritussanctus &c.* Quo loco pro *ministrantibus* græcè est, λειτουργούντων, id est, *sacrificantibus*, quomodo etiam Erasmus vertit. Est enim ea vox à qua Liturgiæ, id est sacrificij nomen Græcis patribus vsitatissimum deriuatur. Sicut ergo externum & corporale ieiunium ijs verbis significatum est, ita & externum sacrificium à fidelibus Deo oblatum, vt idonei ministri designarentur in opus euangelicæ prædicatio-

nis. Hoc

nis. Hoc autem sacrificium non aliud intelligi potest, quàm sacrificium corporis & sanguinis Domini.

Rursum ex euangelio suppetunt huius rei argumenta. Nam Lucæ 22. Christus eucharistiam vocat pascha dicens: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum*. Hoc enim non de agno typico, sed de vero agno, id est, eucharistia intelligi docent verba subsequentia: *Dico enim vobis &c.* quæ apud alios euangelistas manifestè ad eucharistiam pertinent. Pascha verò sacrificium paschale significat, vt Exodi 12. *Immolate phase*, & apud apostolum 1. Corinth. 5. *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus* Est igitur eucharistia sacrificium. Nec valet responsio si dicas eucharistiam, id est, corpus Domini vocari pascha, quia in cruce erat immolandum. Nam sumptio seu manducatio sacrificij non præcedere debet, sed sequi immolationem. Sacrificium autem crucis hanc manducationem fuit postridie secutum. Vnde præcedentem aliquam immolationem, id est, sacrificij oblationem hic intelligere est necesse.

Præterea ad idem probandum faciunt verba consecrationis, vt apud Lucam in Græco leguntur: *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*, id est, offertur præsenti tempore. Pro quo Paulus: *Quod pro vobis frangitur*. De calice quoque apud tres euangelistas verbo præsentis temporis dicitur. *Qui pro vobis effunditur*. Estque ex Græco apud Lucam manifestum non posse eam effusionem intelligi quæ facta est in cruce. Nam effusio calici tribuitur non sanguini, nisi quatenus calice continetur. Quare hæc omnia habent quandam nec obscuram sacrificalis actionis quæ in ipsa cœna facta fuerit, significationem.

Est & aliud ex verbis consecrationis probabile argumentum. Sicut enim Moyses de sanguine vituli dixit: *Hic est sanguis fœderis, quod mandauit ad vos Deus*, ita Christus de sanguine suo: *Hic est sanguis noui fœderis* seu *testamenti &c.* Atqui Moyses illud dixit de sanguine oblati sacrificij, vt liquet Exodi 24. ergo & Christus quando ea verba dixit, sanguinem suum obtulit.

Porrò in scriptura veteri non minùs aperta extant huius doctrinæ testimonia. Inter quę illud clarissimum est quod in psalmo 109. de Christo protulit Dauid dicens: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Vocatur enim Christus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech propter similitudinem rei oblatæ. Nam quemadmodum Melchisedech cùm esset sacerdos Dei summi, panem & vinum obtulit Genes. 14. ita Christus in pane & vino sacrificauit, commutando ea in corpus & sanguinem suum, permanente nihilominus similitudine ac tota operatione panis & vini. Hoc autem illis prophetæ verbis significatum fuisse patres constanter asserunt. Inter quos Cyprianus lib. 2. epist. 3. prolixè scripturam hanc tractans, ac de sacerdotio secundùm ordinem Melchisedech disserens ait inter cætera: Qui ordo vtique hic est de sacrificio illo veniens & inde descendens, quòd Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi quàm Dominus noster Iesus Christus qui sacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem? Et paulò pòst: Vt ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem bene-

A dictio circa Abraham posset ritè celebrari; præcedit antè imago sacrificij, in pane & vino scilicet constituta; quam rem perficiens & adimplens Dominus panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit &c. In hanc illius scripturæ interpretationem consentiunt Eusebius Cæsariensis lib. 5. demonstrationum euangelicarum cap. 3. & lib. 8. cap. 2. Eusebij Emisseni titulo homil. 5. de paschate. Ambrosius lib. 4. de sacramentis cap. 3. & 7. & lib. de initiandis cap. 9. Epiphanius lib. 2. hæresi 55. Hieronymus lib. quæst. in Genes. 14. & in Matth. 26. & commentarius ei ascriptus in psalm. B 109. Chrysostomus in oratione 4. contra Iudæos. Augustinus quoque compluribus locis vt in expositione psal. 33. concione 1. & in psal. 106. & 109. Item lib. 16. de ciuitate Dei cap. 22. lib. 17. cap. 17. & 20. & lib. 18. cap. 35. lib. 2. contra aduersar. legis & prophetarum cap. 20. & in epist. 95. Item Eucherius lib. 2. in Genes. Arnobius in psal. 109. Beda in Luc. 22. Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 14. & Theophylactus in Heb. 5. Et alij quotquot dictum psalmi versiculum vel ex occasione tractant, vt meritò Tridentini concilij patres eandem interpretationem suo calculo confirmarint C sess. 22. cap. 1. definientes quòd Christus in cœna sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo patri obtulit.

Aliud extat propheticum testimonium Malach. 1. his verbis: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est no-* D *men meum in gentibus.* Quam scripturam magno cõsensu veteres de sacrificio corporis & sanguinis Christi, quod reiectis antiquæ legis sacrificijs per vniuersam catholicam ecclesiam offertur, interpretati sunt, vt Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 32. Iustinus contra Tryphonem, Cyprianus contra Iudęos cap. 16. Eusebius demonstrationum euangelicarum lib. 1. cap. 6. & vlt. Hieronymus & Theodoretus in 1. Malach. Augustinus lib. 18. de ciuitate cap. 35. & lib. 19. cap. 25. lib. 1. contra aduersar. legis & prophetarum cap. 20. & 22. & in psalm. E 106. Chrysostomus oratione 4. contra Iudęos, Damascenus lib. 4. cap. 14. Sanè ipse propheticus loquendi modus ostendit sermonem esse de sacrificio quodam nouo & prioribus temporibus insitato, sic autem instituto, vt vbique locorum cum frequentatione fiat, quòd habeat pręcellentem sanctitatem, quod eiusdem modi vbique fit, quòd denique illustri externa ceremonia conspicuum sit. Quę omnia in nullum aliud quàm in missę sacrificium conueniunt.

Aliud item testimonium est apud Daniel. 11. & 12. vbi prædicitur auferendum aliquando ad tem- F pus iuge sacrificium. Quod non aliud intelligi potest, quàm illud in quo iubet apostolus continuò annunciari mortem Domini donec veniat. Nam legalia sacrificia iam non ad tempus cessant, sed in perpetuum sunt abolita. Sacrificium autem crucis semel oblatum actu transijt, effectu verò ita perpetuum est vt nulla vi æterna impediri aut interrumpi possit, sed sacrificium missæ iuge ac perpetuum est institutione & obseruatione, tametsi ad tempus iuxta vaticinium Danielis auferendum; non vt per illud tempus à propheta prædictum prorsus non

offeratur,

offeratur, sed quia propter Antichristi tyrannidem palam & publicè offerri non poterit.

His adde præcipuos prophetas Isaiam & Ieremiam, quorum ille cap. 19. sic vaticinatur: *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti.* Quod non aliò quàm ad nouæ legis sacrificium per omnes nunc gentes, quarum typum in scripturis gerit Ægyptus, frequentatum, referri potest. Idem cap. vltimo de filijs noui testamenti prophetans ait: *Et assumam ex ijs in sacerdotes & Leuitas, dicit Dominus.* Ieremias verò cap. 33. de ijsdem sic loquitur: *Et de sacerdotibus & de Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocautomata & incendat sacrificium.* Et mox affirmat pactum suum nunquam irritum fore, vt non sint Leuitæ, & sacerdotes ministri sui. Quam promissionem ad ecclesiam Christi pertinere non est dubium. Sunt ergo in noua lege sacerdotes & Leuitæ, id est, diaconi qui sacerdotibus ministrent. Est ergo & sacrificium. Nec possunt ea loca de interno sacrificio accipi. Nam hoc omnibus fidelibus commune est, prophetæ autem manifestè de sacerdotio & ministerio loquuntur, quod non est omnibus commune.

Denique vt alia his similia scripturæ loca prætermittamus, non obscurè sacrificium hoc ecclesiæ quod prius offertur Deo, & postea cedit in cibum fidelium, insinuatum est psalm. 21. vbi Christus in persona capitis & corporis loquens post commemoratam passionem suam & liberationem tandem subijcit: *Apud te laus mea in ecclesia magna, vota mea reddam,* id est sacrificia votiua offeram, *in conspectu timentium eum. Edent pauperes & saturabuntur.* Et paulò post: *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.* Hæc enim de eucharistia eiusque oblatione dicta esse Augustinus in illum psalmi locum scribens intellexit.

Iam vt ad patres & traditionem ecclesiæ descendamus, infinita pene sunt testimonia patrum, pontificum, conciliorum, quæ sacrificij externi per certos ministros, certis ritibus, certoque loco ac tempore celebrandi meminerunt; quæ proinde apertissimè ostendunt eucharistiam à Christo non tantùm vt sacramentum, verùm etiam vt sacrificiũ nouæ legis institutum esse. Loca quia innumera sunt & passim obuia, nihil opus est hîc recensere.

Rursum quæcunque probãt ordinem sacerdotalem in ecclesia, probant hoc sacrificium. Neque enim absque sacrificio sacerdotium consistit. Et quamuis probatio sacramenti ordinis non huius sit loci, illud tamen & breuiter dici potest, & certissimè constat, presbyteros & episcopos à primis ecclesiæ temporibus dictos fuisse sacerdotes & pontifices, quorum haud dubiè officium est offerre sacrificia, vt & apostolus testatur Hebr. 8. Certum quoque est altaria ab initio semper in ecclesia fuisse, eaque solenni ritu dedicari solita. Atqui altarium vsus nullus est sublato sacrificio.

Fortè dicet hæreticus vocata fuisse altaria per catachresin, quia sunt mensæ in quibus corpus & sanguis Christi, qui victima nostra est, sumenda proponebantur. Quomodo per catachresin vocatum fuit altare quod Rubenitæ & Gadditæ extruxerant in monumentum ac testimonium, non autem ad sacrificia offerenda, vt ipsi protestantur. Sed hoc effugium nullum est, tum quia hanc metaphoricam altaris expositionem nemo sanctorum patrum tradidit; tum quia sic nominant altare, sicut nominant templa & sacerdotes & pontifices & ipsa sacrificia; tum quia vsus non habet, vt men-

A sa vocetur altare, nisi in ea sacrificium offeratur. Atqui patres passim & frequentissimè sic loquuntur. Itaque notandum hæreticos dum externum in ecclesia sacrificium negant, non altaria solum verùm etiam templa prorsus ex ecclesia tollere. Templum enim si propriè intelligatur, non aliud est quàm domus sacrificij.

Postremò idem probant liturgiæ antiquissimæ Iacobi, Marci, Basilij, Chrysostomi & aliæ per diuersas nationes quoad precationes & ceremonias nonnihil diuersæ, omnes tamen in eo quod substantiale est, nempe in oblatione vnius sacrificij
B corporis & sanguinis Domini conuenientes; vt interim de canone missæ quo vtitur ecclesia Romana, eiusque antiquitate, & de orationibus secretis & complendis, quas vocant, quæ quidem ferè omnes antiquissimæ sunt, nihil dicamus. Ex quibus omnibus luce clariùs ostenditur eucharistiam tanquam sacrificium ab initio semper in ecclesia Deó oblatam fuisse.

C
§. 12. *Eucharistia qua ratione verum sit sacrificium.*

QVomodo Eucharistia, vel eius oblatio, consecratio, fractio, sumptio rectè vocetur sacrificium iuxta generalem sacrificij acceptionem, nullam dubitationem habet. Cùm enim sacrificium generaliter sit, Augustino definiente lib. 10. de ciuit. cap. 6. omne opus quod agitur vt sancta societate inhæreamus Deo, manifestum est actiones iam dictas sicut & omne aliud opus bonum in Deum relatum ea generali definitione contineri;
D cuiusmodi in scripturis sacrificia & hostiæ Deo acceptæ dicuntur spiritus contribulatus, psalm. 50. corpus castum & spiritui subiectum. Rom. 12. corpus propter Christum in mortem traditum Philipp. 2. eleemosyna in pauperes propter Deum erogata Rom. 15. Philipp. 4. & Hebr. 12.

S. Thom. locis sup. cit.

Verùm quomodo iuxta specialem sacrificij acceptionem eucharistia vel actio aliqua ex supradictis verè & propriè sacrificium dici possit, quemadmodum omnino dici oportere can. 1. sess. 22. definiuit Tridentina synodus, non perinde clarum est. Specialiter enim & propriè sacrificium vocatur oblatio rei externa in agnitionem diuinæ maie-
E statis, summique dominij certo ritu cum ipsius rei immutatione facta, vel res ipsa quæ taliter offertur atque immutatur. Hoc ergo quomodo in eucharistia vel aliqua circa ipsam actione reperiatur, videndum est. Nam si tantùm offertur eucharistia Deo nulla præterea accedente circa ipsam mutatione, sicut olim frugum aliarumque rerum primitiua Deo offerebantur à populo, nec tamen consumebantur statim, sed reposita in vsus Dei ministris necessarios seruabantur; poterit quidem hac ratione eucharistia oblatio dici, non tamen sacrificium, sicut & illa quæ dixi oblationes erant, non
F sacrificia.

Nonnulli cum quibus sentire videtur hac distinctione Magister, docent eucharistiam non alia ratione vocari sacrificium, quàm quia memoria est & repræsentatio veri sacrificij & sanctæ immolationis factæ in ara crucis. His enim verbis Magister rationem sacrificij missæ explicare conatur, ita deinde subiungens: Et semel Christus mortuus est in cruce, ibique immolatus est in semetipso. Quotidie autem immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius quod factum est semel. Sic

ille.

ille, confirmans eam suam sententiam verbis Augustini & Ambrosij, seu potiùs Chrysostomi. Nam quæ ille ex Ambrosio citat, apud Chrysostomum leguntur homilia 17. in epistolam ad Hebræos. Sed Sed reuera nondum hoc pacto explicatur proprij nominis sacrificium. Nam iuxta eam declarationem pictura vel actio scenica Christi passionem nobis repræsentans propriè sacrificium diceretur. Quid autem sententiæ patrum à Magistro citatæ sibi velint, postea dicemus.

Dicendum igitur est, sicut quæ offerebantur in veteri lege, dicebantur sacrificia propter actus quosdam quibus circa eas res mutatio quædam fiebat, idque in recognitionẽ supremæ maiestatis; cuiusmodi actus erant, mactatio, diuisio, combustio, comestio: ita Christum sub specie panis & vini in missa oblatum vocari & esse sacrificium propter certas quasdam actiones quæ circa ipsum fiunt. Quarum prima & præcipua est consecratio, per quam ex pane & vino fit corpus & sanguis Christi. Id quod nobis insinuare voluit Chrysostomus in homil. de Iuda & homil. 6. ad populum Antiochenum, quando dicit vocem illam: *Hoc est corpus meum* præstare sacrificio firmitatem. Quod si obijcias consecratione non tam corpus & sanguinem Christi vllam subire mutationem, quàm panem & vinum quæ in illa transmutantur. Responderi potest satis esse ad hoc vt quid sacrificari dicatur, quòd sit terminus transmutationis à quo vel ad quem; corpus autem Christi terminus est ad quem consecrationis, haud secus atque in mactatione pecudis non tantùm viuens illud quod mactatur, sed & mortuum quod mactatum est, & quidem magis propriè sacrificium vocatur.

Verùm adhuc obijciet aliquis. Sacrificium missæ consistere debet in eo actu qui nobis repræsentet immolationem factam in cruce. Ea autem non repræsentatur consecratione, sed vel fractione, vel consumptione eucharistiæ. Respondemus consecratione repræsentari passionem Christi in cruce, dum seorsim corpus & seorsim sanguis consecratur, vel alterum sine altero. Per hoc enim significatur alterum ab altero in cruce fuisse separatum & sanguinem pro nobis effusum. Vnde S. Thomas dicit super 1. Corinth. 11. Lectione 5. quòd in hoc sacramento seorsim offertur sanguis à corpore.

Consistit igitur potissimùm ratio sacrificij missæ in eo quod quantum est ex parte consecrationis qua dicitur: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, corpus & sanguis Christi exhibentur vt separata, & per consequens Christus quasi mactatur & immolatur. Quod enim dicunt veteres in missæ sacrificio Christum mactari seu immolari sed incruentè, non videtur pertinere ad mutationem panis & vini in corpus & sanguinem in se consideratam: quatenus videlicet est tantùm transmutatio quædam substantiæ in substantiam, sed magis ad hoc quòd per consecrationem exhibentur & repręsentantur vt separata corpus & sanguis Domini, quę reuera in passione & morte separata fuerunt. Iuxta hanc explicationem si fieret mutatio panis in totum Christum per huiusmodi verba: Hoc est Christus, non esset sacrificium talis cõsecratio, quia Christus non exhiberetur immolatus. Nec verò sequitur Christum non immolari in altari, quia nihil patitur. Est enim hæc immolatio mystica & talis qualis Christo nunc competere potest. Quãtum enim est ex parte verborum consecrationis Christus immolatur, id est sanguis eius à corpore separatur. Nam & si pecus ita immolaretur, vt tamen per miraculum partes diuisæ adhuc viuerent, vel in vtrisque tota substantia maneret, adhuc diceretur immolatum; & si animal secaretur in partes in quibus miraculosè adhuc vita remaneret, vti fit in partibus sacramenti post fractionem, diceretur nihilominus tale animal immolatum vel sacrificatum, dummodo talis mactatio vel diuisio fieret in agnitionem summi dominij. Rectè proinde dicere videntur qui docent huius sacrificij rationem consistere in consecratione, quia Christus in altari per modum hostiæ sistitur, seu præsens exhibetur. Et hæc quidem de consecratione.

An autem etiam fractio specierum eucharistiæ passionem Christi repræsentet, ac subinde partem aliquam huius sacrificij constituat, quæri potest. Quidam negant, eò quòd fractio tantùm instituta videatur ad distributionem. Sed rectiùs affirmant alij, & probant quia ad fractionem expressa fit passionis commemoratio dicente sacerdote: *Agnus Dei qui tollis &c.* & apostolus 1. Corinth. 11. dicit Christum dixisse in huius sacrificij institutione: *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur*, quomodo Græci legunt. Pro quo apud Lucam legitur, *Quod pro vobis datur*, id est offertur, vt intelligamus fractionem illam oblationis huius seu sacrificij partem constituere. Vnde & Chrysostomus homil. 24. ad illud 1. Corinth. 10. *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est*, manifestè fractionem refert ad passionis Christi repræsentationem. Sed & alij patres in fractione eucharistiæ quæ fit in missa, passionis Christi mysterium agnoscunt. Et S. Thomas 2. 2. quæst. 85. art. 3. ad 3. inter actiones in quibus hoc sacrificium consistit etiam fractionem enumerat. Quòd autem fractio illa quæ fit à sacerdote post orationem dominicam non sit instituta ad distributionem, ex eo patet, quia earum partium nulla in populum distribuitur, sed omnes tres cedunt sacerdoti. Imò id requirit missæ ceremonia, vt earum vna demittatur in calicem & sanguini misceatur, non sine mysterij significatione.

Videtur autem & effusio sanguinis ad huius sacrificij partem aliquam pertinere, perinde vt olim effusio sanguinis animalium super vel iuxta altare pars quædam erat actionis veterum sacrificiorum. Sicut enim in præfato dictum est de corpore, *quod pro vobis frangitur, &, quod pro vobis datur*; ita de sanguine dicitur apud Matthæum & Marcum, *qui pro vobis effunditur*. Quod ne de sanguinis effusione quæ facta est in cruce quis putet intelligendum, & præsens verbi tempus pro futuro positum accipiat, Lucas de ipso sanguinis poculo enunciat dicens, *Quod pro vobis effunditur*, vt Gręcum codicem inspicienti clarum est, in quo articulus Tò non ad sanguinem sed ad poculum necessariò refertur. Nec obstat quòd apud omnes tres subijcitur effusionem illam fieri in remissionem peccatorum. Nam vt habet oratio ecclesię, quoties huius hostię commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur. Repræsentatur autem effusio sanguinis dominici facta in cruce per hoc quod sanguis bibitur, id est per modum potus sumitur. Hanc enim effusionem significant dicta scripturæ loca. Siquidem in veteri quidem lege nefas erat sanguine vesci, id est, sanguinem aut edere aut bibere, præceptũ autem erat in sacrificijs ipsum iuxta altare in terram effundere. Verùm id prorsus contrario modo se habet in sacrificio noui testamenti. In quo nefas est sanguinem in terram effundere, fas autem & sanctum est ex Christi institutione sanguinem bibere. Atque hoc vtriusque sacrificij discrimen indicatum

est ab

est ab Augustino quæstion. 57. in Leuiticum.

Postremum inter actiones ad sacrificium pertinentes locum habet sumptio seu consumptio rei oblatæ, sicut olim ad sacrificij partem aliquam pertinebat, vt quod oblatum erat, vel totum igne combureretur, vel ab offerentibus comederetur, vel partim igni, partim offerentibus in cibum cederet. Necesse enim erat tandem consumi hostiam quocunque modo. Quare & in missæ sacrificio similiter se res habet. Quamuis enim aliquando in vsum fidelium aliquid de sacrificio eucharistiæ asseruetur in multos dies, nihil tamen id integritati aut consummationi sacrificij derogat. Sicut enim olim de victima oblata seruari poterat aliquid in posterum diem, quod qui tunc sumebant, adhuc sacrificij participes erant, & illa sumptione quodammodo perficiebatur sacrificium; ita & nunc infirmi vel alij fideles dum eucharistiam sumunt in diem vnum vel plures asseruatam, sumendo sacrificij dudum oblati participes efficiuntur, atque ea sumptione quodammodo sacrificium illud perficitur & completur. Vnde non tantùm dicitur eucharistia, sed & hostia ad infirmos deferri; quia nimirum illi eam sumendo fiunt oblatæ hostiæ participes. Quod & canon missæ ea parte qua dicitur, vt quotquot ex hac altaris participatione &c. & secretæ quædam orationes satis significant. Rectè igitur & S. Thomas loco suprà citato comestionem inter actiones sacrificales enumerat. Nec obstat, quod laici hanc actionem cum sacerdotibus habeant communem. Nihil enim vetat aliquam sacrificij actionem laicis competere, dummodo quod est in sacrificio præcipuum, nempe consecratio, solis competat sacerdotibus, in tantum vt nulla ratione, nec de facto laicis communicari possit. Nam & olim plebs de hostijs pacificorum vescebatur, & Leuitæ non sacerdotes in præcipuis seu potioribus sacrificandi actibus sacerdoti subministrabant. Ex his quoque patet sumptionem calicis duplici ratione ad sacrificium pertinere, & quatenus effusio quædam est, vt iam antè diximus, & quatenus sumptio, atque consumptio est.

Porrò mirum videri non debet plures à nobis actiones assignari quibus sacrificium missæ peragatur, quasi inde consequens sit plura esse sacrificia, non vnum. Siquidem ad vnam totalem actionem circa rem aliquam possunt plures particulares actiones concurrere, vt contingit etiam in sacramentorum administratione. Ad hunc enim modum etiam olim in sacrificijs animalium priùs per mactationem separabatur sanguis à corpore, deinde corpus ipsum in partes secabatur, & sanguis vase aliquo exceptus fundebatur, ac postremò partes illæ vel cremabantur vel comedebantur, quæ quidem omnia erant actiones quædam particulares tanquam totius sacrificij partes.

Iam si quæras quem locum inter partes huius sacrificij habeat oblatio, respondendum videtur totum sacrificium esse quodammodo oblationem; quia actiones omnes iam dictæ fiunt circa rem quatenus pia animi deuotione Deo à nobis offertur. Peculiariter tamen etiam sicut in veteribus sacrificijs, vel quando sanguis inferebatur in sancta sanctorum, vel quando pars aliqua rei mactatæ eleuabatur coram Domino, ita & in isto sacrificio fit externo ritu ac verbis oblatio corporis & sanguinis Domini, quando dicit sacerdos: Vnde & nos memores offerimus præclaræ maiestati tuæ hostiam puram &c. Sed hæc verba sacerdos dicit non tantùm in sua persona, sed & aliorum ministrorum altaris, atque ipsius plebis; quia dicit: Sed & plebs tua sancta. Vere enim omnes isti offerunt animi deuotione, nec repugnat quò minùs etiam verbo dicant, offerimus. Cæterùm eleuatio hostiæ quę fit statim post verba consecrationis, oblationis rationem non habet. Non enim fit offerendi intentione sed ostendendi populo mysteria ad adorandum.

§. 13. *Refutatio eorum quæ contra missæ sacrificium obijciuntur.*

QVò doctrina catholica de sacrificio altaris illustrior euadat, ea nunc diluenda sunt, quæ contra eam ab aduersarijs obijciuntur. *S. Thom. vbi sup.*

Primum igitur conuellere tentant eam catholicorum probationem quæ sumitur ex sacrificio Melchisedech. Nam Genes. 14. dicitur Melchisedech protulisse, non obtulisse panem & vinũ. Quomodo etiam habent septuaginta interpretes; videlicet significantes ipsum Melchisedech ea attulisse Abrahę & copijs eius vt reficerentur. Quem sensum apertè Iosephus in antiquitatibus expressit. Et sequuntur Ambrosius lib. 4. de sacramentis cap. 3. & Epiphanius hæresi 55. & Chrysostomus in hunc Genesis locum. Deinde pro eo quod in vulgata editione legitur, *Erat enim sacerdos Dei altissimi*, tanquam ibi significetur causa sacrificij oblati, in Hebræo legitur, *Et erat*. In Græco, *Erat autem*. Quæ coniunctiones nullam habent causæ significationem.

Secundò quod dicitur in psalmo 109. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, negant referendum esse ad ritum oblationis, quia nimirum sicut Melchisedech panem & vinum obtulit, ita & Christus seruatis panis & vini speciebus corpus suum & sanguinem obtulerit, sed tantùm ad conditionem seu dignitatem personæ. Nam apostolus in epistola ad Heb. cùm in fine capitis 6. dixisset Iesum secundùm ordinem Melchisedech pontificem factum esse in æternum, consequenter id probans initio cap. 7. subiungit. *Hic enim Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi &c.* vbi de Melchisedech ea tantùm commemorat, quæ faciunt ad commendandam personæ eius dignitatem, atque in ijs Christum cum Melchisedech comparat, nulla ritus offerendi seu materiæ oblatæ facta mentione. Cùm igitur plena sit & solida probatio apostoli, consequens apparet in eo quod Christus dicitur sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, non ritum aliquem oblationis, sed personæ dignitatem tantùm spectari oportere.

Tertiò. Ex eadem ad Hebræos epistola solent & alia loca obijci. Nam cap. 7. & tribus sequentibus ita reijcit apostolus veteris legis sacrificia, vt in illorum locum tanquam quæ inualida & insufficientia fuerunt, velit vnicum crucis sacrificium tanquam solum efficax & sufficiens ad omnium peccatorum remissionem successisse; ita vt post sacrificium crucis nullum sit aliud requirendum sacrificium; nec præter summum & æternum pontificem Christum vllus sit alius agnoscendus in noua lege pontifex aut sacerdos. Id significare videntur hæc loca cap. 7. *Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, ideirco quòd morte prohiberentur permanere, Hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest &c.* vsque ad finem capitis. Et capite proximo. *Omnis pontifex ad offerendum munera & hostias con-*

tienitur: Vnde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat: si ergo esset super terram, necesset sacerdos. ex qua sententia apparet post sacrificium crucis nullum in terris relictum esse sacrificium quod offeratur. Deinde cap. 9. *Christus*, inquit, *assistens pontifex futurorum bonorum per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Et infrà: *Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit, exemplaria verorum; sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis: neque vt sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: Nunc autem semel in consummatione sæculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Qui locus apostoli, præterquam quod vnicam agnoscit & inculcat nouæ legis oblationem, videtur etiam apertè submouere sacerdotes intrantes in sancta in sanguine alieno. Demum cap. 10. idem alijs verbis repetens ait: *Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.* Deinde totam disputationem suam duabus his sententijs concludit: *Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos*, seu sanctificandos, &: *Vbi peccatorum remissio, iam non est oblatio pro peccato.* Vnde consequens videtur post consummatiuam illam oblationem quæ facta est in cruce, per quam omnis sit sanctificatio, & omnium peccatorum remissio, nullam statui debere aliam oblationem; vt quæ ad sanctificationem & peccatorum remissionem nihilo plus efficaciæ sit habitura, quàm omnis illa multitudo sacrificiorum veteris testamenti: de qua idem apostolus testatur, quòd nihil ad perfectum adduxit lex, nec possit vnquam accedentes perfectos facere, quodque reprobatio fiat præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem, vt habetur eiusdem epistolæ cap. 7. & 10.

Quartò ea obijciuntur quæ reiectis legalibus sacrificijs spiritualia nobis sacrificia ita commendant, vt simpliciter omne sacrificium externum tollere videantur, vt psal. 49. & 50. Isaiæ 1. & vltimo Osee 6. Matth. 9. Ioan. 4. 1. Petri 2. & passim alibi.

Quintò. Eucharistia tantùm instituta est ad hoc vt à fidelibus sumeretur in commemorationem passionis & mortis dominicæ. Nam institutio eius non aliud habet quàm. *Accipite, comedite, bibite.* Quod enim additur: *Hoc facite in meam commemorationem*, apostolus 1. Corinth. 11. non aliò refert quàm ad sumptionem, dum proximè subiungit: *Quotiescunque enim manducabitis &c.* Non est igitur instituta vt sacrificium vel oblatio.

Sextò. Patres non videntur in celebratione eucharistiæ aliud agnoscere quàm vnius sacrificij in in cruce peracti commemorationem seu repræsentationem, quam vocant mysticam immolationem, & Christum ibi dicunt non verè sed mysticè tantùm siue in sacramẽto immolari. Vnde Augustinus epist. 23. ad Bonifacium sic ait: Nonne semel immolatus est Christus in seipso? Et tamen in sacramento non solùm per omnes paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur, nec vtique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari. Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plærumque etiam ipsarum rerum no-

A mina accipiunt. Et cætera quæ ibi tum præcedunt tum sequuntur, vbi docet ita rectè dici Christum quotidie immolari, quomodo rectè dicimus Christum quotannis resurgere, nempe propter commemorationem rei olim factæ. Similis est apud eum locus in psalm. 21. expositione 2. Vtrumque verò citatur à Gratiano de consecrat. dist. 2. capitulis semel Christus & semel immolatus.

Sic & Chrysostomus homil. 17. in epist. ad Heb. vnicum esse dicit sacrificium, quia semel immolatus est Christus. Quod autem nos agimus, re-
B cordationem esse illius sacrificij. Verba ibidem à Gratiano citata sunt capitulo. In Christo, & à Magistro in textu. Hinc alibi rursum Augustinus sacrificium crucis vult esse vnicum & singulare sacrificium Christianorum, præter quod nullum habeant aliud vt lib. 7. de ciuit. cap. 31. lib. 10. contra Faustum cap. 18. & 21. lib. 1. contra aduersar. legis & prophetarum c. 18. 19. & 20. & serm. 29. de verbis Domini. Hoc etiam modo Fulgentius loquitur in lib. de fide ad Petrum cap. 1. & 19.

Postremò. Obijci nobis solent authores & institutores missarum post Christum, vt Iacobus, Basilius, Chrysostomus, & apud Romanos quidam
C Scholasticus author canonis. Eoque adducitur ex Gratiano capitulum, Iacobus frater Domini idque ex sexta synodo, vbi significatur, Iacobũ esse primũ missæ authorem, ex quo consequens esse volunt à Christo non esse hoc missæ sacrificium institutum.

Sed ad hæc obiecta ordine respondeamus. Ad primum respondetur vim argumẽtationis catholicorũ ex Genes. 14. non consistere in verbo, *obtulit*, tametsi ita habebat vetus translatio, pro quo Hieronymus vertit, protulit. Neque negant catholici Melchisedech attulisse panem & vinum in refocillationem Abrahæ & sociorum eius redeuntium ex
D prælio, tametsi Liranus putat & probabiliter ostendit huius intelligentiæ nullam esse necessitatem, sed docent Melchisedech protulisse panem & vinum non tantùm in epulum, sed etiam atque in primis in oblationem pro gratiarum actione Deo faciendam, cuius postea participes faceret reuersos ex prælio victores, quemadmodum legimus 1. Reg. 9. quæ priùs fuerant oblata Domino, apposita fuisse Sauli, & alijs conuiuis. Quod & in gentilium sacrificijs fieri solet. Hæc doctrina est omnium pa-
E trum, dum tradunt Melchisedech in hac oblatione panis & vini gessisse figuram sacerdotij Christi. Vnde & Hieronymus id quod post dictam sententiam proximè sequitur, ita vertendum putauit. *Erat enim sacerdos Dei altissimi*; nimirum intelligens ea sententia voluisse Moysen rationem reddere eius quod subintelligendum reliquit, Melchisedech non protulisse tantùm sed & obtulisse. Neque enim rarum est apud Hebræos coniunctionem copulatiuam rationalis vim habere, vt Isaiæ 64. *Tu iratus es, & nos peccauimus.* Genes. 22. *Nunc cognoui quod timeas Dominum, & non pepercisti &c.* psalm. 59. & 107. *quia vana salus hominis*, vbi in Hebræo est,
F *& vana &c.*

Ad secundum respondetur apostolo Paulo in epistola ad Heb. vbi comparat Christum cum Melchisedech, tantùm fuisse propositum explicare Christi dignitatem & excellentiam supra Moysen & Aaron. Ad cuius rei declarationem non magnopere faciebat similitudo ritus inter sacrificium Melchisedech & Christi. Quam ob causam apostolus omissa mentione ritus sacrificandi ea diligenter prosequitur quæ ad personæ commendationem faciebant. Deinde nec conueniebat, nec oportunum

erat

erat Paulum ad Iudæos, qui necdum satis erant primis christianę fidei rudimentis imbuti, scribentẽ, de mysterio sacramenti & sacrificij eucharistiæ disserere. Sic enim ipse dicit cap. 5. *De quo* (nempe sacerdote secundùm ordinem Melchisedech) *nobis grandis sermo & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Adde quòd nec huiusmodi secretissima religionis mysteria facile ab apostolis & proximis eorum successoribus scripto committi solebant. Neque verò ob id non plena aut parum solida videri debet apostoli probatio, quoniam ad id quod probare instituit, planè sufficit.

Pro tertii argumenti solutione sciendum est apostolum ijs locis disputantem contra iudæos, quorum multi legalia tanquam ad salutem necessaria mordicus adhuc retinebant, quasi videlicet illa per se ad salutem valuissent prioribus sæculis, studiosè discernere sacerdotium Leuiticum cum suis sacrificijs, à sacerdotio & sacrificio Christi. Discrimen autem hoc in eo statuit, quòd sacerdotium Leuiticum eiusque sacrificia consisterent in oblatione brutorum animalium, quæ per se nullo modo potuerit ánimas emundare à peccatis, aut perfectas reddere: cùm sit impossibile sanguine taurorum & hircorum auferri peccata, sed valuerit tantùm ad quandam emundationem & iusticiam carnis. Sacerdotium verò & sacrificium Christi consistat in effusione & oblatione sanguinis Christi, per quam semel factam possit anima semper sanctificari & omnium sæculorum peccata possint expiari. Quod cùm ita sit, docet nihil opus esse huius sacrificij repetitione, quin potius eiusdem repetitionem argumentum fore imbecillitatis & inefficaciæ eius, vti erat repetitio veterum sacrificiorum. Non enim illa iussa sunt vel quotidie vel quotannis iterari, vt per eorum oblationem tandem peccatum tolleretur, sed vt hac frequenti repetitione fieret assidua quædam professio & commemoratio peccati & præfiguratio oblationis sanguinis Christi, qua sola peccata verè remitterentur. Porrò manifestum est apostolum in hac vtriusque sacrificij collatione loqui de cruenta oblatione Christi, quæ facta est in cruce, quam ita docet ad expiationem peccatorum esse sufficientem, vt nulla vnquam eiusdem cruentæ oblationis repetitione opus esse possit: quia nimirum ad parandum precium peccatis totius mundi remittendis necessarium, vnica illa oblatio abundantissimè suffecit. Nam incruenta seu mystica oblatione corporis & sanguinis Christi quæ fit in missa, ex doctrina ecclesiæ non hoc agitur, vt per eam paretur precium quo redimantur peccata, sed vt precium vnico illo crucis sacrificio comparatum nobis ad remissionem peccatorum, cæteraque salutaria dona consequenda applicetur. Quare sicut vnicum illud sacrificium crucis non tollit vim baptismi & aliorum sacramentorum quibus renouamur, sanctificamur, à peccatis purgamur; imò sicut non derogat efficaciæ illius oblationis & orationis, qua Christus in cælis adhuc continuò semetipsum pro nobis sistit & offert patri, & continuò pro nobis interpellat, Rom. 8. Heb. 5. & 7. ita nec tollit incruentam oblationem sacrificij missæ, aut eius virtuti quicquam derogat. His constitutis non est difficile respondere ad loca quæ ex apostolo obijciuntur. Nam locus cap. 7. sempiternum sacerdotium Christo tribuens, non excludit sacrificium quotidianum ecclesiæ secundùm ordinem Melchisedech, sed potiùs comprehendit. Perpetuum est enim Christi sacerdotium, non ideo tantùm quia vnica eius oblatio in cruce facta quoad efficaciam semper durat, sed ob id quoque quia sacerdotium eius quatenus est secundùm ordinem Melchisedech in ecclesia continuatur, & à Christo per ministros ipsius personam gerentes exercetur vsque in finem sæculi. Locus autem cap. 8. hunc habet sensum. Si Christus non moreretur, non esset sacerdos. Iam enim alij erant sacerdotes qui secundùm legem hostias & animalium sanguinem offerrent. Vt igitur sacerdotio fungeretur, proprium sanguinem offerre debuit Deo patri atque ita mori eum oportuit. Nec per hoc tollitur sacrificium missæ, cuius sacerdotes non suum sed alienum sanguinem offerunt: quia sanguis semel cruentè oblatus ex ipsius Christi institutione deinceps incruentè offertur ministerio sacerdotum noui testamenti, idque in commemorationem oblationis illius cruentæ. Rursum ea loca quæ testantur Christum semel & non sæpius se obtulisse, de cruenta oblatione loquuntur, quæ per se valet ad omnem sanctificationem, non de incruenta quæ vim suam omnem habet ab oblatione crucis cuius est commemoratio. Denique illius sententiæ: *Vna enim oblatione &c.* hic est sensus: Quotquot omnibus sæculis sanctificantur, non nisi per vnam illam in cruce factam oblationem eamque independentem sanctificantur; quia videlicet Christus in cruce opus impleuit, cuius virtute sequitur omnis consummatio seu sanctificatio. Additur independentem quia etiam per sacrificium quod Christus obtulit in cœna, fit omnis sanctificatio, sed vt per sacrificium dependens à sacrificio crucis. Alterius verò sententiæ, *Vbi peccatorum remissio &c.* Sensus est: Post eam oblationem quæ ad omnium peccatorum remissionem per se efficax est, iam non est alia similis oblatio quærenda. Nihil tamen vetat aliam quæri per quam virtus illius nobis applicetur, sicut & requiruntur sacramenta.

Porrò quartum argumentum vti non conuincit de sacrificio crucis, ita nec de sacrificio missæ, cùm vtrumque sit externum. Commendat autem scriptura earum rerum oblationem quæ per se sunt Deo gratæ, cuiusmodi non erant quæ in veteri lege offerebantur, sed spiritus contribulatus, iustitia, misericordia, pietas, aliæque virtutes ac virtutum opera, cuiusmodi est etiam corpus & sanguis vnigeniti filij Dei quoad rem, non semper tamen quoad actionem.

Quod ad quintum attinet, suprà suo loco satis expositum est, quid præcipiatur ijs verbis: *Hoc facite &c.* quod & patres Tridentini cap. 1. sess. 22. declararunt; apostolus autem non totum illud exponit, quod in verbo, *facite*, continetur, sed ex parte tantùm, quatenus illi ad Corinthiorum vulgus scribenti satis erat.

Ad sextum respondemus patres immolationem sæpe intelligere, non quamcunque sacrificij oblationem, sed mactationem seu occisionem offerendi causa factam, atque hoc sensu non vera sed mystica tantùm ab ijs agnoscitur immolatio in altari, quam vocant immolationem incruentam. Sic ab Augustino & Chrysostomo dicitur, ideo Christum in missa immolari quòd eius passio & mors per quandam repræsentationem in ea commemoretur. Dum autem patres sacrificium crucis vnicum & singulare sacrificium christianorum esse dicunt, per antonomasiam sacrificium intelligunt, quod propria virtute Deum placat, quale non est sacrificium missæ, vtpote vim suam omnem habens ex sacrificio in cruce peracto.

A Ad postremum facilis est responsio Iacobum & Basilium eo loco recenseri tanquam authores officij, seu certarum precum & ordinis qui in celebratione sacrificij missæ seruatur. Composuerunt enim liturgias, quemadmodum & post eos Chrysostomus & alij nonnulli fecerunt. Imò tale aliquid ipse Paulus promittere videtur cùm dicit: *Cætera cùm venero disponam*, vt indicat Augustinus epist. 118. cap. 6. Quare sicut Paulus eius quod à Domino se accepisse testatur, ordinem & ritum celebrandi apud Corinthios constituit; ita & alios tum apostolos B tum eorum successores alibi fecisse existimandum est, ijs dumtaxat exceptis quæ per vniuersam ecclesiam similiter obseruanda ab apostolis decreta fuerunt.

§. 14. *Vocabuli Missæ origo & significatio.*

S. Tho. 3 p. q. 83. ar. 4 ad 9.

MIssæ vocabulum quo sacrificium altaris catholico more significatur, haudquaquam recens est, sed iam olim à patribus etiam antiquio- C tibus vsurpatum. Nam vt Gregorium Romanum qui homil. 8. & 21. in euangelia & interdum alibi hoc vocabulo vtitur, nunc missam vel missas, nunc missarum solennia nominans, atque alios eo posteriores omittamus, ante eum hoc vocabulo in hac significatione vsi sunt Epiphanius Scholasticus, Vigilius papa in epist. ad Eleutherium cap. 5. Felix 4. epist. 1. cap. 1. Et ante hos toto ferè seculo Leo papa epist 81. & Augustinus serm. 237. de tempore & tres synodi Carthaginensis 2. cap 3. Mileuitana cap. 12. & Agathensis cap. 21. Ac rursum his antiquiores Ambrosius epist. 33, D & Damasus in Sixto Alexandro & Telesphoro. Verùm & ante istos eiusdem vocabuli meminerunt in suis decretis. Fabianus, Soter, Pius, Higinius & Alexander Romani pontifices, qui non ita longè à temporibus apostolorum abfuerunt. Legitur quidem etiam apud Ignatium in epistola ad Smyrnenses & Clementem Romanum epist. 2. & Dionysium ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 5. sed cùm illi Græcè scripserint, vox illa interpretum est, non authorum.

Porrò quod sit huius vocis ἔτυμον & origo non E vno modo sentiunt scriptores. Caluinus qui vetustatem huius vocabuli negare non potest, comminiscitur dictum esse à mittendis muneribus, eò nimirum spectans, vt eucharistia non Deo offerri sed ab hominibus inuicem honoris aut pietatis causa mitti solita existimetur; perinde atque alia munera inter amicos vltro citroque mitti solent: nempe vt hac solùm ratione eucharistia à veteribus etiam oblatio dicta videatur, quia, vt inquiunt, non Deo offertur sed hominibus. Sed hæreticum est commentum.

Quidam Catholicorum missam putant dictam F à vocabulo Hebræo Missah quod legitur Deuter. 16. pro quo interpres noster reddidit oblationem. Sed hæc sententia parum habet probabilitatis. Primùm quia vocabulum Hebræum neque sacrificium significat, neque omnino oblationem quæ Deo fiat, sed munus quale regi vel principi offerri solet, vel potiùs tributum quale à libertis in gratam recordationem libertatis donatæ offertur patrono. Præcepit enim Dominus eo loco Israëlitis, vt in die festo hebdomadarum post collectam messem epulum exhibeant viduis & peregrinis in memoriam liberationis suæ è seruitute Aegyptiaca, vt sit hoc eis annuum epulum instar tributi cuiusdam perpetui. Vocabula autem quæ apud Hebreos sacrificium vel oblationem propriè significent, sunt ab hoc vocabulo planè diuersa. Deinde si missa vox Hebræa esset, iam non Latini tantùm sed & Græci ea voce vterentur, sicut vtuntur his vocibus, Amen, Halleluia, Hosianna &c. At ea nusquam vsi leguntur, sed suis dumtaxat proprijs, vt liturgia, hierurgia & similibus.

B Alij vt Hugo à sancto Victore & Magister sententiarum dictam putant missam tanquam hostiam à sacerdote in cœlum transmissam. Hugonis lib. 2. de sacramentis parte 8. cap. 14. hæc sunt verba. Missa dicitur hostia & oblatio quæ per sacerdotem qui inter Deum & populum mediator est, ad Deum transmittitur. Similibus vtitur verbis Magister distinct. 24. huius libri. Verùm huius deriuationis fundamentum nullum extat apud veteres.

Quare illorum maximè nobis probatur sententia, qui missam tanquam missionem, id est, dimissionem dictam volunt. Sicut enim apud vetustiores patres Latinos remissa interdum posita C legitur pro remissione, vt apud Cyprianum lib. de bono patientiæ & alibi; ita missam vsurpauerunt pro missione, hoc est dimissione. Quod enim mittere sæpe pro dimittere sumatur, nemo ignorat latinè peritus. Hanc illius vocis esse originem satis apparet ex regula S. Benedicti, in qua subinde post præscriptum officium diuinum subiungitur, Missæ fiant, hoc est, officio finito fiat dimissio fratrum, vt cap. 9. 12. 13. 16. & 17. Et apud Cassianum lib. 3. de institutionibus monasticis cap. 7. & 8. vbi nominat missam congregationis & vigiliarum.

D Erat autem antiquitus duplex missa seu dimissio circa sacrificium. Prior fiebat post euangelium & symbolum, atque hæc vocabatur missa catechumenorū, quia tunc catechumeni quibus nō licebat interesse mysterijs, dimittebantur. Huius apertè meminerunt concilium 4. Carthaginense cap. 84. & Valentinum can. 1. & Augustinus serm. 237. his verbis: Ecce post sermonem fit missa catechumenis, manent fideles. Hanc missionem denunciabat diaconus dicens: Si quis non communicat, det locum, vt refert Gregorius lib. 2. dialog. cap. 23. vel E hoc modo. Si quis est catechumenus, exeat foras, vt Isidorus & Durandus in rationali diuinorum annotarunt. Altera missa erat quando peracto sacrificio populus dimittebatur. Cuius dimissionis Hieronymus meminit in Matth. 25. his verbis: Vnde reor & traditionem apostolicam permansisse, vt in die vigiliarum paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat expectantes aduentum Christi, & postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta festum cunctos agere diem. Sic ille. Hinc igitur fit vt in diebus lætitiæ quando post sacrificium non continuatur oratio, dicat diaco- F nus. Ite, missa est, quasi diceret, dimissio est, licet abire. Cuius loco in diebus pœnitentiæ quando finito sacrificio adhuc protrahitur oratio, dicitur, Benedicamus domino. Posterior hæc dimissio vocabatur missa fidelium, à qua deinde tota sacrificij actio missæ nomen accepit; ea ratione qua interdum à parte totum nominatur, maximè ob vocem diaconi peracto sacrificio omnium auribus insonantem: Ite, missa est. Huius denominationis testes sunt Isidorus, Durandus & alij qui diuinorum officiorum rationes ediderunt.

Ex his

Ex his quoque colligere licet missam vsu Christianorum non nudè significare sacrificium, sed totam sacerdotis actionem multis partibus constantem qua circa sacrificium occupatur: nimirum comprehensis etiam ijs quæ canonem præcedunt & sequuntur, vt introitu, lectione epistolæ & euangelij, orationibus & alijs quæ pro digna & honorifica celebratione tanti mysterij sunt instituta.

§. 15. *Sacrificium missæ esse propiciatorium & pro quibus causis & personis offerendum sit.*

S. Tho. 3. p. q. 83. ad art. 1.

SAcrificium missæ non tantùm eucharisticum est, id est, ad referendam gratiarum actionem institutum, tametsi peculiariter eucharistia vocetur; nomine videlicet accepto à prima & præcipua oblationis causa, sed propiciatorium quoque est, imò ad omnia quæ rectè à Deo petuntur, impetranda valet: neque tantùm pro quacunque causa sed & pro omnibus hominibus viuis & defunctis qui nostræ orationis possunt quocunque modo fieri participes, bene & salubriter offertur. Rationem indicant patres Tridentini sess. 22. cap. 2. quia in hoc sacrificio idem ille Christus continetur & incruentè immolatur qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit. Cuius quidem oblationis cruentæ fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur, tantum abest vt illi per hanc quouis modo derogetur. Quare, inquiunt patres, non solùm pro viuorum fidelium peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis ritè iuxta apostolorum traditionem offertur, quam rursum doctrinam sub anathemate confirmant can. 3.

Probatur autem primùm, quia, vt Augustinus ait lib. 17. de ciuitate cap. 20. Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech quod Christus exhibuit de corpore & sanguine suo, successit omnibus illis sacrificijs veteris testamenti quæ immolabantur in vmbra futuri. Propter quod etiam vocem illam in psalm. 39. eiusdem mediatoris per prophetam loquentis agnoscimus: *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi*: quia pro illis omnibus sacrificijs & oblationibus corpus eius offertur & participantibus ministratur. Sic ibi Augustinus. Similiter autem loquitur contra aduersar. legis & prophetarum lib. 1. cap. 18. & 19. Vnde sequitur sacram eucharistiam offerri posse ad omnem finem, ad quem omnis illa veteris legis sacrificiorum varietas fuit instituta. Quàm autem variæ fuerint causæ illa offerendi, vt pro peccatis, pro salute, pro auertenda peste, bello, fame & alijs quibuscúque malis, manifestum est veteris instrumenti scripturam euoluenti. Quare pro his omnibus causis offerenda est & eucharistia.

Deinde ex eo confirmatur, quia ad Timotheum scribens apostolus 1. 2. iubet fieri orationes, obsecrationes gratiarum actiones & postulationes, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Quem locum Augustinus epist. 59. quæst. 5. & Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius in suis commentarijs de ijs precibus interpretantur, quæ complures & variæ solent in celebratione mysteriorum recitari.

Præterea Act. 13. legitur ecclesiam quæ erat Antiochiæ ministrasse, id est, sacrificasse Domino adiuncto etiam ieiunio, vt mitteret Deus idoneos ministros in opus euangelij. Quin & ex euangelijs ostendi potest hoc sacrificium salutare & propiciatorium esse. Nam apud Lucam in Græco sic legitur: *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur*, & apud Paulum, *quod pro vobis frangitur*. Effusionem quoque sanguinis quam verba consecrationis referentes in præsenti posuerunt tres euangelistæ, Lucas etiam calici seu poculo manifestè attribuit dicens, *quod pro vobis effunditur*. His adde generalem hanc apostoli sententiam Heb. 5. *Omnis pontifex ex hominibus assumptus constituitur vt offerat dona & sacrificia pro peccatis*,

Idem porrò testantur publicæ orationes ecclesiæ inter solennia missarum, quæ partim sunt eucharisticæ, partim ea petentes per sacrificium offerendum vel oblatum concedi quæ fidelium saluti sunt necessaria; cuiusmodi in primis est propiciatio peccatorum. Vnde in canone missæ dicitur hoc sacrificium offerri pro redemptione animarum, pro spe salutis & incolumitatis fidelium, & in quadam secreta oratione quæ legitur dominica nona post pentecosten, dicitur quòd quoties huius sacrificij commemoratio peragitur, opus nostræ redemptionis exercetur; ac rursum in alia quæ legitur pro commemoratione quatuor coronatorum octaua Nouembris, orat sacerdos vt munera proposita sacramentum redemptionis efficiantur.

Et Epiphanius in epistola ab Hieronymo versa ad Ioannem Hierosolymitanum, quæ apud Hieronymum est sexagesima, de celebrandis mysterijs loquens dicit, quòd in hac parte ministerij sit præcipua salus christianorum.

Clarissimè verò Gregorius de hac re scribit lib. 4. dialog. cap. 55. & sequentibus, vbi inter cætera docet propterea propiciatorium esse hoc sacrificium, quia mortem vnigeniti nobis per mysterium reparat, qui licèt sit immortalis, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Et infrà, Pensemus, inquit, quale sit hoc pro nobis sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti filij semper imitatur. Rursum homil. 37. in euangelia, cùm hortaretur ad sacras hostias offerendas pro peccatis ita subiunxit: Singulariter namque ad absolutionem nostram oblata cum lachrymis & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur; quia is qui in se resurgens à mortuis iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus. Et alia quæ sequuntur.

Quocirca rectè docet Tridentina synodus sess. 22. cap. 2. sacrificium istud verè propiciatorium esse, per ipsumque fieri vt si cum vero corde & recta fide, cum metu & reuerentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, vt ibidem sequitur, gratiam & donum pœnitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittit.

Ad alios præterea salutares effectus hoc sacrificium valere præter suprà dicta satis ostendit perpetua ecclesiæ traditio publicis eius orationibus consignata. Vnde beatus Augustinus epist. 110. populum monet celebrandum esse sacrificium pro felici successione episcopatus, & lib. 22. de ciuitate cap.

8. commemorat quodam loco fuisse sacrificium oblatum aduersus infestationes dæmonum. Et vetus consuetudo obtinet pro bono & felici successu cuiusque rei, operis, congregationis, seu concilij, officij seu functionis publicæ & aliorum similium quæ sint magni momenti, offerri & subinde repeti ac frequentari missæ sacrificium.

Denique in honorem & memoriam sanctorum ac præcipuè martyrum solere ecclesiam missas celebrare fatetur Tridentina synodus cap. 3. dictæ sess. non ita quidem vt ijs sacrificium offerat; quod vsque adeo non licet vt nec Christo secundùm formam serui sacrificandum sit teste Augustino lib. 10. de ciuitate cap. 20. sed quia Deo de illorum victorijs gratias agens eorum patrocinia implorat. Vnde & tale sacrificium partim eucharisticum, partim propitiatorium existit. Meminerunt autem illius consuetudinis Augustinus lib. 8. de ciuit. cap. 27. & apud Eusebium Constantinus in oratione ad cœtum sanctorum cap. 12.

Iam quod ad personas attinet pro quibus offerendum est, partim id quoque ex dictis est manifestum; videlicet offerri posse hoc sacrificium pro omnibus hominibus. Cùm enim durante hac vita de nemine sit desperandum, sed pro quocunque vt saluus fiat, rectè oretur, nihil autem orando impetremus nisi per Iesum Christum & hunc crucifixum, id est in cruce pro nobis oblatum, atque huius oblationis commemoratiuum sit eucharistiæ sacrificium, sanè consequens est pro omni homine eucharistiam offerendam esse. Hinc est quòd apostolus 1. Timoth. 2. monet in celebrandis mysterijs (quomodo suprà ostendimus eum locum à patribus fuisse expositum) orandum esse non tantùm pro fidelibus, sed pro omnibus hominibus, etiam pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, quorum plærosque constat illo tempore fuisse infideles & fidelium persecutores.

Sic enim & olim à sacerdotibus veteris legis factitatum fuisse testatur scriptura. Nam in libris Baruch & Esdræ legimus pro Nabuchodonosor & filijs eius alijsque regibus infidelibus oblata fuisse sacrificia, & 2. Machab 3. pro Heliodoro. Item S. Iob cap. vltimo pro amicis suis iubetur offerre sacrificium. Quo eius facto significatum fuit ecclesiam pro hæreticis orare & sacrificare vt exponit Gregorius lib. 23. moral cap. 1. Tale sacrificium Cyprianus quoque innuit in epistola ad Demetrianum his verbis: Pro pace ac salute vestra propiciantes ac placantes Deum.

Idem abunde testantur orationes ecclesiæ quas sacerdos ante & post sacrificium recitat quarum aliæ sunt generaliter pro inimicis, aliæ pro quibusdam errantibus, aliæ pro regibus siue fideles sint siue infideles, aliæ pro persecutoribus ecclesiæ. Nec verò dubium est etiam pro excommunicatis sacrificandum esse, vt deposita animi contumacia conuertantur & redeant ad gremium matris ecclesiæ, licèt tam eorum quàm aliorum ecclesiæ hostium nomina à sacrificante iuxta veterem ecclesiæ disciplinam, exprimi non debeant.

Quòd si autem pro ijs qui adhuc à societate sanctorum sunt alieni, rectè sacrificium offert ecclesia, vt sanctis & electis Dei aggregentur, multò magis id facere debet pro fidelibus in fide & charitate defunctis, qui adhuc propter peccata quæ hîc mundare & plenè redimere neglexerunt, purgatione & satisfactione indigent, quandoquidem & pro ijs orare, ieiunare, eleëmosynas largiri & alia pietatis opera exercere semper in ecclesia consue-

A tum & frequentatum fuit. Pro quibus enim hæc rectè fiunt, ij à fructu sacrificij minimè debent excludi: quoniam, vt diximus, hoc eucharistiæ sacrificium commemoratiuum est sacrificij crucis, à quo omne salutare bonum profluit.

Hanc sanam & catholicam doctrinam monstrat perpetua ecclesię consuetudo, non modò ab apostolis deducta, vti testantur Tertullianus in libro de corona militis, Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 1. & serm. 32. de verbis apostoli, & Chrysostomus homil. 69. ad populum Antioche-
B num & homil. 21. in Acta, & homil. 3. in epist. ad Philipp. verùm etiam à fidelibus veteris testamenti obseruata. Nam 2. Machab. 12. Iudas Machabæus dux & pontifex populi Iudaici iussit Ierosolymis oblationes fieri pro peccatis mortuorum qui cum pietate dormitionem acceperant. Vnde meritò Aërius qui negabat oblationes esse faciendas pro defunctis, cum sectatoribus suis inter hæreticos relatus est, vt apud Epiphanium & Augustinum de hæresibus scribentes videre licet.

Testimonia patrum & conciliorum quibus hæc doctrina roboretur, quoniam legentibus passim obuia, & ab alijs diligenter sunt collecta, stu-
C dio breuitatis omittimus.

§. 16. *Argumenta doctrinæ superiori in speciem contraria dissoluuntur.*

NVnc ea dissoluenda sunt quæ superiori doctrinę solent à contradicentibus opponi. Sunt autem huiusmodi.

Primum. Christus hoc sacrificium instituens
D non aliam attulit causam quàm, commemorationis seu gratæ recordationis dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, id est, in memoriam passionis & mortis meæ, vt Paulus interpretatur, igitur non alia est agnoscenda causa.

Secundum. Apostolus Hebr. 10. testatur Christum vna oblatione consummasse in sempiternum sanctificandos; loquitur autem de oblatione facta in cruce, ergo oblatio eucharistiæ non sanctificat, sed fit ob meram commemorationem.

Tertium. Ibidem dicit apostolus: *Voluntariè*
E *peccantibus iam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis quædam expectatio iudicij &c.* ergo eucharistia saltem pro voluntariè peccantibus offerri non poterit.

Quartum. Plena & perfecta redemptio omnium peccatorum semel in cruce facta est dicente apostolo in eadem epistola Heb. 9. quod *Christus per sanguinem suum introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta*, non ergo iteratur redemptio per sacrificium altaris. Quæ consequentia manifesta videtur, quia redemptio est precij solutio, & proinde plena redemptio est plena persolutio precij post
F quam nihil vlterius iustè potest exigi.

Quintum. In sacrificio missæ offertur sacramentum vnitatis, ergo tantùm pro ijs offerendum est qui sunt in vnitate corporis Christi. Quæ ratio firma videtur, quoniam inde probatur eucharistiam non debere sumi nisi ab ijs qui membra sunt corporis Christi, quia sacramentum est vnitatis.

Sextum. Aperta est Augustini sententia lib. 1. de origine animæ cap. 9. Quis offerat corpus Christi nisi pro his qui membra sunt Christi?

Septimum. Idem Augustinus lib. 4. de trinit. cap. 14. negat sacrificium rectè offerri, nisi ab ijs accipiatur pro quibus offertur; ex quo consequens videtur offerendum esse pro ijs tantùm qui de eo participant.

Octauum. Chrysostomus homil. 3. in epist. ad Philipp. non vult pro catechumenis defunctis offerri sacrificium altaris, sed tantùm suadet dari pro ijs eleemosynas.

Nonum. Canon missæ non meminit infidelium.

Decimum. Similiter concilium Tridentinum sess. 22. cap. 2. tantùm meminit fidelium ac rursum cap. 6. hac addita quasi ratione; qui ad corpus Christi pertinent.

Vndecimum. Odo Cameracensis in canone missæ dist. 3. de hoc sacrificio ita scribit: Acceptatur pro sanctis, non acceptatur pro impijs. Pios adiuuat, impios damnat; pijs prodest ad salutem, nocet impijs ad damnationem.

Duodecimum, & postremum: Sacrificium missæ valet ex opere operato perinde atque sacramenta, atqui sacramenta ponentibus obicem non sunt conferenda, ergo hoc sacrificium pro ijs qui obicem ponunt; cujusmodi sunt omnes impij & infideles, non est offerendum; & si offeratur, nihilo magis prodest quàm sacramentum ei collatum qui obicem posuerit.

Ad hæc obiecta sic ordine respondemus. Quod primo loco adfertur, dupliciter solui potest. Nam & quod sumitur falsum est, & consequentia viciosa. Suprà enim ostendimus, secundùm id quod constanter habent omnia Græca exemplaria in tribus euangelistis & Paulo, Christum eucharistiam instituentem testari, quòd ibi corpus eius datur & frangitur pro nobis; quodque sanguis seu poculum sanguinis funditur in remissionem peccatorum. Non ergo solius meminit cõmemorationis, ne quidem in eo quod dicit: *Hoc facite in meam cõmemorationem*. Dicens enim: *Hoc facite*, præcipit ea verba dici quæ significant propiciationem. Quod etsi solam commemorationem nominasset, non per hoc alias causas exclusisset. Commemoratio enim nominata est tanquam prima & præcipua oblationis causa per quam ad Dei gloriã hæc actio sacra refertur. Sed hæc causa etiam alias mox secũ trahit. Dum enim grato animo præstitã redemptionẽ agnoscere nos testamur, non possumus non simul etiam eiusdem redemptionis efficaciam & operationem petere, in quibuscunque nos ea indigere cognouerimus. Vnde ecclesiæ oratio dominicadecima post pentecosten vtrumque coniunxit his verbis: Tibi domine sacrificia dicata reddantur, quæ sic ad honorem nominis tui deferenda tribuisti, vt eadem remedia fieri nostra præstares.

Secundi argumenti solutio paret ex suprà dictis. Sola enim oblatio facta in cruce fons est omnis sanctificationis omnium seculorum, per se sanctificans omnes quotquot sanctificantur. Verùm sicut effectus ille sanctificationis applicatur hominibus per baptismum & alia sacramenta, sic & per sacrificium missæ; quod proinde non per se, sed per illud in cruce oblatum sacrificium operatur sanctificationem, quomodo baptismus & alia sacramenta nos mundant in sanguine Christi.

Tertium argumentum non minùs concludit de sacrificio crucis quàm eucharistiæ. Quare dicimus sensum apostoli hunc esse: Relapsis post baptismum in grauia peccata, iam non licet iterum baptizari, & ita simul & semel absolui à culpa &

A pœna. Hoc enim est relinqui hostiam, quæ nimirum simpliciter & absque vlla conditione satisfactionis tollat omnem peccati reatum; vti fit in baptismo. Relinquitur autem ijs & remanet terribilis quædam expectatio iudicij &c. id est, dura & laboriosa satisfactio, quæ est exemplum quoddam terribilis iudicij à Deo exercendi in impios. Hunc sensum confirmat eiusdem epistolæ similis locus cap. 6.

Ad quartum respondetur redemptionem plenissimam in cruce factam certis modis & medijs nobis applicari, vt per fidem, sacramenta, sacri-
B ficium altaris. Vnde nec dicendum est quòd iteratur redemptio semel in cruce facta per hoc sacrificium sed applicatur tantummodo. Neque aliud sibi vult concilij Tridẽtini sententia qua dicitur sacrificium missæ rite offerri pro peccatis, pœnis & satisfactionibus nostris. Non enim in sacrificio incruento soluitur precium aut fit satisfactio pro peccatis, cùm nulla sit ibi passio; sed passio facta in cruce tanquam precium & satisfactio plenissima nobis ad tollendam culpam, vel etiam pœnas restantes per missæ sacrificium applicatur. Igitur in
C cruce facta est plena & perfecta redemptio quoad sufficientiam, non quoad effectum ipsum redemptionis, qui partim præcessit, partim sequitur adhibitis instrumentis à Deo institutis, per quæ passio crucis applicetur. Inter quæ vnum & præcipuum est sacrificium missæ.

Ad quintum respondendum eucharistiam non offerri vt sacramentum, sed vt sacrificium. Quoniam ergo sacramentum est vnitatis, sumi non debet nisi ab ijs qui Christo per charitatem sunt vniti. Quatenus autem est sacrificium tam potest
D offerri pro impijs in altari, quàm pro ijs oblatum fuit in cruce. Quod si alicubi vocetur sacrificium vnitatis, id non minùs verè dicitur de sacrificio crucis, quia scilicet vtriusque effectus est hominem reconciliare & vnire Christo, non quia pro solis Christo iam vnitis offertur, sicut ab ijs solis in sacramento rectè sumitur.

Ad Augustini verba sexto loco allata alij aliter respondent, sed verus Augustini sensus ex loci circumstantia patet. Loquitur enim de oratione & oblatione pro defunctis, qui nisi membra sint Christi, id est nisi in charitate discesserint, nec orationes nec oblationes pro ijs fieri debent. Vnde &
E proximo cap. similiter de defunctis loquens dicit quòd nec illa quæ in lib. 2. Machabæorum commemorantur sacrificia facta pro peccatoribus mortuis, eis aliquid profuissent, si circumcisi non fuissent; quia nimirum absque circumcisione non poterant iustificari, atque ita cum pietate dormitionem accipere. Quod autem pro infidelibus & persecutoribus adhuc viuentibus offerendum sit hoc sacrificium, apertè ex apostolo 1. Timoth. 2. docet Augustinus in epist. 59. quæst. 5.

Quod septimo loco rursus ex Augustino obijcitur quo sensu dictum sit, infrà declarabitur, vbi
F de missis priuatis agetur.

Ad octauum respondetur Chrysostomum de ijs loqui catechumenis qui non in fide viua decesserint. Hunc enim sensum verba proximè præcedentia manifestè exigunt, loquitur autem de catechumenis quales plærique tunc erant, nempe differentes baptismum de anno in annum quò liberiùs voluptatibus suis vacarent nondum suscepto baptismo. Quos in tali statu decedentes perire non est dubium, idque expressiùs etiam testatur idem Chrysostomus homil. 24. in Ioan. In eo autem

quod dicit tales saltem ex eleemosynis pro ijs datis A aliquid percipere refrigerij, non est recipienda eius sententia.

Ad nonum dicimus canonem missæ non quidem expresso nomine infidelium meminisse, sed tamen dum regis aut principis meminit (quem hodie multi christiani habent hæreticum aut infidelem, atque olim etiam habuerunt) satis significare quòd oblatio fieri possit pro infidelibus. Adde quòd mentalis modus orandi per memento, vt ait Ioannes Gerson super cantico Virginis, institutus videatur, vt etiam ijs sacrificij fructus impetretur, qui indigni sunt nominari, cuiusmodi maximè sūt B excommunicati, de quibus dicit Bernardus lib. de gradibus humilitatis in fine: Videtint in quanto periculo sint, pro quibus ecclesia publicè orare non audet.

Ad decimum respondetur Tridentinum concilium eo loco satis innuere, quòd etiam pro impijs & infidelibus offerendum sit, quando dicit dominum huius sacrificij oblatione placatum concedere donum pœnitentiæ & peccata etiam ingentia dimittere. Item in eo quod dicit illius cruentæ oblationis fructus per hanc incruentam vberrimè percipi. Per hoc enim significantur cuiuscunque generis effectus qui expectantur à cruce Domini, percipi posse per missæ sacrificium. Cur autem in eo C capite tantùm mentio fiat fidelium & pœnitentium, ea ratio est; quia illo capite docet synodus sacrificium missæ esse propiciatorium, id est, valere ad remissionem peccatorum. Remissio autem peccatorum prærequirit fidem & pœnitentiam. Vnde probat propiciatorium esse, quia per ipsum fit, vt si cum vero corde & recta fide contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur &c.

An autem ad ipsam fidem infidelibus impetrandam valeat, diuersa quæstio est, de qua synodus ibi non agit, satis tamen indicat, quando dicit per illam oblationem concedi donum pœnitentiæ. Hoc enim infidelibus impetrari non potest, nisi prima impetretur fides, quæ vtique ad eundem ordinem pertinet salutarium bonorum.

Ad vndecimum verba illa non de omnibus pro quibus offertur, intelligenda esse, sed de offerente si sit malus. Ita enim præcedit: Quid ergo oramus fieri acceptabilem hostiam quæ non potest displicere? Sed quæ acceptabilis est per se, displicet E pro offerente. Et rursum: Quem Deus non nouit, nec oblationem eius recipit.

Ad postremum respondetur quamuis difficultatem nonnullam habeat, quomodo hoc sacrificiū valeat ex opere operato, aliud tamen esse indicium de sacramentis quàm de sacrificio. Sacramenta enim vt suscipiantur, debitam ex Dei institutione præparationem requirunt, quæ si desit ad salutem non prosunt. Sacrificium verò vt ei prosit pro quo offertur, non necessariò requirit aliquam in eo præparationem, quia per ipsum etiam initium fidei, conuersionis & bonæ voluntatis impetratur. Vnde F hac parte multò magis ei competit valere ex opere operato, quàm sacramentis.

§. 17. *Missas quæ priuatæ vocantur rectè fieri in Ecclesia.*

PRopriè quidem nullum missæ sacrificium secundùm ecclesiæ intentionem celebratum, priuatum dici debet, sed vnumquodque multis rationibus publicum & commune est ac dici potest, vti patres Tridentini concilij sess. 22. cap. 6. significant. Primùm quia semper offertur in gratiarum actionem pro morte Domini, quæ publicum est beneficium. Deinde quia semper offertur pro salute totius populi fidelis. Tertiò quia semper offertur, quomodo Christus totius populi christiani princeps offerendum instituit. Quartò quia offertur per publicum ecclesiæ ministrum, qui nimirum publica authoritate ex publica Dei institutione ad hoc deputatus sit. Et postremò quia à communione sacramenti saltem spirituali nemo prorsus in vllo ecclesiæ sacrificio excluditur. S.Tho. 3. p. q. 83. ar. 5. ad 12.

Veruntamen vsus in ecclesia obtinuit, vt quædam missæ priuatæ dicantur, vel quòd in ijs solus sacerdos sacramentaliter communicet; vel potiùs quia non fiunt in solenni & publico fidelis populi conuentu, sed extra huiusmodi conuentum, siue in ecclesia ad quam alioqui solet populus conuenire, siue in priuato oratorio aut simili quopiam loco. Quæ enim in conuentu publico celebrantur, eas in canonibus missas publicas vocatas legimus, siue in ijs ex populo aliqui communicarent, siue non, quemadmodum contrà quæ sine publico conuentu fiunt, priuatæ dictæ sunt, etiamsi fortè in ijs aliqui communicarent.

Vtriusque autem generis priuatas missas tam quæ fiunt absque publico conuentu, quàm in quibus solus communicat sacerdos, iam olim & ab initio in vsu ecclesiæ fuisse, ideoque immeritò à sectarijs reprehendi, facile ex antiquitate ostenditur. Refert Gregorius magnus homil. 37. in euangelia Cassium Narniensem episcopum instante morte in oratorio sui episcopij celebrasse. Idemque lib. 2. epist. 9. mandat Castorio episcopo Ariminensi vt matronæ cuidam religiosæ oratorium consecret, prohibens interim ne in eo fiant missæ publicæ aut baptisterium construatur.

Augustinus lib. 22. de ciuitate, cap. 8. narrat in domo quadam rustica quam maligni spiritus inquietabant, oblatum sacrificium illi malo remedium attulisse. Quo loco & alia narrat eodem spectantia. Idem in epist. 23. ad Bonifacium testatur Christum omni die populis immolari, quotidiano videlicet missæ sacrificio. Et tamen alibi vt epist. 118. cap. 2. magis placere sibi dicit, vt fideles populus diebus tantùm dominicis communionem percipiat quàm quotidie. Sæpe igitur offerebatur sacrificium populo non communicante.

Paulinus quoque de sancto Ambrosio in vita eius refert, quod Romæ rogatus in quibusdam priuatis ædibus sacrificium obtulerit. Sed & Prudentius priuati sacrificij meminit in hymno de sancto Hypolito.

Inter Græcos Chrysostomus homil. 3. in epistolam ad Ephes. & homil. 61. ad populum Antiochenum increpans populi negligentiam quòd ad communionem rarius accederent, testatur tamen se quamuis deessent qui communicarent, à celebrando sacrificio non abstinuisse.

Gregorius

Gregorius Nazianſenus, vti refertur lib. 9. hiſtoriæ tripartitæ cap. 8. Conſtantinopoli cùm eſſet, in paruo quodam oratorio ſacra celebrabat.

Ioannes quoque Alexandrinus patriarcha, vt in vita eius ſcribit Leontius, aliquando dixit ad plebem: Ego propter vos deſcendo in ſanctam eccleſiam. Nam poteram mihi facere miſſas in epiſcopio.

Soter pontifex Romanus his multò antiquior in epiſtola decretali hoc tantum præcipit, vt nullus presbyter miſſarum ſolennia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ibique reſpondentibus, nihil addens de communione. Et tamen hoc ipſum poſtea moderauit Maguntienſe concilium can. 41. tantùm requirens vnius miniſtri præſentiam, qui ſacerdoti poſſit reſpondere.

Et vt ex antiquioribus concilijs aliquid proferamus. Agathenſe concilium can. 14. permittit etiam extra parochias oratoria haberi, in quibus miſſæ celebrentur pro familia quapiam primara. Et can. 31. nihil aliud à laicis exigit, quàm vt miſſas die dominico totas audiant, & ante benedictionem egredi non præſumant. Quod idem ſtatuit Arelianenſe concilium can. 28. Quos canones cum aliquot alijs eodem pertinentibus recitat Gratianus de conſecrat. diſtinct. 1. Et ſanè ſi ſacrificium offerre non liceret, niſi qui adſunt, etiam communicarent, non rectè Fabianus pontifex ibidem à Gratiano citatus cap. Etſi non, & Elibertinum concilium ibidem diſt. 2. omnis homo, & Toletanum primum cap. 13. probaſſent fideles certis tantùm temporibus communicantes, quos quidem per hoc nullo modo intendunt à quotidiano ſacrificio, quò minùs illi interſint, arcere.

Vnde pro hac doctrina talis ratio inſtitui poteſt: Chriſtus nuſquam præcepit, vt ſacerdos non niſi cum populo communicet, nec niſi in cætu populi ſacrificet. At neque apoſtoli tale aliquid præcepiſſe inueniuntur, & proinde ſemper in eccleſia Dei liberum fuit fidelibus vel quotidie vel certis dierum ac temporum interuallis communicare, liberū nihilominus ſemper fuit etiam ſacerdotibus quotidie ſi vellent, ſacrificium offerre. Idque adeo iam olim in eccleſia obtinuit, vt ob hanc cauſam tum ab Auguſtino tum ab alijs hoc epitheto fuerit inſignitum, vt quotidianum ſacrificium diceretur. Igitur ſi ſacerdos quotidianum hoc & iuge ſacrificium offerre vellet, fideles autem communicare nollent, non ob hoc aut ille prohiberi debuit quò minùs offerret, aut iſti quò minùs oblationi intereſſent non communicantes, quando ad communicandum nulla lege aſtringebantur, vt rectiſſimè dictum ſit ab Auguſtino in epiſt. 118. vbi de talibus differit, quòd totum hoc genus rerum liberas habet obſeruationes.

His accedit quòd offerri ſolet hoc ſacrificium etiam pro peculiaribus beneficijs ſiue acceptis ſiue accipiendis, idque non à toto populo, ſed ab amicis vel defuncti vel cuiuſcunque alterius, vt patet ex Auguſtino de cura pro mortuis cap. 1. & 4. & lib. 9. confeſſionum cap. 11. & 12. & ex lib. de prædictionibus dimidij temporis apud Proſperum cap. 6. & ex commentario Ambroſiano in 1. Timoth. 2. Hæc autem conſtat non ita fuiſſe publica, vt ſine populi conuentu non fierent, cùm non ſit veriſimile populum ad eiuſmodi conuocari ſolitum.

§. 18. *Aduerſariorum obiectiones diluuntur.*

Contra doctrinam ſuperiorem primùm objicitur ab aduerſarijs inſtitutio cœnæ dominicæ, in qua Chriſtus omnibus qui aderant, euchariſtiam diſtribuit, idque fieri deinceps mandauit his verbis: *Hoc facite &c.* ſcilicet hoc ipſum quod me nunc facere videtis, vti Cyprianus interpretatur lib. 2. epiſt. 3. dicens non inueniri nos mandatis Domini obedientes, niſi eadem faciamus quæ ille fecit. S. Thom. vbi ſup.

Secundò: Apoſtolus 1. Corinth. 10. panem & calicem benedictum vocat participationem ſeu communicationem corporis & ſanguinis Domini. Et ſimiliter Act. 2. vocatur communicatio fractionis panis, igitur panis ille & calix in omni miſſa debet multis communicari.

Tertiò. Idem apoſtolus 11. cap. eiuſdem epiſtolæ opponit inter ſe dominicam cœnam & priuatam, cùm reprehendens Corinthios ait: *Hoc non eſt dominicam cœnam manducare. Vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum.* In quem locum Chryſoſtomus ita ſcribit: Quod dominicum eſt, priuatum fecerant. Cœna enim Domini debet eſſe communis &c. Similia habet Theophylactus.

Quartò. Agnus paſchalis poſtquam immolatus fuerat, ſecundùm legem debuit à multis comedi, igitur vt figuræ reſpondeat veritas, Chriſtus qui eſt verus agnus, myſticè immolatus ſemper participari debet à multis.

Quintò. Canon decimus apoſtolorum eos excommunicat tanquam inquietudinem eccleſiæ mouentes, qui dum miſſa peragitur, ſanctam communionem non percipiunt. Cui apoſtolico canoni inſiſtens Anacletus papa in epiſtola decretali ſic ſtatuit; Peracta conſecratione omnes communicent qui noluerint eccleſiaſticis carere liminibus, Sic enim & apoſtoli ſtatuerunt & Sancta Romana tenet eccleſia. Et canon. 2 Antiocheni concilij ſimiliter eos abijci mandat, qui non vnà cum populo ſumunt dominicum ſacramentum. Sed & apud Gregorium Romanum lib. 2. dialog. cap. 23. legitur diaconum intra miſſarum ſolennia ſolitum clamare: Si quis non communicat, det locum, id eſt exeat ab eccleſia. Sic enim ibidem paulò pòſt exponitur.

Sextò. Tam liturgiæ diuerſorum quàm miſſale Romanum ſatis oſtendunt miſſam initio ſic inſtitutam, vt in ea plures communicarent. Id probant tum ipſius canonis verba: Vt quotquot ex hac altaris participatione &c. tum præcipuè orationes illæ quibus actio miſſæ concluditur, & pro ſumptione myſteriorum gratiæ aguntur. Nunquam enim in ijs dicit ſacerdos, Sacramentum quod ſumpſi, ſed ſacramenta quæ ſumpſimus, quod ore percepimus &c. ſemper plurali numero.

Septimò. Ignatius in epiſtola ad Smyrnenſes: Firma, inquit, euchariſtia reputetur, quæ ab epiſcopo conceſſa fuerit, vbi epiſcopus præſens fuerit, illuc & plebs congregetur &c.

Octauò. Baſilius in pſalm. 115. ad illum verſum: *Vota mea reddam in conſpectu omnis populi eius* ita ſcribit: Non in latebris deliteſcens ſacrificabo, ſed publicum exhibebo tibi ſacrificium, aſſumpto mecum vniuerſo populo adorationis conſorte.

Poſtremò. Teſtatur Auguſtinus lib. 4. de Trinitate cap. 14. verum ſacrificium non poſſe ritè

offerri

offerri, nisi per sacerdotem sanctum & iustum; nec A nisi ab eis accipiatur quod offertur, pro quibus offertur.

Hæc argumenta partim eò nituntur, vt in omni missa vel omnes vel plures communicent, partim vt missæ non fiant nisi in publico conuentu populi. Nos vtraque breuiter ac ordine dissoluemus.

Ad primum, respondetur Christum non ita instituisse hoc sacramentum & sacrificium, vt quicquid ab eo in illa cœna factum est, deinceps à sacerdotibus semper fieret. Alioquin enim non nisi sub noctem, nec nisi duodecim præsentibus ijsque mensæ assidentibus celebrari ac distribui deberet. Sed sic instituit vt sacerdos consecrans & B ipse primus participet de sacrificio. (Hoc enim Christum fecisse, etsi scriptura tacuerit, Hieronymus testatur in epistola ad Hedibiam quæst. 2. dicens quòd Dominus Iesus ipse conuiua fuerit & conuiuium, ipse comedens & qui comeditur) ac deinde alijs, si qui fidelium præsentes sunt & petant, exemplo Christi dispenset ac distribuat. Non autem hoc voluit Christus, vt si præter ministrum nemo alius adsit, aut adsit quidem aliquis, non tamen communionem petat; sacerdoti tunc necessariò sit abstinendum à sacra communione simul & oblatione. Quare in his quæ Christus fecit hoc sa- C crificium instituens, diligenter distinguendum est inter ea quæ fecit tanquam perpetua imitatione obseruanda, propterea quòd ad substantiam quodammodo huius sacræ actionis pertinerent; cuiusmodi sunt gratias agere, benedicere, consecrare, offerre, sacrificantem de oblatis participare, atque hæc in commemorationem dominicæ passionis facere; & ea quæ pro temporis & loci tantùm circumstantijs ab eo facta sunt, vt dispensare alijs præsentibus, ijsque sedentibus ac tali tempore vel hora, idque post sumptam ab ijs cœnam. Quale etiam D est dispensare sub vtraque specie. Hæc enim sic facta sunt à Domino, vt tamen nullo præcepto ad eorum perpetuam imitationem fideles astrinxerit, imò quædam nec imitanda esse postmodum per ecclesiam suam declarauerit. Quanquam non est negandum distributionem quoque esse præceptam, sed eo modo quo diximus, nempe si qui præsentes sint & legitimè petant.

Vnde etiam patet solutio secundi argumenti. Vocatur enim hoc sacramentum communicatio corporis & sanguinis Domini; non quia necesse est E ipsum quoties offertur, multis communicari: sed quia præsentibus ac legitimè petentibus eius communio negari non debet, cùm sit institutum in cibum fidelibus omnibus communem.

Ad tertium respondetur tam apostolum quàm eius interpretes Chrysostomum, & Theophylactum per dominicam cœnam intelligere non sumptionem eucharistiæ, sed celebrationem conuiuij, quod ad repræsentationem primæ illius cœnæ Domini adhibebatur; nimirum vel subsequens ipsam eucharistiæ participationem, vt dicti authores volunt: vel præcedens, vt sentire videtur Augustinus F epist. 118. Ab huius ergo conuiuij communione cùm diuites excluderent pauperes, rectè Paulus eos reprehendens dicit ab illis non agi dominicam cœnam, id est eos non celebrare conuiuium commune ad instar cœnæ Domini quam nouissimam habuit cum discipulis, sed priuatam facere cœnam exclusis vel non expectatis alijs. Neque enim à participatione mysteriorum diuites excludebant pauperes, cùm ea non quisque sibi sumeret, sed ministri ecclesiæ, vt edocti erant, æqualiter omnibus dispensarent. Quòd si & tale quid factum fuisse quis existimet, nihil hoc ad missas priuatas, in quibus à participatione sacramenti nec sacerdos laicum, si particeps esse cupiat, nec diues pauperem repellit.

Ad quartum respondetur figuram illam non per omnia respondere veritati. Christus enim totus à singulis sumitur, quod in agno illo fieri non potuit, ideoque necesse fuit ipsum à multis manducari. Nota tamen quòd sicut ad agnum manducandum non conueniebat totus populus, sed singulæ familiæ per singulas domos: ita nec debet incongruum videri, si missæ non semper in cõuentu totius populi, sed interdum in priuatis oratorijs ad quæ pauci conueniunt, celebrentur.

Ad quintum respondemus canones nusquam reprehendere sacerdotem, si offerat vel communicet sine populo, sed editos esse contra cleri vel populi negligentiam, si diebus saltem dominicis vel solennioribus non vnà participet de mysterijs. Et notandum canonem apostolicum prout in Græco legitur, solùm præcipere vt fideles in sacro permaneant vsque ad finem, nulla facta mentione communionis. Anacletum autem, vt ex antecedentibus eius verbis liquet, loqui de diebus solennioribus, nec laicorum facere mentionem, sed clericorum tantùm. Canonem verò Antiochenum aduersus eos scriptum esse qui propter hæresim auersantur communionem dominici sacramenti. Quod autem ex Gregorio obijcitur, hunc videtur habere sensum: Si quis non communicat, id est, si quis excommunicatus est, ita vt communicare ei non liceat sicut dicitur aliquis non comedere carnes, vel non bibere vinum, quia non licet ei per votum. Narrat enim Gregorius quomodo ad illam vocem diaconi visæ fuerint egredi duæ sancti moniales mortuæ quæ ante mortem fuerant à S. Benedicto excommunicatæ.

Ad sextum respondetur in liturgijs meritò plurium fieri mentionem, vel quia olim plures ordinariè ad communionem accedere solent; vel quia sacerdos paratus esse debet pluribus ministrare; vel denique quia plærumque etiam hodie plures de sacrificio participant saltem spiritualiter, quos rectè comprehendimus sub ijs verbis pluralis numeri quæ à sacerdote recitantur.

Porrò Ignatius contra eos tantùm agit qui absque episcopi authoritate & consensu conuentus agunt, & mysteria vel celebrant vel participant, vti hæreticis & schismaticis mos est.

Basilius similiter aduersus hæreticorum latebras loquitur, quas opponit frequentiæ & publico cœtui ecclesiæ, cum qua tamen communicat quisquis ab vnitate non recedit, etiamsi in solitudine vel penetralibus domus sacrificium offeras, vti factum olim constat à pijs pontificibus tempore persecutionis.

Denique Augustinus non aliud vult quàm sacrificium non rite offerri nisi sumatur ab ijs, vel aliquo eorum pro quibus offertur. Quod quidem fit in omni missæ sacrificio, dum sacerdos hostiam pro se & populo oblatam ipse sumit, tanquam vnus & præcipuus eorum pro quibus oblata est.

IN DISTINCTIONEM DECIMAMTERTIAM.

§. 1. *Quis sit minister sacramenti eucharistiæ.*

S. Tho 3. p. q. 82. ar. 1. & 3.

MINISTERIVM sacramenti eucharistiæ duplex est, alterum quod consistit in consecrando, & offerendo, alterum in distribuendo seu dispensando. Prioris ministerij potestatem habet omnis & solus sacerdos iuxta ritum ecclesiæ ordinatus, vtpote cui & non alijs in sua ordinatione dicitur: Accipe potestatem offerendi sacrificium &c. vt est in decreto Florentino de sacramentis. Cuius doctrinæ certissimum fundamentum est in euangelio, vbi Christus instituens hoc sacramentum, potestatem eius consecrandi & offerendi solis apostolis contulit dicens: *Hoc facite &c.* per quos deinde legitima ordinatione successoribus eorum, id est presbyteris omnibus & solis eam communicatam voluit. De qua re in Lateranensi synodo sub Innocentio 3. sic legitur: Hoc eucharistiæ sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos fuerit rite ordinatus secundùm claues ecclesiæ, quas ipse concessit apostolis & eorum successoribus Iesus Christus. Sic ibi.

Neque verò dubitandum est hanc esse perpetuam ecclesiæ doctrinam, eamque adeo certam, vt nec diaconi qui dignitate presbyteris proximi sunt, vnquam sibi hoc munus consecrandi & offerendi, vel per ambitionem vsurpasse legantur, etsi in alijs quibusdam sese presbyteris aliquando prætulerint, vt ex canonibus & Hieronymo patet.

Quòd si huius rei ex concilijs & antiquioribus patribus testimonia requirantur, in primis occurrit canon tertius apostolorum qui præcipiens quid in altari sit offerendum, solis id præscribit episcopis & presbyteris. Deinde Nicæna synodus 1. can. 18. prohibens ne diaconus presbytero porrigat sacram communionem, Hoc, inquit, neque regula neque consuetudo tradidit, vt qui sacrificij non habent potestatem, his qui offerunt, Christi corpus porrigant. Simile quid statuit canon 25. Laodiceni concilij.

Sic porrò docuerunt omnes patres nominatim Dionysius cap. 5. ecclesiasticæ hierarchiæ, Tertullianus lib. de corona militis, Iustinus in 2. apol. Epiphanius hæresi 57. & in epist. ad Ioannem Ierosolymitanum, Hieronymus in epistola ad Euagriũ & in dialogo aduersus Luciferianos, Hesychius lib. 2. in Leuitic. 8. Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio cap. 5. vbi dicit adeo solis sacerdotibus hoc munus proprium esse, vt ne cœlestibus quidem spiritibus id concessum fuerit. Extat quoque Cyrilli Alexandrini epistola ad Atticum apud Nicephorum lib. 14. historiarum capite 27. In qua hoc ipsum disertissimè docet.

Iam quod ad alterum pertinet ministerium, dispensandi videlicet corpus & sanguinem Domini, illud quoque sacerdoti proprium est. Cùm enim sacerdos consecrat eucharistiam in persona Christi, ratio monstrat; vt sicut Christus per se non tantùm consecrauit, sed & discipulis tradidit, ita similiter & sacerdos faciat vice Christi constitutus.

Veruntamen quia diaconus tanquam ordini sacerdotali proximus aliquid de eius officio participat, concessum ei fuit olim, maximè vbi maior erat populi frequentia, dispensare in populum corpus & sanguinem Domini: potiùs tamen, vt quidam volunt, sanguinem quàm corpus, propterea quòd sanguis contineatur in vase, ita vt necesse non esset ipsum manibus (quas diaconus non habet consecratas) contingere, sicut necesse esset contingere corpus, tametsi hæc differentia licèt eam S. Thomas vrgeat 3. parte quæst. 82. art. 3. non inueniatur in sacris canonibus fundata, vtpote qui vtriusque dispensationem indifferenter diaconis concedunt. Quod vsquequaque mirum videri non debet, cùm aliquando etiam laicis permissum fuisse legatur, vt dominicum corpus domum secum asportarent, idque cùm opportunum esset, sumerent, vt patet ex oratione Ambrosij in obitu Satyri fratris sui, & alijs quæ ad distinctionem decimam dicta sunt de asseruanda eucharistia.

Cæterùm loca patrum quæ vtriusque vel alterius speciei dispensationem committunt aut permittunt diaconis, sunt ista: Iustinus in fine 2. Apolog. Cyprianus in serm. de lapsis. Ambrosius lib. 1. officiorum cap. 41. agens de Laurentio & Prudentius in hymno de eodem, nec non Leo pontifex serm. in eiusdem Laurentij solennitate habito. Item Carthaginense concilium quartum, cui Augustinus interfuit, can. 38. Quibus adde epistolam seu tractatum incerti authoris de 7. ordinibus ecclesiæ apud Hieronymum, quamuis author ille nimium videtur tribuere diaconis, id videlicet quod canon Nicænus 18. ac deinde Laodicenus 25. tanquam minimè ferendum abrogarunt. Quod autem apud Tertullianum legitur cap. 3. de corona militis: Eucharistiæ sacramentum non de aliorum manu quàm præsidentium sumimus, quidam sic accipiunt, vt præsidentium nomine etiam diaconos comprehendant. Verùm Iustinus eodem vtens vocabulo in apolog. 2. manifestè præsidentem diuersum esse significat à diaconis seu ministris. Quare sensus Tertulliani videtur, eucharistiam non nisi de sacerdotum manu accipi, quandoquidem & diaconi eam non nisi à sacerdote tanquam proprio eius dispensandæ ministro, nec nisi ipsius iussu, vt habet canon Carthaginensis, acceptam populo dispensare poterãt. Vnde patres Tridentini concilij sess. 23. cap. 1. potestatem ministrandi corpus & sanguinem Domini cum ijs recensent, quæ propria sunt ordini sacerdotali. Sed de vtroque iam dicto ministerio nonnulla dicenda quoque erunt ad distinct. 24. in qua de sacramento ordinis agitur.

§. 2. *Ad quædam in contrarium argumenta responsio.*

S. Thom. ibidem.

OMissis hæreticorum argumentis quibus illi sacerdotium internum, quod est omnibus christianis commune, ita commendant, vt per hoc externum istud, de quo nunc agimus, tollere nitantur (qua de re disserendi locus aptior est circa ordinis sacramentum) ad ea nunc respondebimus, quæ potestatem consecrandi & offerendi eucharistiæ sacramentum, alijs quàm presbyteris suadent posse competere.

Primum, inquiunt, quòd ait: *Hoc facite &c.* non ad solos pertinet apostolos & eorum successores, sed ad omnes fideles, vt apostolus ad Corinthios interpretari videtur, ergo si per ea verba data est

A potestas conficiendi eucharistiam, erit ea fidelibus omnibus communis.

Secundò. Sicut solis dictum est apostolis: *Hoc facite &c.* ita solis dictum est: *Ite baptizate*, Atqui eo non obstante hæc baptizandi potestas alijs potest committi, ergo & illa consecrandi.

Tertiò. Ambrosius lib. 1. officiorum cap. 41. facit Laurentium diaconum ita loquentem ad Sixtum papam: Experire verùm idoneum ministrum elegeris, cui cõmisisti dominici sanguinis consecrationem; cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?

B Quartò. Magister in textu ex Augustino recitat hæc verba: Missa dicitur eò quòd celestis missus (pro quo alia exemplaria habent cælestis nuncius) ad consecrandum viuificum corpus adueniat. Idem suis verbis repetit in fine distinctionis 14. ergo videtur angelo potiùs seu principaliùs quàm homini competere huius sacramenti consecratio.

Sed ad hæc breuiter respondemus. Ad primum quidem in illis Domini verbis: *Hoc facite &c.* aliquid contineri quod ad solos apostolos & eorum successores sacerdotes pertineat, nempe consecrare, offerre, ministrare corpus & sanguinem Domini; aliquid etiam contineri quod promiscuè pertineat ad fideles, videlicet accipere, comedere, C bibere, idque facere in commemorationem mortis dominicæ. Et hac parte apostolum verba illa Domini sic interpretari, vt etiam ad laicos pertineant.

Ad secundum. Non esse baptismi & eucharistiæ similem rationem. Baptismus enim propter summam eius necessitatem ita institutus est, vt & alijs eius ministerium committi possit, & præterea ratus sit, etiamsi citra legitimam commissionem attentauerit quis ipsum administrare, quemadmodum suo loco ostendimus. Eucharistia verò cùm D non sit tantæ necessitatis, sed contra multò maioris reuerentiæ sacramentum, ita institui debuit, vt nec committi alijs posset, sed ex ordinatione ecclesiastica eius conficiendi potestas dependeret.

Ad tertium respondetur, Ambrosij verba transitiuè exponenda esse, & hunc sensum habere: Cui commisisti consecrationem dominici sanguinis, id est, consecratum Domini sanguinem fidelibus dispensandum. Vnde illud quasi expunens ecclesia in diuino officio consecrationis nomen mutauit in dispensationem. Non dissimili sensu dicit sacerdos E ad altare: Hæc commixtio & consecratio corporis & sanguinis fiat accipientibus nobis in vitam æternam secundùm vsum Romanum. Consortium autem consummandorũ sacramentorum intelligitur in ministerio assistendi sacro altari, & erogandi mysteria populo. Quod Leo serm. supracitato vocat ministerium sacramentorum.

Ad postremum. Verba illa non esse Augustini, sed sumpta ex sermone quodam incerti authoris de corpore Christi. Quæ tamen Innocentius 3. rectè & iuxta mentem Magistri ita interpretatur, vt dicta sint non de quocunque angelo, sed de Chri- F sto, qui est magni consilij angelus & sacerdos summus, inuisibili sua virtute ad perficiendum sacramẽtum assistens ei quem in eo munere vicarium habet & ministrum. Hoc autem Magistrum velle ex eo liquet, quia cælestem missum nominat (sic enim correctiora habent exemplaria) eum videlicet qui apud Ioannem per Siloë significatur, id est, Christum dominum, de quo Augustinus: Nisi ille esset missus, nemo esset ab iniquitate dimissus.

A

§. 3. *Eucharistiam à malo quocunque sacerdote confici.*

CVm de sacramentis in genere ageremus ad dist. 1. generatim quoque ostendimus effectum sacramentorum non dependere à qualitate ministri, quod non tantùm de gratia quæ confertur suscipientibus sacramentum, est intelligendum, verùm etiam de effectu consecrationis, qualem requirit hoc eucharistiæ sacramentum. Itaque ad B quæstionem quam præcipuam hac distinct. tractat Magister, simpliciter respondendum est, sacerdotes quoscunque & quantumcunque malos, etiam hæreticos & schismaticos & excommunicatos quamuis grauiter peccent in tali statu diuinis sese mysterijs ingerentes, reuera tamen conficere seu consecrare hoc sacramentum, dummodo neque ex parte verborum quibus ad consecrandum vtuntur, neque ex parte intentionis vllum existat impedimentum. Nam etiam hæreticos & infideles posse habere intentionem ad substantiam sacramenti necessariam, id est, generalem intentionem faciendi quod facit ecclesia, similiter ad primam distinctionem C monstrauimus. Præsentis autem doctrinæ ratio est, quia sacerdos non propria sed Christi virtute conficit hoc sacramentum, nimirum vt minister eius in cuius persona consecrat. Non desinit autem quis esse minister Christi quantum ad externam mysteriorum Dei dispensationem, eò quòd malus sit, quandoquidem scriptura non tantùm bonos sed & malos Dei ministros agnoscit, vt Matth. 24. & 1. Corinth. 4. & alibi.

S. Tho. 3. p. q. 82. ar. 5. 7 & 8.

Deinde quod ad eos attinet qui sunt extra ecclesiam, si verè sunt sacerdotes ecclesiæ ritu ordina- D ti, cùm eucharistiæ consecratio sit actus ordinis potestatem consequens, tam verè consecrant, quàm si intra ecclesiam essent. Et idem iudicium est de degradatis, quia sicut potestatem ordinis semel collatam nec hæresis, nec schisma, nec excommunicatio, nec denique degradatio tollere potest, ita nec actum illius potestatis impedire; quantalibet etiam superioris accedente prohibitione, quamuis, vt dictum est, tali in statu consecrantes grauissimè peccent. Imò nec potest, quò minùs ratum sit quod faciunt, vlla ecclesiæ potestate impediri.

E Potest autem hæc doctrina tum generaliter de malis, tum speciatim de ijs qui sunt ab ecclesia separati, ex patribus variè probari, ac potissimùm ex Augustino qui contra Donatistas veritatem sacramentorum quæ ab hæreticis conferuntur, copiosissimè defendit. Sed quia ad primam distinctionem ex professo tractatum fuit hoc argumentum, pauca tantùm quædam magisque huic loco propria hîc adiecisse suffecerit. Augustinus lib. 5. contra Donatistas cap. 20. obiectam sibi ab aduersarijs Cypriani sententiam refutans ait inter cætera: Cur autem ad verba quæ procedunt ex ore homicidæ, possit F tamen Deus oleum sanctificare, & in altari quod hæretici posuerunt, non possit nescio, nisi fortè quem cor hominis fallaciter conuersum intus non impedit, lignum (id est altare) fallaciter positum impedit foris, quò minùs sacramentis suis adesse dignetur nullis hominum falsitatibus impeditus? Et quæ sequuntur, in quibus etiam expresse eucharistiam nominat loquens ea quæ à malis consecrantur; loquitur autem Augustinus de hæreticis foris, id est, extra ecclesiam constitutis; id quod non modò verba ipsa palam significant, verùm etiam intentio

scribentis planè conuincit. Agit enim contra eos qui Cyprianum anthorem sequentes ea quæ in ecclesia per malos ministros fiebant, rata esse dicebant; non item ea quæ extra ecclesiam.

In quem scopulum hac distinctione etiam Magister impingit, dumtaxat quoad eucharistiæ sacramentum, cùm putat eos quidem qui intus suot, verè eucharistiam consecrare, excommunicatos antem vel de hæresi manifestè notatos noo item; quia, inquit, nemo dicit in ipsa consecratione, offero sed offerimus quasi ex persona ecclesię. Et ideo cùm alia sacramenta extra ecclesiam possint celebrari, de hoc non videtur. Et iterum: Nunquid si hoc mysterium hæreticus ausus fuerit vsurpare, angelum de cælis mittit Deus oblationem eius consecrare? & quæ sequuntur. Quæ profectò Magistri opinio oon potest ab errore vindicari. Rationem autem qua mouetur, vnà cum alijs quæ obijci solent argomentis, dissoluimus ad dictam distinctionem.

Alius est Augustini locos in epistola ad Vincentium Donatistam, in qua Donatistas hæreticos sic alloquitor: Ex catholica ecclesia sunt omnia sacramenta dominica, quæ sicut habetis & datis, sic habebaotur & dabantur priusquam inde exiretis. His similia scribit lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 13. Alia item compluta loca partim ex Augustioo, partim ex alijs à Gratiano collecta videre licet in decreto eius cap. 1. quæst. 1. Quibus adde cap. vltimum 15. quęst. vltima & cap. Vtrùm de consecrat. distinct. 2.

Quę omnia clarè ostendunt illam Ioannis Wicleff sententiam, qua dixit episcopum vel sacerdotem in peccato mortali existeotem non ordioare, oon conficere, non consecrare, non baptizare, meritò à patribus concilij Constantiensis quarto inter articulos eius loco damnatam esse. Quæ damnatio à Tridentinis patribus sess. 7. can. 12. repetita est his verbis: Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia quæ ad sacramentum conficieodum aut confereodum pertioent, seruauerit, non conficere, aut conferre sacramentum, anathema sit.

§. 4. *An melior sit missa boni quàm mali sacerdotis.*

S. Tho. 3. p. q. 82. ar. 6.

Solet hîc non inutiliter quæri, vtrùm melior sit, id est, quoad fructum spiritualem plus valeat missa boni sacerdotis quàm mali. Cui quæstioni respondens Diuus Thomas 3. quæst. 82. artic. 6. duplicem adhibet distinctionem. Primùm enim in missa duo considerari possunt, ipsum sacramentum quod est principale, & orationes quæ à sacerdote in missa pro fidelibus viuis & defunctis funduntur. Quantum igitor est ex parte sacramenti, quod in omni missa vnum idemque consecratur & offertur, ipsum videlicet corpus & sanguis Domini, non plus valet missa boni sacerdotis quàm mali. Quoad orationem verò sacerdotis, rursus distinctione opus est. Potest enim oratio quæ fit in missa, dupliciter considerari. Vno modo quatenus habet efficaciam ex deuotione sacerdotis orantis. Qua ratione non est dubiom, quin melior, id est, fructuosior sit missa boni sacerdotis. Altero modo quatenus eadem oratio profertur à sacerdote in persona totius ecclesiæ, cuius ipse est minister, etiamsi malus sit. Vnde hac ratiooe oratio mali sa-

A cerdotis, (quem hoc loco intelligimus eum qui est in peccato mortali) fructuosa est non solùm in missa sed & aliàs quandocunque orat tanquam minister ecclesiæ.

Ex quibus cousequens est, quòd etsi tum ex parte sacramenti tum ex parte ecclesiæ, in cuius persona fiunt orationes, paritas existat; ex parte tamen eius qui offert & orat, nascatur imparitas: ita vt simpliciter omnibus consideratis fatendum sit meliorem esse missam boni sacerdotis quàm mali.

Porrò eadem ratione ostenditur meliorem esse B missam sacerdotis melioris, quàm minus booi, atque adeo contingere, vt sacerdotis eiusdem missa vna melior sit altera, non tantùm quia diuerso tempore ipse seipso melior est aut minùs bonus, verùm etiam quia vno tempore deuotiùs orat & sacrificat quàm alio.

Confirmat hanc doctrinam Alexander papa ijs verbis quę sont apud Gratianum 1. quæst. 1. cap. Ipsi sacerdotes pro populo interpellant, &c. Peccata populi comedunt, quia suis precibus ea deleot atque consumunt. Qui quantò digniores fuerint, tantò faciliùs in necessitatibus pro quibus C clamant, exaudiuntur. Quod enim pontifex ibi loquatur de orationibus quę fiunt in missa, satis apparet per illud quod ait, peccata populi comedunt. Sicut enioi in veteri lege dicebantur sacerdotes comedere peccata populi, quando viuebant de sacrificijs quę à populo pro peccatis offerebantur, ita in noua lege peccata populi comedunt sacerdotes, quando à fidelibus eleemosynas accipiunt ad offerendum pro peccatis eorum missę sacrificium.

Verùm his obstare videtur generalis doctrina de sacramentis, quorum effectus nullo modo de- D pendet à qualitate ministri, quemadmodum ad primam distinctionem, vbi de ministris sacramentorom agebatur, ostendimus. Videtur autem eadem esse ratio sacraméti & sacrificij. Nam sicot sacramentum operatur noo ex merito ministri, sed ex virtute & merito Christi, ita & hoc sacrificium. Sed respondeudum est non esse vtriusque parem rationem. Sacramentum enim significat nudam actionem ministri circa suscipientem, quatenus à Christo instituta est, vt lotionem, vnctionem, & huiusmodi. Sacrificium verò non tantùm complectitur consecrationem eucharistiæ, verùm etiam einsdem oblationem, ac præterea o- E rationes illas quas ex institutione ecclesiæ in missa profert sacerdos. Quæ quidem si considerentur, vt recitantur in persona ecclesiæ seclusa qualitate ministri, æquè valent à bono & malo mioistro recitatæ. Sed quia reuera bonus minister tanquam eiusdem ecclesiæ membrom ijs adiungit etiam priuatam deuotionem & pium affectum, fit vt reuera simpliciter plus valeat. Atque id sufficit, vt missa boni sacerdotis simpliciter censeatur melior, etiam in quantum est sacrificium; noo quidem F quatenus hoc nomen significat ipsam hostiam quæ offertur, sed quatenus denotat actionem sacerdotis offerentis hostiam, quæ quidem actio plures habet partes, vt alibi diximus. Si quis autem de sacrificij nomine dubitet, certè dubitandum non videtur de eo quatenus missa vocatur; quod nomen, vt ad superiorem distinctionem monuimus, significat totam actionem sacerdotis, qua circa sacrificium occupatur, quæ haud dubiè comprehendit orationes.

Vtrùm autem & quatenus etiam sacramento-

rum effectus à bonitate ac deuotione ministrorum accessionem aliquam suscipiant, dictum est à nobis ad primam distinctionem, vbi de sacramentorum ministris agebamus, & ad quartam vbi quærebatur, an effectus baptismi sit in omnibus æqualis.

§. 5. *Quorum sacerdotum missas audire non liceat.*

S. Tho. 3. p. q. 82. ar. 9.

QVod generaliter de sacramentis quæri potuit, à quibus ministris ea non liceat accipere, id hoc loco opportunè quæritur de missæ sacrificio, propterea quod illud in ecclesia sit ita quotidianum & frequens, vt circa ipsum multò magis quàm circa cætera sacramenta hæc quæstio locum habeat. Quæritur ergo vtrùm missam mali sacerdotis audire liceat, imò quia non dubitatur quin quorundam malorum sacerdotum missas liceat audire; & præsupponitur quòd aliquorum audire non liceat, pressiùs quæritur, qui sint illi à quorum missis audiendis abstinendum sit.

Ad quod distinguendo respondemus. Quidam enim ab ecclesia sunt præcisi vel per hæresim aut schisma, vel aliàs nominatim excommunicati. Ab his igitur vt sacramenta accipere non licet, ita nec eorum missas audire. Et simile iudicium est de ijs qui per censuram ecclesiasticam suspensi sunt aut degradati. Cuius euidens ratio est, quia per hoc quod illi per ecclesiæ sententiam executione ordinum sunt priuati, simul inhibitum est fidelibus, ne ab ijs sacramenta suscipiant vel missas audiant. Notandum est autem quòd Constantiense concilium his nominatim excommunicatis adiungit notorium clerici percussorem, etiamsi non sit nominatim excommunicatus. Notorium autem intelligit, cuius factum ita est manifestum, vt nulla possit tergiuersatione celari.

Sanè quod ad hæreticos attinet ab ecclesia præcisos, multi exstant sacri canones eorum communionem tum in missæ sacrificio, tum in alijs sacramentis seuerè prohibentes, vt 24. quæst. 1. cap. Si quis dederit & cap. Si quem fortè, & cap. Cepit. & 1. quæst. 1. Superueniente. Quò pertinet quod Gregorius narrat lib. 3. dialogor. cap. 31. & in dictos canones relatum est, Ermigundum Regis Arianorum filium cùm nollet admittere episcopum Arianum ad se missum in festo paschæ, vt communionem dominici corporis ab eo acciperet, ab impio patre occisum & martyrem effectum. Item quod Theodoretus lib. 4. historiarum eccles. cap. 21. refert Moysen quendam sanctum virum nullo modo induci potuisse, vt pateretur se ordinari à Lucio Ariano episcopo.

F Porrò alij mali quidem sunt, sed ab ecclesia adhuc in suo ministerio tolerantur. A quibus proinde siue occulti sint peccatores siue manifesti, non est illicitum sacramenta accipere, vel eorum missas audire. Cùm enim eorum ministerium adhuc toleretur, qui eis in participatione sacramentorum communicat, non eorum peccatis, sed ipsi potiùs ecclesiæ quæ illis vtitur ministris, communicare censendus est. De hoc genere malorum ecclesiæ ministrorum, quòd in sacramentorum communione non sint à nobis vitandi, disserit Au-

A gustinus cùm alibi tum apertissimè lib. 1. contra epist. Parmeniani cap. 5.

Sed duplex hîc dubium occurrit, alterum circa priorem responsionis partem. Dicit enim idem Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 2. Si quem fortè coegerit extrema necessitas, vbi catholicum per quem accipiat, non inuenerit, & in animo pace catholica custodita per aliquem extrà vnitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa catholica vnitate accepturus, si statim etiam de hac vita migrauerit, non eum nisi catholicum
B deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cùm se catholicæ congregationi etiam corporali præsentia reddiderit, vnde nunquam corde discesserat, non solùm non improbamus quod fecit, sed etiam securissimè verissimeque laudamus &c. Ex quibus verbis apparet, quòd saltem in necessitate extrema liceat sacramentum ab hæretico vel quocunque præciso accipere.

Alterum circa posteriorem partem. Nam Nicolaus papa apud Gratianum dist. 32. cap. Nullus, inquit missam audiat sacerdotis quem indubitanter concubinam nouit habere. Idem confirmat Alexander 2. cap. proximè sequenti & quæ ibidem ex
C Vrbano citantur. Ex quibus apparet eorum quos ecclesia tolerat, nonnullos, nempe publicos concubinarios, in communione sacrificij vitandos esse.

Priori dubio respondent quidam in extrema necessitate id omnino & simpliciter licitum esse, quia necessitas, inquiunt, non habet legem; Sed rectiùs respondetur distinguendo. Si enim scandali manifestum periculum est, potiùs moriendum esse sine sacramento, vtpote cùm eo casu impossibilis censeatur sacramenti susceptio, quoniam absque peccato scandali copia sacramenti vel sacerdotis
D haberi non potest. Ita expressè sentit & docet Petrus Paludanus in 4. Augustinum verò loqui dicimus de extrema necessitate extra casum scandali. Posset etiam dici salua authoritate Augustini, quòd talis potiùs deberet mori sine baptismo, quàm à manifesto hæretico suscipere.

Posteriori respondetur antiquo iure id constitutum fuisse, sed rigorem illum per decretum Constan. Synodi iustis ex causis remissum. Vbi tamen diligenter considerandum est, quid in huiusmodi rebus suadeat lex naturæ. Nam si non vrgeret hominem lex positiua Dei vel ecclesiæ ad sus-
E cipiendum sacramentum, vel audiendum missæ sacrificium, plærumque etiam illi, qui in ecclesia notoriè sunt criminosi & scandalosè viuentes, à fidelibus sunt vitandi; tum ne morum contagio inficiantur, tum vt illi ipsi confundantur de via sua mala & conuertantur ad Dominum per veram pœnitentiam, de qua nunc deinceps nobis agendum est.



IN DISTINCTIONEM DECIMAMQVARTAM.

De Sacramento pœnitentiæ.

§. 1. *Sacramenti pœnitentiæ variæ appellationes explicatæ.*

S.Th.3. q.84. & seq.



VM ea sit humanæ naturæ fragilitas ex peccato primi parentis contracta, vt pauci perceptam baptismi gratiam vsque in diem mortis illibatam custodiant, ac nullo peccato mortali à se repellant, diuina bonitas hac quoque in parte saluti nostræ misericorditer consuluit, instituens nimirum pro reconciliatione eorum qui post baptismum relapsi essent, pœnitentiæ sacramentum. De quo nunc acturi primùm quibus apud veteres nominibus fuerit appellatum, & quæ nominum sint rationes, exponemus.

Frequentissimum eius nomen apud Latinos est pœnitentia, seu pœnitentiæ sacramentum, vti apud Græcos μετανοία. Et quidem Latinum vocabulum pœnitentia non propriè mutationem vitæ significat, secundùm eos qui dicunt optima pœnitentia noua vita, sed displicentiam facti coniunctam cum studio destruendi quod factum est. Vnde propriè & directè pœnitentia respicit factum præteritum tanquam abolendum, vt in proposito peccatum commissum; quod quia aboleri & destrui non potest, nisi Deo remittente, Deus autem remittere non statuit, nisi faciat homo ea quæ ad impetrandam peccati veniam ab ipso sunt ordinata, quorum præcipuum est conuerti ad Dominum, & vitam mutare in melius: hinc indirectè & ex consequenti pœnitentia respicit etiam vitæ nouitatem.

Græcam vocem μετανοίαν, quam Latinè possis dicere transmentationem, putant aliqui idem significare quod resipiscentiam, id est eam animi affectionem qua quis sapit post errorem, id est vitam mutat in melius. Quam significationem vrgentes hæretici, ex ea voce docere conati sunt, non aliam pœnitentiam à nobis requiri, quàm quæ in mutatione vitæ consistat. Quibus etsi responderi facilè possit ex etymologia nominis non peti argumentum efficax, cùm sæpe contingat vocem latiùs aut contractiùs vsurpari quàm sinat ratio etymologica, ideoque potiùs spectandum vsum illius vocis, id est, quod apud Græcos ea voce soleat significari; quod si quæratur, non aliud inuenietur, quàm quod apud Latinos pœnitentia significat, vti tum ex sacris tum ex prophanis authoribus ostendi potest. Verior tamen responsio est, ne quidem iuxta etymon hac voce propriè significari resipiscentiam, sed mutationem mentis à placentia, vt ita dicam, cuiuscunque facti ad eius displicentiam; dum videlicet quod placuit, displicere incipit, siue id bonum fuerit siue malum. Est enim interdum & pœnitentia boni. Vnde quod in euangelio dicitur μετανοεῖτε, ex vi vocabuli non hunc habet sensum: Resipiscite, vel mutate vitã in melius, vt quidam verterunt sed istum: Displiceat animo vestro vita anteacta quæ hactenus placuit. Id autem

A propriè est pœnitentiam agere. Quomodo rectissimè id vertit noster interpres.

Vocatur ergo hoc sacramentum pœnitentiæ seu μετανοίας quia requirit, vt peccatum homini displiceat, vtque per veram contritionem & alia præscripta media suum homo peccatum destruat. Vocatur item sacramentum reconciliationis ab effectu. Et sacramentum confessionis à parte conspicua, & ante remissionem necessaria. Interdum quoque vocatur absolutionis sacramentum, vt à patribus Tridentinæ synodi sess. 14. can. 10. nomine sumpto ab actu sacerdotis formam sacra-
B menti proferentis. Cùm dicit: Ego te absoluo, sicut baptismus dicitur ab actu baptizantis & dicentis: Ego te baptizo.

Præterea tam Græci quàm Latini vocant manuum impositionem à ceremonia externa administrantis, quæ tamen vt non est necessaria sacramenti necessitate, ita nec huic sacramento propria. Nam & confirmatio & ordinatio eodem nomine sæpe vocantur. Et extra sacramentum eadem ceremonia non infrequentem vsum habere solet. Tribuunt autem eam appellationem huic sacramento Leo epist. 3. & Lateranense concilium can. 9.

C Porrò vetustiores vt Tertullianus & Cyprianus exomologesin Græco nomine, id est, confessionem vocant, item communicationem seu communionem & pacem, eò quòd reconciliati per pœnitentiæ actionem restituerentur communioni sacramentorum. Cypriani loca sunt lib 3. epist. 15. 16. 17. Tridentina quoque synodus sess. 14. cap. 2. testatur pœnitentiam à patribus dictam fuisse laboriosum baptismum propter satisfactionis rigorem, quem à pœnitentibus præ baptismo exigit hoc sacramentum.

Postremò sæpe à patribus vocatur secunda
D tabula post naufragium. Sic enim appellant eam Hieronymus super Isa. 3. & in epistol. 65. ad Pammachium & Oceanum, & in epistola ad Demetriadem de virginitate seruanda. Ambrosius ad Virginem lapsam, & initio expositionis psalmi 37. Pacianus epist. 1. & 2. ad Sempronium. Tertullianus lib. de pœnitentia. Et ex Hieronymo Magister in textu. Gratianus causa secunda, de pœnitentia dist. 1. & glossa ordinaria in Isa. 3. Vocatur autem hoc modo iuxta multorum expositionem, quia cùm prima tabula post naufragium sit baptismus, secunda non alia est quàm relapsorum pœnitentia. Quam huius sacramenti appel-
E lationem probant patres concilij Tridentini sess. 6. cap. 14. & omnino retinendam esse contra sectarios huius sæculi sub anathemate censent sess. 14. can. 2.

Quòd si quæras, cur pœnitentia dicatur secunda post naufragium tabula, non item tertia aut quarta & ita deinceps, cùm contingat homines sæpius relabi, atque ita sæpius per pœnitentiam restitui; breuiter respondeo pœnitentiam ideo semper vocari secundam tabulam, quia quan-
F tumcunque sæpe contingat hominem relabi, semper vnum idemque remedij genus, idque à baptismo diuersum ei ad reconciliationem paratum est, pœnitentiæ videlicet sacramentum.

§. 2. *Distinctio & definitio pœnitentiæ vt est virtus, & vt sacramentum.*

S.Tho.3. p.q.84. & q.85. ar.1.2.3. & 4.

PRo maiori intelligentia eorum quæ de sacramento pœnitentiæ dicenda sunt, considerandum quid intersit inter pœnitentiam quam nobis frequentissimè commendant vtriusque scripturæ paginę, & eam quæ inter septem ecclesiæ sacramenta medio loco numeratur. Illa enim pœnitentia virtus est vel actus virtutis, hæc autem sacramentum nouæ legis institutum pro reparatione lapsorum post baptismum plus aliquid requirens quàm qualemcunque illius virtutis actum. Illa etiam à baptizandis exigitur, hæc à solis baptizatis. Vnde patres Trideotini sess. 6. cap. 14. Docendum est, inquiunt, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multò aliam esse à baptismali, eáque contineri noo modò cessationem à peccatis & eorum detestationem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorundem sacramentalem confessionem & satisfactionem per ieiunia &c. Deinde sequitur: De qua pœnitentia scriptum est: *Memor esto, vnde excideris & age pœnitentiam & prima opera fac.* Apocalyp. 2. Et iterum: *Quæ secundum Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* 2. Corinth. 7. Et rursus: *Pœnitentiam agite & facite fructus dignos pœnitentia.* Matth. 3. & 4. & Lucę 3. Quod postremum scripturę testimonium, non ideo putandum est non seruire proposito, quia verba illa non ad baptizatos dicta sunt. Ad eos quippe dicebaotur qui circumcisionem quæ populo Iudaico fuit instar baptismi, secundùm legem acceperant, & pòstea in grauia peccata fuerant prolapsi. Quibus proinde non qualiscunque pœnitentia, sed ea quæ meritò ab omnibus relapsis exigitur, erat prædicanda.

Rursum sess. 14. cap. 1. traditur idem discrimen his verbis: Fuit quidem pœnitentia vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore ad gratiam & iusticiam assequendam necessaria, illis etiam qui baptismi sacramento ablui petiuissent, vt peruersitate abiecta & emendata tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarétur. Deinde commemoratis aliquot scripturæ testimonijs sequitur: Porrò nec ante aduentum Christi pœnitentia erat sacramentum, nec est post aduentum illius cuiquam ante baptismum. Sic ibi. Eodem pertinet quod cap. 4. eiusdem sessionis dicitur contritionis motum quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum fuisse necessarium.

Idem discrimen ex definitionibus vtriusque comprobatur: Nam pœnitentia vt virtutem vel actum eius significat, nihil aliud est quàm studium placandi Deum super peccato commisso, ortum ex amore Dei & odio peccati, vel vt Magister in textu definiuit: Pœnitentia est virtus qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus, & plangenda vlterius committere nolumus, vel vt patres Tridentini concilij iam dicto loco contritionem definierunt (est enim contritio proprius pœnitentiæ actus) hoc modo: Pœnitentia est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, vel denique vt Ambrosius & Gregorius à Magistro citati eam denotant potiùs quàm describunt: Pœnitentia est anteacta peccata deflere, & flenda non committere. Relapsorum verò pœnitentia præter hæc iam dicta plus aliquid includit, potestque hoc pacto definiri: Pœnitentia est tristitia de peccato cum studio placandi Deum per media ad hoc diuinitus ordinata, nempe per confessionem & satisfactiooem. Sacramentum autem pœnitentiæ definitur, in quo relapsis verè pœnitentibus & confessis cum proposito saltem satisfaciendi sacerdotalis absolutio à peccatis impenditur.

Ex quibus omnibus patet pœnitentiam in genere à pœnitentia relapsorum non aliter differre, quàm vt genus à specie. Ab vtraque verò distingui ipsum pœnitentiæ sacramentum tanquam signum sensibile ad reconciliationem eorum qui post baptismum lapsi sunt, institutum, ac proinde pœnitentiam relapsorum tanquam necessariam dispositionem requirens. Conuenit tamen vt ait Magister, pœnitentia vt est virtus cum pœnitentiæ sacramento, quod vtrumque est causa salutis & iustificationis etsi differenter. Nam virtus pœoitentiæ seu actus eius præparat & disponit ad iustificationem. Sacramentum autem ipsam iustificationis gratiam confert ex opere operato more aliorum sacramentorum.

Ad id verò quod dispntant hoc loco scholasticè, vtrùm pœnitentia sit virtus generalis an specialis & vtrùm Theologica, an moralis, & in qua parte animæ resideat, breuiter respondemus eam esse specialem virtutem qua homo peccatum in quantum Dei offensa est, detestatur & ad eius destructionem nititur. Pertinere autem ad speciem iusticiæ commutatiuæ, vti S. Thomas docet (etsi alij secus sentiant) in quantum pœnitens dolet de peccato commisso cum emendationis proposito; subiectum autem eius esse voluntatem in qua & cæteræ partes subiectantur.

§. 3. *Pœnitentiæ sacramentum vnum esse è sacramentis nouæ legis.*

S.Tho.3. p.q.84. art.1. & 2.

ESse aliquod sacramentum nouæ legis quo post baptismum relapsi per pœnitentiam Deo reconciliantur, quod pœnitentiæ sacramentum vocatur, etsi plærique id hodierni hæretici negent, asserentes sola baptismi recordatione omnia quæ post baptismum committuntur, peccata tolli, nullo modo dubitandum est, cùm id è sacris literis, & apostolica traditione vniuersa semper ecclesia agnouerit & perpetuo vsu protestata fuerit.

Vnus scripturæ locus est Matth. 18. vbi ad apostolos ait Dominus: *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in cælo.* Quibus verbis apostolos & eorum successores ea potestate donaturum se promittit, qua & ligare peccatores & soluere eos à peccatis possint per sententiam in cęlo, id est, apud Deum ratam habendam. Quomodo eum locum semper patres intellexerunt, vt inter alios Cyprianus lib. 1. epist. 2. Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 1. & 2. Hilarius in Matth. Augustinus serm. 44. de verbis Domini & homil. vltima inter 50.

Alter locus est Ioannis 20. vbi ad eosdem suos apostolos Dominus ait: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, re-*

tenta

tenta sunt. Quæ verba similiter significant coram tribunali Dei ratum fore quicquid in remittendis vel retinendis peccatis legitimè fecerint apostoli & eorum successores. Quanquam non est negandum inter priorem illam & hanc posteriorem Domini sententiam aliquid interesse. Quod discrimen alio loco exactiùs explicabitur. Hunc autem posteriorem locum præcipuè vrgendum putauerunt patres concilij Tridentini ad statuendum hoc pœnitentiæ sacramentum, tam contra veteres Nouatianos, quàm contra nouos diuersarum sectarum hæreticos sess. 14. cap. 1. & can. 3. vbi & damnant eorum commenticias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi euangelium annunciandi contra huius sacramenti institutionem detorquent.

Ad eandem remittendorum criminum potestatem referunt quidam quod est 1. Timoth. 5. *Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis* Quem locum tamen ad sacram ordinationem potiùs pertinere putamus. Eodem refertur à nonnullis locus Galat. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui spirituales estis,* id est inquiunt, eadem mecum potestate præditi, *huiusmodi instruite,* vel quod Græca vox magis significat *instaurare in spiritu lenitatis.* Quo instaurandi vocabulo totum pœnitentiæ negocium, quo peccator relapsus in pristinum statum restituitur, volunt ab apostolo indicatum esse. Profertur ex eodem apostolo quod in 2. ad Corinth. monet Corinthiorum præpositos seu presbyteros, vt fornicatio pridem excommunicato post actam pœnitentiam donent peccatum in persona Christi. Verùm rectiùs ille locus de condonatione pœnæ restantis, id est, de indulgentia intelligitur.

Quæ verò sanctorum patrum semper fuerit de hac re sententia, ex eorum scriptis clarissimè liquet, quorum nos aliquot loca recensebimus. Dionysius Areopagyta eccles. hierarchiæ cap. 7. Tertullianus lib. de pœnitentia, Cyprianus in serm. de lapsis, & lib. 3. epist. 14. Origenes homil. 2. in Leuiticum. Basilius quæst. 288. earum quas compendio explicauit. Ambrosius passim in libris de pœnitentia contra Nouatianos editis & lib. 7. in Lucæ 15. Pacianus vetustus author in epistola 1. & 2. ad Sempronium. Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio cap. 5. & in Ioan. 20. ac post eum Cyrillus & Theophylactus in eundem Ioannis locum. Augustinus de verbis Domini sermone 8. 11. & 44. Item homilia 27. vltima & penultima. tract. 49. & 50. in Ioannem, epistola 48. & 180. quæ est ad Honoratum in psalm. 101. concione 2. & lib. 20. de ciuitate cap. 9. Leo in epist. 91. ad Theodorum & Gregorius homil. 26. in euangelia. Quibus locis illi patres perspicuè testantur à Christo relictam in ecclesia potestatem remittendi peccata post baptismum; eamque non omnibus christianis, sed peculiariter sacerdoribus esse commissam.

His adiungi poterant diuersorum conciliorum canones & pontificum decreta. Sed cùm olim publico totius ecclesiæ consensu Nouatianus fuerit damnatus, quòd potestatem remittendi peccata & reconciliandi pœnitentes prælaris ecclesiæ adimeret (de quo videre licet Epiphanium & Augustinum in lib. de hæresibus, & multa apud Cyprianum & Ambrosium loca) nihil necesse est, pluribus hanc rem agere, præsertim cùm & infrà, vbi de confessione disputabitur, ad eandem rem patrum testimonia sint proferenda.

Quod autem in huius potestatis executione inueniatur ratio sacramenti nouæ legis, ita breuiter ostenditur. Sacramentum nouæ legis definitur signum sensibile, idemque efficax gratiæ inuisibilis seu insensibilis. Atqui in proposito signum sensibile est actus sacerdotis dictam potestatem exequentis per solennia verba super pœnitentem recitata, quibus illa ipsa potestatis executio significatur, cùm dicit: Ego te absoluo &c. Quare sicut actus ministri baptizantis & præscripta verba proferentis est baptismi sacramentum, ita actus sacerdotis absoluentis & similiter præscripta verba proferentis (quem actum vocare possumus absolutionem) sacramentum est pœnitentiæ. Materia verò eiusdem sacramenti vel sunt peccata, vel actus pœnitentis ad consequendam peccatorum remissionem requisita, iuxta diuersam materiæ considerationem, vt suo loco declarabitur. Patet autem tum actum ipsum externum sacerdotis, tum verba quæ profert, tum actus ipsos pœnitentis, quibus intimum animi dolorem vel confitendo vel satisfaciendo prodit ac profitetur, esse quiddam sensibus expositum, vt non sit hîc necesse confugere ad ceremoniam manus impositionis, quam constat ad huius sacramenti substantiam non pertinere, vt infrà ostendemus. Inuisibilis autem gratia quam ex Christi promissione sacramentum hoc & significat & efficaciter secum adfert, est remissio peccatorum iuxta illud: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* siue vt Florentinum decretum loquitur, absolutio à peccatis iuxta illud: *Quæcunque solueritis super terram &c.* Quæ quidem remissio seu absolutio cùm sit gratuitum Dei donum ad iustificationem hominis necessarium, rectissimè gratia vocatur, minimè tamen separanda à gratia habituali, quæ pœnitentem coram Deo verè iustum ipsiusque Dei filium ac regni hæredem constituat.

§. 4. *Diuersum esse à baptismo hoc pœnitentiæ sacramentum.*

QVoniam huius temporis sectarij sacramenta confundentes, ipsum baptismum docent esse pœnitentiæ sacramentum, quasi baptismus semel susceptus etiam ad sequentium omnium peccatorum remissionem valeat sola sui recordatione absque alio sacramento: hinc visum fuit patribus concilij Tridentini accuratiùs distinguere inter hæc duo sacramenta sess. 14. cap. 2. eamque distinctionem interposito anathemate sancire can. 2. eiusdem sess. *S. Thom. vbi sup.*

Est autem discrimen hoc multiplex. Primum à substantia. Siquidem ea quibus vtriusque sacramenti substantia perficitur, id est, materia & forma, plurimum distant, vt ex dictis est manifestum.

Secundum à ministro. Nam præterquam quod baptismus à quocunque homine administrari potest, si necessitas exigat, semperque etiam extra necessitatem ratum & verum habetur sacramentum à quocunque administratum, absolutionis verò sacramentum solum sacerdotem habet ministrum: est aliud ex parte ministri discrimen. Nam baptis-

mi ministrũ non oportet esse iudicem, cùm ecclesia A in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. *Quid enim mihi*, ait apostolus 1. Corinth. 5. *de ijs qui foris sunt iudicare?* At eos qui semel per baptismum facti domestici fidei, postea in crimẽ aliquod prolapsi sunt, voluit Christus tanquam reos sisti ante hoc pœnitentiæ tribunal, vt causa cognita per iudiciariam sacerdotum sententiam à peccatis absolui possint.

Tertium à frequentia. Nam baptismum iterari nulla ratione licet, reconciliationis autem sacra- B mentum toties licet repetere, quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, vt infrà pleniùs docebitur.

Quartum ab effectu. Diuersus est enim baptismi & pœnitentiæ fructus. Per baptismum enim Christum induentes noua prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: Ad quam tamen nouitatem & integritatem per sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus diuina id exigente iustitia, peruenire nequaquam possumus, vt meritò pœnitentia laboriosus quidam baptismus à sanctis patribus dictus fuerit. Atque C his ferè modis inter hæc sacramenta distinxerunt loco memorato patres concilij Tridentini.

Ad cuius discriminis confirmationem illud imprimis ex patribus adduci potest, quod, vt initio monstrauimus, pœnitentiæ sacramentum subinde vocent secundam tabulam post naufragium, quam profectò à prima tabula, seu potiùs ab ipsa naue quæ est baptismus, oportet esse diuersam.

Probant deinde discrimen illud manifestæ patrum sententiæ planè distinguentium inter ea sacramenta. Nam vt Tertullianum prætereamus, qui duos edidit libros alterum de baptismo, alterum de D pœnitentia tanquam argumentis distinctis; Origenes homil. 2. in Leuiticum respondens quibusdam dicentibus christianos tantùm vnam habere viam remissionis peccatorum, nempe baptismum, respondet non eam solam esse, sed præterea sex alios modos enumerat, quorum postremus est per pœnitentiæ sacramentum.

Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 7. & lib. 2. cap. 2. docet primùm per baptismum, deinde per pœnitentiam ministerio sacerdotum remitti peccata Dei virtute vtrobique operante. Idem docet in E apologia Dauid cap. 9.

Augustinus enchiridij 46. Ideo, inquit, quisque renascitur, vt soluatur in eo quicquid peccati est, cum quo nascitur. Nam peccata quæ malè agendo postea committuntur, possunt & pœnitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. Et in epist. 23. ad Bonifacium loquens de homine qui infans baptizatus ad adultam peruenit ætatem. Tunc, inquit, etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia curatione sanentur. Et lib. 20. de ciuit. cap. 9. cùm de iudiciaria sacerdotum potestate hæc præmisisset F verba doctrinæ Tridentini concilij prorsus consentanea: Iudicium autem datum Apocalyp. 20. nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum est. *Quæ ligaueritis in terra, & quæ solueritis in &c.* Vnde apostolus. *Quid enim mihi est*, inquit, *de his qui foris sunt, iudicare? Nonne de his qui intus sunt, vos iudicatis?* mox ea subiungit quibus apertum discrimen indicat sacramentorum baptismi & reconciliationis dicens: Alioquin nihil prodesset in periculis ad baptismum currere, ne sine illo finiatur hęc vita; nec ad reconciliationem si fortè per pœnitentiam, malamue conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Idem discrimen significat lib. 1. de adulterinis coniugijs cap. vltimo & epist. 180. ad Honoratum, & lib. 5. de symbolo cap. 7. & 8. Similiter & alij patres compluribus locis, ac nominatim Pacianus in epistolis & in libro contra Nouatianos, Hieronymus dialogo 2. contra Pelagianos, Cyrillus in Ioan. 20. Beda in Marc. 1. & Isidorus lib. 6. etymol. cap. 9.

Denique satis id ostendunt exempla scripturæ. Nam neque fornicarius ille Corinthius, neque Simon magus cùm post baptismum grauiter deliquissent, remissi sunt ad baptismi antè percepti recordationem, vt eo pacto veniam criminum suorum consequerentur, sed mago quidem dictum est à Petro: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua &c.* Corinthium autem Paulus excommunicatum ad grauem satisfactionem adegit.

Quid autem ad argumenta quædam hæreticorum quæ ab illis in contrarium præcipuè ex quibusdam Augustini locis adferuntur, sit respondendum, diximus cùm de baptismo ageremus, tractantes quæstionem, quomodo baptismo tribuatur omnis sequens renouatio.

Porrò conuenientiam quandam huius sacramenti cum baptismo patres Tridentini breuiter loco suprà citato indicauerunt his verbis: Est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, sicut nondum regeneratis ipse baptismus. De qua necessitate infrà dicemus.

§. 5. *Solutio argumentorum quibus Nouatiani pœnitentiam oppugnarunt.*

AD ea nunc respondendum, quibus tum Nouatiani olim, tum recentes hæretici nisi sunt hoc saluberrimum pœnitentiæ sacramentum ab ecclesia submouere. *S. Thom. locus sup. cit.*

Nouatiani potissimùm vrgebant locum apostoli Heb. 6. vbi dicit: *impossibile* esse *eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donũ cæleste, & participes facti sunt spiritus sancti, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei & ostentui habentes* Quibus verbis significatum volebant semel baptizatos, (qui apostolo dicuntur illuminati) ac relapsos non posse saltem vllo visibili sacramento aut ecclesiæ ministerio per pœnitentiam in priorem statum restitui, Deoque reconciliari.

Proferebant & alterum eiusdem epistolæ locum cap. 10. qui sic habet: *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem expectatio iudicij &c.* Sed ad hæc iam olim catholici responderunt.

Ad priorem quidem locum duobus modis. Vno modo interpretantes eum de baptismi remedio non iterando, etsi quis in eadem vel grauiora peccata relabatur. Baptismus enim sicut illuminationis, ita & renouationis sacramentum peculiariter vocatur; tum quia peccata omnia perfectè tollit quoad culpam & pœnam; tum quia iusticia quæ per ipsum acquiritur, est perfecta nouitas respectu totius status præcedentis: non ita quæ acquiritur per sacramentum pœnitentiæ, cùm perfectior ea fuerit nouitas baptismi. Huic sensui prætereą fauet

quod apostolus dicit, *semel illuminati.* quasi diceret, non sæpius eos quàm semel posse illuminari, id est, baptizari. Et quod subiungit: *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei &c.* Cùm enim baptismus contineat repræsentationem mortis dominicæ, rursum sibi crucifigit filium Dei, qui baptismum repetit. Vnde Rom. 6. similiter ex eo quòd Christus non amplius moritur, ostendit baptizatos tanquam peccato semel mortuos, debere deinceps in nouitate vitæ ambulare. Nec obstat huic intellectui, quod ait; *renouari ad pœnitentiam.* Intelligit enim pœnitentiam baptismalem, de qua paulò antè dixerat: *Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis.* Hunc sensum tradunt & prosequuntur Ambrosius lib. 2. de pœnitentia contra Nouatianos cap. 2. Augustinus in expositione inchoata epistolæ ad Rom. sub finem, Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius in epistolam ad Heb. Gennadius de ecclesiasticis dogmatibus cap. 30. Cyrillus ab Oecumenio citatus & alij plærique. Vult ergo iuxta horum expositionem apostolus eos qui post baptismum in grauiora peccata prolapsi sunt, non iterum posse confugere ad baptismum, vel aliud saltem remedium æquè facile, quod illis præstet eundem, quem baptismus effectum, id est perfectam nouitatem sublato omni reatu pœnæ: sed si resipiscant & recipi velint ad ecclesiæ communionem, aliud durius ac difficilius remedij genus ijs necessariò subeundum ac perferendum esse. Alij verò sentiunt apostolum, cùm ait; *prolapsi sunt,* loqui non de quocunque grauiori peccato, sed de grauissimo peccato apostasiæ, qua nimirum fides semel suscepta deseritur, de quo loquitur & Petrus 2. epist. cap. 2. dicens: *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est, sancto mandato.* Impossibile verò positum volunt pro difficili, vt sensus sit, tales ferè desperatos esse, ita vt sit difficillimum eos reduci ad agnitionem veritatis & sic per pœnitentiam renouari. Quem sensum etiam habet loco iam citato Ambrosius, sed ita vt præferat priorem.

Posterior hic sensus magis fortasse quadrare videbitur in alterum apostoli locum Hebr. 10. Ibi enim præmiserat hæc verba: *Non deserentes collectionem nostram &c.* vbi apostasia significatur, quod peccatum postea rursum his verbis exaggerat: *Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit &c.* Taliter ergo peccantibus negat apostolus relinqui hostiam pro peccato, quia valde difficile est tales reuocari ad pœnitentiam, vt sic eis possit hostia crucis ad illius tanti peccati remissionem applicari: quibus proinde dicit apostolus impendere terribile iudicium Dei exercendum in reprobos. Potest tamen & hic locus (quomodo eum Chrysostomus, Theophylactus & alij Græci exponunt) intelligi de baptismo non repetendo, si qui post baptismum fuerint in grauia scelera prolapsi. Iis enim *non iam relinquitur hostia pro peccatis,* id est eiusmodi remedium quo statim ac penitus à peccatis liberentur, quale est baptismus, in quo hostia crucis sine vlla conditione satisfactionis applicatur homini ad perfectam peccatorum remissionem; *sed terribilis quædam expectatio iudicij &c* id est laboriosa ac dura pœnitentia, quæ est exemplum quoddam terribilis punitionis ac vindictæ Dei in impios exercendæ. Iuxta quam interpretationem sanè quàm probabilem & cum loco Hebr. 6. consentientem, hic locus non modo non tollit, verùm etiam confirmat sacramentum pœnitentiæ, saltem quoad satisfactionem quæ à relapsis exigitur. Quod autem apostolus his sententijs non intendat tollere pœnitentiam post baptismum, aut relapsorum pœnitentium reconciliationem, ex vtraque ad Corinthios epistola certissimè constat, vbi fornicarium Corinthium post grauem satisfactionem tandem in persona Christi iubet in gratiam recipi & 2. epistolæ cap. 12. dolorem suum indicat de ijs qui antè peccauerant, nec tamen adhuc egerant pœnitentiam super immunditia & fornicatione & impudicitia quam gesserant, commioans se ijs si venerit, non parciturum.

§. 6. *Aliorum argumenta quibus hoc sacramentum oppugnant, soluuntur.*

QVæ ab hæreticis nostri sæculi contra potestatem remittendi peccata sacerdotibus à Domino concessam, adferuntur, numero quidem plora sunt, at suprà dictis Nouatianorum argumentis nihilo firmiora. *S. Thom. ibidem.*

Primùm oppugnant argumentum Catholicorum ex loco Matth. 18. contendentes id quod ibi dicitur, omnibus fidelibus esse commune, atque hunc habere sensum: Quemcunque fratrem peccantem ligaueris habendo eum tanquam ethnicum & publicanum, si corrigi noluerit, vel corrigendo solueris, is vel ligatus vel solutus erit in cælo. Quam interpretationem muniunt authoritate Augustini qui serm. 16. de ijsdem Domini verbis (& habetur 11. quæst. 3. cap. Cepisti) sic ait: Cepisti habere fratrem tuum tanquam publicanum; ligas illum in terra, sed vt iustè alliges, vide. Nam iniusta vincula dirumpit iusticia. Cùm autem correxeris & concordaueris cum fratre tuo, soluisti illum in terra, cùm solueris in terra, solutus erit & in cælo. Item tract. 58. in Ioannem. Dum nos inuicem peccata dimittimus, inquit, ea in terra soluimus, vt & in cælo soluantur. In eandem sententiam scribit tract. 50. Simile quid habet Theophylacti commentarius in Matth. Si tu, inquit, offensus habes eum qui te iniuria affecit, sicut publicanum & gentilem, erit ille & in cælo talis; si autem solueris eum, hoc est ignoueris, erit ei & in cælo condonatum. Non enim solùm quæ soluunt sacerdotes soluta sunt, sed quæcunque & nos iniuria affecti vel ligamus vel soluimus, & ipsa erunt ligata vel soluta.

Sed respondemus Augustinum & Theophylactum ijs locis non adferre proprium sensum verborum Christi, sed quod propriè dictum erat ad apostolos & eorum successores ecclesiæ præfectos, extensione quadam omnibus fidelibus accommodare. Quod satis apparet, quia Theophylactus ibidem innuit esse quandam soluendi potestatem sacerdotibus propriam, & paulò antè dixerat ad ecclesiæ præsides referendum esse fratris peccatum: in Ioannem verò scribens ad cap. 20. clarissimè catholicam doctrinam astruit; Augustinus autem proprium sensum dictorum verborum sæpe alibi apertè tradit, vt homil. 27. 49. & homil. 50. lib. 1. contra aduersar. legis & prophetarum cap. 17. tract. de vtilitate pœnitentiæ cap. 3. lib. de natura boni cap. vltimo, lib. 20. de ciuitate Dei cap. 9. & in Ioannem tract. 22. & 49.

Potest obijci & illud Hieronymi in Isaiæ 14. vbi citans scripturam prouerb. 5. *Funibus peccatorum suorum* vnusquisque *constringitur,* ita subiungit: Quos

funes atque vincula soluere possunt & apostoli imitantes magistrum suum qui eis dixerat: *Quaecunque solueritis super terram, erunt soluta & in caelo.* Soluunt autem eos apostoli sermone Dei, & testimonijs scripturarum, & exhortatione virtutum. Ad quod similiter respondetur varios esse soluendi modos, quorum vnum ijs verbis Hieronymus complexus est, non tamen eum voluisse reddere proprium sensum illius scripturae, aut alium soluendi modum sacerdotibus proprium negare. Quanquam & de isto modo Hieronymi verba accipi possunt, vt per sermonem Dei intelligat verba absolutionis, quae Dei nomine proferuntur. Testimonia verò scripturarum & exhortationem virtutū adhiberi velit B pro instructione peccatoris & cautela in posterum. Quod autem eam sacerdotum potestatem Hieronymus agnouerit, alia eius loca perspicuè docent, vt commentarius in Matth 16. & 18. & in Tit. 3.

Deinde ab haereticis oppugnatur altera Catholicorum probatio Ioan. 20. *Quorum remiseritis &c.* volunt enim ijs verbis non aliud apostolis mandatum esse, quàm vt praedicent euangelium per totum mundum, & credentibus quidem annuncient remissionem peccatorum, non credentibus autem praenuncient iram Dei, atque illos ab his discernant signaculo baptismatis. Quem sensum ita probant, C quia quod dicitur Ioan. 20. *Quorum remiseritis &c.* idem est cum eo quod Dominus dicit Luc. 24. praedicari in nomine eius poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Et hoc rursum idem cum eo quod dicit Matth. vltimo: *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Haec autem eadem esse nituntur ostendere testimonio Augustini qui lib. 3. de consensu euang. cap. 25. duo priora loca refert ad idem tempus, & eandem Christi apparitionem. Sed respondetur imprimis ex textu euangelij liquidò constare verba Domini apud Matthaeum dicta D esse multò post ea quę sunt apud Lucā & Ioannem, tametsi cum verbis Lucae habeant quandam sensus conuenientiam. Ab his autem sensu diuersissima esse quae sunt apud Ioannem. Quamuis enim, vt vult Augustinus, vtraque haec dicta sint à Domino in eadem apparitione, non propterea tamen idem significant. Potuerunt enim in vno & eodem sermone diuersissima apostolis à Christo praecipi.

Verùm adhuc obijcitur authoritas Augustini & Cyrilli. Augustini quidem qui dictum euangelij locum exponens tract. 121. dicit, quòd ecclesiae caritas dimittit peccata participum suorum, E aliorum autem tenet: Cyrilli verò, qui in eondem locum commentans de ea peccatorum remissione quae fit in baptismo, eum exponit. Respondemus ex mente Augustini & sacerdotes remittere peccata, & charitatem ecclesiae idem praestare, sed aliter atque aliter; sacerdotes enim id facere potestate iudiciaria sibi à Christo concessa; charitatem autem ecclesiae per modum causae impetratoriae. Sicut enim in baptismo remissio peccatorum tribuitur fidei ecclesiae, ita in hoc sacramento poenitentium reconciliatio tribuitur gemitibus columbae, id est, o- F rationibus piorum fidelium, quod & alibi Augustinus docet vt in psalm. 61. lib. 3. contra Donatistas cap. 17. & 18. lib. 4. cap. 5. & lib. 5. cap. 20. 21. & 22. & lib. 6. cap. 1. & 2. & homil. 23. inter 50. Cyrillus autem non de solo baptismo, sed extensione quadam de baptismo simul & poenitentia tanquam duobus modis, quibus sacerdotes remittunt peccata, locum Ioannis exponit, idque propter similitudinem quandam effectus vtriusque sacramēti; qui tamen in baptismo per solum habetur ministerium abluentis, in hoc autem sacramento per iudiciariam potestatem absoluentis. Vnde Cyrilli locus catholicam veritatem confirmat, poenitentiae sacramentum à baptismo diuersum esse ostendens.

A

Notandum est autem anathema concilij Tridentini quod habetur sess. 14. cap. 1. & can. 3. non aduersari dictis quibusdam patrum expositionibus, etsi minùs proprijs, sed in eos pronunciari qui verba Domini Ioan. 20. commenticijs interpretationibus ad authoritatē praedicandi euangelium, contra huius sacramenti institutionem detorquent, quod ab illis patribus non est factum.

Postremò Sectarij vt doceant baptismum & poenitentiam non esse distincta sacramenta, sed poenitentiae sacramentum ipsum esse baptismum, adducunt illud quod est Marci 1. & Lucae 3. Ioannem praedicasse baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Ad quod respondetur Ioannis quidem baptismum fuisse baptismum poenitentię, quia erat exterior quaedam professio agendae poenitentiae: Christi verò baptismum non fuisse baptismum poenitentiae, sed remissionis peccatorum; quia per eum remissio peccatorum conferebatur, quem proinde praecedere debebat quaedam poenitentia, iuxta illud Petri Act. 2. *Poenitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Neque tamen etiamsi baptismus Christi aliqua ratione dici fortè posset sacramentum poenitentiae, consequens erit non esse aliud, quod propriè sacramentum poenitentiae dicatur.

Vnde facile soluitur quod ex Augustino seu potiùs Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 30. posset obijci, baptismum ab eo vocari sacramentum fidei & poenitentiae. Sic enim vocatur non quòd aliud nullum poenitentiae sacramentum sit agnoscendum; sed quia, vt ibidem dicitur, adultis ad ecclesiam venientibus necessarium est & poenitentiā de malis suis agere, & fidem catholicam secundum regulam veritatis tenere, & sacramentum baptismatis accipere.

Sunt & alia quae contra sacramenti huius institutionem adferri solent, sed ea oportuniùs tractabuntur circa quaestiones de ministro huius sacramenti quis sit, & vtrùm verè peccata remittat; an verò tantùm remissa declaret & annunciet, & quae sit potestas clauium ministris ecclesiae commendata. De quibus omnibus suo loco.

§. 7. *Poenitentiae sacramentum esse relapsis ad salutem necessarium.*

SIcut baptismus omnibus nondum regeneratis est ad salutem necessarius, ita poenitentiae sacramentum omnibus post baptismum in mortale peccatum lapsis similiter ad salutem necessarium est; quemadmodum tradunt patres Tridentini sess. 14. cap 2. & rursus insinuant can. 6. & 7. Quae comparatio poenitentiae cum baptismo sumpta videtur ex Augustino lib. 1. de adulterinis coniugijs cap. vlt. vbi de sacramento in periculo mortis administrando loquens ait: Quae autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupauerit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suę pacis exire velle debet mater ecclesia. Nec minùs apertè eam comparationem indicat in epistola 180. ad Honoratum. S. Tho. 3. p. q. 84. ar. 5.

Cùm

Cùm enim de periculo mortis ex irruptione hostium imminente loquens, dixisset in tali puncto temporis alios baptismum flagitare, alios reconciliationem, subiecit: Vbi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternę requie non habebunt? Item lib. 20. de ciuit. cap. 9. Alioqui nec aliquid prodesset in periculis ad baptismum currere, ne sine illo finiatur hęc vita; nec ad reconciliationem, si forte per pœnitentiam, malamue conscientiam quisque à corpore Christi separatus est.

Sic & Ambrosius lib. 7. in Lucę 15. Scio, inquit, quosdam dicere, quòd ad mortem sibi lauacri gratiam, vel pœnitentiam reseruent, vtique pœnitentię nomine reconciliationis sacramentum intelligi volens. Eius autem necessitatem sicut & baptismi indicat verbis sequentibus: Qui scis an nocte proxima tua te anima reposcatur? Apertissima verò Leonis sententia est epist. 91. ad Theodorum, quam mox proferemus.

Hanc porrò necessitatem conuincunt eadem scripturę quę probant ipsum sacramentum, nempe Matth. 18. *Quæcunque solueritis &c.* & Ioan. 20. *Quorum remiseritis &c.* Nam sine solutione vel remissione peccatorum certum est hominem non posse consequi salutem. Si autem eorum solutio vel remissio aliter haberi posset quàm per sacerdotum, quibus soluendi & remittendi potestas concessa est, ministerium, frustrà ea potestas certis quibusdam ministris tanquam Christi vicarijs à Domino tradita esset. Imò ex eo ipso quòd sacerdotes huius rei iudices ac ministri sunt constituti, rectè sequitur eos omnes qui ad hos pro reconciliatione non accedunt, reos apud Dominum manere. Quemadmodum si rex aut princeps aliquis per regnum aut prouinciam constituat suos vicarios, qui de homicidij crimine cognoscere, & causa cognita possint remittere, meritò iudicarentur capite plectendi, quotquot ab illis authoritate regia constitutis absolutionem criminis non essent consecuti. Adde quòd frustrà difficilis ad veniam obtinendam modus iniungitur, quando alia longè faciliori viâ venia potest obtineri, semper enim præsumuntur homines id quod facilius est, electuros.

Accedit & alia ratio. Nam ministris ecclesiæ non tantùm soluendi & remittendi, verùm etiam ligandi & retinendi potestas data est. Hanc autem frustrà accepissent, si quod ab ipsis ligatum ac retentum, esset alijs modis & quidem facilioribus pręter illorum authoritatem & ministerium solui ac remitti posset. Imò simpliciter falsum esset illud: *Quorum retinueritis, retenta sunt*, si retenta ab illis possent aliter quàm per illos remitti. Denique sequeretur illius potestatis ac tribunalis ecclesiastici inter Christianos maximus neglectus & contemptus, si præter illud alia sint in promptu remedia, quibus absque seueritate iudicij sacerdotalis valeant relapsi gratiam reconciliationis adipisci.

Rectè igitur ex verbis Christi quibus hanc potestatem sacerdotibus contulit, sacramenti huius necessitatem colligit Leo pontifex epistol. 91. ad Theodorum (& habetur de pœnitentia distinct. 1.) ita scribens: Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, & qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminum peruenirent; sic diuinæ bonitatis præsidijs ordinatis, vt indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Iesus hanc præpositis ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Deinde sequentibus verbis eandem necessitatem magis adhuc exaggerans subiungit: Si autem aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus, quocunque interceptus obstaculo à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perueniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit (id est, absolutionem sacerdotalem) consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est, nobis eorum qui sic obierint, merita actusque discutere, cùm dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ iusticię reseruauerit: ita potestatem suam timeri volens, vt hic terror omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim vtile ac necessarium est, vt peccatorum reatus ante vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur. Hęc Leo & alia quę sequuntur eodem pertinentia. Idē pontifex ex potestate ligandi & soluendi Petro data Matth. 16. colligit nihil esse ligatum, nihil solutum, nisi quod Petrus aut ligauerit aut soluerit sermone 3. in anniuersario pontif. & serm. 2. in natali apostolorum Petri & Pauli, ac rursum in soluendis & ligandis quorumcunque causis non aliud ratum esse in cęlis, quàm quod Petri sedisset arbitrio serm. de transfiguratione Domini. Quod & Iuuencus expressit hoc carmine Matth. 16. *Haud aliter venient cœli sub sede soluta.* Quare similiter ex potestate præfectis ecclesiæ data Matt. 18. & Ioan. 20. consequens erit, non aliud ratum esse in cælo, quàm quod illorum gestum fuerit arbitrio.

Eodem argumento ex verbis Domini vsus est & Augustinus, docens frustrà & sine causa datam esse soluendi potestatem sacerdotibus, si non teneantur peccatores ab ijs actionem pœnitentiæ & absolutionem petere, vt peccatorum veniam consequantur. Sic enim fideles adulteros alloquitur homil. 49. inter quinquaginta Agite pœnitentiam, qualis agitur in ecclesia, vt oret pro vobis ecclesia. Nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deū ago. Nouit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago; ergo sine causa dictum est: *Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cælo?* ergo sine causa sunt claues datæ ecclesiæ Dei? frustramus euangelium? frustramus verba Christi? promittimus vobis quod ille negat? &c.

Est & apud Haymonem locus manifestus homil. in dominica 15. post pentecosten, vbi destruens eorum errorem qui sufficere putabant pœnitentiā quæ fit coram Deo. Quorum, inquit, opinio, si vera esset, nequaquam Dominus leprosos quos per semetipsum mundauerat, ad sacerdotes mitteret. Et infrà: Nam vt ostenderet ad iudicium sacerdotum peccata esse liganda atque soluēda, Lazarum quem per semetipsum à mortuis resuscitauerat, non prius abire permisit, quàm à discipulis solueretur &c.

Hæc necessitas etiam ex eo conuincitur, quòd vt initio ostendimus, pœnitentiæ sacramentum sæpenumero à patribus vocatur secunda post naufragium tabula. Quo adagio significatur, hominem relapsum sine eo non posse salutem recipere, sicut naufragus non potest euadere sine tabula. Cæte-

rùm

rùm huius doctrinæ veritas ampliùs elucescet per ea quæ de necessitate sacramentalis confessionis suo loco dicentur.

Cùm igitur hæc sit de necessitate sacramenti pœnitentiæ sanctorum patrum constans doctrina, eaque in verbis Christi fundata, meritò authoritate Sixti quarti ante centum annos damnatæ sunt inter alias hæ duæ conclusiones Petri cuiusdam Oxomensis in Synodo Complutensi, vna, quòd peccata mortalia quantum ad culpam & pœnam alterius sæculi delentur per solam cordis contritionem, sine ordine ad claues. Altera, quòd prauæ cogitationes sola displicentia delentur sine ordine ad claues.

Quomodo autem suprà dicta necessitas sit accipienda, & quatenus vel martyrium vel sacramenti votum ac desiderium suppleat eius vicem (qua de re interim videatur epistola 91. Leonis) intelligendum relinquitur ex iis quæ de baptismi necessitate & remedijs eius vicem supplentibus dicta sunt ad dist. 4.

§. 8. *Responsio ad argumenta quædam in contrarium.*

S. Thom. ibidem.

CONtra necessitatem sacramenti pœnitentiæ multa congeruntur ab aduersarijs arguměta, sed quæ non omnia huius loci propria sunt. Pleraque enim directè vel confessionis sacramentalis necessitatem, vel potestatem clauium impugnant, quę suo loco refellentur, videlicet ad distinctionem 17. & 18. Hîc autem ad ea respondendum quæ tantùm in genere necessitatem sacramenti pœnitentiæ tollere videntur, quamuis & ea ferè talia sint quæ non minùs contra baptismum eiusue necessitatem militent. Sunt autem huiusmodi.

Primò. Multæ scripturæ significant ad veniam & salutem sufficere solam, veram & synceram peccatoris conuersionem ad Deum, cum peccati detestatione, vt psalm. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Isaiæ 30. secundùm septuaginta: *Cùm conuersus ingemueris, saluus eris.* Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius non recordabor.* Et iterum: *Conuertimini & agite pœnitentiã ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Quæ quidem sententiæ non minùs nunc obtinent quàm tempore veteris legis. Quanquam & similes leguntur in scriptura noui testamenti, vt Matth. 18. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Lucæ 2. *Pax hominibus bonæ voluntatis* Iacobi 5. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte.* Quæ omnia si vera sunt, videtur nulla esse necessitas sacramenti. Quod & Fulgentius sentire videtur lib. de fide ad Petrum cap. 3. vbi allegans dictam sententiam Isaiæ 30. dicit pœnitentem mox consequi veniam, & Augustinus serm. 59. de verbis Domini dicens. Quàm citò quis conuersus est, omnia illi peccata dimittuntur.

Secundò. Operibus misericordiæ passim idem tribuunt scripturæ. Nam *eleemosyna* (Tobia teste cap. 4. & 12.) *ab omni peccato & à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata.* Et prouerb. 15. *Per misericordiam & fidem purgantur peccata.* Et Ecclesiastici 3. *Sicut ignem extinguit aqua, sic eleemosyna resistit peccatis* Et Saluator in euangelio Lucæ 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Vnde Cyprianus in tract. de eleemosyna dicit singulis operibus misericordiæ deberi remissionem peccatorum, &

A Augustinus enchiridij 70. & 71. affirmat eleemosynam delere etiam ea quæ scelerate aguntur. Et Lactantius lib. 6. cap. 12. Magna est, inquit, misericordiæ merces, cui Deus pollicetur peccata se omnia remissurum.

Tertiò. Idem tribuit Augustinus pacto orationis dominicæ, dicens per illud non solùm leuia peccata, sed etiam crimina dimitti. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 14. & enchiridij loco iam citato, idque iuxta euangelicam promissionem Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis peccata vestra.*

B Quartò. Eandem vim patres Tridětini tribuunt oblationi incruenti sacrificij, dicentes Deum ea oblatione placatum crimina & peccata etiam ingentia dimittere.

Quintò. Christus peccatricem Luc. 7. & adulteram Ioan. 8. recepit in gratiam sine sacramento.

Sextò. Petrus apostolus Actor. 8. Simonem Magum grauissimi criminis reum post baptismum non remittit ad aliquod ecclesiæ sacramentum, sicut fecerat Actor. 2. iubens Iudæos pœnitentiam agere & baptizari, sed tantùm ei dicit, *pœnitentiam age ab hac nequitia tua.*

C Septimò. Interdum aliena fides & oratio sufficienter impetrat alicui remissionem peccatorum. Nam Christus respiciens fidem portantium dixit paralytico: *Fili remittuntur tibi peccata tua*, & Iacobus vltimo de remissione peccatorum loquens ait: *Orate pro inuicem, vt saluemini*, & Simon Magus apostolorum petit intercessionem, per quam sibi peccatum suum condonetur. Sic Augustinus in psalm. 91. de Genethliaco loquens ad populum ait: Orate pro illo, scimus enim & certi sumus, quia oratio vestra delet omnes impietates eius.

D Octauò. Lex gratiæ nihil adimit virtutis pœnitentiæ & fidei, sed ante Christum & ante legem sufficiebat sola fides & pœnitentia ad consequendam veniam peccatorum, igitur & nunc sufficit.

Postremò. Propter necessitatem baptismi potest omnis homo esse illius sacramenti minister, & eandem ob causam administratur in materia maximè obuia. At nihil tale in sacramento pœnitentiæ, ergo non sic est necessarium hoc sacramentum relapsis, sicut baptismus nondum regeneratis.

His argumentis ordine respondentes, dici-
E mus imprimis eas scripturas quæ cordi contrito & humiliato & sinceræ conuersioni cordis ad Deum veniam aut salutem tribuunt, neque sacramentum excludere, neq; eius necessitatem tollere. Alioquin enim, vt iam monuimus, pari ratione etiam baptismi necessitas tolleretur; cùm sententiæ scripturę generales sint, quę etiam ad homines nondum regeneratos accommodari possint. Sed significant eiusmodi scripturę, quid sit ante omnia necessariũ, nempe vt quis doleat de peccato & conuertatur ad Deum. Quo initio habito iam non ita difficile sit cætera consequi, quæ ad remissionem sunt necessa-
F ria. Qui enim syncerè conuersus est ad Deum, & seriò detestatur peccata, libenter & promptè suscipiet ea remedia quæ ad obtinendam per Christum remissionem peccatorum diuinitus sunt ordinata. Deinde contritio verè delet peccatum etiam tanquam pars sacramenti pœnitentiæ, si tamen & aliæ partes accedant, quę sunt satisfactio & confessio; ijsque partibus materię rationem habentibus sua addatur forma per absolutionem sacerdotis. Itaque verum est harum partium vnamquamque delere peccatum, non tamen solam sed alijs con-

iunctam,

iunctam, idqne vel re ipsa vel saltem in voto. Quo fit, vt nec perfectę cõtritioni reconciliatio sit asscribenda sine sacramenti voto quod in illa includitur, quemadmodum definit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. Iam quod interdum patres dicunt homini verè pœnitenti statim sua peccata remitti; vel sic intelligitur statim, vt perfecerit ea quæ sunt pœnitentis, inter quæ est ipsius sacramenti susceptio; vel intelligi debet de eo quod ex parte peccatoris præcipuè exigitur & necessarium est ad consequendam veniam. Id enim esse constat veram pœnitentiam, qua habita peccator & veniam consecutus & saluus esse dicitur in certa & proxima spe videlicet accedente sacramento. Quemadmodum de adolescente comicus ait: Erubuit, salua res est, propter spem salutis quam promittit indoles erubescentis.

Porrò nec illę scripturæ secundo loco adductę, quæ remissionem peccatorum asscribunt operibus misericordiæ, sacramenti necessitatem tollunt, nihilo magis quàm necessitatem pœnitentiæ interioris & syncerę conuersionis ad Deum Sicut Augustinus docet in lib. de fide & operibus & in enchirid. 70. Sed præscribuntur huiusmodi opera tanquam media quædam ad obtinendam remissionem accommodatissima, Valde enim congruit, vt qui misericordiam à Deo consequi volumus, ipsi priùs misericordiam proximis exhibeamus iuxta illud: *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Valent autem ea opera ad remissionem seu pœnæ per modum satisfactionis, quæ cùm sit vna pœnitentiæ pars, effectum illum absque cæteris partibus ad integritatem sacramenti requisitis præstare non potest.

Simile iudicium est de oratione dominica alijsque pijs orationibus quibus veniam peccatorum à Deo petimus. Nam & oratio inter opera satisfactionis numeratur, & peculiarem habet promissionem dicente domino: *petite & accipietis*, sed & omne genus piorum operum, per quæ cupimus Deum nobis reddere propicium, tale est vt veniam nobis impetret, id est, ad remissionem peccatorum etiam mortalium valeat per modum causæ impetratoriæ. Peculiariter quoque ad id valet condonatio offensæ proximorum, iuxta pactum orationis dominicæ diligenter à Domino explicatum pluribus locis vt Matth. 6. & 18. Marci 11. Luc. 6. & priùs indicatum ab Ecclesiastico cap. 28. Verùm ista sic impetrant remissionem peccatorum, vt tamen alia remedia subordinata non excludant, cuiusmodi sunt fides, dilectio pœnitentia, ipsum denique sacramentum, per quod actu confertur id ad quod impetrãdum præcedentia opera fiebant. Neque id mirum, quandoquidem & in veteri lege quædam peccata non sine sacrificijs à Moyse præscriptis expiabantur.

Ad quartum respondetur oblatione sacrificij altaris dimitti crimina, non quod statim ipsa oblatione id fiat absque sacramento, sed quia vt concilium declarat, Deus illius sacrificij oblatione placatus gratiam & donum pœnitentiæ peccatoribus inspirat, quo deinde criminum suorum veniam per sacramentum reconciliationis accipiant. Quod similiter verissimè dicitur de sacrificio crucis. Nam vt ibidem subiungit concilium, vna eademque est hostia &c. Sicut ergo remissio criminum accipienda per sacrificium crucis, non derogat sacramento, ita nec si speretur per oblationem altaris.

Ad quintum argumentum respondetur bifariam. Primò enim sacramentum pœnitentiæ non-
A dum institutum erat ante Domini passionem. Deinde vt esset institutum, potuit tamen Christus per potestatem excellentiæ quam habuit circa sacramenta, effectum alicuius sacramenti conferre sine sacramento.

Ad sextum respondemus, quòd sicut pœnitentia quæ exigitur ante baptismum, non aufert necessitatem baptismi, vt patet Actor. 2. ita pœnitentia ad quam Petrus hortatur Simonem Magum iam baptizatum, non excludit sacramenti pœnitentiæ necessitatem. Imò per hoc quod addit Petrus: *Si fortè remittatur tibi &c.* innuitur hoc sacramentum sal-
B tem ex parte satisfactionis. Significatur enim difficultas quædam remissionis in relapsis maior quàm in baptizandis, vtpote quòd laboriosa à relapsis exigatur actio pœnitentiæ iuxta præscriptum eorum qui ligare possunt & soluere, qualis non exigitur à baptizandis. Et potest intelligi id significatum illis verbis Simonis ad apostolos: *Precamini vos pro me ad Dominum*, quia vt ait Leo epist. 91. ab ijs qui regenerationis donum violarunt, indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri. Supplicationum nomine ipsam quoque sacer-
C dotalem absolutionem comprehendens.

Ad septimum respondetur, quòd sicut orationes alienæ non impetrant cuiquam veniam absque fide & oratione propria, si talis est qui etiam pro se orare possit, ita nec sine sacramento. Sunt enim hæc, vti diximus, inuicem subordinata.

Ad octauum eandem esse vim fidei & pœnitentiæ siue cum sacramento & per sacramentum Deus eam respiciat, atque ad veniam acceptet, siue id faciat sine sacramento, sicut apud diuitem æquè valet oratio pauperis siue per seipsum largiatur ei
D eleemosynam, siue per famulum. Quod autem sub lege & ante legem etiam sine sacramento vel sacrificio pœnitentia fuerit acceptata ad veniam, non item id fiat tempore gratiæ, non id tam seueritatis est diuinæ, quàm bonitatis & clementię; quia sacramentum susceptum pręstat homini quandam securitatem & certitudinem acceptę venię, quę non ita habetur sine sacramento.

Ad postremum, quòd etsi baptismi necessitas non sit simpliciter maior quàm sacramenti pœnitentię, extendit se tamen ad plura subiecta, nempe ad omnes omnino homines; quia oportet omnes regenerari, cùm sacramentum pœnitentię neque ad
E infideles aut catechumenos, neque ad paruulos etiam renatos, neque ad adultos qui innocentiam retinent baptismalem, pertineat, sed ad solos relapsos; ideoque non oportuit ministerium eius tam latè extendi aut materiam tam obuiam esse quàm in baptismo. Adde quod relapsis meritò debet esse difficilior aditus ad reconciliationem quàm primò conuersis ad regenerationem, ne remedium pœnitentię facilitate vilescat.

F

§. 9. *Pœnitentiam sæpius iterari posse.*

DOctrina catholica quę tradit pœnitentiam siue interiorem quę virtus est, siue exteriorem quę sacramentum est, sępius iterari posse, supponit aliud item catholicum dogma, posse hominem excidere & à gratia baptismali, & à gratia per pœnitentiam semel recuperata. Quod cùm alibi satis probatum sit, nempe ad distinctionem 31. lib. 3. vbi ostendimus charitatem semel habitam amitti, & amissam quocunque gradu recuperari posse,

S. Tho. p. q. 8 ar. 8. & 10

proban-

probandum nunc est non semel tantùm sed sæpius amissam per peccatum gratiam posse per pœnitentiam recuperari, & proinde pœnitentiam posse sæpius iterari.

Est autem huius rei certissima probatio ex sacris literis quę nullum statuunt modum neque terminum misericordiæ Dei, sed post quâtacunque & quotcunque peccata peccatores inuitant ad pœnitentiam, & pœnitentibus promittunt veniam; quæ cùm, vt suprà monstratum est, aliter in noua lege haberi non possit à relapsis nisi per pœnitentię sacramentum, consequens est non modò interiorem, sed & exteriorem pœnitentiam, id est, pœnitentiæ sacramentum sæpe posse repeti. Loca scripturæ sunt Ezech. 18. & 33. Isa. 1. & 30. Matth. 11. Rom. 1. & alia pene innumera.

Deinde cùm dominus dicat Lucæ 6. *Estote misericordes sicut & pater vester misericors est*, ipse verò nobis præcipiat, vt fratri non tantùm septies sed & septuagies septies in nos peccanti & pœnitenti dimittamus Matth. 18. consequitur multò magis Deum peccatori quotiescunque etiam relapsus fuerit, pœnitenti peccatum dimittere. Vnde manifestè sequitur ipsam quoque pœnitentiam iterari posse, cùm iteratio remissionis necessariò ponat iterationem pœnitentiæ, sine qua peccatum non remittitur, & Lucas 17. expresè pœnitentiam nominet dicens: *Si peccauerit frater tuus & pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te dicens. Pœnitet me, dimitte illi.* Ponitur autem definitus numerus tam hîc apud Lucam, quàm illic apud Matthæum omnium interpretum consensu pro indefinito; imò pro quantolibet absque termino: quia septenarius numerus in sacris literis vniuersalitatis est nota. Quocirca repetendæ pœnitentiæ durante hac vita nullus potest statui terminus.

Tertiò. Dominus apostolis suis & eorum successoribus Matth. 16. & 18. & Ioan. 20. dedit potestatem soluendi peccatores & remittendi peccata absque limitatione, seu magnitudinis seu numeri, seu iterationis peccatorum. Quod sanè argumentum præsupposita interiori pœnitentia, quæ ex parte peccatoris requiritur, probat exteriorem pœnitentiam, id est sacramentum, toties quoties repeti posse.

Quartò. Nullum peccatum est irremissibile, nec de vllo peccatore desperandum est in hac vita, quemadmodum probatum fuit ad distinct. 43. lib. 2. & S. Leo testatur serm. 4. epiphan. domini dicens: Dum in hoc corpore viuitur, nullius est desperanda reparatio. Atqui reparatio peccatoris fieri non potest sine pœnitentia, ergo post quantalibet peccata & quotamcunque peccatorum iterationem durante hac vita poterit adhuc agi & iterari pœnitentia.

Quintò. Christus apostolo teste 1. Ioan. 2. propiciatio est pro peccatis totius mundi, ergo & pro ijs quæ post actam semel pœnitentiam committuntur. Possunt igitur ea per sanguinem Christi deleri. Quod cùm sine pœnitentia fieri nequeat, manifestè consequens est pœnitentiam posse repeti.

Sextò. Mors sola terminus est homini meritorum ac demeritorum, ergo ad mortem vsque potest homo & ex bono malus & ex malo bonus fieri, & proinde de peccatis iterum ac sæpius pœnitentiam agere.

Septimò. Ecclesia pro omnibus orat peccatoribus quantumlibet magnis & sæpe relapsis, eosque cùm oportunum est, etiam corripit, *nequando Deus det illis pœnitentiam, & resipiscant à diaboli laqueis*, vt ait apostolus 2. Timoth. 2. Ergo & eorum speranda est pœnitentia & per pœnitentiam reconciliatio. Indicat hoc argumentum Augustinus lib. 1. retract. cap. 19.

Postremò certissimè id probat perpetua doctrina, traditio, & praxis ecclesiæ, quæ nulli vnquam peccatori post quotamcunque reparationem & relapsum veniæ spem abstulit, aut ianuam reconciliationis occlusit, si modò veram ageret pœnitentiam; quod similiter fieri posse nunquam dubitauit. Nam etsi quibusdam grauiter relapsis propter seueritatem ecclesiasticæ disciplinæ reconciliationem in longum tempus distulit, nullis tamen in quibus apparerent signa pœnitentiæ, saltem in fine vitæ manus impositionem negauit, quemadmodum docet Leo epist. 91. & multis alijs canonibus cautum est vt videre licet apud Gratianum titulo de pœnitentia. Hinc Augustinus epist. 54. In tantum, inquit, hominum aliquando iniquitas progreditur, vt etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem vel similia vel grauiora committant, & tamen Deus facit etiam super tales oriri solem suũ: nec minus tribuit quàm antè tribuebat largissima munera vitæ ac salutis &c. Et Chrysostomus homil. 20. in Heb. 10. ad illud: *Voluntariè peccantibus &c.* Horum, inquit, occasione verborum quidam insurgunt pœnitentiam auferentes, quasi per pœnitentiam non valeat peccator post lapsum resurgere secundò & tertiò & deinceps. Verùm etiam in hoc pœnitentiam non excludit, nec propiciationem quæ sæpe fit per pœnitentiam, sed secundum baptismum & hostiam. Et idem docet in epist. 5. ad Theodorum lapsum. Frequens autem est in ea re contra Nouatianos inculcanda Ambrosius tum alibi tum maximè in duobus libris de pœnitentia. Extat & inter Augustini opera tractatus de vera & falsa pœnitentia, in quo author illius operis cap. 5. ex professo disserit aduersus eos qui pœnitentiam iteratam prodesse negant.

Quocirca inter baptismum & pœnitentiam semper hoc discrimen agnouerunt patres, quòd vt tradit Synodus Tridentina sess. 14. cap. 2. baptismum repetere non liceat; pœnitentiæ verò sacramentum toties repeti possit, quoties ab amissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint. Quò denique pertinet, quod omnes catholici doctores tria agnoscunt sacramenta, quæ non possunt in eodem homine repeti, inter quæ non est pœnitentia.

§. 10. Soluuntur ea quæ superiori doctrinæ videntur contraria.

QVæ contra superiorem doctrinam obijci solent argumenta, in duplici sunt differentia. (S. Thom. ibidem.) Quędam enim volunt hominem à pœnitentia si vera sit, non posse excidere, & per hoc secundæ pœnitentiæ locum non esse: alia verò concedunt posse quidem hominem à vera pœnitentia excidere, non tamen iterum per pœnitentiam posse reparari; vel quia Deus ei non iterum inspirat donum compunctionis; vel quia licèt compunctum & pœnitentem, non tamen vult recipere in gratiam, vel denique quòd relapsi post actam semel pœnitentiam non ampliùs admittendi sint ad sacramentum reconciliationis, sed tantùm relinquendi iudicio & misericordiæ Dei. Sicut de relapsis post baptismum docuerunt Nouatiani.

Prioris generis argumenta (omissis ijs quæ videntur probare charitatem semel habitam non posse deperdi, ad quæ satis alibi responsum est) hæc ferè sunt.

Primum. Is veram agit pœnitentiam, qui facit quod Christus pœnitenti præscribit Ioan. 8. *Vade & iam amplius noli peccare*, ergo post primam pœnitentiam si vera fuerit, homo non peccat amplius, & proinde locum non facit secundæ pœnitentiæ.

Secundò. Author lib. de vera & falsa pœnitentia dictum locum adducit, vt doceat continuam esse debere pœnitentiam vsque ad finem vitæ. Ait enim cap. 13. Dicit dominus, *Vade & amplius noli peccare*. Non dixit; Ne pecces, sed nec voluntas peccandi in te oriatur, quod quomodo seruabitur, nisi dolor continuè in pœnitentia custodiatur &c. Et cap. 8. Pœnitentia, inquit, est quædam dolentis vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse. Et cap. 19. Continuè dolendum esse de peccato ex etymologia nominis pœnitentiæ colligit, quia pœnitere, inquit, est pœnam tenere; ille autem pœnam tenet, qui semper vindicat quod commisisse se dolet. Ex quibus apparet in eo cuius aliquando dolor per subsequens peccatum finitur, non fuisse veram pœnitentiam.

Tertiò. Gregorius homil. 34. super euangelia: Pœnitere, inquit, est anteacta peccata flere, & flenda non committere. Et Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 16. ita scribit: Isaias de peccatoribus dicit: *Lauamini, mundi estote*, lauatur & mundus est, qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit. Lauatur & non est mundus qui plangit quæ gessit, nec deserit, & post lachrymas ea quæ defleuerat, repetit. Item in commentario qui Ambrosio inscribitur ad 2. Corinth. 2. sic legitur. Hæc vera pœnitentia est iam cessare à peccato. Sic enim probat se sibi dolere, si de cætero peccare desinat. Sed & hanc sententiam Ambrosio Magister asscribit: Est autem pœnitentia, mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Quod ipsum apertiùs expressum est ab Augustino serm. 7. de tempore his verbis: Ista est vera pœnitentia, quando sic conuertitur quis, vt non reuertatur; quando sic pœnitet, vt non repetat. Quæ patrum testimonia conuincere videntur non contingere, vt à vera pœnitentia quis excidat, & si contingat excidere, non fuisse veram pœnitentiam.

Postremò. Potest & illud obijci ex Augustino lib. 5. contra Iulianum cap. 4. vbi dicit quòd reproborum neminem adducit Deus ad pœnitentiam salubrem & spiritalem. Inde enim sequi videtur pœnitentiam à qua reprobi peccando excidunt, non fuisse veram: cùm omnis vera pœnitentia in scripturis commendata, sine dubio salubris & spiritalis sit.

Vt ad hæc & similia quæ obijci possunt, respondeamus, notandum est veram pœnitentiam duobus modis intelligi posse, quemadmodum doctè annotat Bonauentura. Vno modo eam in qua reperitur vera ratio pœnitentiæ, sicut dicimus Christum esse verum Deum & verum hominem, & verum aurum dicimus quod non est adulterinum. Hoc modo accepta vera pœnitentia opponitur falsæ pœnitentiæ, in qua nimirum vera peccati detestatio propter Deum non reperitur; sed vel simulata, vel ex solo timore procedens, quæ affectum peccati non excludit. Alio modo vera dicitur pœnitentia quæ hominem ad finem perducit, quam Magister intelligere videtur, dum nominat perfectam seu perfectorum pœnitentiam, id est, eam quæ absque interruptione mortalis peccati assequitur terminum æternæ salutis, quo modo dici solet quòd verus amor nunquam perit, & verus amicus amicum nunquam deserit. Quod de vero amore & vero amico prioris modi veritatem non habet. Dicendum igitur est quod à vera pœnitentia prioris modi contingit deficere, non à posteriori. Neque igitur omnis qui veram agit pœnitentiam prioris modi, facit quod Christus præcipit: *Noli amplius peccare*. Debet tamen omnis verè pœnitens habere firmum propositum de cætero non peccandi. Hoc enim ratio pœnitentiæ in se includit.

Ad secundum respondetur pœnitentiam debere quidem esse continuam partim actu, partim habitu vsque ad finem vitæ, vti rectè docet Sanct. Thomas 3. quæst. 84. art. 9. non tamen sequi, si non continue, tunc non fuisse veram pœnitentiam. Nam & charitatem & castitatem aliasque virtutes in nobis oporter esse continuas vsque ad mortem, quæ tamen si per peccatum fuerint abruptæ vel interruptæ, non propterea dicendum est eas non fuisse veras ac propriè dictas virtutes. Necessaria est enim continuatio non ad hoc vt virtus fuerit vera secundùm suam essentiam, sed vt ad debitum finem nos perducat; & quia non tantùm virtus, sed & perseuerantia virtutis in præcepto est. Notandum interim neque apud ipsum authorem capit. 8. neque apud Gratianum de pœnitentia distinct. 3. vbi etiam hæc verba leguntur, haberi aduerbium, semper, quod proinde in Magistro additum videtur ex capit. 19. vbi similia verba habentur.

Ad authoritates patrum tertio loco allatas aliasque similes, triplex est modus respondendi. Aut enim respiciunt ad idem tempus, quando dicunt veram esse pœnitentiam præterita peccata flere & flenda non committere. Quomodo intellecta sententia verissima est. Non enim secundùm Deum pœnitet, qui peccata seu eadem seu alia adhuc vel facit vel facere cogitat. Hoc modo Gregorij verba intelligenda esse loci contextus manifestat. Sequitur enim: Nam qui sic alia deplorat, vt alia tamen committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat &c. Aut intelligunt cessationem à peccatis etiam in posterum saltem secundùm præsens propositum pœnitentis; Quomodo videntur accipienda verba Isidori, & ea quæ Ambrosij titulo citantur. Aut certè loquuntur de pœnitentia vera posterioris modi, id est, perfecta. Quomodo Magister exponit loca deprompta ex lib. de vera & falsa pœnitentia. Quo sensu etiam verba Augustini ex sermone de tẽpore rectè accipiuntur, tametsi ea possunt & secundo modo intelligi, nempe de firmo proposito non relabendi in peccatum.

Ad postremum respondemus ea Augustini verba similiter de vera pœnitentia posterioris modi accipienda esse. Eam enim vocat pœnitentiam salubrem quia prodest & perducit ad salutem. Vocat & spiritalem quia prodest & perducit ad vitam spiritalem, quæ huic animali succedet. Quæ solutio si minùs placet in verbo, adducit, subaudiendum est finaliter seu perseueranter.

§. II. *Responsio ad argumenta posterioris generis.*

S. Thom. vbi sup.

SVperest nunc vt ad argumenta posterioris generis respondeatur: Quorum hoc sit primum. Ecclesiasticus 21. cap. postquam commendasset pœnitentiam de peccatis dicens: *si peccasti, non adjicias iterum, sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur.* postea indicat eam si quis relapsus fuerit, iterari aut saltem ad medelam prodesse non posse, cùm ait: *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.*

Secundum. Heb. 12. Esau qui primo genita sua vendidit, dicitur, quòd *postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est.* Cuius ratio subiungitur; *Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.*

Tertiò. Miracula Christi saluatoris quibus corporales infirmitates sanauit, significant sanationes infirmitatum spiritualium, id est, peccatorum. Sed nusquam legitur Christum aliquem cæcum, vel claudum, vel leprosum bis sanasse, vel mortuum aliquem secundò resuscitasse, & ita de alijs; ergo nec peccatorem post primam pœnitentiam relapsum per iteratam pœnitentiam restituit.

Quartò. Amos 1. & 2. dicit dominus, idemque octies de diuersis populis repetit: *Super tribus sceleribus & super quatuor non conuertam eum;* ergo saltem, si quis post tria scelera priùs dimissa quartum adiecerit, non vltrà conuertetur à Domino ad veram pœnitentiam, vt veniam consequatur. Quem sensum nobis tradit quædam præfatio in Amos.

Quintò. Frequens iteratio pœnitentiæ relaxat ac eneruat ecclesiasticam disciplinam, quia procliuior erit ad peccandum, qui viderit sibi post peccatum patere spem veniæ. Vnde ait Ambrosius serm. 8. in psalm. 118. facilitas veniæ incentiuum præbet delinquendi. Et lib. 2. de pœnitentia capit. 9. Quidam proposita spe agendæ pœnitentiæ licentiam sibi delinquendi propagatam putant.

Sextò. Ex comparatione pœnitentiæ cum baptismo. Sicut enim baptismus, ita & pœnitentiæ sacramentum vim suam habet ex passione & morte Christi: Atqui baptismus vnicus est, & repeti non potest, eò quòd Christus semel passus & mortuus non patitur, neque moritur ampliùs; ergo similiter & pœnitentia. Quo argumento ex comparatione baptismi sumpto vtitur Ambrosius lib. 2. de pœnitentia capit. 10. vt mox patebit.

Postremò. Extant aliquot patrum sententiæ quibus pœnitentiam iterari posse negant. Ait enim Origenes homil. 15. super Leuitici 25. In grauioribus criminibus semel tantùm pœnitentiæ locus conceditur. Et Ambrosius lib. 2. de pœnitentia capit. 10. Meritò reprehenduntur, inquit, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si verè agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent, quia sicut vnum baptisma, ita vna pœnitentia. Et cap. 11. Pœnitentia si semel fuerit vsurpata, nec iure celebrata, nec prioris fructum obtinet, & aufert vsum posterioris. Item apud Augustinum epist. 53. quæ est Macedonij ad Augustinum vbi dicit, quòd pœnitendi copia non datur post primam pœnitentiam. Sed & ipse Augustinus in epist. 54. qua Macedonio respondet & homil. 50. videtur docere, quòd de grauioribus, id est mortalibus peccatis, propter quæ nimirum quis arcetur à communione corporis Domini, semel tantùm in ecclesia pœnitentiam agere permittatur. Nam quotidianam pœnitentiam tantùm de leuioribus, id est, venialibus peccatis agendam esse docet. Quod idem sentire videtur Ambrosius loco iam citato capit. 10. cùm subijcit: Nam quotidiani nos debet pœnitere delicti, sed hæc pœnitentia delictorum leuiorum est, illa grauiorum. Accedit quoque Cyrilli Alexandrini authoritas, apud quem ipsa Origenis verba leguntur libr. 15. in Leuiticum.

Verùm ad hæc obiecta sic respondemus.

Ad primum. Ecclesiasticus non tantùm loquitur de peccato post pœnitentiam iterato, sed de omni iniquitate mortali, cuius plagæ seu vulneri negat esse sanitatem, seu vt in Græco est, sanationem: quia plaga eius est mors æterna quæ propter iniquitatem semel inflicta iam tolli non potest; vel quia in natura humana nullum est remedium contra peccatum, sed ex sola Dei gratia; vel hyperbolicè significata est difficilis peccati curatio; vel denique constructio & sensus sententiæ talis est: Omnis iniquitas est quasi romphæa vtraque parte scindens, cuius plaga nequaquam facilè curatur.

Ad secundum. Constat ex scriptura Genes. 27. pœnitentiam qua Esau doluit de venditis primogenitis, non processisse ex amore Dei aut iusticiæ, sed ex cupiditate & ambitione qua dolebat fratrem sibi in benedictione prælatum. Attamen apostolicæ hic genuinus sensus videtur. Non potuit Esau impetrare vt pater sententiam mutaret, atque à fratre in se transferret benedictionem, etiamsi cum lachrymis requisisset eam, vel benedictionem, vel pœnitentiam patris, id est, sententiæ mutationem.

Ad tertium quod sibi ex aduersariorum persona obijcit author libri de vera & falsa pœnitentia cap. 5. ipse respondet, ideo non legi aliquem nisi semel à Christo sanatum corporaliter, vt timeat quisque iungi peccato; sed tamen ideo quoque legi quòd multos cæcos, claudos, leprosos sanauerit, vt in diuersis illis ostenderet eidem sæpe posse peccata dimitti. Vnde & medicum se vocat in euangelio, cuius nimirum officium est ægrotum quotiescunque in morbum reciderit, curandum suscipere. Et sanè si quid concluderet hoc argumentum, æquè valeret contra primam pœnitentiam, quæ est secunda tabula & secunda curatio post baptismum. Vera tamen ratio ob quam Christus nullum hominem secundò legatur sanasse corporaliter, hæc assignanda videtur; quia excepta morte, quæ omnibus tandem subeunda est, nullus eorum qui sanati sunt à Christo, in eandem recidit infirmitatem. Per quod Dominus voluit ostendere miraculorum suorum quibus se Deum probabat, sinceritatem & perfectionem.

Ad quartum. Scriptura Amos hunc habet sensum: Propter multiplicia ac sæpe iterata scelera Damasci, vel Moab, vel Israel, non conuertam eum ad misericordiam meam, id est, non parcam ei, sed grauiter puniam; vel non conuertam captiuitatem eius, id est, ex captiui-

tate

tate eum non reduеam. Igitur tria & qnatuor septenarium reddunt numerum, quo significari solet in scriptura multitudo & frequentia. Cęterùm præfatio huic prophetæ pręmissa, quę dicit prophetam annunciare, quòd Deus quartò eadem peccata committentibus non sit daturus pœnitentiam nec indulgentiam, cùm sit incerti authoris, non est magni facienda.

Ad quintum respondet author libri de vera & falsa pœnitentia his verbis: Constat Deo peccata multum displicere, qni semper pręsto est ea destruere. Si enim ea amaret, non ita semper destrueret &c. Pleniùs autem respondetur, iteratione pœnitentiæ non solui disciplinam, quia etsi spes venię non negatur, seuerior tamen punitio & satisfactio pro peccatis iteratis iuxta ecclesiæ disciplinam exigitur. Si autem spes veniæ præcideretur, magis quidem à relapsu sibi cauerent homines; sed tamen illi quos carnis infirmitas iterum in lapsum impulisset, desperata venia deinceps irent in omnia peccata præcipites. Qnod longè grauius malum est quàm quædam peccandi facilitas ex præsumpta spe veniæ.

Ad sextum respondetur non eandem esse baptismi & pœnitentiæ rationem. Baptismus enim institutus est tanquam spiritualis quędam renascentia coniuncta cum morte spirituali vitæ præcedentis peccatorum, vt patet ex apostolo Rom. 6. pœnitentia autem est instituta tanquam spiritualis quædam medicina. Cùm igitur non contingat nisi semel nasci & semel mori, sæpius autem contingat à morbo curari; baptismus quidem semel tantùm suscipiendus est, pœnitentia verò frequenter agi potest, vt interim alias omittamus rationes baptismi non iterandi, de quibus actum est suo loco.

Ad postremum respondetur patres qui semel tantùm agendum volunt pœnitentiam, de publica & solenni pœnitentia loqui.

Pro cuius rei pleniore intellectu sciendum est, præter pœnitentiam internam quæ virtus est animi, & ad omnem actionem pœnitentiæ requiritur, multiplicem à patribus distingui pœnitentiam. Quædam enim erat pœnitentia baptismalis, qua catechumeni præparabantur ad baptismum suscipiendum. De qua Petrus Act. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrùm.* Ea autem qualis olim vsitata fuerit in ecclesia; indicant Augustinus lib. de fide & oper. cap. 6. & lib. 4. de symbolo ad cathecumenos cap. 1. & Gregorius in epistola ad Faustum. Rursumque eius Augustinus meminit in epist. 108. quæ est ad Seleuciam, & homil. 27. cap. 1. vbi dicit: Nam neque ad baptismum Christi vbi omnia peccata delentur, quisquam bene accedit, nisi agendo pœnitentiam de vita pristina. Nemo enim eligit vitam nouam, nisi quem veteris pœniteat &c. & homil. 50. cap. 2. vbi sic ait: Omnis qui iam arbiter voluntatis suæ constitutus est, cùm accedit ad sacramentum fidelium, nisi eum pœniteat vitæ veteris, nouam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia cùm baptizantur, soli paruuli sunt immunes, nondum enim vti possunt libero arbitrio.

Alia est pœnitentia post baptismum agenda pro ijs peccatis quæ post ipsum committuntur. Verùm & hæc multiplex est. Alia namque priuata est, alia publica. Priuata duplex, altera quotidiana quæ agenda est pro quotidianis leuibusque peccatis, pro quorum remissione complura

A sunt instituta remedia, quæ, modò adsit vera peccatorum displicentia, etiam singula absque clauium ministerio valent ad eorum deletionem; vt remissio offensæ proximorum iuxta pactum orationis dominicæ, aliaque misericordiæ opera tam spiritualia quàm corporalia &c. Huius pœnitentiæ sæpe meminit Augustinus, vt in epistola 108. homil. 27. capit. 1. homil. 50. capit. 3. enchiridij cap. 64. 71 & sequentibus ac sæpe alibi, eamque vocat sanctorum & iustorum pœnitentiam, eò quòd iusti sine venialibus peccatis non viuant.

B Altera verò pro grauioribus, id est, mortalibus peccatis, ijsque occultis est agenda. Nunquam enim pro peccatis occultis quantumuis enormibus ex ecclesię decreto iniuncta fuit publica pœnitentia. Et sicubi talis consuetudo introducta esset, eam abrogandam censuit ecclesia, vt patet exemplo Leonis primi qui tale quid prohibet epist. 80. docens pro peccatis occultis sufficere confessionem, quæ primùm Deo offertur, deinde sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Hanc pœnitentiam tradunt omnia illa patrum loca quæ probant confessionem C secretam occultorum criminum, de qua dicemus infrà.

Publica quoque pœnitentia duplex est, altera solennis, altera non solennis. Solennis pœnitentia quæ qualisue fuerit olim, magis nunc in libris legitur quàm in ecclesijs conspicitur. Sparsim autem eam nobis descriptam veteres relinquunt, inter quos videre est Innocentium 1. epistola 1. ad Decentium cap. 7. Siricium papam epist. 1. cap. 4. Leonem epist. 92. cap. 10. & 11. Hieronymum in epitaphio Fabiolæ. Ambrosium lib. 2. de pœnitentia capit. 10. & 11. Sozome- D num lib. 9. historiæ ecclesiasticæ capit. 35. Arelatense concilium can. 13. 21. & 22. & Gratianum, Burchardum, & Iuonem in suis decretis, vbi in hanc rem canones & testimonia patrum congerunt. Ex quibus locis colligitur imprimis hanc pœnitentiam non solere imponi nisi pro criminibus grauioribus, ijsque manifestis. Item quòd qui eam subibant, stare debebant extra septa ecclesiæ in vestibulo, atque in omnium conspectu orantes omniumque preces & intercessionem pro se humiliter & flebiliter implorantes, atque cilicio seu sacco vestiti; sed & ieiunijs E assiduè carnem affligentes; qui ad ingressum ecclesiæ non recipiebantur, nisi feria quinta cœnę Domini; ad reconciliationem verò, & ad ecclesiæ sacramenta non nisi post expletum legitimum pœnitentiæ tempus, excepto mortis periculo aut alia causa ab episcopo approbanda. Iam quicunque hanc pœnitentiam semel egerant, neque militare deinceps, neque matrimonium contrahere permittebantur, tametsi aliquando hac in re propter ætatem dispensabatur. At neque coniux coniuge non consentiente suscipere poterat F hanc pœnitentiam. Denique hoc pœnitentiæ genus nunquam licebat iterare, etiamsi fortè in crimina similia vel grauiora quis postea prolapsus esset, idque ob tres causas. Primò ne ex iteratione vilesceret solenne hoc remedij genus. Vnde Augustinus scribit in epistol. 54. Cautè & salubriter esse prouisum, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ duntaxat semel in ecclesia concedatur, ne medicina vilis minùs vtilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minùs contemptibilis fuerit. Secundò

propter significationem. Nam eiectio pœnitentis extra fores ecclesiæ, quæ in illa solenni pœnitentia fiebat ipso quadragesimæ initio, repræsentabat expulsionem Adæ de paradiso quæ semel tantùm facta fuit. Hanc rationem indicat Ambrosius lib. 2. de pœnitentia cap. 11. Tertiò quia solennitas illa pœnitentiæ erat velut quædam publica professio conseruandi eam perpetuò, & nunquam committendi quicquam, propter quod iterari deberet.

Porrò pœnitentia publica non solennis fiebat quidem etiam ipsa propter crimina manifesta, ideoque & publicè agebatur, non tamen cum iisdem publicis ac solennibus ceremoniis, quibus pœnitentia solennis; sed tantùm requirebat, vt pœnitens sese publicè, id est coram ecclesia vt pœnitentem exhiberet; vt nimirum qui delicto eius scandalizati essent, per eius pœnitentię humilitatem rursus ædificarentur. Eamque interdum etiam el rici agere iubebantur, quos tamen ad agendam solennem pœnitentiam propter ordinis dignitatem ecclesia nunquam vel compulit, vel admisit. Quia de re videre est epistolam 1. Siricij papæ. Et quidem publicam hanc pœnitentiam non solenn in agere, toties oportebat, quoties ecclesia seu fidelium communitas aliquo crimine esset scandalizata. Talem pœnitentiam egisse videntur duo imperatores Philippus & Theodosius, ille sub Fabiano pontifice, hic sub Ambrosio. De illo meminerunt Eusebius lib. 6. histor. capit. 25. & Nicephorus lib. 5. capit. 25. De isto Ruffinus lib. 11. capit. 18. historiæ ecclesiasticæ, Theodoretus lib. 5. capit. 17. Nicephorus lib. 12. capit. 40. & 41. & ipse Ambrosius oratione in obitum Theodosij & epistola 21. & 28. Itemque Augustinus homil. 49. capit. 3. vbi dicit Theodosium imperatorem egisse pœnitentiam publicam in conspectu populi, ob id maximè quia peccatum eius publicum erat & celari non potuit. Simile quidetiam de Ludouico imperatore Caroli magni filio referunt historiæ Francorum.

His ita præmissis ad authoritates patrum in vltimo argumento adductas distinctè & sigillatim hunc in modum respondemus.

Origenis sententia de pœnitentia publica & solenni accipienda est. Neque mouere debet, quod apud Origenem post illud, semel tantùm, addatur, vel rarò, hoc enim vel à Ruffino Origenis interprete vel à quopiam alio, cui sententia videbatur absurda, adiectum apparet. Nam neque apud Cyrillum cui totum hoc opus in Leuiticum falsò attribuitur, neque apud Magistrum qui in textu ea verba sub nomine Origenis citat, additum reperitur. Quòd si tamen ipse Origenes ita scripsit, dicendum erit eum loqui de pœnitentia publica in genere, vt solennem & non solennem comprehendit; quarum altera vnica, altera rara esse debet. Quod verò subiungit Origenes, communia quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipere, & semper redimi, Magister non de venialibus tantùm, sed etiam de mortalibus quæ minùs grauia sunt, dictum intelligit, nec id malè. Nam Origenes vbi distinguit inter crimina grauiora & leuiora quæ vocat communia, & pro illis quidem semel agi pœnitentiam dicit, pro his autem sæpius.

Porrò Ambrosius seipsum exponit, dum post illa verba sicut vnum baptisma, ita vna pœnitentia, mox subijcit, quæ tamen publicè agitur. Publicam autem solennem intelligit. Quod autem sequitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere delicti, extendi potest etiam ad mortalia peccata minùs grauia, quomodo ex Magistro Origenem intelligi diximus.

Quod apud Augustinum in epistola 52. legitur, debet similiter intelligi de pœnitentia solenni, quemadmodum pleniùs ipse Augustinus declarat epist. 54. qua ad præcedentem illam respondet. Quamuis, inquit, eis (qui post actam pœnitentiam vel similia vel grauiora committunt) in ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliuiscitur &c. Et infrà. Quamuis ergo cautè salubriterque prouisum sit, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in ecclesia concedatur, quis tamen audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? & quæ sequuntur.

Quod autem attinet ad eam Augustini doctrinam quam tradit homil. 27. & 50. & in epist. 108. distinguens tribus illis locis triplicem actionem pœnitentiæ, primam eorum qui baptismum petunt, secundam baptizatorum quotidianam pro leuioribus peccatis, tertiam baptizatorum pro grauioribus, sciendum est hoc tertio diuisionis membro comprehendi non solam solennem, quam Augustinus in epist. 54. semel & iterum humillimam pœnitentiam nominat; verùm etiam priuatam quæ fit pro criminibus occultis, & præterea publicam non solennem. Quod in primis ex eo patet, quia tribus illis locis tertium diuisionis membrum tractans nusquam dicit eam pœnitentiam semel tantùm concedi. Deinde quia homil. 50. cap. 4. disertè affirmat tertiam pœnitentiæ actionem pro illis peccatis subeundam esse quæ logis decalogus continet, & de quibus apostolus ait: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Hæc autem non omnia eiusmodi sunt pro quibus publica & solennis pœnitentia imponi soleat aut debeat, vti manifestissimè patet de peccatis contra duo tantùm postrema præcepta commissis. Quin eodem loco etiam priuatam pœnitentiam se comprehendere sub sequentibus verbis haud obscurè significat. Denique vult Augustinus tertium pœnitentiæ genus agi pro omnibus ijs peccatis quæ non sine vsu & ministerio clauium ecclesiæ remittuntur, vt patet ex homilia 27. cap. 3. homil. 49. cap. 3. & homil. 50. cap. 4. & 5. Quibus omnibus locis clauium ecclesiæ, earumque necessitatis ad soluenda mortalia peccata manifestè meminit. Patet igitur sub tertio genere pœnitentię iuxta Augustinianam pœnitentię distinctionem comprehendi tertium, quartum, & quintum pœnitentiæ genus, iuxta diuisionem pęnitentiæ suprà à nobis positam.



A

§. 12. *Opera bona per peccatum mortificari eademque per pœnitentiam reuiuiscere.*

QVamuis impossibile sit opera mortua, id est, ea quę vitam gratiæ seu charitatis nunquam habuerunt, cuiusmodi sunt opera infidelium, vel eorum qui fidem habentes in statu sunt peccati B mortalis, ita suscitari per gratiam, charitatem aut pœnitentiam superuenientem, vt viua ac regni cælestis meritoria efficiantur, etiamsi alioqui moraliter bona fuerint, vti rectè docet S. Thomas 3. quæst. 89. art. 6. ea tamen opera bona quæ in gratia & charitate facta merebantur vitam æternam, si per sequens mortale peccatum fuerint mortificata, per subsequentem pœnitentiam qua rursum homo cum Deo redit in gratiam, resuscitari ac reuiuiscere, ita vt propter ea rursus homini debeatur merces vitæ ęternæ, doctrina est apud catholicos doctores indubitata.

C Præsupponit autem id quod est certissimum, nempe opera bona per culpam mortalem subsequentem mortificari. Dicuntur autem mortificari, non quòd ipsa in se mutationem aliquam suscipiant à peccato superueniente (cùm enim sint actiones transeuntes, mox secundùm suam naturam esse desinunt, siue peccatum subsequatur siue non) sed similitudine quadam eius quod accidit rebus propriè viuentibus. Sicut enim res viua per mortem perdit operationem vitæ, ita bona opera per sequens peccatum, quod est mors animæ, impediuntur à propria operatione seu effectu, qui est or- D dinare hominem ad vitam æternam: quia nimirum peccatum tollit gratiam, & charitatem per quam bona opera erant vitæ æternæ meritoria. Hoc igitor dum fit, mortificari illa opera per peccatum dicuntur.

Probant eam doctrinam apertissimæ scripturę, vt Ezechielis 18. *Si auerterit se iustus à iusticia sua &c. nunquid viuet? omnes iusticiæ eius quas fecerat non recordabuntur. In peccato suo morietur.* Et 33. *Iusticia iusti non liberabit eum in quacunque die peccauerit, omnes iusticiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua morietur.* Et Ecclesiastici 34. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum E tangit eum, quid proficit lauatio eius? sic homo qui ieiunat &c.* Vnde Paulus ad Galatas post egregia virtutum opera ad Iudaismum prolapsos ait cap. 3. *Tanta passi estis sine causa?* & Ioannes admonet in 2. epist. *Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis, sed vt mercedem plenam accipiatis.* Et Apocalyp. 3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Denique omnes illæ scripturæ quę generaliter pronunciant eos qui opera carnis, id est, peccata mortalia committunt, regnum Dei non consecuturos, etiamsi antea à talibus abluti, iustificati, F sanctificati fuerint, vt 1. Corinth. 6. Galat. 5. & Apocalyp. 21. Idem patres constanter docent, ac nominatim Hieronymus, Chrysostomus, & alij interpretes ad illud Galat. 3 *Tanta passi estis sine causa?* & Gratianus de pœnitentia dist. 3.

Hoc igitur dogmate constituto, alterum quoque probandum est, scilicet opera ad hunc modum mortificata per pœnitentiam reuiuiscere. Istud etiam etsi, vt diximus, indubitatum sit apud Doctores, non perindetamen vt prius illud certum habetur, nimirum certitudine fidei.

Circa hoc autem notandum, quod quidam considerantes opera illa priora neque remanere, neque reuocari posse, opinati sunt ea nec posse per subsequentem pœnitentiam reuiuiscere. Verum hoc argumento doceretur, ea nec potuisse mortificari, quia iam esse desierant. Quibus proinde respondendum est bonis operibus non tribui vim perducendi ad vitam æternam quatenus existunt in rerum natura, sed quatenus existunt seu remanent in acceptatione diuina. Sic autem non remanent, postquam is qui ea operatus est, incidit in peccatum mortale; quia iam non habetur propter illa dignus vita æterna, interposito videlicet peccati impedimento: sed hoc per pœnitentiam sublato & gratia restituta, Deus iterum opera illa ad vitam æternam acceptat, eumque à quo facta fuerant, vita æterna propter illa dignum reputat.

Vbi notandum, quòd Deus non mutat voluntatem seu decretum suum æternum, quo vult huic homini pro bonis operibus reddere vitam æternam; hoc enim decretum manet etiam homine peccante, si sit electus, sed potest aliter & aliter iudicare de homine aliter & aliter disposito. Quando enim homo bene operatur, iudicat illum dignum vita æterna, siue eam velit ei dare siue non, & quando malè operatur, iudicat eum indignum vita æterna, quæ tamen mutatio non est in Deo sed in homine, de quo Deus semper secundum veritatem iudicat. Sic ergo quando homo conuersus à peccato rursus colit iusticiam, iudicat eum Deus vita æterna dignum, non tantùm propter opera præsentia, verùm etiam propter illa quæ mortificata fuerant per subsequens peccatum. Hoc igitur sensu intelligendum est ea per peccatum mortificata per pœnitentiam reuiuiscere.

Ad cuius probationem in primis valent scripturæ quæ tradunt Deum ita remittere peccata, vt eorum non amplius recordetur. Ex quo consequens est, vt redeat coram Deo meritum priorum operum. Nam alioqui non omnino diceretur peccati oblitus, si propter peccatum priora opera sua mercede in æternum frustrarentur. Loca sunt Ezechielis 18. & 33. & psalm. 31. & alia quàm plurima. Quò pertinere videtur & illud Heb. 6. *Non enim iniustus Deus vt obliuiscatur operis vestri.* Imò id probant generales scripturæ de examine ex retributione omnium operum in die iudicij, velut illa Ecclesiastæ vltimo. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium &c.* & aliæ huiusmodi.

Cæterùm patres eam sententiam apertiùs tradiderunt. Ait enim Hieronymus in Galat. 3. Quicunque ob fidem Christi laborauerit, & postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora dicitur passus fuisse sine causa, sic rursus non perdet ea si ad antiquum studium reuertatur. Chrysostomus quoque eundem locum tractans dicit, quòd non frustrà laborauit peccator, si reuocet animum & agat pœnitentiam. Sic & alij in eundem locum. Nec minus apertè author lib. de vera & falsa pœnitentia apud Augustinum, & citatur apud Gratianum de pœnitentia dist. 3. cap. Pium est credere, inquit, & nostra fides hoc expostulat, vt cum gratia Christi destruxerit mala priora in homine, etiam remuneret bona. Quod non ita intellige, quasi velit author ille doctrinam hanc esse certa fide tenendam, sed quod sit doctrina catholicæ fidei valde consentanea. Alius est locus apud Gratianum de pœnitentia dist. 4. cap. Intermittentes, vbi post recitata

apostuli verba Heb. 6. subiungit: Priora bona signat apostolus quæ per sequens peccatum erant mortua, quia hi peccando priora bona irrita fecerant. Hæc sicut peccando fiunt irrita, ita per pœnitentiam reuiuiscunt, & ad meritum æternæ vitæ & beatitudinis singula prodesse incipiunt, etiam illa quæ peccatis inueniuntur admista &c. tametsi non rectè pro hac doctrina Gratianus & Magister dist. 15. §. D. allegant illud apostoli: *non rursum iacientes fundamentum pœnitentia ab operibus mortuis*, cùm opera mortua apostolus ibi intelligat peccata, sicut infrà cap. 9. vbi dicitur quod *sanguis Christi emundat nos ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti*. Quæ proinde opera nullo modo vitam accipiunt per pœnitentiam, sed potiùs per eam prorsus abolentur, vt ait S. Thomas art. 6.

Postremò confirmatur hæc doctrina tali ratione: Circa opera bona non plus valet culpa quàm gratia, ergo si per culpam mortificantur, per gratiam quæ & ipsam culpam destruit, resuscitantur; præsertim cùm gratia ita potens sit culpam tollere, vt tollat etiam omnem eius effectum.

Porrò quod diximus de resuscitatione bonorum operum per pœnitentiam, non de quibusdam tantùm operibus bonis, sed de omnibus omnino & singulis (quomodo Gratianus loquitur) per peccatum mortificatis intelligendum est. Non enim est ratio, cur alia reuiuiscant, alia non item, maximè si de meritorijs loquamur: quamquam extendi potest etiam hæc doctrina ad opera extra statum gratiæ facta, siue moraliter tantùm bona fuerint, siue propter spem vitæ æternę facta per spiritum sanctum nondum inhabitantem. Nam & hæc inquantum antea bona erant & coram Deo ad aliquid accepta, catenus etiam suo reuiuiscunt modo.

Iam quod aduersus dicta quidam obijciunt interdum contingere, vt pœnitens non resurgat ad æqualem vel maiorem gradum gratiæ vel charitatis, sed ad minorem tantùm, eoque consequens videri, quòd priora virtutum opera non reuiuiscant; alioqui enim sicut ad æqualem vel maiorem gloriam quæ illis operibus debebatur: ita ad æqualem, vel maiorem gratiam illi gloriæ respondentem debere hominem per pœnitentiam reuocari, facile ex supra dictis soluitur. Non enim dictum est priora opera per pœnitentiam reuiuiscere hoc sensu, quòd hominem per pœnitentiam reparatum ad tantam gloriam necessariò perducant, quantam pro illis si lapsus non fuisset, erat accepturus; sed quia rursus homo propter illa dignus efficitur vita æterna, quam & pro illis si perseueret, accepturus est, sicut & pro bonis operibus postea factis.

Nam quod attinet ad gradum gloriæ, eum accepturus est pro magnitudine gratiæ seu charitatis in qua decedit. Atque hæc expressa est S. Thomæ sententia in 3. dist. 31. quæst. 1. art. 4. & in summa 3. quæst. 89. art. 5. ad 3. Quo loco ad obiectionem de eo qui resurgit ad minorem gratiam, & in ea decedit: dicendum est, inquit, quòd ille qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequetur quidem præmium essentiale secundùm quantitatem charitatis, in qua inuenitur. Habebit tamen gaudium maius de operibus in prima charitate factis, quàm de operibus quæ in secunda fecit, quod pertinet ad præmium accidentale. Sic ille. Quod autem contingat per pœnitentiam recuperari gratiam quocunque gradu, manifestum relinquimus ex ijs quæ de charitate quocunque gradu recuperanda diximus ad 31. distinctionem libri 3.

§. 13. *Pœnitentiæ initium esse à timore.*

QVod circa hanc distinctionem tradunt doctores, initium pœnitentiæ esse ex timore, tam de actu quàm de habitu pœnitentiæ accipiendum est. Ait enim Magister in textu. Pœnitentię virtus timore concipitur. Et probat ex Isaię 26. iuxta versionem septuaginta vbi dicitur: *A timore tuo Domine concepimus, & parturiuimus, & peperimus spiritum salutis.* Deinde, vt ex eodem Isaiæ testimonio patet, accipiendum est de timore Dei. S. Tho. 3. p. q. 85. ar. 5. Nam timor solius hominis, qui neque æterna supplicia potest inferre, neque corda scrutari, non est aptus ducere ad veram pœnitentiam. Pręterea intelligendum est de timore seruili, quo videlicet ita timetur pœna, vt nondum ametur iusticia. Nam timor filialis coniunctus est cum gratia & remissione peccatorum, quæ est pœnitentiæ finis.

Ratio autem huius doctrinæ est, quia qui per peccatum recedit à Deo, ita peccati vinculis innectitur & peccati seruus efficitur, vt nunquam aut vix vnquam velit peccatum relinquere, nisi sit perculsus aliquo Dei timore. Cùm enim *stipendium peccati mors* sit Rom. 6. ita ordinauit diuina iusticia, vt nemo aut ferè nemo peccatum à se commissum odisse, atque ab eo recedere inciperet, nisi timore gehennæ seu mortis æternæ tanquam præsenti quodam supplicio ad æternum supplicium euadendum ordinato extimulatus, idque per ministerium legis, quia vt ait apostolus, *per legem cognitio peccati*.

Est autem huius catholici dogmatis manifesta probatio ex scripturis. Nam Ecclesiastici primo dicitur: *Timor Domini expellit peccatum, quia qui sine timore est, non poterit iustificari*. Et psalmista ait: *Confige timore tuo carnes meas*. Illud quoque Prouerb. 1. *Timor Domini initium sapientiæ*, licèt ab alijs aliter intelligatur; Beda tamen post Augustinum tract. 9. in 1. epist. Ioan. de timore seruili disertè exponit.

Et vt vnius pœnitentis insigne exemplum de scriptura sumamus, Paulus cuius tam admirabilis & subita fuit conuersio, cælesti timore, atque ipsius voce iudicis in terram prostratus, tremens ac stupens dixit: *Domine quid me vis facere?* Actor. 9. De quo Augustinus in epist. 50. ad Bonifacium. Quem inquit, maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras misit timorem. Idem Augustinus tract. 9. in 1. epist. Ioan. ad illud: *Perfecta charitas foras mittit timorem*, ita scribit: Timor quasi locum præparat charitati. Si autem nullus timor, non est qua intret charitas. Et adducta similitudine seræ introducentis linum subiungit: Timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit, vt introduceret charitatem. Et infrà: Nam si sine timore es, non poteris iustificari. Idque ex scriptura Ecclesiastici probat. Similia habet in lib. de catechizandis rudibus cap. 5. & Prosper ad cap. Gallorum respons. 6. Tertullianus quoque in libro de pœnitentia hunc timorem vocat instrumentum pœnitentiæ, sine quo videlicet pœnitentia agi non possit. Et Basilius in psalm. 33. inter alia eum vocat pędagogum ad pietatem. Hinc denique est quod Ioannes & Christus in euangelio, itemque Petrus & Paulus in Actis homines ad pœnitentiam cohortantes, iudicium Dei & supplicia peccatorum eis ob oculos posuerunt.

Quamuis igitur hic timor neque sit iusticia,

neque aliquid iusticiæ, quia seruilis est; rectè tamen vocatur initium pœnitentiæ, iusticiæ & sapientiæ; quatenus nimirum hominem per peccatum à Deo alienatum ad pœnitentiam, iusticiam & sapientiam & per consequens ad Deum ducit & reuocat. Ex quo liquet quàm falsum sit illud Lutheri: Timorem pœnæ hominem abducere à Deo, & facere magis hypocritam. Cuius dicti absurditas pleniùs conuincitur per ea quæ de vtilitate timoris seruilis dicta sunt à nobis ad dist. 34. lib. 3. Sentent.

Quem autem ordinem habeat hic timor ad pœnitentiam & ad ipsam iusticiam, breuiter declarat sanctus Thomas 3. quæst. 85. art. 5. idemque à patribus Tridentini concilij explicatum est sess. 6. cap. 6. Vbi agitur de modo præparationis ad iustificationem.

IN DISTINCTIONEM DECIMAMQVINTAM.

§. 1. *Quæ sint partes & quæ materia sacramenti pœnitentiæ.*

S. Tho. 3. q. 84. ar. 2. & q. 90. ar. 1. 2. & 3.



AGIT hac distinctione Magister de satisfactione, Quæ cùm sit pars sacramenti pœnitentiæ, priùs exponendum quę partes huic sacramento sint ascribendæ. Cùm enim, vt alibi dictum est, omne sacramentum constet duabus partibus materia & forma, necesse est in hoc quoque sacramento eas partes reperiri. Primùm igitur de eius materia, deinde de forma dicemus.

Materiam huius sacramenti Scotus, Durandus & alij nonnulli assignant ipsa peccata pœnitentis. Quod non malè dicitur secundùm quandam materiæ acceptionem, vti & S. Thomas docet 3. quęst. 84. art. 2. Sunt enim peccata pœnitentis materia remota sacramenti pœnitentiæ, quatenus nimirum circa ea obiectiuè versantur actus pœnitentis, non quidem vt acceptanda, sed vt detestanda & destruenda. Nam pœnitens de peccatis dolet & conteritur, peccata confitetur, & pro peccatis satisfacit. Hæc autem omnia eò tendunt, vt peccata aboleantur. Hanc autem materiæ rationem peccatis respectu sacramenti pœnitentiæ tribuit apostolus, quando dicit 2. Corinth. 12. *Non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione & impudicitia quam gesserunt.*

Cæterùm præter huiusmodi materiam, quam solam suprà dicti Doctores huic sacramento asseribunt, agnoscenda est & alia in hoc sacramento materia iuxta declarationem conciliorum Florentini & Tridentini; videlicet ipsi actus pœnitentis, qui sunt contritio, confessio, & satisfactio. Hos actus S. Thomas vocat materiam proximam pœnitentiæ, quia sunt partes eius ex quibus constat; ita vt habeant rationem materiæ ex qua, non quidem transeuntis, sicut aqua & terra respectu statuę, sed inexistentis sicut respectu eiusdem metallum: cùm peccata neutrius rationem habeant, sed tantùm vt diximus, materiæ cuiusdam circa quam, quomodo fœnum & stipula sunt materia ignis.

Eam de partibus pœnitentię doctrinam tradit A Concilium Florentinum in decreto Armenis dato & Tridentinum sess. 14. cap. 3. & canone 4. tametsi ijs locis non absolute materia, sed quasi materia vocetur. Cuius rationem infrà explicabimus. Tridentinę doctrinæ hæc sunt verba: Sunt autem quęsi materia huius sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. Quare meritò eadem Tridentina synodus vtroque loco anathemate damnat B eorum sententiam, qui duas tantùm esse volunt pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem ex euangelio vel absolutione conceptam, qua quis credat sibi per Christum remissa esse peccata. Nam terror conscientiæ seu timor gehennæ, quamdiu nondum est coniunctus cum amore iusticiæ non est tristicia secundùm Deum, & sæpe in ijs est qui permanentes in peccatis ad remissionem eorum non pertingunt, neque accedunt. Et proinde terror eiusmodi vel timor, neque vera pœnitentia est, neque pars eius. Fides au- C tem qua quis credit sibi remissa esse peccata, nullo modo ad consequendam eorum remissionem est necessaria, imò nullum in scripturis & patrum doctrina fundamentum habet, sed vtrique sicut & ipsi rationi palam aduersatur, quemadmodum alibi pleniùs docendum est, & nos ex parte ostendimus ad 1. distinctionem, vbi de effectu sacramentorum in genere agebatur. Interim de ea re videat lector Tridentinum concilium sess. 6. cap. 9. & can. 12. 13. & 14. vbi inanis illa hæreticorum fiducia refutatur simul & damnatur.

D Nunc autem has pœnitentię partes quas agnoscit ecclesia, breuiter ex patribus probemus. Chrysostomus in homil. de pœnitentia, non modò partes ipsas distinctè enumerat, sed & earum rationem & conuenientiam indicat his verbis: Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre. In corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas; vt videlicet quibus modis Deum offendimus, offendimus autem corde, ore & opere, ijsdem reconciliemur Deo.

Cyprianus in sermone de lapsis expressè nominat confessionem & satisfactionem, & haud dubiè contritionem velut summè necessariam etiam E requirit.

Sic & Leo in epist. 91. ad Theodorum, confessionem & satisfactionem exigit nominatim, ac multò magis contritionem, quæ includitur in eo quòd dicuntur pœnitentes à quibus hęc exiguntur.

Similiter Ambrosius in epist. ad virginem lapsam, & in duobus libris de pœnitentia contra Nouatianos, & Augustinus homil. 49. & 50. easdem pœnitentię actiones planè requirunt.

Verùm id multò manifestiùs euadet ex ijs patrum testimonijs, quæ pro satisfactione & confessione proferemus suo loco. Hîc autem scrupuli re- F mouendi causa vnicum addemus locum ex Bernardo, vbi non tres sed quinque pœnitentiæ partes recenset. Ita enim scribit in sententijs cap. 38. Pœnitentiæ partes sunt quinque contritio in corde, confessio in ore, maceratio in carne, correctio in opere, perseuerantia in virtute. Sed notandum quòd correctio vitæ in melius, & perseuerantia virtutis secundùm propositum, pertineant ad veram contritionem, sicut & maceratio carnis ad satisfactionem. Quocirca partes illę quinque sub his tribus reuera continentur. Perseuerantia verò

secundùm rem in ratione veræ pœnitentiæ non includitur, vti superiori dist. ostendimus.

Portò quam rationem constituendi tres istas pœnitentiæ partes sequatur, & tradat S. Thomas. videre est apud ipsum 3 quæst. 90 art. 2.

§. 2. *Ad quædam in contrarium argumenta responsio.*

Thom. ibidem.

RESpondendum nunc ad ea argumenta, quibus superior doctrina ab ijs qui diuersum sentiunt, impugnatur.

Primum, inquiunt, contritio non est sensibilis, sed latet in animo, igitur non est pars sacramenti.

Secundò. Sicut hîc requiritur contritio, ita & in baptismo; atqui contritio non est pars sacramenti baptismatis, ergo nec huius sacramenti.

Tertiò. Ad obtinendam remissionem peccatorum per sacramentum pœnitentiæ sufficit interdum attritio, quemadmodum docet Tridentina Synodus sess. 14. cap. 4. non ergo contritio necessaria est vt pars.

Quartò. Contritio pars quædam est satisfactionis, non ergo numerari debet vt pars ab alijs duabus distincta. Et idem de confessione obijci potest. Probatur autem autecedens, quia per dolorem contritionis & per pudorem confessionis tanquam pœnalia quædam opera pœnitentes pro peccatis suis satisfaciunt saltem ex parte.

Quintò. Administratur interdum hoc sacramentum homini non confesso, velut si repente obmutescat, aut vi morbi oppressus, linguæ aut mentis etiam vsum amiserit, dum tamen signa pœnitentiæ præcesserint, vti Leo docet in epistola 91.

Sextò. Per indulgentiam plenariam fit relaxatio satisfactionis, & in articulo mortis nulla debet imponi satisfactio, ac nihilominus tamen vtrobique consistit plena ratio huius sacramenti, igitur satisfactio non est pars eius.

Septimò. Confessio & satisfactio non existunt simul cum forma absolutionis, sed confessio præcedit & satisfactio sequitur; igitur non sunt huius sacramenti partes, vt materia; cùm oporteat materiam simul esse cum forma ad totum constituendum etiam sacramentale, vt patet de baptismo: in quo non sufficeret priùs abluere, & postea verba pronunciare, vel contrà, sed debet vtrumque simul fieri. Sic autem & in alijs.

Octauò. Perfectum pœnitentię sacramentum administratur à sacerdote, qui tamen non administrat has partes, non ergo sunt partes sacramenti.

Nonò. Non apparet ratio, cur potiùs in sacramento pœnitentię materia assignetur ex parte suscipientis quā in baptismo, pręsertim cùm in baptizando similes quidam actus requirantur, vt fides, propositum bonæ vitę & pœnitentia seu contritio de pręteritis peccatis, vt in secundo argumento dicebamus.

Decimò. In sacramento confertur gratia, in confessione autem & satisfactione non confertur gratia, igitur non sunt partes sacramenti.

Vndecimò. Si actus pœnitentis sint huius sacramenti partes, ergo valet hoc sacramentum ex opere operantis, nimirum ipsius suscipientis.

Postremò. Concilium Florentinum & Tridentinum, vt suprà dictum est, actus pœnitentis non vocant huius sacramenti materiam, sed quasi materiam, ergo non necesse est actus pœnitentis agnoscere partes huius sacramenti habentes rationem materiæ.

Sed ad hæc obiecta iuxta mentem conciliorum Florentini & Tridentini, nec non iuxta declarationem doctorum, qui dictam doctrinam tradiderunt, respondere non est difficile.

Quare ad primum respondetur cum D. Thoma 3. quæst. 90. art. 2. contritionem etiamsi secundum essentiam sit in corde, virtualiter tamen ad exteriorem pœnitentiam pertinere, quatenus includit propositum confitendi & satisfaciendi. Quāuis ergo contritio per se non sit sensibilis, sensibilis tamen est, atque adeo sentitur per exteriores actus confessionis & satisfactionis, aliaque externa doloris interni signa; sicut consensus internus contrahentium matrimonium innotescit, & sensu perceptibilis fit per verba vel alia signa externa. Qua etiam ratione sanctitas dicitur ecclesię nota, quatenus scilicet per actus fidelium externos multipliciter sese prodit. Et quomodo sanitas corporis oculis videtur per colorem vultus, agilitatem & motus corporis

Ad secundum respondetur non esse eandem rationem sacramenti baptismi & pœnitentiæ. Non enim eodem modo materia sacramentis omnibus assignatur. Nam in quibusdam adhibetur aliqua corporalis materia exterius, vt in baptismo, confirmatione, ordine & extrema vnctione: in alijs verò vt in pœnitentia & matrimonio ipsi actus humani sunt loco materiæ, quemadmodum & in medicinis corporalibus res se habet, quarum quædam sunt res exteriùs admotæ vel assumptæ, vt oleum, vnguenta, emplastra, pharmaca; quædam verò sunt actus sanandorum, vt motiones, exercitationes corporum. Rationem autem huius inter sacramenta diuersitatis tradit S. Thomas 3. q. 84. art. 1. ad 1.

Ad tertium. Attritio ea quę sufficit ad obtinendam per sacramentum reconciliationem, imperfecta contritio est, vtpote voluntatem peccandi excludens, vti eodem loco docet synodus.

Ad quartum. Contritio & confessio licèt etiam valeant ad satisfaciendum pro peccatis ratione pœnæ seu molestiæ coniunctæ, diuersæ tamen sunt ab ea satisfactatione quam sacerdos iniungit, & quæ propriè habet rationem partis huius sacramenti, vt loquitur decretum Florentinum.

Ad quintum & sextum respondetur confessionem & satisfactionem esse quidem partes huius sacramenti integrales, non tamen ita necessarias, vt absque eis sacramenti substantia non consistat. Vnde Magister vocat has partes perfectæ pœnitentiæ dist. 16. quia nimirum absque ijs potest esse hoc sacramentum, non tamen perfectum & omnibus suis partibus integrum. Sciendum tamen est quòd confessionis defectum signa quædam externa veræ pœnitentiæ supplere debent, vt ex allegato loco Leonis patet. Sed & dum plenariæ conceduntur indulgentię pœnitentibus, semper aliqua iniungenda est à sacerdote satisfactio iuxta pręscriptum veterum conciliorum.

Ad septimum. Sacramenta requirunt applicationem formæ ad materiam iuxta modum suæ institutionis. Vnde non eadem est ratio sacramenti pœnitentiæ & baptismi, vel etiam aliorum compositorum.

Ad octauum. Sacerdos administrat perfectum pœnitentię sacramentum quantum ad ipsius ministerium attinet, quod est formam absolutionis pro-

ferre

ferre super materia debita, simulque satisfactionem iniungere. Materia autem ipsa, vt dictum est, peculiariter in hoc sacramento ex parte suscipientis requiritur.

Noni argumenti patet solutio ex responsione ad secundum.

Ad decimum. Non est necesse gratiam conferri, quando pars quæcunque sacramenti existit, sed sufficit eam conferri in ipsa applicatione formæ ad materiam, vel certè in sacramenti perceptione, velut dum sumitur eucharistia.

Ad vndecimum. Siue actio sacramentalis fiat à conferente, siue à suscipiente, non ob id dicitur valere sacramentum ex opere operantis. Nam & in sacramento matrimonij iuxta multorum opinionem suscipientes faciunt ipsum sacramentum, id est actionem sacramentalem. Valet igitur vtrumque ex opere operato, quia non valet ex materia operis, sed ex promissione & institutione diuina, quæ si non esset, ex tali opere talis effectus nunquam sequeretur, quemadmodum & in baptismo & in alijs.

Ad postremum. Actus pœnitentis vocantur quasi materia; quia vt iam dictum est, in hoc sacramento non est assignare rem aliquam externam corpoream, quæ sit materia, qualis est aqua, oleum, panis, vinum in alijs sacramentis, sed tantùm actiones pœnitentis, quæ non ita propriè materia vocari possunt. Quòd autem non sit in hoc sacramento aliqua materia magis propria ex eo patet, quia dicta concilia cùm ex professo de hac re agant, non aliam tamen materiam assignarunt. Nam & Florentinum concilium præmiserat sacramenta omnia tribus perfici, materia, forma & ministro, & Tridentinum sess. 14. cap. 3. vocat hos actus simpliciter partes sacramenti pœnitentiæ. Ex quibus apparet oppositam sententiam definitioni conciliorum esse contrariam.

· §. 3. · *Quæ sit huius sacramenti forma.*

Tho. 3. q. 84. a. 3.

HVius sacramenti formam hanc tradit decretum Florentinum: *Ego te absoluo &c.* Eandem habet Tridentina synodus sess. 14. cap. 3. Quæ quidem forma huic sacramento conuenientissima est. Cùm enim sacramenta nouæ legis efficiant id quod significant; huius autem sacramenti proprius effectus sit absolutio pœnitentis à peccatis, aptissimè talis forma ei tributa est quæ absolutionem ipsam disertè significaret: præsertim cùm nulla sit in hoc sacramento corporalis materia, cuius applicationem ad suscipientem necesse sit per formam exprimi, sicuti fit in sacramentis quibusdam alijs, vt baptismo & confirmatione. Applicatur autem hæc forma suę quoque materiæ, eamque respicit certo modo, siue peccata siue actus pœnitentis vt eius materiam accipiamus. Nam peccatis quidem ita applicatur, vt ea remoueat, dissoluat, ac destruat; actibus autem pœnitentis subiungitur, vt eos perficiat, perducendo videlicet ad finem propter quem suscipiuntur, nimirum absolutionem & reconciliationem pœnitentis.

Habet autem hæc forma fundamentum aliquod in scripturis nimirum in eo quod dictum est: *Quæcunque solueritis super terram* & rursum in eo: *Quorum remiseritis peccata &c.* Simili ferè modo quo forma baptismi indicata est illis verbis: *Baptizantes eos in nomine patris &c.*

A Cæterùm solent hîc aliquot quæstiones moueri ad quas breuiter respondebimus.

Prima vtrùm necesse sit illi formę aliquid adiungere, vt substantia sacramenti consistat, vel vtrùm ei salua sacramenti substantia possit aliquid adimi. Respondetur excepto pronomine quod sufficienter in verbo primæ personæ includitur, sicut & de forma baptismi dictum est, nihil adimi posse; quia omnino oportet exprimi actionem sacramentalem quę exercetur per ministrũ, vt est in decreto Florentino, vbi de forma baptismi agitur. Oportet quoque designari personam cui sacramentum
B impenditur. Qua de re pleniùs dictum est, cùm de forma baptismi ageretur. De adiungendis autem erunt sequentes quæstiones.

Est igitur secunda, vtrùm omnino sit necesse personam ministri exprimi saltē verbo primę personę. Putãt quidam id omnino requiri ad substantiã huius sacramenti, quia, inquiunt, sacerdos in hoc sacramento non nudo fungitur ministerio, sicut in baptismo, sed tanquam iudex tametsi vice Christi primarij iudicis sententiam absolutionis pronunciat. Verũ alijs placet non esse necesse, eò quòd ratio
C decreti Florentini licèt peculiariter accommodata formę sacramenti baptismi, locum tamen habeat etiam in alijs sacramentis. In omnibus enim minister est instrumentalis causa gratiæ, principalis autem solus Deus.

Tertia, An sit necesse addere, à peccatis tuis. Respondeo tam Florentinum quàm Tridentinum concilium ad indicandum se de huiusmodi quęstiunculis definire nolle, sed eas doctis disputandas relinquere, consultò addidisse illud (& cętera) Probabiliter itaque dicitur eam additionem nõn esse ad
D substantiam sacramenti necessariam, quemadmodum & S. Thomas satis significat, vbi de forma disputat, 3. quęst 84. art. 3. nihil tale addens. Sufficienter enim cõtinetur in eo quod dicitur: *Absoluo*, accepta ea voce prout eam accipit & intelligit vsus ecclesię. Nihilominus quod ad necessitatem attinet pręcepti, debent sacerdotes in omnibus huiusmodi ecclesiarum in quibus ministrat, consuetudinem sequi.

Quarta, An sit necesse addere: In nomine patris & filij & spiritus sancti, sicut in baptismo. Durandus quidem ita sentire videtur, sed alij negant, idque veriùs. Et ratio diuersitatis est, quia cùm
E baptismus sit sacramentum fidei, fides autem in confessione Trinitatis pręcipuè consistat, vt patet ex symbolo apostolico, peculiariter in baptismo necessaria est expressa Trinitatis inuocatio, non ita in alijs sacramentis.

Quinta. An sit valida forma; si quis dicat: Ego tibi peccata tua remitto. Respondetur cum Caietano & Dominico validam esse, quia sicut dictum est; *Quodcunque solueritis* ita dictum est: *Quorum remiseritis.* Rectè tamen D. Thomas docet vsitatam formam conuenientiorem esse, quia magis congruit verbis quibus Dominus potestatem clauium
F impertitus est Petro & cęteris apostolis Matth. 16. & 18. Similiter autem conceditur ratam fore absolutionem, si quis dicat: Ego tibi impendo sacramentum absolutionis; perinde enim est atque si dicat, sacramentaliter te absoluo.

Sexta. Vtrùm valida sit absolutio dicentis: Remittuntur tibi peccata, vel, absoluaris seu absoluaris à me vel absoluatur talis aut talis expresso nomine vel certa proprietate, vel Deus te absoluat, & huiusmodi. Respondet Scotus sufficere vt quomodocunque exprimatur actus per sententiam ab-

ſoluentis, ſicut in ſoro exteriori ad hoc vr rata cenſeatur abſolutio. Sed alijs huius ſententiæ libertas minùs placet. Veruntamen inter formas propoſitas primam, ſecundam & tertiam validas eſſe conſentiunt, iuxta id quod de ſecunda quæſtione dictum eſt. Eam autem qua dicitur: Deus te abſoluat, vel indulgentiam, abſolutionem, remiſſionem peccatorum tibi tribuat, negant ſufficere, cùm ſit tantùm deprecatoria; cuiuſmodi forma in ſolo ſacramento extremæ vnctionis eccleſia vtitur ob rationem ſuo loco explicandam. Quæ ſanè reſponſio, tametſi non nitatur irrefragabili ratione vel authoritate, ſecurior tamen eſt & reuera probabilior, maximè cùm vſus eccleſiæ inter orationem illam: Miſereatur tui Deus &c. & ipſam abſolutionis formam manifeſtè diſtinguat, illam quidem præmittens, hanc autem velut ad effectum reconciliationis neceſſariam ſubijciens. Inde enim ſequitur per verba præmiſſa nondum fuiſſe collatum ſacramenti effectum, & proinde in ijs non contineri formam ſacramenti, cùm ſit abſurdum formam ſacramenti ſecundò repeti ſuper eadem materia, ſiue id fiat ijſdem verbis ſiue diuerſis.

Poſtremò diligenter ab omnibus huius ſacramenti miniſtris obſeruandum, vt in eius adminiſtratione à laudabili conſuetudine ſuæ eccleſiæ non recedant, atque in primis abſtineant ab additionibus ſuperfluis, ineptis, vicioſis, aut erroris occaſionem præbentibus. His autem modis circa formam peccant qui dicunt: Abſoluo te ab omnibus peccatis tuis confeſſis & obliris & de quibus es contritus. Quamuis enim hęc addita non vicient formam, ſuperflua tamen ſunt, cùm in ipſa ſacramenti inſtitutione ſufficienter contineantur. Grauius delinquunt qui conditiones addunt has aut ſimiles: Si habeo poteſtatem te abſoluendi, vel ſi tu es verè pœnitens, vel ſi reſtitueris alienum. Harum enim conditionum prima miniſtrum ſacramenti quodammodo dubium facit, an adminiſtrauerit, ſecunda pœnitentem facit dubium an acceperit. Siquidem hæc duo, nempe poteſtas miniſtri in pœnitentem, & huius vera pœnitentia præſupponi debent, tanquam certa vel probabilia, priuſquam impendatur abſolutio, & ideo omnis huiuſmodi conditio hinc abeſſe debet tanquam in dubium reuocans id quod vt verum ſupponitur. Non tamen dictæ duæ conditiones videntur viciare formam, vti nec iſtæ: Si ego ſum ſacerdos, vel ſi tu es baptizatus. Tertia verò formā viciat, quia talis condicio eſt de re futura. Actus autem de præſenti cum conditione de futuro contingenti non eſt validus, ſed ſolùm eſt inſtar promiſſionis cuiuſdam, velut ſi quis dicat: Do tibi ſi id feceris. At huiuſmodi promiſſio in propoſito locum non habet. Vicioſa quoque additio eſt ſi quis dicat: Abſoluo te authoritate epiſcopi vel papæ, vel eccleſię. Non enim horum authoritate ſacerdos pœnitentem abſoluit, ſed authoritate, virtute & merito Chriſti; id quod ſignificant illa verba quæ iuxta morem eccleſiæ ſolent adiungi: Dominus noſter Ieſus Chriſtus qui eſt ſummus pontifex te abſoluat, & ego eius authoritate. Quoniam autem authoritas & virtus illa diuina eſt, ideo toti Trinitati communis eſt, ideoque rectè ſubiungitur: In nomine patris & filij & ſpiritusſancti. Cuius additionis etiam Ambroſius meminit lib. 3. de ſpiritusſancto cap. 19. his verbis: Homines in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non ius alicuius poteſtatis exercent. Neque enim in ſuo ſed in patris & filij & ſpiritusſancti nomine peccata dimittunt. Quam tamen additionem ſuprà diximus non pertinere ad neceſſitatem ſacramenti.

§. 4. *Obiectiones quædam diluuntur.*

QVę aduerſus ea quę de forma ſacramenti pœnitentiæ diximus, obijci ſolent, omiſſis ijs quę contra formas ſacramentorum in genere ab hęreticis adferuntur, iſtiuſmodi ferè ſunt. *S. Thom. loco sup. cit.*

Primum. Formam huius ſacramenti debere eſſe precatoriam apparet ex verbis Leonis qui in epiſtola 91. dicit poſt baptiſmum indulgentiam Dei, id eſt, remiſſionem criminum niſi ſupplicationibus ſacerdotum non poſſe obtineri. Ac poſtea ſubiungit: Multum enim vtile ac neceſſarium eſt, vt peccatorum reatus ante vltimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſoluatur.

Secundum. Forma aſſertoria qua dicitur: Ego te abſoluo, ſæpe falſum ſignificat, quando videlicet peccator non eſt verè pœnitens: tunc enim ſignificat eum abſolui qui reuera non abſoluitur, ergo potiùs vtendum eſt precatoria forma, ſicut in ſacramento extremæ vnctionis.

Tertium. Solus Deus peccata remittit, quippe qui ſolus interiùs hominem à peccato mundat, iuxta id quod ipſe ait Iſaiæ 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates*, quemadmodum etiam docet Auguſtinus ſuper Ioan. ad illud: *Hic eſt qui baptizat in ſpiritusſancto*. Ioan. 1. Vnde & Chriſtus dicendo paralytico & peccatrici, *Remittuntur tibi peccata*, ſignificare voluit ſe Deum eſſe. Cùm ergo ſit idem remittere peccata & abſoluere à peccatis, neutrum ſibi tribuere debet ſacerdos, ſed vtrumque vt fiat, petere à Deo.

Quartum. In pœnitente requiritur contritio ante abſolutionem, atqui vera contritio non eſt abſque remiſſione peccatorum, ergo peccator iam ante abſolutus eſt, & proinde non eſt vera ſacramenti forma qua dicit ſacerdos: Ego te abſoluo.

Breuiter ad hæc reſpondetur. Verba Leonis quæ primo loco obijciebantur, hunc habere ſenſum: Indulgentia Dei poſt baptiſmum aliter obtineri nequit niſi per abſolutionem ſacerdotum; cui plærumque & laudabiliter ſupplicationes, id eſt preces quædam adiunguntur; neque id tantùm pro reuerentia ſacramenti, ſed vt per eas miſericordia & indulgentia Dei pœnitentibus impetretur. Quod non tantùm illa Leonis verba ſignificant, verùm etiam Ambroſius docet tum in libris de pœnitentia, tum alibi vt lib. 3. de ſpiritusſancto cap. 19 & lib. 5. in Lucæ 5. de paralytico & Cyprianus in ſermone de lapſis, & Auguſtinus ſubinde contra Donatiſtas.

Ad ſecundum reſpondetur hanc formam à ſacerdote, ſi rectè fungatur officio, prolatam, nunquam eſſe falſam. Per eam enim ſignificatur quid fiat, quantum eſt tum ex parte ſacramenti, tum ex parte ſacerdotis ſua poteſtate legitimè vtentis ſecundùm noticiam quam de peccatis & qualitate peccatoris accepit, vel accipere debuit. Significat ergo ſacerdos his verbis ſe actum poteſtatis ſuæ circa hominem exercere, verè eum à peccatis abſoluendo, niſi ſit aliunde impedimentum. Eſſet autem falſa forma, ſi ſacerdos non intenderet abſoluere; ſicut qui dicit, do, falſum dicit, ſi non intendat dare; non item ſi alius non intendat accipere. Similiter falſa foret ſaltem interpretatiuè, ſi ſacerdos intenderet quidem abſoluere, ſciret tamen quem vult abſoluere,

soluere, non esse verè pœnitentem, aut non sibi subditum.

Tertij argumenti imbecillitas sufficienter conuincitur ex verbis Christi: *Quorum remiseritis &c.* Quocirca respondetur solum Deum primaria potestate peccata remittere & corda interiùs mundare, quod & Christus fecit in terris; sacerdotes autem vtrumque facere per ministerium sibi à Christo concreditum.

Ad postremum respondetur contritionem non semper habere coniunctam remissionem peccatorum. Sed id suo loco pleniùs à nobis probandum erit; quemadmodum & illud quòd sacerdos administrando hoc sacramentum non solùm declaret remissa esse peccata, sed ea verè remittat, ab ijsque pœnitentem verè absoluat.

§. 5. *Manus impositio quem in hoc sacramento vsum habeat.*

AD huius sacramenti necessitatem non pertinet manus impositio, quippe sine qua materia & forma sacramenti & tota eius essentia consistat. Quod enim ad materiam attinet, de qua magis dubitari posset, iam ex suprà dictis patet hoc sacramentum non consistere in vsu alicuius materiæ extrinsecùs admotæ, sed materiæ locum tenere actus pœnitentis. Vnde sicut in eucharistia sacerdos sola prolatione verborum super materiam perficit sacramentum, ita etiam (ait S. Thomas 3. quæst. 84. art. 4. ad 2.) sola verba sacerdotis absoluentis super pœnitentem, perficiunt absolutionis sacramentum. Quare manus impositio non est huic sacramento, imò nec alijs sacramentis quibuscunque necessaria, quatenus significat nudam illam ceremoniam, qua quis manum imponit capiti eius cui sacramentum impendit. Quatenus autem dici possit, & à veteribus interdum significetur esse ad sacramentum aliquod necessaria, declarabitur à nobis ad distinctionem 24. de sacramento ordinis.

S. Tho. 3. p. q. 84. ar. 4.

Cæterùm cùm sit vetustissima ecclesię consuetudo ab ipsis, vt probabile est, apostolis tradita, vt pœnitentes reconcilientur cum manus impositione, adeo vt ob eam causam sacramentum hoc à veteribus aliquando vocetur manus impositio, vel sacramentum manus impositionis, non est hodie absque iusta aliqua ratione ea ceremonia prætermittenda.

Sed quæret aliquis, quæ sit huius ceremoniæ ratio. Respondeo rationem eius indicari ab Augustino lib. 3. cõtra Donatistas cap. 16. dicẽte: Quid est aliud manus impositio quam oratio super hominẽ? Quibus verbis vult Augustinus manus impositionem esse ceremoniam externam, qua qui vtitur, significat se orare, benedicere, bene precari, vel apud Deum intercedere pro eo cui manum, vel manus imponit. Est igitur oratio non vocalis, sed vt ita dicam, ceremonialis, cum vocali tamen vel saltem mentali oratione seu benedictione coniuncta. Id autem significari hoc nomine vel ex sacris literis ostenditur, vt Matth. 9. & 19. Marc. 6. 7. 8. vltimo, Actor. 9. & vltimo. Quæ loca & similia cum quam diximus, acceptionem manus impositionis requirunt. Quare & dum in sacramenti administratione adhibetur, vt in confirmatione, reconciliatione & ordinatione, ideo adhibetur, vt per eam significet episcopus vel sacerdos se ad impetrãdum effectum sacramenti etiam propriam orationem, desiderium ac pium affectum adiungere. Quod quidem in reconciliationis sacramento fit etiam expressis verbis cùm dicit sacerdos: Misereatur tui, &c. Nihil enim vetat ad consequenda ea quæ ex diuina promissione per sacramenta, vel aliter certò expectamus, nostras etiam orationes præmitti siue adiungi; sicut & Christum fecisse constat, & in canone missæ ante consecrationem eucharistiæ ac multis alijs facit ecclesia. Et hæc quidem de manus impositione.

Rectè autem sicut in alijs sacramentis, ita & in isto signum crucis manu efformat minister ad designandum cuius merito fiat peccatorũ remissio, videlicet Christi crucifixi. Nam & ea vetustissima est ecclesiæ consuetudo omnibus sacramentis, alijsque mysticis actionibus signum crucis adhibere, quemadmodum testatur Augustinus tractatu. 118. in Ioannem.

Porrò quamuis hominem impœnitentem absoluere non liceat, debet tamen sacerdos, si quem impœnitentem cogitur à se dimittere, præsertim alijs pręsentibus, dictas externas ceremonias manus impositionis & signi crucis etiam tunc adhibere, ne harum ceremoniarum omissio sit impœnitentis animi proditio. Et idem iudicium de eo cuius absoluendi potestatem ob casum aliquem reseruatum non habet, vel cuius absolutionem quacunque ex causa differt in aliud tempus.

Neque verò hîc vlla simulatio est, quia vt ex Augustino diximus, manus impositio non aliud est quàm oratio super hominem. Quare sicut pro impœnitente vel alio quocunque peccatore voce & mente orare potest sacerdos, ita & signo externo, dum tamen abstineat à proferẽda forma absolutionis, vel alijs verbis absolutionem seu remissionem præsentem vel reconciliationem aliquo modo significantibus, sed tantùm precetur Deum pro peccatore, vt cor eius illuminet, & ad veram pœnitentiam eum perducat.

§. 6. *Quid sit quod propriè dicitur sacramentum pœnitentiæ.*

DIsputatur inter scholasticos quidnam sit, quod propriè vocatur sacramentum pœnitentiæ, vel vt dialectico more loquamur, pro quo supponat id quod dicimus pœnitentiæ sacramentum. Scotus sensit ipsum supponere pręcisè pro sacerdotali absolutione. Vnde pœnitentiæ sacramentum definiuit hoc modo: Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis à sacerdote prolatis &c.

S. Tho. 3. p. q. 84. art. 1. in corp.

Pro qua Scoti sententia faciunt hæ rationes. Prima. Sacramentum est causa gratiæ. Id autem soli conuenit actui sacerdotis absoluentis, non actibus hominis suscipientis sacramentum. Non enim gratia confertur in hoc sacramento nisi per claues ecclesiæ, quibus sacerdos vtitur dum absoluit.

Secunda. Actus ministri baptizantis est sacramentum baptismi, vti dictum est ad dist. 3. & actus episcopi firmantis est sacramentum confirmationis, & actus eiusdem ordinantis est sacramentum ordinis, & de extrema vnctione similiter, ergo actus sacerdotis absoluentis est sacramentum pœnitentiæ. Actus autem ille non alius est quàm ipsa absolutio.

Tertia.

Tertia. Sacramentum hoc vocatur sacramentum absolutionis sess. 14. Tridentini concilij can. 10. sicut ergo sacramentum baptismi est ipse baptismus, & sacramentum confirmationis ipsa confirmatio, & ita in alijs: ita sacramentum pœnitentiæ quod est sacramentum absolutionis, est ipsa absolutio. A

Præterea huic opinioni suffragantur omnes ferè rationes quæ probare videntur nullam huius sacramenti partem constituendam esse ex parte pœnitentis, quas quidem rationes suprà dissoluimus.

B Ex his igitur concludit Scotus totam essentiam huius sacramenti positam esse in absolutione sacerdotis.

His accedit quòd sacramentum pœnitentiæ (vt quidam volunt) impœnitentibus administratum veri sacramenti rationem habeat, vbi tamen deest actus ille qui præcipuè requiritur ex parte pœnitentis, videlicet contritio. Quare videtur sine actu pœnitentis consistere tota essentia sacramenti: Antecedens autem probant, tum quia baptismus verum est sacramentum fictis & impœnitentibus collatus, tum quia qui impœnitens accedit & absoluitur, reus est violati sacramenti, sicut is qui fictus accedit ad baptismum. C

Porrò alij plerique S. Thomam sequentes materialem partem huius sacramenti statuunt ex parte pœnitentis, cuius actus sunt sacramenti quasi materia, iuxta doctrinam duorum conciliorum suprà à nobis expositam. Vnde sequitur solam absolutionem non esse totam essentiam huius sacramenti, & proinde sacramentum pœnitentiæ non supponere pro sola absolutione sed vel pro toto externo opere quod resultat ex actibus pœnitentis & verbis sacerdotis absoluentis tanquam ex materia & forma; vel potiùs pro absolutione sacerdotis tanquam a- D ctu ministri formam applicantis materiæ, id est, verba absolutionis proferentis super peccatore contrito & confesso & habente propositum satisfaciendi.

Non ergo dicendum est quòd sola seu nuda absolutio sit sacramentum pœnitentiæ, sed absolutio talibus verbis & super tali materia facta. Quæ res aliorum sacramentorum ac potissimùm baptismi similitudine declaratur. Nam quemadmodum ad distinct. 3. ostendimus, baptismus propriè neque est aqua, neque verba baptizantis, neque aliquid E ex aqua & verbis conflatum, nec denique nuda corporis ablutio, sed ablutio hominis in aqua cum præscripta verborum forma. Sicut ergo ablutio est sacramentum baptismi, & vnctio est sacramentum confirmationis, nimirum tanquam sacræ quædam & visibiles actiones ministrorum ecclesiæ, quibus illi suam applicant materiæ formam, vel formæ materiam: ita & de hoc sacramento sentiendum videtur, nempe absolutionem modo iam dicto consideratam esse sacramentum pœnitentiæ. Cui sententiæ satis fauet Tridentinum concilium, quando sacramentum hoc vocat sacramentum absolu- F tionis.

Ad ea igitur quæ pro Scoti sentētia allata sunt, respondeamus.

Ad primam rationem respondetur. Non tantùm actionem sacerdotis absoluentis, & verba quibus vtitur absoluens, verùm etiam actus pœnitentis tanquam sacramenti partes suo modo instrumentaliter cōcurrere ad effectum reconciliationis, nimirum in genere signi efficacis. Sed cùm potior sit forma quā materia, & hac vtraque potior agens seu administrans, hinc fit, vt clauibus ecclesiæ, id est, potestati sacerdotis quam à Christo accepit, & verbis quibus vtitur potiùs quàm actibus pœnitentis remissio peccatorum asscribatur.

Ad secundam & tertiam rationem ex declaratione iam data patet responsio. Non enim concludunt nudam absolutionem esse sacramentum pœnitentiæ, sed vestitam certis circunstantijs ad substantiam sacramenti requisitis, sicut res se habet in actibus ministri aliorum sacramentorum.

Ad id quod postremo loco obijcitur, respondemus sacramentum pœnitentiæ impœnitenti administratum non habere veram rationem sacramenti, quia deest ei altera substantiæ pars nempe materialis. Ea enim cùm tres partes habeat, contritionem, confessionem & satisfactionem, inter eas contritio præcipua est, & proinde simpliciter atque omnino necessaria, sicut caput autem in homine. At baptismi diuersa ratio est. Nam præter hoc quod characterem imprimit, etiam fictis collatum non destituitur sua materia & forma. Reus autem censetur violati sacramenti qui impœnitens præsumit accipere absolutionem; non quia verum est sacramentum quod impenditur, sed quia impenditur & suscipitur vt sacramentum, & quia per maliciam suscipientis impeditur, ne sit sacramentum.

§. 7. *Remissa culpa plærumque restare luendam pœnam temporalem.*

QVamuis inter partes pœnitentiæ satisfactio postremum obtineat locum, ne tamen ab ordine Magistri nimium recedamus, & distinctiones eius confundamus, de satisfactione nobis quoque cum illo hac dist. agendum erit. S.Tho 3. p. q. 86. ar. 4.

Primùm ergo quod huius rei fundamentum est, docebimus remisso peccato, seu vt scholę doctores loquuntur, remissa culpa non semper simul ac statim remitti omnem pœnam peccato debitam sed sæpe ac plærumque fieri, vt soluto reatu æternę damnationis (quæ solutio in remissione culpæ intelligitur) relinquatur adhuc soluenda pœna aliqua temporalis huius vel futuri sæculi.

Ad quod probandum vt à scriptura sumamus initium, valet imprimis quod legitur 2. Regum 12. vbi cùm Dauid peccati sui admonitus à Nathan propheta dixisset: *Peccaui Domino*, & ab eodem vicissim audiuisset: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*, adiunxit propheta: *Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius qui natus est tibi, morte morietur.* Ea autem fuit pœna temporalis non filij tantùm, sed & patris qui punitus est in morte filij. Quin & verba prophetæ præcedentia id apertissimè probant, quibus ait: *Quamobrem non recedet gladius de domo tua, eò quòd despexeris me & tuleris vxorem Vriæ &c.* Quæ pœna quamuis post remissam culpam fuerit mitigata, non tamen prorsus ablata, vt ex historia eiusdem libri patet.

Sic primi parentes etsi per sapientiam educti à delicto suo Sapient. 10. pœnam tamen temporalem sui peccati tulerunt, subiecti maledictioni & ærumnis cum tota posteritate Genes. 3.

Similiter Exodi 32. cùm intercedente Moyse placatus fuisset Dominus populo super peccato vituli adorati, nihilominus subiecit: *Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Et Numer. 14.

ob mur-

ob murmurationem populi iratus & oratione A Moysi placatus dominus, ita vt diceret: *Dimisi iuxta verbum tuum*, adiunxit: *Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam & signa quæ feci in &c. non videbunt terram &c.* Item Numer. 12. Maria Moysi soror pro cuius peccato deprecatus fuerat Moyses, iubetur nihilominus septem diebus separatim agere extra castra, idque in confusionem pro peccato in fratrem commisso. Ipse quoque Moyses, & frater eius Aaron Numer. 20. ob incredulitatis peccatum ad aquas contradictionis prohibentur ab ingressu terræ promissæ: Quod eodem capite de Aaron morituro repetitur, B & de seipso Moyses fatetur Deuter. 1. quos tamen non dubium est eius culpæ veniam ante mortem accepisse.

Videtur autem id quoque significatum ab apostolo Heb. 10. his verbis: *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij &c.* quasi diceret: Relapsis in grauiora peccata non ita contingit simul ac semel absolui à culpa & pœna, sicut in baptismo; sed etiamsi culpa fuerit remissa, restat tamen homini pro peccatis expectandum quoddam exemplum terribilis iudicij Dei, C nimirum per laboriosam satisfactionem in hoc sæculo, vel afflictiuam purgationem in futuro.

Valent denique ad huius doctrinæ probationem ea loca scripturæ, in quibus etiam iusti fatentur se pro peccatis suis affligi vt Tobias 3. Daniel 9. tres pueri in fornacem missi Daniel. 3. fratres Machabæi 2. Machab. 7. Et generaliter docet apostolus Hebr. 10. citata ex prouerb. 3. sententia, Deum flagellis quibusdam castigare filios suos, id est, iustos. *Quem enim diligit*, inquit, *castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit*. Et iterum: *Quis enim filius quem non corripit pater? &c.* D correptio autem & castigatio & flagellatio punitionem pro peccatis significant. Vnde manifestum est restare soluendas pœnas temporales, ijs etiam qui iam filij Dei id est, iusti sunt. Nec refert si dicas pro venialibus culpis has temporales afflictiones eos pati. Nam certè multò magis pro mortalibus etsi remissis quoad culpam talia eos pati consentaneum est. Alioqui quod est absurdum, venialia peccata grauiùs in iustis quàm mortalia vindicarentur.

Sed & patrum de hac re doctrinã proferamus.

Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 67. de Dauide disserens: Quando, inquit, correptus per E prophetam dixit, Peccaui, continuò ad hoc vnum verbum audire meruit, quòd acceperit veniam. Ad quam rem nisi ad sempiternam salutem? Neque enim prætermissa est in illo secundùm Dei commimationem flagelli paterni disciplina, vt & confessus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur. Addit deinde Augustinus Dauidem etsi postea punitum, intellexisse tamen non fuisse falsam peccatorum eius indulgentiam à propheta annunciatam. Intelligebat enim, inquit, vir sanctus nisi Dominus esset confitenti pœnitentique F propicius, quantum pœnarum æternarum eius essent digna peccata: pro quibus cum temporalibus emendationibus vreretur, videbat erga se & manere veniam, & non negligi medicinam. Similia prorsus de Dauidis punitione scribit Augustinus in inchoata expositione epistolæ ad Romanos ad illud: *Gratia vobis & pax.* Quo loco etiam Petri testimonio vtitur ad eam rem probandam ex 1. Petri 4. dicentis: *Propter hoc & mortuis euangelizatum est: vt iudicentur quidem secundùm homines in carne, viuant autem secundum Deum in spiritu.* Eiusdem Augustini de Dauide locus est non minùs apertus in psalm. 50. Aliquando, inquit, Deus cui ignoscit in futuro sæculo, corripit eum de peccato in isto sæculo. Nam & ipsi Dauid, cui dictum iam fuerat per prophetam: Dimissum est peccatum tuum, euenerunt quædam quæ minatus erat Deus propter ipsum peccatũ &c. Vbi etiam allato exemplo maledictionis Semei in Dauidem, de Dauide maledicum hominem prohibere nolente ait: Agnoscens culpam suam amplexus est pœnam suam. Idem in psal. 98. exponens illud: *Et vindicans in omnes affectiones eorum*, vbi nos habemus, *& vlciscens in omnes adinuentiones eorum*, quod de Moyse & Aaron dictum interpretatur, ait: Cui verè propicius est Dominus, non solùm donat peccata, ne noceant ad futurum sæculum, sed etiam castigat, ne semper peccare delectet. Alibi verò generaliter de morte & communibus huius vitæ ærumnis loquens nempe tract. 124. in Ioan. Temporaliter, inquit, hominem detinet pœna quem iam ad sempiternam mortem non detinet culpa.

In eandem sententiam scribit Ambrosius super psal. 37. Qui pœnitentiam, inquit, agit, offerre se debet ad pœnam vt hîc puniatur à Domino, non ad supplicia æterna seruetur, nec expectato tempus, sed occurrere diuinæ indignationi. Deinde proferens exemplum Dauidis, vbi culpam numerati populi deprecatur, subiungit: Non ergo penitus sibi peccatum remitti postulat, sed moderata solutione deleri, hoc est, vt in futurum eius memoria deleatur. Quæ verba Ambrosij significant Dauidi tunc quoque quando iussit numerari populum 2. Reg. vltimo, ita fuisse inflictam à Deo pœnam temporalem, vt tamen ipsa culpa iam priùs illi esset condonata; nimirum ad illam eius orationem qua dicebat: *Peccaui valde, sed precor Domine vt transferas iniquitatem serui tui.*

Exstat item apud Gregorium de Dauide post remissam adulterij & homicidij culpam puniti locus clarissimus lib. 9. Moral. cap. 17. vbi sic ait: Si peccatum Dauid Dominus transtulit, quid est quod postmodum tanta tolerauit? Sed proculdubio Dominus delictum sine vltione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Sicut enim Dauid post confessionem audire meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum* & tamen multis post cruciatibus afflictus & fugiens, reatum culpæ quam perpetrauit, exoluit: Sic nos salutis vnda à culpa primi parentis absoluimur, sed tamen reatum eiusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus. Hæc Gregorius, quæ prorsus eadem leguntur apud Eucherium Lugdunensem in 2. Reg. 12.

In hanc porrò sententiam & alij patres conueniunt, vt Chrysostomus initio homil. 2. super psal. 50 & homil. 4. in 2. Corinth. Hieronymus in Ieremiæ 10. & in Ephes. 5. Leo serm. 8. de passione Domini. Fulgentius lib. 1. de remissione peccatorum cap. 12. Prosper sententia 72. & 148. Lactantius lib. 6. diuinarum institutionum cap. vltimo. Ac rursum ipse Augustinus plurimis locis, vt in expositione psalm 84. 88. & 91. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 16. lib. 1. de ciuitate Dei cap. 9. & lib. 13. cap. 3. 4. 5. & 6. & tract. vltimo in Ioannem, vbi disertè docet miseriam huius vitæ etiam remissis peccatis restantem ex iusta Dei ira prouenire. Quò pertinent & ea quæ de pœnalitatibus post baptismum relictis annotauimus ad 4. huius lib. dist.

Quamobrem meritò doctrinam hanc de pœna peccati remanente post culpam remissam patres Tridentini tanquam Catholicam definierunt sess. 6. cap. 14. & can. 30. & sess. 14. cap. 8. & can. 12. In quo octauo capite hanc quoque rationem adferunt, quare non semper vniuersa pœna simul cum culpa remittatur à Deo; quoniam, inquiunt, diuinæ iustitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur qui antè baptismum per ignorātiam delinquunt; aliter verò qui semel à peccati & dæmonis seruitute liberati & accepto Spiritussanctó dono scienter templum Dei violare, & Spiritumsanctum contristare non formidauerint. Er quæ sequuntur.

§. 8. *Ad ea quæ ab aduersarijs obijciuntur, responsio.*

S. Thom. vbi sup.

DOctrinam superiorem velut fundamentum totius doctrinæ catholicæ quam tradit ecclesia de satisfactione eiusque necessitate, multis argumentis conuellere nituntur hæretici, quorum nos præcipua dumtaxat ordine proposita dissoluemus.

Primum. Dominus apud Ezechielem 18. & 33. negat se fore memorem iniquitatis à qua per pœnitentiam peccator recesserit. Et dicit: *Impietas impij non nocebit ei in quacumque Dei conuersus fuerit ab impietate sua.* Ergo Deus prorsus non puniet.

Secundum. Psal. 31. hæc pro eodem habentur remissas esse iniquitates, recta esse peccata, & eaà Domino non imputari, ergo peccatum semel remissum non vltrà imputatur ad pœnam.

Tertium. Rom. 8. *Nihil damnationis est ijs qui sunt in Christo* ergo nulla restat pœna, cùm damnatio pœnam, seu punitionem eo loco, vt alibi sæpe, significet.

Quartum. Peccatum non remittitur nisi per Christum, quodcumque autem per Christum remittitur, id omne satis atque abunde per eius sanguinem expiatur, ergo nihil pro eo restat soluendum.

Quintum. Si Christus non abolet culpam simul & pœnam, plus ergo nobis obfuit inobedientia Adę, vt qui & culpam simul & pœnam inuexerit, quàm profuit obedientia Christi.

Sextum. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 34. dicit huius vitæ miserias ante remissionem quidem esse supplicia peccatorum, post remissionem autē certamina exercitationesque iustorum. Et mortem corporis quam Deus homini propter peccatum inflixit, nihilominus & post remissionem peccati propter certamina ei iusticiam non ademisse. Similia habet cap. proximè præcedente.

Idem Augustinus serm. 20. de verbis Domini & serm. 67. de tempore. Non nocent, inquit, mala præterita si non placent, velut alludens ad illud prophetæ Ezech. 33. *Impietas impij non nocebit ei in quacunque die &c.* Et in psal. 31. dicit peccatum tunc tegi quando Deus non vult illud punire. Et in psalm. 84. ad illud: *Operuisti omnia peccata eorum.* Quid est, inquit, operuisti? vt non illa videres; quid est, vt non illa videres? vt non illa vindicares. Ex eodem Augustino obijciunt illud vulgatum: Impium est dimidiam à Deo sperare veniam. Quod habetur libr. De vera & falsa pœnitentia capit. 9.

Præterea ex Chrysostomo quædam loca obijciuntur. Scribens enim is in 1. Corinth. 11. ad illud: *Si nosipsos dijudicaremus &c.* dicit: Si nostra taorum voluerimus agnoscere peccata, liberos futuros ab huius & futuri sæculi pœnis, eumque apostoli locum negat de punitione intelligi. Cui similia sunt apud eum loca homilia 6. in Genes. & oratione in Sanct. Philogonium. Idem Ioan. Chrysostomus homilia de pœnitentia & confessione. Propter hoc, inquit, imponit Deus nobis pœnam non de peccatis supplicium sumens, sed ad futura nos corrigens, & homilia 2. in psalm. 50. vbi misericordia flagitatur, interrogatio cessat, vbi misericordia postulatur, iudicium non sæuit, vbi misericordia petitur, pœnæ locus non est, vbi misericordia, quæstio nulla, vbi misericordia, condonata responsio est. ie ille.

Postremò. Catholicis huiusmodi argumentum opponunt Lutherani: Sacerdotes acceperunt à Christo potestatem absoluendi ab omni culpa & pœna, igitur ab vtraque absoluunt, vel certè absoluere debent iuxta potestatem sibi datam, ac proinde non restabit locus pœnæ luendæ post remissam culpam.

His argumentis sic ordine respondetur.

Ad primum. Quo sensu dicat Dominus apud Prophetam se non recordaturum iniquitatis à qua pœnitendo quis recesserit, ex vtriusque loci circumstantia facilè intelligitur. Dicitur enim vtrobique: *Vita viuet, & non morietur.* Quod de æterna vita & morte est accipiendum. Hactenus ergo non amplius recordatur Dominus iniquitatum eius, qui conuersus fuerit à via sua mala, quia remisit supplicium mortis æternæ. Sic enim & Dauidi dictum fuerat: *Non morieris.* Post quod tamen prophetæ verbum pœnæ temporales ei fuerunt inflictæ. Est autem reuera tanta distantia inter pœnam æternam & temporalem, vt qui æternam remiserit, etiamsi temporalem exigat, meritò iam dicatur oblitus peccati; præsertim cùm mors æterna proprium sit peccati stipendium, sicut propria iustitiæ merces vita æterna: cum & hoc accedat quòd pœnæ temporales referuntur ad vtilitatem eius à quo exiguntur. Vnde bene dicitur: *Non nocebit ei impietas sua*: Tota enim illa pœna refertur ad salutem eius qui punitur.

Vnde etiā ad secundū patet responsio: Tegit enim peccata Deus, etiamsi tēporaliter puniat, quando ea non sic videt, vt pro ijs mortē æternam quam merebantur, infligere velit. Similiter non imputat ad pœnam mortis æternæ illis alioqui debitam.

Ad tertium respondetur eo loco damnationem intelligi vel mortem æternam, vel mortis æternæ reatum, sicut & cap. 3. eiusdem epistolæ vbi dicitur. *Quorum damnatio iusta est*, & capit. 13. vbi dicitur: *Ipsi sibi damnationem acquirunt.* Sic autem accipi hoc loco damnationem, circumstantia loci planè monstrat. Nam ex eo quòd quis mente seruiat legi Dei, sola autem carne lege peccati, concludit in tali homine nihil remanere damnatione seu morte dignum; vt qui per baptismum Christo incorporatus, iam non secundùm carnem ambulet. *Lex enim*, inquit, *Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis.* Vbi aduertendum apostolum quod antea damnationem dixerat, nunc mortem vocare, quam sine dubio æternam intelligit, cùm quod ad temporalem attinet mortem, testetur eodem capite etiam in renatis corpus mortuum esse, id est, morti obnoxium propter peccatum.

Ad quartum. Quandocunque peccatum morrale

tale per Christum remittitur, plenè quidem per eius sanguinem expiatur quoad culpam, id est, reatum æternæ damnationis, at non semper quoad pœnam temporalem; non quòd sanguis Christi non satis sit efficax ad abolitionem totius pœnæ, sed quia diuinæ iustitiæ visum fuit, ob certas causas hominem licèt iustificatum relinquere adhuc pœnis ac miserijs obnoxium; nec pari conditione in amicitiam suam admittere eum qui gratiam semel acceptam abiecit, & eum qui in gratia Dei nunquam fuit, vti suprà ostendimus ex doctrina concilij Tridentini. Notandum igitur hoc loco, quòd quicunque remissionem peccatorũ accipimus, omnes quidẽ sanguine Christi aspergimur, at non æqualiter. Volo dicere quòd virtus sanguinis Christi nobis applicatur per baptismum & pœnitentiam, aliaque sacramenta ad remissionem peccatorum, non tamen æqualiter, nec eodem modo. Nam ex ordinatione Dei perfectiùs id fit in baptismo, quàm reconciliationis sacramento, quemadmodum infrà pleniùs ostendetur.

Ad quintum, Eodem argumento colligeretur mortem & miserias omnes huius vitæ statim per Christum tolli debuisse, ne plus obfuerit inobedientia Adæ per quem vnà cùm peccato mors & miseriæ intrauerunt in mundum, quàm profuerit obedientia Christi. Respondendum igitur est per Christum auferri ab electis omne illud malũ quod prænaricatio Adæ inuexit. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur.* Verùm id non statim, ne parua putaretur culpa, vt ait Augustinus tractat. vltimo in Ioan. si cum illa statim finiretur & pœna; & vt interim habeant iusti quo exerceantur ad palmam superoæ vocationis.

Quod primo loco ex Augustino adfertur, hunc sensum habet: Miserias huius vitæ ante remissionem peccatorum tantùm esse peccatorum supplicia; post verò præterquam quod iusto Dei iudicio pro peccatis quoad culpam remissis, adhuc infligantur, hoc etiam vtilitatis habere, quòd sint certamina & exercitationes iustorum, dum ea patienter tolerando in virtutibus proficiunt, Deumque sibi magis promerentur.

Ad aliã tria loca Augustini responsio patet ex solutione primi & secundi. Ad locum ex libro de vera & falsa pœnitentia (qui tamen falsò tribuitur Augustino) prompta & certa est responsio, eum ex illius authoris sententia dimidiam à Deo veniam sperare, qui cùm in vno crimine perseueret, de alio tamen vel alijs veniam sibi apud Deum promittat. Præcedunt enim hæc verba: Scio Dominum inimicum omni criminoso, quomodo ergo qui crimen seruat, de alio recipit veniã? ac deinde sequitur hoc quod obiectum fuerat. Quædam impietas infidelitatis est ab illo qui iustus & iusticia est, dimidiam sperare veniam. Certum est autem nec iusticiæ nec misericordię Dei repugnare, si peccatum misericorditer ita condonet quoad pœnam æternam, vt tamen ad ostensionem quandam suæ iusticiæ, & ad ipsius hominis vtilitatem pœnam aliquam reseruet temporalem. Imò hoc pacto iusticia & veritas pulchrè sibi mutuò obuiant & altera alteram temperat.

Primus locus ex Chrysostomo adductus non aliud vult, quàm quòd ipse apostolus innuit, nempe hominem spontanea castigatione effugere temporalem Dei punitionem in hoc vel futuro seculo infligendam, eamq; longè acerbiorem; adeo vt huius comparatione illa sponte assumpta punitio, vix punitionis nomen mereatur. Nam & mox simili

A modo loquitur de punitione temporali collata ad supplicium gehennæ.

Proxima duo loca similiter sunt intelligenda. Quartus locus tantùm ostendit flagellorum vsum circa electos non hunc esse potissimum, vt peccata eorum vindicentur, sed vt illi in posterum correcti peccata caueant.

Postremus Chrysostomi locus catholicam doctrinam adiuuat. Si enim Dauid post remissum peccatum adhuc misericordiam implorat, ne iudicium sæuiat, ergo sensit tam Chrysostomus quàm Dauid ipse translato iam peccato ne moreretur, ad-
B huc superfuisse pœnam temporalem, quę iustè poterat exigi nisi misericordiæ imploratione, vel tota vel ex parte auerteretur. Vult ergo Chrysostomus in tantum cessare pœnam, in quantum conceditur misericordia.

Ad vltimum argumentum respondetur sacerdotes accepisse potestatem remittendi peccata pœnitentibus. Ad pœnitentiam autem etiam satisfactio pertinet, quam proinde is qui absoluitur, vel iam peregisse debet, vel habere in proposito. Quocirca repugnat integritati huius sacramenti tollere omnem obligationem pœnę temporalis, priusquam
C peracta fuerit debita satisfactio. Potest igitur concedi sacerdotes semper absoluere à pœna & culpa, pręsupposito integro sacramento, quod quidem non prorsus integratur ante peractam condignam satisfactionem, nisi & huius obligationem indulgentia relaxet. Verùm ea relaxandi potestas non ad omnes sacerdotes pertinet.

§. 9. *Quid & quotuplex sit satisfactio.*

D QVò meliùs intelligantur, quæ dicenda sunt de pœnitentium satisfactione, paucis priùs explicandum quid sit satisfactio, & quibus modis diuidi possit. Generatim igitur ac iuxta significationem Grammaticam satisfactio non aliud est quàm debiti solutio, cuiuscunque demum generis debitum illud sit. At specialiter in delictis satisfactio dicitur, cùm pro ijs tantum pœnæ seu vindictæ exoluitur, quantum læso & offenso satis est, aut esse debet, vt placetur atque irasci desinat. Quæ definitio complectitur & eam pro delictis satisfactionem quam homines iniuria affecti ab hominibus exigere solent. Facilè autem soli ecclesia-
E sticæ satisfactioni accommodabitur, si læsum & offensum, cui solutio fieri debeat, Deum intelligamus. Eandem sub nomine pœnitentiæ (quod vocabulum apud veteres sæpissimè pro satisfactione vsurpatur) author libri de vera & falsa pœnitentia cap. 8. sic definit: Pœnitentia est quędam dolentis vindicta voluntariè in se punientis quod commisisse se dolet.

s. Thom. supp. q. 12 & 3. p. q. 85 art. 3.

Pleniùs autem hoc modo definitur. Satisfactio est studium placandi Deum offensum per volunta-
F riam sui castigationem seu ipsa voluntaria sui castigatio vel punitio ad compensationem quandam iniuriæ Deo per peccatum illatæ. Quæ descriptio petita est ab obiecto eius circa quod versatur, & à fine. Obiectum enim Deus est per peccatum offensus, finis autem placatio irę diuinę, seu plena reconciliatio cum Deo.

Ex vtroque autem intelligitur satisfactionem esse opus pietatis ac iusticiæ, vtpote ad hoc susceptum vt Deus placetur & iniuria ei illata quadantenus compensetur. Peculiariter autem ad iusticiam

pertinet. Cuius ratio manifesta est, quia iusticiæ A proprium est æqualitatem inter duos constituere, seu inæqualitatem inter duos exortam ad æqualitatem redigere. Neque tamen ad iusticiam vindicatiuam propriè pertinet, sed specialem virtutem constituit, qua nimirum sponte quis pro iniuria quam alteri intulit, sese castigat vt illum placet, sibique reconciliet. Ita docet S. Thomas in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 1. & parte 3. quæst. 85. art. 3. tametsi Scotus & Durandus contrarium teneant, putantes satisfactionem hanc non egredi speciem iusticiæ vindicatiuæ, quorum rationes expendere non est B huius loci. Sufficit enim præsenti doctrinæ satisfactionem quę à pœnitente requiritur, non esse quamcunque pœnę pro iniuria Deo illata debitę solutionem, sed voluntariam & studio Deum placandi susceptam, quam proinde cum proposito non peccandi de cętero coniunctam esse oportet. Alioqui enim nuda vindicta erit, & quæ non tam satisfactio quàm satispassio dici debeat; cuiusmodi est supplicium damnatorum in inferno, & in hac vita eorum qui pro sceleribus suis per iusticiam publicam puniuntur impœnitentes.

Iuxta sensum iam datum intelligendæ sunt & hæ descriptiones. Satisfacere est honorem debitum C Deo impendere, &, satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere. Quarum priorem tradit Anselmus lib. Cur Deus homo. Posteriorem Gennadius lib. de ecclesiasticis dogmatibus cap. 54.

Est autem multiplex satisfactionis diuisio. Primùm enim ita diuidi potest, vt dicamus aliam esse satisfactionem in pœna, aliam pro pœna. Satisfactio in pœna est, quando lege fixa & determinata est pœna quam pro delicto subire oporteat, quomodo satisfaciunt qui pro delictis suis pœnas legibus constitutas pendunt; vt cùm homicida gladio D percutitur, incendiarius comburitur, fur suspenditur. Satisfactio pro pœna est, vbi commutatio locum habet, ita vt pœnæ eius quam lex præscripsit, redemptio quædam & compensatio recipiatur; velut cùm in ciuilibus mulcta pecuniaria, vel vltroneum aliquod seruitutis officium ei qui læsus est præstandum, pro grauiori pœna alioqui debita iniungitur aut admittitur.

Facit hęc diuisio ad intelligendum discrimen satisfactionis eius quæ fit in hoc sæculo, & quæ in futuro. Cùm enim propriè ad futurum sæculum E pertineat retributio præmiorum & suppliciorum, quod proinde iudicij tempus esse docet scriptura Heb. 9. & alibi, quemadmodum & Augustinus annotauit enchiridij 66. Quicunque post hanc vitam pro peccatis puniuntur, temporale supplicium de manu Dei suscipientes, non illi pro pœna, sed in pœna satisfaciunt. Hoc enim patiuntur quod iusticia Dei tanquam fixa lege ordinauit patiendum pro peccatis remissa culpa. Atque hæc satisfactio est animarum in purgatorio. Verùm si quis tempus illud non exspectet, sed solicitè præueniat, pœnas in F hoc sæculo de seipso exigens iuxta modum apostolica traditione & ecclesiastica consuetudine probatum; quoniam talem commutationem siue redemptionem pœnæ diuina benignitas recipit, imò & pręcipit ac requirit, cùm monet vt dignos pœnitentiæ fructus faciamus: illius inquam, qui sic facit, non iam in pœna sed pro pœna satisfactio est; quia videlicet seipsum hîc punit, vt præparatam in futuro sæculo pœnam euadat. Tales ergo sunt in hac vita satisfactiones pœnitentium de quibus nunc agimus.

Alia est diuisio satisfactionis in satisfactionem imperfectam, sufficientem & absolutam. Imperfecta ea dicitur quæ nulla rei vel operis æqualitate nititur, sed sola eius qui lęsus est, gratia ac liberalitate. Sufficiens autem quę nititur ęqualitate quadam, & exoluit tantum quantum oportuit; ita tamen vt gratiam alterius includat, atque ex ea dependeat, ob quam causam dici non potest simpliciter & omnino perfecta. Absoluta verò atque omni modo perfecta est, in qua & reperitur exacta secundùm iusticiam æqualitas, & quæ nullius alterius gratiam includit aut prærequirit, ex qua dependeat.

Igitur satisfactiones pœnitentium si comparentur ad æternum gehennæ supplicium, imperfectam dumtaxar satisfactionis rationem obtinent, vt quæ nullatenus adæquent pœnam illam pro qua abolenda suscipiuntur. Perfectam enim satisfactionem pro pœna æterna solus Christus patri exhibuit, cuius tamen intuitu dignatur pater & illam suscipere, quam ei ad abolendum pœnæ æternæ reatum pro modulo suo præstat humana fragilitas. Huiusmodi autem satisfactiones à fidelibus fieri solitas agnoscunt & docent veteres, quorum testimonia infrà opportuniùs citabuntur. At verò post remissam culpam pœnitentium satisfactiones meritò iudicantur sufficientes, & quadantenus perfectæ, nimirum comparatę ad pœnam temporalem quæ remissa culpa restat adhuc luenda; si tamen fiant iuxta modum & quantitatem criminum, quemadmodum id exigit ecclesiastica disciplina. Hoc enim pacto iusta fit compensatio pœnę temporalis pro temporali, presertim cùm per reconciliationem pœnitentis dignitas quædam operibus eius accesserit; eò quòd procedant ex charitate per inhabitantem Dei spiritum, ideoque preciosius multò iam apud Deum æstimatur quicquid in vindictam peccati suscipitur, quàm quòd ante reconciliationem suscipiebatur, siquidem vt ait Leo, serm. 4. de collectis, idcirco exigua ista impendia tanta ęstimari taxatione meruerunt, quia pondera operum charitatis lance pensantur. Veruntamen ad huius quoque satisfactionis absolutam perfectionem aliquid deest. Non enim talis est vt nullius alterius gratiam includat, vel ex ea dependeat (quę absoluta perfectio in sola Christi satisfactione reperitur, vtpote prorsus independente) sed vti declarant patres concilij Tridentini sess. 14. cap. 8. ea nobis est per Christum Iesum in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentię, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre.

Obijcies. Pœna purgatorij est longè grauior & diuturnior quàm satisfactoriæ pœnæ huius sæculi, ergo non est inter eas æqualitas. Respondeo, est æqualitas quædam licèt non perfecta. Est enim talis æqualitas qualis requiri solet inter satisfactionem pro pœna & ipsam pœnam, idque seruata iusta proportione. Et notandum, quod in satisfactione nostra multa sint ex quibus inæqualitas quæ est ex parte grauitatis & diuturnitatis cõpensetur. Primò, quòd fiant in hoc sæculo quod est sęculum misericordię non iudicij, cùm pœna purgatoria pertineat ad futurum sęculum quod est iudicij. Secundò quòd sponte suscipiantur, quia homo saltem sponte adit sacerdotem petens ab eo sibi iniungi pœnitentiam, at pœnę purgatorię licèt patienter ferantur, non tamen sponte suscipiuntur. Tertiò quia homo in hoc sæculo pręuenit iudicium Dei, vindictam in seipsum exercens & non expectans iudiciũ iuxta illud: *Si nosipsos iudicaremus &c.* Quartò

quia

quia opera satisfactoria in hoc sæculo multiplicem habent vtilitatem, quia carnem castigant, cautiorem reddunt contra peccatum, ædificant ecclesiam, iuuant proximos, vt eleemosynæ & alia misericordiæ opera, nihil autem horum facit satisfactio quæ est in purgatorio.

Diuidi præterea solet satisfactio in publicam & priuatam. Sicut enim pro publicis criminibus publica, ita pro secretis ac priuatis priuata satisfactio suscipi debet, quemadmodum disertè docent, Prosper lib. 2. de vita contemplatiua cap. 7. & Gennadius lib. de ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. Eandem satisfaciendi diuersitatem tradit Cyprianus serm. 5. de lapsis docens non modò sacrilegium opere perpetratum, verùm etiam animo solo conceptum aboleri debere congrua satisfactione, non tamen publica sed priuata. Quin & ex ijs quæ ad superiorem distinctionem de multiplici actione pœnitentiæ diximus, satis intelligi potest hæc satisfactionis diuisio.

His denique accedit ea diuisio, qua in orationem, ieiunium & eleemosynam diuidi solet tanquam in partes præcipuas, & ad quas cætera omnia satisfactionum opera facilè possunt reuocari. De quibus agemus suo loco.

§. 10. *Quandam esse pœnitentium satisfactionem pro pœna æterna.*

S. Thom. supp. q. 14. ar. 4. & 5.

PRo maiori declaratione dictorum paulò pleniùs nunc probandū est, quod diximus opera pœnitentium ante reconciliationem facta habere nonnullam rationem satisfactionis respectu pœnæ æternæ, tametsi valde imperfectam, eò quòd nullatenus pœnam illam adæquare possint, cùm hæc pœna sit tam duratione quàm pondere seu precij dignitate finita, illa verò infinita.

Primùm autem id probatur ex eo quòd olim vel ordinariè, vel saltem sæpenumero satisfactiones iniungebantur persoluendæ priusquam absolutionis beneficium pœnitentibus impenderetur, tametsi eam consuetudinem posterior ecclesia iusta ratione mutauerit. Cùm enim peccator eiusmodi satisfactiones subiens adhuc debitor esset mortis æternæ, vtpote nondum à culpa absolutus, consentaneum est illas & iniunctas & susceptas fuisse pro abolitione pœnæ.

Nam & veteres interdum expressè ita loquuntur. Quorum è numero Tertullianus in lib. de pœnitentia, dicit inter alia; Temporali afflictione pœnitentis æterna supplicia expungi, & peccatorem macerari atque excruciari pœnitentiæ operibus, ne in æternum pereat.

Ambrosius ad Virginem lapsam quam ad satisfactionem hortatur, ita scribit: Peccator si sibi non pepercerit, à Deo illi parcitur, & si pœnas futuras gehennæ perpetuas in hoc paruo vitę spacio compensauerit, seipsum ab æterno iudicio liberat. Idem scribens in psalm. 37. ait: Qui pœnitentiam agit, offerre se debet ad pœnam, vt hic puniatur à Domino, non ad supplicia æterna seruetur. Et lib. 5. hexameron cap. vltimo. Soluamus, inquit, pijs fletibus culpam. Similiter in hymno laudum matutinarum: *Fletuque culpa soluitur.* Et lib. 1. de pœnitentia cap. 4. Deus expectat gemitus nostros sed temporales, vt remittat perpetuos.

Chrysostomus homil. 6. in 2. Timoth. 2. Vide, inquit, quanta sit Dei clementia, non tibi dedit vt temporalem mortem, sed æternam redimere possis. Similiter loquitur homil. 38. in Ioan. & hom. 1. in epistolam ad Heb.

Leo serm. 2. de collectis dicit culpas contractas eleemosynis deleri, & serm. 4. peccatorem per opera pietatis in proximos à sententia damnationis liberari. Apertiùs autem serm. 5. sic loquitur: Eleemosynæ peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt. Idem serm. 4. de quadragesima dicit culpas pijs operibus redimi.

Prosper lib. 2. de vita contemplat. cap. 7. de B ijs qui occultorum criminum rei sunt, ita scribit: Qui si & ipsi iudices fiant, & veluti suæ iniquitatis vltores, hic in se voluntariam pœnam seuerissimæ animaduersionis exerceant; temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lachrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia. Huiusmodi porrò sententiæ & aliàs occurrunt apud veteres, quibus consonat id quod in quadam collecta quadragesimę orat ecclesia, vt peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potiùs maceremur quàm supplicijs deputemur æternis.

C Scripturæ quoque generaliter opera pœnitentiæ pro peccatis exigentes, satis innuunt etiam ad abolendam pœnam æternam ea quodam modo valere, vt illud Matth. 3. & Luc. 3. *Quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Quo loco per venturam iram haud dubiè supplicium gehennæ intellexit baptista, quod & paulò pòst expressiùs insinuauit, cùm diceret omnem arborem infructuosam mittendam in ignem, paleam congregato in horreum tritico comburendam igni inextinguibili.

Tale est & illud apostoli 1. Corinth. 11. *Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc* D *mundo damnemur.* Temporalis enim illa correptio toleranter & voluntariè suscepta satisfactio quædam est, eò spectans iuxta apostolum, vt effugiatur impiorum quos mundi nomine significat, communis damnatio.

Huc denique referri possunt omnia ea scripturæ & patrum testimonia, quæ pijs pœnitentium operibus aliquam meriti rationem ascribūt respectu remissionis peccatorum seu iustificationis. Quibus testimonijs recensendis cùm sint plurima non est nunc immorandum. Si enim aliqua ratio meriti in talibus operibus reperitur respectu solutionis E pœnæ æternæ, nihil vetat in ijsdem maximè si pœnalia sunt, eiusdem solutionis respectu aliquam reperiri saltem imperfectam rationem satisfactionis.

Quin etiam aliquo sensu satisfactionis opera quæ absolutionem consequuntur, faciunt ad tollendam obligationem pœnæ æternę, quia nimirum eiusmodi satisfactio fit pro pœna temporali, in quam per absolutionem sacerdotis commutata erat pœna æterna. Quod enim satisfactio etiam subsequens absolutionem aliquo modo respicere debeat F pœnam æternam, ex eo patet; quia & ipsa est pars sacramenti pœnitentię instituti ad soluenda vincula mortis ęternę, & absolutio datur non tantùm intuitu contritionis & confessionis verùm etiam satisfactionis factę vel faciendę. Cùm igitur pœnitentem absoluat sacerdos à pœna æterna, consequens est etiam satisfactionem in suo genere atque ordine ad eum effectum valere, sicut contritionem & confessionem, licèt non omnino æqualiter.

Nec obstat quòd patres Tridentini concilij sess. 6. cap. 14. dicunt satisfactionis opera fieri non

ritò patres Tridentini concilij sess. 14. cap. 8. cui titulus est de satisfactionis necessitate & fructu, hanc catholicam doctrinam confirmarint, & eiusdem sess. can. 12. 13. 14. & 15. anathema dixerint in eos, qui vel satisfactionem pœnitentium non aliam esse censent quàm fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, vel dicunt pro peccatis quoad pœnam temporalẽ minimè Deo à pœnitentibus satisfieri, vel satisfactiones quibus pœnitentes peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed hominum traditiones; vel denique claues ecclesiæ datas esse tantùm ad soluendum, non etiam ad ligandum.

Porrò si quis hanc doctrinam ratione sibi velit persuaderi, respondebimus pro ratione sufficere diuinam institutionem, quæ tamen non potest non esse maximè rationabilis. Vnde & patres Tridentini cap. 8. iam citato graues aliquot rationes indicant, ob quas à pœnitentibus etiam culpa remissa Deus adhuc exigat satisfactionem. Quas non necesse est hîc recensere.

Porrò nonnulli satisfactionis necessitatẽ probant ex necessitate confessionis, & existimant eos qui satisfactionem negant necessariam, continuò & confessionis necessitatem tollere, eò quòd peccatorum confessio non ob aliud sit necessaria, nisi quia sacerdotes sunt iudices qui cognita & æstimata peccatorum qualitate, debent de ijs ferre sententiam, iniungendo pro ijs salutares & conuenientes satisfactiones. Quod argumentum vtrùm planè conuincat, expendant studiosi. Certè apud hæreticos qui & ipsam confessionem necessariam negant, nihil habet momenti.

§. 12. *Ad obiectiones aduersariorum responsio.*

S. Thom. vbi sup.

QVæ contra superiorem ecclesiæ de satisfactione doctrinam ab aduersarijs adferri solent, partim eadem sunt cum ijs, quæ probare videntur remissa culpa nullam vnquam restare pœnam luendam, ad quæ iam antè respondimus, partim ab ijs diuersa & propria sunt argumenta, quibus nunc est respondendum.

Primo dicunt impossibile esse vt homo Deo satisfaciat pro peccato, tum quia offensa Dei ratione obiecti est infinita, homo autem & omne opus hominis finitum, quod proinde nequit adæquare offensam Dei; tum quia nihil potest homo Deo offerre quod ei non debeat saltem ratione creationis; satisfactio autem per opus aliàs indebitum fieri debet: tum denique quia quotidie peccatur, & sæpius quidem etiam à iustis hominibus, ita vt dum pro vno peccato conantur satisfacere, mox alia plura de nouo subrepant.

Secundò argumentantur. Christus plenissimè satisfecit pro culpa & pœna (quemadmodum locus Isaiæ 53. apertè monstrat, & à nobis probatum est ad dist. 19. lib. 3.) ergo absque iniuria satisfactionis Christi non potest statui nostra satisfactio; præsertim cùm Deus non puniat bis in idipsum teste propheta Naum cap. 1. secundùm septuaginta, cuius loco nos habemus: *Non consurget duplex tribulatio*. & lex naturæ dictet iniustum esse, vt debitum plenè solutum iterum exigatur. Quare cùm peccatum plenè & abunde quoad culpam & pœnam sit in Christo punitum, & in eius sanguine expiatum, ingratus est Christo & Deo iniustitiam tribuit, qui docet adhuc ab homine exigi pro peccato satisfactionem.

Tertiò. Christus & apostoli nusquam leguntur vllas satisfactiones pœnitentibus iniunxisse.

Quartò. In sacrificijs alijsque ceremonijs veteris legis non est figurata alia satisfactio, præterquam satisfactio Christi in cruce per sanguinem & mortem eius.

Quintò. Remissio peccatorum est merè gratuita, iuxta illud apostoli Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu &c.* ergo pro ea nihil soluendum, ne quidem quantum ad pœnam. Nam alioqui non omnino gratis haberetur peccatorum remissio.

Sextò. Si homo aliqua ex parte satisfaceret pro peccatis suis, nimirum quoad pœnam, iam esset aliqua parte suus redemptor, quod videtur absurdum & copiosæ redemptioni Christi iniuriosum.

Septimò. Ambrosius lib. 10. in Luc. cap. 13. & serm. 46. de pœnitentia, satisfactionem excludere videtur his verbis: Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego. Quod idem inuenitur apud Maximum homil. 3. de pœnitentia.

Octauò. Theophylactus in illud apostoli Ephes. 4. *Qui furabatur, iam non furetur*, ita scribit: Non dixit apostolus: Puniatur qui furtum committit, sed à malo deficiat. Punire namque est fori iudiciarij, dehortari à vicijs Christi doctrinæ est. Sic ille. Et hæc ferè præcipua sunt quæ contra satisfactionis doctrinam à sectarijs proferri & inculcari solent. Ad quæ breuiter respondemus.

Ad primum quidem nequaquam impossibile esse homini à gratia Christi præuento satisfacere pro pœnis post remissam culpam restantibus. Neque enim, vt patres Tridentini loquuntur sess. 14. cap. 8. ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exoluimus, vt non sit per Christũ Iesum. Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo vnde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est; in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre. Hæc ibi. Igitur ad primam probationem respondetur opera bona quæ fiunt ab homine reconciliato per spiritum Dei inhabitantem, ab eodem spiritu accipere quandam infinitatis rationem, vt quemadmodum de condigno sunt vitæ æternæ meritoria, ita etiam in quantum pœnalia sunt, de condigno satisfactoria sint pro pœna restante.

Ad secundam verò, quod quamuis Deus iure creationis & summi dominij possit ab homine exigere omnia quæcunque ab eo fieri possunt, pro sua tamen erga creaturam bonitate & clementia, non omnia omnino exigit, sed certa quædam secũdùm leges ei præscriptas. Quo fit, vt homo possit etiam quædam facere alioqui indebita, vtpote ad ea facienda nulla Dei lege constrictus, præsertim in quantum pœnalia sunt, per quæ proinde satisfacere poterit.

Ad tertiam probationem dicimus, quia quotidie peccatur, quotidiana quadam opus esse satisfactione. Ad quam imprimis pertinet oratio dominica, in qua dicimus: *Dimitte nobis debita nostra &c.* Vnde August. enchiridij 71. De quotidianis, inquit, breuibus, leuibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Et in epist. 108. Pœnitentia fidelium & humilium christianorum est pœna quotidiana in

qua

qua pectora contundimus dicentes: *Dimitte nobis debita nostra &c.* A Nec tantùm orare pro quotidianis delictis debemus, sed & eleemosynam facere, vt idem Augustinus asserit in sermone quodam de oratione dominica. Et post eum Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 41. vtrumque remedium coniunxit dicens: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, sine peccato hîc neminem viuere posse, semperque omni homini esse necessarium & peccata sua vsque in finem vitæ præsentis eleemosynis diluere, & remissionem à Deo humiliter ac veraciter postulare. Quid autem & quantum homini præstent hæc quotidiana satisfaciendi remedia, rursum B Augustinus tradit epist. 89. his verbis: Qui misericordia Dei adiutus & gratia se ab eis peccatis abstinuerit, quæ etiam crimina vocantur, atque illa peccata sine quibus hîc non viuitur, mundare operibus misericordiæ & pijs orationibus non neglexerit; merebitur hinc exire sine peccato, quamuis cùm hîc viueret, habuerit nonnulla peccata: quia sicut ista non defuerunt, ita etiam remedia quibus purgarentur, adfuerunt. Sic ille, apud quem similis omnino locus est lib. de natura & gratia cap. 35.

Ad secundum argumentum respondemus, nec C satisfactiones quæ fiunt remissa culpa, nec eas quæ fiebant olim ante remissam culpam pro remissione pœnæ æternæ (de quibus tamen magis videri poterat) quicquam derogare perfectissimæ satisfactioni Christi, & his quidem iam suprà quid sit respondendum, diximus; de illis verò nunc respondetur, Christum plenissimè quidem satisfecisse pro culpis & pœnis totius generis humani quoad sufficientiam, non autem quoad efficientiam. Neque enim omnes à culpis & pœnis liberantur, eò quòd precium sanguinis Christi non omnibus ap- D plicetur. Sicut ergo precium illud quamuis per se sufficiens, non applicatur impœnitentibus ad remissionem culpæ, & proinde nec vllius pœnæ; ita idipsum pœnitentibus non semper applicatur ad abolitionem totius pœnæ, sed iusticia Dei plærumque remissa culpa pœnam adhuc reseruat & exigit temporalem; nisi pro ea homo ipse voluntaria sui punitione satisfaciat, atq; hoc pacto Christo compatiens ei conformis efficiatur, quod tamen ipsum, vt ab homine fieri & præstari possit, totum descendit ex merito passionis & satisfactionis Christi, quemadmodum suprà citata concilij Tridentini E verba perspicuè declarant, & alibi quoque à nobis explicatum est dist. 19. lib. 3. Et ad hoc significandum S. Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain cap. 3. cũ dixisset: Crimina nostra bonis operibus, fideique precio & miseratione redimamus, continuò subiunxit: Precium nostrum sanguis est Christi, ne scilicet aliunde quàm ex merito passionis Christi putaremus nostras satisfactiones valere. Quod autem ad sententiam propheticam attinet, illius hic germanus est sensus: Dominus consummationem faciet, id est, peccatores sic vna tribulatione disperdet, & consumet, vt altera tribulatione non sit opus. Loquitur enim de tribulatione temporali. F Quamquam & verum est, eos quos semel plenè Deus à debitis peccatorum absoluerit, non iterum propter eadẽ esse puniendos. Sed vt diximus, passio Christi sicut impœnitentibus ad nullam remissionem applicatur, quos proinde nemo dixerit puniri bis in idipsum, cùm in inferno pœnas æternas peccatis suis debitas luunt; ita pœnitentibus non applicatur semper ad plenam remissionem pœnæ. Inquantum autem applicatur, in tantum pœnitens à pœna liberatur.

Ad tertium respondetur imprimis non omnia scripta esse quæ Christus & apostoli fecerunt. Deinde suprà ostensum est, potestatem iniungendi satisfactiones à Christo datam sacerdotibus eo ipso quo illis potestatem dedit ligandi & retinendi. Ac fortasse non decuit, vt hac potestate Christus per se vteretur, ne per hoc putaretur non esse satis potens ad remittendum culpam simul & pœnam. Per apostolos autem eum id fecisse, non est dubium. Paulus enim 1. Corinth. 5. in nomine Domini Iesu Christi, vt ipse loquitur, Corinthium illum incęstuosum censet tradendum satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fit in die domini. Atqui interitus ille secundùm Ambrosium lib. 1. de pœnitentia cap. 17. non consummatam carnis absumptionem, sed castigationem, & secundùm Pacianum epist. 3. ad Sympronianum carnis angustias & detrimenta membrorum significat. Hieronymus quoque in Galat 5. & Augustinus lib. contra Adimantum cap 17. eum apostoli locum ad pœnitentiæ labores & molestias retulerunt. Hanc autem apostolicam disciplinã aliunde etiam probare licet, vt 2. Corinth. 2. 7. & 12. Heb. 10. & Act. 8. vbi ab apostolorũ principe dicitur Simoni Mago: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequicia tua & roga Deum, si fortè remittatur &c.*

Ad quartum respondetur in lege non tantùm fuisse sacrificia quibus vnicum Christi sacrificium prænunciaretur, verùm etiam institutum expiationis diem Leuit. 16. & 23. quo populus iubebatur animas suas affligere religione perpetua, vt mũdaretur à peccatis, Deumque sibi redderet propicium. Quæ afflictio ieiunijs & orationibus fieri solita, satisfactio erat pro peccatis; sicut & eleemosyna, quam qui sacrificium obtulissent, iubebantur dare pauperi, vt est Deuteron. 15. & Ecclesiastici 7. Adde quòd ipsa legis sacrificia non solùm adumbrabant Christi sacrificium, verùm etiam, tametsi secundariò tantùm, significabant spiritualia fideliũ sacrificia, id est, opera bona, in quibus sunt & satisfactiones, vti Augustinus docet lib. 10. de ciuit. cap. 5. & Cyrillus lib. 9. & 10. contra Iulianum.

Ad quintum. Iustificatio & peccatorum remissio merè gratuita est, tum quia Deus per gratiam suam præuenit hominem à se auersum, & nihil in seipso habentem cuius intuitu eum ad se vocet, & initium bonæ voluntatis inspiret, tum quia, vt habetur sess. 6. cap. 8. concilij Tridentini, nihil eorum quæ iustificationem seu remissionem peccatorum præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationem promeretur. Cum quo tamen consistit, vt homo iam iustificatus, ac Dei filius effectus per ipsius gratiam condignum aliquod precium offerat pro pœna adhuc restante, vel etiam nondum iustificatus per eandem Christi gratiam aliquid faciat, quod imperfectæ cuiusdam satisfactionis rationem habeat respectu pœnæ æternæ.

Ad sextum. Nihil absurdi est, si dicatur homo per ea opera quæ ex fonte redemptionis Christi procedunt, seipsum aliqua ex parte redimere, nempe quoad pœnas temporales, quum ipsa scriptura sic loquatur Danielis 4. & Prouerb. 10. & 13. & patres ab eo sermone nequaquam abhorreant, vt Augustinus enchiridij 67. & Ambrosius lib. de Elia & ieiunio cap. 20. & serm. 30. & 31 de eleemosynis, & Leo serm. 4. de quadragesima, & S. Laurentius presbyter Nouariensis in homilia de pœnitentia his verbis: Ex mea me inopia redimo, ex meo me labore perfundo.

soluentis, sicut in foro exteriori ad hoc vt rata censeatur absolutio. Sed alijs huius sententiæ libertas minùs placet. Veruntamen inter formas propositas primam, secundam & tertiam validas esse consentiunt, iuxta id quod de secunda quæstione dictum est. Eam autem qua dicitur: Deus te absoluat, vel indulgentiam, absolutionem, remissionem peccatorum tibi tribuat, negant sufficere, cùm sit tantùm deprecatoria; cuiusmodi forma in solo sacramento extremæ vnctionis ecclesia vtitur ob rationem suo loco explicandam. Quæ sanè responsio, tametsi non nitatur irrefragabili ratione vel authoritate, securior tamen est & reuera probabilior, maximè cùm vsus ecclesiæ inter orationem illam: Misereatur tui Deus &c. & ipsam absolutionis formam manifestè distinguat, illam quidem præmittens, hanc autem velut ad effectum reconciliationis necessariam subijciens. Inde enim sequitur per verba præmissa nondum fuisse collatum sacramenti effectum, & proinde in ijs non contineri formam sacramenti, cùm sit absurdum formam sacramenti secundò repeti super eadem materia, siue id fiat ijsdem verbis siue diuersis.

Postremò diligenter ab omnibus huius sacramenti ministris obseruandum, vt in eius administratione à laudabili consuetudine suæ ecclesiæ non recedant, atque in primis abstineant ab additionibus superfluis, ineptis, vicinsis, aut erroris occasionem præbentibus. His autem modis circa formam peccant qui dicunt: Absoluo te ab omnibus peccatis tuis confessis & oblitis & de quibus es contritus. Quamuis enim hęc addita non vicient formam, superflua tamen sunt, cùm in ipsa sacramenti institutione sufficienter contineantur. Grauius delinquunt qui conditiones addunt has aut similes: Si habeo potestatem te absoluendi, vel si tu es verè pœnitens, vel si restitueris alienum. Harum enim conditionum prima ministrum sacramenti quodammodo dubium facit, an administrauerit, secunda pœnitentem facit dubium an acceperit. Siquidem hæc duo, nempe potestas ministri in pœnitentem, & huius vera pœnitentia præsupponi debent, tanquam certa vel probabilia, priusquam impendatur absolutio, & ideo omnis huiusmodi conditio hinc abesse debet tanquam in dubium reuocans id quod vt verum supponitur. Non tamen dictæ duæ conditiones videntur viciare formam, vti nec istæ: Si ego sum sacerdos, vel si tu es baptizatus. Tertia verò formã viciat, quia talis condicio est de re futura. Actus autem de præsenti cum conditione de futuro contingenti non est validus, sed solùm est instar promissionis cuiusdam, velut si quis dicat: Do tibi si id feceris. At huiusmodi promissio in proposito locum non habet. Viciosa quoque additio est si quis dicat: Absoluo te authoritate episcopi vel papæ, vel ecclesię. Non enim horum authoritate sacerdos pœnitentem absoluit, sed authoritate, virtute & merito Christi; id quod significant illa verba quæ iuxta morem ecclesiæ solent adiungi: Dominus noster Iesus Christus qui est summus pontifex te absoluat, & ego eius authoritate. Quoniam autem authoritas & virtus illa diuina est, ideo toti Trinitati communis est, ideoque rectè subiungitur: In nomine patris & filij & spiritussancti. Cuius additionis etiam Ambrosius meminit lib. 3. de spiritusancto cap. 19. his verbis: Homines in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercent. Neque enim in suo sed in patris & filij & spiritussancti nomine peccata dimittunt. Quam tamen additionem suprà diximus non pertinere ad necessitatem sacramenti.

§. 4. *Obiectiones quædam diluuntur.*

QVę aduersus ea quę de forma sacramenti pœnitentiæ diximus, obijci solent, omissis ijs quę contra formas sacramentorum in genere ab hęreticis adferuntur, istiusmodi ferè sunt.

S. Thom. locus sup. cit.

Primum. Formam huius sacramenti debere esse precatoriam apparet ex verbis Leonis qui in epistola 91. dicit post baptismum indulgentiam Dei, id est, remissionem criminum nisi supplicationibus sacerdotum non posse obtineri. Ac postea subiungit: Multum enim vtile ac necessarium est, vt peccatorum reatus ante vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur.

Secundum. Forma assertoria qua dicitur: Ego te absoluo, sæpe falsum significat, quando videlicet peccator non est verè pœnitens: tunc enim significat eum absolui qui reuera non absoluitur, ergo potiùs vtendum est precatoria forma, sicut in sacramento extremæ vnctionis.

Tertium. Solus Deus peccata remittit, quippe qui solus interiùs hominem à peccato mundat, iuxta id quod ipse ait Isaiæ 43. *Ego sum qui deleo iniquitates*, quemadmodum etiam docet Augustinus super Ioan. ad illud: *Hic est qui baptizat in spiritusancto.* Ioan. 1. Vnde & Christus dicendo paralytico & peccatrici, *Remittuntur tibi peccata*, significare voluit se Deum esse. Cùm ergo sit idem remittere peccata & absoluere à peccatis, neutrum sibi tribuere debet sacerdos, sed vtrumque vt fiat, petere à Deo.

Quartum. In pœnitente requiritur contritio ante absolutionem, atqui vera contritio non est absque remissione peccatorum, ergo peccator iam ante absolutus est, & proinde non est vera sacramenti forma qua dicit sacerdos: Ego te absoluo.

Breuiter ad hæc respondetur. Verba Leonis quæ primo loco objiciebantur, hunc habere sensum: Indulgentia Dei post baptismum aliter obtineri nequit nisi per absolutionem sacerdotum; cui plærumque & laudabiliter supplicationes, id est preces quædam adiunguntur; neque id tantùm pro reuerentia sacramenti, sed vt per eas misericordia & indulgentia Dei pœnitentibus impetretur. Quod non tantùm illa Leonis verba significant, verùm etiam Ambrosius docet tum in libris de pœnitentia, tum alibi vt lib. 3. de spiritusancto cap. 19 & lib. 5. in Lucæ 5. de paralytico & Cyprianus in sermone de lapsis, & Augustinus subinde contra Donatistas.

Ad secundum respondetur hanc formam à sacerdote, si rectè fungatur officio, prolatam, nunquam esse falsam. Per eam enim significatur quid fiat, quantum est tum ex parte sacramenti, tum ex parte sacerdotis sua potestate legitimè vtentis secundùm noticiam quam de peccatis & qualitate peccatoris accepit, vel accipere debuit. Significat ergo sacerdos his verbis se actum potestatis suæ circa hominem exercere, verè eum à peccatis absoluendo, nisi sit aliunde impedimentum. Esset autem falsa forma, si sacerdos non intenderet absoluere; sicut qui dicit, do, falsum dicit, si non intendat dare; non item si alius non intendat accipere. Similiter falsa foret saltem interpretatiuè, si sacerdos intenderet quidem absoluere, sciret tamen quem vult ab-

soluere,

solnere, non esse verè pœnirentem, aut non sibi subditum.

Tertij argumenti imbecillitas sufficienter conuincitur ex verbis Christi: *Quorum remiseritis &c.* Quocirca respondetur solum Deum primaria potestate peccata remittere & corda interiùs mundare, quod & Christus fecit in tertiis; sacerdotes autem vtrumque facere per ministerium sibi à Christo concreditum.

Ad postremum respondetur contritionem non semper habere coniunctam remissionem peccatorum. Sed id suo loco pleniùs à nobis probandum erit; quemadmodum & illud quòd sacerdos administrando hoc sacramentum non solùm declaret remissa esse peccata, sed ea verè remittat, ab ijsque pœnitentem verè absoluat.

§. 5. *Manus impositio quem in hoc sacramento vsum habeat.*

S.Tho. 3. p.q. 84. ar. 4.

AD huius sacramenti necessitatem non pertinet manus impositio, quippe sine qua materia & forma sacramenti & tota eius essentia consistat. Quod enim ad materiam attinet, de qua magis dubitari possit, iam ex suprà dictis patet hoc sacramentum non consistere in vsu alicuius materiæ extrinsecùs admotæ, sed materiæ locum tenere actus pœnitentis. Vnde sicut in eucharistia sacerdos sola prolatione verborum super materiam perficit sacramentum, ita etiam (ait S. Thomas 3. quæst. 84. art. 4. ad 2.) sola verba sacerdotis absoluentis super pœnitentem, perficiunt absolutionis sacramentum. Quare manus impositio non est huic sacramento, imò nec alijs sacramentis quibuscunque necessaria, quatenus significat nudam illam ceremoniam, qua quis manum imponit capiti eius cui sacramentum impendit. Quatenus autem dici possit, & à veteribus interdum significetur esse ad sacramentum aliquod necessaria, declarabitur à nobis ad distinctionem 24. de sacramento ordinis.

Cæterùm cùm sit vetustissima ecclesię consuetudo ab ipsis, vt probabile est, apostolis tradita, vt pœnitentes reconcilientur cum manus impositione, adeo vt ob eam causam sacramentum hoc à veteribus aliquando vocetur manus impositio, vel sacramentum manus impositionis, non est hodie absque iusta aliqua ratione ea ceremonia prætermittenda.

Sed quæret aliquis, quæ sit huius ceremoniæ ratio. Respondeo rationem eius indicari ab Augustino lib. 3. cōtra Donatistas cap. 16. dicēte: Quid est aliud manus impositio quam oratio super hominē? Quibus verbis vult Augustinus manus impositionem esse ceremoniam externam, qua qui vtitur, significat se orare, benedicere, bene precari, vel apud Deum intercedere pro eo cui manum, vel manus imponit. Est igitur oratio non vocalis, sed vt ita dicam, ceremonialis, cum vocali tamen vel saltem mentali oratione seu benedictione coniuncta. Id autem significari hoc nomine vel ex sacris literis ostenditur, vt Matth. 9. & 9. Marc. 6. 7. 8. vltimo, Actor. 9. & vltimo. Quæ loca & similia eam quam diximus, acceptionem manus impositionis requirunt. Quare & dum in sacramenti administratione adhibetur, vt in confirmatione, reconciliatione & ordinatione, ideo adhibetur, vt per eam significet episcopus vel sacerdos se ad impetrādum effectum sacramenti etiam propriam orationem, desiderium ac pium affectum adiungere. Quod quidem in reconciliationis sacramento fit etiam expressis verbis cùm dicit sacerdos: Misereatur tui, &c. Nihil enim vetat ad consequenda ea quæ ex diuina promissione per sacramenta, vel aliter certò expectamus, nostras etiam orationes præmitti siue adiungi; sicut & Christum fecisse constat, & in canone missæ ante consecrationem eucharistiæ ac multis alijs facit ecclesia. Et hæc quidem de manus impositione.

Rectè autem sicut in alijs sacramentis, ita & in isto signum crucis manu efformat minister ad designandum cuius merito fiat peccatorū remissio, videlicet Christi crucifixi. Nam & ea vetustissima est ecclesiæ consuetudo omnibus sacramentis, alijsque mysticis actionibus signum crucis adhibere, quemadmodum testatur Augustinus tractatu. 118. in Ioannem.

Porrò quamuis hominem impœnitentem absoluere non liceat, debet tamen sacerdos, si quem impœnitentem cogitur à se dimittere, præsertim alijs pręsentibus, dictas externas ceremonias manus impositionis & signi crucis etiam tunc adhibere, ne harum ceremoniarum omissio sit impœnitentis animi proditio. Eiusdem iudicium de eo cuius absoluendi potestatem ob casum aliquem reseruatum non habet, vel cuius absolutionem quacunque ex causa differt in aliud tempus.

Neque verò hîc vlla simulatio est, quia vt ex Augustino diximus, manus impositio non aliud est quàm oratio super hominem. Quare sicut pro impœnitente vel alio quocunque peccatore voce & mente orare potest sacerdos, ita & signo externo, dum tamen abstineat à proferēda forma absolutionis, vel alijs verbis absolutionem seu remissionem præsentem vel reconciliationem aliquo modo significantibus, sed tantùm precetur Deum pro peccatore, vt cor eius illuminet, & ad veram pœnitentiam eum perducat.

§. 6. *Quid sit quod propriè dicitur sacramentum pœnitentiæ.*

S.Tho. 3. p. q. 84. art. 1. in corp.

DIsputatur inter scholasticos quidnam sit, quod propriè vocatur sacramentum pœnitentiæ, vel vt dialectico more loquamur, pro quo supponat id quod dicimus pœnitentiæ sacramentum. Scotus sentit ipsum supponere pręcisè pro sacerdotali absolutione. Vnde pœnitentiæ sacramentum definiuit hoc modo: Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis à sacerdore prolatis &c.

Pro qua Scoti sententia faciunt hæ rationes. Prima. Sacramentum est causa gratiæ. Id autem soli conuenit actui sacerdotis absoluentis, non actibus hominis suscipientis sacramentum. Non enim gratia confertur in hoc sacramento nisi per claues ecclesiæ, quibus sacerdos vtitur dum absoluit.

Secunda. Actus ministri baptizantis est sacramentum baptismi, vti dictum est ad dist. 3. & actus episcopi firmantis est sacramentum confirmationis, & actus eiusdem ordinantis est sacramentum ordinis, & de extrema vnctione similiter, ergo actus sacerdotis absoluentis est sacramentum pœnitentiæ. Actus autem ille non alius est quàm ipsa absolutio.

Tertia.

Tertia. Sacramentum hoc vocatur sacramentum absolutionis sess. 14. Tridentini concilij can. 10. sicut ergo sacramentum baptismi est ipse baptismus, & sacramentum confirmationis ipsa confirmatio, & ita in alijs: ita sacramentum pœnitentiæ quod est sacramentum absolutionis, est ipsa absolutio.

Præterea huic opinioni suffragantur omnes ferè rationes quæ probare videntur nullam huius sacramenti partem constituendam esse ex parte pœnitentis, quas quidem rationes suprà dissoluimus.

Ex his igitur concludit Scotus totam essentiam huius sacramenti positam esse in absolutione sacerdotis.

His accedit quòd sacramentum pœnitentiæ (vt quidam volunt) impœnitentibus administratum veri sacramenti rationem habeat, vbi tamen deest actus ille qui præcipuè requiritur ex parte pœnitentis, videlicet contritio. Quare videtur sine actu pœnitentis consistere tota essentia sacramenti: Antecedens autem probant, tum quia baptismus verum est sacramentum fictis & impœnitentibus collatus, tum quia qui impœnitens accedit & absoluitur, reus est violati sacramenti, sicut is qui fictus accedit ad baptismum.

Porrò alij plærique S. Thomam sequentes materialem partem huius sacramenti statuunt ex parte pœnitentis, cuius actus sunt sacramenti quasi materia, iuxta doctrinam duorum conciliorum suprà à nobis expositam. Vnde sequitur solam absolutionem non esse totam essentiam huius sacramenti, & proinde sacramentum pœnitentiæ non supponere pro sola absolutione sed vel pro toto externo opere quod resultat ex actibus pœnitentis & verbis sacerdotis absoluentis tanquam ex materia & forma; vel potiùs pro absolutione sacerdotis tanquam actu ministri formam applicantis materiæ, id est, verba absolutionis proferentis super peccatore cõtrito & confesso & habente propositum satisfaciendi.

Non ergo dicendum est quòd sola seu nuda absolutio sit sacramentum pœnitentiæ, sed absolutio talibus verbis & super tali materia facta. Quæ res aliorum sacramentorum ac potissimùm baptismi similitudine declaratur. Nam quemadmodum ad distinct. 3. ostendimus, baptismus propriè neque est aqua, neque verba baptizantis, neque aliquid ex aqua & verbis conflatum, nec denique nuda corporis ablutio, sed ablutio hominis in aqua cum præscripta verborum forma. Sicut ergo ablutio est sacramentum baptismi, & vnctio est sacramentum confirmationis, nimirum tanquam sacræ quædam & visibiles actiones ministrorum ecclesiæ, quibus illi suam applicant materiæ formam, vel formæ materiam: ita & de hoc sacramento sentiendum videtur, nempe absolutionem modo iam dicto consideratam esse sacramentum pœnitentiæ. Cui sententiæ satis fauet Tridentinum concilium, quando sacramentum hoc vocat sacramentum absolutionis.

Ad ea igitur quæ pro Scoti sentẽtia allata sunt, respondeamus.

Ad primam rationem respondetur. Non tantùm actionem sacerdotis absoluentis, & verba quibus vtitur absoluens, verùm etiam actus pœnitentis tanquam sacramenti partes suo modo instrumentaliter cõcurrere ad effectum reconciliationis, nimirum in genere signi efficacis. Sed cùm potior sit forma quà materia, & hac vtraque potior agens seu administrans, hinc fit, vt clauibus ecclesiæ, id est, potestati sacerdotis quam à Christo accepit, & verbis quibus vtitur potiùs quàm actibus pœnitentis remissio peccatorum asscribatur.

Ad secundam & tertiam rationem ex declaratione iam data patet responsio. Non enim concludunt nudam absolutionem esse sacramentum pœnitentiæ, sed vestitam certis circunstantijs ad substantiam sacramenti requisitis, sicut res se habet in actibus ministri aliorum sacramentorum.

Ad id quod postremo loco obijcitur, respondemus sacramentum pœnitentiæ impœnitenti administratum non habere veram rationem sacramenti, quia deest ei altera substantiæ pars nempe materialis. Ea enim cùm tres partes habeat, contritionem, confessionem & satisfactionem, inter eas contritio præcipua est, & proinde simpliciter atque omnino necessaria, sicut caput aut cor in homine. At baptismi diuersa ratio est. Nam præter hoc quod characterem imprimit, etiam fictis collatum non destituitur sua materia & forma. Reus autem censetur violati sacramenti qui impœnitens præsumit accipere absolutionem, non quia verum est sacramentum quod impenditur, sed quia impenditur & suscipitur vt sacramentum, & quia per maliciam suscipientis impeditur, ne sit sacramentum.

§. 7. *Remissa culpa plærumque restare luendam pœnam temporalem.*

QVamuis inter partes pœnitentiæ satisfactio postremum obtineat locum, ne tamen ab ordine Magistri nimium recedamus, & distinctiones eius confundamus, de satisfactione nobis quoque cum illo hac dist. agendum erit. *S.Tho. 3. p. q. 86. ar. 4.*

Primùm ergo quod huius rei fundamentum est, docebimus remisso peccato, seu vt scholę doctores loquuntur, remissa culpa non semper simul ac statim remitti omnem pœnam peccato debitam sed sæpe ac plærumque fieri, vt soluto reatu æternę damnationis (quæ solutio in remissione culpæ intelligitur) relinquatur adhuc soluenda pœna aliqua temporalis huius vel futuri sæculi.

Ad quod probandum vt à scriptura sumamus initium, valet inprimis quod legitur 2. Regum 12. vbi cùm Dauid peccati sui admonitus à Nathan propheta dixisset: *Peccaui Domino*, & ab eodem vicissim audiuisset: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*, adiunxit propheta: *Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius qui natus est tibi, morte morietur.* Ea autem fuit pœna temporalis non filij tantùm, sed & patris qui punitus est in morte filij. Quin & verba prophetæ præcedentia id apertissimè probant, quibus ait: *Quamobrem non recedet gladius de domo tua, eò quòd despexeris me & tuleris vxorem Vriæ &c.* Quæ pœna quamuis post remissam culpam fuerit mitigata, non tamen prorsus ablata, vt ex historia eiusdem libri patet.

Sic primi parentes etsi per sapientiam educti à delicto suo Sapient. 10. pœnam tamen temporalem sui peccati tulerunt, subiecti maledictioni & ærumnis cum tota posteritate Genes. 3.

Similiter Exodi 32. cùm intercedente Moyse placatus fuisset Dominus populo super peccato vituli adorati, nihilominus subiecit: *Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Et Numer. 14.

ob mur-

ob murmurationem populi iratus & oratione Moysi placatus dominus, ita vt diceret: *Dimisi iuxta verbum tuum*, adiunxit: *Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam & signa quæ feci in &c. non videbunt terram &c.* Item Numer. 12. Maria Moysi soror pro cuius peccato deprecatus fuerat Moyses, iubetur nihilominus septem diebus separatim agere extra castra, idque in confusionem pro peccato in fratrem commisso. Ipse quoque Moyses, & frater eius Aaron Numer. 20. ob incredulitatis peccatum ad aquas contradictionis prohibentur ab ingressu terræ promissæ: Quod eodem capite de Aaron morituro repetitur, & de seipso Moyses fatetur Deuter. 1. quos tamen non dubium est eius culpæ veniam ante mortem accepisse.

Videtur autem id quoque significatum ab apostolo Heb. 10. his verbis: *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij &c.* quasi diceret: Relapsis in grauiora peccata non ita contingit simul ac semel absolui à culpa & pœna, sicut in baptismo; sed etiamsi culpa fuerit remissa, restat tamen homini pro peccatis expectandum quoddam exemplum terribilis iudicij Dei, nimirum per laboriosam satisfactionem in hoc sæculo, vel afflictiuam purgationem in futuro.

Valent denique ad huius doctrinæ probationem ea loca scripturæ, in quibus etiam iusti fatentur se pro peccatis suis affligi vt Tobias 3. Daniel 9. tres pueri in fornacem missi Daniel. 3. fratres Machabæi 2. Machab. 7. Et generaliter docet apostolus Hebr. 10. citata ex prouerb. 3. sententia, Deum flagellis quibusdam castigare filios suos, id est, iustos. *Quem enim diligit*, inquit, *castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Et iterum: *Quis enim filius quem non corripit pater? &c.* correptio autem & castigatio & flagellatio punitionem pro peccatis significant. Vnde manifestum est restare soluendas pœnas temporales, ijs etiam qui iam filij Dei id est, iusti sunt. Nec refert si dicas pro venialibus culpis has temporales afflictiones eos pati. Nam certè multò magis pro mortalibus etsi remissis quoad culpam talia eos pati consentaneum est. Alioqui quod est absurdum, venialia peccata grauiùs in iustis quàm mortalia vindicarentur.

Sed & patrum de hac re doctrinā proferamus.

Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 67. de Dauide disserens: Quando, inquit, correptus per prophetam dixit, Peccaui, continuò ad hoc vnum verbum audire meruit, quòd acceperit veniam. Ad quam rem nisi ad sempiternam salutem? Neque enim prætermissa est in illo secundùm Dei comminationem flagelli paterni disciplina, vt & confessus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur. Addit deinde Augustinus Dauidem etsi postea punitum, intellexisse tamen non fuisse falsam peccatorum eius indulgentiam à propheta annunciatam. Intelligebat enim, inquit, vir sanctus nisi Dominus esset confitenti pœnitentique propicius, quantum pœnarum æternarum eius essent digna peccata: pro quibus cum temporalibus emendationibus vreretur, videbat erga se & manere veniam, & non negligi medicinam. Similia prorsus de Dauidis punitione scribit Augustinus in inchoata expositione epistolæ ad Romanos ad illud: *Gratia vobis & pax.* Quo loco etiam Petri testimonio vtitur ad eam rem probandam ex 1. Petri 4. dicentis: *Propter hoc & mortuis euangelizatum est: Vt iudicentur quidem secundùm homines in carne, viuant*

A *autem secundum Deum in spiritu.* Eiusdem Augustini de Dauide locus est non minùs apertus in psalm. 50. Aliquando, inquit, Deus cui ignoscit in futuro sæculo, corripit eum de peccato in isto sæculo. Nam & ipsi Dauid, cui dictum iam fuerat per prophetam: Dimissum est peccatum tuum, euenerunt quædam quæ minatus erat Deus propter ipsum peccatū &c. Vbi etiam allato exemplo maledictionis Semei in Dauidem, de Dauide maledicum hominem prohibere nolente ait: Agnoscens culpam suam amplexus est pœnam suam. Idem in psal. 98. exponens illud: *Et vindicans in omnes affectiones eorum*,
B vbi nos habemus, *& vlciscens in omnes adinuentiones eorum*, quod de Moyse & Aaron dictum interpretatur, ait: Cui verè propicius est Dominus, non solùm donat peccata, ne noceant ad futurum sæculum, sed etiam castigat, ne semper peccare delectet. Alibi verò generaliter de morte & communibus huius vitæ ærumnis loquens nempe tract. 124. in Ioan. Temporaliter, inquit, hominem detinet pœna quem iam ad sempiternam mortem non detinet culpa.

In eandem sententiam scribit Ambrosius super psal. 37. Qui pœnitentiam, inquit, agit, offerre se debet ad pœnam vt hic puniatur à Domino, non ad
C supplicia æterna seruetur, nec expectato tempus, sed occurrere diuinæ indignationi. Deinde proferens exemplum Dauidis, vbi culpam numerari populi deprecatur, subiungit: Non ergo penitus sibi peccatum remitti postulat, sed moderata solutione deleri, hoc est, vt in futurum eius memoria deleatur. Quæ verba Ambrosij significant Dauidi tunc quoque quando iussit numerari populum 2. Reg. vltimo, ita fuisse inflictam à Deo pœnam temporalem, vt tamen ipsa culpa iam priùs illi esset condonata; nimirum ad illam eius orationem qua dicebat: *Peccaui valde, sed precor Domine vt transferas ini-*
D *quitatem serui tui.*

Exstat item apud Gregorium de Dauide post remissam adulterij & homicidij culpam punito locus clarissimus lib. 9. Moral. cap. 17. vbi sic ait: Si peccatum Dauid Dominus transtulit, quid est quod postmodum tanta tolerauit? Sed proculdubio Dominus delictum sine vltione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Sicut enim Dauid post confessionem audire meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum* & tamen multis post cruciatibus afflictus & fugiens, reatum culpæ quam
E perpetrauit, exoluit: Sic nos salutis vnda à culpa primi parentis absoluimur, sed tamen reatum eiusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus. Hæc Gregorius, quæ prorsus eadem leguntur apud Eucherium Lugdunensem in 2. Reg. 12.

In hanc porrò sententiam & alij patres conueniunt, vt Chrysostomus initio homil. 2. super psal. 50 & homil. 4. in 2. Corinth. Hieronymus in Ieremiæ 10. & in Ephes. 5. Leo serm. 8. de passione Domini. Fulgentius lib. 1. de remissione peccatorum
F cap. 12. Prosper sententia 72. & 148. Lactantius lib. 6. diuinarum institutionum cap. vltimo. Ac rursum ipse Augustinus plurimis locis, vt in expositione psalm 84. 88. & 91. lib. 2. de peccatorum meritis cap. 16. lib. 1. de ciuitate Dei cap. 9. & lib. 13. cap. 3. 4. 5. & 6. & tract. vltimo in Ioannem, vbi disertè docet miseriam huius vitæ etiam remissis peccatis restantem ex iusta Dei ira prouenire. Quò pertinent & ea quæ de pœnalitatibus post baptismum relictis annotauimus ad 4. huius lib. dist.

Quamobrem meritò doctrinam hanc de pœna peccati remanente post culpam remissam patres Tridentini tanquam Catholicam definierunt sess. 6. cap. 14. & can. 30. & sess. 14. cap. 8. & can. 12. In quo octauo capite hanc quoque rationem adferunt, quare non semper vniuersa pœna simul cum culpa remittatur à Deo; quoniam, inquiunt, diuinæ iusticiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorātiam delinquunt; aliter verò qui semel à peccati & dæmonis seruitute liberati & accepto Spiritussancti dono scienter templum Dei violare, & Spiritum-sanctum contristare non formidauerint. Et quæ sequuntur.

§. 8. *Ad ea quæ ab aduersarijs obijciuntur, responsio.*

S. Thom. vbi sup.

DOctrinam superiorem velut fundamentum totius doctrinæ catholicæ quam tradit ecclesia de satisfactione eiusque necessitate, multis argumentis conuellere nituntur hæretici, quorum nos præcipua dumtaxat ordine proposita dissoluemus.

Primum. Dominus apud Ezechielem 18. & 33. negat se fore memorem iniquitatis à qua per pœnitentiam peccator recesserit. Et dicit: *Impietas impij non nocebit ei in quacumque Die conuersus fuerit ab impietate sua*; Ergo Deus prorsus non puniet.

Secundum. Psal. 31. hæc pro eodem habentur remissas esse iniquitates, tecta esse peccata, & ea à Domino non imputari, ergo peccatum semel remissum non vltrà imputatur ad pœnam.

Tertium. Rom. 8. *Nihil damnationis est ijs qui sunt in Christo* ergo nulla restat pœna, cùm damnatio pœnam, seu punitionem eo loco, vt alibi sæpe, significet.

Quartum. Peccatum non remittitur nisi per Christum, quodcumque autem per Christum remittitur, id omne sans atque abunde per eius sanguinem expiatur, ergo nihil pro eo restat soluendum.

Quintum. Si Christus non abolet culpam simul & pœnam, plus ergo nobis obfuit inobedientia Adę, vt quæ culpam simul & pœnam innexerit, quàm profuit obedientia Christi.

Sextum. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 34. dicit huius vitæ miserias ante remissionem quidem esse supplicia peccatorum, post remissionem autē certamina exercitationesque iustorum. Et mortem corporis quam Deus homini propter peccatum inflixit, nihilominus & post remissionem peccati propter exercendam iusticiam non ademisse. Similia habet cap. proximè præcedente.

Idem Augustinus serm. 20. de verbis Domini & serm. 67. de tempore. Non nocent, inquit, mala præterita si non placent, velut alludens ad illud prophetæ Ezech. 33. *Impietas impij non nocebit ei in quacunque die &c.* Et in psal. 31. dicit peccatum tunc tegi quando Deus non vult illud punire. Et in psalm. 84. ad illud: *Operuisti omnia peccata eorum.* Quid est, inquit, operuisti? vt non illa videres; quid est, vt non illa videres? vt non illa vindicares. Ex eodem Augustino obijciunt illud vulgatum: Impium est dimidiam à Deo sperare veniam. Quod habetur libr. De vera & falsa pœnitentia capit. 9.

Præterea ex Chrysostomo quædam loca obijciuntur. Scribens enim is in 1. Corinth. 11. ad illud: *Si nosipsos dijudicaremus &c.* dicit: Si nostra tantùm voluerimus agnoscere peccata, liberos futuros ab huius & futuri sæculi pœnis, eumque apostoli locum negat de punitione intelligi. Cui similia sunt apud eum loca homilia 6. in Genes. & oratione in Sanct. Philogonium. Idem Ioan. Chrysostomus homilia de pœnitentia & confessione. Propter hoc, inquit, imponit Deus nobis pœnam non de peccatis supplicium sumens, sed ad futura nos corrigens, & homilia 2. in psalm. 50. vbi misericordia flagitatur, interrogatio cessat, vbi misericordia postulatur, iudicium non sæuit; vbi misericordia petitur, pœnæ locus non est, vbi misericordia, quæstio nulla, vbi misericordia, condonata responsio est. Hic ille.

Postremò. Catholicis huiusmodi argumentum opponunt Lutherani: Sacerdotes acceperunt à Christo potestatem absoluendi ab omni culpa & pœna, igitur ab vtraque absoluunt, vel certè absoluere debent iuxta potestatem sibi datam; ac proinde non restabit locus pęnæ luendæ post remissam culpam.

His argumentis sic ordine respondetur.

Ad primum. Quo sensu dicat Dominus apud Prophetam se non recordaturum iniquitatis à qua pœnitendo quis recesserit, ex vtriusque loci circumstantia facilè intelligitur. Dicitur enim vtrobique: *Vita viuet, & non morietur.* Quod de æterna vita & morte est accipiendum. Hactenus ergo non amplius recordatur Dominus iniquitatum eius, qui conuersus fuerit à via sua mala, quia remisit supplicium mortis æternæ. Sic enim & Dauidi dictum fuerat: *Non morieris.* Post quod tamen prophetæ verbum pœnæ temporales ei fuerunt inflictæ. Est autem reuera tanta distantia inter pœnam æternam & temporalem, vt qui æternam remiserit, etiamsi temporalem exigat, meritò iam dicatur oblitus peccati; præsertim cùm mors æterna proprium sit peccati stipendium, sicut propria iusticiæ merces vita æterna: cum & hoc accedat quòd pœnæ temporales deseruiunt ad vtilitatem eius à quo exiguntur. Vnde bene dicitur: *Non nocebit ei impietas sua*: Tota enim illa pœna refertur ad salutem eius qui punitur.

Vnde etiā ad secundū patet responsio: Tegit enim peccata Deus, etiamsi tēporaliter puniat, quando ea non sic videt, vt pro ijs mortē æternam quam merebantur, infligere velit. Similiter non imputat ad pœnam mortis æternæ illis alioqui debitam.

Ad tertium respondetur eo loco damnationem intelligi vel mortem æternam, vel mortis æternæ reatum, sicut & cap. 3. eiusdem epistolæ vbi dicitur. *Quorum damnatio iusta est*, & capit. 13. vbi dicitur: *Ipsi sibi damnationem acquirunt.* Sic autem accipi hoc loco damnationem, circumstantia loci planè monstrat. Nam ex eo quòd quis mente seruiat legi Dei, sola autem carne lege peccati, concludit in tali homine nihil remanere damnatione seu morte dignum; vt qui per baptismum Christo incorporatus, iam non secundùm carnem ambulet. *Lex enim*, inquit, *Spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis.* Vbi aduertendum apostolum quod antea damnationem dixerat, nunc mortem vocare, quam sine dubio æternam intelligit, cùm quod ad temporalem attinet mortem, testetur eodem capite etiam in renatis corpus mortuum esse, id est, morti obnoxium propter peccatum.

Ad quartum. Quandocunque peccatum mortale

tale

tale per Christum remittitur, plenè quidem per eius sanguinem expiatur qooad culpam, id est, reatum æternæ damnationis, at non semper quoad pœnam temporalem; oon quòd sanguis Christi non satis sit efficax ad abolitionem totius pœnæ, sed quia diuinæ iustitiæ visum fuit, ob certas causas hominem licèt iostificatum relinquere adhuc pœnis ac miserijs obnoxium; nec pari conditione io amicitiam suam admittere eum qui gratiam semel acceptam abiecit, & eom qui in gratia Dei nunquam fuit, vti suprà ostendimus ex doctrina concilij Tridentini. Notandum igitur hoc loco, quòd quicunque remissionem peccatorũ accipimus, omnes quidẽ sanguine Christi aspergimur, at non æqualiter. Volo dicere quòd virtus sanguinis Christi nobis applicatur per baptismum & pœnitentiam, aliaque sacramenta ad remissionem peccatorum, non tamen æqualiter, nec eodem modo. Nam ex ordinatione Dei perfectiùs id fit in baptismo, quàm reconciliationis sacramento, quemadmodum infrà pleniùs ostendetur.

Ad quintum, Eodem argumento colligeretur mortem & miserias omnes huius vitæ statim per Christum tolli debuisse, ne plus obfuerit inobedientia Adæ per quem vnà cùm peccato mors & miseriæ intrauerunt in mundum, quàm profuerit obedientia Christi. Respondendum igitur est per Christum aoferri ab electis omne illud malũ quod præuaricatio Adæ inuexit. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur.* Verùm id non statim, ne parua putaretur culpa, vt ait Augustinus tractat. vltimo in Ioan. si cum illa statim finiretur & pœna; & vt interim habeaot insti quo exerceantur ad palmam superoæ vocationis.

Quod primo loco ex Augustino adsertur, hunc sensum babet: Miserias huius vitæ ante remissionem peccatorum tantùm esse peccatorum supplicia; post verò præterquam quod iusto Dei iudicio pro peccatis qooad culpam remissis, adhuc infligantur, hoc etiam vtilitatis habere, quòd sint certamina & exercitationes iustorum, dum ea patienter tolerando in virtutibus proficiunt, Deumque sibi magis promereotur.

Ad alia tria loca Augustini responsio patet ex solutione primi & secundi. Ad locum ex libro de vera & falsa pœnitentia (qui tamen falsò tribuitur Augustino) prompta & certa est responsio, eum ex illius authoris senteotia dimidiam à Deo veniam sperare, qui cùm in vno crimine perseueret, de alio tamen vel alijs veniam sibi apud Deum promittat. Præcedunt enim hæc verba: Scio Dominum inimicum omni criminoso, quomodo ergo qui crimen seruat, de alio recipit veniã? ac deinde sequitur hoc quod obiectum fuerat. Quædam impietas infidelitatis est ab illo qui iustus & iusticia est, dimidiam sperare veniam. Certum est autem nec iusticiæ nec misericordię Dei repugnare, si peccatum misericorditer ita condonet quoad pœnam æternam, vt tamen ad ostensionem quandam suæ iusticiæ, & ad ipsius hominis vtilitatem pœnam aliquam reseruet temporalem. Imò hoc pacto iusticia & veritas pulchrè sibi mutuò obuiant & altera alteram temperat.

Primus locus ex Chrysostomo adductus ooo aliud vult, quàm quòd ipse apostolus innuit, nempe hominem spontanea castigatione effugere temporalem Dei punitionem in hoc vel futuro seculo infligendam, eamq; longè acerbiorem; adeo vt huius comparatione illa sponte assumpta punitio, vix punitionis nomen mereatur. Nam & mox simili modo loquitur de punitione temporali collata ad supplicium gehennæ.

Proxima duo loca similiter sunt intelligenda. Quartus locus tantùm ostendit flagellorum vsum circa electos noo hunc esse potissimum, vt peccata eorum vindicentur, sed vt illi io posterum correcti peccata caueant.

Postremus Chrysostomi locus catholicam doctrinam adiuuat. Si enim Dauid post remissum peccatum adhuc misericordiam implorat, ne iudicium sæuiat, ergo sensit tam Chrysostomus quàm Dauid ipse translato iam peccato ne moreretur, adhuc superfuisse pœnam temporalem, quę instè poterat exigi nisi misericordiæ imploratione, vel tota vel ex parte auerteretur. Vult ergo Chrysostomus in tantum cessare pœnam, in quantum conceditur misericordia.

Ad vltimum argumentum respondetur sacerdotes accepisse potestatem remittendi peccata pœnitentibus. Ad pœnitentiam autem etiam satisfactio pertinet, quam proinde is qui absoluitur, vel iam peregisse debet, vel habere in proposito. Quocirca repugnat integritati huius sacramenti tollere omnem obligationem pœnę temporalis, priusquam peracta fuerit debita satisfactio. Potest igitur concedi sacerdotes semper absoluere à pœna & culpa, pręsupposito integro sacramento, quod quidem non prorsus iotegratur ante peractam condignam satisfactionem, nisi & huius obligationem indulgentia relaxet. Verùm ea relaxandi potestas oon ad omnes sacerdotes pertioet.

§. 9. *Quid & quotuplex sit satisfactio.*

QVò meliùs intelligantur, quæ dicenda sunt de pœnitentium satisfactione, paucis priùs explicandum quid sit satisfactio, & quibus modis diuidi possit. Generatim igitur ac iuxta significationem Grammaticam satisfactio non aliud est quàm debiti solutio, cuiuscunque demum generis debitum illud sit. At specialiter in delictis satisfactio dicitur, cùm pro ijs tantom pœnæ seu vindictæ exoluitur, quantum læso & offenso satis est, aot esse debet, vt placetur atque irasci desinat. Quæ definitio complectitur & eam pro delictis satisfactionem quam homioes iniuria affecti ab hominibus exigere solent. Facilè autem soli ecclesiasticæ satisfactiooi accommodabitur, si læsum & offensum, cui solutio fieri debeat, Deum intelligamus. Eaodem sub nomine pœnitentiæ (quod vocabulum apud veteres sæpissimè pro satisfactione vsurpatur) author libri de vera & falsa pœnitentia cap. 8. sic definit: Pœnitentia est quędam dolentis vindicta voluntariè in se punientis quod commisisse se dolet.

S. Thom. supp. q. 12 & 13 p. q. 8 art. 3.

Pleniùs autem hoc modo definitur. Satisfactio est studium placandi Deum offensum per voluntariam sui castigationem seu ipsa voluntaria sui castigatio vel punitio ad compensationem quandam iniuriæ Deo per peccatum illatæ. Quæ descriptio petita est ab obiecto eius circa quod versatur, & à fine. Obiectum enim Deus est per peccatum offensus, finis autem placatio irę diuinę, seu plena reconciliatio cum Deo.

Ex vtroqoe aotem intelligitur satisfactionem esse opus pietatis ac iusticiæ, vtpote ad hoc susceptum vt Deus placetur & iniuria ei illata quadantenus compensetur. Peculiariter autem ad iusticiam

pertinet. Cuius ratio manifesta est, quia iustitiæ proprium est æqualitatem inter duos constituere, seu inæqualitatem inter duos exortam ad æqualitatem redigere. Neque tamen ad iustitiam vindicatiuam propriè pertinet, sed specialem virtutem constituit, qua nimirum sponte quis pro iniuria quam alteri intulit, sese castigat vt illum placet, sibique reconciliet. Ita docet S. Thomas in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 1. & parte 3. quæst. 85. art. 3. tametsi Scotus & Durandus contrarium teneant, putantes satisfactionem hanc non egredi speciem iustitiæ vindicatiuæ, quorum rationes expendere non est huius loci. Sufficit enim præsenti doctrinæ satisfactionem quę à pœnitente requiritur, non esse quamcunque pœnę pro iniuria Deo illata debitę solutionem, sed voluntariam & studio Deum placandi susceptam, quam proinde cum proposito non peccandi de cętero coniunctam esse oportet. Alioqui enim nuda vindicta erit, & quæ non tam satisfactio quàm satispassio dici debeat; cuiusmodi est supplicium damnatorum in inferno, & in hac vita eorum qui pro sceleribus suis per iustitiam publicam puniuntur impœnitentes.

Iuxta sensum iam datum intelligendæ sunt & hæ descriptiones. Satisfacere est honorem debitum Deo impendere, &, satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere. Quarum priorem tradit Anselmus lib. Cur Deus homo. Posteriorem Gennadius lib. de ecclesiasticis dogmatibus cap. 54.

Est autem multiplex satisfactionis diuisio. Primùm enim ita diuidi potest, vt dicamus aliam esse satisfactionem in pœna, aliam pro pœna. Satisfactio in pœna est, quando lege fixa & determinata est pœna quam pro delicto subire oporteat, quomodo satisfaciunt qui pro delictis suis pœnas legibus constitutas pendunt; vt cùm homicida gladio percutitur, incendiarius comburitur, fur suspenditur. Satisfactio pro pœna est, vbi commutatio locum habet, ita vt pœnæ eius quam lex præscripsit, redemptio quædam & compensatio recipiatur; velut cùm in ciuilibus mulcta pecuniaria, vel vltroneum aliquod seruitutis officium ei qui læsus est præstandum, pro grauiori pœna alioqui debita iniungitur aut admittitur.

Facit hęc diuisio ad intelligendum discrimen satisfactionis eius quæ fit in hoc sæculo, & quæ in futuro. Cùm enim proprie ad futurum sæculum pertineat retributio præmiorum & suppliciorum, quod proinde iudicij tempus esse docet scriptura Heb. 9. & alibi, quemadmodum & Augustinus annotauit enchiridij 66. Quicunque post hanc vitam pro peccatis puniuntur, temporale supplicium de manu Dei suscipientes, non illi pro pœna, sed in pœna satisfaciunt. Hoc enim patiuntur quod iustitia Dei tanquam fixa lege ordinauit patiendum pro peccatis remissa culpa. Atque hæc satisfactio est animarum in purgatorio. Verùm si quis tempus illud non exspectet, sed sollicitè præueniat, pœnas in hoc sæculo de seipso exigens iuxta modum apostolica traditione & ecclesiastica consuetudine probatum; quoniam talem commutationem siue redemptionem pœnæ diuina benignitas recipit, imò & pręcipit ac requirit, cùm monet vt dignos pœnitentiæ fructus faciamus: illius inquam, qui sic facit, non iam in pœna sed pro pœna satisfactio est; quia videlicet seipsum hic punit, vt præparatam in futuro sæculo pœnam euadat. Tales ergo sunt in hac vita satisfactiones pœnitentium de quibus nunc agimus.

Alia est diuisio satisfactionis in satisfactionem imperfectam, sufficientem & absolutam. Imperfecta ea dicitur quæ nulla rei vel operis æqualitate nititur, sed sola eius qui lęsus est, gratia ac liberalitate. Sufficiens autem quę nititur ęqualitate quadam, & exoluit tantum quantum oportuit; ita tamen vt gratiam alterius includat, atque ex ea dependeat, ob quam causam dici non potest simpliciter & omnino perfecta. Absoluta verò atque omni modo perfecta est, in qua & reperitur exacta secundùm iustitiam æqualitas, & quæ nullius alterius gratiam includit aut prærequirit, ex qua dependeat.

Igitur satisfactiones pœnitentium si comparentur ad æternum gehennæ supplicium, imperfectam dumtaxat satisfactionis rationem obtinent, vt quæ nullatenus adæquent pœnam illam pro qua abolenda suscipiuntur. Perfectam enim satisfactionem pro pœna æterna solus Christus patri exhibuit, cuius tamen intuitu dignatur pater & illam suscipere, quam ei ad abolendum pœnæ æternæ reatum pro modulo suo præstat humana fragilitas. Huiusmodi autem satisfactiones à fidelibus fieri solitas agnoscunt & docent veteres, quorum testimonia infià oportuniùs citabuntur. At verò post remissam culpam pœnitentium satisfactiones meritò iudicantur sufficientes, & quadantenus perfectæ, nimirum comparatę ad pœnam temporalem quæ remissa culpa restat adhuc luenda; si tamen fiant iuxta modum & quantitatem criminum, quemadmodum id exigit ecclesiastica disciplina. Hoc enim pacto iusta fit compensatio pœnę temporalis pro temporali, pręsertim cùm per reconciliationem pœnitentis dignitas quædam operibus eius accesserit; eò quòd procedant ex charitate per inhabitantem Dei spiritum, ideoque preciosius multò iam apud Deum æstimatur quicquid in vindictam peccati suscipitur, quàm quòd ante reconciliationem suscipiebatur, siquidem vt ait Leo, serm. 4. de collectis, ideirco exigua ista impendia tanta ęstimari taxatione meruerunt, quia pondera operum charitatis lance pensantur. Veruntamen ad huius quoque satisfactionis absolutam perfectionem aliquid deest. Non enim talis est vt nullius alterius gratiam includat, vel ex ea dependeat (quę absoluta perfectio in sola Christi satisfactione reperitur, vtpote prorsus independente) sed vti declarant patres concilij Tridentini sess. 14. cap. 8. ea nobis est per Christum Iesum in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentię, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre.

Obijcies. Pœna purgatorij est longè grauior & diuturnior quàm satisfactoriæ pœnæ huius sæculi, ergo non est inter eas æqualitas. Respondeo, est æqualitas quædam licèt non perfecta. Est enim talis æqualitas qualis requiri solet inter satisfactionem pro pœna & ipsam pœnam, idque seruata iusta proportione. Et notandum, quod in satisfactione nostra multa sint ex quibus inæqualitas quæ est ex parte grauitatis & diuturnitatis cōpensetur. Primò, quòd fiant in hoc sæculo quod est sęculum misericordię non iudicij; cùm pœna purgatoria pertineat ad futurum sęculum quod est iudicij. Secundò quòd sponte suscipiantur, quia homo saltem sponte adit sacerdotem petens ab eo sibi iniungi pœnitentiam, at pœnę purgatorię licèt patienter ferantur, non tamen sponte suscipiuntur. Tertiò quia homo in hoc sæculo pręuenit iudicium Dei, vindictam in seipsum exercens & non expectans iudiciū iuxta illud: *Si nosipsos iudicaremus &c.* Quartò

quia

quia opera satisfactoria in hoc sæculo multiplicem habent vtilitatem, quia carnem castigant, cautiorem reddunt contra peccatum, ædificant ecclesiam, iuuant proximos, vt eleemosynæ & alia misericordiæ opera, nihil autem horum facit satisfactio quæ est in purgatorio.

Diuidi pręterea solet satisfactio in publicam & priuatam. Sicut enim pro publicis criminibus publica, ita pro secretis ac priuatis priuata satisfactio suscipi debet, quemadmodum disertè docent, Prosper lib. 2. de vita contemplatiua cap. 7. & Gennadius lib. de ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. Eandem satisfaciendi diuersitatem tradit Cyprianus serm. 5. de lapsis docens non modò sacrilegium opere perpetratum, verùm etiam animo solo conceptum aboleri debere congrua satisfactione, non tamen publica sed priuata. Quin & ex ijs quæ ad superiorem distinctionem de multiplici actione pœnitentiæ diximus, satis intelligi potest hæc satisfactionis diuisio.

His denique accedit ea diuisio, qua in orationem, ieiunium & eleemosynam diuidi solet tanquam in partes præcipuas, & ad quas cætera omnia satisfactionum opera facilè possunt reuocari. De quibus agemus suo loco.

§. 10. *Quandam esse pœnitentium satisfactionem pro pœna æterna.*

S. Thom. supp. q. 1. art. 4. &c.

PRo maiori declaratione dictorum paulò pleniùs nunc probandū est, quod diximus opera pœnitentium ante reconciliationem facta habere nonnullam rationem satisfactionis respectu pœnæ æternæ, tametsi valde imperfectam, eò quòd nullatenus pœnam illam adæquate possint, cùm hæc pœna sit tam duratione quàm pondere seu precij dignitate finita, illa verò infinita.

Primùm autem id probatur ex eo quòd olim vel ordinariè, vel saltem sæpenumero satisfactiones iniungebantur persoluendæ priusquam absolutionis beneficium pœnitentibus impenderetur, tametsi eam consuetudinem posterior ecclesia iusta ratione mutauerit. Cùm enim peccator einsmodi satisfactiones subiens adhuc debitor esset mortis æternæ, vtpote nondum à culpa absolutus, consentaneum est illas & iniunctas & susceptas fuisse pro abolitione pœnæ.

Nam & veteres interdum expressè ita loquuntur. Quorum è numero Tertullianus in lib. de pœnitentia, dicit inter alia; Temporali afflictione pœnitentis æterna supplicia expungi, & peccatorem macerari atque excruciari pœnitentiæ operibus, ne in æternum pereat.

Ambrosius ad Virginem lapsam quam ad satisfactionem hortatur, ita scribit: Peccator si sibi non pepercerit, à Deo illi parcitur; & si pœnas futuras gehennæ perpetuas in hoc paruo vitę spacio compensauerit, seipsum ab æterno iudicio liberat. Idem scribens in psalm. 37. ait: Qui pœnitentiam agit, offerre se debet ad pœnam, vt hîc puniatur à Domino, non ad supplicia æterna seruetur. Et lib. 5. hexameron cap. vltimo. Soluamus, inquit, pijs fletibus culpam. Similiter in hymno laudum matutinarum: *Fletuque culpa soluitur.* Et lib. 1. de pœnitentia cap. 4. Deus expectat gemitus nostros sed temporales, ? ? remittat perpetuos.

Chrysostomus homil. 6. in 2. Timoth. 2. Vide, inquit, quanta sit Dei clementia, non tibi dedit vt

A temporalem mortem, sed æternam redimere possis. Similiter loquitur homil. 38. in Ioan. & hom. 1. in epistolam ad Heb.

Leo serm. 2. de collectis dicit culpas contractas eleemosynis deleri, & serm. 4. peccatorem per opera pietatis in proximos à sententia damnationis liberari. Apertiùs autem serm. 5. sic loquitur: Eleemosynæ peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt. Idem serm. 4. de quadragesima dicit culpas pijs operibus redimi.

B Prosper lib. 2. de vita contemplat. cap. 7. de ijs qui occultorum criminum rei sunt, ita scribit: Qui si & ipsi iudices fiant, & veluti suæ iniquitatis vltores, hîc in se voluntariam pœnam seuerissimæ animaduersionis exerceant; temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lachrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia. Huiusmodi porrò sententiæ & aliæ occurrunt apud veteres, quibus consonat id quod in quadam collecta quadragesimę orat ecclesia, vt peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potiùs maceremur quàm supplicijs deputemur æternis.

C Scripturæ quoque generaliter opera pœnitentiæ pro peccatis exigentes, satis innuunt etiam ad abolendam pœnam æternam ea quodam modo valere, vt illud Matth. 3. & Luc. 3. *Quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Quo loco per venturam iram haud dubiè supplicium gehennæ intellexit baptista; quod & paulò pòst expressiùs insinuauit, cùm diceret omnem arborem infructuosam mittendam in ignem, paleam congregato in horreum tritico comburendam igni inextinguibili.

D Tale est & illud apostoli 1. Corinth. 11. *Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Temporalis enim illa correptio toleranter & voluntariè suscepta satisfactio quædam est, eò spectans iuxta apostolum, vt effugiatur impiorum quos mundi nomine significat, communis damnatio.

E Huc denique referri possunt omnia ea scripturæ & patrum testimonia, quæ pijs pœnitentium operibus aliquam meriti rationem ascribūt respectu remissionis peccatorum seu iustificationis. Quibus testimonijs recensendis cùm sint plurima non est nunc immorandum. Si enim aliqua ratio meriti in talibus operibus reperitur respectu solutionis pœnæ æternæ, nihil vetat in ijsdem maximè si pœnalia sunt, eiusdem solutionis respectu aliquam reperiri saltem imperfectam rationem satisfactionis.

F Quin etiam aliquo sensu satisfactionis opera quæ absolutionem consequuntur, faciunt ad tollendam obligationem pœnæ æternę, quia nimirum einsmodi satisfactio fit pro pœna temporali, in quam per absolutionem sacerdotis commutata erat pœna æterna. Quod enim satisfactio etiam subsequens absolutionem aliquo modo respicere debeat pœnam æternam, ex eo patet; quia & ipsa est pars sacramenti pœnitentię instituti ad soluenda vincula mortis ęternę, & absolutio datur non tantùm intuitu contritionis & confessionis verùm etiam satisfactionis factę vel faciendę. Cùm igitur pœnitentem absoluat sacerdos à pœna æterna, consequens est etiam satisfactionem in suo genere atque ordine ad eum effectum valere, sicut contritionem & confessionem, licèt non omnino æqualiter.

Nec obstat quòd patres Tridentini concilij sess. 6. cap. 14. dicunt satisfactionis opera fieri non

pro pœna æterna, sed pro temporali tantùm. Clarum est enim eos loqui de satisfactione quæ remissionem culpæ sequitur. Quæ quidem satisfactio non simpliciter, sed modo ac sensu iam explicato dicenda est valere, seu cooperari ad remouendam pœnam æternam, sicut & ad culpæ remissionem.

Sed quæret aliquis. Cùm Christus exactè satisfecerit pro pœna æterna, nec diuina iusticia secundò exigat solutionem pro debito semel perfectè soluto, quomodo intelligendum sit nos quoque pro ea satisfacere. Cui respondetur satisfactionem Christi per se sufficientissimam esse ad tollendam omnem pœnam æternam & temporalem: sed diuinitus sic ordinatum, vt illa nobis non applicetur ne quidem ad solutionem æternę pœnæ, nisi & ipsi per opera quædam pœnalia Christo compatiamur; quæ tamen nòn nisi imperfectæ cuiusdam satisfactionis rationem habeant ad æternitatem supplicij gehennæ comparata: quia nimirum sunt conditiones quædam pœnales ex parte nostra requisitæ, ad hoc vt passio & mors Christi tanquam plenissima satisfactio nobis ad soluendum reatum pœnæ ęternę applicetur.

§. 11. *Satisfactionis opera pro peccatis esse necessaria.*

S. Thom. supp. q. 14. per totam.

PLeniùs nunc probandum est satisfactionem, quam suprà ostendimus esse tertiam pœnitentię partem, vel omnino satisfactionis opera quæcunque à peccatoribus exigi, iuxta diuinę legis institutionem.

Imprimis igitur vt à scriptura sumamus exordium, ad satisfactionem spectant digni pœnitentiæ fructus quos Baptista requirit ab ijs quibus pœnitentiam prędicabat dicens: *Quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentia*, Matt. 3. & Lucæ 3. Quomodo etiam Paulus apostolus Act. 26. loquitur dicens: *Iudæis & gentibus annunciabam vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum digna pœnitentia opera facientes.* Per hoc enim quod dicitur, digna pœnitentiæ opera, seu fructus, profectò quędam ęqualitas indicatur inter ipsa pœnitentiæ opera & pœnas debitas, idque vel secundùm rigorem iusticiæ vel saltem secundùm benignam acceptationem Dei.

Eandem prorsus vim habet redimendi vocabulum quo scriptura ad significandas pœnitentium satisfactiones vtitur, vt Danielis 4. *peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Et illud Prouerbiorum 16. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas.* Et item Prouerb. 13. *Redemptio animæ viri diuitiæ sua*, iuxta expositionem Bedæ in eum locum, & Augustini serm. 112. de tempore. Siquidem redemptio satisfactionem, seu pretij solutionem necessariò includit.

Similis probatio est ex vocabulo vindicandi, quo vtitur apostolus 2. Corinth. 7. ita scribens: *Ecce enim hoc ipsum secundùm Deum contristari vos quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed vindictam*, id est, castigationem peccati. Eam autem nomine iudicij significauit in priore epist. cap. 11. dicens: *Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur*, id est, si peccatorum nostrorum vindictam ipsi à nobis exigeremus, non eam postea exigeret Deus. Sic Ezechiel 18. & 33. ab impio agente pœnitentiam requirit, vt faciat iudicium, & iusticiam.

Præterea idem probatur ex potestate apostolis

A & eorum successoribus data Matth. 18. *Quæcunque ligaueritis &c.* & Ioan. 20. *Quorum retinueritis peccata &c.* Etenim claues regni cælorum non ad soluendum tantùm, verùm etiam ad ligandum sacerdotibus esse concessas, illa Christi verba significant. Ligant autem sacerdotes eos qui peccauerint, & eorum retinent peccata, dum satisfactionum vincula ijs inijciunt & pœnas iniungunt. Ad quas proinde subeundas tenentur pœnitentes.

Pertinent huc denique scripturæ quæcunque à peccatoribus pręter conuersionem mentis & nouitatem

B vitæ exigunt pœnitentiæ, id est, satisfactionis opera, cuiusmodi sunt ieiunium, luctus, fletus, planctus, cilicium & cinis; vel quęcunque alia quibus homines se affligere, ac de se vindictam malè actorum exigere solent, vt Ioel 2. Ionæ 3. Ieremię 3. 18. & 15. Isaię 3. Ecclesiastici 17. Matth. 11. Luc. 10. Iob vlt. 2. Corint. 12. Iacobi 4. & alibi.

Quoniam autem aduersarij grauiter insectantur nomen satisfactionis tanquam & Christo iniurium & recens introductum, ostendendum est, quàm & vocabulum ipsum & res ipsa priscis patribus non fuerit insueta nec incognita & omnino quam de necessitate satisfactionis sententiam te-

C nuerint.

Tertullianus in lib. de pœnitētia frequenter satisfactionis meminit, atque ita scribit inter alia cap. 8. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ. Et mox cap. 9. Delictum nostrum Domino confitemur, non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur. &c. Et post multa quibus ad varia pœnitentiæ opera hortatur, ait: Intolerandum scilicet pudori Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari. Idem in lib. de baptismo. De præteritis, inquit, satisfacimus conflictione carnis &

D spiritus.

Cyprianus sermone 5. de lapsis sic eos ad satisfactionem hortatur: Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc qui delinquit in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. Conuertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur, illi se anima prosternat, illi mœsticia satisfaciat, illi spes omnis incumbat. Et paucis interpositis. Ecce peiora ad-

E huc peccandi vulnera, ecce maiora delicta, peccasse nec satisfacere, deliquisse nec delicta deflere. Et rursum post alia, vbi eos grauiter reprehendit, qui cùm fidem in persecutione negassent, satisfacere detractabant. Qui, inquit, pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt. Et infrà: Pœnitentia crimine minor non sit: orare oportet impensiùs, diem luctu transigere, vigilijs noctes ac fletibus insomnes ducere &c. Et rursum: Rogandus est Deus & satisfactione nostra placandus, delicta nostra reputanda. Et paulò pòst: Nec cessemus in agenda pœnitentia, atque in Domini misericordia

F deprecanda, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur. Et post longam exhortationem in qua dixerat Deum moueri satisfactionibus nostris, eiusque iram & indignantis offensam iusta deprecatione placari, subiungit tandem: Qui si sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus & adiutus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam faciet ecclesiam; nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam. Hæc Cyprianus

apud quem similia leges lib. 1. epist. 3. & lib. 3. epist. 4. 8. & 14. & lib. 4. epist. 3. & 4. sed & in sermone de eleemosyna clarissimè docet & ex scripturis probat operibus iustis Deo satisfieri pro peccatis.

Ambrosius virginem lapsam exhortans ad pœnitentiam inter multa sic ait: Tu proprij facti iudex esto crudelior, lugubris tibi accipienda est vestis, mens & membra singula digna castigatione punienda &c. Deinde sequitur: Talis actiu pœnitentiæ, si fuerit perseuerans, audebit sperare etsi non gloriam (intellige virginitati debitam) certè pœnæ euacuationem. Deinde post verba superiori cap. recitata sequitur: Grandi plagæ alta & prolixa medicina opus est, grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem. Idem lib. 7. in Lucam cap. 59. Sicut, inquit, qui pecuniam soluunt, debitum reddunt, nec priùs euacuatur fœnoris nomen quàm totius sortis ad nouissimum vsque quocunque solutionis genere quantitas vniuersa soluatur: sic compensatione charitatis, actuumque reliquorum vel satisfactione quacunque peccati pœna dissoluitur. Et lib. 2. de Abel & Cain cap. 4. crimina inquit, bonis operibus, fideique precio & miseratione redimamus. Legantur einsdem libri de pœnitentia, ac nominatim locus lib. 2. c. 5.

Ambrosio vetustior Pacianus qui contra Nouatianos diligenter scripsit, in lib. de pœnitentia & confessione post multam exhortationem ad satisfactionis opera sic ait: In quantum pœnæ vestræ non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet; ecce promitto, si ad patrem vestrum vera satisfactione redeatis, nihil vlterius errando ac dicendo: Peccauimus in conspectu tuo pater, iam non sumus digni nomine filiorum, continuò de vobis & pecus illud recedet immundum & siliquarum esca deformis. Similia habet in epist. 3. ad Symphronianum.

Hieronymus commentario in Malach. Qui peccator est inquit, & quem propria conscientia mordet, cilicio pœnitentiæ accingatur, & plangat tam sua delicta quàm populi, atque iterum ingrediatur ecclesiam, de qua fuerat eiectus, & cubet in sacco, vt præteritas delicias per quas Deũ offenderat, vitæ austeritate compenset. Idem in epitaphio Paulæ epist. 27. ex eius pœnitentis persona dicit inter alia longum risum perpeti fletu compensandum esse. Hoc autem compensationis vocabulum patribus in hac materia satis familiare significat ipsam satisfactionem. Confirmat item hanc doctrinam quæ apud eundem leguntur epist. 30. ad Oceanum de pœnitentia Fabiolæ & 48. ad Sabinianum diaconum.

Augustini quoque clarissima est de satisfactione sententia pluribus locis. Nam in homil. 5. & 15. sic habet: Non sufficit mores in melius commutare & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificiũ, cooperantibus eleemosynis &c. Et enchiridij 70. Deus, inquit, miserando delet iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur. Et eiusdem libri cap. 65. 67. & 71. idem docet. Ac rursum scribens in psal. 50. ad versiculum: *Ecce enim veritatem dilexisti*, dicit Deum ignoscere sed seipsum punienti. Ita enim inquit, seruatur misericordia & veritas; misericordia, qua homo liberatur, veritas quia peccatum punitur. Et in psal. 130. dicit Dauidem volentem satisfacere Deo pro peccatis suis, vt acciperet indulgentiam peccatorum, obtulisse ei sacrificium cordis humiliati. Lib. de continentia cap. 6. sic generaliter pronunciat: Nullus debitæ grauioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcunque etsi longè minorem quàm debeat, soluerit pœnam. Ead m eius doctrina est in epist. 54. & serm. 3. de diuersis vbi testatur eum quem veraciter pœnitet, in se punire ac vindicare peccatum, ne illud puniat aut vindicet Deus, & lib. 5. de ciuit. Dei cap. 26. vbi agit de satisfactione Theodosij imperatoris.

Gregorius homil. 34. in euangelia: Cogitandum est, inquit, summopere vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat. Exscribens in psalmum 5. pœnitentialem, dicit peccatorem iniquitatis gaudia satisfactionis doloribus compensare. Et in expositione 1. Reg. 9. docet aliam Christi redemptoris propriam, aliam fidelium pœnitentium communem esse satisfactionem. Eundem vide homil. 20. in euangelia. Et parte 3. curæ pastoralis admonitione 31. dicit admonendos eos qui peccata quidem deserunt, non tamen plangunt, ne iam relaxatas æstimant culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim, inquit, scriptor si à scriptione cessauerit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat, deleuit; nec debitor absolutus est, quia alia non multiplicat, nisi & illa quæ ligauerat, soluat: ita & cùm Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas diliximus, è contrario appositis lamentis insequamur &c. Quæ sanè ostendunt quàm falsum sit illud Lutheri: Optima pœnitentia noua vita. Denique probat ex pœnitentia baptismi argumento à minori citans illud Petri Act. 2. *Agite pœnitentiam & baptizetur vnusquisque vestrum.*

Ne autem omnium verba recitando prolixiores simus, aliorum patrum loca tantùm aliquot annotabimus. Scribunt igitur in eandem sententiam Innocentius 1. in epist. ad Decentium cap. 7. Leo 1. epist. 91. & 93. disertè satisfactionem exigens à pœnitentibus. Prosper lib. 2. de vita contemplatiua cap. 7. Fulgentius lib. 1. de remissione peccatorum cap. 12. & lib. 2. cap. 15. Bernadus serm. 66. in cantica, Rupertus in illud Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo racha.* Author libri de vera & falsa pœnitentia apud Augustinum cap. 8. Et vt ad Græcos transeamus, eandem doctrinam luculentè tradiderunt Origenes homil. 2. & 12. in Leuit. Eusebius lib. 5. histor. eccles. cap. 28. Nazianzenus oratione in sancta lumina, Epiphan. lib. 2. hæresi 59. quæ est Catharorum seu Nouatianorum, & in oratione quam scripsit de fide catholica, Chrysostomus homilia 11. in 2. Corinth. 5. & homil. 80. ad populum Antiochenum. Quibus adde loca superiori capite citata. Item Eusebij Emisseni titulo homil. 5. & 10. ad monachos, Theodoretus in epitome diuinorum decretorum cap. de pœnitentia, Damascenus lib. 4. de orthodoxa fide cap. 10. vbi propter satisfactionem dixit pœnitentiam esse laboriosum quoddam baptisma.

His adiungere licet canones & decreta quæ congruas satisfactiones peccatis præscribunt, vt concilij Carthaginensis 3. canon. 31. Carthaginensis 4. canon 74. Concilij Africani canon 9. & Cabilonensis canon 34. & 38. Et quæ præterea à Gratiano collecta sunt 26. q. 7. & de consecrat. dist. 4. de pœnitentia dist. 3.

Ex quibus omnibus colligitur, quanta sit authoritate fundata ecclesiæ doctrina de satisfactionibus pœnitentium, & earum necessitate, vt me-

citò patres Tridentini concilij sess. 14. cap. 8. cui titulus est de satisfactionis necessitate & fructu, hanc catholicam doctrinam confirmarint, & eiusdem sess. can. 12. 13. 14. & 15. anathema dixetint in eos, qui vel satisfactionem pœnitentium non aliam esse censent quàm fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, vel dicunt pro peccatis quoad pœnam temporalē minimè Deo à pœnitentibus satisfieri, vel satisfactiones quibus pœnitentes peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed hominum traditiones; vel denique claues ecclesiæ datas esse tantùm ad soluendum, non etiam ad ligandum. A

Porrò si quis hanc doctrinam ratione sibi velit persuaderi, respondebimus pro ratione sufficere diuinam institutionem, quæ tamen non potest non esse maximè rationabilis. Vnde & patres Tridentini cap. 8. iam citato graues aliquot rationes indicant, ob quas à pœnitentibus etiam culpa remissa Deus adhuc exigat satisfactionem. Quas non necesse est hic recensere. B

Porrò nonnulli satisfactionis necessitatē probant ex necessitate confessionis, & existimant eos qui satisfactionem negant necessatiam, continuò & confessionis necessitatem tollere, eò quòd peccatorum confessio non ob aliud sit necessaria, nisi quia sacerdotes sunt iudices qui cognita & æstimata peccatorum qualitate, debent de ijs ferre sententiam, iniungendo pro ijs salutares & conuenientes satisfactiones. Quod argumentum vtrùm planè conuincat, expendant studiosi. Certè apud hæreticos qui & ipsam confessionem necessariam negant, nihil habet momenti. C

§. 12. *Ad obiectiones aduersariorum responsio.*

S. Thom. vbi sup. QVæ contra superiorem ecclesiæ de satisfactione doctrinam ab aduersarijs adferri solent, partim eadem sunt cum ijs, quæ probare videntur remissa culpa nullam vnquam restare pœnam luendam, ad quæ iam antè respondimus, partim ab ijs diuersa & propria sunt argumenta, quibus nunc est respondendum. D

Primo dicunt impossibile esse vt homo Deo satisfaciat pro peccato, tum quia offensa Dei ratione obiecti est infinita, homo autem & omne opus hominis finitum, quod proinde nequit adæquare offensam Dei; tum quia nihil potest homo Deo offerre quod ei non debeat saltem ratione creationis; satisfactio autem per opus aliàs indebitum fieri debet: tum denique quia quotidie peccatur, & sæpius quidem etiam à iustis hominibus, ita vt dum pro vno peccato conantur satisfacere, mox alia plura de nouo subrepant. E

Secundò argumentantur. Christus plenissimè satisfecit pro culpa & pœna (quemadmodum locus Isaiæ 53. apertè monstrat, & à nobis probatum est ad dist. 19. lib. 3.) ergo absque iniuria satisfactionis Christi non potest statui nostra satisfactio; F præsertim cùm Deus non puniat bis in idipsum teste propheta Naum cap. 1. secundùm septuaginta, cuius loco nos habemus: *Non consurget duplex tribulatio*, & lex naturæ dictet iniustum esse, vt debitum plenè solutum iterum exigatur. Quare cùm peccatum plenè & abunde quoad culpam & pœnam sit in Christo punitum, & in eius sanguine expiatum, ingratus est Christo & Deo iniustitiam tribuit, qui docet adhuc ab homine exigi pro peccato satisfactionem.

Tertiò. Christus & apostoli nusquam leguntur vllas satisfactiones pœnitentibus iniunxisse.

Quartò. In sacrificijs alijsque ceremonijs veteris legis non est figurata alia satisfactio, præterquam satisfactio Christi in cruce per sanguinem & mortem eius.

Quintò. Remissio peccatorum est merè gratuita, iuxta illud apostoli Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu &c.* ergo pro ea nihil soluendum, ne quidem quantum ad pœnam. Nam alioqui non omnino gratis haberetur peccatorum remissio.

Sextò. Si homo aliqua ex parte satisfaceret pro peccatis suis, nimirum quoad pœnam, iam esset aliqua parte suus redemptor, quod videtur absurdum & copiosæ redemptioni Christi iniuriosum.

Septimò. Ambrosius lib. 10. in Luc. cap. 15. & serm. 46. de pœnitentia, satisfactionem excludere videtur his verbis: Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego. Quod idem inuenitur apud Maximum homil. 3. de pœnitentia.

Octauò. Theophylactus in illud apostoli Ephes. 4. *Qui furabatur, iam non furetur*, ita scribit: Non dixit apostolus: Puniatur qui furtum committit, sed à malo deficiat. Punire namque est fori iudiciarij, dehortari à vicijs Christi doctrinæ est. Sic ille. Et hæc ferè præcipua sunt quæ contra satisfactionis doctrinam à sectarij proferri & inculcari solent. Ad quæ breuiter respondemus.

Ad primum quidem nequaquam impossibile esse homini à gratia Christi præuento satisfacere pro pœnis post remissam culpam restantibus. Neque enim, vt patres Tridentini loquuntur sess. 14. cap. 8. ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exoluimus, vt non sit per Christū Iesum. Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo vnde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est; in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre. Hæc ibi. Igitur ad primam probationem respondetur opera bona quæ fiunt ab homine reconciliato per spiritum Dei inhabitantem, ab eodem spiritu accipere quandam infinitatis rationem, vt quemadmodum de condigno sunt vitæ æternæ meritoria, ita etiam in quantum pœnalia sunt, de condigno satisfactoria sint pro pœna restante.

Ad secundam verò, quod quamuis Deus iure creationis & summi dominij possit ab homine exigere omnia quæcunque ab eo fieri possunt, pro sua tamen erga creaturam bonitate & clementia, non omnia omnino exigit, sed certa quædam secūdùm leges ei præscriptas. Quo fit, vt homo possit etiam quædam facere alioqui indebita, vtpote ad ea facienda nulla Dei lege constrictus, præsertim in quantum pœnalia sunt, per quæ proinde satisfacere potetit.

Ad tertiam probationem dicimus, quia quotidie peccatur, quotidiana quadam opus esse satisfactione. Ad quam imprimis pertinet oratio dominica, in qua dicimus: *Dimitte nobis debita nostra &c.* Vnde August. enchiridij 71. De quotidianis, inquit, breuibus, leuibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Et in epist. 108. Pœnitentia fidelium & humilium christianorum est pœna quotidiana in

A qua pectora contundimus dicentes: *Dimitte nobis debita nostra &c.* Nec tantùm orare pro quotidianis delictis debemus, sed & eleemosynam facere, vt idem Augustinus asserit in sermone quodam de oratione dominica. Et post eum Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 41. vtrumque remedium coniunxit dicens: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, sine peccato hîc neminem viuere posse, semperque omni homini esse necessarium & peccata sua vsque in finem vitæ præsentis eleemosynis diluere, & remissionem à Deo humiliter ac veraciter postulare. Quid autem & quantum homini præstent hæc quotidiana satisfaciendi remedia, rursum B Augustinus tradit epist. 89. his verbis: Qui misericordia Dei adiutus & gratia se ab eis peccatis abstinuerit, quæ etiam crimina vocantur, atque illa peccata sine quibus hic non viuitur, mundare operibus misericordiæ & pijs orationibus non neglexerit; merebitur hinc exire sine peccato, quamuis cùm hîc viueret, habuerit nonnulla peccata: quia sicut ista non defuerunt, ita etiam remedia quibus purgarentur, adfuerunt. Sic ille, apud quem similis omnino locus est lib. de natura & gratia cap. 35.

C Ad secundum argumentum respondemus, nec satisfactiones quæ fiunt remissa culpa, nec eas quæ fiebant olim ante remissam culpam pro remissione pœnæ æternæ (de quibus tamen magis videri poterat) quicquam derogare perfectissimæ satisfactioni Christi, & his quidem iam suprà quid sit respondendum, diximus; de illis verò nunc respondetur, Christum plenissimè quidem satisfecisse pro culpis & pœnis totius generis humani quoad sufficientiam, non autem quoad efficientiam. Neque enim omnes à culpis & pœnis liberantur, eò D quòd precium sanguinis Christi non omnibus applicetur. Sicut ergo precium illud quamuis per se sufficiens, non applicatur impœnitentibus ad remissionem culpæ, & proinde nec vllius pœnæ; ita idipsum pœnitentibus non semper applicatur ad abolitionem totius pœnæ, sed iusticia Dei plærumque remissa culpa pœnam adhuc reseruat & exigit temporalem; nisi pro ea homo ipse voluntaria sui punitione satisfaciat, atq; hoc pacto Christo compatiens ei conformis efficiatur, quod tamen ipsum, vt ab homine fieri & præstari possit, totum descendit ex merito passionis & satisfactionis Christi, quemadmodum suprà citata concilij Tridentini E verba perspicuè declarant, & alibi quoque à nobis explicatum est dist. 19. lib. 3. Et ad hoc significandum S. Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain cap. 3. cũ dixisset: Crimina nostra bonis operibus, fideique precio & miseratione redimamus, continuò subiunxit: Precium nostrum sanguis est Christi, ne scilicet aliunde quàm ex merito passionis Christi putaremus nostras satisfactiones valere. Quod autem ad sententiam propheticam attinet, illius hic germanus est sensus: Dominus consummationem faciet, id est, peccatores sic vna tribulatione disperdet, & consumet, vt altera tribulatione non sit o- F pus. Loquitur enim de tribulatione temporali. Quamquam & verum est, eos quos semel plenè Deus à debitis peccatorum absoluerit, non iterum propter eadẽ esse puniendos. Sed vt diximus, passio Christi sicut impœnitentibus ad nullam remissionem applicatur, quos proinde nemo dixerit puniri bis in idipsum, cùm in inferno pœnas æternas peccatis suis debitas luunt; ita pœnitentibus non applicatur semper ad plenam remissionem pœnæ. Inquantum autem applicatur, in tantum pœnitens à pœna liberatur.

A Ad tertium respondetur imprimis non omnia scripta esse quæ Christus & apostoli fecerunt. Deinde suprà ostensum est, potestatem iniungendi satisfactiones à Christo datam sacerdotibus eo ipso quo illis potestatem dedit ligandi & retinendi. Ac fortasse non decuit, vt hac potestate Christus per se vteretur, ne per hoc putaretur non esse satis potens ad remittendum culpam simul & pœnam. Per apostolos autem eum id fecisse, non est dubium. Paulus enim 1. Corinth. 5. in nomine Domini Iesu Christi, vt ipse loquitur, Corinthium illum incęstuosum censet tradendum satanæ in interitum B carnis, vt spiritus saluus sit in die domini. Atqui interitus ille secundùm Ambrosium lib. 1. de pœnitentia cap. 17. non consummatam carnis absumptionem, sed castigationem, & secundùm Pacianum epist. 3. ad Sympronianum carnis angustias & detrimenta membrorum significat. Hieronymus quoque in Galat 5. & Augustinus lib. contra Adimantum cap 17. eum apostoli locum ad pœnitentiæ labores & molestias retulerunt. Hanc autem apostolicam disciplinã aliunde etiam probare licet, vt 2. Corinth. 2. 7. & 12. Heb. 10. & Act. 8. C vbi ab apostolorũ principe dicitur Simoni Mago: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequicia tua & roga Deum, si fortè remittatur &c.*

Ad quartum respondetur in lege non tantùm fuisse sacrificia quibus vnicum Christi sacrificium prę̨nunciaretur, verùm etiam institutum expiationis diem Leuit. 16. & 23. quo populus iubebatur animas suas affligere religione perpetua, vt mũdaretur à peccatis, Deumque sibi redderet propicium. Quæ afflictio ieiunijs & orationibus fieri solita, satisfactio erat pro peccatis; sicut & eleemosyna, D quam qui sacrificium obtulissent, iubebantur dare pauperi, vt est Deuteron. 15. & Ecclesiastici 7. Adde quòd ipsa legis sacrificia non solùm adumbrabant Christi sacrificium, verùm etiam, tametsi secundariò tantùm, significabant spiritualia fideliũ sacrificia, id est, opera bona; in quibus sunt & satisfactiones, vti Augustinus docet lib. 10. de ciuit. cap. 5. & Cyrillus lib. 9. & 10. contra Iulianum.

Ad quintum. Iustificatio & peccatorum remissio merè gratuita est, tum quia Deus per gratiam suam præuenit hominem à se auersum, & nihil in seipso habentem cuius intuitu eum ad se vocet, & E initium bonæ voluntatis inspiret, tum quia, vt habetur sess. 6. cap. 8. concilij Tridentini, nihil eorum quæ iustificationem seu remissionem peccatorum præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationem promeretur. Cum quo tamen consistit, vt homo iam iustificatus, ac Dei filius effectus per ipsius gratiam condignum aliquod precium offerat pro pœna adhuc restante, vel etiam nondum iustificatus per eandem Christi gratiam aliquid faciat, quod imperfectæ cuiusdam satisfactionis rationem habeat respectu pœnæ æternæ.

Ad sextum. Nihil absurdi est, si dicatur ho- F mo per ea opera quæ ex fonte redemptionis Christi procedunt, seipsum aliqua ex parte redimere, nempe quoad pœnas temporales, quum ipsa scriptura sic loquatur Danielis 4. & Prouerb. 10. & 13. & patres ab eo sermone neutiquam abhorreant, vt Augustinus enchiridij 67. & Ambrosius lib. de Elia & ieiunio cap. 20. & serm. 30. & 31 de eleemosynis, & Leo serm. 4. de quadragesima, & S. Laurentius presbyter Nouatiensis in homilia de pœnitentia his verbis: Ex mea me inopia redimo, ex meo me labore perfundo.

Ad

Ad septimum. Ambrosius per satisfactionem intelligit excusationem, seu defensionem facti, vt ex contextu loci clatissimum est. In qua significatione non modò frequẽter apud Latinos authores, verùm etiam in sacris literis interdum acceptum reperitur, vt Leuitici 10. Act.17. & 24.

Ad postremum quoque facilis est responsio. Nam & apostolus cùm dixisset: *Qui furabatur, iam non furetur*, mox subiecit; *magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti*, quod ad satisfactionem pertinet, & commentator eius Theophylactus paulò post verba in argumento posita: Operetur, inquit, bonum, neque id simpliciter, verùm cum labore, vt cõterat corpus quod antea ex torpore mala didicerat, ac impertiat nunc alijs; vbi antehac aliena sublegerat, iamque alijs beneficentiam exhibeat. Quæ verba apertam continent satisfactionis commendationem. Quod ergo dicit Paulum non hoc velle, vt puniatur qui furtum commisit, de punitione loquitur, quæ fit à iudice sæculari secundùm leges ciuiles. Huiusmodi enim punitionem Paulus non exigit, neque ea ad Pauli tribunal aut omnino ad ecclesiasticam iurisdictionem pertinebat.

§. 13. *Satisfactiones antiquitus iniunctæ potius respectu Dei quàm Ecclesiæ.*

S. Thom. vbi sup. & q. 28. PLærique huius temporis hæretici cùm satisfactiones ecclesiasticas prorsus negare & improbare non audeant, vtpote clarissimis totius antiquitatis testimonijs conuicti, proprium earum vsum & institutionis rationem peruertere conantur, docentes eas olim à relapsis exigi solitas, non vt Deus offensus placaretur, eique satisfieret pro pœnis debitis, sed tantùm vt satisfieret ecclesiæ, quatenus videlicet hi qui ecclesiam peccato suo scandalizauerant, tantum præstare debebant, quantum ecclesiæ in quam peccauerant, ad reconciliationem satis videretur. Vnde dicunt ea opera per quæ illud præstabatur, dicta fuisse à patribus satisfactiones respectu ecclesię non Dei. Cui doctrinæ congruentem etiam satisfactionis definitionem hanc excogitarunt: Satisfactio est experimentum ecclesiæ, quo de relapsis redditur certior, an seriò pœniteuerint, & cum fructu recipi possint in cœtus publicos. Hoc autem commentum suum probare nituntur ex Cypriano & Augustino, quorum ille in sermone de lapsis dicit, quòd pœnitens peracta satisfactione eam quam nuper contristauerat, lætam faciat ecclesiam. Hic verò Enchiridij 65. cùm de agenda pœnitentia loqueretur, hæc verba subiunxit: Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum noticiam per verba vel quæcunque alia signa procedit, cùm sit coram illo cui dicitur: *Gemitus meus à te non est absconditus*, rectè constituuntur ab ijs qui ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam satis ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata. Sic Augustinus. Cæterùm huius commenti vanitas tum ex scripturis, tum ex testimonijs veterum quæ suprà citauimus, euidentissimè refellitur. Non enim eo tantùm vt ecclesiæ fiat satis, exiguntur digni fructus pœnitentię, sed vt peccator fugiat à ventura ira. Sic Daniel ad auertendam plagam regi Nabuchodonosor à Deo imminentem dixit ei: *Quamobrem rex consilium meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime, forsitan ignoscet delictis tuis.* Sic & apostolus 1. Corinth. 11. ad hoc valere dicit; si homo iudicet semetipsum, vt non iudicetur à Domino. Et capit. 5. apostolica potestate decernit hominẽ flagitiosum tradi in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.

Christus quoque potestatem soluendi & ligandi sic apostolis tradidit, vt ostenderet in cælo, id est, coram Deo, siue respectu Dei valiturã ac ratam fore non tantùm absolutionem, sed & alligationẽ siue obligationem qua ad certam pœnam subeundam pœnitentes astrictos tenerent.

Denique in sacris literis orationes, ieiunia, vigiliæ, eleemosynæ, fletus & planctus, saccus & cinis non ob id præcipuè commendantur, aut præcipiuntur, vt is qui peccauit apud homines, atque in conspectu ecclesiæ dolorem suum testatum faciat; sed vt apud Deum peccata sua redimat atque extinguat, vt Deum sibi propitium ac placatum reddat, vt flagella iracundiæ eius auertat. Id quod testimonijs Ioelis 1. Ionæ. 3. Tobiæ 4. & 12. Ecclesiastici 29. & alijs prope innumeris ostendere promptum est.

Iam verò apud veteres ecclesiæ scriptores, vbi de agenda pœnitentia tractant, pene nihil frequentius, quàm vt dicant debere pœnitentes Deo satisfacere, Deum placare, iram Dei auertere & huiusmodi. Probant id loca suprà à nobis citata ex Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Augustino & alijs. Probant etiam manifestiùs ea loca quibus satisfactiones pœnitentium ijdem patres extendunt, & valere dicunt ad remissionem pœnæ æternæ.

Huc accedit, quòd si satisfactionis non alius est vsus, quàm vt ecclesiæ probata ac testata fiat vera pœnitentia eorum qui relapsi fuerint, iam ad nullam tenebitur satisfactionem is qui occultè peccauerit, vt qui ecclesiam peccato suo non offenderit. Hoc autem manifestè repugnat doctrinæ patrum ac nominatim Cypriani in serm. de lapsis, & Prosperi lib. 2. de vita contemplatiua cap. 7.

Quod autem pro se adferunt aduersarij ex Cypriano & Augustino, prorsus nihil conuincit. Nam Cyprianus dicit quidem lætam fieri ecclesiam pœnitentiæ operibus, quæ fuerat contristata peccatis; non tamen vult hunc esse præcipuum satisfactionis vsum, vt ecclesiæ fiat satis: sed vt Deus placetur, Deoque satisfiat, quemadmodum totus ille Cypriani locus euidenter ostendit, vti & tractatus alius quẽ scripsit de eleemosyna.

Augustinus verò etiam eodem ipso loco actionem pœnitentiæ, hoc est satisfactionem, refert ad spem misericordiæ à Deo consequendæ, & cap. 70. satisfactionem requirit propter delenda peccata. Cæterùm quod dicit: Vt fiat etiam satis ecclesiæ, nullam habet difficultatem, imò magis pro catholica doctrina facit illa sententia. Nam addendo, etiam, apertè profectò significauit Augustinus ante omnia Deo satisfaciendum esse, ac deinde etiam ecclesiæ. Quocirca non est quidem negandum ab ijs qui ecclesiam manifestis sceleribus offenderunt, ecclesiæ satisfaciendum esse, vt illa de eorum pœnitentia lætetur, & per eam ædificetur. Verùm tam Augustinus quàm alij patres non hunc, sed eum quem diximus, statuunt præcipuum satisfactionis vsum, nempe vt pro peccatis Deo satisfiat.

§. 14. Mul-

§. 14. *Multiplicem esse congruæ satisfactionis vtilitatem.*

S. Thom. supp. q. 12. ar. 3. in corp. & q. 13. & 14.

SAtisfactionis conuenienter iuxta peccati modū iniunctæ atque susceptæ multiplicem vtilitatem & fructum nobis scriptura & patres commendant. Sunt autem vtilitates hæ partim communes etiam alijs operibus bonis, partim satisfactioni propriæ. Omnes autem aut ferè omnes à patribus concilij Tridentini cap. 8. sess. 14 compendio recitatæ.

B Prima vtilitas est quod, vt aiunt patres Tridentini, magnopere à peccato reuocant, & quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt. Ita namque natura comparatum est, vt ab ijs committendis in posterum sibi diligentius caueant homines propter quæ semel grauiter fuerunt puniti, id quod exemplis Dauidis ac primorū parentum & aliorum pœnitentium qui graues satisfactionum pœnas subierunt, facilè potest ostendi; atque inter hos ipsius etiam Augustini, vt apud eum videre est lib. 8. Confess. cap. 11. Atque huc pertinet illud eiusdem Augustini in psal. 98. ad versiculum: *Tu propitius fuisti eis & vindicans in omnes adinuentiones eorum*. Non solum, inquit, donans peccata, sed etiam vindicans propicius fuisti. Illi Deus irascitur quem peccantem non flagellat. Nam cui verè propicius est, non solùm donat peccata ne noceant ad futurum seculum, sed etiam castigat, ne semper peccare delectet.

Secunda, quia, vt loquuntur iidem patres, eiusmodi pœnæ medentur peccatorum reliquijs, & viciosos habitus malè viuendo comparatos contrarijs virtutum actionibus tollunt. Hinc satisfactionem veteres sæpe medicinalem esse affirmant. Vnde Cyprianus in serm. de lapsis: Alto vulneri, inquit, diligens & longa medicina non desit. Et iterum: Remedia vitalia quæ de scripturis antistes depromit, assumamus, salutarem medicinam exquiramus. Et Ambrosius ad virginem lapsam. Grandi plagæ alta & prolixa medicina opus est. Idemque lib. 2. de pœnitentia cap. 5. satisfactionis opera etiam emendatoria vocat. Sic & Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 67. de Dauide loquens: Pro quibus, inquit, peccatis cum temporalibus emendationibus vteretur, videbat erga se & manere veniam, & non negligi medicinam. Verùm vt reuera medicinales sint satisfactiones, debent sacerdotes Domini, quemadmodum loco iam citato admonent Tridentini patres, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & conuenientes satisfactiones iniungere. Ob hanc igitur caussam exempli gratia, rapacibus & auaris eleemosynarum largitiones iniungendæ sunt, luxuriosis & gulosis ieiunia, & abstinentiæ, socordibus ac rerum diuinarum negligentibus orationes, superbis exercitia humilitatis, & ita de alijs. Id quod in Pauli verbis obseruare licet, quando Ephes. 4. vult eum qui furabatur, operari manibus, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti, id est, exerceri in opere virtutis priori vicio ex diametro oppositæ. Sic Paula apud Hieronymum in epitaphio loquitur ad hunc modum: Affligendum corpus, quod multis vacauit delicijs, longus risus perpeti compensandus est fletu, mollia linteamina & serica preciosissima asperitate cilicij commutanda &c. Denique ad hanc secundam vtilitatem pertinere videtur quod idem apostolus de flagellis quibus Deus filios suos casti-

A gat, disserens ait Hebr. 12. *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mæroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.*

Tertia, quod, vt Tridentini patres aiunt, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur & conglorificabimur Rom. 8. Nam, vt ait Leo serm. 9. de quadragesima, certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio dominicæ passionis.

B Cæterùm vtilitates iam dictæ communes esse possunt etiam alijs bonis operibus etsi non satisfactorijs. Non enim in supradictis adhuc satisfactionis ratio attenditur.

Quarta igitur vtilitas satisfactioni propria est placatio iræ diuinæ super peccatis commissis, siue relaxatio pœnarum temporalium adhuc debitarum vel etiam pœnæ æternæ iuxta sensum in superioribus explicatum. Ad quem fructum satisfactionis respicit apostolus 2. Corinth. 7. dicens: *Quæ secundum Deum tristicia est, pœnitentiam in salutem stabilem*

C *operatur.* Sed de hac vtilitate, seu proprio vsu satisfactionis, suprà dictum est satis.

Præter hæc autem est & quinta satisfactionis vtilitas, vt ecclesia quæ peccato contristata & scandalizata fuerat, per actionem pœnitentiæ eius qui peccauerat, rursū lætificetur atq; ędificetur. Sed hic satisfactionis vsus, vt nō est præcipuus, quēadmodū præcedenti cap. probatum est, ita nec [illegible]mnem extenditur satisfactionem, sed ad eam tantum quæ publicè agitur pro criminibus item publicè notis. Nam sicut occulta peccata non scandalizant, ita

D nec quæ pro ijs suscipitur occulta satisfactio, communitatem ædificat.

Porrò notanda est ad pleniorem dictorum intelligentiam præter diuisiones satisfactionis initio traditas, alia quędam eiusdem trimembris diuisio. Est enim satisfactio alia à sacerdote iniuncta, alia sponte suscepta, alia denique inflicta & patienter tolerata. Inter quas satisfactiones id discriminis est, quòd secundùm genus suum & per se loquendo, prima secundam, & secunda tertiam vtilitate antecellat; maximè quantum attinet ad vtilitatem satisfactioni propriam quæ est remissio pœnæ. Cuius ratio est quia primi generis sa-

E tisfactio sacramenti pars est, & proinde sacramentaliter valet, ac præterea habet adiunctum quoddam obedientiæ meritum quod non ita est in alijs; secunda verò eo ipso quo sponte suscepta est, magis est voluntaria quàm tertia, vt quæ tantùm passio est pœnæ aliunde illatæ.

§. 15. *Vtrùm satisfactionem absolutio præcedere debeat an sequi.*

F

CIrca ordinem satisfactionis & absolutionis non semper eadem fuit ecclesiæ consuetudo. Nam vetus ecclesia multo tempore eum morem tenuit, vt lapsis & peccatum confessis ac reconciliationem petentibus pœnitentiam seu satisfactionem iniungeret priùs explendam, quàm per absolutionem sacerdotis ad pacem seu reconciliationem pertingerent. S. Thom. 3. q. 90. art. 2. in corp.

Patet id imprimis ex vetustissimo Tertulliano qui in lib. de pœnitentia lapsos nondum reconciliatos,

liatos, sed tamen ad reconciliationem aspirantes, longo sermone hortatur ad condignam satisfactionem priùs subeundam. Idem facit Cyprianus in serm. de lapsis, & passim in epistolis ac nominatim in epist. 2. lib. 1 epist. 2. lib. 4. & epist. 5. lib. 3. Satis quoque id significauit Origenes homilia 12. in Leuit. Vbi requirit pœnitentiam plenissimæ satisfactionis ad hoc vt Christus intret ad animam, id est, Christo tanquam sponso suo anima reconcilietur.

Sed clarissimè id ostendunt verba Leonis 1. in epistola 91. Christus, inquit, hanc præpositis ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.

Hinc Toletani 3. concilij patres veterem morem nonnihil collapsum huiusmodi canone qui numero vndecimus est; renouandum ac retinendum putarunt: Quoniam comperimus per quasdam Hispaniarum ecclesias non secundùm canones, sed fœdissimè pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, vt quoties peccare libuerit, toties à presbyteris se reconciliari expostulent; ideo pro coercenda tam execrabili præsumptione id à sancto concilio iubetur, vt secundùm formam canonum antiquorum detur pœnitentia: hoc est, vt priùs eum quem sui pœnitet facti, à communione suspensum faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebrò recurrere. Expleto autem satisfactionis tempore, sicut sacerdotalia contemplatio probauerit, eum communioni restituat. Hi verò qui ad propria vicia vel intra pœnitentiæ tempus, vel post reconciliationem labuntur, secundùm priorum canonum seueritatem damnentur. Hactenus canon.

Hucquoque spectat quod absolutionis ministros admonens ait Gregorius homil. 26. in euangelia: Videndum quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam. Præter hæc videre licet Innocent. 1. epist. 3. cap. 2. Sozomenum lib. 7. histor. cap. 16. & complura apud Gratianum capitula distinct. de pœnitentia. His adiungi possunt & ea testimonia patrum quibus affirmant satisfactiones pœnitentium valere etiam ad tollendam pœnam æternam. Qua de re suprà egimus. Hoc enim propterea ab eis dicitur, quia satisfactiones ante reconciliationem nondum soluta pœna æterna iuxta illius ecclesiæ morem peragebantur. Nec audiendi sunt qui ex sua potiùs imaginatione quàm ex vlla antiquitate asserunt, etiam olim ecclesiam solere omnes pœnitentes absoluere, antequam satisfactionem subirent, sed absolutione secreta. Postea verò quam pœnitentiam iniunctam exsoluissent, impendi eis solere absolutionem publicam, qua videlicet publicè ad communionem reciperentur. Hanc enim distinctionem nusquam est reperire, imò verba Leonis apertè sonant contrarium.

Cæterùm posterioris temporis ecclesia iustis haud dubiè rationibus mota eum satisfactionis & absolutionis ordinem paulatim immutauit, & absolutionem ijs qui verè pœnitentes viderentur, etiam ante peractam satisfactionem impendit; idque absque præiudicio prioris consuetudinis, quam hac sua posteriori damnare nequaquam intendit.

Rationes autem istius mutationis hæ fuisse videntur. Prima, vt protestaretur ecclesia absolutionem sacerdotis coram Deo valere, nimirum ad soluendam obligationem pœnæ æternæ & non ad

A hoc tantùm, vt externę fidelium societati pœnitens restitueretur.

Secunda, quia non minorem fructum ex hac anticipata absolutione fideles consequerentur, quàm ex dilata, ac fortè etiam maiorem; quandoquidem iam absoluti à reatu æternæ damnationis pro pœnis temporarijs restantibus tantò deinde satisfacerent efficaciùs, quantò opera à filijs & amicis Dei ex charitate facta Deo sunt gratiora, maiorisque apud Deum precij, quàm quæ fiunt ab ijs qui nondum in amicitiâ Dei fuerint recepti: vt non immeritò dicatur, alteram quidem satisfactionem valere tantùm de congruo, alteram autem valere etiam
B de condigno.

Tertia, vt pœnitentes per absolutionem citiùs Deo reconciliati, atque in statum gratiæ restituti, interim in charitate, gratia, & meritis possent proficere.

Verumtamen sciendum hunc posterioris ecclesiæ morem non ita nouiter introductum fuisse, vt non simile aliquid interdum etiam antiquitus factitatum fuerit. Nam qui graui morbo correpti, vel quocunque alio casu de vita periclitabantur, confestim absolui debebant, dilata satisfactione si fortè conualescerent, aut periculum euaderent. At-
C que eò pertinent illa Leonis verba epist. 91. His qui in tempore necessitatis & periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda. Quod ipsum etiam satis insinuat Augustinus in epist. ad Honoratum numero 80. vbi dicit, hostilis irruptionis tempore ac mortis periculo imminente, alios reconciliationem (qui videlicet impositam satisfactionem iam peregerant) alios ipsam pœnitentiæ actionem petere, qui tamen eam ante reconciliationem simul con-
D tinuò dandam explere non potuissent.

Qua de re in concilio Carthaginēsi 4. cui ducenti quatuordecim episcopi & inter eos Augustinus ipse quoque interfuit, ad hūc modum statuit canon 76. Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos inuitatus venit oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dēt testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem & infundatur ori eius eucharistia: si superuixerit, admoneatur à su-
E prà dictis testibus petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu sacerdos qui pœnitentiam dederit, probauerit.

Huic canoni planè consonat Innocentij 1. eiusdem ferè temporis decretum in epist. 3. cap. 2. quod ille his verbis concludit: Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, vt homines huiusmodi vel in supremis suis permittente saluatore nostro à perpetuo exitio vindicentur. Simile quid statuunt canon 14. primi concilij Nicæni & can. 3. primi Arausicani.

Quæ cùm ita sint, colligimus nec antiquæ ec-
F clesiæ consuetudinem nobis improbandam esse, nec eam quæ posteriùs introducta fuit, à praxi veterum fuisse prorsus alienam; & proinde vtramque velut ab vno Dei spiritu qui totum corpus ecclesiæ ab initio vsque ad finem sæculi regit, profectam, pro temporum atque hominum diuersitate conuenienter esse obseruatam; eamque hodie retinendam esse, quam hodie retinet ac probat ecclesia.

Vnde meritò damnatus est in concilio Complutensi sub Sixto 4. hic inter alios Petri Oxomensis articulus, non esse absoluendos pœnitentes,

nisi peracta priùs pœnitentia eis iniuncta. Cui tamen definitioni nequaquam aduersatur, si quis dicat hac exigere iusticiam diuinam, vt semper aliqua saltem satisfactio remissionem culpæ antecedat, nimirum ea quæ consistit in dolore contritionis. Id quod Augustinus in lib. de continentia cap. 6. significasse videtur, cùm dicit, nullum debitū grauioris pœnæ veniam accipere, nisi qualemcunque etsi longè minorem quàm debeat, soluerit pœnam; atque ita tribui à Deo largitate misericordiæ, vt non relinquatur iusticia disciplinæ. Sequitur enim: Nam & peccatum quod multum videtur, habet pedissequam pœnam suam, vt nemo de admisso nisi aut amaritudine doleat, aut carcitare non doleat. Vbi pœnam admissi peccati in ipsa contritionis amaritudine constituit.

§. 16. *An satisfacere quis possit in peccato mortali.*

S. Thom. ... 4. ... Quod quæri solet, vtrùm in peccato mortali quis satisfacere possit, potest tripliciter intelligi, prout tribus modis intelligitur aliquem esse in peccato mortali; scilicet actu, affectu, reatu; actu quidem dum actualiter quis peccatum mortale committit; affectu seu habitu dum peccatum cuius actus præterijt, adhuc habitualiter placet voluntati, reatu dum propter peccatum etsi iam fortè displicet voluntati, reus adhuc quis tenetur æternæ damnationis, vtpote nondum consecutus eius remissionem.

Primum igitur satis constat eum qui actu mortaliter peccat, simul non posse satisfacere Deo pro peccatis, velut si quis ieiunet, vel oret, vel eleemosynam tribuat, principaliter spectans laudem humanam. Neque enim fieri potest, vt quis eodem opere Deum mortaliter offendat simul & placet. Neque omnino quisquam actu inimicitiam cum Deo exercens (quod facit omnis qui mortaliter peccat) potest vel eodem opere vel diuerso iram Dei mitigare satisfaciendo pro pœna debita, vel aliqua eius parte.

At neque satisfacere is potest, qui adhuc in affectu mortalis peccati persistit, vel post absolutionem nondum peracta satisfactione de nouo in peccatum mortale recidit; quia etsi actu iam non peccet mortaliter, voluntatem tamen adhuc retinet habitualiter inimicam & rebellem Deo. Adde quòd satisfactio opus est pœnitētiæ, pœnitentia autem nulla vera est in homine retinēte peccati mortalis affectum. Est enim pœnitentia, vt iam suo loco definiuimus, studium placādi Deum super peccato commisso, ortum ex amore Dei & odio peccati. Vbi & amor Dei super omnia intelligitur, & odium peccati non vnius, sed cuiuscunque quo Deus mortaliter est offensus.

Idem probant scripturæ, Prouerb. 10. *Vniuersa delicta operit charitas*, vel vt apud Petrum citatur 1. epistol. 4 *charitas operit multitudinem peccatorum*, & 1. Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quæ scripturæ non sunt præcisè accipiendæ de charitate quæ filios Dei & hæredes regni constituit, sed de eo affectu seu motu animi quo Deus ita diligitur, vt alijs omnibus præferatur. Nam alioqui non rectè diceretur, *nihil mihi prodest*, cùm sine dubio multum prosit etiam ad salutem fides, oratio, gemitus, lachrymæ eleemosynæ, ieiunia pœnitentis, etsi nondum reconciliati.

Vnde consequenter de tertio membro quid sit dicendum, potest intelligi, nempe cum qui est adhuc in reatu peccati mortalis, si affectum eius deposuerit, sitque per veram pœnitentiam conuersus ad Dominum, posse satisfacere pro peccatis. Cuius probatio ex suprà dictis apertissima est. Nam olim à pœnitentibus exigebatur satisfactio ante reconciliationem. Et patres subinde dicunt pœnitentem satisfacere pro pœna æterna.

Quòd si quis obijciat satisfactionem necessariò præsupponere amicitiam restitutam inter Deum offensum, & hominem qui offendit. Respondeo id absolutè non esse necessarium, sed ad hoc vt quis pro peccatis suis satisfaciat saltem de congruo, sufficere vt per veram pœnitentiam ad Deum conuersus eum summè diligat, eiusque amicitiam quam peccando amisit, dignis pœnitentiæ operibus ambiat & requirat. Hoc autem totum fieri ab eo potest, qui nondum sit in amicitiam receptus. Et quamuis huiusmodi persona nondum simpliciter, id est ad vitam æternam grata sit & accepta Deo; potest tamen & ipsa & opus eius à Dei gratia procedens acceptum esse ad effectum ablationis pœnæ: adeo vt si quis plenè, vt olim fiebat, satisfecerit ante reconciliationem, non sit ab eo postquam fuerit absolutus, vlterior exigenda satisfactio. Quomodo autem satisfacere possit reatu pœnæ æternæ durante, dictum est suprà.

§. 17. *Ad alia quædam argumenta responsio.*

Aduersus eam superioris doctrinæ partem qua dictum est eum satisfacere non posse qui retinet adhuc peccati mortalis affectum, nonnulla solent obijci. *S. Thom. vbi sup.*

Primum. Potest quis existens in tali statu facere opus bonum idemque pœnale, ergo potest satisfacere.

Secundum. Ille satisfacit qui soluit totum quod debetur. Hoc enim est satisfacere; atqui totam pœnam temporalem quæ debetur, soluere potest homo in peccato mortali, ergo & satisfacere.

Tertium. Qui explet totum opus sibi à sacerdote iniunctum satisfacit sacerdoti, nec tenetur illud postea iterare, etiamsi fecerit existens in peccato mortali, ergo & satisfacit Deo cuius sacerdos est vicarius.

Quartum. Qui ieiunat in peccato mortali satisfacit præcepto ecclesiæ, ergo & qui in simili statu pœnam subit ab ecclesia iniunctam, cùm sit vtrobique præceptum ecclesiæ.

Quintum. Olim imponebantur satisfactiones multorum annorum, & quidem ante absolutionem peragendæ, vt suprà diximus. At verisimile est eiusmodi pœnitentes interim subinde fuisse lapsos in peccata mortalia, ergo rara habebatur satisfactio etiam pro eo tempore, quo quis erat in peccato mortali.

Sextum. In peccato mortali potest quis mereri bona temporalia, ergo & temporales pœnas redimere. Probatur autem antecedens per illud Matth. 6. *Receperunt mercedem suam*, & exemplo obstetricum Exodi. 1. De quibus Gregorius lib. 18. Moral. cap. 4. dicit, quod quia vitam æternam nō poterant promereri, meruerint temporalem retributionem. Cuiusmodi sententiæ & alibi leguntur apud veteres.

Septimum. Qui sunt in inferno satisfaciunt di-

pertinet. Cuius ratio manifesta est, quia iustitiæ A
proprium est æqualitatem inter duos constituere,
seu inæqualitatem inter duos exortam ad æquali-
tatem redigere. Neque tamen ad iusticiam vindica-
tiuam propriè pertinet, sed specialem virtutem
constituit, qua nimirum sponte quis pro iniuria
quam alteri intulit, sese castigat vt illum placet, sibi-
que reconciliet. Ita docet S. Thomas in 4. dist.
15. quæst. 1. art. 1. & parte 3. quæst. 85. art. 3. tamet-
si Scotus & Durandus contrarium teneant, putan-
tes satisfactionem hanc non egredi speciem iusticiæ
vindicatiuæ, quorum rationes expendere non est B
huius loci. Sufficit enim præsenti doctrinæ satisfa-
ctionem quę à pœnitente requiritur, non esse
quamcunque pœnę pro iniuria Deo illata debitę
solutionem, sed voluntariam & studio Deum pla-
candi susceptam, quam proinde cum proposito
non peccandi de cętero coniunctam esse oportet.
Alioqui enim nuda vindicta erit, & quæ non tam
satisfactio quàm satispassio dici debeat; cuiusmodi
est supplicium damnatorum in inferno, & in hac
vita eorum qui pro sceleribus suis per iusticiam pu-
blicam puniuntur impœnitentes.

Iuxta sensum iam datum intelligendæ sunt &
hæ descriptiones. Satisfacere est honorem debitum C
Deo impendere, &, satisfactio pœnitentiæ est cau-
sas peccatorum excidere, nec earum suggestioni-
bus aditum indulgere. Quarum priorem tradit
Anselmus lib. Cur Deus homo. Posteriorem Gen-
nadius lib. de ecclesiasticis dogmatibus cap. 54.

Est autem multiplex satisfactionis diuisio. Pri-
mùm enim ita diuidi potest, vt dicamus aliam esse
satisfactionem in pœna, aliam pro pœna. Satisfa-
ctio in pœna est, quando lege fixa & determinata
est pœna quam pro delicto subire oporteat, quo-
modo satisfaciunt qui pro delictis suis pœnas legi-
bus constitutas pendunt; vt cùm homicida gladio D
percutitur, incendiarius comburitur, fur suspendi-
tur. Satisfactio pro pœna est, vbi commutatio
locum habet, ita vt pœnæ eius quam lex præscripsit,
redemptio quædam & compensatio recipiatur; ve-
lut cùm in ciuilibus mulcta pecuniaria, vel vltro-
neum aliquod seruitutis officium ei qui læsus est
præstandum, pro grauiori pœna alioqui debita
iniungitur aut admittitur.

Facit hęc diuisio ad intelligendum discrimen
satisfactionis eius quæ fit in hoc sæculo, & quæ in
futuro. Cùm enim propriè ad futurum sæculum E
pertineat retributio præmiorum & suppliciorum,
quod proinde iudicij tempus esse docet scriptura
Heb. 9. & alibi, quemadmodum & Augustinus an-
notauit enchiridij 66. Quicunque post hanc vitam
pro peccatis puniuntur, temporale supplicium de
manu Dei suscipientes, non illi pro pœna, sed in
pœna satisfaciunt. Hoc enim patiuntur quod iusti-
cia Dei tanquam fixa lege ordinauit patiendum pro
peccatis remissa culpa. Atque hæc satisfactio est a-
nimarum in purgatorio. Verùm si quis tempus il-
lud non exspectet, sed solicitè præueniat, pœnas in
hoc sæculo de seipso exigens iuxta modum aposto- F
lica traditione & ecclesiastica consuetudine proba-
tum; quoniam talem commutationem siue redemp-
tionem pœnæ diuina benignitas recipit, imò & pręę-
cipit ac requirit, cùm monet vt dignos pœnitentiæ
fructus faciamus: illius inquam, qui sic facit, non
iam in pœna sed pro pœna satisfactio est, quia vi-
delicet seipsum hìc punit, vt præparatam in futuro
sæculo pœnam euadat. Tales ergo sunt in hac vita
satisfactiones pœnitentium de quibus nunc agi-
mus.

Alia est diuisio satisfactionis in satisfactionem
imperfectam, sufficientem & absolutam. Imperfecta
ea dicitur quæ nulla rei vel operis æqualitate ni-
titur, sed sola eius qui lęsus est, gratia ac liberalitate.
Sufficiens autem quę nititur ęqualitate quadam, &
exoluit tantum quantum oportuit; ita tamen vt gra-
tiam alterius includat, atque ex ea dependeat, ob
quam causam dici non potest simpliciter & omnino
perfecta. Absoluta verò atque omni modo perfecta
est, in qua & reperitur exacta secundùm iusticiam
æqualitas, & quæ nullius alterius gratiam includit
aut prærequirit, ex qua dependeat.

Igitur satisfactiones pœnitentium si compa-
rentur ad æternum gehennæ supplicium, imper-
fectam dumtaxat satisfactionis rationem obtinent,
vt quæ nullatenus adæquent pœnam illam pro qua
abolenda suscipiuntur. Perfectam enim satisfactio-
nem pro pœna æterna solus Christus patri exhi-
buit, cuius tamen intuitu dignatur pater & illam
suscipere, quam ei ad abolendum pœnæ æternæ
reatum pro modulo suo præstat humana fragilitas.
Huiusmodi autem satisfactiones à fidelibus fieri so-
litas agnoscunt & docent veteres, quorum testi-
monia infrà opportuniùs citabuntur. At verò post
remissam culpam pœnitentium satisfactiones me-
ritò iudicantur sufficientes, & quadantenus per-
fectæ, nimirum comparatę ad pœnam temporalem
quæ remissa culpa restat adhuc luenda; si tamen
fiant iuxta modum & quantitatem criminum,
quemadmodum id exigit ecclesiastica disciplina.
Hoc enim pacto iusta fit compensatio pœnę tem-
poralis pro temporali, pręsertim cùm per reconci-
liationem pœnitentis dignitas quædam operibus
eius accesserit; eò quòd procedant ex charitate per
inhabitantem Dei spiritum, ideoque preciosius
multò iam apud Deum æstimatur quicquid in vin-
dictam peccati suscipitur, quàm quòd ante recon-
ciliationem suscipiebatur, siquidem vt ait Leo,
serm. 4. de collectis, idcirco exigua ista impendia
tanta ęstimari taxatione meruerunt, quia pondera
operum charitatis lance pensantur. Veruntamen
ad huius quoque satisfactionis absolutam perfe-
ctionem aliquid deest. Non enim talis est vt nul-
lius alterius gratiam includat, vel ex ea dependeat
(quę absoluta perfectio in sola Christi satisfactio-
ne reperitur, vtpote prorsus independente) sed vti
declarant patres concilij Tridentini sess. 14. cap. 8.
ea nobis est per Christum Iesum in quo satisfaci-
mus facientes fructus dignos pœnitentię, qui ex illo
vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum
acceptantur à patre.

Obijcies. Pœna purgatorij est longè grauior
& diuturnior quàm satisfactoriæ pœnæ huius sæ-
culi, ergo non est inter eas æqualitas. Respondeo,
est æqualitas quædam licèt non perfecta. Est enim
talis æqualitas qualis requiri solet inter satisfactio-
nem pro pœna & ipsam pœnam, idque seruata iu-
sta proportione. Et notandum, quod in satisfactio-
ne nostra multa sint ex quibus inæqualitas quæ est
ex parte grauitatis & diuturnitatis cópensetur. Pri-
mò, quòd fiant in hoc sæculo quod est sęculum mi-
sericordię non iudicij, cùm pœna purgatoria perti-
neat ad futurum sęculum quod est iudicij. Secundò
quòd sponte suscipiantur, quia homo saltem sponte
adit sacerdotem petens ab eo sibi iniungi pœniten-
tiam, at pœnę purgatorię licèt patienter ferantur,
non tamen sponte suscipiuntur. Tertiò quia ho-
mo in hoc sæculo pręuenit iudicium Dei, vindi-
ctam in seipsum exercens & non expectans iudiciũ
iuxta illud: *Si nosipsos iudicaremus &c.* Quartò

quia

quia opera satisfactoria in hoc sæculo multiplicem habent vtilitatem, quia carnem castigant, cautiorem reddunt contra peccatum, ædificant ecclesiam, iuuant proximos, vt eleemosynæ & alia misericordiæ opera, nihil autem horum facit satisfactio quæ est in purgatorio.

Diuidi prętere a solet satisfactio in publicam & priuatam. Sicut enim pro publicis criminibus publica, ita pro secretis ac priuatis priuata satisfactio suscipi debet, quemadmodum disertè docent, Prosper lib. 2. de vita contemplatiua cap. 7. & Gennadius lib. de ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. Eandem satisfaciendi diuersitatem tradit Cyprianus serm. 5. de lapsis docens non modò sacrilegium opere perpetratum, verùm etiam animo solo conceptum aboleri debere congrua satisfactione, non tamen publica sed priuata. Quin & ex ijs quæ ad superiorem distinctionem de multiplici actione pœnitentiæ diximus, satis intelligi potest hæc satisfactionis diuisio.

His denique accedit ea diuisio, qua in orationem, ieiunium & eleemosynam diuidi solet tanquam in partes præcipuas, & ad quas cætera omnia satisfactionum opera facilè possunt reuocari. De quibus agemus suo loco.

§. 10. *Quandam esse pœnitentium satisfactionem pro pœna æterna.*

S. Thom. opp. 9. 14. & 4. 51.

PRo maiori declaratione dictorum paulò pleniùs nunc probandũ est, quod diximus opera pœnitentium ante reconciliationem facta habere nonnullum rationem satisfactionis respectu pœnæ æternæ, tametsi valde imperfectam, eò quòd nullatenus pœnam illam adæquare possint, cùm hæc pœna sit tam duratione quàm pondere seu precij dignitate finita, illa verò infinita.

Primùm autem id probatur ex eo quòd olim vel ordinariè, vel saltem sæpenumero satisfactiones iniungebantur persoluendæ priusquam absolutionis beneficium pœnitentibus impenderetur, tametsi eam consuetudinem posterior ecclesia iusta ratione mutauerit. Cùm enim peccator eiusmodi satisfactiones subiens adhuc debitor esset mortis æternæ, vtpote nondum à culpa absolutus, consentaneum est illas & iniunctas & susceptas fuisse pro abolitione pœnæ.

Nam & veteres interdum expressè ita loquuntur. Quorum è numero Tertullianus in lib. de pœnitentia, dicit inter alia; Temporali afflictione pœnitentis æterna supplicia expungi, & peccatorem macerari atque excruciari pœnitentiæ operibus, ne in æternum pereat.

Ambrosius ad Virginem lapsam quam ad satisfactionem hortatur, ita scribit: Peccator si sibi non pepercerit, à Deo illi parcitur, & si pœnas futuras gehennæ perpetuas in hoc paruo vitę spacio compensauerit, seipsum ab æterno iudicio liberat. Idem scribens in psalm. 37. ait: Qui pœnitentiam agit, offerre se debet ad pœnam, vt hic puniatur à Domino, non ad supplicia æterna seruetur. Et lib. 5. hexameron cap. vltimo. Soluamus, inquit, pijs fletibus culpam. Similiter in hymno laudum matutinarum: *Fletuque culpa soluitur.* Et lib. 1. de pœnitentia cap. 4. Deus expectat gemitus nostros sed temporales, vt remittat perpetuos.

Chrysostomus homil. 6. in 2. Timoth. 2. Vide, inquit, quanta sit Dei clementia, non tibi dedit vt temporalem mortem, sed æternam redimere posis. Similiter loquitur homil. 38. in Ioan. & hom. 1. in epistolam ad Heb.

Leo serm. 2. de collectis dicit culpas contractas eleemosynis deleri, & serm. 4. peccatorem per opera pietatis in proximos à sententia damnationis liberari. Apertiùs autem serm. 5. sic loquitur: Eleemosynæ peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt. Idem serm. 4. de quadragesima dicit culpas pijs operibus redimi.

Prosper lib. 2. de vita contemplat. cap. 7. de ijs qui occultorum criminum rei sunt, ita scribit: Quod si & ipsi iudices fiant, & veluti suæ iniquitatis vltores, hic in se voluntariam pœnam seuerissimæ animaduersionis exerceant; temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lachrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia. Huiusmodi porrò sententiæ & aliàs occurrunt apud veteres, quibus consonat id quod in quadam collecta quadragesimę orat ecclesia, vt peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potiùs maceremur quàm supplicijs deputemur æternis.

Scripturæ quoque generaliter opera pœnitentiæ pro peccatis exigentes, satis innuunt etiam ad abolendam pœnam æternam ea quodam modo valere, vt illud Matth. 3. & Luc. 3. *Quis demonstrauit vobis fugere a ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Quo loco per venturam iram haud dubiè supplicium gehennæ intellexit baptista, quod & paulò post expressiùs insinuauit, cùm diceret omnem arborem infructuosam mittendam in ignem, paleam congregato in horreum tritico comburendam igni inextinguibili.

Tale est & illud apostoli 1. Corinth. 11. *Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Temporalis enim illa correptio toleranter & voluntariè suscepta satisfactio quædam est, eò spectans iuxta apostolum, vt effugiatur impiorum quos mundi nomine significat, communis damnatio.

Huc denique referri possunt omnia ea scripturæ & patrum testimonia, quæ pijs pœnitentium operibus aliquam meriti rationem asscribũt respectu remissionis peccatorum seu iustificationis. Quibus testimonijs recensendis cùm sint plurima non est nunc immorandum. Si enim aliqua ratio meriti in talibus operibus reperitur respectu solutionis pœnæ æternæ, nihil vetat in ijsdem maximè si pœnalia sunt, eiusdem solutionis respectu aliquam reperiri saltem imperfectam rationem satisfactionis.

Quin etiam aliquo sensu satisfactionis opera quæ absolutionem consequuntur, faciunt ad tollendam obligationem pœnæ æternę, quia nimirum eiusmodi satisfactio fit pro pœna temporali, in quam per absolutionem sacerdotis commutata erat pœna æterna. Quod enim satisfactio etiam subsequens absolutionem aliquo modo respicere debeat pœnam æternam, ex eo patet; quia & ipsa est pars sacramenti pœnitentię instituti ad soluenda vincula mortis ęternę, & absolutio datur non tantùm intuitu contritionis & confessionis verùm etiam satisfactionis factę vel faciendę. Cùm igitur pœnitentem absoluat sacerdos à pœna æterna, consequens est etiam satisfactionem in suo genere atque ordine ad eum effectum valere, sicut contritionem & confessionem, licèt non omnino æqualiter.

Nec obstat quòd patres Tridentini concilij sess. 6. cap. 14. dicunt satisfactionis opera fieri non

pro pœna æterna, sed pro temporali tantùm. Clarum est enim eos loqui de satisfactione quæ remissionem culpæ sequitur. Quæ quidem satisfactio non simpliciter, sed modo ac sensu iam explicato dicenda est valere, seu cooperari ad remouendam pœnam æternam, sicut & ad culpæ remissionem.

Sed quæret aliquis. Cùm Christus exactè satisfecerit pro pœna æterna, nec diuina iusticia secundò exigat solutionem pro debito semel perfectè soluto, quomodo intelligendum sit nos quoque pro ea satisfacere. Cui respondetur satisfactionem Christi per se sufficientissimam esse ad tollendam omnem pœnam æternam & temporalem: sed diuinitus sic ordinatum, vt illa nobis non applicetur ne quidem ad solutionem æternę pœnæ, nisi & ipsi per opera quædam pœnalia Christo compatiamur; quæ tamen nòn nisi imperfectæ cuiusdam satisfactionis rationem habeant ad æternitatem supplicij gehennæ comparata: quia nimirum sunt conditiones quædam pœnales ex parte nostra requisitæ, ad hoc vt passio & mors Christi tanquam plenissima satisfactio nobis ad soluendum reatum pœnæ ęternę applicetur.

§. 11. *Satisfactionis opera pro peccatis esse necessaria.*

S. Thom. supp. q. 14. per totum.

PLeniùs nunc probandum est satisfactionem, quam suprà ostendimus esse tertiam pœnitentię partem, vel omnino satisfactionis opera quæcunque à peccatoribus exigi, iuxta diuinę legis institutionem.

Imprimis igitur vt à scriptura sumamus exordium, ad satisfactionem spectant digni pœnitentiæ fructus quos Baptista requirit ab ijs quibus pœnitentiam prędicabat dicens: *Quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentia*, Matt. 3. & Lucæ 3. Quomodo etiam Paulus apostolus Act. 26. loquitur dicens: *Iudæis & gentibus annunciabam vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum digna pœnitentiæ opera facientes.* Per hoc enim quod dicitur, digna pœnitentiæ opera, seu fructus, profectò quędam ęqualitas iudicatur inter ipsa pœnitentiæ opera & pœnas debitas, idque vel secundùm rigorem iusticiæ vel saltem secundùm benignam acceptationem Dei.

Eandem prorsus vim habet redimendi vocabulum quo scriptura ad significandas pœnitentium satisfactiones vtitur, vt Danielis 4. *peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Et illud Prouerbiorum 16. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas.* Et item Prouerb. 13. *Redemptio animæ viri diuitiæ sua*, iuxta expositionem Bedæ in eum locum, & Augustini serm. 112. de tempore. Siquidem redemptio satisfactionem, seu pretij solutionem necessariò includit.

Similis probatio est ex vocabulo vindicandi, quo vtitur apostolus 2. Corinth. 7. ita scribens: *Ecce enim hoc ipsum secundùm Deum contristari vos quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed vindictam*, id est, castigationem peccati. Eam autem nomine iudicij significauit in priore epist. cap. 11. dicens: *Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur*, id est, si peccatorum nostrorum vindictam ipsi à nobis exigeremus, non eam postea exigeret Deus. Sic Ezechiel 18. & 33. ab impio agente pœnitentiam requirit, vt faciat iudicium, & iusticiam.

Præterea idem probatur ex potestate apostolis

A & eorum successoribus data Matth. 18. *Quæcunque ligaueritis &c.* & Ioan. 20. *Quorum retinueritis peccata &c.* Etenim claues regni cælorum non ad soluendum tantùm, verùm etiam ad ligandum sacerdotibus esse concessas, illa Christi verba significant. Ligant autem sacerdotes eos qui peccauerunt, & eorum retinent peccata, dum satisfactionum vincula ijs inijciunt & pœnas iniungunt. Ad quas proinde subeundas tenentur pœnitentes.

Pertinent huc denique scripturæ quæcunque à peccatoribus prętet conuersionem mentis & nouitatem B vitæ exigunt pœnitentiæ, id est, satisfactionis opera, cuiusmodi sunt ieiunium, luctus, fletus, planctus, cilicium & cinis; vel quęcunque alia quibus homines se affligere, ac de se vindictam malè actorum exigere solent, vt Ioel 2. Ionæ 3. Ieremię 3. 18. & 25. Isaię 3. Ecclesiastici 17. Matth. 11. Luc. 10. Iob vlt. 2. Corint. 12. Iacobi 4. & alibi.

Qnoniam autem aduersarij grauiter insectantur nomen satisfactionis tanquam & Christo iniurium & recens introductum, ostendendum est, quàm & vocabulum ipsum & res ipsa priscis patribus non fuerit insueta nec incognita & omnino quam de necessitate satisfactionis sententiam te- C nuerint.

Tertullianus in lib. de pœnitētia frequenter satisfactionis meminit, atque ita scribit inter alia cap. 8. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ. Et mox cap. 9. Delictum nostrum Domino confitemur, non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur. &c. Et post multa quibus ad varia pœnitentiæ opera hortatur, ait: Intolerandum scilicet pudori Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari. Idem in lib. de baptismo. De præteritis, inquit, satisfacimus conflictione carnis & D spiritus.

Cypriaous sermone 5. de lapsis sic eos ad satisfactionem hortatur: Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc qui delinquit in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. Conuertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur, illi se anima prosternat, illi mœsticia satisfaciat, illi spes omnis incumbat. Et paucis interpositis. Ecce peiora ad- E huc peccandi vulnera, ecce maiora delicta, peccasse nec satisfacere, deliquisse nec delicta deflere. Et rursum post alia, vbi eos grauiter reprehendit, qui cùm fidem in persecutione negassent, satisfacere detractabant. Qui, inquit, pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt. Et infrà: Pœnitentia crimine minor non sit: orare oportet impensiùs, diem luctu transigere, vigilijs noctes ac fletibus insomnes ducere &c. Et rursum: Rogandus est Deus & satisfactione nostra placandus, delicta nostra reputanda. Et paulò pòst: Nec cessemus in agenda pœnitentia, atque in Domini misericordia F deprecanda, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur. Et post longam exhortationem in qua dixerat Deum moueri satisfactionibus nostris, eiusque iram & indignantis offensam iusta deprecatione placari, subiungit tandem: Qui si sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus & adiutus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam faciet ecclesiam; nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam. Hæc Cyprianus

apud

apud quem similia leges lib. 1. epist. 3. & lib. 3. epist. 4. 8 & 14. & lib. 4. epist. 2. & 4. sed & in sermone de eleemosyna clarissimè docet & ex scriptoris probat operibus iustis Deo satisfieri pro peccatis.

Ambrosius virginem lapsam exhortans ad pœnitentiam inter multa sic ait: Tu proprij facti iudex esto crudelior, lugubris tibi accipienda est vestis, mens & membra singula digna castigatione punienda &c. Deinde sequitur: Talis actio pœnitentiæ, si fuerit perseuerans, audebit sperare etsi non gloriam (intellige virginitati debitam) certè pœnæ euacuationem. Deinde post verba superiori cap. recitata sequitur: Grandi plagæ alta & prolixa medicina opus est, grande scelus grandem habet necessitatem satisfactionem. Idem lib. 7. in Lucam cap. 59. Sicut, inquit, qui pecuniam soluunt, debitum reddunt, nec priùs euacuatur fœnoris nomen quàm totius sortis ad nummum vsque quocunque solutionis genere quantitas vniuersa soluatur: sic compensatione charitatis, actuumque reliquorum vel satisfactione quacunque peccati pœna dissoluitur. Et lib. 2. de Abel & Cain cap. 3. crimina inquit, bonis operibus, fideique precio & miseratione redimamus. Legantur eiusdem libri de pœnitentia, ac nominatim locus lib. 2. c. 5.

Ambrosio vetustior Pacianus qui contra Nouatianos diligenter scripsit, in lib. de pœnitentia & confessione post multam exhortationem ad satisfactionis opera sic ait: In quantum pœnæ vestræ non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet; ecce promitto, si ad patrem vestrum vera satisfactione redeatis, nihil vlterius errando ac dicendo: Peccauimus in conspectu tuo pater, iam non sumus digni nomine filiorum, continuò de vobis & pecus illud recedet immundum & siliquarum esca deformis. Similia habet in epist. 3. ad Symphronianum.

Hieronymus commentario in Malach. Qui peccator est, inquit, & quem propria conscientia mordet, cilicio pœnitentiæ accingatur, & plangat tam sua delicta quàm populi, atque iterum ingrediatur ecclesiam, de qua fuerat eiectus; & cubet in sacco, vt prætéritas delicias per quas Deū offenderat, vitæ austeritate compenset. Idem in epitaphio Paulæ epist. 27. ex eius pœnitentis persona dicit inter alia longum risum perpeti fletu compensandum esse. Hoc autem compensationis vocabulum patribus in hac materia satis familiare significat ipsam satisfactionem. Confirmat item hanc doctrinam quæ apud eundem leguntur epist. 30. ad Oceanum de pœnitentia Fabiolæ & 48. ad Sabinianum diaconum.

Augustini quoque clarissima est de satisfactione sententia pluribus locis. Nam in homil. 5. & 15. sic habet: Non sufficit mores in melius commutare & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis &c. Et enchiridij 70. Deus, inquit, miserando delet iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur. Et eiusdem libri cap. 65. 67. & 71. idem docet. Ac rursum scribens in psal. 50. ad versiculum: *Ecce enim veritatem dilexisti*, dicit Deum ignoscere sed seipsum punienti. Ita enim inquit, seruatur misericordia & veritas; misericordia, qua homo liberatur; veritas quia peccatum punitur. Et in psal. 130. dicit Dauidem volentem satisfacere Deo pro peccatis suis, vt acciperet indulgentiam peccatorum, obtulisse & sacrificium cordis humiliati. Lib. de continentia cap. 6.

A sic generaliter pronunciat: Nullus debitæ grauioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcunque etsi longè minorem quàm debeat, soluerit pœnam. Eadem eius doctrina est in epist. 54. & serm. 3. de diuersis vbi testatur eum quem veraciter pœnitet, in se punire ac vindicare peccatum, ne illud puniat aut vindicet Deus, & lib. 5. de ciuit. Dei cap. 26. vbi agit de satisfactione Theodosij imperatoris.

Gregorius homil. 34. in euangelia: Cogitandum est, inquit, summopere vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat. Et scribens in psalmum 5. pœnitentialem, dicit peccatorem iniquitatis gaudia satisfactionis doloribus compensare. Et in expositione 1. Reg. 9. docet aliam Christi redemptoris propriam, aliam fidelium pœnitentium communem esse satisfactionem. Eundem vide homil. 20. in euangelia. Et parte 3. curæ pastoralis admonitione 31. dicit admonendos eos qui peccata quidem deserunt, non tamen plangunt, ne iam relaxatas æstimant culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim, inquit, scriptor si à scriptione cessauerit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat, deleuit; nec debitor absolutus est, quia alia non multiplicat, nisi & illa quæ ligauerat, soluat: ita & cùm Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas dileximus, è contrario appositis lamentis insequamur &c. Quæ sanè ostendunt quàm falsum sit illud Lutheri: Optima pœnitentia noua vita. Denique probat ex pœnitentia baptismi argumento à minori citans illud Petri Act. 2. *Agite pænitentiam & baptizetur vnusquisque vestrum.*

Ne autem omnium verba recitando prolixiores simus, aliorum patrum loca tantùm aliquot annotabimus. Scribunt igitur in eandem sententiam Innocentius I. in epist. ad Decentium cap. 7. Leo I. epist. 91. & 93. disertè satisfactionem exigens à pœnitentibus. Prosper lib. 2. de vita contemplatiua cap. 7. Fulgentius lib. 1. de remissione peccatorum cap. 12. & lib. 2. cap. 15. Bernardus serm. 66. in cantica, Rupertus in illud Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo racha.* Author libri de vera & falsa pœnitentia apud Augustinum cap. 8. Et vt ad Græcos transeamus, eandem doctrinam luculentè tradiderunt Origenes homil. 2. in Leuit. Eusebius lib. 5. histor. eccles. cap. 28. Nazianzenus oratione in sancta lumina, Epiphan. lib. 2. hæresi 59. quæ est Catharorum seu Nouatianorum, & in oratione quam scripsit de fide catholica, Chrysostomus homilia 11. in 2. Corinth. 5. & homil. 80. ad populum Antiochenum. Quibus adde loca superiori capite citata. Item Eusebij Emisseni titulo homil. 5. & 10. ad monachos, Theodoretus in epitome diuinorum decretorum cap. de pœnitentia, Damascenus lib. 4. de orthodoxa fide cap. 10. vbi propter satisfactionem dixit pœnitentiam esse laboriosum quoddam baptisma.

His adiungere licet canones & decreta quæ congruas satisfactiones peccatis præscribunt, vt concilij Carthaginensis 3. canon. 31. Carthaginensis 4. canon 74. Concilij Africani canon 9. & Cabilonensis canon 34. & 38. Et quæ præterea à Gratiano collecta sunt 26. q. 7. & de consecrat. dist. 4. de pœnitentia dist. 3.

Ex quibus omnibus colligitur, quanta sit authoritate fundata ecclesiæ doctrina de satisfactionibus pœnitentium, & earum necessitate, vt me-

ritò patres Tridentini concilij sess. 14. cap. 8. cui titulus est de satisfactionis necessitate & fructu, hanc catholicam doctrinam confirmarint, & eiusdem sess. can. 12. 13. 14. & 15. anathema dixerint in eos, qui vel satisfactionem pœnitentium non aliam esse censent quàm fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, vel dicunt pro peccatis quoad pœnam temporalé minimè Deo à pœnitentibus satisfieri, vel satisfactiones quibus pœnitentes peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed hominum traditiones; vel denique claues ecclesiæ datas esse tantùm ad soluendum, non etiam ad ligandum.

Porrò si quis hanc doctrinam ratione sibi velit persuaderi, respondebimus pro ratione sufficere diuinam institutionem, quæ tamen non potest non esse maximè rationabilis. Vnde & patres Tridentini cap. 8. iam citato graues aliquot rationes indicant, ob quas à pœnitentibus etiam culpa remissa Deus adhuc exigat satisfactionem. Quas non necesse est hîc recensere.

Porrò nonnulli satisfactionis necessitaté probant ex necessitate confessionis, & existimant eos qui satisfactionem negant necessariam, continuò & confessionis necessitatem tollere, eò quòd peccatorum confessio non ob aliud sit necessaria, nisi quia sacerdotes sunt iudices qui cognita & æstimata peccatorum qualitate, debent de ijs ferre sententiam, iniungendo pro ijs salutares & conuenientes satisfactiones. Quod argumentum vtrùm planè conuincat, expendant studiosi. Certè apud hæreticos qui & ipsam confessionem necessariam negant, nihil habet momenti.

§. 12. *Ad obiectiones aduersariorum responsio.*

S. Thom. vbi sup.

QVæ contra superiorem ecclesiæ de satisfactione doctrinam ab aduersarijs adferri solent, partim eadem sunt cum ijs, quæ probare videntur remissa culpa nullam vnquam restare pœnam luendam, ad quæ iam antè respondimus, partim ab ijs diuersa & propria sunt argumenta, quibus nunc est respondendum.

Primo dicunt impossibile esse vt homo Deo satisfaciat pro peccato, tum quia offensa Dei ratione obiecti est infinita, homo autem & omne opus hominis finitum, quod proinde nequit adæquare offensam Dei; tum quia nihil potest homo Deo offerre quod ei non debeat saltem ratione creationis; satisfactio autem per opus aliàs indebitum fieri debet: tum denique quia quotidie peccatur, & sæpius quidem etiam à iustis hominibus, ita vt dum pro vno peccato conantur satisfacere, mox alia plura de nouo subrepant.

Secundò argumentantur. Christus plenissimè satisfecit pro culpa & pœna (quemadmodum locus Isaiæ 53. apertè monstrat, & à nobis probatum est ad dist. 19. lib. 3.) ergo absque iniuria satisfactionis Christi non potest statui nostra satisfactio; præsertim cùm Deus non puniat bis in idipsum teste propheta Naum cap. 1. secundùm septuaginta, cuius loco nos habemus: *Non consurget duplex tribulatio*, & lex naturæ dictet iniustum esse, vt debitum plenè solutum iterum exigatur. Quare cùm peccatum plenè & abunde quoad culpam & pœnam sit in Christo punitum, & in eius sanguine expiatum, ingratus est Christo & Deo iniusticiam tribuit, qui docet adhuc ab homine exigi pro peccato satisfactionem.

A Tertiò. Christus & apostoli nusquam leguntur vllas satisfactiones pœnitentibus iniunxisse.

Quartò. In sacrificijs alijsque ceremonijs veteris legis non est figurata alia satisfactio, præterquam satisfactio Christi in cruce per sanguinem & mortem eius.

Quintò. Remissio peccatorum est merè gratuita, iuxta illud apostoli Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu &c.* ergo pro ea nihil soluendum, ne quidem quantum ad pœnam. Nam alioqui non omnino gratis haberetur peccatorum remissio.

B Sextò. Si homo aliqua ex parte satisfaceret pro peccatis suis, nimirum quoad pœnam, iam esset aliqua parte suus redemptor, quod videtur absurdum & copiosæ redemptioni Christi iniuriosum.

Septimò. Ambrosius lib. 10. in Luc. cap. 13. & serm. 46. de pœnitentia, satisfactionem excludere videtur his verbis: Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego. Quod idem inuenitur apud Maximum homil. 3. de pœnitentia.

Octauò. Theophylactus in illud apostoli Ephes. 4. *Qui furabatur, iam non furetur*, ita scribit: Non dixit apostolus: Puniatur qui furtum committit, C sed à malo deficiat. Punire namque est fori iudiciarij, dehortari à vicijs Christi doctrinæ est. Sic ille. Et hæc ferè præcipua sunt quæ contra satisfactionis doctrinam à sectarijs proferri & inculcari solent. Ad quæ breuiter respondemus.

Ad primum quidem nequaquam impossibile esse homini à gratia Christi præuento satisfacere pro pœnis post remissam culpam restantibus. Neque enim, vt patres Tridentini loquuntur sess. 14. cap. 8. ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exoluimus, vt non sit per Christũ D Iesum. Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo vnde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est; in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre. Hæc ibi. Igitur ad primam probationem respondetur opera bona quæ fiunt ab homine reconciliato per spiritum Dei inhabitantem, ab eodem spiritu accipere quandam E infinitatis rationem, vt quemadmodum de condigno sunt vitæ æternæ meritoria, ita etiam in quantum pœnalia sunt, de condigno satisfactoria sint pro pœna restante.

Ad secundam verò, quod quamuis Deus iure creationis & summi dominij possit ab homine exigere omnia quæcunque ab eo fieri possunt, pro sua tamen erga creaturam bonitate & clementia, non omnia omnino exigit, sed certa quædam secũdùm leges ei præscriptas. Quo fit, vt homo possit etiam quædam facere alioqui indebita, vtpote ad ea facienda nulla Dei lege constrictus, præsertim in F quantum pœnalia sunt, per quæ proinde satisfacere poterit.

Ad tertiam probationem dicimus, quia quotidie peccatur, quotidiana quadam opus esse satisfactione. Ad quam imprimis pertinet oratio dominica, in qua dicimus: *Dimitte nobis debita nostra &c.* Vnde August. enchiridij 71. De quotidianis, inquit, breuibus, leuibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Et in epist. 108. Pœnitentia fidelium & humilium christianorum est pœna quotidiana in

qua

qua pectora contundimus dicentes: *Dimitte nobis* A *debita nostra &c.* Nec tantùm orate pro quotidianis delictis debemus, sed & eleemosynam facere, vt idem Augustinus asserit in sermone quodam de oratione dominica. Et post eum Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 41. vtrumque remedium coniunxit dicens: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, sine peccato hîc neminem viuere posse, semperque omni homini esse necessarium & peccata sua vsque in finem vitæ præsentis eleemosynis diluere, & remissionem à Deo humiliter ac veraciter postulare. Quid autem & quantum homini præstent hæc quotidiana satisfaciendi remedia, rursum B Augustinus tradit epist. 89. his verbis: Qui misericordia Dei adiutus & gratia se ab eis peccatis abstinuerit, quæ etiam crimina vocantur, atque illa peccata sine quibus hîc non viuitur, mundare operibus misericordiæ & pijs orationibus non neglexerit; merebitur hinc exire sine peccato, quamuis cùm hîc viueret, habuerit nonnulla peccata: quia sicut ista non defuerunt, ita etiam remedia quibus purgarentur, adfuerunt. Sic ille, apud quem similis omnino locus est lib. de natura & gratia cap. 35.

Ad secundum argumentum respondemus, nec C satisfactiones quæ fiunt remissa culpa, nec eas quæ fiebant olim ante remissam culpam pro remissione pœnæ æternæ (de quibus tamen magis videri poterat) quicquam derogare perfectissimæ satisfactioni Christi, & his quidem iam suprà quid sit respondendum, diximus; de illis verò nunc respondetur, Christum plenissimè quidem satisfecisse pro culpis & pœnis totius generis humani quoad sufficientiam, non autem quoad efficientiam. Neque enim omnes à culpis & pœnis liberantur, eò quòd precium sanguinis Christi non omnibus ap- D plicetur. Sicut ergo precium illud quamuis per se sufficiens, non applicatur impœnitentibus ad remissionem culpæ, & proinde nec vllius pœnæ; ita idipsum pœnitentibus non semper applicatur ad abolitionem totius pœnæ, sed iusticia Dei plærumque remissa culpa pœnam adhuc reseruat & exigit temporalem; nisi pro ea homo ipse voluntaria sui punitione satisfaciat, atq; hoc pacto Christo compatiens ei conformis efficiatur, quod tamen ipsum, vt ab homine fieri & præstari possit, totum descendit ex merito passionis & satisfactionis Christi, quemadmodum suprà citata concilij Tridentini E verba perspicuè declarant, & alibi quoque à nobis explicatum est dist. 19. lib. 3. Et ad hoc significandum S. Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain cap. 3. cù dixisset: Crimina nostra bonis operibus, fideique precio & miseratione redimamus, continuò subiunxit: Precium nostrum sanguis est Christi, ne scilicet aliunde quàm ex merito passiònis Christi putaremus nostras satisfactiones valere. Quod autem ad sententiam propheticam attinet, illius hic germanus est sensus: Dominus consummationem faciet, id est, peccatores sic vna tribulatione disperdet, & consumet, vt altera tribulatione non sit opus. Loquitur enim de tribulatione temporali. F Quamquam & verum est, eos quos semel plenè Deus à debitis peccatorum absoluerit, non iterum propter eadē esse puniendos. Sed vt diximus, passio Christi sicut impœnitentibus ad nullam remissionem applicatur, quos proinde nemo dixerit puniri bis in idipsum, cùm in inferno pœnas æternas peccatis suis debitas luunt; ita pœnitentibus non applicatur semper ad plenam remissionem pœnæ. Inquantum autem applicatur, in tantum pœnitens à pœna liberatur.

Ad tertium respondetur imprimis non omnia scripta esse quæ Christus & apostoli fecerunt. Deinde suprà ostensum est, potestatem iniungendi satisfactiones à Christo datam sacerdotibus eo ipso quo illis potestatem dedit ligandi & retinendi. Ac fortasse non decuit, vt hac potestate Christus per se vteretur, ne per hoc putaretur non esse satis potens ad remittendum culpam simul & pœnam. Per apostolos autem eum id fecisse, non est dubium. Paulus enim 1. Corinth. 5. in nomine Domini Iesu Christi, vt ipse loquitur, Corinthium illum incęstuosum censet tradendum satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini. Atqui interitus ille secundùm Ambrosium lib. 1. de pœnitentia cap. 17. non consummatam carnis absumptionem, sed castigationem, & secundùm Pacianum epist. 3. ad Symproniamum carnis angustias & detrimenta membrorum significat. Hieronymus quoque in Galat. 5. & Augustinus lib. contra Adimantum cap. 17. cum apostoli locum ad pœnitentiæ labores & molestias retulerunt. Hanc autem apostolicam disciplinā aliunde etiam probare licet, vt 2. Corinth. 2. 7. & 12. Heb. 10. & Act. 8. vbi ab apostolorū principe dicitur Simoni Mago: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequicia tua & roga Deum, si fortè remittatur &c.*

Ad quartum respondetur in lege non tantùm fuisse sacrificia quibus vnicum Christi sacrificium prænunciaretur, verùm etiam institutum expiationis diem Leuit. 16. & 23. quo populus iubebatur animas suas affligere religione perpetua, vt mūdaretur à peccatis, Deumque sibi redderet propicium. Quæ afflictio ieiunijs & orationibus fieri solita, satisfactio erat pro peccatis; sicut & eleemosyna, quam qui sacrificium obtulissent, iubebantur dare pauperi, vt est Deuteron. 15. & Ecclesiastici 7. Adde quòd ipsa legis sacrificia non solùm adumbrabant Christi sacrificium, verùm etiam, tametsi secundariò tantùm, significabant spiritualia fideliū sacrificia, id est, opera bona; in quibus sunt & satisfactiones, vti Augustinus docet lib. 10. de ciuit. cap. 5. & Cyrillus lib. 9. & 10. contra Iulianum.

Ad quintum. Iustificatio & peccatorum remissio merè gratuita est, tum quia Deus per gratiam suam præuenit hominem à se auersum, & nihil in seipso habentem cuius intuitu eum ad se vocet, & initium bonæ voluntatis inspiret, tum quia, vt habetur sess. 6. cap. 8. concilij Tridentini, nihil eorum quæ iustificationem seu remissionem peccatorum præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationem promeretur. Cum quo tamen consistit, vt homo iam iustificatus, ac Dei filius effectus per ipsius gratiam condignum aliquod precium offerat pro pœna adhuc restante, vel etiam nondum iustificatus per eandem Christi gratiam aliquid faciat, quod imperfectæ cuiusdam satisfactionis rationem habeat respectu pœnæ æternæ.

Ad sextum. Nihil absurdi est, si dicatur homo per ea opera quæ ex fonte redemptionis Christi procedunt, seipsum aliqua ex parte redimere; nempe quoad pœnas temporales, quum ipsa scriptura sic loquatur Danielis 4. & Prouerb. 10. & 13. & patres ab eo sermone neutiquam abhorreant, vt Augustinus enchiridij 67. & Ambrosius lib. de Elia & ieiunio cap. 20. & serm. 30. & 31 de eleemosynis, & Leo serm. 4. de quadragesima, & S. Laurentius presbyter Nouatiensis in homilia de pœnitentia his verbis: Ex mea me inopia redimo, ex meo me labore perfundo.

Ad septimum. Ambrosius per satisfactionem intelligit excusationem, seu defensionem facti, vt ex contextu loci clarissimum est. In qua significatione non modò frequẽter apud Latinos authores, verùm etiam in sacris literis interdum acceptum repetitur, vt Leuitici 10. Act. 17. & 24.

Ad postremum quoque facilis est responsio. Nam & apostolus cùm dixisset: *Qui furabatur, iam non furetur*, mox subiecit; *magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti*, quod ad satisfactionem pertinet, & commentator eius Theophylactus paulò post verba in argumento posita: Operetur, inquit, bonum, neque id simpliciter, verùm cum labore, vt cõterat corpus quod antea ex torpore mala didicerat, ac impertiat nunc alijs; vbi antehac aliena sublegerat, iamque alijs beneficentiam exhibeat. Quæ verba apertam continent satisfactionis commendationem. Quod ergo dicit Paulum non hoc velle, vt puniatur qui furtum commisit, de punitione loquitur, quæ fit à iudice sæculari secundùm leges ciuiles. Huiusmodi enim punitionem Paulus non exigit, neque ea ad Pauli tribunal aut omnino ad ecclesiasticam iurisdictionem pertinebat.

§. 13. *Satisfactiones antiquitus iniunctæ potiùs respectu Dei quàm Ecclesiæ.*

S. Thom. vbi sup. & q. 28.

PLærique huius temporis hæretici cùm satisfactiones ecclesiasticas prorsus negare & improbare non audeant, vtpote clarissimis totius antiquitatis testimonijs conuicti, proprium earum vsum & institutionis rationem peruertere conantur, docentes eas olim à relapsis exigi solitas, non vt Deus offensus placaretur, eique satisfieret pro pœnis debitis, sed tantùm vt satisfieret ecclesiæ, quatenus videlicet hi qui ecclesiam peccato suo scandalizauerant, tantum præstare debebant, quantum ecclesiæ in quam peccauerant, ad reconciliationem satis videretur. Vnde dicunt ea opera per quæ illud præstabatur, dictas fuisse à patribus satisfactiones respectu ecclesię non Dei. Cui doctrinæ congruentem etiam satisfactionis definitionem hanc excogitarunt: Satisfactio est experimentum ecclesiæ, quo de relapsis redditur certior, an seriò pœnituerint, & cum fructu recipi possint in cœtus publicos. Hoc autem commentum suum probare nituntur ex Cypriano & Augustino, quorum ille in sermone de lapsis dicit, quòd pœnitens peracta satisfactione eam quam nuper contristauerat, lætam faciat ecclesiam. Hic verò Enchiridij 65. cùm de agenda pœnitentia loqueretur, hæc verba subiunxit: Verùm quia plęrumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum noticiam per verba vel quæcunque alia signa procedit, cùm sit coram illo cui dicitur: *Gemitus meus à te non est absconditus*; rectè constituuntur ab ijs qui ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam satis ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata. Sic Augustinus. Cæterùm huius commenti vanitas tum ex scripturis, tum ex testimonijs veterum quæ suprà citauimus, euidentissimè refellitur. Non enim eo tantùm vt ecclesiæ fiat satis, exiguntur digni fructus pœnitentię, sed vt peccator fugiat à ventura ira. Sic Daniel ad auertendam plagam regi Nabuchodonosor à Deo imminentem dixit ei: *Quamobrem rex consilium*
A *meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime, forsitan ignoscet delictis tuis.* Sic & apostolus 1. Corinth. 11. ad hoc valere dicit; si homo iudicet semetipsum, vt non iudicetur à Domino. Et capit. 5. apostolica potestate decernit hominẽ flagitiosum tradi in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.

Christus quoque potestatem soluendi & ligandi sic apostolis tradidit, vt ostenderet in cælo, id est, coram Deo, siue respectu Dei valiturã ac ratam fore non tantùm absolutionem, sed & alligationẽ siue obligationem qua ad certam pœnam subeundam pœnitentes astrictus tenerent.

Denique in sacris literis orationes, ieiunia,
B vigiliæ, eleemosynæ, fletus & planctus, saccus & cinis non ob id præcipuè commendantur, aut pręcipiuntur, vt is qui peccauit apud homines, atque in conspectu ecclesiæ dolorem suum testatum faciat; sed vt apud Deum peccata sua redimat atque extinguat, vt Deum sibi propicium ac placatum reddat, vt flagella iracundiæ eius auertat. Id quod testimonijs Iöelis 1. Ionæ. 3. Tobiæ 4. & 12. Ecclesiastici 29. & alijs prope innumeris ostendere promptum est.

Iam verò apud veteres ecclesiæ scriptores, vbi de agenda pœnitentia tractant, pene nihil frequen-
C tius, quàm vt dicant debere pœnitentes Deo satisfacere, Deum placare, iram Dei auertere & huiusmodi. Probant id loca suprà à nobis citata ex Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Augustino & alijs. Probant etiam manifestiùs ea loca quibus satisfactiones pœnitentium ijdem patres extendunt, & valere dicunt ad remissionem pœnæ æternæ.

Huc accedit, quòd si satisfactionis non alius est vsus, quàm vt ecclesiæ probata ac testata fiat vera pœnitentia eorum qui relapsi fuerint, iam ad nullam tenebitur satisfactionem is qui occultè pecca-
D uerit, vt qui ecclesiam peccato suo non offenderit. Hoc autem manifestè repugnat doctrinæ patrum ac nominatim Cypriani in serm. de lapsis, & Prosperi lib. 2. de vita contemplatiua cap. 7.

Quod autem pro se adferunt aduersarij ex Cypriano & Augustino, prorsus nihil conuincit. Nam Cyprianus dicit quidem lætam fieri ecclesiam pœnitentiæ operibus, quæ fuerat contristata peccatis; non tamen vult hunc esse præcipuum satisfactionis vsũ, vt ecclesiæ fiat satis: sed vt Deus placetur, Deoque satisfiat, quemadmodum totus ille Cypriani
E locus euidenter ostendit, vti & tractatus alius quẽ scripsit de eleemosyna.

Augustinus verò etiam eodem ipso loco actionem pœnitentiæ, hoc est satisfactionem, refert ad spem misericordiæ à Deo consequendæ, & cap. 70. satisfactionem requirit propter delenda peccata. Cæterùm quod dicit: Vt fiat etiam satis ecclesiæ, nullam habet difficultatem, imò magis pro catholica doctrina facit illa sententia. Nam addendo, etiam, apertè profectò significauit Augustinus ante omnia Deo satisfaciendum esse, ac deinde etiam ecclesiæ. Quocirca non est quidem negandum ab
F ijs qui ecclesiam manifestis sceleribus offenderunt, ecclesiæ satisfaciendum esse, vt illa de eorum pœnitentia lætetur, & per eam ædificetur. Verùm tam Augustinus quàm alij patres non hunc, sed eum quem diximus, statuunt præcipuum satisfactionis vsum, nempe vt pro peccatis Deo satisfiat.

§. 14. *Multiplicem esse congruæ satisfactionis vtilitatem.*

S. Thom. supp. q. 12. ar. 3. in corp. & q. 13. & 14.

SAtisfactionis conuenienter iuxta peccati modũ iniunctæ atque susceptæ multiplicem vtilitatem & fructum nobis scriptura & patres commendant. Sunt autem vtilitates hæ partim communes etiam alijs operibus bonis, partim satisfactioni propriæ. Omnes autem ant ferè omnes à patribus concilij Tridentini cap. 8. sess. 14 compendio recitatæ.

Prima vtilitas est quod, vt aiunt patres Tridentini, magnopere à peccato reuocant, & quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt. Ita namque natura comparatum est, vt ab ijs committendis in posterum sibi diligentius caueant homines propter quæ semel grauiter fuerunt puniti, id quod exemplis Dauidis ac primorũ parentum & aliorum pœnitentium qui graues satisfactionum pœnas subierunt, facilè potest ostendi; atque inter hos ipsius etiam Augustini, vt apud eum videre est lib. 8. Confess. cap. 11. Atque huc pertinet illud eiusdem Augustini in psal. 98. ad versiculum: *Tu propitius fuisti eis & vindicans in omnes adinuentiones eorum*. Non solum, inquit, donans peccata, sed etiam vindicans propicius fuisti. Illi Deus irascitur quem peccantem non flagellat. Nam cui verè propicius est, non solùm donat peccata ne noceant ad futurum seculum, sed etiam castigat, ne semper peccare delectet.

Secunda, quia, vt loquuntur iidem patres, eiusmodi pœnæ medentur peccatorum reliquijs, & viciosos habitus malè viuendo comparatos contrarijs virtutum actionibus tollunt. Hinc satisfactionem veteres sæpe medicinalem esse affirmant. Vnde Cyprianus in serm. de lapsis: Alto vulneri, inquit, diligens & longa medicina non desit. Et iterum: Remedia vitalia quæ de scripturis antistes depromit, assumamus, salutarem medicinam exquiramus. Et Ambrosius ad virginem lapsam. Grandi plagæ alta & prolixa medicina opus est. Idemque lib. 2. de pœnitentia cap. 5. satisfactionis opera etiam emendatoria vocat. Sic & Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 67. de Dauide loquens: Pro quibus, inquit, peccatis cum temporalibus emendationibus vteretur, videbat erga se & manere veniam, & non negligi medicinam. Verùm vt reuera medicinales sint satisfactiones, debent sacerdotes Domini, quemadmodum loco iam citato admonent Tridentini patres, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & conuenientes satisfactiones iniungere. Ob hanc igitur causam exempli gratia, rapacibus & auaris eleemosynarum largitiones iniungendæ sunt, luxuriosis & gulosis ieiunia, & abstinentiæ, socordibus ac rerum diuinarum negligentibus orationes, superbis exercitia humilitatis, & ita de alijs. Id quod in Pauli verbis obseruare licet, quando Ephes. 4. vult eum qui furabatur, operari manibus, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti, id est, exerceri in opere virtutis priori vicio ex diametro oppositæ. Sic Paula apud Hieronymum in epitaphio loquitur ad hunc modum: Affligendum corpus, quod multis vacauit delicijs, longus risus perpeti compensandus est fletu, mollia linteamina & serica preciosissima asperitate cilicij commutanda &c. Denique ad hanc secundam vtilitatem pertinere videtur quod idem apostolus de flagellis quibus Deus filios suos casti-

A gat, differens ait Hebr. 12. *omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.*

Tertia, quod, vt Tridentini patres aiunt, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur & conglorificabimur Rom. 8. Nam, vt ait Leo serm. 9. de quadragesima, certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio dominicæ passionis.

B Cæterùm vtilitates iam dictæ communes esse possunt etiam alijs bonis operibus etsi non satisfactorijs. Non enim in supradictis adhuc satisfactionis ratio attenditur.

Quarta igitur vtilitas satisfactioni propria est placatio iræ diuinæ super peccatis commissis, siue relaxatio pœnarum temporalium adhuc debitarum vel etiam pœnæ æternæ iuxta sensum in superioribus explicatum. Ad quem fructum satisfactionis respicit apostolus 2. Corinth. 7. dicens: *Quæ secundum Deum tristicia est, pœnitentiam in salutem stabilem* C *operatur.* Sed de hac vtilitate, seu proprio vsu satisfactionis, suprà dictum est satis.

Præter hæc autem est & quinta satisfactionis vtilitas, vt ecclesia quæ peccato contristata & scandalizata fuerat, per actionem pœnitentiæ eius qui peccauerat, rursũ lætificetur atq; ędificetur. Sed hic satisfactionis vsus, vt nõ est præcipuus, quẽadmodũ præcedenti cap. probatum est, ita nec [illegible] omnem extenditur satisfactionem, sed ad eam tantum quæ publicè agitur pro criminibus item publicè notis. Nam sicut occulta peccata non scandalizant, ita D nec quæ pro ijs suscipitur occulta satisfactio, communitatem ædificat.

Porrò notanda est ad pleniorem dictorum intelligentiam præter diuisiones satisfactionis initio traditas, alia quędam eiusdem trimembris diuisio. Est enim satisfactio alia à sacerdote iniuncta, alia sponte suscepta, alia denique inflicta & patienter tolerata. Inter quas satisfactiones id discriminis est, quòd secundùm genus suum & per se loquendo, prima secundam, & secunda tertiam vtilitate antecellat; maximè quantum attinet ad vtilitatem satisfactioni propriam quæ est remissio pœnæ. Cuius ratio est quia primi generis sa- E tisfactio sacramenti pars est, & proinde sacramentaliter valet, ac præterea habet adiunctum quoddam obedientiæ meritum quod non ita est in alijs; secunda verò eo ipso quo sponte suscepta est, magis est voluntaria quàm tertia, vt quæ tantùm passio est pœnæ aliunde illatæ.

§. 15. *Vtrùm satisfactionem absolutio præcedere debeat an sequi.*

F

CIrca ordinem satisfactionis & absolutionis non semper eadem fuit ecclesiæ consuetudo. Nam vetus ecclesia multo tempore eum morem tenuit, vt lapsis & peccatum confessis ac reconciliationem petentibus pœnitentiam seu satisfactionem iniungeret priùs explendam, quàm per absolutionem sacerdotis ad pacem seu reconciliationem pertingerent.

S. Thom. 3. q. 90. art. 2. corp.

Patet id imprimis ex vetustissimo Tertulliano qui in lib. de pœnitentia lapsos nondum reconci-

liatos,

A nisi peracta priùs pœnitentia eis iniuncta. Cui tamen definitioni nequaquam aduersatur, si quis dicat hac exigere iusticiam diuinam, vt semper aliqua saltem satisfactio remissionem culpæ antecedat, nimirum ea quæ consistit in dolore contritionis. Id quod Augustinus in lib. de continentia cap. 6. significasse videtur, cùm dicit, nullum debitũ grauioris pœnæ veniam accipere, nisi qualemcunque etsi longè minorem quàm debeat, soluerit pœnam; atque ita tribui à Deo largitate misericordiæ, vt non relinquatur iusticia disciplinæ. Sequitur enim: Nam & peccatum quod modium videtur, B habet pedissequam pœnam suam, vt nemo de admisso nisi aut amaritudine doleat, aut excitate non doleat. Vbi pœnam admissi peccati in ipsa contritionis amaritudine constituit.

§. 16. *An satisfacere quis possit in peccato mortali.*

S. Thom. supp. q. 14. per totam.

QVod quæri solet, vtrùm in peccato mortali quis satisfacere possit, potest tripliciter intelligi, prout tribus modis intelligitur aliquem esse in peccato mortali; scilicet actu, affectu, reatu; actu C quidem dum actualiter quis peccatum mortale committit; affectu seu habitu dum peccatum eius actus prætereijt, adhuc habitualiter placet voluntati, reatu dum propter peccatum etsi iam fortè displicet voluntati, reus adhuc quis tenetur æternæ damnationis, vtpote nondum consecutus eius remissionem.

Primum igitur satis constat eum qui actu mortaliter peccat, simul non posse satisfacere Deo pro peccatis, velut si quis ieiunet, vel oret, vel eleemosynam tribuat, principaliter spectans laudem humanam. Neque enim fieri potest, vt quis eodem D opere Deum mortaliter offendat simul & placet. Neque omnino quisquam actu inimicitiam cum Deo exercens (quod facit omnis qui mortaliter peccat) potest vel eodem opere vel diuerso iram Dei mitigare satisfaciendo pro pœna debita, vel aliqua eius parte.

At neque satisfacere is potest, qui adhuc in affectu mortalis peccati persistit, vel post absolutionem nondum peracta satisfactione de nouo in peccatum mortale recidit, quia etsi actu iam non peccet mortaliter, voluntatem tamen adhuc retinet habitualiter inimicam & rebellem Deo. Adde E quòd satisfactio opus est pœnitẽtiæ, pœnitentia autem nulla vera est in homine retinẽte peccati mortalis affectum. Est enim pœnitentia, vt iam suo loco definiuimus, studium placãdi Deum super peccato commisso, ortum ex amore Dei & odio peccati. Vbi & amor Dei super omnia intelligitur, & odium peccati non vnius, sed cuiuscunque quo Deus mortaliter est offensus.

Idem probant scripturæ, Prouerb. 10. *Vniuersa delicta operit charitas*, vel vt apud Petrum citatur 1. epistol. 4 *charitas operit multitudinem peccatorum*, F & 1. Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quæ scripturæ non sunt præcisè accipiendæ de charitate quæ filios Dei & hæredes regni constituit, sed de eo affectu seu motu animi quo Deus ita diligitur, vt alijs omnibus præferatur. Nam alioqui non rectè diceretur, *nihil mihi prodest*, cùm sine dubio multum prosit etiam ad salutem fides, oratio, gemitus, lachrymæ eleemosynæ, ieiunia pœnitentis, etsi nondum reconciliati.

Vnde consequenter de tertio membro quid sit dicendum, potest intelligi, nempe eum qui est adhuc in reatu peccati mortalis, si affectum eius deposuerit, sitque per veram pœnitentiam conuersus ad Dominum, posse satisfacere pro peccatis. Cuius probatio ex suprà dictis apertissima est. Nam olim à pœnitentibus exigebatur satisfactio ante reconciliationem. Et patres subinde dicunt pœnitentem satisfacere pro pœna æterna.

Quòd si quis obijciat satisfactionem necessariò præsupponere amicitiam restitutam inter Deum offensum, & hominem qui offendit. Respondeo id absolutè non esse necessarium, sed ad hoc vt quis pro peccatis suis satisfaciat saltem de congruo, sufficere vt per veram pœnitentiam ad Deum conuersus eum summè diligat, eiusque amicitiam quam peccando amisit, dignis pœnitentiæ operibus ambiat & requirat. Hoc autem totum fieri ab eo potest, qui nondum sit in amicitiam receptus. Et quamuis huiusmodi persona nondum simpliciter, id est ad vitam æternam grata sit & accepta Deo; potest tamen & ipsa & opus eius à Dei gratia procedens acceptum esse ad effectum ablationis pœnæ: adeo vt si quis plenè, vt olim fiebat, satisfecerit ante reconciliationem, non sit ab eo postquam fuerit absolutus, vlterior exigenda satisfactio. Quomodo autem satisfacere possit reatu pœnæ æternę durante, dictum est suprà.

§. 17. *Ad alia quædam argumenta responsio.*

S. Th. in [illegible]

ADuersus eam superioris doctrinæ partem qua dictum est eum satisfacere non posse qui retinet adhuc peccati mortalis affectum, nonnulla solent obijci.

Primum. Potest quis existens in tali statu facere opus bonum idemque pœnale, ergo potest satisfacere.

Secundum. Ille satisfacit qui soluit totum quod debetur. Hoc enim est satisfacere; atqui totam pœnam temporalem quæ debetur, soluere potest homo in peccato mortali, ergo & satisfacere.

Tertium. Qui explet totum opus sibi à sacerdote iniunctum satisfacit sacerdoti, nec tenetur illud postea iterare, etiamsi fecerit existens in peccato mortali, ergo & satisfacit Deo cuius sacerdos est vicarius.

Quartum. Qui ieiunat in peccato mortali satisfacit præcepto ecclesiæ, ergo & qui in simili statu pœnam subit ab ecclesia iniunctam, cùm sit vtrobique præceptum ecclesiæ.

Quintum. Olim imponebantur satisfactiones multorum annorum, & quidem ante absolutionem peragendæ, vt suprà diximus. At verisimile est eiusmodi pœnitentes interim subinde fuisse lapsos in peccata mortalia, ergo rata habebatur satisfactio etiam pro eo tempore, quo quis erat in peccato mortali.

Sextum. In peccato mortali potest quis mereri bona temporalia, ergo & temporales pœnas redimere Probatur autem antecedens per illud Matth. 6. *Receperunt mercedem suam*, & exemplo obstetricum Exodi. 1. De quibus Gregorius lib. 18. Moral. cap. 4. dicit, quod quia vitam æternam nõ poterant promereri, meruerint temporalem retributionem. Cuiusmodi sententiæ & alibi leguntur apud veteres.

Septimum. Qui sunt in inferno satisfaciant di-

uinæ iusticiæ soluendo pœnas æternas, non obstante prauo eorum affectu: ergo & pro temporali pœna satisfacere quis similiter poterit, prauum gerens affectum.

Postremum. Homo potest homini satisfacere pro iniuria illata, si vel talionem, vel similem aliquam pœnam lege constitutam subeat, persistens nihilominus in inimicitia, igitur ad hunc modum & Deo satisfieri poterit.

His atque huiusmodi rationibus moti quidam putauerunt ratam esse apud Deum satisfactionem hominis existentis in affectu peccati mortalis; præsertim si fieret pro pœna restante eius peccati, cuius culpa iam antè remissa fuisset, sed cùm id generaliter falsum esse suprà ostenderimus, ad hæc obiecta breuiter respondeamus.

Ad primum itaque respondetur, ad rationem satisfactionis plus requiri, quàm vt sit opus bonum & pœnale. Debet enim fieri studio atque animo placandi Deum, vt ex eius definitione patet. Hoc autem modo non fit reuera ab eo qui in Dei inimicitia perseuerat.

Vnde & secundi argumenti apparet solutio. Nam tota pœna quæ debetur, non habet rationem satisfactionis, nisi toleretur ad hoc vt Deus offensus placetur, & is qui peccauit, in plenam Dei restituatur amicitiam.

Ad tertium respondetur eum sacerdoti, vt Dei vicario non satisfacere qui opus iniunctum explet in peccato mortali, & proinde in conscientia teneri ad illius operis iterationem, tametsi ad hoc à sacerdote vel ecclesia cogi non possit, quamdiu occultum est eius peccatum. Posset autem cogi, si ecclesiæ notum esset.

Ad quartum respondetur non esse simile. Nam ecclesia præcipit ieiunia absolutè, non autem sub ratione satisfactionis aut alterius finis: quem finem plærumque ex lege Dei, vel naturæ in præceptis ecclesiæ spectare debet homo. At sacerdos vt Dei vicarius, iniungit ieiunium, vel orationem, vel quodcunque aliud opus sub ratione satisfactionis, quæ, vt diximus, non consistit absque studio placandi Deum. Et proinde illius præcepto non satisfit, nisi sub tali ratione iniunctum opus expleatur. At neque ieiunium ab ecclesia præceptum satisfactorium esse potest ei, qui ieiunat in statu peccati mortalis.

Ad quintum respondeo, satisfactiones illas non fuisse continuas, sed interruptas, & ita nihil prohibet interueniente interdum peccato mortali, eiusque rursum affectu deposito illas præscripto tempore fuisse impletas. Quod si pars aliqua eiusmodi satisfactionis in peccato mortali perageretur, certè non valebat ad pœnæ remissionem, ideoque erat aliàs repetenda, sed id ignorans ecclesia non exigebat.

Ad sextum respondetur etiam eo concesso, quòd quis peccator atque adeo infidelis possit bonum aliquod temporale apud Deum mereri, non tamen idem consequi de satisfactione. Cuius ratio est, quia ad rationem meriti de congruo quoad temporalia quædam, non requiritur amicitia vel amicitiæ studium, sicut ad rationem satisfactionis; sed sufficit, vt opus sit saltem moraliter bonum & laudabile; quod proinde Dei bonitatem aliquo modo prouocet ad temporalem aliquam remunerationem. Quanquam quod Matth. 6. dicit Dominus. *Receperunt mercedem suam*, aliam habet sensum. Significat enim Dominus hypocritas illos quorum nec moraliter erant bona opera sed simulata, & proinde digna morte, recepisse mercedem, non

A quam merebantur, sed quam expectabant, nempe laudem humanam.

Ad septimum. In inferno non est satisfactio, sed satispassio tantùm, vt alibi diximus. Deest enim voluntarium & iusticiæ amor & desiderium, ac studium amicitiæ Dei. Vnde nec facinorosi dum afficiuntur supplicio, si prorsus inuoluntariè id patiuntur, satisfaciunt propriè loquendo. Nam satisfacere est actus voluntatis.

Ad postremum denique respondetur non esse simile, quia homo tenetur acceptare opus externũ, B de quo solo lex præscribit; Deus autem qui scrutator est cordium, non acceptat opus externum, nisi quatenus à voluntate bona procedit. Quare nec ciuilis illa satisfactio virtutis opus reputabitur, nisi procedat ab amore iusticiæ & studio placandi proximum. Item satisfactio quæ fit homini, non includit vt fiat cum studio placandi Deum, sed tantùm vt externa iniuria reparetur.

§. 18. *Non posse hominem satisfacere pro vno peccato sine alio.*

C EX ijs quæ iam dicta sunt, prompta est responsio ad eam quæstionem quam tota ferè hac dist. versat Magister, an videlicet possit quis pluribus irretitus peccatis mortalibus satisfacere, vel omnino pœnitentiam agere de vno absque alio. Si enim, vti dictum est, satisfactio, atque in genere vera pœnitentia non potest esse absque studio Deum placandi; studium autem placandi Deum, quale hìc requiritur, & suprà expositum est, non potest in eo esse qui adhuc pergit inimicitias exercere cum Deo: persistit autem in inimicitia quicunque retinet adhuc cuiuscunque peccati mortalis af- D fectum, certissimè consequens est eum qui vel in vno peccato mortali permanet, id est affectum eius retinet, eo statu durante non posse satisfacere, nec pœnitentiam agere pro alijs peccatis. S. Thom. suppl. q. 14. ar. 1.

Nec desunt scripturæ quibus id probetur. Nam Isaiæ 58. dicente populo: *Quare ieiunauimus & non aspexisti; humiliauimus animas nostras & nescisti?* respondet Dominus: *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra &c.* Vbi causa additur quare plagæ non cessauerint, etiam populo ieiunante, id est pro peccatis præteritis volẽte satisfacere; quia videlicet E nondũ deserebat auariciæ & inclementię peccata.

Sic Ecclesiastici 34. dicitur: *Dona iniquorum non probat altissimus.* Et infrà: *Homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?* Per hoc enim quod dicitur, *& iterum eadem faciens*, innuitur nondum depositum fuisse peccandi affectum, quando tam facilè reditur ad actum.

His addi possunt generales scripturæ Ecclesiastæ 9. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* Et Iacobi 3. *Quicunque totam legem seruauerit, offendit autem in vno, factus est omnium reus*, quia nimirũ transgres- F sor est legis, vt ibidem subiungitur, ideoque ineptus ad satisfaciendum, vel ex parte. Item 1. Corinth. 13. *Si distribuero &c. nihil mihi prodest*, & aliæ quas suprà citauimus.

Verùm ex patribus hoc ipsum multò docetur apertiùs. Ait enim Gregorius hom. 34. super euangelia. Pœnitere est anteacta peccata deflere, & flẽda non cõmittere. Nam qui sic alia deplorat, vt alia tamen cõmittat, adhuc pœnitẽtiam agere aut ignorat aut dissimulat. Quid enim prodest si peccata luxurię quis defleat, & adhuc auaritiæ æstibus anhelat?

Et

Et Pius papa I. in epistola ad omnes ecclesias citante Gratiano de pœnitentia dist. 3, cap. Nihil prodest homini ieiunare, & orare, & alia religionis opera agere, nisi mens ab iniquitate reuocetur. A

Quod & Hieronymus de Iuda proditore testatur scribens in Matth. 27. Nihil, inquit, Iudæ profuit egisse pœnitentiam, per quam scelus corrigere non potuit.

Augustinus quoque homil. 41. inter quinquaginta quæ est ad pœnitentes, ostendit eos non esse verè pœnitentes, nec veram agere pœnitentiam, qui adhuc permanent in peccatis. Vnde apud veteres falsæ vocantur huiusmodi pœnitentiæ, de quibus ita scribit Innocentius 2. vt est apud Gratianum de pœnitentia dist. 5. Admonemus fratres nostros, ne falsis pœnitentijs laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Et plenius ibidem Gregorius 7. Falsas, inquit, pœnitentias dicimus, quæ non secundum authoritates sanctorum pro qualitate criminum imponuntur: Ideoque miles, vel negociator, vel alicui officio deditus quod sine peccato exerceri non possit, si culpis grauioribus irretitus ad pœnitentiam venerit; vel qui bona alterius iniustè detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoscit se veram pœnitentiam non posse peragere, nisi negocium relinquat, vel officium deserat, & odium ex corde dimittat, & bona quæ iniustè abstulit, restituat. Hæc ille. B C

Præter hæc autem videatur Augustinus enchiridij 75. & duobus sequentibus, & Augustini titulo liber de vera & falsa pœnitentia cap. 9. vbi ex professo docetur de vno peccato sine alio veram agi pœnitentiam non posse, idque huiusmodi argumentis partim probabilibus partim necessarijs. D

Primo. Christus eundem hominem mutum & surdum & dæmoniacum simul curauit Marci 7. per hoc docens nos nunquam nisi de omnibus sanari.

Secundo. Christus in muliere quæ septem habebat dæmonia, nullum reliquit, sed omnia simul expulit, vt omnia crimina simul eijcienda doceret.

Tertio. Christus legionem dæmonum eijciens nullum de omnibus in homine reliquit, vt ostenderet quòd etsi mille peccata quis commiserit, oporteat eum simul de omnibus pœnitere. E

Quarto. Nunquam Christus aliquem sanauit quem non omnino liberauit. Totum enim hominem sanauit in sabbatho Ioan. 7. quia vt Augustinus eum scripturæ locum tractans exponit, & corpus ab infirmitate & animam à peccato liberauit, ostendens pœnitentem debere simul de omni crimine dolere & satisfacere. Sed hæc ratio non admodum conuincit. Nam alij verba Domini apud Ioan. intelligunt de sanatione totius corporis, vt Ambrosius Cyrillus, Beda, Euthymius, idque vt apparet, rectiùs. Neque enim Christus quoscunque sanauit secundum corpus, sanauit etiam secundum animam, vt patet de nouem leprosis, quemadmodum & ipse testatur Augustinus lib. 2. quæstionum euangelicarum cap. 40. Deinde Ioannis 6. multi miraculosè pasti fuerunt, non credentes tamen, vt & qui olim manna comederunt in deserto. Sed & is cui Dominus abscissam auriculam restituit, non videtur spiritualiter sanatus fuisse, vti nec Ieroboam cui manum arefactam propheta restituit 3. Regum 13. F

Postremò probat ex inimicitia quæ est & permanet inter Deum & peccatorem quam diu perseuerat in mortali peccato. Quam quidem inimicitiam vsque adeo vult pugnare cum gratia remissionis alicuius peccati, vt eum non satis in fide sanum & integrum censeat, qui diuersum putet aut speret. Quædam enim, inquit, impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus & iusticia est, dimidiam sperare veniam, id est expectare remissionem vnius peccati mortalis absque alio. In quibus verbis obseruandum, quòd velit hic author id aduersari iusticiæ Dei, vt homini in crimine perseueranti remittat culpam aut pœnam, aut etiam aliquam pœnæ partem.

§. 19. *Dissoluuntur argumenta quædam in contrarium.*

PRæter illa quæ probare videbantur hominem in peccato mortali posse satisfacere, quibus suprà responsum est, ea nunc dissoluemus quæ vel sunt apud Magistrum, vel ab alijs adferuntur peculiariter ad probandum, quòd pro vno peccato mortali absque alio pœnitentia & satisfactio rata esse possit. S. Thom. ibidem.

Primum obijciunt: Punitur quis pro vno peccato manens in alio, ergo si illa punitio sit sufficiens, satisfiet hoc pacto pro vno peccato absque alio; alioquin enim puniret Deus bis in idipsum, quod negat propheta Nahum I.

Secundum. Hieronymus in illum prophetæ locum commentans, dicit generaliter de ijs qui diluuio perierunt, de Sodoma & Gomorra celesti igne consumptis, de Ægyptijs in mari submersis, deque Israelitis in eremo prostratis, quòd qui puniti sunt, postea non punientur; quia, inquit, receperunt mala in vita sua: ergo multò magis apparet posse aliquem sufficienter puniri, & proinde satisfacere pro vno peccato absque alio, præsertim cùm non sit verisimile in illis quos Hieronymus enumerat, fuisse dolorem veræ contritionis.

Tertium. Gregorius homilia 10. super Ezechielem tractans illud Amos 4. *Pars vna compluta est &c.* Cùm quis, inquit, ab alijs se vicijs corrigit, atque ab alijs emendare contemnit; vna eademque ciuitas ex parte compluitur, & ex parte arida remanet, & quæ sequuntur. Si ergo corrigi potest vnum vicium absque alio, poterit & pro eo satisfieri.

Quartum. Ambrosius in psalm. 118. octonario 18. sub initium recitans hæc verba Isaiæ 40. de Ierusalem. *Solutum est peccatum eius, quoniam accepit de manu Domini duplicia peccata sua,* subiungit: Etiam si fides deerat, pœna satisfecerat. Releuantur solutione pœnarum qui absoluuntur commendatione meritorum.

Quintum. Augustinus lib. de patientia cap. 26. dicit: Si quis in schismate constitutus pro confessione fidei Christianæ patiatur persecutionem vel mortem ipsam, tolerabilius ei futurum iudicium. Vbi significare videtur eum ex parte satisfacere.

Sextum. Glossa ordinaria ad illud I. Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis est*: Omnis, inquit, summa disciplinæ nostræ in misericordia & pietate est, quam sequens si lubricum carnis patitur, vapulabit. Si quis autem solum corporis exercitium habuit,

habuit, perennes pœnas patietur. Quæ verba sumpta sunt ex commentario Ambrosiano.

Septimum. Christus Lucæ 11. Pharisæis auaris, iniustis & hypocritis dicit: *Veruntamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Octauum. Potest quis satisfacere pro venialibus peccatis permanens in mortali; alioqui enim sequeretur hominem pro venialibus in æternum puniri: igitur & pro mortali peccato quoad culpam remisso, poterit postea existens in alio mortali peccato satisfacere. Nam alioqui peccatum remissum puniretur æterno supplicio, quod videtur absurdum. Deinde de venialibus hoc ipsum probatur ex Augustino lib. de vera & falsa pœnitentia capit. 20. vbi citans illud Ioannis 8. *Qui sine peccato est vestrum &c.* dicit: In quo intelligitur omnes crimine fuisse reos. Nam venialia semper remittebantur per ceremonias. Si quod igitur peccatum in ijs erat, criminale erat.

Postremum. Si pœnitenti iniungatur ieiunium pro adulterio, & oratio pro detractione, & eleemosyna pro furto, is distinctis operibus ac diuerso tempore satisfaciet pro diuersis peccatis, atque ita sic pro vno, vt non simul pro alio.

Ad hæc obiecta sic ordine respondetur.

Ad primum. Nulla peccati punitio quoad diuturnitatem sufficiens est absque illius peccati vera pœnitentia: non est autem vera pœnitentia, si permanetur in alio peccato mortali. Deinde etsi detur eius peccati sufficiens punitio sine pœnitentia, non tamen erit satisfactio; quia non suscepta fuerit studio placandi Deum. Ad sententiam autem prophetæ alibi responsum est.

Ad secundum Magister respondet non de omnibus generaliter intelligenda esse Hieronymi verba, sed de ijs solis qui inter ipsa flagella pœnitentiam egerunt. Nam eos qui hic non corriguntur, postea in æternum cruciari etiam pro eo peccato cuius hic supplicium luerunt, subiuncta eiusdem Hieronymi verba satis declarant; vbi proposita sibi quæstione de christiano propter adulterium decollato, vtrùm etiam in futura vita sit puniendus. Respondemus, inquit, Deum vt omnium rerum ita & suppliciorum quoque scire mensuras, & non præueniri sententia iudicis; nec illi in peccatorem exercendæ dehinc pœnæ auferri potestatem, & magnum peccatum magnis diuturnisque eluì cruciatibus &c.

Ad tertium cum Magistro respondemus, non ad criminis veniam & pœnæ remissionem, sed ad operis praui desertionem referenda esse Gregorij verba; quoniam & hoc ex fonte gratiæ Dei procedit, vt quis etsi permanens adhuc in vno peccato, ab alterius tamen peccati delectatione timore diuini iudicij recedat, sicque paulatim ad pœnitentiam veniat.

Ad quartum respondet Magister in verbis Ambrosij per fidem intelligi conscientiam peccati, vt sit sensus. Pœnam à Deo inflictam & patienter toleratam, tollere etiam ea peccata quorum quis per ignorantiam vel obliuionem sibi non erat conscius. Sed fortè rectiùs per fidem intelligitur excellentia fidei; quæ etsi desit, pœnæ tamen magnitudo cum patientia valebit ad satisfactionem. Nam populus Iudaicus de quo Isaias loquebatur, non carebat fide in Deum, sed deerat illi excellentia & feruor fidei.

Ad quintum. Non vult Augustinus pœnam illam hominis schismatici pro fide Christi morientis esse satisfactoriam pro peccatis eius, ne quidem ex parte, sed tantùm dicit tolerabilius futurum eius iudicium, id est, minùs eum puniendum in futuro sæculo, quàm si Christum negando nihil pro eo passus fuisset; quod haud dubiè verum est, quia negando Christum auxisset peccatum suum, ac proinde etiam reatum damnationis.

Ad sextum. Loquitur commẽtarius ille de lubrico carnis, à quo tamen pœnitendo quis tandem recedit, dum videlicet illi pœnitentiam à Deo impetrant preces eorum quibus misericordiam impendit. Hunc enim sensum suggerunt verba ibidem sequentia. Nota quoque Ambrosium non esse illius commentarij authorem, sed ignotum quendam.

Quod septimo loco ex euangelio profertur, ostendit ita demum valere eleemosynas ad emundanda peccata & dissoluenda eorum vincula, si quis ab ijs per pœnitentiam & vitæ nouitatem recedat, non prætermittens iudicium & charitatem Dei. *Hæc enim*, inquit, *oportuit facere, & illa non omittere*; quod qui effectuat, is nimirum ordinatè facit eleemosynam, incipiens à seipso iuxta illud Ecclesiastici 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo*, quemadmodum latè id declarat Augustinus enchiridij 75. 76. & 77. capitibus.

Ad octauum respondetur etsi per se peccato veniali non nisi temporalis debeatur pœna; etsi quoque pœna temporalis quæ debebatur pro peccato mortali quoad culpam remisso per se nunquam in æternã transeat; per accidens tamen ratione status ipsius hominis (quia videlicet manet inimicus Dei) pœnam eiusmodi nunquam posse ab eo persolui, & proinde perpetuò eam durare, sicut perpetuò durat illius hominis cum Deo inimicitia. Neque refert siue talis homo conatus fuerit satisfacere existens in peccato mortali siue non. Nam & si non fuerit conatus, idem sequitur; nempe restantem illam pœnam persoluendam esse in inferno, ideoque per accidẽs futuram perpetuam, cùm apud inferos, vt non est absoluta remissio, ita nec fit vlla pœnæ relaxatio, quemadmodum infrà ad dist. 46. probabitur. Quod autem pro argumenti confirmatione obijciebatur ex libro de vera & falsa pœnitentia, cùm liber ille non sit Augustini, sed incogniti authoris, non multum mouere nos debet, tametsi intelligi possit dictum de venialibus seiunctis à mortali, vt sensus sit, ideo rectè colligi accusatores illos fuisse criminibus obnoxios quia propter sola venialia quorum in sacrificijs obuium & quotidianum erat remedium, non debuissent audire. *Qui sine peccato est vestrum &c.* præsertim cùm mulierem ipsi non de veniali peccato, sed de graui crimine accusarent.

Postremum argumentum rectè concludit. Neque enim negamus hominem verè pœnitentem posse pro diuersis peccatis diuerso tempore ac distinctis actionibus satisfacere, sed posse quempiam satisfacere pro vno peccato manente affectu alterius.



§. 20. *An pœnitens teneatur subire satisfactionem à sacerdote iniunctam.*

S. Thom. suppl. q. 13. & ibid. ad ar. 1.

QVorundam catholicorum opinio est pœnitentem non teneri ad obeundam satisfactionem sibi à sacerdote præscriptam, nisi eam sua sponte acceptauerit. Ita enim sentit Scotus ad dist. 18. & post eum Gabriel Biel ad dist. 16. quæst. 2. Adrianus in 4. de sacramento confessionis quæst. 4. & Nauarrus in Manuali capit. 26. numero 20. & nonnulli alij, moti huiusmodi argumentis.

Primò. Quia, inquiunt, sacerdos non est iudex ordinarius, sed arbitrarius, ideoque in arbitrio pœnitentis relinquitur submittere se sacerdoti, vel quoad remissionem culpæ & pœnæ, vel quoad remissionem culpæ tantùm; ita vt se Deo flagellanti permittere quoad solutionem pœnæ, vel certè ipse eam à se exigere possit.

Secundò. Quia dicunt nullum exstare de satisfactione diuinum præceptum, ideoque nec à sacerdote qui agit vt minister Dei, posse pœnitentem ad satisfaciendum obligari.

Tertiò. Quia quòd homo possit in hac vita per leuiores pœnas satisfacere, quàm quę luendæ essent in purgatorio, id in fauorem pœnitentium à Deo misericorditer constitutum est: cui proinde fauorabili constitutioni possit pœnitens renunciare, seque reseruare ad pœnas purgatorij.

Postremò. Quia non videtur reprehendendus sed laudandus potiùs, si quis ex vehementi peccatorum displicentia ita se offerat ad iustam satisfactionem subeundam, vt renunciet, atque vti nolit indulgentijs quibus satisfactio relaxatur; ergo similiter poterit quis renunciare illi gratiæ qua per satisfactiones huius sæculi euaduntur grauiores pœnæ purgatorij.

Verùm his non obstantibus multò sentiunt probabiliùs, qui docēt sacerdotem habere potestatem obligandi pœnitentem ad certam pœnitentiam, ita vt nisi manifestus vel probabilis error appareat, omnino teneatur pœnitens eam acceptare atque implere. Addimus autem exceptionem erroris; quia si pœnitenti certò vel probabiliter constaret nimis grauem atque enormem pro ratione peccati esse pœnitentiam quam sacerdos iniungit, non teneretur ille eam subire. Cæterùm hęc affirmatiua responsio variè probatur.

Primùm; quia sacerdotes acceperunt à Christo potestatem non soluendi tantùm & remittendi, verùm etiam ligandi & retinendi, adeo vt quicquid illi ligant & retinent, ratum sit apud Deum, iuxta apertam Domini sententiam Matth. 18. & Ioan. 20. Atqui ligat sacerdos peccatorem & peccatum eius retinet, non tantùm quando eum censet absolutione indignum, verùm etiam quando eum absoluens pro satisfactione certum aliquid iniungit. Quare coram Deo manet peccator obligatus ad illud implendum.

Deinde quia pœnitens tenetur subire omnes partes sacramenti pœnitentiæ, nisi necessitatis articulo excludatur, ergo tenetur iniunctam à sacerdote satisfactionem peragere. Nam aliæ satisfactiones, vel huius vel alterius sæculi non sunt sacramentales.

A Præterea clarè id ex patribus ostenditur. Cyprianus enim in serm. de lapsis inter cætera de satisfactione loquens ait: Is veram pœnitentiam agit qui Dei & sacerdotis præceptis obediens, & obsequijs suis & operibus iustis Dominum promeretur. Quibus similia scribit in epistol. 2. lib. 1. ad Cornelium & in epistol. 2. lib. 4. ad Antonianum. Et ante eum Tertullianus in lib. de pœnitentia.

Item Leo in epist. 91. Christum dicit hanc prępositis ecclesiæ tradidisse potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem B salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Vbi satis significat eos qui satisfactionem recusant, aut nolunt subire, non esse admittendos ad reconciliationis sacramentum.

Et Rabanus in collatione synodorum. Pœnitens, inquit, illud quod ei institutum fuerit, ita cautè obseruet, ac si ex ore Dei fuerit prolatum. Sic & author lib. de vera & falsa pœnitentia capit. 15. pœnitentem instruens: Ponat se, inquit, omnino in potestate iudicis in iudicio sacerdotis, nihil sibi reseruans sui, vt omnia eo iubente C paratus sit facere pro recipienda animæ vita &c.

Sed certior adhuc probatio est ex veteri ecclesiæ constitutione qua iubebantur presbyteri secundùm canones pœnitentiam iniungere, pœnitentes autem quicquid à presbytero illis fuisset iniunctum, perinde atque si ex Dei esset ore profectum, diligenter obseruare. Quòd si recusassent facere iniuncta, denegasset eis ecclesia reconciliationem, quam non priùs dabat, quàm illi explessent quæ præscripta erant, nisi relaxationem aliquam impetrarent, id est, indulgen- D tiam; qualis & nunc dari potest super iniuncta pœnitentia, si fuit canonica, aut grauis & laboriosa. Et eo casu non tenetur pœnitens implere satisfactionem iniunctam, quia superior relaxat vice Christi. Et quamuis postea pœnitentiæ fuerint relictæ arbitrio sacerdotum, vt est apud Gratianum de pœnitentia dist. 1. capit. mensuram & extra de pœnitentijs & remissionibus cap. Deus qui, & in Florentino decreto de sacramentis, vbi dicitur tertiam pœnitentiæ partem esse satisfactionem pro peccatis secundùm arbitrium sacerdotis, nusquam tamen arbitrio ipsorum pœnitentium E eas relictas fuisse legimus; quin potiùs iubebantur illi quicquid sacerdos arbitratus fuisset, implere. Vnde in cap. Omnis vtriusque sexus edito in Lateranensi concilio generali sub Innocentio 3. eodem contextu præcipitur; vt omnes fideles sua peccata confiteantur, & iniunctam sibi pœnitentiam studeant adimplere. Quibus verbis apertè præcipitur fidelibus, vt pœnitentiam, id est satisfactionem sibi à sacerdote iniunctam impleant. Dicitur autem studeant adimplere, quia studiosè & non segniter adimplenda est iniuncta F pœnitentia.

Nec parum probabilitatis huic sententiæ conciliat Tridentinum concilium, quando sess. 14. cap. 8. admonens sacerdotes, vt imponant satisfactiones quæ non tantùm valeant ad nouæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad prę̄teritorum peccatorum vindictam & castigationem, ita subiungit: Nam claues sacerdotum non ad soluendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas etiã antiqui patres & credunt & docent. Quibus sanè verbis satis indicant pœnitentem à sacerdote

ligati ad iniunctam sibi ab eo satisfactionem. Idem qooque ab eisdem parribus indicatur cap. t. & can. 15. eiusdem sessionis. Denique his accedir authoritas Magistri dist. 16. & 18. & probatorum scholasticorum, S. Bonauenturæ, S. Thomæ, Richardi, Paludani & aliorum.

Ad argumenta verò in diuersum allata non est difficilis responsio. Quod enim primo loco sumitur sacerdotem esse tantum arbitrarium iudicem, negandum est. Quamuis enim pœnitenti sæpe liberum sit eligere sacerdotem quem voluerit, cui peccata sua confiteatur; ex quo tamen aliquem elegit, tenetur ei tanquam ordinario, vel delegato iudici ac vicario Christi iuxta potestatem ei concessam sese omnino submittere, & pœnitentiam quamcunque ille iniunxerit, acceptare atque implere, grauiter peccaturus nisi id fecerit.

At neque verum est quod secundo loco assumitur, nullum esse Dei præceptum de satisfactione. Cuius sententiæ falsitas partim ex ijs patet quæ suprà de satisfactionis necessitate dicta, & ex scripturis probata sunt; partim ex ijs quæ paulò pòst dicentur. Sed etsi nullum extaret peculiare Dei præceptum de satisfactione, sufficeret tamen ad obligationem satisfaciendi in pœnitente potestas ligandi in sacerdote, vti iam probatum est.

Ad tertium respondetur ita misericorditer esse constitutum à Deo, quod per satisfactiones huius sæculi redimi possint pœnę grauiores futuri sęculi, vt etiam hoc ipsum velit esse in præcepto; quod quidem præceptum maiorem adhuc Dei misericordiam commendat, dum videlicet per ipsum necessitas injcitur homini præueniendi iram & flagella Dei, ne in altero sæculo acerbiùs puniatur.

Quocirca præcepto Dei quo satisfactionis opera iubentur, simulque clauium potestate quæ ad ligandum extenditur, obstante, non potest homo licitè iuri suo hac in parte renunciare.

Ad postremum videtur respondendũ, quòd etsi possit homo renunciare indulgentijs, id est, pœnarum & satisfactionum quas in hoc sæculo pro peccatis suis subire deberet, relaxationi (quod tamen ambiguè disputari potest) non inde esse consequens posse eum & alteri iuri renunciare. Siquidem ad illud est obligatus, vt iam monstrauimus. Adde quòd satisfactiones huius sæculi præter eum vsum qui est satisfacere pro peccatis, aliam multiplicem habent vtilitatem, vti suo loco ostendimus, propter quam quis fortè meritò nolit eas per indulgentiam sibi relaxari, nisi in articulo mortis, non ita satisfactiones futuri sęculi. Et proinde non est vtriusque iuris renunciandi, etiam seposito Dei præcepto & clauium potestate, par ratio.

§. 21. *An pœnitens sponte satisfactionem aliquam assumere teneatur.*

Ad sup. 11. S. Thom. loco.

QVæstio superiori affinis est, vtrum præter eam satisfactionem quam sacerdos iniunxit, teneatur pœnitens aliam adhuc sponte assumere, si certò vel probabiliter constet ei pœnitentiam à sacerdote iniunctam non sufficere ad satisfaciendum pro suis peccatis cuiusmodi insufficientes pœnitentiæ sæpenumero à confessarijs iniunguntur.

Pro parte negante facit quòd pœnitens non est sui ipsius iudex, sed iudex eius est sacerdos tanquam Dei vicarius; ergo quoad peccata clauibus

A subiecta satisfaciet, si exequatur sententiam seu pręscriptum iudicis, nec quidquam tenebitur superaddere.

Deinde. Quamuis scriptura præcipiat, vt faciamus fructus dignos pœnitentiæ, illud tamen generale satisfaciendi præceptum videtur determinari per ecclesiam duobus modis, vno quidem modo quandu pœnitentibus per sacerdotem iniungit certam pœnitentiam, altero quando publica quædam opera pœnitentiæ omnibus præscribit, vti sunt supplicationes, abstinentiæ, ieiunia, & his similia,
B siue illa ordinaria sint siue extraordinaria. Quin & Deus ipse illam præcepti generalitatem determinat quando immittit afflictiones & aduersitates, quas homo patienter ferre tenetur. Ergo videtur his modis præcepto diuino satisfieri, neque præterea requiri spontaneam aliquam satisfactionem. Sed si qua fortè adhuc pœna restat luẽda, hominem non peccare, si eam reijciat in futurum sæculum, cùm non videatur iam vllo præcepto teneri, vt eam soluat in præsenti.

Postremò. Potest quis sperare quicquid pœnę reliquum est vltra satisfactionem à sacerdote iniunctam, id totum sibi remissum iri per indulgentias,
C ergo etiamsi minimum quid sacerdos iniunxerit, non tenebitur pœnitens vltrà aliquid addere.

Pro huius quæstionis explicatione sciendum imprimis esse Dei præceptum, vt faciamus dignos fructus pœnitentiæ Matth. 3. & Luc. 3. Nam vim præcepti esse in ijs verbis etiam Magister disertè affirmat dist. 16. dicens. Satisfactio à Ioanne præcipitur vbi ait; *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, scilicet vt secundum qualitatem & quãtitatem culpæ sit qualitas & quantitas pœnæ. Quem Magistri locum elucidans S. Thomas dicit, quòd Ioannes non erat author illius præcepti, sed enunciator, cuius Chri-
D stus fuit institutor. Neque ad eam rem longa probatione opus est, cùm suprà ex scripturis & patribus, ipsoque Tridentino concilio satis probauerimus satisfactionis ex præcepto necessitatem.

Secundò notandum quid hac in parte à sacerdote tanquam iudice exigatur. Debent enim (vt ait Tridentina synodus sess. 14. cap. 8.) sacerdotes Domini quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & conuenientes satisfactiones iniungere, ne si fortè peccatis cõniueant, & indulgen-
E tiùs cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Hæc ibi. Iam verò si sacerdos huic officio suo defuerit, vel etiam iustâ quapiam ratione adductus minorem quàm pro exigentia delicti satisfactionem iniunxerit, omnino videtur pœnitens qui eum defectum vel scit, vel scire debet, teneri ad satisfactionem aliquam vltrà assumẽdam, idque donec tota satisfactio perueniat ad quandam æqualitatem cum pœna temporali pro peccatis debita. Cuius ratio est, quia quamdiu nondum fecit fructus dignos pœni-
F tentiæ, nondum satisfecit diuino pręcepto: *Facite fructus &c.*

Quin & alibi scriptura sacra huiusmodi pręcepta inculcat, dum ad redimendum peccata præcipit, vel orationes, vel eleemosynas, vel ieiunia. Neque enim hæc tantum vt bona opera præcipiuntur, sed etiam vt pro peccatis satisfactoria, quemadmodum probant hæ scripturæ. *Peccata tua eleemosynis redime* Danielis 4. *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur* Matth. 5. *Date & dabitur vobis* Lucæ 6. *Facite vobis amicos de mammona ini-*

quitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula Lucæ 16. Et aliæ huiusmodi. Vnde Cyprianus in serm. de eleemosyna & Augustinus homil 19. inter quinquaginta & enchiridij 69. & 70. docent ad hoc præceptam esse nobis eleemosynam, vt peccata redimamus. A

His accedunt illæ patrum sententiæ quibus docent, quòd qui illicita multa commisit, debeat & à licitis multis abstinere, vt Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 5. Hieronymus in epitaphio Paulæ. Chrysostomus homil. 10. in Matth. & Gregor. homil. 20. & 23. in euangelia. Item vbi docent quòd iuxta apostolum nosipsos debeamus iudicare, B
ne à Deo iudicemur, quodque iram Dei spontanea punitione debeamus antevertere vt Augustinus homil. 16. & 50. & in psalm. 37. Gennadius de ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. & quæ citauimus cùm de satisfactionis operum necessitate ageremus. Quibus adde valde apertam Gregorij sententiam in dictum psal. 37. *Domine in furore &c.* vbi & Augustini allegat authoritatem, & eundem Gregorium in fine homiliæ primæ in euangelia. Denique cùm teneatur homo sponte satisfacere pro venialibus C
peccatis, quemadmodum Augustinus docet enchiridij 71. epist. 108. & in serm. quodam de oratione dominica, & post eum clarissimè Fulgentius de fide ad Petrum cap. 41. multò magis tenebitur pro mortalibus spontaneam subire satisfactionem, vbi constiterit nimis exiguam esse quam iniunxit sacerdos.

Ad primum igitur argumentum respondetur quod iuxta Apostolum 1. Corinth. 11. debeat homo seipsum iudicare, idest iudicium vindicatiuum in se exercere, vt non à Deo iudicetur. Ex quo manifestum est aliquod iudicium competere ho- D
mini in seipsum, tametsi non illud quod sacerdotibus est proprium, quodque cum authoritate coniunctum est.

Ad secundum non sufficit ea præcepti determinatio quæ nondum implet totum præceptum. Quod autem attinet ad publica orationum & ieiuniorum opera ab ecclesia instituta, ea cùm sint communia pro communibus peccatis, vel quotidianis etiam iustorum lapsibus, & interdum pro alijs causis instituuntur, & proinde non, sufficiunt ex ecclesiæ intentione ad redimenda grauiora crimina. Nam alioqui nec sacramentali satisfactione E
opus esset. Cæterum flagella Dei tum huius sæculi tum futuri præuertere quantum in se est, homo tenetur, & non tantùm orare Deum ne in furore arguatur quod ad gehennam pertinet, verùm etiam ne in ira corripiatur, quod Augustinus & Gregorius ad pœnas purgatorij referunt. *Horrendum enim est incidere in manus Dei viventis*, vt ait apostolus Heb. 10. loquens, vt ex antecedentibus appater, de pœnis temporalibus futuri sæculi debitis pro grauibus peccatis, in quæ post baptismum quis relapsus fuerit. Ex quibus intelligitur quàm stultum sit neglecta vltronea satisfactione huius sæculi velle se reseruari acerbissimis cruciatibus futuri sæculi, vbi satis- F
factio tantùm est satisfactio, non patientiæ meritum, neque virtutis augmentum, neque boni operis exemplum.

Quód ad extremum de indulgentijs obijciebatur, oportuniùs infrà suo loco soluetur.

§. 22. *Posse alium pro alio satisfacere.*

NOn solùm quisque pro suis peccatis Deo satisfacere potest & debet, vt iam antè ostendimus: verùm etiam alios pro aliorum peccatis coram Deo satisfacere posse æquè certa & catholica doctrina est, quæ in primis fundatur in communione sanctorum quam in symbolo fidei nostræ confitemur. Efficit enim ea communio, vt quemadmodum fit in corpore naturali, fideles tanquam membra eiusdem corporis mystici sibi mutuò subsidia, actiones & officia communicent, vti docet apostolus 1. Corinth 12. ideoque & alij pro alijs satisfacere possint. Vnde idem apostolus Galat. 6. *Alter*, inquit, *alterius onera portate*, & 2. Corinth. 8. *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Quod ita generaliter dictum, quò minùs ad mutuum leuamen pœnarum per satisfactiones præstandum extendatur, nihil vetat; quemadmodum & illud Colos. 1. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi pro corpore eius quod est ecclesia.* Quem sanè locum Chrysostomus in eum sensum interpretatur, vt dicat passiones Pauli etiam post ipsius mortem membris Christi prodesse. S. Thom. sup. q. 13. ar. 2.

Huc accedit quod Dominus Lucæ 16. monet diuites, vt faciant sibi amicos, à quibus cùm defecerint, recipiantur in æterna tabernacula. Et quod ait Matth. 10. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* Ex quibus sententijs Augustinus lib. 21. de ciuitate cap. 27. docet quædam esse peccata quæ sic impediunt peruentionem ad regnum Dei, vt tamen sanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam. Quod & Chrysostomus ex priori sententia facit homil. 35. in Genesim.

Fuit autem hæc doctrina iam inde à primis illis martyrum temporibus adeo recepta & fidelibus persuasa, vt vetustissimus Tertullianus in lib. de pudicitia, quem scripsit postquam in hæresim lapsus est, nimiam hac in parte licentiam exprobret catholicis, quòd apud eos martyrum merita & passiones sibi communicari passim & temere, ambirent criminosi.

At post eum Cyprianus serm. de lapsis cùm de satisfactionibus ageret, apertè credere se fatetur apud Deum iudicem plurimum pro alijs valere martyrum merita & opera iustorum.

Hoc idem docet Origenes homilia 10. in Numeros proferens has scripturas: *Libentissimè impendam, &, superimpendar ipse pro animabus vestris* 2. Corinth. 12. Et, *Ego iam immolor* 2. Timoth. 4. Pro ijs ergo, inquit, quibus scribebat, impendi se & immolari dicit apostolus. Hostia autem cum immolatur, ad hoc immolatur, vt eorum pro quibus iugulatur, peccata purgentur &c. & homil. 24. testatur sicut agnum ad Christum, ita & cætera animalia purificationi destinata referri posse ad aliquas personas quæ per meritum sanguinis Christi purificationis aliquid humano generi conferant.

Similiter Gregorius Nazianzenus oratione 20. quæ est in Machabæos, loquens de martyrio Eleazari senis. Prius quidem, inquit, pro populo sacrificabat & orabat, nunc autem semetipsum hostiam obtulit Deo perfectissimam ad totius populi expiationem.

Ambrosius quoque lib. 5. in Lucam ita scribit: A Si graue peccatum est, quod pœnitentiæ tuæ lachrymis ipse lauare non possis, fleat pro te mater ecclesia; quæ pro singulis tanquam pro vnicis filijs vidua mater interuenit & lib. 2. de Abel & Cain cap. 3. De Leuitis, inquit, scriptum est, quòd sint redemptiones eorum, eò quòd & sanctitare vitæ suæ & oratione peccata plebis leuarent.

Nec aliud vult Augustinus quando contra Donatistas scribens docet pœnitentibus peccata remitti per gemitus columbæ, id est, per lachrymas & preces & afflictiones piorum fidelium qui sunt in ecclesia. Docet idem quæst. 149 in Exodum exemplo Moysi releuari nos apud Deum meritis piorum, quem mala nostra merita nobis auersum red- B diderant. Similia sunt apud eum loca quæst. 108. eiusdem lib. & contra Faustum lib. 20. cap. 2. & lib. 1. de origine animæ cap. 10.

Chrysostomus autem homil. 22. ad populum Antiochenum sic ait: Si magnus est lapsus tuus, maior sit lachrymarum tuarum torrens; si verò puritatem quoque retines, alteri muneta lachrymam, & pro lapso fratre plora. Idem scribens in 1. Corinth. 15. ex quibusdam Pauli verbis id etiam clariùs commonstrat, vti & in homil. 5. in Matth.

Post hos autem Leo serm. 3. de ieiunio sep- C timi mensis: Plenissima, inquit, peccatorum obtinetur abolitio, quando totius ecclesiæ vna est oratio & vna confessio. Et quæ sequuntur.

His adde quod refert Eusebius lib. 5. histor. eccles. cap. 28. de Natalio quodam confessore qui cùm grauiter peccasset, pœnitentia ductus atque in publico humi prouolutus, in lachrymas & miserationes omnem prouocauit ecclesiam, vt indulgentiam sibi à Christo continuis & iugibus pro ipso precibus implorarent.

Quin etiam fiebat interdum, vt si quis pericu- D lo præuentus satisfaciendi tempus non haberet, absolueretur quidem à peccatis, satisfactionem autem quam subire ille debuisset, in se reciperent cognati eius. Qua ab ijs peracta, si fortè pœnitens conualesceret, non cogebatur eam iterare.

Porrò circa hanc doctrinam notandum in primis tam in eo qui pro alio, quàm in eo pro quo alius satisfacit, requiri id quod suprà diximus ad rationem satisfactionis esse necessarium, nempe vt sint ambo in statu gratiæ, vel saltem extra affectum peccati mortalis. E

Deinde eam doctrinam non tantùm intelligi de satisfactione libera, sed etiam de pœnitentia sacramentaliter iniuncta, vel quæ iniungenda esset, si non aliqua necessitas, aut alia iusta ratio aliud suaderet. Sed hoc intellige quatenus eiusmodi pœnitentia satisfactoria est, non vindicatoria est. Nam quatenus iniungitur vt medicina quâ pœnitens præseruetur à peccatis in posterum, hac ratione nequit eam alius pro alio subire, vt rectè distinguendo docet S. Thomas in supplemento.

Præterea quamuis ad hoc vt alius pro alio satisfaciat, non requiratur, vt alter sit satisfaciendi F impotens, probabile tamen est non acceptari à Deo solutionem vnius pro alio; si non etiam ille, qui pœnæ debitor est, saltem conetur pro modulo infirmitatis suæ Deo vel ex parte satisfacere, & ad integram satisfactionem aliquousque accedere, quemadmodum satis indicant suprà positæ patrum sententiæ. Nam si quis ita aliorum satisfactionibus confidat, vt ipse cùm possit, vel nihil agat, vel ita parum quod pro nihilo reputetur; non videtur ille nec diuino præcepto obedire, neque ex aliorum passionibus fructum satisfactionis percipere, vti docet Chrysostomus homil. 5. in Matth.

Si quis autem quærat, verùm ex condigno an ex congruo valeat satisfactio vnius pro pœnis temporalibus ab alio debitis, respondendum videtur acceptationem quidem diuinam vnius pro alio fieri ex congruo; ea autem posita satisfactionem ipsam valere ex condigno non minùs quàm si quis pro seipso satisfaceret.

Cætera huc pertinentia commodiùs explicabuntur vbi de indulgentijs agetur.

§. 23. *Solutio eorum quæ contrà obijciuntur.*

HVic doctrinæ de mutuis satisfactionum subsidijs opponi solet in primis argumentum ex merito sumptum. Non enim potest alius pro alio mereri ex condigno, quare nec satisfacere. *S. Thom. ibidem.*

Deinde dicit apostolus Galat. 6. *Vnusquisque onus suum portabit*, Et Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.*

Tertiò. Non potest alius pro alio conteri nec confiteri, ergo nec satisfacere.

Quartò. Nemini redundant sua bona opera iuxta illud Matth. 25. *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis*, & illud Prouerb. *Iustus vix saluabitur*, ergo non potest ea quis alijs mutuare ad vsum satisfactionis.

Obijciuntur & alia sed quæ tractarui de indulgentijs magis propria sunt.

Ad primum igitur respondemus mercedem vitæ æternæ quam propriè respicit meritum condignum, dari iuxta dispositionem & capacitatem suscipientis, non autem alterius, secundùm illud Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*; pœnam autem taxatam alicui pro magnitudine peccati posse etiam subiri per alium, dummodo is qui peccauit, sit verè pœnitens, & ipse secundùm modum suum cooperetur.

Ad secundum respondetur apostolum loqui de pœnis quæ hominibus à Deo pro peccatis infliguntur, præsertim in futuro sæculo, non de ijs quæ sponte assumuntur, aut quæ diuinitus illatæ tolerantur. Quare optimè consistit cum apostolica sententia, vt aliquis ex charitate suscipiens in se pœnam quam alius debet, pro eo satisfaciat, quemadmodum & fit in debitis pecuniarijs non obstante lege, quæ solutionem non exigit nisi ab ijs qui debent. In quem sensum etiam prophetæ sententia accipienda est.

Ad tertium respondet S. Thomas 3. quæst. 48. art. 2. non esse parem rationem, eò quòd satisfactio consistat in actu exteriori, ad quem assumi possunt instrumenta, inter quæ computantur etiam amici. Quòd si obijcias confessionem quoque consistere in actu exteriori, responderi potest, confessionem inquantum est legis naturæ esse actum merè internum. Est enim humilis agnitio peccati coram Deo qui offensus est, quatenus autem peragitur exteriori opere, potest etiam adhibitis instrumentis & amicis fieri, vt si quis loqui non possit. Caietanus tamen huic obiectioni aliam quandam adhibet solutionem quam apud ipsum videre est.

Ad postremum respondetur hactenus nemini redundare seu superfluere bona opera; quia inquantum sunt vitæ æternæ meritoria quisque pro ijs plenam mercedem percepturus est: Quatenus verò sunt afflictiua seu pœnalia, & proinde ad satisfacien-

tisfaciendum idonea, potuerunt & possunt alicui A redundare, inquantum videlicet iuxta ordinarium modum quem Deus seruat in exigendis pœnis instorum, peccata eius non exigebant tantam satisfactionem. Quod quidem possibile esse ex eo demonstratur, quia vt supra probatum est, potest quis pro peccatis satisfacere etiam de cōdigno iuxta dictum modum quoad pœnam restantem, igitur & poterit amplius aliquid superaddere, quemadmodum manifestiùs patet, si pœnam quæ iuxta exactam satisfaciendi regulam peccatori alicui pœnitenti iniungitur, eandem subeat alius innocens. Ea enim quoad pœnalitatem redundabit innocenti, & proinde alij cuipiam peccatori ex ipsius vel ecclesiæ intentione poterit applicari. B

§. 24. *Per quæ opera fieri poßit aut debeat satisfactio.*

S. Thom. sup. q. 15. ar. 1. 2. & 3

NVnc de ipsis satisfactionum operibus considerandum, quæ & cuiusmodi esse possint, aut debeant. Quam doctrinam nos breuiter & articulatim per certa quædam documenta proponemus. C

Primum igitur documentum hoc sit: Satisfactiones pro peccatis afflictiuæ seu pœnales esse debent. Huius ratio est, quia lex Dei pro peccato exigit pœnam, quæ non compensatur satisfaciendo, nisi per aliam pœnam. Exigit enim iusticia vindicatiua, eaque satisfactoria, vt qui sibi plus iusto tribuerat auferendo alteri, vicissim sibi aliquid auferant & alteri tribuant. Quare qui peccando sibi plus tribuit, ac Deo debitum honorem subtraxit, is vt pro peccato satisfaciat, debet vicissim sibi aliquid detrahere quod in honorem Dei cedat. Qua ratione etiam satisfacere ab Anselmo definitum est, honorem debitum Deo impendere: Atqui pœna non aliud est quàm priuatio boni vel vtilis vel delectabilis. (Nam priuatio boni honesti ad culpam pertinet) igitur satisfactionem quæ cum tali quadam priuatione seu subtractione fieri debet, pœnalem esse oportet. Quantumuis igitur opus aliquod bonum fuerit, si non sit aliquo modo afflictiuum, non est satisfactorium, quia non per illud homo peccator sibi aliquod bonum vtile aut delectabile subtrahit. D

Probatur autem hæc doctrina per scripturas Ioelis 2. Ionæ 3. 3. Reg. 21. Matth. 11. & alias huius generis, vbi ieiunium, fletum, planctum, cinerem, cilicium legimus, quæ corporis & animi sunt afflictiua, & bono delectabili opponuntur; sicut & eleemosyna quam toties in remedium peccatorum commendat scriptura, opponitur bono vtili. Oratio verò quamuis ex obiecto bona, pœnalis tamen est homini terrenis assueto, & præterea lassitudinem & languorem adfert corpori, ac proinde bono quodam delectabili hominem priuat. Sic Leuit. 16. & 23. & Num. 29. iubentur filij Israel celebrare festum expiationis affligendo animas suas, id est, afflictiua opera, cuiusmodi erant ieiunia, orationes, lamenta exercendo. Rursum idem patet ex hac pœnitentiæ seu satisfactionis definitione apud Augustinum lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 8. Satisfactio est quædam dolentis vindicta puniens in se quod dolet commisisse. Denique patet ex eo quod apud Gregorium, Chrysostomum, Hieronymum, & alios locis alibi à nobis citatis legitur, eum qui illicita commisit, debere sibiipsi licita subtrahere, quæ subtractio sine dubio pœnam habet. At E

neque consuetudinis est ecclesiæ pœnitentias imponere, nisi quæ sint pœnales.

Secundum. Omne bonum opus hominis pœnitentis aliqua ratione satisfactorium esse, probabile est. Probare autem id quidam conantur pluribus rationibus, sed quia non omnes ad id probandum satis apparent idoneæ, vna vera & solida ratio hæc videtur, quia homini carnali & ad terrena desideria propenso vt tali contrarium est & proinde aliquo modo pœnale omne opus quo Deo seruitur & mens ad celestia nititur, sicut paulò antè dicebamus de oratione.

Aduersus hæc autem si quis obijciat. Quantò maiori ex charitate procedit opus aliquod, tātò minùs esse pœnale, quia *charitas pœnam non habet*. Ioan. 4. & proinde non necessariò requiri vt satisfactio pœnalis sit. Nā alioqui consequens fore, vt opus ex minori charitate profectum magis sit satisfactoriū, quod est absurdum: imò consequi vt magnitudine charitatis minuatur in operibus virtus & efficacia satisfaciendi. Quod videtur magis absurdum. Respōdemus semper cęteris paribus opus magis pœnale esse magis satisfactorium. At verò si eius pœnalitas ac molestia minuatur ex magnitudine charitatis & promptitudine voluntatis quam parit charitas, tunc efficacia operis ad satisfaciendum non minuitur, sed magis augetur. Cùm enim debeant eiusmodi opera proficisci ex dolore peccati commissi & studio placandi Deum, quantò dolor ille grauior est & studium maius, tantò magis ad remissionem pœnæ opera illa à Deo acceptantur. Atque hinc est quod afflictiones sanctorum ex magna charitate toleratæ tanti apud diuinam iusticiam ponderis & precij sunt, etiam ad aliorum pœnas redimendas.

Tertium. Satisfactiones etsi fieri possint per opera debita, plærumque tamen Deo gratiores sunt, si exhibeantur per opera aliàs indebita. Quòd enim per opera alioquin debita fieri possit satisfactio, probatur primò, quia fit per ieiunia ecclesiastica ad hoc inter alias causas instituta, vt fideles per ea apud Deum rediment pœnas peccatis debitas. Secundò quia satisfaciunt homines per afflictiones à Deo immissas & patienter toleratas, quidem tolerantiæ opus eo casu simpliciter debitum est. Tertiò quia per opus martyrij, etiam tunc quando quis licitè subterfugere non potest, haud dubiè pro peccatis suis homo satisfaciet. Quartò quia per orationes, eleemosynas pauperum, remissiones iniuriarum, aliaque misericordiæ opera nobis in scripturis à Deo præcepta, satisfacimus pro peccatis, quemadmodum ex eisdem scripturis atque ex ipsa oratione dominica probari potest. Vnde etiam contritio & confessio quas ex Dei præcepto debitas esse constat, in partem veniunt satisfactionis, & proinde minuunt aliquid de pœnis debitis. Denique tam hoc quàm proximè præcedens documentum probari potest ex verbis quæ vniuersali quadam consuetudine subiungi solent formæ absolutionis, his nimirum: Quicquid boni feceris, F & mali sustinebis, sit tibi in remissionem peccatorum, vel vt alij, in remissionem pœnæ &c.

Quòd autem plærumque Deo gratiores sint satisfactiones factæ per opera aliàs indebita, primùm ex eo ostenditur, quia satisfacere per opus indebitum signum est promptioris voluntatis. Deinde quia plus exhibet qui præter opera debita etiam offert aliquid indebitum, quàm qui solùm facit quod debet. Tertiò quia patres eam præcipuè satisfactionem commendant, qua qui illicita commisit,

etiam

etiam à licitis & concessis abstinet. Quartò id probat exemplum peccatricis pœnitentis Lucæ 7. quæ per hoc ostenditur multũ dilexisse, quia lachrymis rigauit pedes Domini & capillis suis tersit, & osculari non cessauit, quæ opera nusquã erant præcepta. Postremò probatur ex generali doctrina de operibus quæ vocantur supererogationis; de quibus patres testantur, quòd Deo gratiora sint, vt Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & in epistolam ad Philæmonem. Augustinus lib. 1. de adult. coniugijs cap. 14. & serm. 61. de tempore. Nazianzenus oratione 20. Chrysostomus super 1. Corinth. 9. ad illud: *Væ mihi si non &c.* & homil. 55. in Matth. & alij.

Cæterùm hîc notandum, quamuis & per opera aliàs debita vti diximus, satisfieri possit, non esse tamen ea saltem ordinariè pro satisfactione iniungenda. Cuius vna ratio est, quia ea quæ debita sunt, obligatione sacerdotis opus non habent, nisi fortè ad hoc, vt duplici vinculo hominem teneant obligatũ, ideoque minùs prætermitti possint: velut si sacerdos alicui iniungeret ieiunium quadragesimæ vel quatuor temporum, vel missam audire diebus dominicis. Sed fortè id nunquam faciendum, nisi fortè persona pœnitens non omnino esset ad tale ieiuniũ obligata propter aliquã causam. Altera quia ecclesię intentio est, vt præter opera debita & communes afflictiones, etiam peculiariter opere alioqui indebito pro suis criminibus quisque Deo satisfacere studeat; eò quòd illa quæ debita sunt, in plærisque iudicet ad redimenda peccata nequaquam sufficere.

Quartum documentum. Non solùm pœnis sponte susceptis aut sacerdotis arbitrio impositis, sed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis & patienter toleratis satisfacere possumus. Hæc aperta doctrina est Tridentini concilij sess. 14. cap. 9. & can. 13. veritatem autem habet de omni afflictione & miseria huius seculi, siue ea sit omnibus communis, vt mors, mortalitas, fames, sitis, siue non omnibus communis, vt morbi, paupertas, damna, vulnera, supplicia extrema vel non extrema, persecutiones, seu iustè seu iniustè illatæ, cæcitas, orbitas & huiusmodi innumera. Nihil enim horum nõ valet ad satisfaciẽdum pro peccatis, si patienter toleretur, vti probant exempla primorum hominum, Dauidis, Manassæ, & subinde ipsius populi Israelitici, & in historia ecclesiastica illustre exemplum Mauricij Imperatoris, vt videre est apud Nicephorum lib. 18. cap. 40. Probant item verba sacerdotis dicentis: Quidquid mali sustinebis, sit tibi &c. Ratio huius doctrinæ est, quia quamuis flagella & calamitates peccatoribus inflictæ per se tantùm sint vindictæ quædam peccatorum; quatenus tamen is cui infliguntur, ea liberè acceptat, & patienter tolerat, fiunt opera ipsius patientis; atque hoc pacto induunt rationem satisfactionis, & similia efficiuntur ijs quæ sponte suscipiuntur, vel à sacerdote iniuncta acceptantur. Vnde & pij quò magis Deum iratum placent, interdum huiusmodi paterna flagella sibi immitti expetunt iuxta illud Ieremiæ 10. *Corripe me Domine.* Et psal. 37. *Quoniam ego in flagella paratus sum.* In quem locum scribens Ambrosius dicit, quòd debeat se quisq; offerre ad flagella quibus à Deo in hac vita sua puniantur peccata, vt in futura memoria deleantur.

Quintum. Tria præcipua satisfactionis opera in scripturis & à patribus commendantur, videlicet, oratio, eleemosyna, ieiunium. Ad hæc autem cætera omnia facilè, possunt reuocari. De oratione præclarum testimonium est Ecclesiastici 21. De ieiunio Ioelis 2. & Ionæ 3. De eleemosyna, Ecclesiastici 29. Prouerb. 2. Danielis 4. psal. 40. & alibi. Omnia verò tria coniunxit hæc angeli Raphaelis sententia Tobiæ 12. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere &c.* Patres quoque hęc tria sæpenumero peculiariter commendant. Vnde Leo serm. 1. de ieiunio decimi mensis: Tria sunt, inquit, quæ maximè ad religiosas pertinent actiones; oratio scilicet, ieiunium & eleemosyna. Ieiunij commendationes apud Ambrosium, Basilium, Chrysostomum, Leonem, & alios authores, itemq́ue in orationibus ecclesiæ per quadragesimam frequentissimæ leguntur. Quantum autem ad peccata redimenda valeat eleemosyna, doctè & copiosè è scripturis ostendit Cyprianus in sermone quem scripsit de eleemosyna.

Est autem de his tribus notandum, quòd præter communem vtilitatem satisfaciendi, singula eorum aliquid habent peculiare contra peccata. Nam oratio etiamsi quàm minimum pœnalitatis habeat, ad delendum tamen peccatum valet per modum meriti seu impetrationis ex promissione Christi qui dixit: *Petite & dabitur vobis.* Vnde in ea non tam spectatur aut quæritur pœnitentis afflictio quàm orantis deuotio, quemadmodum S. Thomas docet 2. 2. q. 83. art. 3. Ieiunium autem quatenus carnem castigat, singulare remedium est ad comprimenda vicia & præcauenda in posterum peccata, mentemq́ue in Deum eleuandam, quemadmodum id declarant orationes ecclesiæ per quadragesimam, & illa præfationis ante canonem missæ verba: *Qui corporali ieiunio vicia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia.* Eleemosyna verò tam spiritualis quàm corporalis propriè valet ad prouocandam Dei misericordiam, simulque præstat, vt aliorum merita & satisfactiones nobis prosint; eorum nempe quibus misericordiam impenderimus, iuxta scripturas. *Beati misericordes quoniam &c.* &: *charitas operit multitudinem peccatorum.* Item: *Date & dabitur vobis, dimittite & dimittetur vobis,* &: *Facite vobis amicos de mammona &c.* &: *vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia &c.* Quare cùm quæritur, an eleemosyna sit præcepti, non tantùm cõsiderari debet eleemosyna, vt est bonum opus quo proximi necessitas subleuatur, verùm etiam & maximè quatenus valet & necessaria est homini peccatori ad impetrandam apud Deum iudicem misericordiam & veniam peccatorum; quia *Iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam* Iacobi 2.

Porrò rationem huius tripartitæ satisfactionis ita quidam assignant, vt sicut in triplici genere sunt bona hominis. (Alia enim sunt animæ, alia corporis, alia externa quę vocantur bona fortunæ) ita triplex sit satisfaciendi modus. Ieiunium enim aliquid subtrahit corpori, sicut & eleemosyna bonis externis. At oratio non quidem animæ aliquid subtrahit (quia bonis animæ, id est, virtutibus simpliciter homo perficitur, ideoque illis nihil subtrahendum est, sed potiùs aliquid addendum) verùm ipsam animam per humilitatem deuotionis totam Deo submittit.

Alij rationem sumunt ex triplici radice peccatorum indicata à Ioanne 1. epist. 2. cùm ait: *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia &c.* Nam concupiscentiam carnis expugnat ieiunium, concupiscentiam oculorum eleemosyna, superbiam vitæ oratio.

Alij ex obiectis peccatorum. Aut enim com-

mittun-

mittuntur in Deum, aut in proximum, aut in nosipsos. Quibus omnibus medetur & oratio qua Deũ suppliciter veniam rogamus, & eleemosyna quam proximo misericorditer impendimus, & ieiunium quo nos ipsos, id est carnem castigando mortificamus.

Iam quòd hæc tria tam latè pateant, vt ad ea possint cætera quæcunque satisfactionis opera reuocari, ostendit Augustinus in lib. de perfectione iusticiæ, docens sub ieiunio generatim comprehendi vniuersam corporis castigationem, sub eleemosyna beneuolentiam & beneficentiam vel dandi vel ignoscendi, sub oratione omnes regulas sancti desiderij.

Sextum & vltimum documentum. Restitutio rei ablatæ vt talis, neque satisfactio est, neque pars eius, sed actus quidam iusticiæ cõmutatiuæ, velere vel proposito ante ipsam satisfactionẽ requisitus ab eo qui alienum detinet. Ratio est quia restitutio fit in rebus datis & acceptis, satisfactio verò in actionibus. Et restitutio quidem æqualitatem facit inter homines, satisfactio verò inter hominẽ & Deũ. Item restitutio pertinet ad cessationem à peccato, qui enim alienum, quod detinet, vbi & quando oportet, non restituit, adhuc in peccato manet iniustæ detentionis, neque ab eo cessat, donec restituat, ideoque incapax est remissionis peccati, iuxta illud Augustini epist. 54. Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, cùm restitui potest. Satisfactio verò cessationem peccati præsupponens instituitur ad placandum eum qui peccato nostro offensus est. Sicut ergo, verbi gratia, prius est, cessare ab adulterio, vel odio fraterno, quã pro ijs peccatis Deo satisfacere; ita prius requiritur restitutio tanquã cessatio quædã ab iniusticia proximo illata, quàm vt pro eo peccato quis Deo satisfaciat. Siquidẽ nec catechumeni (quibus tamen nulla debet imponi satisfactio) ad baptismum admitti possunt absque prævia restitutione tanquam cessatione à peccato iniusticiæ, perinde atque in alijs peccatis. Vnde non debet à sacerdote restitutio pœnitentibus iniungi tanquam satisfactio vel pars eius, sed ante omnia exigenda est ab eis tanquam opus sine quo, vel cuius firmo proposito falsa est ipsa pœnitentia, sicut exigitur aliorum peccatorum odium ac detestatio. Deinde verò ea præsupposita diuersum aliquod opus pro satisfactione iniungendum est.

IN DISTINCTIONEM DECIMAMSEXTAM.

§. 1. *Definitio contritionis eiusq; explicatio.*

S. Thom. sup. q. 1. & seq.



CONTRITIO de qua circa hanc distinctionem disputant doctores, vt prima, ita præcipua pars est sacramenti pœnitentiæ, quam alio nomine compunctionem interdum patres appellant, sæpe etiam generali pœnitentiæ nomine designant. Eam Tridentini concilij patres sess. 14. cap. 4. ita rectissimè definiunt: Contritio est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Quę enim ab alijs non malè adduntur, nempe quòd sit dolor voluntate assumptus ex Dei amore, & propter Deum offensum, & coniunctus cum spe veniæ, & cum proposito confitendi & satisfaciendi & viuendi secundùm legem Dei, hæc omnia ad quandam explicationem faciunt dictæ definitionis, & in ea bene intellecta continentur; nisi quòd illud quod addunt de proposito confitendi & satisfaciendi, contritionem restringit ad eam solam quæ pertinet ad sacramentum pœnitentiæ, cùm alioqui contritio per se considerata latiùs pateat. Neque enim ante legem euangelicam cum tali proposito coniuncta esse debuit, neque etiam vniuersè sub lege euangelica tale propositum requirit, vt patet de pœnitentia & contritione baptizandorum.

Est autem hîc primo loco notandum contritionis vocabulum in præsenti significato merè ecclesiasticum esse, ethnicis scriptoribus vt quibus res ipsa ignota fuit, prorsus inusitatum atque incognitum. Sumptum est autem per translationem à corporibus quæ cùm dura sint, ab agente potentiori comminuuntur & conteruntur in partes, vel etiam emolliuntur. Sic enim cor hominis durum ac Deo resistens per peccatum, humilitate pœnitentiæ per omnipotentem Dei gratiam conteritur & emollitur. Porrò simili quadam ratione etiam compunctio vocatur. Vnde extant apud Chrysostomum libri de compunctione cordis. Item vocari potest scissio vel conscissio cordis iuxta illud Ioelis 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.*

Deinde notandum est dolorem in definitione contritionis non eum intelligi qui est in sensu, sed ipsam peccatorum detestationem, seu de peccatis tristiciam quæ est in voluntate. Est enim contritio actus voluntatis non sensus, vel appetitus sensitiui. Tametsi verum est ex hac contritione in appetitu concupiscibili ferè semper oriri eam animi passionem quæ dolor dicitur. Qui laudabilis quidem est quatenus à voluntate hominis pœnitentis imperatur, non tamen est ad veram contritionem necessarius; tum quia sine eo consistit vera ratio contritionis in parte rationali; tum quia non est in potestate hominis vt semper hic sensitiuus dolor eliciatur.

Notandum præterea ad veram contritionem imprimis requiri vt peccata omnia quibus Deum peccator letaliter offendit, oderit ac detestetur. Nam sicut non agitur vera pœnitentia de vno peccato absque alio, vt suprà ostendimus, ita nec de vno absque alio haberi potest vera contritio. Quare sicut posterior pars definitionis qua dicitur, cum proposito non peccandi de cætero, manifestè vniuersalem habet sensum; ita & prior pars intelligenda est requirere dolorem ac detestationem de quolibet peccato commisso. Quod tamen quomodo sit intelligendum, pòst explicabitur.

Postremò ex eadem definitione contra huius temporis hæreticos est notandum, quemadmodum loco supradicto declarat Synodus Tridentina; Contritionem non solùm cessationem à peccato & vitæ nouæ propositum atque inchoationem, sed veteris etiam odium continere, iuxta illud Ezech. 18. *Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum & spiritum nouum.* Quò etiam pertinẽt pœnitentiæ & tristiciæ & doloris & gemitus vocabula, quibus scriptura vtitur, vt quum ait: *Pœnitentiam agite*, &. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Luc. 13. &, *Quæ secundum Deum tristicia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur* 2. Corinth. 7. &, *Dolor meus in conspectu meo semper* psalm. 37. Item; *Rugiebam à gemitu cordis mei, Et gemitus meus à te non est absconditus*, & sæpe alibi.

Huius-

Huiuſmodi enim ſententiæ ſignificant, & in peccatore requirunt eam voluntatis affectionem qua per odium ac deteſtationem contra peccatum à ſe commiſſum moueatur.

Vnde Auguſtinus ait ſerm. 7. de tempore. Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei & homil. 50. cap. vltimo: Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, Non enim dictum eſt, vt tantùm abſtineamus à peccatis, *ſed & de præteritis*, inquit, *deprecare Dominum, vt tibi dimittantur.* Et quæ ſequuntur.

Quibus accedit illa pœnitentiæ deſcriptio apud patres frequentata: Pœnitentia eſt anteacta peccata deflere, & flenda non committere. Imò nec nouam vitam aut eius inchoationem in eo qui peccauit, agnoſcunt patres, niſi ſit cum odio veteris vitæ coniuncta. Sic enim ait Auguſtinus homil. 27. inter 50. cap. 1. Nemo eligit vitam nouam niſi quem veteris pœnitet & homil. 50. cap. 2. Niſi hominem pœniteat vitæ veteris, nouam non poteſt inchoare.

Ex quibus intelligitur quàm falſum ſit ac meritò damnatum illud Lutheri: Optima pœnitentia noua vita. Quamuis enim quodam vero ſenſu id accipi poſſit, quatenus nimirum ſignificetur non niſi in eo qui peccata relinquit, & nouam vitam inſtituit, eſſe veram pœnitentiam, atque huius certum ſignum eſſe vitæ nouitatem; falſum tamen eſt pœnitentiam præciſè eſſe nouam vitam, id eſt, non aliam à nobis exigi pœnitentiam quàm vitam bonam in poſterum, nullo habito reſpectu ad peccata priùs commiſſa. Quem ſenſum ſpectauit Lutherus. Contra quem patres concilij Tridentini ſeſſ. 6. cap. 6. modum præparationis ad iuſticiam explicantes, dicunt peccatorem ad hoc vt iuſtificetur, debere agnoſcere ſe eſſe peccatorem, & moueri aduerſus peccatum per odium & deteſtationem, hoc eſt, per eam ſaltem pœnitentiam quæ etiam ante baptiſmum requiritur. Et cap. 14. ſignificant pœnitentiæ nomine quæ etiam baptizandis communis ſit, contineri non modo ceſſationem à peccatis, ſed etiam eorum deteſtationem, & quod pſalmiſta vocat cor contritum & humiliatum. Ac rurſum ſeſſ. 14. cap. 1. ab omnibus omnino pœnitentibus etiam ante baptiſmum exigunt, vt peruerſitate abiecta & emẽdata tantam Dei offenſionem cum peccati odio & pio animi dolore deteſtentur. Et denique eiuſdem ſeſſionis cap. 4. de contritione agentes, clariùs idipſum definiunt ijs verbis quæ ſuprà citauimus.

Porrò ex dictis illud etiam manifeſtè conſequitur, contritionem veram non naſci ex ſolo amore ſpecioſiſſimæ iuſticiæ, vt Lutherus dicebat; verùm etiam ex conſideratione peccatorum in Deum commiſſorum. Nam ſolus amor iuſticiæ ſeu pulchritudinis eius conſideratio non gignit contritionem ſeu dolorem aliquem, ſed potiùs exultationem. Itaque vt contritio gignatur in animo peccatoris, opus eſt vt iuſticiam diligat, eamque conſideret quatenus à ſe per peccatum violata eſt: quod non fit ſine ipſius peccati conſideratione, & motu in ipſum cum odio ac deteſtatione. Id quod patres Tridentini concilij ſeſſ. 6. cap. 6. indicant, vbi dicunt peccatores diſponi ad iuſticiam, dum Deum tanquam iuſticiæ fontem diligere incipiũt, ac propterea mouentur aduerſus peccata, &c.

Atque hinc eſt quòd ſcriptura & patres hominem pœnitentem talem nobis paſſim deſcribunt, qui dolorem contritionis conſideratione & commemoratione peccatorum ſuorum in ſemetipſo excitet, quemadmodum probant hæ voces in pſalmis: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci*, &c, *Peccatum meum contra me*, id eſt coram me, *eſt ſemper*, &c, *Quoniam iniquitatem meam annunciabo & cogitabo pro peccato meo*. Item Apocalyp. 2. *Memor eſto, vnde excideris, & age pœnitentiam*, & Iſaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* Hæc enim regis Ezechiæ verba licèt ab alijs aliter intellecta, ad affectum hominis pœnitentis referunt patres Tridentini ſeſſ. 14 cap. 4. & can. 5.

Hanc peccatorum conſiderationem in pœnitente diſertè requirit Ambroſius in pſal. 37. ita ſcribens: Plena pœnitentiæ definitio commemoratio eſt delictorum, vt vnuſquiſque peccata velut quodam quotidiani ſermonis caſtiget flagello & commiſſa ſibi flagitia condemnet. Sic & author lib. de vera & falſa pœnitentia cap 15. Conſideret, inquit, peccator qualitatem criminis in loco, in tempore &c. Et rurſum: Conſideret quantum perſeuerauerit, & defleat quòd perſeuerauerit. Et infrà: Immoretur in ſingulis iſtis & ſentiat modum criminis &c. Quibus ſimilia leguntur apud Baſilium in pſal. 33 & Chryſoſtomum in pſal. 50. & lib. 2. de compunctione cordis.

§ 2. *Contritionem eſſe ad remiſsionem peccati neceſſariam.*

QVamuis ex ijs quæ iam dicta ſunt, ſatis appareat contritionis ad remiſſionem peccatorum & proinde ad ſalutem conſequendam neceſſitas, paulò tamen pleniùs atque diſtinctiùs eadem nunc probanda eſt & explicanda. Certò igitur ſtatuendum eſt peccatum mortale ſine pœnitentia, id eſt, ſine deteſtatione ſeu odio peccati cum propoſito non peccandi de cætero, quam contritionem eſſe diximus, non poſſe remitti. S.Th. p. q. 84. a. 5. & q. 86. a. 2.

Quæ doctrina in ſacris literis euidens eſt, in quibus paſſim Deus à peccatoribus exigit pœnitentiam, nec aliter ijs quàm per pœnitentiam ſpem veniæ & ſalutis oſtendit. Sic enim ait Dominus per Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita viuet, & non morietur.* Et iterum: *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinã iniquitas.* Et cap. 33 *Si impius non fuerit conuerſus à via ſua, ipſe in iniquitate ſua morietur.* Apertiſſimè verò Chriſtus in euangelio dicens: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Qui & prædicationem ſuam ſicut & præcurſoris & diſcipulorum ſuorum à pœnitentiæ doctrina voluit habere initium, tanquam ab eo quod in primis eſt ad ſalutem neceſſarium dicendo: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum* Quod enim vox Græca *μετανοεῖτε* non ſolam ſignificet mutationem vitæ in melius, vt aduerſarij volunt, alibi oſtendimus. Sed & Petrus Act. 2. & 3. Iudæis dicentibus: *Quid faciemus*, vnicum hoc conſilium monſtrat, adipiſcendæ ſalutis: *Pœnitemini*, inquiens, *& conuertimini vt deleantur peccata veſtra*, quaſi diceret, alioqui deleri non poterunt. Sic enim Apocalyp. 2. expreſsè ſemel & iterum dicitur: *Age pœnitentiam ſi quò minus, veniam tibi &c.* Ne autem patrum ſententijs (quæ plurimæ ſunt quarum nonnullæ recitantur à Gratiano de pœnitentia diſt. 1.)

recen-

recensendis immoremus, sufficiant quæ superiùs dicta sunt, & illud in primis Augustini; neminem posse nouam inchoare vitam, quem non pœniteat vitæ veteris.

Ex quibus omnibus perspicuum est contritionem non tantùm necessariam esse necessitate finis; quia videlicet absque ea nec venia peccati, nec salus haberi potest; quomodo baptismus tam paruulis quàm adultis est ad salutem necessarius, verùm etiam necessitate præcepti. Nam hæ scripturæ tam veteris quàm noui testamenti: *Conuertimini & agite pœnitentiam, & scindite corda vestra*, indubiè præcepti vim habent. Quod diuinum præceptum vrget Tertullianus lib. de pœnitentia, inter cætera scribens ad hunc modum: Audaciam existimo de bono diuini præcepti disputare, scilicet pœnitentiæ. Neque enim quia bonum est, ideo auscultare debemus, sed quia Deus præcipit &c. Quæ tamen verba non ita sunt accipienda, quasi absque peculiari diuino præcepto peccator non esset ad agendam pœnitentiā obligatus; sed quia expresso Dei præcepto plus moueri debet quàm dictamine legis naturę. Nam alioqui non est dubium, quin secluso Dei præcepto lex naturæ pœnitentiam exigat, tum propter necessitatem finis, id est, salutis, tum propter compensationem iniuriæ per peccatum Deo illatæ, ad quam ex iusticia homo tenetur, & quæ non aliter fieri potest quàm per pœnitentiam. Vnde patres Tridentini concilij locis suprà citatis partim ex lege diuina partim ex ratione finis necessitatem contritionis declarant, præcipuè cap. 1. & 4. sess. 14.

Porrò Dei præceptum eam nobis innuit certam & fixam ipsius ordinationem qua constituit nemini peccatum remittere, atque in gratiam suam & gloriæ participationē recipere quem non priùs peccati pœniteat. Ex quo rectè concluditur secundùm ordinariam, quam vocant, Dei potestatem, esse impossibile, vt Deus peccatum remittat homini impœnitenti, id est, non priùs dolenti de offensa Dei, suumque peccatum detestanti ac vitam proponenti mutare in melius. Vnde nec in baptismo cuiquam adulto peccatum absque pœnitentia præuia remittitur, cùm sit aperta Petri sententia Act. 2. *Pœnitemini & baptizetur vnusquisque vestrum &c.* idemque disertè doceat Tridentina synodus vtroque loco iam citato. Quamobrem & Christus etsi sine sacramento, non tamen sine pœnitentia præuia hominibus peccata remisit. Cùm enim dixit paralytico: *Remittuntur tibi peccata*, & adulteræ: *Nec ego te condemnabo*, existimandum est quòd iam antè in cordibus eorum operabatur contritionis dolorem quàm hæc verba ad eos diceret; sicut certum est eum fecisse in muliere peccatrice, & latrone pendente in cruce. In his enim manifesta fuit præcedens pœnitentia.

Quocirca quod nonnulli docuerunt, nullum bonum volūtatis motum prærequiri ad percipiendam remissionem peccatorum in eo qui ad sacramentum accedit, sed satis esse si non ponat obicem actus contrarij, nullo modo videtur cum hac sana de cōtritione eiusque necessitate doctrina consistere. Vnde & concilium dictę sessionis cap. 4. non tantùm affirmat contritionis motum fuisse quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, etiam baptizandis necessarium; verùm etiam calumniam illam hęreticorum depellit, quasi Catholici doceant sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam, inquit, ecclesia Dei docuit, nec sensit.

§. 3. *De quibus peccatis contritio requiratur.*

AD quæstionem qua quæritur, de quibus peccatis necessariò requiratur contritio, id est, quorum pœnitere nos debeat, vt eorum remissionē consequamur, respondendum imprimis est, tantùm de proprijs ac præteritis peccatis pœnitentiam seu contritionem exigi. Nam pœnitētia secundùm propriam suam rationem non respicit nisi factum aliquod vel omissum ab eo quem pœnitere dicimus, quatenus nititur ad illud destruendum seu corrigendum: contritio quoque significat odium peccati commissi ab eo qui proponit non amplius peccare. Quare tametsi aliena peccata sicut & nostra futura displicere nobis debeant; quia tamen à nobis non sunt perpetrata, locum in ijs non habet nostra pœnitentia.

S. Thom. sup. q. 2 art. 1. & seq.

Sed neque de pœnis seu miserijs quibuscunque peccata consequentibus habenda est contritio; quia sicut pœnitentia ita & contritio solum malum culpæ, id est peccatum pro obiecto habet. Vnde quamuis mala pœnæ contristent hominem ac dolore afficiant, ideoque sint materia patientiæ, quatenus tamen culpam non inuoluunt, non possunt nec debent esse materia pœnitentiæ.

Quod ergo legitur apud Augustinum homil. 50. quæ est eadem cum lib. de pœnitētię medicina cap. 3. quia nemo vitam æternam, incorruptibilem, immortalemq; desideret, nisi eum vitę huius tēporalis corruptibilis, mortalisq; pœniteat; ita rectè intelligitur, pœnitentiam agendam esse de vita hac mortali & corruptibili, non ratione mortalitatis & corruptibilitatis, sed ratione peccatorum quæ mortis & corruptionis ac miseriarum huius vitæ sunt causa. Vnde cap. superiori diuersis verbis sed eodem sensu dixerat, neminem nisi quem pœniteat vitæ veteris, nouam vitam posse inchoare.

Quod autem Dauid tanquam pœnitens orat in psalmo: *Ab alienis parce seruo tuo*, etsi de peccatis intelligi possit, propriè tamen & ad literam accipiendum est de hominibus alienis, siue vt ex Hebræo Hieronymus vertit, superbis, à quorum dominatu propheta se liberari rogat. Vnde sequitur masculino genere: *Si mei non fuerint dominati.* Si tamen de peccatis dictum accipiatur, aliena intelligentur peccata, non quatenus aliena; sed quatènus vel iussione, vel consensu, vel simili modo nostra sunt.

Iam vt ad propria & actualia peccata veniamus, quorum alia mortalia sunt, alia venialia, diligenter inter ea distinguendum est quoad necessitatem pœnitentiæ seu contritionis. Quam rem aliquot documentis explicabimus, quorum primum est. Non tantùm pro mortalibus peccatis, verùm etiam pro venialibus aliqua pœnitentia exigitur. Docet id expresè Augustinus pluribus locis vt homilia 27. & 50. & epistol. 108. in quibus tres distinguit actiones pœnitentiæ; quarum prima sit baptizandorū, secunda relapsorum, tertia pro quotidianis leuibusq; peccatis agenda, quas singulas etiam ex scripturis probat. Hieronymus de pœnitentia iusto homini pro peccatis quotidianis necessaria sic loquitur epist. 46. ad Rusticum cap. 4. Septies cadit iustus, & resurget. Si cadit, quomodo iustus? si iustus quomodo cadit? sed iusti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit.

Secundum. Pro mortali peccato perfectior pœnitentia requiritur quàm pro veniali. Docet hoc

eiſdem locis Auguſtious, & teſtatur in oratiooe ſua Manaſſes dicens Deum non poſuiſſe pœnitentiam iuſtis, qualem videlicet iniuſtis. Huius autem manifeſta ratio eſt ex infinita diſtantia peccati mortalis à veniali; quia mortale peccatum bominem Deo conſtituit inimicum & à Deo auerſum, & æternæ damnationi obnoxium, non item veniale.

Tertium. Ad remiſſionem peccati mortalis requiritur, vt homo actualiter illud deteſtetur. Probatur hoc ſatis ex ijs quæ ſuprà de neceſſitate contritionis dicta ſunt, & mox pleniùs explicabitur.

Quartum. Ad remiſſionem peccatorum venialium non requiritur neceſſariò actualis eorum deteſtatio; at neque ſufficit habitualis eorum diſplicentia quæ per charitatem vel pœuitentiæ virtutem habetur, ſed tequiritur & ſufficit diſplicentia virtualis. Prima pars huius doctrinæ probatur, quia venialium remiſſio nõ neceſſariò requirit examen & ſcrutinium conſcientiæ de ſingulis ſicut remiſſio mortalium. Secunda quia ſi ſufficeret habitus, nemo charitate præditus haberet vllum veniale peccatum. Tertia à diuiſione ſufficienti diſplicentiæ in actualem, habitualem & virtualem. Eam autem virtualem dicimus, dum quis eo affectu fertur in Deum, vt ſi tale peccatum actu cogitationi eius occurreret, diſpliceret ei, & commiſiſſe ſe doleret.

Quintum. Eadem hæc virtualis diſpliceotia ſufficit ad remiſſiouem mortalium oblitorum, id eſt eorum quæ etiam diligenti indagiue facto ad memoriam oon redeunt. Huius aſſertionis ratio eſt, quia cùm eo caſu impoſſibilis habeatur actualis diſplicentia, vtpote de ijs quorum actualis recordatio haberi nequit, neque tamen qui ea commiſit à ſpe veniæ ſit excludendus: neceſſariò ſequitur ad ea delenda tanqnam ſufficientem à Deo acceptari diſpliceotiam virtualem.

§. 4. *Utrùm in aliquo caſu vt martyrij ſufficiat virtualis contritio.*

S. Thom. loco sup. cit.

CIrca doctrinam ſuperiorem quæret aliquis, cùm dictum ſit ad remiſſionem peccati mortalis requiri actualem eius deteſtationem; id quod ex ijs quæ de neceſſitate pœnitentiæ & contritionis alibi tradita ſunt, manifeſtum relinquimus. (Neque enim poſſunt ſcripturæ ex quibus ea neceſſitas ſtatuitur, omnes ad virtualem peccati deteſtationem niſi prorſus violentè detorqueri, velut cum dicitur: *Agite pœnitentiam, ſcindite corda veſtra, Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*, & aliæ huiuſmodi. Deinde niſi actualis pœnitentia agnoſcatur eſſe oeceſſaria, ſanè quàm proximè accederet ad damuatum Lutheri paradoxum: Optima pœnitentia noua vita, quippe cùm noua vita virtute in ſe includat fugam ac deteſtationem veteris vitæ. Denique non aliter intelligi poteſt conciliorum Tridentini & Florentini, imò totius antiqnitatis doctrina contritionem à pœnitentibus exigens, quàm de actuali dolore, odio, deteſtatione peccatorum.) Quæret inquam aliquis vtrùm ea doctrina etiam ad illos extendenda ſit qui ad martyrium rapiuntur.

Plærique exiſtimant etiam ad illos extendi propter generalem neceſſitatem contritionis, de qua Tridentinum concilium ſeſſ. 14. cap. 4. dicit contritionis motum quouis tempore ad Impetrandam veniam peccatorum fuiſſe neceſſarium. Et cap. 1. pœnitentiam vniuerſis hominibos qui ſe mortali aliquo peccato ioquinaſſeot quouis tempore etiam baptizandis neceſſariam fuiſſe, vt Dei offenſam cum peccati odio deteſtarentur. Itaque dicunt iſti actum martyrij qui eſt actus perfectæ charitatis, iuxta illud: *Maiorem charitatem nemo habet &c.* Ioan. 15. in eo qui mortaliter peccauit, eſſe non poſſe abſque pœnitentia, vel præſeoti actuali criminis deteſtatione.

Quibus obijcitur, poſſe quempiam ita ſubitò rapi ad martyrium, & animum eius ita totum circa actum illum fortitudinis occupari, præſertim ſi ſtatim mors inferatur, vt peccata memoriæ eius non ſe offerant. Quocirca ab alijs non improbabiliter aſſeritur ei qui ad martyrium rapitur, ſi actualem motum contritionis impediat ſolicitudo certaminis, & feruor actualis amoris in Deum, ad remiſſionem peccati ſufficere pœnitentiã virtualem.

Id probant primùm ex priuilegio martyrij indicato illis verbis Matth. 10. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus &c.* Deinde ex eo quod olim infantes non circumciſi apti fuerunt martyrio, & pari ratione nunc infantes non baptizati martyrio coronari poſſunt. Vnde apparet multò magis in adultis actum eminentis charitatis qua martyrium ſubierunt, abſque actuali dolore pœoiteotiæ ſufficere ad veniam & coronam conſequendam. His addunt authoritatem Chryſoſtomi qui io ſermone 29. de pœnitentia teſtatur martyrium pœniteotiæ præteriti peccati non egere. Nam ſicut, inquit, lux diei non quærit lucernam: ſic iuſticia martyris ante Deum ſine pœoitentia lucet. Item Auguſtini qui lib. 2. contra Donatiſtas cap. 18. dicit in Cypriano errorem illum de baptiſmo hæreticorum iterando paſſionis falce purgatum fuiſſe. In quo tameo errore vſque ad finem vitæ eum perſtitiſſe ipſe Auguſtinos eiuſdem libri cap. 5. exiſtimare ſe fatetur.

Sed ad hæc reſponderi oon incommodè poſſet, errorem illum in Cypriano noo fuiſſe letalem, vtpote pertinaciæ expertem; eò quòd res illa nondum plenè ſatis diſcuſſa tunc fuerat. Chryſoſtomum autem loqui de certo pœniteutiæ modo, qualis nimirum à relapſis exigitur. De infantibus item argumentum oon conuincere, quòd illi non habuerint peccatum vllum propriæ actionis, ſed tantùm originale; de quo oon ſit agenda pœnitentia. Christi quoque ſententiam ſupponere id quod paſſim ſcripturæ inculcant & exigunt, nempe pœnitentiam ſeu contritionem de peccatis commiſſis, eamqoe actualem.

Si cui tamen poſterior hæc opinio quam tradũt Scotus, Gabriel & Duminicus Soto, velut probabilior amplectenda videatur, ad argumenta contrariæ opinionis reſpondere poterit; ſcripturas & patrum ſententias quæ actum contritiools exigunt, intelligendas eſſe de ijs peccatis, à quibus recogitandis peccator oulla vel neceſſitate, vel iuſta ratione excloditur. Vnde ſicut ad remiſſionem criminũ oblitorum ſufficit pœnitentia virtualis, quemadmodum ſuprà diximus; ita dici poteſt de ijs peccatis quæ memoriæ martyris in agone paſſionis conſtituti non occurrunt, eò quòd ſi nou neceſſitate, ſaltem iuſta ratioue à rememoratione peccatorum & examinanda conſcientia in tali articulo poſitos impediatur. Requirit enim actus martyrij animum feruenti & continuato amore Dei & ſpe præmij cœleſtis incenſum atque armatum ad ſuperanda tormenta & terrores mortis, quæ omnium eſt maximè terribilis. A qua proinde actuali intentione ooo expedit eum per aliud quicquam auocati.

Potrò

A Porrò ex his etiam apparet, nec de illius salute desperandum esse, qui sola habita virtuali contritione, vel dormiens, vel etiam vigilans ita repentina morte opprimitur, vt actu nec de peccatis, nec de vlla alia re cogitare potuerit. Si verò quis spacium cogitandi tam exiguum habet, vt in particulari sua peccata recensere non possit, sciens interim se mortaliter deliquisse, videtur eo casu sufficere ad salutem contritio de peccatis in genere. Cuius ratio est, quia quàm diu homo est in vita, & voluntatis vsum habet, etiamsi breuissimo tempore superuinat, non est de eo desperandum; ideoque nec ne-
B gandum, quin etiam tantillo temporis spacio per veram pœnitentiam possit ad Dominum conuerti & salutem consequi. Quare in eo casu cùm specialis contritio haberi nequeat, generalis sufficiet.

§. 5. *Vtrùm de singulis peccatis singularis exigatur contritio.*

S. Thom. sup. q. 2. art. 6.

QVæri præterea solet, vtrùm de singulis pecca-
C tis mortalibus sigillatim conteri debeat peccator, ita vt tot requirantur distinctæ contritiones, quot sunt peccata. Partem affirmatiuam tenere videntur antiquiores quidam scholastici, tametsi eam non ita expressè asserant. Nititur autem ea huiusmodi argumentis.

Primum. Dicitur in persona pœnitentis: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, ergo sicut omnia sigillatim recogitanda sunt, ita singulis adhibenda est amaritudo contritionis.

Secundum. Confessio debet sigillatim fieri de singulis, ergo & contritio. Debet enim confessio
D oris coniunctam habere contritionem cordis.

Tertiũ. Gregorius scribens in 5. psal. pœnitentialem requirit compunctionem de singulis quibuscũque peccatis, eamq́ue, vt videtur, singularem; ita enim subiungit: Solent namq́ue electi viri ad ea quorum sibi sunt conscij peccata, mentis intuitum reducere, & modis eorum cauta singulatim consideratione perspectis, singula quoque deflere; vt hoc modo cordis sui præparent habitaculum, dum per vnumquodque erroris sui deplorant excessum. Hinc namque Ieremias ait: *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus.* Diuisas quippe aquas ex oculis de-
E ducere, est dispertitas lachrymas vnicuique peccato tribuere, & iniquitatis gaudia satisfactionis doloribus compensare; quatenus dum nunc huius nunc illius delicti memoria mens acriùs tangitur, simul de omnibus singulis commota purgetur. Hæc Gregorius, apud quem his similia leguntur libro 8. moral. cap. 11.

Quartum. Augustinus lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 14. & habetur apud Gratianum de pœnitentia dist. 5. cap. Consideret, vult singulas peccatorum circumstantias cum dolore meditandas
F esse, multò igitur magis id exigitur in singulis peccatis.

Quintum. Catechismus parochorum vult fideles maximè hortandos & monendos esse, vt ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant, idque probat vno & altero scripturæ loco videlicet Isa. 38. & Ezech. 18.

Adducunt prætcrea testimonia aliquot Chrysostomi quibus hanc specialem de singulis criminibus contritionem exigere videtur, vt homil. 42. in Matth. homil. 31. in epist. ad Heb. & 41. ad populum Antiochenum. Item lib. 2. de compunctione cordis, & in serm. quodam de pœnitentia & confessione.

At verò si hæc doctrina sic intelligatur, vt singulis numero peccatis respondere debeant singulæ contritiones, statim apparet eius impossibilitas. Neque enim exempli gratia, meretrix pœnitens tenetur tot numero formare contritiones quot commisit actus impudicitiæ; quia nec tenetur sigillatim omnes actus illos memoria reuoluere, imò nec expedit, sed sufficit vt sciat & cogitet numerum in genere. Sin autem de singulis peccans secundùm speciem intelligatur, magis quidem hoc probabile est. Et sanè omnino expedit de singulis non tantùm secundùm speciem, verùm etiam secundùm numerum, nisi quid aliud obstet, sigillatim conteri. Non tamen id apparet esse ad salutem necessarium, sed sufficere videtur, vt peccatis omnibus quoad fieri potest, in memoriam reuocatis contritio in ea omnia collectim feratur. Quod si fiat, hominem verè effici idoneum ad eorum remissionem. Itaque necessariò quidem requiritur pœnitentia & contritio de singulis, non tamen singularis. Neque amplius conuincunt scripturæ quàm necessarium esse vt homo de singulis doleat, etiamsi non distinctis actibus, sed vno contritionis motu id fiat.

Ad secundum argumentum respondetur non necessariò confessionem per singulas partes suas cum actuali contritione coniunctam esse debere, deinde nec eam necessariò faciendam de singulis numero peccatis diuisim, cùm possit peccator & debeat interdum vno numero multa comprehendere dicendo decies aut centies hoc feci.

Quæ ex patribus adductæ sunt authoritates, partim docent de singulis vel numero vel specie peccatis dolendum esse. Nam Chrysostomus homil. 41. in Matth. species nominat non tamen exigunt actus distinctos; partim ostendunt non quid sit absolutè necessarium, sed quid perfectiores facere soleant, & ad quid faciendum hortandi sint fideles.

§. 6. *An de originali peccato habenda sit contritio.*

S. Thom. sup. q. 2. ar. 2.

SOlet etiam quæri, vtrùm pœnitere seu conteri debeat homo de peccato originali siue remisso vt post baptismum, siue nondum remisso vt ante baptismum. Ita enim videri potest.

Primò, quia peccatũ illud veram & propriam peccati rationem habet, atque inest vnicuique proprium, vti Tridentini concilij sess. 5. can. 3. & 5. definitum est. Agenda est autem pœnitentia de proprijs & propriè dictis peccatis.

Secundù, quia catechumenus debet habere displicentiam de peccato originali ex amore iustitiæ cum studio Deum placandi, & peccatum destruendi, vbi continetur tota ratio contritionis.

Tertiò. Augustinus homil. 50. cap. 2. dicit accedentes ad baptismum debere pœnitentiam agere veteris vitæ, sub qua etiam peccatum originale comprehendit. Quod & ex eo patet, quia ab ea pœnitentia solos paruulos excipit, quibus dicit ad remissionem peccati originalis sufficere eorum fidem à quibus offeruntur. Et cap. 3. dicit quòd per pœnitentiam displicere nobis debeat hæc vitæ co-

ruptio & peccandi materies; videlicet fomitem peccati in nobis relictum quo ad peccandum continuè sollicitamur, significans. Idem lib. de correptione & gratia cap. 6. hominem corripi vult propter peccatum originale. Corripiatur, inquit, origo damnabilis, vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur. Nemo autem rectè corripitur nisi pro eo cuius debet ipsum pœnitere. Similiter author lib. de vera & falsa pœnitentia capit. 8. ostendit etiam peccatum originale comprehendi sub ijs peccatis, quorum sit agenda pœnitentia.

B Quæstioni breuiter respondetur, si pœnitentia & contritio propriè & specialiter accipiantur, non debere nec posse hominem pœnitere aut conteri de peccato originali. Nam vt suprà dicebamus, pœnitentia propriè dicta tantùm respicit factum hominis proprium, iuxta id quod ait Poëta:

Pœniteat & facto torqueor ipse meo.

Et idem iudicium de contritione. Quamuis igitur peccatum originale sit vnicuique proprium & propriam habeat peccati rationem; non tamen ab vnoquoque propria actione commissum est; sed ex parentibus generatione contractum, ideoque nec

C eius est propria pœnitentia. Significauit hoc Bernardus serm. 2. de assumptione beatæ Mariæ, ideo negans pœnitentiam locum habuisse in B. Virgine, quia nihil proprij inquinamenti vnquam habuit. Nam quòd habuerit originale, eiusdem Bernardi sententia est, ergo secundum eum de originali peccato non est pœnitentia. Item Bonauentura in speculo beatæ virginis cap. 2. Bernardi testimonium allegans ait: Proprium delictum Maria non habuit, & sic ab innocentissimo corde eius etiam pœnitentia longè fuit. Vnde enim cor Mariæ pœnitere debuit, cùm nunquam dignum aliquid pœnitentia admiserit?

D At si generaliùs sumas pœnitentiam, nimirum pro odio seu displicentia quam quis habet de suo malo culpæ, siue id sua voluntate commiserit, siue non; rectè & verè dicitur quòd possit, imò & debeat quisque pœnitere seu conteri de peccato suo originali, hoc sensu, quia debet illud homini displicere tanquam suum peccatum & dolere quòd talis natus sit, dicendo cum psalmista: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum & in peccatis concepit me mater mea*, & cum apostolo: *Infelix ego homo &c.* ac præterea niti debet ad illud destruendum, eiusque reliquias, id est fomitem peccati penitus abolendum.

E Vnde quod Bonauentura in præsentem distinctionem parte 2. quæst. 1. dicit congruum esse, vt homini peccatum suum originale displiceat, minùs sufficienter dictum videtur. Rectiùs S. Thomas in hanc eandem dist. quæst. 1. art. 2 quæstiuncu. 2. simpliciter asserit, quòd talis pœnitētia non solùm potest, sed debet haberi. Neque id retractat aut moderat in summa parte 3 quæst. 8 3. art. 2. ad 3. quasi ibi tantùm dixerit posse esse pœnitentiam de peccato originali. Non enim eo loco disputat, vtrùm

F possit, an debeat de eo peccato haberi pœnitentia, sed tātummodo docet, quomodo ea voce vti possimus. Inquantum, inquit, largè accipitur pœnitentia pro quacunque detestatione rei præteritæ, potest dici pœnitentia de peccato originali, sicut loquitur Augustinus in lib. de pœnitentia.

Patet igitur ex his, quatenus concludant argumenta pro parte affirmante adducta, quomodo dissoluenda sint, inquantum concludere intelliguntur de pœnitentia propriè dicta. Cùm enim dicitur agendam esse pœnitentiā de proprijs peccatis, propria intelliguntur quæ sunt propriæ actionis. Ad cuius distinctionem, peccatum originale à patribus interdum vocatur peccatum alienum; non quia non inest, sed quia ab alio factum est.

Contritionis etiam propria ratio hoc habet, vt doleat homo de peccatis à se commissis.

Augustinus autem pœnitentiæ vocabulum generaliter vsurpat pro odio mali proprij tam pœnæ quàm culpæ, cum studio illud destruendi. Idem docet corripiendam esse in homine originem damnabilem; non quia eam quisque sibi fecit, neque quia in ea natus est, aut eam habet, nisi fortè culpabiliter gratiam regenerationis distulerit: sed ne in eius corruptione velit permanere, nolens ab ea per regenerationem & sanctæ vitæ studium liberari. Quod vtrique propriæ voluntatis malum est, ac proinde correptionis seueritate castigandum.

§. 7. *Contritionis dolor quantus esse debeat.*

CVm duplex sit dolor, alter voluntatis, alter appetitus sensitiui, satis inter doctores conuenit, dolorem hunc qui in sensum redundat ex magnitudine doloris qui est in voluntate, non requiri summum seu maximum ad hoc, vt per contritionem quis consequatur remissionem peccatorum. Cuius ratio est, quia dolor ille cùm sit sensitiuæ partis maior ac vehementior excitatur plærumque ab obiectis sensibilibus, quàm à voluntate & ratione, cuius imperio sensitiuus appetitus non plenè subest. Quo fit, vt multi etiam verè pœnitentes non ita sensibili dolore commoueantur, neque ita multum aut facilè lachrymas eliciant propter commissa peccata, Deiq; offensam; sicut ex læsione corporis, ex amissione parentum, filiorum, ac rerum temporalium. Huius enim rei causa est ipsa natura saltem secundùm hunc corruptionis statum. Vnde & initio dicebamus, dolorem hunc sensus ad pœnitentiam & peccati remissionem absolutè non esse necessarium. Tametsi monendi sunt pœnitentes, vt hunc quoque dolorem in semetipsis excitare studeant, quemadmodum Dauid & Petrus & peccatrix euangelica magnam lacrymarum vim profundentes, psalm. 6. Matth. 26. Lucæ 7. & alij pœnitentes quos scriptura commemorat, fecisse leguntur.

S. Thom. supp. q. 3. per totam.

Cæterùm de dolore voluntatis qui est ipsa contritio, quantus necessariò requiratur vt per eum haberi possit remissio peccatorum, variant doctorum sententiæ. Quidam enim ad contritionem requiri dicunt summum conatum hominis, ideoque dolorem debere esse iuxta vires hominis quàm maximè intensum. Alij certum quendam gradum intensionis, itemque certam quantitatem extensionis seu continuationis in contritione requirunt. Alij aliter opinantur.

Verùm hac opinionū varietate omissa, breuiter ea proponemus quæ circa hanc quęstionē asserenda videntur. Quorum hoc primum est, idque certissimum. Dolor contritionis omnium dolorum maximus esse debet appretiatiuè, vt loquuntur, hoc est, debet peccator ita detestari sua peccata, vt nihil in rebus adeo charum ipsi sit, pro quo velit ea iterum committere. Huius ratio est, quia dolor contritionis oritur ex amore Dei super omnia, quo nimirum ita Deus diligatur, vt nihil ei præferatur, nihil æquetur. Quare & detestatio

peccati

peccati tanta esse debet, vt nullius rei causa ipsum committatur. Vnde sicut iubemur Deum diligere ex toto corde, id est, super omnia; ita iubemur à peccato recedere, atque ad Deum conuerti ex toto corde, id est, peccatum super omnia detestari Deut. 6. Ioelis 2. Sicut enim Deus est summum bonum, ideoque summè diligendum: ita peccatum est summum malum, & proinde summè detestandum.

Secundum. Non est necesse dolorem contritionis esse omnium dolorum maximum intensiuè. Ratió est, quia intensio actus voluntatis sequitur vehementiam obiecti mouentis: atqui obiectum sensibile naturaliter vehementiùs mouet voluntatem quàm obiectum intelligibile aut spirituale. Vnde sicut amor bonorum sensibilium potest esse intensior quàm spiritualium; ita & dolor qui ex malis sensibilibus percipitur, intensior esse potest quàm qui concipitur propter mala spiritualia: cuiusmodi sunt peccata, idque citra culpam hominis, propterea quòd, vt diximus, homo in corpore hoc corruptibili constitutus vehementiùs moueatur sensibilibus tam bonis quàm malis, etiamsi ea absolutè non magis aut diligat aut detestetur, modo priùs dicto, videlicet appretiatiuè.

Præterea probatur hæc assertio ex sacris literis quę ad veram pœnitentiam non summum conatum requirunt; sed vt homo Deum omnibus alijs præferat, peccata præ omnibus rebus detestetur, ab omnibus peccatis recedat, eaque nolit amplius committere vt Ezechielis 18. & 33. & alibi.

Adde quòd si summus conatus in contritione necessariò requireretur, grauis inijceretur scrupulus pœnitentium conscientijs, qui hunc summum conatum & maximam intensionem in se plærumque non sentiunt, & ad eum in se concitandum haud facile viderentur sibi satisfacere. Denique nec vsus ecclesiæ habet vt à pœnitentibus requiratur contritionis dolor in summo gradu intensionis, iuxta quod conari valet peccator, sed tantùm vt ex animo propter Dei summè dilecti offensam de peccato doleat.

Tertium. In dolore contritionis non contingit cadere excessum, hoc est, non contingit eum esse nimium intensiuè. Ratio est, quia dolor ille procedit ex Dei dilectione cui non est præfinitus modus nec terminus. Nam, vt Bernardus ait, lib. de diligendo Deo circa medium, modus diligendi Deum est ipsum diligere sine modo. Sed hoc rursum de dolore qui est in voluntate, intelligi debet. Siquidam dolor sensitiuæ partis vt in alijs rebus, ita hîc quoque (quamuis id rarissimè contingat) nimius esse potest, & proinde viciosus; velut si quis tantum lachrymis & dolori indulgeret, vt oculos amitteret, aut corpore extabesceret. Quem tristicię excessum vituperat scriptura Prouerb. 17. & Ecclesiastici 30. & 38.

Quartum. Sicut peccata alia alijs grauiora sunt, ita magis de vno quàm de alio pro ratione grauitatis eorum dolere debet peccator, magis, inquam, appretiatiuè. Nam intensiuè non oportet. Probatur autem, quia etsi omnia peccata ita sint detestanda, vt nullius rei gratia velit homo aliquod eorum committere, ne quidem ad aliud peccatum euitandum; magis tamen ea fugere debet quibus Deus grauius offenditur, & proinde etiam pro ijs commissis iam dicto modo, id est, appretiatiuè magis dolere. Non autem oportet, vt de ijs doleat magis intensè; quia sicut citra culpam potest magis intensè dolere de malis temporalibus quàm de peccato: ita & magis de leuiori peccato quàm de grauiori; concurrentibus videlicet alijs causis quæ dolorem minoris peccati reddant magis intensum, vt infamia, turpitudine, damno & similibus.

Quintum, & postremum. Ad remissionem culpæ non necessariò requiritur ex parte contritionis ad certum aliquem gradum intensio, neque ad certum tempus extensio, ita videlicet, vt si ea desit, peccator non possit, ne quidem accedente sacramento veniam consequi. Hæc assertio quamuis à nonnullis doctis improbetur, maximè priori sui parte qua negat intensionem necessariò requiri, probabiliter tamen ex his argumentis statui potest.

Primò. Scriptura multis locis nudè & simpliciter requirit vt peccator auertatur à via sua mala, & conuertatur ad Dominum, nihil addendo per quod significetur intensio illius actus quo vel auertatur & doleat de peccato, vel conuertatur ad Dominum, vt Zachariæ 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Isaiæ 30. *Si reuertamini & quiescatis, salui eritis,* vbi septuaginta habent, *Cùm conuersus ingemueris, saluus eris,* & cap. 45. *Conuertimini ad me & salui eritis.* Psalm. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies,* & psal. 79. *Conuerte nos & salui erimus.* Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet, & non morietur,* & cap. 33. *Nolo mortem impij, sed vt conuertatur à via sua & viuat.* Et rursum: *Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Sic & Dominus apud Ioan. 14. ait: *Qui diligit me, diligetur à patre meo.* Atqui nudum conuersionis nomen nullam includit intensionem aut extensionem, sed significat simplicem animi motum à peccato in Deum, idemque indicium de vocabulo dilectionis. Nulla ergo intensio illius actus necessaria est ad salutem.

Secundò. Deus pronior est ad veniam quàm ad vindictam, atqui quæcunque auersio quamlibet remissa sufficit vt dejciat hominem à gratia Dei: ergo quæcunque conuersio sufficiet ad eandem recuperandam.

Tertiò. Leo epist. 91. ad Theodorum tantummodo veram requirit conuersionem, etiam temporis moram seu extensionem disertè excludens: His inquit, qui in tempore necessitatis & in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio, dicente spiritu Dei per prophetam: *Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris.* Et iterum: *Quia apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio.*

Quartò Chrysostomus in libello de reparatione lapsi & habetur apud Gratianum de pœnitentia dist. 3. Talis est, inquit, erga homines pietas Dei, nunquam spernit pœnitentiam, si ei syncerè & simpliciter offeratur, etiamsi non potuerit quis explere in præsenti satisfaciendi ordinem; quantulumcunque tamen & quamlibet breui tempore gestam suscipit etiam ipsam; nec patitur quamuis exiguæ conuersionis perire mercedem.

Postremò. Si, vt quidam volunt, aliqua requiritur extensio temporis, sequeretur homini impossibile esse medio temporis spacio in gratiam cum Deo redire, & ita morte præueniente necesse esset eum perire: quod absurdè dicitur, cùm de nemine in hac vita dum adhuc spirat, desperare liceat.

§. 8. *Responsio ad obiectiones.*

S. Thom. ibidem.

QVæ verò contra hanc sententiam obijciuntur, huiusmodi ferè sunt.

Primum. Deus non tantùm præ cæteris sed & plus cæteris diligendus est, nimirum intensiuè iuxta illud Matth. 10. *Qui amat patrem & matrem, plusquam me, non est me dignus*, & Luc. 14. *Qui non odit*, id est, comparatione mei minùs amat, *patrem & matrem, non potest meus esse discipulus*. Vnde Augustinus lib. 1. de doctrina christiana cap. 22. & lib. de moribus ecclesiæ cap. 11. docet ad ordinatam dilectionem pertinere, vt nihil amplius, nihil æquè diligat homo quàm Deum &c.

Secundum. Scripturæ à peccatoribus exigunt conatum aliquem magnum contritionis seu doloris vt psal. 37. *Rugiebam a gemitu cordis mei*. Isa. 59. *Rugiemus quasi vrsi omnes nos & quasi columbæ meditantes gememus*. Mich. 4. *Dole & satage filia Sion quasi parturiens*. Quò etiam pertinet amaritudinis vocabulum in cantico Ezechiæ & Ierem. 31. Sicut enim feruor intensum calorem, ita amaritudo metaphoricè in scripturis intensum ac vehementem dolorem significat. Tale est & illud pœnitentibus dictum Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud*. Violentia enim magnitudinem conatus importare videtur.

Tertium. Amor Dei debet esse perfectior aliarũ rerum amore, igitur & intẽsior; cum perfectio qualitatum & actionum non aliunde videatur sumi quàm ex intensione aut maiori conatu. Similiter ergo peccati detestatio vt perfectior, ita intensior esse debet detestatione cuiuscunque alterius mali.

Quartum. Scriptura præcipit non tantùm dilectionem Dei, sed etiam profectum in dilectione Ephes. 4. Philipp. 1. & 3. & Apocalyp. vltimo; qui quidem profectus fit secundùm actus feruentiores & intẽsiores; igitur non satis est appretiatiuè Deum præ omnibus diligere, & peccatum præ omnibus odisse, sed etiam ipsorum actuum intensio requiritur, alioquin enim nullus erit profectus.

Quintum. Illud Deut. 4 *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*. & illud psalmi: *Beati qui in toto corde exquirunt eum*, & quod est apud Ioelẽ 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro*. Itẽ Ierem. 29.

Postremò obijciunt inutilem, imò noxiam esse hanc doctrinam, eò quòd remittat atque elanguescere faciat affectum & studium pœnitentię; dum persuasum habet peccator nulla intensione, nullo conatu opus esse ad verè pœnitendum, sed sufficere quantulamcunque Dei dilectionem & peccati displicentiam.

Sed ad hæc responderi potest. Ad primum quidem simpliciter esse in præcepto, vt Deus plus cæteris, id est, præ cæteris diligatur; vt autem maiori intensione & conatu id fiat, ex propositis scripturæ & Augustini locis non videtur conuinci. Veruntamen quia negari non potest inordinatum hoc esse, vt voluntas rationalis intensiori amore feratur in creaturam quàm in creatorem, & intensiùs oderit quodcunque aliud malum quàm peccatum; sicut inordinatum est, vt caro concupiscat aduersus spiritum, vtque pars animæ inferior non plenè subiecta sit superiori (quæ omnia descendunt ex corruptione naturæ per peccatum primi hominis, siquidem in statu innocentiæ nihil tale fuisset) dicere etiam possumus defectum illum maioris inten-

A sionis in nobis viciosum quidem esse, non tamen culpabilem saltem mortaliter: eò quòd Deus in hoc statu infirmitatis naturæ intensionem illam maiorem à nobis non exigat, saltem sub peccato mortali; ideoque nihil obstare quò minùs vera & syncera dilectio atque contritio, quantumuis alioqni remissa sufficere possit peccatori ad consequendam veniam.

Ad secundum. Scripturæ partim præcipiunt, partim hortantur, partim exempla proponunt. Proponunt exempla eorum qui perfecto & excel-
B lenti quodam modo egerunt pœnitentiam, vt Dauidis, Petri, peccatricis, & hortantur ad similia. Pręcipiunt autem duo, alterum quod necessarium est ad remissionem culpæ, nimirum veram conuersionem; alterum quod est necessarium ad remissionem pœnæ, nempe congruam satisfactionem ad quam implendam quod deest ex parte operis, sæpe cõpensat vehemẽtia doloris. Pręcipitur ergo dolor intensus ac vehemens propter satisfactionem, nec tamen tanquam absolutè necessarius. Potest enim & per alia opera, vt orationes, ieiunia, eleemosynas compleri tandem satisfactio; sed vt medium aptissimum ad vniuersam pœnam celeriter tol-
C lendam.

Ad tertium. Perfectio amoris Dei non solùm ex intensione æstimari potest, verùm etiam ex nuda electione voluntatis, qua Deum amando omnibus præponit.

Ad quartum. Diuersa sunt præcepta conuersionis ad Deum, & profectus iusticiæ; quorum illud peccatori datur vt iustus fiat; hoc autem Iusto vt in iusticia crescat. Et proinde non est consequens ad primam iustificationem requiri profectum aliquem, sicut ad secundam, sed sufficit ea quæ peccatori præcipitur, vera conuersio.

D Ad quintum respondemus iam paulò antè indicatum à nobis esse & ad distinct. 27. lib. 3. pleniùs expositum, quomodo illa phrasis *ex toto corde*, vel *in toto corde* in sacris literis accipiatur. Sicut enim diligit Deum in toto corde qui Deum ita diligit, vt eum alijs omnibus præponat: ita peccator requirit Deum in toto corde & in tota tribulatione animæ suæ, & ad Deum conuertitur in toto corde suo, quando Deum præ omnibus diligens de peccato dolet & tribulatur tanquam de malo quod ex summo illo Dei amore summè, id est, præ omnibus malis detestatur.

E Ad postremum. Doctrina hæc bene intellecta non fouet ignauiam pœnitentium, sed dubias conscientias magis consolatur & in spem erigit, dum tradit secundùm scripturas omnibus peccatoribus sincerè conuersis ad Deum, & peccatum ex animo detestantibus, & satisfactionis ecclesiasticæ disciplinam non recusantibus per absolutionem sacerdotis patere reditum in gratiam cum Deo. Diuersa verò doctrina maiora videtur habere incommoda, sicut suprà dictum est.

F

§. 9. *Quid attritio & quo modo differat à contritione.*

S. Thom. sup. q. 1. ad ar. 3.

ATtritionis nomen scripturæ & patribus incognitum, à scholæ doctoribus distinctionis & doctrinæ causa fuit excogitatum, ad significandum dolorem de peccato, seu pœnitentiam quandam imperfectã. Sicut enim in corporalibus attritum dicitur quod aliquo modo, nempe forinsecus tantùm læsum est aut cõminutum; contritum verò

quod

quod totum intus & foris fractione in minima resolutum est: ita in spiritualibus attritio ab illis dicta est imperfecta quædam & aliquousque tantùm progressa pœnitentia; contritio verò pœnitentia intima & perfecta.

Potest autem attritio seu imperfecta pœnitentia pluribus modis intelligi. Vno modo cùm quis peccasse se dolet propter humana ac naturalia quædam pœnitentiæ incitamenta; velut propter adiunctam peccato turpitudinem, vel consequentem ex eo infamiam, aut aliud quodcunque damnum aut supplicium temporale; vel quia quod fecit, contra rationem & honestatem esse intelligit, aut quia videt se per illud displicere parentibus, amicis, aut viris bonis. Hoc pœnitentiæ genus haberi potest ex solis naturæ viribus, & reperitur etiam in infidelibus. Talis erat pœnitentia Antiochi 2. Machab. 9.

Alio modo, quando quis dolet de peccato propter metum gehennæ peccatoribus præparatæ, id est, pœnæ æternæ ac spiritualis, quam solo fidei lumine illustratus cognoscit. Hic dolor sicut & gehennæ timor Dei donum est, nec nisi in credentibus reperitur.

Tertio modo, dum quis dolet de peccato propter Dei offensam, non tamen absoluta & efficaci voluntate, sed suspensa & optatiua tantùm; qua nimirum vellet relinquere peccatum, & peccandi affectum, & Deo placere, non tamen relinquit peccatum, neque simpliciter deponit peccandi affectum, nec ea facit, sine quibus Deo non potest placeri; cuiusmodi imperfecta voluntas vulgo velleitas vocari solet, qualem interdum habent vsurarij & concubinarij nihilominus in statu peccati permanentes.

Postremo, dum quis de peccato dolet qui Deum offendit, & absolutè proponit non peccare de cætero, sed id facit imperfecta, remissa ac debili voluntate. Forsan & alij modi attritionis adferri possent, velut distinguendo propositum emendationis actuale, & virtuale, item proprium & confusum. Erit enim imperfecta quædam pœnitentia, si peccator tantùm virtuale aut tantùm confusum propositũ habeat de cætero vitandi peccatum. Sed hi modi ad tertium vel quartum videntur reuocandi.

Vt igitur dictos attritionis modos cum contritione de qua in superioribus actum est, conferamus. Primi quidem generis attritio neque contritio est, neque vllo modo sufficit accedente sacramento hominem Deo reconciliare. Cuius aperta ratio est, quia alioqui sequeretur quod ex solis naturæ viribus posset se peccator sufficienter disponere ad suscipiendum sacramenti effectum, quod non videtur sine errore dici posse.

Similiter attritio secundi generis neque vera contritio est, neque proinde sufficit ad consequendam remissionem peccati. Quamuis enim timor gehennæ donum Dei sit, non tamen sufficienter hominem præparat ad peccati remissionem per sacramentum pœnitentiæ consequendam, quia per se non sufficit ad excludendam omnino voluntatem peccandi, quemadmodum ex ijs patet quæ tertio libro de timore seruili dicta sunt. Quare nisi accesserit amor iustitiæ, & dilectio Dei super omnia ac detestatio peccati suscepta propter Dei offensam, non poterit timor ille hominem perducere ad amicitiam Dei.

Porrò attritio tertij generis etsi aliquam Dei offensam respicit, quia tamen absolutum propositum deserendi peccatum secum non adducit, manifestè deficit à ratione veræ contritionis.

Possunt autem hæc omnia satis ostendi ex ijs quæ suprà de contritione eiusque necessitate dicta sunt. Cùm enim ad contritionem requiratur vera animi conuersio ad Deum tanquam summè dilectum, & alijs rebus omnibus prælatum, quæ in triplici hoc genere attritionis non reperitur, patet vnumquodque hoc genus diuersum esse à contritione. Cùm prætetea ostensum sit contritionem ad remissionem peccati esse necessariam, consequens etiam est, nullum huius triplicis generis attritionem, ne quidem accedente sacramento, ad veniam peccati consequendam sufficere.

Valent igitur ad hoc probandum testimonia scripturæ, Ezech. 18. *Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*, & 33. *Si impius non fuerit conuersus à via sua mala, ipse in iniquitate sua morietur.* Item Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro*, & item: *Scindite corda vestra, & conuertimini ad dominum; quia benignus & misericors est.* Simile est Deut. 4. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris*, & Ierem. 29. *Quæretis me & inuenietis; quum quæsieritis me in toto corde vestro*, & 3. Reg. 8. *Si peccauerint tibi, & reuersi fuerint ad te in vniuerso corde suo, tu propitiaberis populo tuo.* Et alia huiusmodi pene innumera. Sic & in scriptura noui testamenti Act. 3. *Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* 2. Corinth. 7. *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Et Rursus Act. 7. *Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum si fortè remittatur &c.* Item Ioan. 14. *Qui diligit me diligetur à patre meo* & 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte*, & 1. Corinth. vltimo. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema.* Et iterum Ioan. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam*, & Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.*

Huc pertinet quod Leo epist. 91. in pœnitente cui deest tempus implendæ satisfactionis, vt minimum veram conuersionem requirit, quemadmodum & Chrysostomus in tractatu de reparatione lapsi. Et quod Augustinus ait serm. 7. de tempore, Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei. Quanquam & aliæ huiusmodi sententiæ non rarò occurrunt in scriptis patrum.

In his igitur scripturæ & patrum testimonijs hæc sunt obseruanda primò, necessariò recedendum esse ab omnibus iniquitatibus seu peccatis ad hoc vt peccata remittantur. Deinde passim pro eodem haberi conuersionem & veram conuersionem, & conuersionem ex toto corde; atque hanc necessariò exigi à peccatore, vt Deo reconcilietur. Tertiò requiri tristitiam secundùm Deum, id est, dolorem de peccato propter Deum offensum. Quartò cordis rectitudinem in Deum. Postremò vt Deus diligatur non quomodocunque, sed præ omnibus alijs. Hanc enim dilectionem citatis scripturæ locis significari, manifestum est. Quare ex his facile est concludere nec primi, nec secundi, nec tertij generis attritionem sufficere homini volenti Deo reconciliari: quia nimirum in illis nihil eorum reperitur, quæ hîc tanquam necessariò requisita, obseruanda diximus.

Cæterùm postremi generis attritio vera contritio est, & accedente sacramento sufficit ad reconciliationem; imò & sine sacramento, quando

A sacramenti susceptionem in periculo mortis excludit necessitas. Quod enim vera sit contritio ex ijs quæ ad rationem contritionis necessariò requiri suprà diximus, facilè probatur. Quod autem dicto modo sufficiat ad reconciliationem, patet ex ijs quæ diximus de quantitate contritionis, vbi inter cætera probabiliter ostendimus, nullum intensionis gradum absolutè necessarium esse ad culpæ remissionem. Hoc attritionis genus omnino intellexisse videntur patres Tridentini concilij sess. 14. cap. 4. vbi sic aiunt: Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum B metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ: declarat synodus, non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & spiritussancti impulsum; non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iusticiam parat. Et quamuis sine sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit. Hoc enim timore vtiliter concussi Niniuitæ ad Ionæ prædicationem plenam ter- C roribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. Hæc synodus, quæ & in canone 5. eiusdem sessionis hunc pœnitentis dolorem absolutè vocat contritionem. Vtroque autem loco notandum est, quod in decreto quidem disertè excludit voluntatem peccandi, in canone verò includit & requirit propositum melioris vitæ. Per quod ab hac imperfecta contritione (quam & perfectam attritionem nominare licet) remouetur omnis ea attritio quæ nascitur ex solo timore vel temporalis, vel æterni & spiritualis damni aut sup- D plicij. Siquidem timor seruilis sicut voluntatem non corrigit, ita voluntatem peccandi non excludit. Vnde Augustinus serm. 15. de verbis apostoli: Qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit. Et in epist. 144. Inimicus iusticiæ est qui pœnæ timore non peccat. Necesse est igitur, vt voluntas non peccandi, & propositum melioris vitæ Deum omnibus anteponat. Alioqui enim si non actuali motu, saltem affectu & virtute persistitur in peccato, dum aliquid adhuc supra Deum amatur, & aliquid magis quàm Dei offensa timetur.

E Quòd autem patres Tridentini requirant hanc Dei super omnia dilectioné tãquam dispositionem necessariò præuiam ad iustificationé, non solùm apparet ex cap. 6. sess. 6. vbi volũt vt peccator priusquã iustificetur, Deum tanquam omnis iusticiæ fontem diligere incipiat, & vt proponat inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata & ex cap. 4. eiusdem sessionis, vbi ad pœnitentiam etiam baptismalem requirunt cor cõtritum & humiliatum; verùm etiam ex can. 3. eiusdem sessionis, vbi pręsupponitur quòd homo debeat credere, sperare, diligere, pœnitere sicut oportet, vt ei iustificationis gratia con- F feratur. Atqui diligere Deum sicut oportet, est Deum diligendo rebus omnibus anteponere.

Neque his obstat quod Augustinus lib. de catechis. rud. cap. 17. distinguens tria genera hominum ad fidem venientium, dicit tertium esse eorum qui propter beatitudinem & requiem sempiternam quæ post hanc vitam sanctis futura promittitur, fiunt christiani, vt non eant in ignem æternum cum diabolo, sed in regnum æternum intrent cum Christo, ac de huiusmodi ait: Verè ipse christianus est, cautus in omni tentatione &c. ac deinde subiungit: Qui etiam proficiendo perueniet ad talem animum, vt plus amet Dominum quàm timeat gehennam, vt etiamsi dicat illi Deus: Vtere delicijs carnalibus sempiternis, & quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris, exhorrescat, & omnino non peccet, non iam vt in illud quod timebat, non incidat, sed ne illum quem sic amat, offendat &c. Hæc, inquam, Augustini verba dictis non aduersantur. Vocat enim verè christianum, non qui sufficientem habet præparationem ad hoc vt in baptismo remittantur ei peccata (Nam verba hæc probabiliter de baptizato sunt accipienda, soli quippe baptizati vocantur fideles & christiani) sed qui non ob temporale commodum quod sperat, vel temporale incommodum quod metuit, sed propter spem beatitudinis æternæ & metum ignis æterni fidem christianam sectatur, ita tamen vt timor pœnæ adhuc prædominetur amori iusticiæ: qui tamen eò tandem proficit, vt quemadmodum Augustinus ait, plus amet dominum quàm timeat gehennam, ac tum demum aptus est amicitiæ Dei per remissionem peccatorum. Potest etiam non improbabiliter intelligi sententia Augustini de eo qui etsi appretiatiuè, nondum tamen intensiuè plus amat Deum quàm timet gehennam; quales existimandum est, plurimos esse inter christianos Deum timentes, quorum tamen plærique tandem perueniant ad eum animum, vt etiam secundùm intensionem amor Dei superet timorem gehennæ, sintque tam fortes, vt etiam tentationem oblatæ optionis quam ponit Augustinus, superare possint. Atque hæc certè verborum Augustini expositio magis placet.

Ex his porrò liquet improbandam esse illam quorumdam, vt Scoti, Gabrielis & Caietani opinionem putantium ad gratiam in sacramento baptismi vel pœnitentiæ percipiendam sufficere voluntatem suscipiendi sacramentum, quomodo dispensatur in ecclesia, dummodo non ponatur obex peccati mortalis in actu. Qui enim sic accedit, tantùm abest, vt ex toto corde sit conuersus ad dominum, quod satis ostendimus omnino necessarium esse ad veniam quomodocunque consequendam, vt nec quidem doleat de peccato ob metum gehennæ, sed affectu manens in peccato, tantùm actualiter ponitur illi non inhærere, quomodo sceleratus quisque dormiens cessat ab actu peccati.

Ad argumentum verò Scoti obijcientis, quòd alioqui per institutioné sacramenti nihil nobis pręstitum videretur, sed magis arctarã videri viam salutis, quoniam & sine sacramento contritus & verè conuersus obtinere potest remissionem peccati, respondetur multum nobis præstitum esse, non vt sit duplex via per quam iustificetur peccator, quemadmodum ille vult, sed vt per sacramentum quodammodo certi & securi efficiamur de reconciliatione & gratia Dei, quæ etsi contingit interdum sine sacramento, non tamen sine eius voto. Qua de re in sequentibus plura.



IN DISTINCTIONEM DECIMAMSEPTIMAM.

§. 1. *Non remitti peccatum per solam cordis contritionem.*

S. Thom. sup. q. 5.

DOCTRINA Magistri est hæc distinct. & subsequentibus per solam cordis contritionem sine confessione oris peccata deleri. Ex quo enim, inquit, quis proponit mente compuncta se confessurum, Deus dimittit, quia ibi est confessio cordis, etsi non oris, per quam anima interiùs mundatur à macula, & contagione peccati commissi, & debitum mortis æternæ relaxatur. Hanc Magistri sententiam nonnulli scholasticorum, inter quos Bonauentura, secuti sunt. Hi sensisse videntur confessionem & absolutionem sacramentalem tantùm requiri ad remissionem peccati, ea ratione qua cætera quæ hominibus à Deo præcipiuntur. Quemadmodum enim peccatum non dimittitur nisi proponenti seruare omnia Dei mandata, quæ ad reatum culpæ mortalis obligant: ita putarunt non remitti nisi proponenti se confessurum, & absolutionem à sacerdote petiturum; quia nimirum hæc quoque Christus fieri præcepit tanquam ad salutem necessaria. Vnde consequenter absolutionem Magister interpretatur declarationem absolutionis à Deo factæ.

Verùm hanc doctrinam, vt falsam & erroneam, vtpore institutioni sacramenti pœnitentiæ atque etiam baptismi contrariam, meritò reiecit potior ac sanior pars doctorum, imò tota ecclesia in synodo Tridentina sess. 14. can. 9. & cap. 4. 5. & 6.

Eius erroris fundamentum hoc fuisse videtur, veram contritionem seu pœnitentiam non posse separari à remissione peccatorum, sed hanc illi per se & necessariò coniunctam esse. Sed hoc fundamentum alio solidiore destruitur, hoc nimirum, Nullius peccati remissionem fieri posse nisi virtute passionis Christi quatenus est satisfactoria pro pœna illius peccati. Quocirca non sufficit ad remissionem peccati pœnitentia, sed præterea opus est, vt meritum passionis Christi homini applicetur ad consequendam remissionem peccati, cuius iam accepit pœnitentiam. Sunt enim diuersa & distincta beneficia passionis Christi, conuersio seu pœnitentia peccatoris, & peccati eius condonatio, ita vt homini verè conuerso ac pœnitenti adhuc opus sit peculiari quodam ex Christi passione beneficio, vt peccatum ei remittatur: quod quidem fit applicando ei satisfactionem in cruce factam pro pœna peccato eius debita.

Neque enim exigit lex naturæ, vt pœnitenti remittatur peccatum, quemadmodum facile probari potest ex indicijs humanis iuxta normam & exemplar diuini iudicij institutis, in quibus non est necesse ijs qui ex animo dolent se peccasse, pœnas debitas remittere; sed pertinet hoc ad gratiosam Dei ordinationem, qua Christum nobis dedit propiciatorem per fidem in sanguine ipsius vt ait apostolus Rom. 3. Vnde patres Tridentini concilij sess. 22. cap. 2. docent sacrificium missæ verè propiciatorium esse, quòd per ipsum fiat, vt si cum vero corde contriti & pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inuenia-

A mus in auxilio oportuno. Idipsum clarè docet Augustinus cùm alibi, tum lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 14. Cuius, inquit, tanta misericordia commemorari potest, quàm eius qui omnia donat peccata conuersis? non dicit, peccatoribus aut lapsis aut auersis, sed conuersis. Nam auersis donare peccata, non misericordiæ est, sed peruersi ordinis. Sentit ergo magnæ esse misericordiæ Dei (quæ vtique non præstatur nisi per Christum dominum nostrum) quod peccatoribus iam conuersis Deus peccata condonat.

B Porrò prædictum errorem implicitè condénasse videntur patres concilij Constantiensis, quando inter damnatos articulos Ioannis Wicleff, hunc septimo loco posuerunt. Si homo debitè fuerit contritus, omnis confessio exterior est ei superflua & inutilis. Hoc enim ex dicta Magistri opinione planè consequens videtur. Nam si confessio exterior tantùm fit propter absolutionem, absolutio autem non aliud est quàm declaratio, declaratio verò non est necessaria, imò nec vtilitatem aliquam per se afferre videtur; consequens erit confessionem ipsam exteriorem non necessariam sed superfluã & inutilem

C esse saltem in ordine ad effectum reconciliationis seu remissionis peccatorum, ad quem iuxta hanc opinionem nullo modo ordinatur.

Cæterùm apertius idem error postea condemnatus fuit in concilio Complutensi authoritate Sixti 4. confirmato. Ibi enim inter conclusiones cuiusdam Petri Oxomensis damnatas hæc prima legitur. Peccata mortalia quantum ad culpam & pœnam alterius seculi delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claues. Et hæc tertia: Prauæ cogitationes confiteri non debent, sed sola dis-

D plicentia delentur sine ordine ad claues. Et hæc postrema: Sacramentum pœnitentiæ quantum ad collationem gratiæ, sacramentum naturæ est, non alicuius institutionis veteris vel noui testamenti.

Refutatur autem hic error ijs argumentis quibus probatur institutio & necessitas sacramenti pœnitentiæ, atque etiam baptismi, & quibus probatur potestas clauium à Christo data sacerdotibus Matth. 18. & Ioan. 20. De priori dictum est ad dist. 14. De posteriori agetur dist. proxima. Videre est hac de re doctè disputantem Thomam Waldensem tomo 2. de sacramentis cap. 144.

E

§. 2. *Peccatum ordinariè non remitti ante susceptionem sacramenti.*

CVm secundùm fidem catholicam fatendum sit, nullius peccati mortalis post baptismum remissionem fieri sine ordine ad claues ecclesiæ, id est, ad potestatem sacerdotis absoluentis; nec dubitandum sit quin contritionem aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam sacramentum ipsum actu suscipiatur; sed ita vt reconciliatio contritioni non sit

S. Thom. sup. dist. q. 5.

F adscribenda sine sacramenti voto, quod in illa includebatur, quemadmodum Tridentina Synodus docet sess. 14. cap. 4. quæri potest, vtrùm id quod aliquando contingere supponit ac fatetur synodus Tridentina, contingat semper, an ordinariè, an frequenter, an rarò. Nihil enim horum synodus expressè determinat. Vnde quod Nauarrus cap. 1. sui manualis num. 24. dicit post concilij declarationem non esse dubitandum, quin frequenter fiat,

parum

parum circumſpectè dictum eſt ab illo. Non enim A concilium agnoſcit frequenter id fieri, ſed aliquando quæ duo ſunt multum diuerſa.

Ad quæſtionem itaque probabiliter reſpondetur neque ordinariè, neque frequenter, ac multò minùs ſemper ſed rarò fieri, vt ante actualem ſacerdotis abſolutionem peccator ſit abſolutus coram Deo. Quod probatur his argumentis.

Primò. Si id fieret ordinariè aut frequenter ante abſolutionē ſacerdotis, fieret ſimiliter ante baptiſmum adultorum; tum quia catechumeni ſolent eſſe multò feruentiores, ac maiori deſiderio ferri ad percipiendam gratiam baptiſmi, quàm ad gratiam reconciliationis relapſi, maximè hoc noſtro B ſeculo; tum quia maior ratio eſt, vt relapſis tanquā magis indignis vſque ad ſacramenti perceptionem illa gratia differatur quàm catechumenis. Vtrumque verò ſacramentum paris eſſe neceſſitatis poſt Auguſtinum lib. 1. de adulterinis coniugijs cap. vltimo docet ſynodus Tridentina ſeſſ. 14. cap. 2. Quod autem ante baptiſmum id ordinariè non fiat, ſatis oſtendunt illæ ſententiæ patrum, quibus tantam baptiſmi neceſſitatem requirunt, vt videantur etiam voti ſupplementum excludere, de quibus dictum eſt ad diſt. 4. huius libri. Qualis inter alias eſt illa Auguſtini ſententia tract. 13. in Ioan. C Quantumcunque catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat; non illi dimittitur, niſi cùm venerit ad baptiſmum. Quod vt minimum intelligendum eſt de dimiſſione prout ordinariè ſeu regulariter habetur. Idem tract. 11. eiuſdem operis: Ieſus, inquit, non ſe credebat eis. Tales ſunt omnes catechumeni. Ipſi iam credunt in nomine Chriſti, ſed Ieſus non ſe credit illis Et ſub initium eiuſdem tract. cùm alloquens catechumenos dixiſſet: Qui ſic credidiſtis in Chriſtum, vt adhuc veſtra peccata portetis, paulò pòſt D ſubiungit: Dimitti autem non poſſunt, niſi ei qui renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto.

Secundò id oſtenditur exemplo peccatricis euangelicæ, quæ etſi multū diligeret, non priùs tamen peccatorum veniam accepit, quàm ei à Domino diceretur: *Remittuntur tibi peccata*, ſcilicet iiſdem planè verbis, quibus peccata fuerant remiſſa paralytico. Sic & Paulo tam mirabiliter conuerſo, poſtea adhuc dictum fuit: *Surge & ablue peccata tua* Act. 22. Et quidam Martyres, vt Geneſius & Emerentiana baptizati leguntur in ſanguine ſuo, quibus E alioqui potiùs tribuendus videreretur baptiſmus flaminis, quàm baptiſmus ſanguinis.

Tertiò. Auguſtinus epiſt. 180. ad Honoratum loquens de populo ſacramenta flagitante tempore irruptionis hoſtilis: Vbi inquit, ſi miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos qui de iſto ſeculo, vel non regenerati exeunt vel ligati. Quæ ſanè deploratio locum non videtur habere, ſi etiam extra neceſſitatis caſum ordinariè ſufficit votū ſacramēti.

Quartò. Synodus Tridentina ſeſſ. 13. cap. 7. & can. 11. teſtatur hoc habere conſuetudinem eccleſiaſticam, vt nemo ſibi conſcius mortalis pec- F cati, quantumuis contritus ſibi videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram euchariſtiam accedat, idemque ſtatuit neceſſariò obſeruandum, ne tantum ſacramentum indignè ſumatur. Sentit ergo non ordinariè reconciliari pœnitentem ante ſacramentalem abſolutionem. Nam ſi id fieret ordinariè, non faceret is periculosè, qui magnum contritionis dolorem ſentiens, & propoſitum poſtea confitendi habens abſque prævia confeſſione ad menſam Domini accederet.

Quintò. Si id fieret ordinariè, non ſatis appoſitè videretur dictum eſſe à patribus, quod ſententia Petri præcedit ſententiam cæli, vt à Bernardo ſerm. 1. in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli.

Sextò. Non eſt dicendum quòd ante perceptionem euchariſtiæ fideles ordinariè recipiant effectum illius ſacramenti, & ſimiliter de confirmatione atque alijs; ergo nec de ſacramento baptiſmi & pœnitentiæ id ſtatuendum eſt.

Septimò. Eam ſententiam improbat catechiſmus concilij Tridentini, docens pauciſſimos eſſe qui per contritionem ante ſacramentum veniam conſequantur.

Octauò. Qui volunt ſemper vel ordinariè reconciliationem eſſe ſacramento tempore priorem, id propterea docent, quia putant à vera cordis conuerſione & contritione reconciliationem non ſeparari, eò quòd ſit vnus & idem motus conuerſionis in Deum & remiſſionis peccati. Vnde conſequenter non aliud tribuunt ſacramento quàm vel augmentum gratiæ, vel quòd ex attrito contritum faciat; quo fit vt illi magna ex parte incidant in opinionem Magiſtri, quæ habet quòd per ſolam cordis contritionem remittatur peccatum.

Poſtremò huc concurrunt argumenta ferè omnia quæ probant neceſſitatem confeſſionis ſacramentalis quæ poſtea ſuo loco proferentur. Quam neceſſitatem tradunt patres propter effectum remiſſionis, non habitum ſed habendum.

Iam verò ſi quæritur, quando id contingat quod non ordinariè, ſed rarò contingere fatemur, idem hîc reſpondendum videtur quod de baptiſmo, cùm ſit vtriuſque ſacramenti quantum ad effectus conſecutionem par ratio. Primùm igitur non eſt dubium quin vrgente articulo mortis quando ſacerdos haberi non poteſt, in homine verè contrito votum ſacramenti ſuppleat quod ex parte ſacramenti deeſt, quemadmodum dictum fuit de baptiſmo; idque iuxta certiſſimas Dei promiſſiones has & ſimiles: *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*, &: *Cor contritum & humiliatum non deſpicies*, quemadmodum in epiſt. 77. ad Hugonem ex Auguſtino & Ambroſio docet Bernardus. Vnde pro pœnitentibus ante manus impoſitionem morte præuentis olim offerebatur ſacrificium corporis Domini.

Sed præter hunc caſum etiam aliàs id contingere non eſt dubitandum (quod & de baptiſmate ſuo loco oſtendimus ad diſt. 4.) nimirum quando occurrit caſus ſcandali, aut alterius peccati incurrendi, ſi abſolutio petatur. Item quando quis omnino non poteſt, aut certè difficillimè poteſt, opportuno tempore adire ſacerdotem à quo abſoluatur; velut ſi habitet inter infideles, aut teneatur in vinculis, aut ſimili quopiam impedimento prohibeatur. Quamuis enim nondum mortis periculum inſtet, non tamen veriſimile eſt eius reconciliationem, atque in ſtatum gratiæ reſtitutionem apud Deum differri, qui non eſt in culpa, nec in mora, quò minùs à vicario Chriſti abſolutionem petat, præſertim ſi feruor contritionis deſiderium quoque ſacramenti accenderit.

An autem ſit certus aliquis gradus intenſionis ad quem cùm pertigerit contritio, vel dilectio Dei in catechumeno vel pœnitente perpetua lege coniunctam habeat remiſſionem peccatorum, incertum eſt, imo non apparet, tum propter Auguſtini ſententiam ex tract. 13. in Ioan. & exempla ſuprà commemorata; tum quia conſequens videretur contritionem aliquam ſine ordine ad claues ſuffi-

cere ad remissionem; tum denique quia, vti diximus, distincta sunt beneficia passionis Christi, donum contritionis & peccati remissio, quorum alterum ad alterum ordinatur, vt suprà ostendimus. Itaque quoties ante actualem sacramenti susceptionem peccatum remittitur, necesse est vt præter contritionem adhuc misericorditer suppleatur à Deo sacramenti defectus ad consequendum effectum remissionis. Atque ita siue per sacramentum, siue per misericordem illam suppletionem Deus homini ad remissionem peccatorum applicat Christi filij sui passionem, tanquam sufficientem pro pœna peccatis debita satisfactionem.

§ 3. *Responsio ad argumenta contrariæ opinionis.*

S. Thom. vbi sup.

QVi diuersam à superiore tenent opinionem putantes vel semper, vel regulariter, vt loquuntur, contritioni etiam ante sacramentum coniunctam esse remissionem peccatorum, his argumentis nituntur, quæ tamen etiam opinioni Magistri perinde suffragantur.

Primò. Nathan propheta mox vt veram pœnitentiam in Dauide animaduertit, non dubitauit ad eum dicere: *Transtulit Dominus peccatum tuum.*

Secundò. Idem Dauid in psal. 31. *Dixi*, inquit, *confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Quod Augustinus serm. 32. de diuersis, ita exponit; Dixi, proloquar aduersum me &c. nondum prolocutus sum, & tu dimisisti. Et in eiusdem psal. enarratione. Non iam pronunciat, inquit, sed promittit se pronunciaturum, & ille iam dimittit. Cassiodorus quoque ad eadem psalmi verba ita scribit: Magna, pietas Dei, quod ad solam promissionem peccatum dimittitur, votum enim pro operatione iudicatur.

Tertiò. Eiusdem Dauidis sententia est, *sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non despicies.* ergo vbi est cor contritum, statim adest misericordia Dei remittentis peccatum.

Quartò. Ezech. 33. *In quacunque die conuersus fuerit impius ab impietate sua, non nocebit ei impietas eius.* Dies autem, inquiunt, pro hora vel momento accipitur phrasi Hebraica, sicut ibi: *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Et similes sunt apud Ezech. sententiæ cap. 18. Simile quoque est illud Isaiæ 30. secundùm versionem 70. *Cùm conuersus ingemueris, saluus eris.*

Quintò. Conuersio tollit auersionem, ergo tollit peccatum, cùm peccatum non sit aliud quàm auersio hominis à Deo.

Sextò. Contritio est actus charitatis, charitas autem non est sine remissione peccatorum, ergo neque contritio.

Septimò obijci potest authoritas Fulgentij lib. 1. de remissione peccatorum cap. 6. dicentis, quòd peccatorum remissionem sola de Deo possit elicere cordis vera conuersio. Et cap. 11. quod in Dauide dominationem peccati conuersio vera submouit. Et rursum, quia inquit, ingemuit Dauid ex toto corde conuersus, continuò saluus factus est, atque completum in eo illud prophetæ: *Si conuersus &c.* Isaiæ 30.

Octauò. Catechismus concilij in materia de contritione testatur Deum nullam moram interponere ad tribuendam veniam, simulatque peccator vniuersa sua peccata detestatus ad Dominum se conuerterit. Itemque dicit statim vt contritionem

A mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis à Deo tribui, ac demum concludit veræ contritionis eam vim esse, vt illius beneficio omnium delictorum veniam statim impetremus. Vtitur autem ad eius probationem testimonijs scripturæ suprà positis.

Postremò sic argumentantur. Per veram conuersionem peccator viuificatur, ergo & peccatis soluitur; non enim videtur consistere debitum mortis æternæ cum vita animæ quæ est iusticia. Deinde probant quia dicitur Ezechelis 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet, & non morietur.* & B Iacobi 5. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte.* Et peccatori à Paulo dicitur Ephes. 5. *Surge qui dormis & exurge à mortuis,* nimirum per pœnitentiam. Præterea id significatum volunt per hoc quod Lazarus prius ad vitam reuocatus fuit, postea verò à vinculis solutus. Quem locum exponens Augustinus tract. 47. in Ioan. & homil. 27. inter quinquaginta docet peccatorem priùs intus viuificari per veram conuersionem, quàm per confessionem foras prodiens absoluatur à ministro ecclesiæ. Idem habet serm. 8. de verbis C Domini dicens: Nemo potest confiteri nisi suscitatus, quia à mortuo velut quia non est, perit confessio. Et eiusdem operis serm 52 & concione 2. super psalm. 101. Et post Augustinum Gregorius homil. 20. in euangelia vbi ait. Peccator qui ex culpa mortuus est, per conuersionem viuit, ac rursum eiusdem operis homil. 26.

Ad hæc & huiusmodi argumenta iam ex parte responsum fuit, cùm ageremus de necessitate sacramenti pœnitentiæ ad dist. 14. Reuera enim qui contritioni per se consideratæ vim tribuunt delen- D di peccata, videntur tollere necessitatem huius sacramenti, saltem quatenus sacramentum est; quoniam tamen diuersæ sunt quæstiones, & non omnia eadem argumenta, breuiter ad singula nunc obiecta respondebimus.

Ad primum quidam respondent præteritum pro futuro positum esse, *transtulit*, pro transferet, quomodo intellexit Ambrosius in apologia Dauid lib. 2. cap. 11. Quam expositionem probant, quia Dauid postea composuit psalmum 50. in quo adhuc orat deleri illam iniquitatem suam, vt docet ibid. Ambrosius cap. 11. Plærique tamen rectè in- E telligunt Dauidem statim cùm peccatum suum ex animo fateretur, impetrasse à Deo veniam, eoque diuina reuelatione cognito, prophetam dixisse: *Transtulit Dominus peccatum tuum,* videlicet quoad pœnam æternam. Secũdum quem sensum exponit Augustinus lib. 22 contra Faustum cap. 67. Verùm non inde consequens est semper aut regulariter id fieri in conuersione cuiuscunque pœnitentis, quia in paucis tanta contritionis perfectio inuenitur, quanta erat in Dauide, & notum est illud: Paucorum priuilegia non facere regulam communem.

Posset idem responderi ad secundum argumen- F tum, sed verior responsio est hunc esse sensum: Proposui me confessurum iniusticiam meam Domino, quod postquam feci, id est, postquam confessus sum, tu remisisti peccatum meum. Sic Ecclesiastes ait cap. 2. *Dixi, vadam & affluam delicijs. & vidi quòd hoc quoque esset vanitas.* vidi, inquam, id est, experientia didici, postquam delicijs me tradidi. Nec dissimile est illud Ioan. 12. *Non poterant credere quia dixit Isaias &c.* id est, propter rem ab Isaia prædictam, videlicet cordis obdurationem. Sic etiam quamuis filius prodigus in se reuersus dixisset: *Ibo*

ad patrem

A *ad patrem meum & dicam ei: Pater peccaui in cælum &c.* non priùs tamen reconciliatus est patri quàm hoc ipsum perfecisset. Nam licèt priùs eum osculo pater exceperit, postea tamen iussit ei proferri stolam primam; osculando enim in spem veniæ eum erexit, stolamque induendo sibi reconciliauit, & in gratiam recepit, quemadmodum id Augustinus explicat lib. 2. quæstionum euangelicarum quæst. 33. Dictam quoque versiculi Dauidici expositionem indicat idem Augustinus quęst. 154. super Exodum.

B Ad tertium respondetur Deum non despicere cor contritum & humiliatum, sicut non despicit fidem, orationem, eleemosynas catechumeni vel cuiuslibet pœnitentis; sicut etiam non despexit orationes & eleemosynas Cornelij Centurionis, quandoquidem horum intuitu postea remittit peccatum.

Ad quartum responsio patet ex ijs quæ dicta sunt ad dist. 14. Vera enim conuersio certam spem facit remissionis peccatorum per sacramentum consequendæ. Simili modo potest intelligi illud Genes. 2. *In quacunque die ex eo comederis, morte morieris*, id est, pro certo eris pœnæ mortis obnoxius, quamuis mors ipsa multò pòst secuta fuerit.

C Ad quintum. Conuersio tollit peccatum quantum ad actum & affectum, non tamen statim quoad reatum, qui plærumque permanet donec sacramento soluatur.

Ad sextum. Ex ijs quæ dicta sunt ad dist. 27. lib. 3. manifestum relinquitur esse quandam charitatem seu dilectionem Dei qua diligatur sicut diligendus est, id est, super omnia quæ peccatorum remissionem antecedat, iuxta illud Lucæ 7. *Remissa sunt ei peccata multa quia dilexit multum.*

Ad verba Fulgentij septimo loco allata respon- D detur solam cordis conuersionem elicere peccatorum veniam, non quod præterea nihil requiratur, sed quia sine vera cordis conuersione nihil aliud perducere potest ad veniam. Porrò de Dauide iam suprà responsum est.

Ad octauum. Catechismus seipsum clarè exponit his verbis: Vt enim hoc cócedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, incensam esse oportere, vt doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit. At quoniam pauci admodum ad hunc gradum peruenirent, fiebat etiam vt à paucis- E simis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, vt clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret; quod quidem admirabili consilio effecit, cùm claues regni celestis ecclesiæ tradidit. Sic ibi.

Postremum argumentum soluitur distinctione duplicis vitæ seu viuificationis. Primùm enim viuificatur, id est, à morte ad vitam reuocatur anima peccatoris, quando ei inspiratur vera pœnitentia, id quod significatum fuit per suscitationem Lazari. Et hanc vitam rectè probant authoritates scripturæ & F patrum allegatæ. Deinde viuificatur quando à reatu seu obligatione mortis æternæ, quam peccando incurrerat, per ministros ecclesiæ absoluitur; id quod significatum fuit per solutionem Lazari iam priùs resuscitati apostolorum ministerio factam, quemadmodum disertè locis citatis docent Augustinus & Gregorius. Nam & scriptura hominem mortis aut virum mortis eum vocat qui dignus est morte, vt 1. Reg. 20. & 26. 2. Reg. 12. & 3. Reg. 2. Iuxta hunc modum apostolus Rom. 6. eos qui baptizantur, comparat Christo ex mortuis ad vitam resurgenti. Vnde Augustinus serm. 75. de diuersis ad catechumenos de hac secunda viuificatione quæ per sacramentum fit, loquens: Secundùm quam vitam, inquit, vos per Christi gratiam reuixisceetis à morte quadam cui renunciatis, id est, à morte peccati cuius meminit ad Rom. 6. apostolus. Consistit ergo debitum mortis æternæ cum vita priori, non autem cum posteriori, quemadmodum nec cum ea charitate quæ facit amicos & filios Dei & hæredes regni ac simpliciter iustos.

§. 4. *Confeßionem peccatorum quæ fit Deo, semper fuisse necessariam.*

DE confessione quæ est secunda sacramenti pœnitentiæ pars: deinceps agendum est. Vt autē de nominis acceptione primū dicamus, duplex nobis in scripturis cōmendatur cōfessio, altera laudis altera peccatorū. Confessio laudis est qua Deum vt summū bonum, summeque laudabilem, & eius beneficia atq; iudicia cū gratiarū actione agnoscimus & pręedicamus. Hac significatione confessionis vocabulum in scriptura veteris testamēti, ac potissimū in psalmis frequētissimum est. Quomodo etiam Christus omnis peccati expers patri cælesti confessus est dicens Matth. 11. *Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ quia abscondisti hæc &c.* Confessio peccatorum est dum quis agnoscit & manifestat seu loquitur peccata sua, siue id fiat soli Deo, siue etiam homini. Et ad Deum quidem qui corda scrutatur, sufficit locutio cordis, ad hominem verò qui tantùm videt ea quæ parent, locutione labiorum, vel cuiuscunque manifesti signi opus est. Hæc rursum quæ fit homini confessio, alia sacramentalis est, alia non sacramentalis. Sacramentalis de qua pleniùs infrà, fit soli sacerdoti, non sacramentalis autem fit vel iudici vt Iosue 7. vbi Achan confessus legitur peccatum suum; vel viro docto ac sapienti qui peccatorem instruere & peccati salutare remedium possit monstrare, de quo videntur intelligenda loca Prouerb. 28. Ecclesiastici 4. & 17. & Iob. 31. Quò etiam referri potest illa confessio quam Matth. 3. faciebant qui baptizabantur à Ioanne. Hi enim præter professionem pœnitentiæ etiam consilium requirebant emendandę vitę, dicentes *Quid faciemus* Luc. 3. vel fratri seu cuicunque homini in quem peccatum est, vt cum eo redeatur in gratiam: de qua confessione loquitur Dominus Matth. 5. & Lucæ 17. & iuxta multorum expositionem Iacobus 5. vel denique sacerdoti legali ad obtinendam per sacrificia peccati remissionem, cuiusmodi confessionem præscribit aliquot locis liber Leuiticus.

S. Thom. supp. q. 6.

Porrò confessionem quæ soli Deo fit, plurima nobis insinuant & commendant scripturæ loca vt illud psal. 31. *Dixi confitebor aduersum me &c.* & 37. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo & cogitabo pro peccato meo.* Et 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco*, ac rursum: *Tibi soli peccaui & malum coram te feci*, & multa huiusmodi.

De hac igitur peccatorum confessione qua quis corā Deo seipsum accusat, & interior confessio vocatur, sciendum quòd semper ad salutem fuerit necessaria. Cuius ratio est, quia agnitio peccati ad reconciliationem obtinendam legis naturæ est. Sicut enim in ciuilibus ad gratiosam reconciliationem nunquam iudicatur admittendus, qui peccatum suum non vult agnoscere: ita nec cum Deo

possi-

possibile est hominem redire in gratiam & amicitiam per peccati remissionem, si non ipse peccatum suum prius agnoscat & confiteatur, & confitendo seipsum accuset. Id quod satis indicant scripturæ suprà citatæ, in quibus confessio peccatorum assumitur tanquam medium necessarium ad eorum remissionem. Quod & apud Isaiam 43. 70. interpretes hac sententia expresserunt: *Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris.* Idem ostenditur testimonio S. Iob qui cap. 31. inter ea crimina quæ à se remouet, ponit non confiteri peccatum suum sic inquiens: *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam.* Vnde & scriptura Adam & Cain & quosdam alios eo nomine grauiter notat, quòd peccata sua non fuerint confessi.

Idem confirmant testimonia patrum. Ait enim Origenes homilia 2. in Leuiticum. Nunquam se emendat qui peccasse se non putat Et Ambrosius lib. de paradiso cap. 11. Neque enim potest quisquam iustificari à peccato, nisi fuerit peccatum antè confessus. Idem lib. 8. in Luc. 19. de cœco illuminato agens; vt crederemus, inquit, nisi confitentem non posse saluari. Et Augustinus scribens in psal. 68. dicit amissa confessione non esse relictum locum pœnitentiæ. In quam sententiam Chrysostomus quoque scribit homil. 42. in Matth. & homil. 30. in epistolam ad Hebr. Sed & patres Tridentini sess. 6. cap. 6. ad iustificationem hominis hoc inprimis requirunt, vt peccatorem se agnoscat. Vnde non immeritò celebratur illa Epicteti stoici sententia: Si vis bonus esse, primùm crede quòd malus sis.

Nec tantùm opus est, vt quis in genere se peccatorem agnoscat. verùm etiam singula peccata Deo confitenda sunt. Quod satis ex eo docetur; quia, vt suprà ostendimus, de singulis peccatis contritio habenda est, quare & de singulis facienda est confessio etiam ea quæ fit soli Deo, quæque semper ad salutem fuit necessaria. Non enim contritio est propter confessionem, sed confessio propter contritionem. Probatur id ex varijs scripturæ locis. Nam Ezech. 33. exigitur à pœnitente vt agat pœnitentiam super omnibus & singulis peccatis. Et Paulus 1. Corinth. 11. præcipit, vt probet seipsum homo; quod quidem facit dum singula scrutatur in particulari, iuxta illud psalmi: *Scopebam spiritum meum.* Nec diceret alibi idem psalmista; *Ab occultis meis munda me*, si non necessarium esset singula Deo confiteri, deque singulis conteri, sed generalis tantùm peccatorum confessio sufficeret.

Adde, quòd in lege pro diuersis peccatis diuersa erant instituta sacrificia; quod sanè opus non fuisset, si ad consequendam quorumlibet criminum apud Deum veniam satis esset, vt quis tantùm in genere peccatorem se agnosceret. Sed huius rei plenior probatio peti potest ex ijs quæ de contritione dicta sunt ad dist. superiorem.

§. 5. *Confessionis sacramentalis institutio & necessitas è scripturis probatur.*

S. Thom. sup. q. 6. ar. 1. 2. &c.

SAcramentalis peccatorum confessio (quam Græci nunc [illegible]. nunc [illegible] vocant) definiri potest peccatorum detectio & accusatio apud sacerdotem Christi vicarium facta ad hoc vt ab eo virtute clauium remittantur. Huius confessionis institutio & necessitas (quam vno ore

A sectarij hodie oppugnant) primùm ex scripturis firma ratione deducenda est, deinde ex patribus, concilijs & traditione ecclesiastica comprobanda, vt hoc pacto euidens fiat non humanæ alicuius institutionis, sed planè diuini iuris esse præceptum de confitendis sacerdoti peccatis.

Primùm igitur huc in memoriam reuocanda sunt quæ ad dist. 14. dicta sunt de institutione sacramenti pœnitentiæ, eiusque necessitate, quam probauimus ex duobus potissimùm scripturę locis, nempe Matth. 18. vbi Dominus ante passionē suam promittit apostolis & eorum successoribus pote-
B statem clauium cæli, his verbis: *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Et Ioan. 20. vbi præmissis generalibus verbis: *Sicut misit me &c.* eandem potestatem post passionem & resurrectionem suam illis confert dicens: *Accipite spiritumsanctum Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Ex hac institutione sacramenti pœnitentię (quemadmodum tradunt patres concilij Tridentini sess. 14. cap. 5) vniuersa ecclesia semper intellexit institutam etiam esse à Domino inte-
C gram peccatorum confessionem, eamque omnibus post baptismum lapsis iure diuino necessariam existere; quia videlicet Christus, cui à patre data fuit omnis potestas in cælo & in terra, illis scripturæ locis apostolos & successores eorum sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides & iudices ad quos omnia mortalia crimina deferantur (vt eodem concilij loco dicitur) in quæ fideles ceciderint; vti pro potestate clauium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem
D quidem illos in pœnis iniungendis seruare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Hæc ibi & quæ sequuntur eodem pertinentia. Summa autem probationis hæc est. Sacerdos in foro pœnitentiæ constitutus est à Domino iudex ad soluendum & ligandum, ad remittendum & retinendum; cui proinde incumbit vt non præcipiti iudicio, neque pro libito, sed iusto ac prudenti arbitrio iuxta causarum exigentiam vtatur potestate sibi tradita, non enim aliter ratum habebitur à Domino quod fecerit. Atqui præstare illud non poterit, nisi pec-
E cata & peccantis causam de qua iudicandum est, habeat bene cognitam & perspectam. Quæ causæ cognitio priùs haberi non potest, quàm peccator ipse spontanea confessione vulnera sua sigillatim ita detegat, vt sacerdos quatenus peccata soluenda, & quatenus liganda sint, explicatè queat cognoscere. Est igitur sacramentalis peccatorum confessio diuino iure necessaria eo ipso nimirum quo necessarium esse ostendimus pœnitentiæ sacramentum.

Huic probationi cohæret illa quæ ex necessita-
F te satisfactionis sumitur. Cuius quidem satisfactionis iniunctio ad potestatem ligandi pertinet. Nam vt cap. 8. eiusdem sess. dicitur, debent sacerdotes quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate salutares & conuenientes satisfactiones iniungere; ne si peccatis conniueant, & indulgentiùs agant, alienis peccatis communicent. Quare consequens est ipsa peccata particulatim ab ijs debere cognosci, quod fieri nequit, nisi per spontaneam pœnitentium confessionem.

Est & alia huius necessitatis probatio. Deus enim non remittit peccata nisi ea cognoscentibus & coram eo confitentibus in particulari, vt suprà dictum est; atqui sacerdos in remittendis peccatis agit vicarium Dei & Christi: ergo quod peccator facere deberet coram Deo & Christo, si sacramentum nun esset institutum, id facere debet coram vicario, videlicet ei confitendo particulatim sua peccata.

His adijci possunt aliæ rationes ostendentes quàm fuerit hæc confessionis institutio peccatoribus vtilis ac pene necessaria. Primò quia cùm homines soli Deo confitentes non satis de peccatis erubescant, ad magnam Dei misericordiam pertinebat, vt eis hominem daret sui vicarium, cui confitendo magis erubescerent, atque hac ratione faciliùs indulgentiam mererentur; dum videlicet ipsa confessio propter adiunctum pudorem venit in partem non minimam satisfactionis.

Deinde quia verecundia confitendi etiam occultissima cordium mirum in modum homines reuocat à peccatis in posterum committendis, ijs maximè quæ turpitudinem habent, ac proinde pudorem incutiunt; quemadmodū & in ecclesia Christi experientia latè docet, & aduersarij quoque ipsi ingenuè fatentur.

Denique si solùm immediatè Deo confitendum esset, immediatè quoque ab eo expectanda esset venia, atque ita animus pœnitentis semper fluctuaret incertus vtrùm peccatum sibi remissum esset. Cuius aliquam certitudinem nunc per visibilem sacerdotem & visibile sacramentum consequitur.

Purrò præter scripturas iam allatas à nonnullis profertur illud Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Qua sententia volunt apostolum promulgasse legem confessionis à domino suo institutæ. Sic enim venerabilis Beda eum locum intellexit in commentario, & author libri de visitatione infirmorum apud Augustinum lib. 2. cap. 4. & post vtrumque Hugo lib. 2. de sacramentis parte 14. capit. 1. Neque id absque probabili ratione. Nam quia multi vt 1. Corinth. 11. testatur Paulus, propter peccata infirmantur, intelligi potest, Iacobum admonuisse infirmos, vt accitis ecclesiæ presbyteris primùm peccata sua confiteantur. Quod autem ait, *alterutrum* ita exponit Hugo quasi dictum sit, alter alteri, id est homo homini, scilicet ad significandum quòd non sufficiat hominem Deo confiteri. Pro quo intellectu facit etiam quod Origenes homil. 2. in Leuit. verba Iacobi proximè præcedentia, *Et si in peccatis fuerit remittentur ei*, intelligit de ea remissione quæ fit per absolutionem sacerdotis. Secundùm quàm intelligentiam aptissimè subiungetur illud tanquam de sacramentali confessione dictum: *Confitemini* ergo *&c.* Siquidem & confessionem quæ fit sacerdoti, apertè eodem loco Origenes confirmat.

Profertur item à quibusdam locus Act. 19. vbi dicitur: *Multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos.* Et fauere videtur participium Græcum præteriti temporis significans eos qui iam antè crediderant, quasi nimirum baptizatorum fuerit illa confessiu. Item locus 1. Ioan. 1. *Si confiteamur peccata nostra fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata & emundet nos ab omni iniquitate.* Et illud Christi ad leprosos Luc. 17. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Verùm vt detur ex his scripturis probabiliter aliquid colligi pro confessione sacerdoti facienda, quæ tamen à plærisque non minùs fortè probabiliter in alium sensum accipiuntur, & ex mystico sensu non ducitur certum argumentum; hinc est quòd in seria disputatione tales probationes non valde premant aduersarium.

Quamuis autem ad institutionem nouæ legis pertineat hæc confessio, quædam tamen eius figuræ in veteri lege præcesserunt, velut in sacrificijs Mosaicis quæ diuersa pro diuersis peccatis offerebantur Leuit. 4. 5. & 6. quod fieri non poterat absque peccati apud sacerdotem confessione. Vnde & Num. 5. expressè Dominus mandat Moysi dicens; *Loquere ad filios Israel: Vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, confitebuntur peccatum suum &c.* Rursus quòd Leuitici sacerdotes diligentissimè iubebantur lepram examinare, vt inter lepram & lepram iudicarent, & mundum ab immundo discernerent, Leuit. 13. & 14. & 10. Deut. 17. & 21. & Ezech. 22. & 44. Et quidem leprosi iubebantur accedere sacerdotem & morbum suum ei particulatim declarare, vt patet ex Leuit. Vnde est & illud quod Dominus leprosis à se mundatis ait: *Ostendite vos sacerdoti.* Iam in eo quoque quòd baptizandi à Ioanne baptismo pœnitentiæ confitebantur peccata sua Matth. 3. quædam præfiguratio fuisse videtur confessionis peccatorum faciendæ ab his qui in noua lege pœnitentiam agerent. Erat enim Ioannis baptismus quædam exterior professio pœnitentiæ.

§. 6. *Eiusdem doctrinæ confirmatio ex patribus & concilijs.*

VSum & necessitatem confessionis sacramentalis post scripturam sacram perspicuè nobis monstrant patrum etiam vetustissimorum scripta, & conciliorum decreta; vt ex ijs facilè intelligatur & vsum eius in ecclesia esse antiquissimum, vtpote ab apostolis acceptum, & necessitatem eius ad consequendam peccatorum absolutionem semper agnitam fuisse. Quocirca sententias aliquot & loca breuiter ex ijs citabimus. *S. Thom. ibidem.*

Clemens Petri discipulus in epistola 1. ad Iacobum de confessione scribit: Quòd si in alicuius cor vel liuor, vel infidelitas, vel aliud malum latenter irrepserit, non erubescat hæc confiteri ei qui præest, vt ab ipso per verbum Dei & consilium salubre curetur. Et multis interpositis de Petro loquens: Docebat, inquit, cogitationes malas mox ad Christum allidere & sacerdotibus Dei manifestare.

Dionysius Pauli discipulus in epist. ad Demophylum acriter ipsum reprehendit, quòd procidentem sacerdoti peccatorem contra ordinem ecclesiasticæ disciplinæ calce repulisset. Cùm ille, inquit, verecundè fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse.

Tertullianus lib. de pœnitentia testatur exomologesin qua delicta nostra confitemur, à pœnitentibus in ecclesia frequentari; ac nonnulla de eius vsu rituque differens cap. 10. grauiter reprehendit eos qui exomologesin de die in diem differunt pudoris magis memores quàm salutis; velut illi, inquit, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt. Et mox ruborem sic introducit homini loquentem.

quentem.

quentem: Ne me respexeris, pro te mihi melius est A perire. Quibus verbis manifestè quanta sit confessionis necessitas, aperit.

Origenes homil. 2. super psalm. 38. Vide, inquit, quid nos docet scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Deinde subiecta similitudine rem declarat dicens, quòd sicut ij qui grauantur, indigesto cibo, nisi vomuerint, non releuantur : ita qui occultum habent peccatum nisi confiteantur, sed tantummodo inquit, circumspice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum. Et alia quæ sequuntur. Item homil. 2. in Leuit. eam vocat duram & B laboriosam pœnitentiam, cùm lauat peccator in lachrymis stratum suum, & non erubescit illud sacerdoti Domini indicare & quærere medicinam. Et homil. 3. scribit in eandem sententiam, ac rursum homil. 17. ait : Si reuelauerimus peccata nostra non solùm Deo, sed & his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo qui dicit : Ecce delebo vt nubem iniquitates tuas &c.

Cyprianus in sermone de lapsis, eorum temeritatem grauiter accusat qui post negatam fidem C ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu sacerdotis accesserant ad altare. Et post multa de occultis etiam faciendam confessionem docet his verbis : Quantò fide maiores & timore meliores sunt, qui quamuis nullo sacrificij aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentur, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt &c. Denique sic fideles exhortatur: Confiteantur singuli, quæso vos fratres de- D lictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti eius confessio potest, dum satisfactio cuiusque & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. Alius apud eum locus est, lib. 3. epist. 14.

Lactantius lib. 4. diuinarum institutionum capitul. 17. ex allegoria circumcisionis docet quòd etiam pudenda cordis debeamus sacerdoti patefacere, & capitul. vltim. concludit inter varios cœtus Christum confitentium, illam esse veram Christi ecclesiam, in qua est confessio & pœnitentia. E

Eusebius lib. 6. histor. ecclesi. capit. 27. refert quomodo Philippus imperator à Fabiano pontifice Romano prohibitus fuerit ab ingressu ecclesiæ, donec peccata sua confessus inter pœnitentes locum accepisset, & iniunctam pœnitentiam subijsset.

Basilius in regulis breuioribus capitul. 288. ad quæstionem quibus confitenda sint peccata, ita respondet. Necessarium videtur his quibus dispensatio mysteriorum Dei credita est, confitenda esse peccata. Sic enim & hi qui antiquitus F pœnitebant, inueniuntur apud sanctos confessi esse peccata sua. Similia tradit quæstione 110, & inter regulas fusiùs disputatas quæstio. 26. & in psalm. 32 Exemplum quoque confessionis commemorat in lib. de vera virginitate non longè ante finem.

Ambrosius libr. 2. de pœnitentia capitul. 6. ait : Soluit criminum nexus verecunda confessio peccatorum. Et iterum : Hoc ergo in ecclesia facere fastidis, vbi nihil est quod puduri

esse debeat nisi non fateri, cùm omnes simus peccatores &c. Et in libr. de paradiso capitul. 14. Non potest quis, inquit, iustificari, nisi confessus antè fuerit peccatum. Et in exhortatione ad agendam pœnitentiam apertè docet Deo & sacerdoti confitenda esse peccata. Narrat etiam in Ambrosij vita Paulinus quòd quotiescunque ei aliquis lapsus suos confessus esset ob percipiendam pœnitentiam, ita flebat, vt illum flere compelleret.

Hieronymus in Matth. 16. vult sacerdotes non priùs exercere soluendi & ligandi potestatem, quàm audierint peccatorum varietates, vt sciant, qui ligandi, quiúe soluendi sint. Et scribens in Ecclesiastæ 10. Si quem, inquit, serpens diabolus occultè momorderit, si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. Item in regula monachorum Hieronymo ascripta cap. 9. dicitur quòd occulta peccata solis oporteat sacerdotibus confiteri.

Ioannes Chrysostomus lib. 2. de sacerdotio inter alia quæ præclarè scribit de potestate clauium sacerdotibus concessa, docet quàm sit necessarium fidelibus vt sacerdotum curationibus se subijciant. Ac de sacerdotis officio loquens : Quocirca, inquit, multa pastori opus est prudentia, sexcentis etiam, vt sic dicam, oculis vt rectè vndique humani animi habitum circumspicere possit. Et infrà : Itaque nihil horum relinquendum est quod probè non excutiat atque examinet, quin omnia accuratè & studiosè perscrutetur. Tum demum oportet illum sua ipsius remedia congruè, aptè, & commodè adferre, idque ne operam fortè ludat. Et lib. 3. consimilia leguntur. Idem de compunctione cordis. Ex hoc, inquit, quòd in memoria non habemus peccatum, fit vt ad confessionem non accedamus; quomodo enim confitebimur, quorum nec memoriam quidem habemus Et homilia 1 in psalm. 50. monet vt statim currat peccator ad exomologesin, & homil. 3. ad populum Antiochenum sumpto exemplo à medicis & ægrotis. Ita tu quoque fac, inquit, sacerdoti vulnus manifesta. His adde quæ scribit in serm. de pœnitentia & confessione, & homil. 20. in Genesim & homil. 5. de verbis Isaiæ, & duo capitula eius titulo in decretum Gratiani relata de pœnitentia distinct. 1. in quorum altero dicitur quod non potest quis gratiam Dei cælestis accipere nisi priùs purgatus fuerit ab omni sorde peccati per pœnitentiæ confessionem. Extat quoque in opere imperfecto super Matth. homil. 3. clarissimum pro hac re testimonium. Quod opus etsi Chrysostomi non sit, eiusdem tamen cum eo antiquitatis esse satis liquet. Sed non minùs apertus est locus in opere perfecto homil. 10. ad illud Matth. 3. *Confitentes peccata sua*, vbi sic ait: Tempus quidem confessionis incumbit his quoque qui baptismum consecuti sunt, Post que verba distinguit duo genera hominum quibus post susceptum baptismum incumbit confitendi necessitas; alijs quidem, vt post parentia, id est, publica criminum vulnera pœnitentia interueniente curentur, & ad sacra mysteria redire mereantur; alijs verò vt eam quam conceperunt maculam, confessi ad mensam dominicam munda conscientia accedant, quorum prius ad publicam,

posterius ad priuatam & sacretam pœnitentiam teferendum est. In hanc senrentiam citatur hic locus à Thoma Waldensi tom. 2. de sacramentis capit. 136. & consentiunt vetusta exemplaria, tametsi postea diuersis editionibus variè ab hæreticis idem locus fuerit corruptus.

Augustinus homil. 49. cap. 3. ad hunc modnm relapsos alloquirur: Agite pœnitentiam, qualis agitur in ecclesia, vt orer pro vobis ecclesia. Nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deú ago. Nouit Deus qui mihi ignoscit quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cælis, ergo sine causa sunt claues datæ ecclesiæ Dei &c. Et paulò pòst alludens ad vsitatam in ecclesia ceremoniam confitentis, id est, genuflexionem, subiungit: Et resistit mihi filius pestilentiæ, & erubescit genu figere sub benedictione Dei, qnod non erubuit imperator, & quæ sequuntur. Idem tract. 49. in Ioan. exponens illud de Lazaro resuscitato. *Processit qui erat mortuus, ligatus manus & pedes,* quando confiteris, inquit, procedis, sed vt confitearis, Deus facit magna voce clamando, id est, magna gratia vocando: ideo cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, vt soluerentur peccata eius, ministris hoc dixit Dominus: *Soluite illum*. Apud eundem notari possunt hæc loca Ench. 56. in psal. 66. homil. 27. & 50. epist. 118. cap. 3. serm. 57. de tempore ac denique lib. 2. de visitatione infirmorum cap. 4. quo loco ex professo docetur non sufficere confessionem quæ fit Deo, sed omnino etiam sacerdoti detegenda esse peccata, tametsi liber ille meritò putatur non esse Augustini, Idem habes lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 10. & 20. vbi & fundat se in ratione iudicij.

Leo Magnus epist. 91. clarè docet relapsis indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum non posse obtineti. Et Christum præpositis ecclesiæ hanc tradidisse potestatem vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, &c. Idem epistol. 80. docet confessionem quæ fit sacerdoti, secretam esse debere.

Gregorius Magnus homil. 26. in euangelia dicit: Pastores ecclesiæ ei pœnam debent amouere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.

His antiquioribus & grauissimis authoribus facile cæteri omnes subscripserunt, velnt Beda scribens in Iacobi 5. & in 1. Ioannis 5. ad illud: *Qui scit fratrem suum peccare.* Bernardus in vita Malachiæ. Haimo homil. in octaua paschæ, homil. 1. post octauam pentecostes, & apertissimè homil. 15. post octauam pentecostes, vbi tractans illud: *Ostendite vos sacerdotibus.* Qui locus, inquit, eorum opinionem destruit qui erubescentes peccata sua sacerdotibus confiteri, quoddam occasionis ingenium inuenerunt dicentes sibi sufficere, vt soli Deo peccata sua confiteantur, si tamen ab ipsis peccatis in reliquo cessent. Quorum opinio, si vera esset, nequaquam Dominus leprosos quos per semetipsum mundauerat, ad sacerdotes mitteret. Nam vt ostenderet ad iudicium sacerdotem peccata esse liganda atque soluenda, Lazarum quem per semetipsum à mortuis resuscitauerat, non priùs abire permisit quàm à discipulis solueretur. Hæc ille. Pertinent huc & cætera patrum loca ex quibus necessitatem sacramenti pœnitentiæ monstrauimus ad distinct. 14. quia vt dictum est, ex illus institutione & necessitate confessionis institutio & necessitas dependet.

Denique his omnibus ad confirmationem accessit quatuor generalium conciliorum authoritas, scilicet, Lateranensis sub Innocent. 3. can. 21. Constantiensis sess. 8. Florentini in decreto dato Armenis & Tridentini sess. 14. Porrò cum ex tota superiori probatione iam constet confessionem relapsis ad reconciliationem esse diuino iure necessariam, illud quoque patet quod à nonnullis in quæstionem vertitur, super præcepto confessionis nulla humana authoritate seu Romani pontificis seu totius ecclesiæ dispensari posse, quippe cùm ad immutationem diuini iuris humana potestas non pertingat.

§. 7. *Responsio ad obiectiones aduersariorum.*

QVæ contra superiorem doctrinam ab aduersarijs congeruntur argumenta, plæraque partim eadem sunt cum illis quibus in genere sacramentum hoc pœnitentiæ oppugnant; partim eò tendunt, vt doceant solam cordis conuersionem ad delendum peccatum sufficere, ad quæ iam suis locis respondimus. Quare ad ea tantùm quæ huic loco propria sunt, nunc respondeamus. *S. Thom. ibidem.*

Primùm igitur catholicorum probationem impugnant hoc modo: Minister ecclesiæ peccata remittit non tantùm in sacramento pœnitentiæ, verùm etiam baptismi: Atqui ex potestate qua vtitur in baptismo non sequitur eum qui ad sacramentum illud accedit, debere confiteri sua peccata. Quare neque id consequens est ex potestate qua vtitur in sacramento pœnitentię.

Secundò. Scriptura Ioan. 20. non conuincit necessitatem confitendi venialia peccata, ergo nec mortalia. Non enim de solis mortalibus intelligenda est, sed communis est atiam venialibus.

Tertiò. Potest alio modo quàm per propriam oris confessionem haberi cognitio peccatorum à sacerdote; vtpote per alterius narrationem vel per scriptum, vel si sacerdos factum viderit: igitur necessitas confessionis ex necessitate cognitionis non rectè statuitur.

Quartò. Ecclesia non iudicat de occultis, vt etiam concilium Tridentinum testatur sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij, ergo occulta peccata non necessariò per confessionem sunt detegenda ecclesiæ ministro.

Quintò obijciunt confessionem non esse iuris diuini, eò quòd episcopi authoritate aliquando sublata fuerit in ecclesia Constantinopolitana. Nam vt referunt Socrates hist suæ lib. 5. cap. 19. & Sozomenus lib. 9. cap. 35. & Nicephorus lib. 12. cap. 28. Nectarius illius sedis episcopus propter scandalum quoddam occasione confessionis in ea ecclesia exortum, sustulit presbyterum pœnitentiarium qui præfectus erat audiendis pœnitentium confessionibus, & liberam dedit potestatem vti pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet. Imò & ab eisdem scriptoribus origo institutæ confessionis indicari videtur, cùm ibidem dicunt occasione hæresis Nouatianæ conditum ab episcopis fuisse huiusmodi canonem: vt in singulis ecclesijs presbyter quidam pœnitentiæ præesset, quò qui post baptismum lapsi fuissent, coram presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur.

Sextò,

Sextò. Chrysostomus qui Nectario proximus A successit, factum eius de sublato pœnitentiario & onere confessionis aliquot locis approbare & commendare videtur, significans eam confessionem quæ soli Deo fit, sufficere. Sic enim ait, homil. 2. in psal. 50. Peccata tua quotidie dicito, vt deleas illa; sed si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico vt confitearis ea conseruo tuo, qui tibi exprobret, dicito ea Deo qui curat ea &c. Et homil. 31. in epist. ad Heb. Non tibi dico vt te prodas in publicum, neque vt apud alios accuses, sed obedire te volo prophetæ dicenti: *Reuela Deo viam tuam*. Ante Deum ergo tua confitere peccata, B apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, sed conscientiæ tuę memoria: & tunc demum spera te misericordiam posse consequi. Idem homil. 52. in Matth. laudat confessionem voluntariam, necessariam verò docet esse inutilem. Tale quid etiam ab Hugone Victorino dicitur lib. 2. de sacramentis parte 14. cap. 1. nempe propterea Christum non dedisse hominibus præceptum sua peccata confitendi, ne extorta & coacta videretur esse confessio.

Septimò. Ambrosius lib. 10. in Luc. 22. de Petro post negationem pœnitente ait: Non inuenio, C quid dixerit, inuenio quod fleuerit. Et iterū: Lauant lachrymæ delictum quod voce pudor est confiteri. Et veniæ fletus consulunt & verecundiæ; lachrymæ sine horrore culpam loquuntur, lachrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur &c. Eadem ferè verba sunt apud Maximum homil. 3. de pœnitentia Petri.

Octauo. August. serm. 252. de tempore agens de hominis in crimen aliquod prolapsi præparatione ad sumendam eucharistiam non meminit confessionis, sed tantùm orationis, ieiunij & similium. D

Nonò. Prosper lib. 2. de vita contemplatiua cap. 7. Illi, inquit, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab alijs publicata; si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum habituri sunt & vltorem. Quòd si ipsi sibi iudices fiant, & veluti suæ iniquitatis vltores hic in se voluntariam pœnam seuerissimæ animaduersionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia; & lachrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterni ignis incendia. Et infrà: Quapropter Deum sibi facilius placabunt illi qui non E humano conuicti iudicio, sed vltro crimen cognoscunt; qui aut proprijs illud confessionibus produnt, aut nescientibus alijs quales occulti sunt, ipsi in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt, & ab altari cui ministrabant, non animo sed officio separati, vitam suam tanquam mortuam plangunt, certi quòd reconciliato sibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo non solùm amissa recipiant, sed etiam ciues supernæ ciuitatis effecti ad gaudia sempiterna perueniant. Hæc ille.

Decimò. Beda lib. 5. in Lucam ad illud: *Ite,* F *ostendite vos sacerdotibus,* tantummodo crimen hæresis, & infidelitatis, & Iudaicæ perfidiæ, & schismatis, vult referri ad sacerdotes. Cætera verò vicia, inquit, per seipsum interiùs in conscientia & intellectu Dominus sanat, & corrigit.

Vndecimò obijciunt capitulum finale de pœnitentia dist. 1. sumptum ex pœnitentiali Theodori archiepiscopi Cantuariensis, quod sic habet: Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt vt Græci; Quidam verò sacerdotibus confitenda esse peccata percensent, vt tota ferè sancta ecclesia. Quod vtrumque non sine magno fructu intra sanctam fit ecclesiam. Et in fine: Deus namque salutis & sanctitatis author & largitor plærumque præbet hanc suæ pœnitentiæ medicinam inuisibili administratione, plærumque medicorum operatione. Quæ verba innuere videntur confessionem quę fit sacerdoti, non simpliciter esse necessariam. Quam etiam Gratiam sententiam esse apparet ex verbis ibidem præmissis, vbi lectoris iudicio relinquit vtri sententiæ potiùs sit adhærendum.

Postremò humanę atque ecclesiasticę cōstitutionis esse confessionem probant, quia in concilio Lateranensi sub Innocentio 3. communi decreto episcoporum instituta fuit can. 21. qui incipit, Omnis vtriusque sexus omnia sua peccata confiteatur, &c. idemque confirmant ex glossa Ioannis Teutonici qui ad initium dist. 5. de pœnitentia hanc eandem quæstionem ās motam ita concludit. Sed meliùs dicitur eam institutam fuisse à quadam vniuersalis ecclesiæ traditione, potius quàm ex noui vel veteris testamenti authoritate. Et addit Græcis non esse necessariam, quia lex illa ecclesiæ Romanæ eos non obligat, sicut nec traditio consecrandi in azymo.

His denique addunt scholasticos, Bonauenturam, Durandum, Scotum quasi non satis constanter de hac re locutos. Dicit enim Bonauentura quòd ante determinationem concilij Lateranensis non erat hæresis negare confessionis necessitatem. Durandus autem eò propendet, vt putet confessionem non esse præcepti sed consilij. Scotus verò cùm dixisset sacramentum pœnitentiæ fuisse institutum à Christo, non tamen tanquam necessarium, sed tanquam vtile, postea subdit quòd qui teneret confessionem solùm esse de præcepto ecclesiæ, non posset faciliter impugnari, licèt rationabilius sit dicere quòd sit de iure diuino.

Ad hæc omnia sigillatim ita respondemus. Ad primum clarum est non eandem esse rationem sacramentorum baptismi & reconciliationis; cùm in baptismo administrando sit nudum ministerium, in reconciliando autem pœnitente requiratur iudicium, sitque absolutio pœnitentis actus iudicialis, qui necessariò requirit causæ cognitionem, quemadmodum id rectè explicant patres Tridentini concilij sess. 14. cap. 2. 5. & 6. iamque suprà satis à nobis ostensum est.

Ad secundum. Sententia Domini: *quorum remiseritis &c.* principaliter intelligitur de peccatis excludentibus à regno cælorum. Datur enim per eam potestas clauium ad aperiendum regnum cælorum, quemadmodum patet ex simili sententia Matth. 16. & 18. Cùm ergo venialia à regno non excludant, ijsque remittendis multa alia constituta sint remedia, patet non similiter colligi necessitatem ea confitendi, sicut mortalia.

Ad tertium. Absque propria peccatoris confessione non potest haberi debita cognitio omnium eius peccatorum, eorum maximè quæ sola cogitatione commissa sunt. Item intentionis suæ, vel ignorantiæ, perfectionis vel imperfectionis actuum, & aliarum circumstantiarum, quæ plærumque sacerdoti ad bene iudicandum cognitu sunt necessariæ. Denique & propositi vitæ mutandæ in melius. Scripto autem vel per interpretem confiteri certis casibus quis potest, vt si sit mutus, vel linguam eius sacerdos non intelligat, vel aliud loquendi siue etiam audiendi intercedat impedimentum.

Ad quartum. Ideo occulta debent indicari & patefieri ecclesiæ, vt possit de ijs iudicare, cùm Christus

Christus instituerit nulla peccata à regno Dei excludentia relapsis remitti, nisi in tribunali ecclesiæ, quia generalis est sententia: *Quorum remiseritis &c.*

Ad quintum. Canon ecclesiæ conditus occasione hæresis Nouatianæ propter quosdam episcopos, qui se illi hæresi imprudentiùs opponentes passim absque condigna pœnitentia lapsos recipiebant (contra quos agit Cyprianus lib. de lapsis) non hoc habebat, vt pœnitentes peccata sua presbytero confiterentur, cùm non dubitaret ecclesia id esse à Christo præceptum: sed tantùm vt in singulis ecclesijs vnus aliquis esset presbyter ad eam rem designatus, apud quem quicunque post baptismum lapsi essent, sua peccata confiteri deberent, nec liberum eis esset quemcunque alium adire. Presbyter autem ille consentiente pœnitente peccata eius populo publicabat, tum pro maiori pudore & humilitate pœnitentis, tum vt pro eo populus Deum ardentiùs precaretur. Qua ex re cùm propter patefactum hac ratione stuprum diaconi cum quadam matrona graue scandalum in ecclesia Constantinopolitana fuisset exortum, Nectarius pœnitentialem illum presbyterum prorsus sustulit (cum quo simul & publica pœnitentia ibidem eadem opera sublata videtur.) ita vt deinceps eo statu res pœnitentium essent, eorum saltem quorum occulta erant crimina, quo erant ante conditum huiusmodi canonem; nempe vt accepta priuata pœnitentia à quocunque presbytero iurisdictionem habente quales multi erant, reconciliari ad mysteria accederent. Vnde patet non confessionem sed certum canonem, seu canonis accessionem de modo confessionis & pœnitentiæ à Nectario abrogatum fuisse. Adde quòd ipsi historici factum Nectarij improbant, iudicantes id fuisse contrarium disciplinæ ecclesiasticæ, quod ita simpliciter presbyterum illum pœnitentiarium sustulisset.

Ad sextum. Chrysostomus nusquam dicit satis esse, si quis soli Deo confiteatur. At neque alicubi dicit, non tibi dico, vt sacerdoti peccatum tuum detegas; imò hoc alibi disertè præcipit, vt suprà in confirmatione huius doctrinæ ostendimus; sed dicit, ne conseruo tuo qui tibi exprobret. Deinde de pœnitentia publica quæ iam à prædecessore ipsius Nectario sublata erat, eum agere, patet ex his verbis: Non vt te prodas in publicum, neque vt apud alios accuses. Necessariam autem confessionem quam velut inutilem reijcit, intelligit coactam & extortam; qualis est impiorum in inferno, qualis etiam fuit Antiochi confessio 2. Machab. 9.

Cæterùm Hugo non aliud vult quàm non extare expressum confessionis præceptum in euangelio, docens interim illud tacitè includi in potestate clauium sacerdotibus data. Quo cognito sponte debere peccatores per confessionem ab illis tanquam medicis remedium quærere.

Ad septimum. Ambrosius quoque respicit ad publicam pœnitentiam quæ erat plena pudoris. Et quod ad Petrum attinet, nondum erat instituta confessio, quando ille peccauit & pœnitentiam egit.

Ad octauum respondetur sermonem non esse Augustini, & argumentum ab authoritate negatiuum non concludere, præsertim cùm ipse Augustinus, vt suprà ostendimus, alibi clarè de confessione loquatur.

Ad nonum. Prosperi verba de crimine proprijs confessionibus prodendo, rursus ad publicam pœnitentiam pertinent, ad quam vrgere non vult Prosper eos, quorum occulta sunt peccata, quoniam

A & sine illa per priuatam & secretam pœnitentiam reconciliari possunt. Vnde & plurali numero dicit, nescientibus alijs quales occulti sunt, videlicet non vnius sacerdotis secretam, sed multitudinis publicam noticiam tantùm remouere se ijs verbis significans, atque hanc solutionem satis clarè in textu tradit Magister.

Ad decimum. Beda similiter de publica pœnitentia loquitur, quæ quidem eius ætate solis hæreticis & schismaticis ad ecclesiam redeuntibus imponebatur.

B Ad vndecimum. Quidam Theodorum quoque locutum interpretantur de pœnitentia manifestorum criminum, quæ cùm per totam ferè ecclesiam exigeretur publica, Græci post Nectarium abolita publica pœnitentia tantùm exigebant secretam. Sed verba capituli hanc interpretationem non videntur admittere, quia disertè distinguunt confessionem quæ fit soli Deo, & quæ fit sacerdotibus. Rectiùs proinde respondetur Theodorum opponere Catholicam sententiam totius ecclesiæ. (Nam illud ferè in textu adiecticium esse nonnulli autumant) quæ habet peccata sacerdotibus esse confitenda, opinioni seu hæresi Græcorum qui dicebant

C sufficere confessionem quæ fit soli Deo. Vnde Theodorus approbans quod facit tota ecclesia, subiungit. Quod vtrumque, scilicet & Deo & sacerdoti confiteri, non sine magno fructu intra sanctam fit ecclesiam. Potest etiam illud, ferè, additum esse ad exceptionem Græcorum, qui etsi grauibus quibusdam erroribus impliciti essent, adhuc tamen in ecclesia tolerabantur. Vnde legitur apud Bedam historiæ Anglorum lib. 4. cap. 1. quòd Vitalianus papa hunc Theodorum ex Tharso Ciliciæ natum, regione videlicet ecclesiæ orientalis, ad quam etiam Græci pertinebant, mittens in Britanniam adiun-

D xerit ei Adrianum quendam abbatem virum doctissimum, præcipiens ei, vt diligenter attenderet, ne quid ille contrarium veritati fidei Græcorum more in ecclesiam cui præesset, introduceret. Ex quo satis apparet quo loco sit habenda Græcorum opinio ab eodem Theodoro recitata, tametsi Græci Catholici, tum ante tum etiam post illa tempora idem de confessionis necessitate tenuerunt cum ecclesia Romana, quemadmodum probat Nicephorus Chartophylax in epistola quam scripsit ad Theodosium monachum de ligandi soluendique

E potestate. Porrò ea verba quæ in fine dicti capituli habentur, non Theodori sed Gratiani esse videntur, quem non negamus de hac re non habuisse fixam sententiam.

Ad duodecimum perspicuè respondet synodus Tridentina sess. 14. cap. 5. his verbis. Neque enim per Lateranense concilium ecclesia statuit, vt Christi fideles confiteantur, quod iure diuino necessarium & institutum esse intellexerat; sed vt præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus & singulis, cùm ad annos discretionis peruenissent,

F impleretur &c. Igitur constitutio Lateranensis non aliud est, quàm determinatio temporis circa diuinum præceptum confessionis. Quocirca reijcienda est & expungenda glossa illa Ioannis Teutonici, velut manifestum continens errorem. Cæterùm S. Thomas & Bonauentura sententiam de hæresi ante concilium mitigasse videntur propter Magistrum & Gratianum, qui cùm ante Lateranense concilium vixerint, contrariam sententiam referunt, vt ipse ait, tanquam opinionem. Verùm non animaduerterunt concilium non definiuisse confessionem esse iuris diuini quod tanquam notum supponebatur,

sed

sed tantummodo, vti diximus, tempus determinasse. Itaque & ante concilium erat error fidei contrarius dicere confessionem non esse necessariam iure diuino, licèt eius assertores propter nonnullam adhuc rei obscuritatem excusari fortasse potuerint, ne essent hæretici.

Quæ verò à Durando & Scoto hac in re minùs considerate dicta sunt, non debent præiudicare reliquorum omnium doctorum & totius ecclesiæ consensui & iudicio.

§. 8. *Quatenus confessionem oporteat esse secretam.*

S. Thom. sup. q. 8. Confessionem secretam, siue vt loquuntur, auricularem, ideo hæretici toto studio oppugnant, quòd putent primis ecclesiæ temporibus non aliam quàm publicam pœnitentiam simul & confessionem in vsu fuisse, quam dicunt temporis lapsu mutatam esse in eam quæ nunc frequentatur, confessionem secretam. Contra quos sicut alibi monstratum est, tam priuatam quàm publicam pœnitentiam primis ecclesiæ temporibus in vsu fuisse: ita quoque tenendum præter publicam illam criminum etiam secretorum, apud populum manifestationem aliquando & quibusdam in locis fieri solitam, semper ac potissimùm in ecclesijs frequentatam fuisse secretam apud solum sacerdotem peccatorum confessionem. Qua de re Tridentina synodus cap. 5. sess. 14. ita docet. Cæterùm quoad modum confitêdi secretò apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum & sui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit; non est tamen hoc præcepto diuino mandatum nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta præsertim secreta publica essent côfessione aperienda. Vnde cùm à sanctissimis & antiquissimis patribus magno vnanimique consensu secreta confessio sacramentalis qua ab initio sancta ecclesia vsa est, & modò etiam vtitur, fuerit semper cômendata; manifestè refellitur inanis eorum calumnia qui eam à diuino mandato alienam & inuentum humanum esse, atque à patribus in concilio Lateranensi congregatis initium habuisse docere non verentur. Hæc ibi.

Ex qua concilij doctrina primùm colligitur non pertinere ad essentiam confessionis sacramentalis, vt sit secreta, quemadmodum etiam ex definitionibus eius suprà positis facilè monstratur. Deinde nec præcepti diuini esse, vt secretò fiat, non enim vetuit Christus aliqua lege, quin publicè aliquando fieri possit. Imò satis declarât verba concilij posse etiam laudabiliter & cum fructu eam publicè fieri. Tertiò publicam confessionem non esse præcepti diuini. Quartò, eandem non esse humana lege præcipiendam. Postremò, Secretam confessionem tanquam à patribus commendatam & perpetuo vsu ecclesiæ comprobatam, omnino retinendam esse.

Quod autem patres concilij tum in decreto tum in can. 6. eiusdem sess. asserunt ac definiunt modum secretè confitendi soli sacerdoti non esse alienum ab institutione & mandato Christi, non hoc sentiunt, quòd modum illum Christus præceperit. Si enim præcepisset, consequenter vetuisset confessionem publicè fieri, quod apertè negant pa-

A tres, sed tantùm volunt modum secretè confitendi neque contrarium neque dissentaneum esse præcepto & institutioni Christi, quin potiùs maximè cum eo congruere. Cuius ratio est, quia lex naturæ monet, imò præcipit, ne quis occulta & pudenda crimina sua publicando seipsum infamet, nisi fortè maior aliqua vel ipsius peccatoris vel aliorum hominum vtilitas id exposcat. Hanc autem naturæ legem non destruit lex Christi, quæ mandat omnia peccata etiam occultissima patefieri per confessionem ei, cui ad remittendum & retinendum datæ sunt claues à

B Christo. Et proinde ita peccata sunt sacerdoti detegenda ex Christi præcepto, vt nihilominus iuxta præscriptum legis naturæ apud alios maneant occulta.

Adde quòd publicatio occultorû criminum siue per ipsum pœnitentem, siue per sacerdotem facienda, non satis conueniret cum proprio effectu sacramenti pœnitentiæ qui est tegere & abolere peccata; cùm crimina sic publicata & infamia inde contracta ex hominum memoria haud facile deleri possent.

Denique iugum confessionis à Christo nobis

C impositû suaue ac leue esse debet iuxta illud Matth. 11. *Iugum meum suaue &c.* quale profectò non esset, si publicâda essent crimina, sed contrà magis hoc pacto fieret importabile; maximè ergo conuenit cum lege & institutione Christi, vt secreta sit peccatorum confessio.

Porrò quid de hac re habeat vetus & ab apostolis accepta ecclesię traditio, vnus Leo clarè docet in epistol. 80. ad episcopos Campaniç his verbis: Illam contra apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnoui à quibusdam illicita vsurpatione cômitti, modis omnibus constituo sub-

D moueri; de pœnitentia videlicet quę à fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publicè recitetur, cùm reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur; tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea, qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare; remoueatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubescunt aut metuunt inimicis suis sua facta

E referare, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio quæ primùm Deo offertur, tum etiam sacerdoti qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures poterunt ad pœnitentiam prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Hactenus Leo.

Cui prætereà addi possunt loca patrum suprà pro confessione à nobis citata; quippe quæ ferè omnia eam commendent côfessionem quæ fit apud sacerdotem absque mentione vlterioris propalationis. Imò quidam eorum disertè hoc exigunt vt secreta sit confessio. Et Origenes quidem scribens

F in psal. 37. homil. 1. vtriusque confessionis meminit tam secretæ quàm publicæ. Sic enim post alia quibus ad confessionem sacerdoti faciendam hortatur, tandem subijcit: Quod si intellexerit sacerdos & prędixerit talem esse languorem tuum qui in conuentu totius ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione & satis perito medici illius consilio procurandum est. Quę verba manifestè docent non semper olim sed interdum pro vtilitate peccatoris factum, vt in conuentu

A ecclesiæ peccata eius publicarentur. Quod quia pro lege à nonnullis episcopis tempore Leonis introducebatur, eius authoritate repressum ac prohibitum est.

Cæterùm Basilius in regulis breuioribus quæst. 110. quæ talis est: Vtrùm conueniat dum soror seniori seu presbytero confitetur, etiam antistitem ipsam adesse, satis significat omnino secretè ac sine teste apud presbyterum solitam fieri confessionem. Quod idem probat quæstio 288. an qui peccata sua confiteri vult, passim & quibusuis ea confiteri debeat, an verò certis quibusdam. Ad quam respondet non passim omnibus aperienda esse peccata, sed B ijs tantùm quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei, id est, sacerdotibus. Idem in regula monachorum cap. 21. Confessio, inquit, peccatorum hanc habet rationem quam habet vulnus aliquod corporis, vel passio quæ medico monstranda est: ita confessio peccatorum fieri debet apud eos tantummodo qui curare hæc præualent & emendare, hoc est, apud solos sacerdotes.

Similiter in regula monacharum apud Hieronymum cap. 9. postquam dictum esset quæ peccata publicè in conuentu sororum confitenda sint, ita subijcitur quod ad secretam attinet confessionem: Neque tamen propter hoc secreta cogitamina C cordium prodant, nec occulta peccata quæ solis sacerdotibus debent confiteri.

Chrysostomus verò in homil. de pœnitentia & confessione (citat Pamelius) docet non esse necessarium, vt coram testibus quis cõfiteatur, vocatque tribunal hoc semel & iterum ἀμάρτυρον, id est testium expers.

His accedit quod Sozomenus lib. 7. cap. 16. presbyterum illum pœnitentiarium quem apud Constantinopolin abrogauit Nectarius, ita describit, vt dicat eum esse debuisse secretorum tenacem; D nempe non ob aliud quàm quia de secretis peccatis apud eum confessio fiebat secreta, nec nisi consensu pœnitentis, si id posceret eius vtilitas & ecclesiæ ædificatio, poterant illa publicari. Ex quo loco sicut & ex decreto Leonis iam recitato alijsque veterum scriptis admodũ verisimiliter docet, quòd etiam publica pœnitentia qualis olim frequẽtabatur in ecclesia, nihilominus priuatam seu secretam confessionem semper habuerit coniunctam; qua videlicet non tantùm crimina publicè nota propter quæ publica agebatur. pœnitentia; verùm E etiam si quæ prætereà occulta vel facto vel sola cordis cogitatione ijdem pœnitentes commisissent, apud solum sacerdotem exponerent, vnam pro omnibus reconciliationem ab eo expectantes.

Huc demum referenda sunt duo capitula apud Gratianum titulo de pœnitentia. Alterum dist. 1. cuius initium, Quem pœnitet, in quo sic dicitur: Si peccatũ occultum est, sufficit referre in noticiam sacerdotis, vt grata sit oblatio muneris. Quod & repetitur dist. 6. cap. Qui vult. Sumptus est autem vterque locus ex libro de vera & falsa pœnitentia cap. 11. Alterum Gregorij eadem 6. dist. cap. Sa- F cerdos, in quo sub grauissima interminatione prohibetur, ne sacerdos cuiquam reuelet peccata sibi confessa. Quæ prohibitio postea renouata est à Lateranensi concilio sub Innocentio 3. can. 21. vt vel ex his apertissimè refelli possit error eorum, qui confessionis auricularis primam originem referunt in decretum Lateranense, quod supracitatis authoribus & canonibus tantò fuit posterius.

§. 9. *Quæ peccata necessariò confitenda.*

SIcut pœnitentiæ sacramentum solis & omnibus in mortale peccatum post baptisma relapsis est ad salutem necessarium, quemadmodum ostensum est ad dist. 14. ita confessionis præceptum ad eosdem solos & omnes spectat. Nam vt ex suprà dictis patet, confessionis necessitas non statuitur nisi ex necessitate sacramenti pœnitentiæ, seu potestatis clauium, ad cuius iudicium & examen necessariò referenda sunt peccata mortalia post baptismum commissa. Qua de re ita statuit Tridentina synodus sess. 14. cap. 5. Oportere à pœnitentibus non in genere tantùm, sed in specie ac sigillatim omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantùm aduersus duo vltima decalogi præcepta commissa. Et post pauca: Verùm cum vniuersa mortalia peccata etiam cogitationis homines iræ filios & Dei inimicos reddant, necessum est, omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confessione à Deo quærere: Ac deinde tacitè remouens atque adeo inuertens hanc Lutheri obiectionem; Qui omnia vult confiteri, nihil relinquit diuinæ misericordiæ ignoscendum, subiungit: Itaque dum omnia quæ memoriæ occurrunt peccata, Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia diuinæ misericordiæ ignoscenda exponunt. Qui verò secus faciunt, ac scienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina, non curat.

S. Thom. supp. q. 6. ar. 3. & q. 9. ar. 2.

Alijs verò duabus hæreticorum obiectionibus paulò pòst ita respondet: Sed & impium est confessionem quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim nihil aliud in ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm vt postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur. pro quibus fideliter cum propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me Domine.* Ipsa verò huiusmodi confessionis difficultas ac peccata detegendi verecundia grauis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus leuaretur, quæ omnibus dignè ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissimè conferuntur. Hæc synodus. Potest autem prior obiectio quæ est de impossibilitate etiam hoc pacto facilè retundi: Si propterea non est sacerdoti confitendum, quia impossibile est omnia peccata confiteri, ergo nec Deo confitendum est, quoniam & illi omnia confiteri perinde erit impossibile. Cui tamen omnia peccata confiteri haud dubiè tenemur, non tantùm in genere, sed vt suo loco monstratum est, in specie ac sigillatim, quod nec hæretici negant.

Quid porrò de circumstantijs peccatorum confitendis sentiendum sit, eadem synodus ibidem docet his verbis: Colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse quæ speciem peccati mutant; quòd sine illis peccata ipsa

neque

A neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innotescant, & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè censere possint, & pœnam quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere.

Vtrùm verò simile sit iudicium de circunstantijs non quidem mutantibus speciem, sed peccatum notabiliter aggrauantibus synodus tacuit, neque de ea re satis inter catholicos doctores conuenit. Certè ratio quam hic adfert synodus de iudicanda grauitate criminum, & condigna pœna pœnitentibus imponenda, velut si vnus decem, & alter decem milia aureorum furatus esset, etiam comprehendere videtur eas circonstantias quæ peccatum B intra eandem speciem notabiliter augent. Quò pertinet etiam illa ratio qua probat synodus peccata sigillatim esse detegenda, quod videlicet alioqui non possint sacerdotes in pœnis iniungẽdis æquitatem seruare. Et rursum illud cap. 8. eiusdem sessionis sacerdotes alienorum peccatorum particeps effici, si leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungant. Huc accedit quòd pœnitẽtes plerumque non norunt distinguere species, sed facilius distinguunt peccata secundùm leuitatem & grauitatem ex circunstantijs, si sint notabiles. Quod ipsum non rarò contingit etiam sacerdotibus quotum est de peccatis iudicare.

Postremò de venialium peccatorum confessione ad hunc modum statuit synodus: Venialia quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quanquam rectè & vtiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque alijs remedijs expiari possunt, sic ibi. Remedia verò intellige ad venialium deletionem per se sufficientia sine confessione. Huius autem doctrinę & alia ratio est, quia nimirum vt alibi diximus, sacramentum pœnitentiæ solummodo contra ea peccata quæ à regno excludunt, principaliter est institutum.

Nec obstat capitulum, Omnis vtriusque sexus &c. quia constitutio illa Lateranensis, vt suprà monuimus, non aliud est quàm determinatio temporis circa ius diuinum quod non exigit confessionem nisi de mortalibus. Vnde si quis per totum annum, vel etiam per omnem vitam nullius peccati mortalis sibi conscius esset, is toto eo tempore ad confessionem sacerdoti faciendam, nisi fortè propter scandalum vitandum, non teneretur, tametsi non ignoramus alios quosdam de hac quæstione aliud sentire.

§. 10. *An peccator teneatur statim confiteri.*

S. Thom. sup. q. 6. art. 5.

DE tempore confessionis quæstio moueri solet, vtrùm videlicet is qui peccauit mortaliter, teneatur statim cùm potest, peccatum confiteri, an verò in longum tempus confessionem posit differre. Qua de re quid sit iuris ecclesiastici, non est obscurum. Nam canon concilij Lateranensis sub Innocentio 3. præcipit vt quique fidelis saltem semel in anno confiteatur. Neque extat alia constitutio ecclesiastica qua tempus illud magis astringatur. Itaq; legi ecclesiasticæ satisfit, si quis semel tantum in anno confiteatur; & hoc quacunque anni parte, dummodo inter priorem & posteriorem confessionem non plus temporis quàm annus intercurrat. Non enim certum anni tempus ad confitendum præscribit canon ille, sicut ad sumendam eucharistiam præscribit tempus paschę.

Verùm de iure diuino ac naturali difficilior existit quæstio, diuersis diuersa opinantibus. Quidam enim existimant peccatorem satisfacere præcepto Dei tacitè comprehenso in illis verbis: *Quorum remiseritis &c.* si semel in vita confiteatur, neque alio certo tempore eum ad id teneri nisi in articulo necessitatis, quem duplicem faciunt, alterum per se, alterum per accidens; per se quidem periculum mortis, eò quòd sacramentum pœnitentiæ cuius pars est confessio, sit homini relapso ad salutem necessarium, ideoque sine eo exire illi ex hac vita non liceat: per accidens verò tempus sumendæ eucharistiæ ad quam apostolus requirit sui probationem. Quæ probatio talis esse debet, vt nemo criminis sibi conscius sine prævia confessione ad eucharistiæ sacramentum accedat, vti docet synodus Tridentina sess. 13. cap. 7. & can. 11 Horum vna ratio est, quia præceptum confessionis affirmatiuum est, quod proinde non obligat ad certum tempus nisi occurrente necessitate.

Altera, quia contritio per se sine confessione sufficit ad delendum peccatum, sed hoc suprà à no- C bis improbatum est.

Alij cum his ex diametro pugnant docentes peccatorem mox vt lapsus est, sicut ad veram conuersionem & contritionem: ita & ad confessionem faciendam teneri. Quorum ratio est, quia vt Sapiens ait: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Videtur autem amare periculum qui cùm sit per peccatum filius gehennæ, non statim conatur se ex eo statu eripere, in quo si moreretur, in æternum periret. Deinde adferunt exemplum de homine grauiter imò letaliter vulnerato, qui si non statim vulne- D ri remedium quærat, certo periculo vitæ sese obijcit.

Porrò alij mediam viam eligunt docentes neque necessarium esse peccatori vt statim quàm citò potest, confiteatur, neque tantùm sufficere si vel in articulo necessitatis suprà declarato id faciat, vel facere differat in longum tempus, vt annum vel menses aliquot; sed teneri ad confessionem faciendam habita oportunitate loci, temporis & sacerdotis: ita vt si eam oportunitatem negligat, & confessionem in longius tempus differat, saltem venialiter per aliquem neglectum salutis suæ peccet.

E Atque hæc sententia reliquis duabus præferenda videtur. Quod enim non statim omnino confiteri teneatur peccator ex eo patet, quia catechumeni non statim tenentur ad suscipiendum baptismum, imò nec statim admitti poterant, etiamsi vellent, iuxta veteres canones, qui certa tempora, videlicet paschæ & pentecostes baptizandis catechumenis præscribebant. De quibus vide Leonem epist. 4. Quòd autem in longum tempus non sit differenda confessio inde probatur, quia docet nos ipsa lex naturæ reconciliationem cum eo quem peccando offendimus, non esse diu differendam. Qua- F re si amicus qui amicum offendit, & filius qui patrem, meritò negligentiæ accusatur, si non dat operam, vt prima oportunitate reconcilietur ei quem offendit; multò magis negligenter & culpabiliter agere censendus est peccator, qui etsi ex animo sese ad Deum per veram pœnitentiam conuerterit, non optimam oportunitatem amplectitur, vt se in gratiam atque amicitiam Dei per confessionem & sacerdotis absolutionem restituat.

Quò pertinere etiam videntur illa præcepta Domini Matth. 5. *Relinque munus tuum ante altare, & vade*

vade prius reconciliari fratri tuo. &: *Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in via.* Hæc enim monstrant reconciliationem, nec eam quidem quæ cum homine facienda est, esse procrastinandam.

Præterea accedit aliud argumentum, quia bona opera hominis reconciliati, multò maioris sunt apud Deum dignitatis & meriti, quàm quæ fiunt ab homine conuerso quidem, sed nondum in gratiam restituto. Hoc autem tantum bonum suum, idemque necessarium diutius differre, profectò non videtur culpa carere. Hinc igitur est quod veteres subinde reprehendunt eos qui exomologesin de die in diem differunt, vt Tertullianus lib. de pœ-

B nitentia cap. 10. & Cyprianus in tract. de lapsis & alij. Cui sententiæ subscribit Hugo de sancto Victore lib. 2. de sacramentis parte 14. vbi quamuis contemptus vocabulo vtatur, id tamen de negligentia grauiori accipiendum est, qualis meritò æstimatur in negocio propriæ salutis.

Cæterùm argumenta primæ & secundæ opinionis facilè dissoluuntur.

Primæ quidem, quia præcepta affirmatiua non tantùm obligant in articulo necessitatis, sed tempore conuenienti, vti patet in decalogi præceptis. Vnde nec eorum sententia placet, qui stãdo in lege di-

C uina dicunt hominem extra supradictos articulos necessitatis tantùm teneri ad confessionem eo tempore quo periculum esset obliuionis peccatorum.

Secundæ verò, quia peccator instar hominis grauiter vulnerati statim ac sine mora confugere debet ad medicinam veræ pœnitentiæ, per quam eximitur periculo, & ad sanitatem disponitur, quam demum perfectiùs consequitur quando ad confessionis remedium oportuno tempore accedens, à sacerdote absoluitur.

D

§. 11. *Solus sacerdos potest absoluere, & ei soli confitendum.*

S.Thom. supp. ar. 1. 2. & 3.

CVm sit instituta confessio sacramentalis propter absolutionem eius cui confitemur, ministerio consequendam, patet sacerdoti confitendum esse; quoniam is solus remittendi & retinendi peccata potestatem habet, sibi traditam illis Domini verbis: *Quorum remiseritis &c.* Hoc enim propriè so-

E lis apostolis & eorum successoribus, id est episcopis & sacerdotibus dictum esse perpetuus patrum consensus ostendit. Vnde Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 2. de ea potestate loquens: Ius hoc, inquit, solis permissum sacerdotibus. Et Leo t. epist. 91. sic diuinitus ordinatum esse docet, vt post baptismum indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri; idemque repetens dicit necessarium esse, vt peccatorum reatus ante vltimum diem sacerdotali supplicatione soluatur: Idem docet Chrysostomus in libris de sacerdotio & author lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 10. & alijs locis pe-

F ne innumeris, quemadmodum ex ijs quæ proxima dist. de potestate clauium dicentur, manifestiùs patebit.

Itaque meritò in Ioanne Wicleff damnatum fuit, quòd diceret omnes bonos fideles etiam laicos habere claues ad ligandum & soluendum. Contra quem errorem extat decretalis Martini V. extra de pœnitentia, vbi inter cætera dicit quod nec Beata Virgo Deipara hanc habuerit potestatem, propterea quod ea potestas nec sanctitatem requirat, nec

A ab ea dependeat. Ac nouissimè synodus Tridentina sess. 14. cap. 6. definit falsas esse & à veritate euangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosuis homines præter episcopos & sacerdotes clauium ministerium extendunt. Et eiusdem sess. can. 10. damnat anathemate eum qui dixerit non solos sacerdotes esse ministros absolutionis.

§. 12. *Obiectiones soluuntur.*

S.Thom. vbi sup.

CVi doctrinæ non est contrarium quod Iacobus monet dicens: *Confitemini alterutrum*

B *peccata vestra.* Nam vel de ea confessione loquitur, qua Christiani mutuò petunt condonari offensas; vel si de sacramentali confessione intelligendus est, illud *alterutrum*, hunc habet sensum: Alter alteri, id est, homo homini, videlicet peccator sacerdoti, de quo paulò antè dictum erat: *Introducat presbyteros ecclesiæ*, quemadmodum id intelligi posse ex Hugone Victorino alibi annotauimus.

Quod autem in libro de vera & falsa pœnitentia cap. 10. legitur, tantam vim esse confessionis, vt si deest sacerdos, confitendum sit proximo, videlicet laico, quem sensum habeat ex ipso loco facile innotescit. Primùm enim non iubet, sed hortatur

C pœnitentem vt, vbi sacerdos deest, laico cõfiteatur. Deinde disertè negat laicum habere potestatem absoluendi. Etsi, inquit, ille cui confitebitur, potestatem soluendi non habet, fit tamen dignus venia ex desiderio sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis. Docet ergo sanctum esse & vtile si quis ob defectum sacerdotis peccata sua confiteatur proximo non sacerdoti; tum vt ipse confitens coram proximo erubescat, eoque pleniùs pro peccatis satisfaciat; tum vt proximum ad orandum pro se excitet. Non autem vt Magister sentire videtur,

D necessitas vnquam occurrit confitendi laico, aut cuicunque homini non sacerdoti. Cùm enim iure diuino non sit necessaria confessio sacramentalis nisi propter absolutionem, quam solus impendere potest sacerdos, perspicuum est eam non necessariò nisi sacerdotibus absoluendi potestate præditis faciendam esse.

At verò cùm præter ordinis potestatem etiam iurisdictionis potestas ad absoluendum requiratur, non cuilibet sacerdoti quisque pœnitens confiteri poterit, sed ei tantùm qui authoritatem absoluendi habeat vel ordinariam, vel ex commissione supe-

E rioris. Vnde Tridentina synodus supradicta sess. postquam dixisset cap. 6. absolutionem sacerdotis non esse nudum ministerium, sed se habere ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut à iudice sententia pronunciatur, cap. 7. consequenter huiusmodi doctrinam subijcit: Quoniam igitur natura & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in ecclesia Dei fuit. & verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert in quem ordina-

F riam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.

Non debet autem cuiquam mirum videri quod sacerdos ex ordinatione sua potestatem absoluendi habens, non tamen absoluere possit quemcunque pœnitentem qui se voluntariè ei subijciat, quandoquidem & in regimine ciuili simile quid fieri potest; velut si conferat rex aliquibus iudicandi potestatem, nullos tamen eis assignet subditos, sed qui eos tantùm accepturi sint ex delegatione proregis, quando id iudicabitur oportunum. Ad

hunc

hunc enim modum nihil vetat, multos esse sacerdotes qui potestatem quidem absoluendi habeant, cuius tamen vsum adhuc habere non possint propter iurisdictionis defectum, vtpote nullos adhuc subditos neque ordinariè neque ex commissione habentes. Vbi tamen hoc discrimen agnoscendum est quòd illa potestas in iudicibus à rege nominatis, tantùm relatiu quædam sit rationis. In sacerdotibus autem sit potestas realis quæ eis ipsa ordinatione simul cum potestate consecrandi eucharistiam confertur.

§. 13. *Quatenus proprio sacerdoti confitendum.*

S. Thom. sup. q. 8. art 4 5. & 6.

CÆterùm quæritur hic vtrū sit necesse vt proprio sacerdoti quisque confiteatur. Qua de re generalis est constitutio concilij Lateranensis sub Innocentio 3. in hæc verba: Omnis vtriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio sacerdote, cùm aliter ille ipsum non possit soluere vel ligare.

Ad huius constitutionis intelligentiam necessarium est scire quis dicatur proprius sacerdos. Et quidem Paludanus duplicem, Bonauentura triplicem, Richardus quadruplicem distinguit acceptionem proprij sacerdotis. Verùm ijs distinctionibus omissis, vnica videtur esse iuxta mentem concilij acceptio proprij sacerdotis, nimirum, vt is dicatur proprius sacerdus qui propriam & ordinariam habet authoritatem absoluendi eum cuius respectu proprius dicitur, hoc est, cuius curæ quisque propriè subiectus est. Sic parochus est proprius sacerdos parochianorum suorum, non autem quilibet commissionem habens ex authoritate superioris, vel etiam ipsius parochi. Nam canon apertè distinguit inter proprium sacerdotem, & alienum à proprio sacerdote subdelegatum.

Vtrùm verò nomen proprij sacerdotis etiam ad episcopum & papam extendatur, difficultatem habet. Quidam enim solum parochum respectu suorum parochianorum eo nomine comprehensum volunt. Alij verò negant episcopum & papam excludi. Nam si quis etiam absque parochi sui licentia, quod haud dubiè potest, ordinario superiori, cuiusmodi est episcopus & papa, fuisset confessus, non videretur is cogendus vigore canonis Lateranensis ad confitendum iterum eodem anno sacerdoti suo parochiali. Verum difficultatem adferunt varia tum priuilegia tum constitutiones summorum pontificum, vt Alexandri 4. Vrbani 4. Clementis 4. & Ioannis 22. ac demum Martini 5. & Sixti 4. quarum quædam pro parte affirmante, quædam pro negante facere videntur. Horum autem omnium explicatio cùm non sit huius loci, nos eam controuersiam contrarijs opinionibus agitatam in medio relinquentes, tantùm dicimus id certum esse iuxta dictum canonem, omnes fideles mortalis peccati sibi conscios teneri ad confitendum saltem semel in anno peccata sua vel proprio sacerdoti, vel ei cui proprius sacerdos commiserit.

Postremò circa ministrum absolutionis sciendum, quòd in extrema necessitate, nimirum vrgente periculo mortis, non tantùm quilibet pœnitens à quolibet sacerdote possit absolui; verùm etiam

A cesset omnis casuum reseruatio, quam alioqui legitimè & vtiliter in ecclesia introductam esse, non est dubitandum. Vnde synodus Tridentina sess. 14. cap. 7. posteaquam de casuum reseruatione eam coram Deo rata, ac valida, eiusque legitima potestate verba fecisset, subijcit in hunc modum: Veruntamen piè admodum, ne hæc ipsa occasione aliquis pereat, in eadem ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis. Atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis & censuris absoluere possunt: extra quem articulum sacerdotes cùm nihil possint

B in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad superiores & legitimos iudices prò beneficio absolutionis accedant. Hæc synodus.

Dubium est autē vtrùm ea potestas etiam ad excommunicatos, suspensos, degradatos, hæreticos, schismaticos, apostatas sacerdotes extendatur, & vtrùm à quocunque illorum liceat pœnitenti in articulo mortis absolutionem petere. Ad quam dubitationem in primis respondetur, imminente scandalo infirmorum, vel periculo seductionis non esse

C licitum à quolibet dictorum absolutionem petere, sicut nec baptismū petere liceret in simili necessitate. Quòd si verò nihil tale immineat, tum à suspensis & degradatis, imò ab excommunicatis, quantum quidem ad eas pœnas attinet, absolutionē petere non erit illicitum. Competit enim eis hoc casu iurisdictio in pœnitentem quoad facultatem absoluendi eum à peccatis, & censuris quibuscunque. Competit autem vel ex iure diuino, vt quidam putant; vel vt alij probabilius iure ecclesiastico, id est ex concessione ecclesiæ quæ iurisdictionem hanc

D in articulo mortis vult esse penes omnes iam dictos, id quod cōcilij Tridentini verba modò citata satis innuunt. Nec est necesse recurri ad ius diuinum propter necessitatem morientis, quia simpliciter potest saluari sine sacramento per veram contritionem cum desiderio sacramenti. Est autem idem iudicium de hæretico occulto, etiamsi notus sit ipsi pœnitenti.

An autem idem quoque sentiendum sit de præcisis ab ecclesia hæreticis, schismaticis & apostatis non perinde liquet.

Et ita videri potest primùm ex generalibus verbis concilij quòd simpliciter omnes sacerdotes no-

E minando neminem excipit.

Deinde à simili, quia à talibus in necessitate baptismum petere liceret, quemadmodum ex Augustino lib. 1. contra Donatistas cap. 2. & lib 6 cap. 5. ostendimus ad distinctionem 5. cùm de baptismi ministro ageremus Quare cùm tam sit necessarium relapsis sacramentum absolutionis quàm non baptizatis sacramentum baptismi, licebit similiter ab ijs absolutionem petere. Atque hanc sententiam plærique sequuntur. Iuxta quos non tantùm licet, verùm etiam oportet absolutionem à talibus in necessitate petere; quia in necessitate tenetur

F quisque facere quod potest ad suscipiendum sacramentum.

Porrò diuersam sententiam tradit Syluester, eidemque tanquam valde probabili fauet Dominicus, fauet & hæc ratio; quia sacerdotes hæretici, schismatici & apostatæ ab ecclesia præcisi ita penitus amiserunt iurisdictionem ecclesiasticam, atque ea carent, vt quàm diu tales sunt, id est, quàm diu ecclesiam manifesta impietate oppugnant, non videantur alicuius in ecclesia iurisdictionis ac superioritatis esse capaces. Vnde si non alius quàm talis

haberi

haberi poterit sacerdos, perinde existimandum erit, A atque si nullus haberi queat. Secus autem est de alijs supradictis; quia si non sint manifesti hostes ecclesiæ catholicæ, poterit eis in casu necessitatis communicari iurisdictio.

Hæc opinio si vera est, & ratio solida, qualem nos arbitramur, dicendum erit concilij verba tantùm accipienda de sacerdotibus catholicis, quomodo suam doctrinam Dominicus restringit, vel generaliùs de sacerdotibus nondum manifesta defectione vel rebellione præcisis; id est, de ijs qui sunt in ecclesia, vel potiùs de ijs qui sunt iurisdictionis ecclesiasticæ capaces, quales non sunt qui ecclesiam atque eius doctrinam palam insectantur quam diu B tales sunt. Imò ex verbis concilij colligitur solutio; dicit enim, nullam esse reseruationem in articulo mortis, & ideo omnes sacerdotes (scilicet quantum attinet ad impedimentum reseruationis, quod ibi locum non habet) quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis & censuris absoluere posse, quasi diceret in illo casu nulla reseruatio impedit. Vnde nec hæreticos manifestos impedit reseruatio; quia etiam nulla facta reseruatione non possent absoluere, eò quòd simpliciter sunt extra ecclesiam, ita vt ecclesiasticę iurisdictionis sint omnino incapaces dum tales sunt. De baptismo autem non esse simile C cùm illic nulla requiratur iurisdictio.

Ad illud autem quod quæri potest, vtrum in articulo mortis si desit copia sacerdotis, possit quis confiteri diacono, ex antè dictis patet responsio, non posse si de sacramentali confessione quæstio sit; quia videlicet iure diuino solus sacerdos potest confitentem absoluere quare nec diacono quidem ea potestas vlla concessione humana communicari poterit.

Quòd si obijcias Cyprianum qui lib. 3. epist. 18. de pœnitentibus dicit: Si incommodo aliquo & D infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud presbyterum quemcunque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus ceperit, apud diaconum quoque exomologeses facere delicti sui possint, vt manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace. Respondemus Cyprianum non loqui de sacramentali confessione, sed de ea exomologesi quæ exigebatur ab ijs qui publicam agebant pœnitentiam ad hoc vt ecclesiæ reconciliari, id est, ab excommunicatione solui possent. Quæ quidem reconciliandi authoritas sicut excommu- E nicandi potestas, etiam diacono, & cuicunque clerico potest competere.

§. 14. *Secretum confeßionis vtrùm aliquo casu prodere liceat.*

S. Thom. suppl. q. 11. ar. 1. 2. 3. &c.

DE secreto confessionis non reuelando, siue de sigillo eius, vt loquuntur, non resignan- F do, duo extant canones, alter Gregorij apud Gratianum de pœnitentia dist. 6. cap. Sacerdos ante omnia caueat ne de his qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet, quòd ea confessus est; non propinquis, non extraneis; neque, quòd absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur &c. alter concilij Lateranensis can. 21. vbi dicitur: Caueat autem omnino sacerdos ne verbo vel signo vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentiorum consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ cautè requirat &c.

Ex quibus sanctionibus patet sigillum confessionis sacerdoti adeo sanctum esse debere, vt nulla ratione, nullo casu peccata cuiusquam in confessione audita prodere cuiquam mortalium liceat. Ratio huius doctrinæ præcipua sumitur ex iure diuino, quia videlicet ea quæ in sacramentis geruntur externis, signa sunt eorum quæ fiunt interius. Quod ergo pœnitens exterius se sacerdoti subijcit, signum est subiectionis qua interiùs se subijcit Christo. Similiter absolutio sacerdotis signum est absolutionis eius qua Christus, cuius vice sacerdos fungitur, peccatorem absoluens, peccata remittit & tegit, & nunquam deinceps imputat. Sunt enim hæc tria vel eadem, vel inuicem connexa iuxta illud psal. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* Quare si sacerdos aliquo modo proderet peccatum hominis se ei subijcientis, tanquam Christi vicario; cùm ea proditio, seu detectio suapte natura sit apud homines ignominiosa; talis facto suo significaret Christum peccata eorum quos absoluit, aliquando proditurum ad ignominiam, quod est contra significationem huius sacramenti. Vnde patet quòd in violatione huius sigilli committitur sacrilegij simul & perniciosi mendacij peccatum, quia peccatur contra sanctitatem & veritatem sacramenti absolutionis.

Quòd si quæras in qua scriptura fundetur hoc ius diuinum, respondemus, in ea quæ præcipit occultorum peccatorum confessionem causa absolutionis à sacerdote obtinendæ; atque omnino in eo quod Christus sacerdotes constituit vicarios ad soluendum & ligandum siue ad remittendum & retinendum peccata, videlicet Matth. 18. & Ioan. 20. Inde enim per se consequens est sacerdotem tanquam Christi vicarium debere per confessionem peccata cognoscere, & quia à confitente detenguntur in ordine ad absolutionem, ab eodem sacerdote, tanquam vicario Christi percipiendam, eadem peccata debere celare.

Quamuis igitur lege naturali quisque teneatur ad secreti sibi commissi occultationem, maximè quando eius detectio spectaret ad infamiam proximi; ac præterea lege canonica graues pœnę constitutæ sint sacerdotibus peccata sibi confessa reuelantibus, vt patet ex duobus decretis suprà citatis; præcipua tamen vis huius obligationis nasci videtur ex iure diuino, atque ex ratione sacramenti: quo fit vt nullo prorsus casu, ne quidem periculi vitæ, reipublicæ regni, animarum, nec vlla dispensatione ecclesiasticæ, potestatis liceat vel minimū peccatum ex confessione cognitum detegere. Hoc autem non ita esset si ex sola lege naturali, vel humana hæc obligatio nasceretur. Nam in multis casibus alia secreta prodi possunt, & in legibus humanis potest ab homine dispensari. Atque hinc etiam patet maius esse hoc vinculum quàm sit vlla promissio seruandi secreti etiam iureiurando firmata, quandoquidem & hîc interdum dispensatio locum inuenit.

Quòd ergo Leo epist. 80. ad episcopos Campaniæ prohibet peccata pœnitentium publicari, ne per hoc multi à pœnitentiæ remedijs arceantur, vna quidem causa est huius sigilli, non tamen præcipua, neque per se sufficiens. Quanquam eo loco pontifex non agit de publicatione peccatorum quę fieret per sacerdotes, sed per ipsos pœnitentes aut per sacerdotes cum pœnitentiū consensu & voluntate.

Si quis

Si quis autem nobis obijciat historiam Socratis lib. 5. capit. 19. & Sozomeni lib. 7. capit. 16. vbi legitur quod pœnitentiarij in singulis vrbibus constituti peccata sibi priuatim confessa populo publicare fuerint soliti, & sic pœnitentes cogere ad publicam pœnitentiam. Respondemus eam peccatorum publicationem, vel ab ipsis pœnitentibus (vt apud Leonem) hortatu tantùm vel etiam iussu pœnitentiarij consuetam fieri; vel à pœnitentiario quidem, sed ex consensu pœnitentium.

Quomodo illud quoque est accipiendum quod in concilio Toletano 10. legitur episcopos B eius synodi per fidelem, vt ibi vocatur, confessorem Potamij episcopi cognouisse de eo quod tactu femineo sorduisset. Siquidem is iam antè hoc suum peccatum in conuentu episcoporum fuerat confessus.

Cæterùm quo magis elucescat huius obligationis, id est sigilli confessionis inuiolabilis firmitas, quædam circa hanc materiam particulatim annotanda sunt.

Primum. Non solùm mortalia peccata, verùm etiam venialia obnoxia sunt sigillo confessionis, idque sub reatu mortali. Ratio est, quia quamuis C venialia non sint necessariò confitenda, quando tamen à confitente clauibus subijciuntur, tunc eorum secretum ad eandem pertinet legem cum mortalibus; & si violetur, peccatur contra sanctitatem & veritatem sacramenti, vt suprà dictum est.

Secundum. Non solùm pœnitentis persona, sed & alia quæcunque in confessione nominata, seu quomodolibet indicata, tanquam consors peccati vel peccato notata sub eodem secreto teneri debet.

Tertium. Non solùm expressè atque apertis verbis, D verùm etiam implicitè, tectè, mediatè, indirectè seu generalibus verbis, aut quibuscunque signis peccatum in confessione auditum reuelare illicitum & nefas est. Hæc enim omnia comprehenduntur sub eo quod canon Lateranensis præcipit, cauendum esse sacerdoti, ne verbo vel signo, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem.

Quartum. Sub eodem sigillo comprehenduntur non tantùm circumstantiæ peccatorum, quæ peccata fuerit aut peccatum exaggerant; siue ad integritatem confessionis necessariæ sint, siue non; sed & E omnes illæ quibus cognitis ac detectis posset aliquo modo detegi peccatum confitentis, vel etiam alterius quem confitens nominauit.

Quintum. Secretum confessionis tantum est, vt nec ad suæ quidem confessionis integritatem possit sacerdos reuelare peccatum alterius in confessione auditum, quemadmodum nec posset propter eandem caussam occultum alterius peccatum vndecunque cognitum detegere, tametsi in hoc posteriori minor sit obligatio. Ratio autem est, quia F cùm occurrunt duo præcepta Dei, v.g. celare peccatum in confessione auditum, seu generaliter non infamare proximum, & peccatum suum confiteri; tunc illud quod tantum est iuris positiui, cedere debet ei quod est iuris naturalis, & eo casu censetur alterius præstatio impossibilis. Quapropter excusatur sacerdos, seu quis alius ab eius peccati confessione, tantisper dum durat eiusmodi impossibilitas.

Sextum. Quamuis solus sacerdos huius sigilli vinculo propriè teneatur, alij tamen omnes quicunque aliquo modo, seu casu, seu dolo, seu necessitate aliqua, vt interpretes, confessionem audierunt, huius obligationis efficiuntur participes eatenus, quia reuelando peccatum non tantùm peccant contra legem naturæ quæ prohibet secretum alterius peccatum manifestari, verùm etiam sacramento iniuriam faciunt, licèt in eorum facto non sit falsi significatio, sicut in facto sacerdotis qui solus in hoc negocio vice Christi fungitur.

Septimum. Secreto confessionis in ijs quoque peccatis locus esse debet, de quibus confitens nulla ostendit signa pœnitentiæ, dummodo ea sacramentaliter & in ordine ad absolutionem consequendam confiteatur, iuxta cap. Quod quidam, extra de pœnitentijs & remissionibus. Secus autem si irrisoriè, vel alia praua intentione ad sacerdotem peccata recitaturus accedat. Ratio est, quia in omni & sola sacramentali confessione, siue sit, vt loquuntur, formata, siue informis; siue integra, siue non integra, & siue absolutio subsequatur, siue non, sacrum hoc sigillum locum habet.

Octauum. Si sacerdos peccatum sibi ex confessione notum, etiam alia via didicit, vt quia vidit, vel aliorum narratione accepit, siue ante confessionem siue post ita cognouerit, non peccabit contra sigillum confessionis, si illud reuelet, aut de eo testetur, ex ea solùm cognitione quam habet extra confessionem. Non enim tunc reuelat peccatum illud secundùm notitiam quam in confessione accepit, sed extra; neque ius reuelādi quod extra confessionem habet, per confessionem amittit. Vnde & ex probabilibus coniecturis extra confessionem obseruatis posset sceleratum hominem iudici denunciare, sicuti faceret, si confessionem eius non audiuisset.

Nonum. Similiter non peccabit contra sigillum, si illud peccatum reuelet, cuius reuelandi potestatem accepit à pœnitente, etiamsi inter confitendum eam potestatem sacerdoti fecerit pœnitens, absque iterata eiusdem peccati narratione. Ratio est, quia per eiusmodi concessionem pœnitentis sacerdos iam nouit illud peccatum non tantùm vt Christi in hoc sacramento vicarius, sed etiam vt homo facultatem habens idipsum detegendi, perinde atque si cuipiam alteri ea concessio à pœnitente facta fuisset. Vbi tamen notandum sacerdotem tali concessione non facile, sed prudenter, & non nisi magna vtilitate exigente vti debere, idque apud eos tantùm quibus omnino opus sit peccatum innotescere; ac multo etiam magis cauendum, ne surreptitiè aut dolosè sciat extra confessionem, & sic detegat. In qua re præter fraudem etiam sacrilegij crimen admitteretur.

Decimum. Non oritur obligatio huius sacri sigilli sed humani tantùm secreti, si quis præter confessionem sacramentalem vel sacerdoti, vel cuicunque homini commendet aliquid; quod haberi cupiat valde secretum, dicendo se id ei committere sub sigillo confessionis, etiamsi alter quoque id eo modo recipiat. Huius ratio ex superioribus manifesta est.

Vndecimum. Sacerdos à iudice interrogatus super crimine alicuius quod ex sola confessione didicit, num sciat eum hoc commisisse, simpliciter & liberè respondere potest se nescire. Imò hoc ipsum & iurare potest. Nam sicut interrogatio iudicis de ijs solis accipienda est pec-

catis, de quibus interrogare & inquirere ex officio ei competit; ita & sacerdotis & cuiuscunque testis responsio ad hæc eadem peccata seu crimina referri debet. Itaque sensus responsionis erit: Nescio eo cognitionis modo secundùm quem teneor tibi interroganti respondere. Quem sensum eiusmodi interrogationum & responsionum etiam vsus Christianorum iudiciorum recepit. Nam & testis non sacerdos de secreto quod ipse solus nouit interrogatus, similiter poterit iudici respondere.

Postremum. Si sacerdos ab impio iudice interrogetur non tantùm vtrùm sciat reum hoc crimen commisisse, sed pressiùs vrgendo, vtrùm sciat ex confessione, vel vtrùm reus hoc crimen ei confessus fuerit; tum superior interpretatio quæstionis locum non habet, & proinde nec responsio. Quare non poterit respondere se nescire ex confessione, aut reum hoc sibi non esse confessum; sed dicet quæstionem eam impiam & sacrilegam esse, ad quam sibi non sit fas respondere, etiamsi propter negatam absolutam responsionem certum vitæ discrimen sit aditurus, cùm oporteat Deo magis obedire quàm hominibus.

IN DISTINCTIONEM DECIMAMOCTAVAM.

§. 1. Quid nomine clauium significetur.

S. Thom. suppl. q. 17.



QVONIAM per confessionem peccator pœnitens sese subjicit potestati clauium, quæ est penes sacerdotem, ideo deinceps de ea potestate tractandum est, ac primò explicandum quid intelligi debeat per claues sacerdotibus atque omnino ecclesiæ commissas.

In primis autem non propriè, sed metaphoricè clauium nomen hîc accipi, palam est; sed ad quid significandum transferatur, dubitationem habet. Et quidem claues ecclesiæ datas ac promissas esse nusquam expresse legitur in scripturis, nisi Matth. 16. Vbi Petro Dominus ait: *Tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunque ligaueris &c.* Nam Matth. 18. vbi ligandi & soluendi potestas omnibus promittitur apostolis, & Ioan. 20. Vbi remittendi & retinendi peccata potestas iisdem omnibus datur, non fit expressa clauium mentio. Quæritur ergo quid Matth. 16. quo sololoco claues nominantur, eo nomine significatum sit. Antiquiores enim inter quos Theophylactus intelligunt huius nominis metaphoram verbis proximè sequentibus explicari; vt claues non aliud sint quàm ligandi & soluendi potestas, quam rursus interpretantur potestatem remittendi & retinendi peccata.

Alij verò claues interpretantur potestatem discernendi inter peccatum & peccatum, quam vocant clauem scientiæ; & potestatem ligandi ac soluendi, quam vocant clauem potestatis: quarum duarum clauium illa prior sit ad aperiendum vel claudendum præparans, hæc verò posterior hoc ipsum exequens. Hanc clauium interpretationem tradit Rabanus hunc euangelij locum tractans, & post eum Gratianus in decreto distinct. 20. statim in initio, & huic contemporaneus Magister in præsenti distinct. Qui authores suam sententiam videri possunt hausisse ex Hieronymo cuius in Matth. hæc sunt verba: Episcopus vel presbyter pro officio suo cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quiue soluendus. Ibi enim scientiam cum potestate ligandi & soluendi tanquam duas claues coniungit. Verùm iuxta vtramque hanc interpretationē potestas clauium eo loco promissa Petro communis videretur omnibus apostolis, episcopis & sacerdotibus, id quod etiam Theophylactus & Rabanus fatentur: cùm tamen non modò ex textu euangelij, vbi dicitur peculiariter, *Tibi dabo*, verùm etiam ex patrum doctrina certum sit singulariter aliquid ijs verbis promissum fuisse Petro, quod cæteris apostolis non esset commune.

Quare per claues regni cælorum Petro promissas potiùs significata videtur plenaria ac suprema potestas gubernandi ecclesiam Christi. Huius enim metaphoræ ratio inde sumpta videtur, quòd suprema potestas domus, sicut & ciuitatis penes eum esse solet, cui totius familiæ vel ciuitatis committuntur claues. Sic enim Isaiæ 22. dominus promittens Eliacim summam apud regem Iuda potestatem, dicit: *Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* Quod in typo Christi dictum fuisse probat similis de Christo locus Apoc. 3. *Qui habet clauem Dauid &c.* Hæc enim scriptura similiter significat Christo datam esse plenam & summam potestatem in regno Dei patris sui.

Iuxta hanc igitur veriorem clauium intelligentiam non tantùm potestas remittendi & retinendi peccata clauium nomine comprehenditur, sed ea omnia faciendi quæcunque necessaria sunt regno Christi, quod est ecclesiæ, ritè administrando; cuiusmodi sunt, recipere credentes in familiam Christi per sacramentum baptismi, legem euangelicam fidelibus proponere, explicare, inculcare, nouas leges pro vtilitate fidelium condere, & in ijs dispensare, rebelles & contumaces è familia eijcere, & communione priuare, & eosdem atque alios quoscunque peccatores resipiscentes in gremium ecclesiæ recipere, Deo reconciliare, satisfactiones iniungere, & relaxare, & ad communionem admittere, aliaque sacramenta administrare; denique publicos ecclesiæ ministros, vt episcopos, presbyteros, diaconos secundùm leges à Christo acceptas pro totius corporis Christi ædificatione instituere, & quidque aliud ad ecclesiæ regimen pertinet, agere & curare.

Cæterùm quoniam hæc omnia ex parte omnibus etiam apostolis & episcopis, ac pleraque etiam presbyteris, nonnulla verò etiam alijs quibusdam competunt, consequitur vt & illi suo modo accepisse claues regni cælorum rectè dicantur, iuxta illud quod apostolis omnibus promissum est Matth. 18. *Quæcunque ligaueritis &c.* & collatum Ioan. 20. *Quorum remiseritis &c.* Hoc igitur modo omnis spiritualis ecclesiæ potestas in quocunque sit homine, comprehenditur nomine clauis seu clauium.

Vt au-

Vt autem hæc de clauibus ecclesiæ doctrina magis elucescat, distinguenda est duplex in genere potestas à Christo ecclesiæ data; altera videlicet ordinis, & altera iurisdictionis. Ad potestatem ordinis pertinet consecratio corporis & sanguinis Domini, & sacramentorum omnium administratio. Ad potestatem iurisdictionis spectat condere leges, easdemque vel mutare vel tollere, vel in ijs dispensare, indulgentias conferre, excommunicare, & ab excommunicatione absoluere, alijsque pœnis & censuris fideles obstringere, vel obstrictos liberare. Imò huc etiam referri debet prædicatio verbi Dei, & scripturæ sacræ ac dogmatum christianorum explicatio; quatenus hæc fiunt non ex priuata tantùm scientia, sed ex authoritate, qua quis in ecclesia fungitur. Talis enim veritatem docens, non tantùm scientia, sed & claue scientiæ vti dicitur. Qua non vtentes vel malè vtentes reprehenduntur illis Domini verbis Luc. 11. *Væ vobis legisperitis qui tulistis clauem scientiæ &c.* Quin ad hoc munus etiam potestatem soluendi extendit Hieronymus in Isaiæ 14. vbi dicit apostolos soluere funes peccatorum sermone Dei & testimonijs scripturarum & exhortatione virtutum, idque secundùm potestatem sibi à Domino datam ijs verbis: *Quæcunque solueritis &c.* Hoc etiam pacto summus ecclesiæ pastor vel concilium generale definiens aliquam in religione controuersiam, aut scripturæ sensum aperiens, vtitur claue scientiæ tantò certiùs quantò & potestatem maiorem & certiores accepit à Christo promissiones. Quare ad hæc omnia non tantùm generalis potestas clauium, verùm etiam potestas soluendi & ligandi poterit extendi; vt hac ratione potestas clauium tanquam potestas aperiendi & claudendi, id est, totam Christi familiam gubernandi, fit omnino eadem cum potestate ligandi & soluendi. Sic nimirum vt diuersis metaphoris altera à clauibus, altera à vinculis desumpta, rem vnam Dominus significare voluerit; nempe omnimodam familiæ administrationem, præsertim cùm à rebus inter se cognatis sumptæ sint metaphoræ. Nam & qui soluit, aperit, & qui ligat, claudit.

Cùm igitur tam latè pateat clauium mysticarum ecclesiæ datarum significatio, antonomasticè tamen clauium nomine peculiariter intelligi solet potestas ordinis ad remittendum peccata; quæ claues vocantur sacramentales, & collatæ sunt ecclesiæ in apostolis & eorum successoribus episcopis & sacerdotibus tunc præcipuè, quando dominus à mortuis excitatus insufflauit in discipulos suos dicens: *Accipite spiritum sanctum, Quorum remiseritis, &c.* Hoc enim tam insigni facto & verbis tam perspicuis (aiunt patres Tridentini concilij sess. 14. cap. 1.) potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum patrum consensus semper intellexit. Dicunt autem, tunc præcipuè, partim quia Matth. 18. non tam collata quàm promissa est hæc potestas; partim quia illa generali nomine soluendi & ligandi expressa latiùs patet, quàm quæ hîc nominatur potestas remittendi & retinendi.

Porrò claues hæ sacramentales duæ sunt, altera scientiæ, altera potestatis. Clauis scientiæ dicitur non ipsa scientia. (Nam hoc modo multi sacerdotes clauem scientiæ non haberent id quod non rectè opinatus est Magister, & multi non sacerdotes eam haberent) sed potestas audiendi causam peccatoris & de ea cognoscendi. Clauis autem potestatis dicitur potestas absoluendi peccatorem, & ad aliquam pœnam obligandi, vel etiam prorsus repellendi tanquam absolutione indignum.

Vtrùm autem sacramentalis hæc clauium potestas tam scientiæ quàm potestatis clauem comprehendens, sit idem quod sacerdotalis character, an aliquid ab eo diuersum, (Siquidem character ordinis sacerdotalis latiùs patere videtur, vtpote comprehendens etiam potestatem consecrandi eucharistiam) variant doctorum opiniones, quarum exactior discussio non est huius loci.

§. 2. *Quibus datæ sint claues.*

IAm verò ex dictis ad illud quoque respondendi patet via, quibusnam datæ sint claues. Cùm enim clauium nomine generaliter significetur spiritualis in ecclesia potestas, eaque sit non vna sed multiplex, patet pro diuersitate potestatis diuersimodè ad hanc quæstionem esse respondendum. Nam potestas ordinis solis & omnibus competit legitimè secundùm ritum ecclesiæ ordinatis episcopis & sacerdotibus, secundùm eas functiones, ad quas ordinati sunt. Peculiariter autem potestas clauium sacramentalis in omnibus est, & solis nouæ legis sacerdotibus; non quatenus sacerdotium, id est sacrificandi munus gerunt, sed quatenus remittendi & retinendi peccata potestatem acceperunt. Hanc enim Christus discipulis suis post resurrectionem tribuit, quos tamen ante passionem suam in cœna sacerdotes consecrauerat.

S. Thom. sup. q. 19.

Potestas iurisdictionis in foro interiori seu foro conscientiæ solis item sacerdotibus competit, quia ad eos solos spectat administratio sacramenti pœnitentiæ; non tamen omnibus, sed ijs tantùm qui vel ordinariam vel subdelegatam acceperunt in aliquos iurisdictionem: sine qua nullus omnino sacerdos potest vti claue ordinis absoluendo quempiam aut ligando. Ea verò iurisdictionis potestas quæ respicit forum exterius, non, vt quidam sunt, opinati in toto corpore ecclesiæ immediatè residet, sed in prælatis qui ex institutione Christi, vel commissione à superioribus accepta iuxta gradus suos vel maiorem habent potestatem vel minorem. Nam summa & plena potestas Petro tanquam Christi vicario tum promissa fuit Matth. 16. his verbis: *Tibi dabo claues regni cælorum &c.* tum collata Ioan. 21. dicente domino: *Pasce oues meas.* A quo deinde ad omnes eius successores eadem potestatis plenitudo transiuit. At inferiores & particulares ecclesiarum rectores eiusdem potestatis quisque secundùm gradum & locum suum, quem in ecclesiastico regimine obtinent, participes existunt. Et sicut non omnibus sacerdotibus hæc iurisdictionis potestas competit, ita nihil prohibet eam committi non sacerdotibus; imò etiam non ordinatis, sed tantùm clericis. Qui gradus ad hanc exteriorem iurisdictionem sufficit, atque adeo saltem ex congruo necessarius est.

Quod igitur ad muliebrem sexum attinet, non modò tenendum est mulierem nulla ratione posse

posse potestatem ordinis in se suscipere, quemadmodum docebimus cùm ad sacramentum ordinis ventum erit; verùm etiam dicendum videtur, eam non posse in dignitate constitui cui spiritualis aliqua sit annexa iurisdictio. Huius ratio est, quia mulier est in statu subiectionis, præsertim quoad negocium gubernationis ecclesiasticæ, dicente apostolo 1. Corinth. 14. *Mulieres in ecclesijs taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.* Et iterum: *Turpe est mulieri loqui in ecclesia.* Et mox admonet: *Cognoscite quæ scribo, quia Domini sunt mandata.* Sic 1. Timoth. 2. ait: *Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto.* Ex quibus patet neque clauem ordinis, neque clauem iurisdictionis esse commissam mulieribus. Vnde Innocent. 3. extra de pœnitentijs & remissionibus cap. Noua. in hunc modum rescripsit: Noua quædam nostris sunt auribus intimata, quòd abbatissæ moniales proprias benedicunt, ipsarum quoque confessiones in criminibus audiunt, & legentes euangelium præsumunt publicè prædicare. Cùm igitur id absonum sit pariter & absurdum, mandamus quatenus ne id de cætero fiat, curetis firmiter inhibere; quia licèt beatissima virgo Maria dignior & excellentior fuerit apostolis vniuersis, non tamen illi, sed istis dominus claues regni cælorum commisit. Hæc Innocentius.

§. 3. Sacerdotes habere potestatem remittendi peccata, & non declarandi tantùm.

S. Thom. suppl. q. 18. ar. 1. 2. &c.

Circa potestatem clauium quę in sacramento pœnitentiæ exercetur, & sacerdotibus propria est, hæc præcipua versatur quæstio; vtrùm sacerdos vtens potestate absoluendi sibi à Christo data, verè à peccatis absoluat pœnitentem, eique verè quoad culpam seu pœnæ æternę obligationem, peccata remittat; an verò tantùm ostendat & declaret, siue annunciet peccata esse à Deo remissa. Posteriorem quæstionis partem tenet hac distinct. Magister qui cùm §. D. & E. contrarias de hac re opiniones adiunctis testimonijs produxisset, randem ita concludit: Hoc sanè dicere aut sentire possumus, quòd solus Deus dimittit peccata & retinet, & tamen ecclesiæ contulit potestatem ligandi & soluendi; sed aliter ipse soluit & ligat, aliter ecclesia. Ipse enim per se tantùm dimittit peccatum, quia & animam mundat ab interiori macula, & à debito æternæ mortis soluit. Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem soluendi & ligandi, id est ostendendi homines ligatos vel solutos &c. Eandem doctrinam tradit Richardus à sancto Victore in tractatu de clauibus. Hos autem sequuntur Alexander Alensis, Bonauentura, Gabriel, & nonnulli alij.

Priorem verò sententiam tenet Hugo lib. 2. de sacramentis parte 14. cap. 8. & post eum S. Thomas, Scotus, Durandus, Paludanus & plærique alij. Et quoniam hæc sententia non solùm apertè in scripturis traditur, & apertis patrum testimonijs comprobatur, verùm etiam conciliorum authoritate tandem est definita, primùm quæ ad eius confirmationem faciunt argumenta, proferemus; deinde quæ contra eam pro diuersa parte tum à Magistro, tum ab alijs adferuntur, dissoluemus.

Igitur primo loco statuenda est scriptura Ioan. 20. tanquam omnium apertissima, vbi Dominus ad discipulos ait: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos,* moxque insufflato in eos spirituṡancto subiungit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Quibus sanè verbis testatur Dominus eam potestatem se dare discipulis quam ipse à patre acceperat, ergo sicut Christus non tantùm annunciabat remissionem peccatorum, sed verè ac propriè eam conferebat dicendo paralytico & peccatrici: *Remittuntur tibi peccata tua,* quemadmodum contextus euangelicus, & murmur scribarum & pharisæorum satis luculentè probant: ita & apostoli potestatem acceperunt verè ac propriè peccata remittendi, vt similiter dicere possent peccatoribus ad pœnitentiam conuersis se illis peccata remittere, eosque à peccatis absoluere; saluo dumtaxat eo discrimine, quod Christus vt Deus propria authoritate remiserit peccata, & vt homo ad eadem remittenda, sicut & ad alios effectus sacramentales potestatem habuerit principalis ministerij; apostoli verò tantùm acceperint potestatem ministerij secundarij. Veruntamen sicut ad effectum baptismi nihil intererat, vtrùm Christus per se, an verò per apostolos baptizaret; quia semper verum erat illud: *Hic est qui baptizat, in spiritusancto;* & sicut non minùs mundabatur à lepra, quem apostolus accepta à Christo potestate, mundum esse iuberet, quàm quem per seipsum Christus mundaret, & ita in cæteris miraculis; quia nimirum per apostolos Christus operabatur ad eundem prorsus modum, non minùs consequebatur remissionem peccatorum is cui apostolus mandato Christi, quàm cui Christus per se diceret *Remittuntur tibi peccata,* vel, Ego te absoluo à peccatis tuis; Christo videlicet hoc idem agente per apostolum tanquam vicarium suum, quod in euangelio legitur fecisse per se.

Secundò. Similis probatio potest instirui ex scriptura Matth. 16. & 18. nisi quòd scripturæ illæ non sint ita speciales; eò quòd latiùs pateat solutio quàm remissio. Non enim sola remissione peccatorum, sed & alijs modis hominem spiritualiter solui contingit ministerio eorum qui præsunt in ecclesia. Attamen cùm vniuersaliter dictum sit: *Quæcunque solueritis &c.* ea solutio quæ fit à reatu æternæ damnationis, sub illa generalitate quàm maximè comprehensa debet intelligi. Vnde Ambrosius lib. 3. de spirituṡancto capit. 18. dicit quòd Petrus acceptis à Christo clauibus regni cælorum sui securus peccata donauit, quasi diceret: Non magis dubitabat Petrus de effectu verborum suorum quando pœnitenti dicebat: Remitto tibi peccata, quàm quando dixit claudo: *Surge & ambula.*

Tertiò. In verbis Domini apud Matth. ligare non est idem quod annunciare, vel ostendere ligatum, sed plus aliquid significat, ergo soluere similiter. Consequentia patet à pari. Probatur autem antecedens ex ipso loco Matth. 18. Nam qui iuxta præceptum Domini monet & corripit fratrem super aliquo delicto, declarat quidem ei, quod sit vinculo peccati obstrictus; idque eò magis, si & secundam & tertiam abhibeat correptionem, qui tamen nondum eum ligare censetur; sed tum demum ille ligatur, quando ecclesia per sententiam pronunciat eum habendū tan-

quàm ethnicum & publicanum. Unde mox subiungitur: *Amen dico vobis quæcunque alligaueritis &c.* igitur ligare longè aliud est, quàm ligatum ostendere.

Quarta probatio sumi potest ex collatione similium locorum scripturæ, sic enim dictum est: *Quorum remiseritis, &c. Quæcunque alligaueritis,* sicut de Christo dictum est Apocalypsis 3. *Qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Et sicut Numer. 6. de sacerdotibus Aaronicis: *Inuocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis,* id est, illis benedicentibus ego benedicam. Et sicut Isaac Genes. 27. de se dicit: *Benedixique ei, & erit benedictus.* Et sicut rursum de sacerdote legali dicitur in Leuitico: *Rogabitque pro eo sacerdos, & remittetur ei.* Si ergo in his non potest intelligi nuda declaratio vel apertionis, vel benedictionis, vel remissionis, sed potestas aut ministerium valens ad eiusmodi effectum; in illis quoque similiter æstimandum est. Alioqui, quod absit, minùs valebit ad remittenda peccata ministerium sacerdotis euangelici, quàm Aaronici.

B

Quintò. Forma huius sacramenti est: Ego te absoluo, non autem: Ego te absolutum ostendo: imò si quis huiuscemodi forma vteretur, meritò reprehenderetur tanquam legitimæ formæ corruptor, ergo soluere non est idem quod solutum ostendere.

C

Sextò. Omnium fidelium pia persuasio est, semperque fuit, quòd per ministerium sacerdotis verè absoluantur à peccatis, non autem quòd ille eos tantùm absolutos ostendat.

Septimò. Effectus sacramenti pœnitentiæ est secundùm decretum Florentinum absolutio à peccatis, & secundum decretum Tridentinum sess. 14. cap. 5. reconciliatio cum Deo; ergo sacerdos huius sacramenti minister peccatorem verè à peccatis absoluit, & Deo reconciliat.

D

Octauò. Testimonium omne natura posterius est reipsa de qua fertur testimonium, ergo si sacerdos hactenus tantùm remittit peccatum, quia declarat & testatur esse remissum; prius erit homini remissum peccatum quàm ei à sacerdote remittatur, id est remissum annuncietur. Atqui verba Christi clarè significant sacerdotis actum esse priorem ipsa remissione peccatorum, *Quæcunque,* inquit, *solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Item: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* cùm alioqui potiùs dicendum fuisset: Soluetis & remittetis in terra, quæ iam antè soluta sunt & remissa in cælis. Qui loquendi modus prorsus alienus est à mente omnium patrum.

E

Nonò. Apertè testantur patres sacerdotem priorem esse in remittendo peccato quàm Deum, & à Deo approbari, & tatum haberi quod factum fuerit per sacerdotem. Ait enim Cyprianus epistol. 2. lib. 1. Nec enim fas erat ecclesiam pulsantibus claudi, quando permisit ipse qui legem dedit, vt ligata in terris, & in cælis ligata essent; solui autem possent illic quæ hic priùs in ecclesia soluerentur. Et Hilarius in Matth. 16. O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata authoritas sit in cælo; vt quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cælo. Item Chrysostomus homil. 5. de verbis Isaiæ, *Vidi dominum,* cùm citatis euangelij verbis Matth. 18. dixisset, quòd à terra iudicandi principalem authoritatem sumit cælum, ita subiungit: Nam index sedet in terra, dominus sequitur seruum; & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in supernis comprobat. Deinde addit, quòd sacerdos Dominum iratum nobis reconciliat, & nos qui offendimus, eripit ex illius manibus. Similiter Leo in sermone de transfiguratione Domini. Nec in ligandis, inquit, aut soluendis quorumcunque causis aliud ratum esset in cælo, quàm quod Petri sedisset arbitrio. Et author libri de vera & falsa pœnitentia cap. 10. scribit in hunc modum: Ipsi enim sacerdotes plus iam possunt proficere, plus confitentibus parcere. Quibus enim remittunt, remittit dominus, Lazarumque de monumento iam suscitatum obtulit dominus discipulis soluendum, per hoc ostendens potestatem soluendi concessam sacerdotibus. Dixit enim: Quodcunque solueritis super terram, soluetur & in cælis, hoc est, Ego Deus & omnes ordines celestis militiæ, & omnes sancti in mea gloria laudant vobiscum & confirmant quod ligatis & soluitis super terram. Non dixit, Quos putatis ligare & soluere, sed in quos exercetis opus iustitiæ aut misericordiæ. Sic ille. Denique Bernardi illustris est sententia serm. 1. in natali apostolorum Petri & Pauli, quòd sententia Petri præcedit sententiam cæli. Quibus eisdem pene verbis vsus est Hugo Victorinus loco iam suprà citato, vbi ex professo reijcit eum sensum quem tradit Magister; nempe quòd soluere non sit aliud quàm solutum ostendere.

F

Decimum argumentum sumitur ex generali ratione sacramenti. Nam si sacerdos hoc sacramentum administrans non aliud quàm ostendit remissa esse peccata, non ergo per hoc sacramentum pœnitentiæ gratia confertur. Quod tamen haud dubiè pertinet ad rationem sacramenti nouæ legis.

Vndecimò. Si sacerdos non absoluit, sed tantùm absolutum ostendit, non ergo pœnitenti aperit cælum, sed apertum ostendit, ac proinde verè claues ad aperiendum non accepit. Inepta autem prorsus erat clauium metaphora, si dicantur illi datæ tantùm ad ostendendum. Non enim clausum vel apertum ostendere, sed claudere & aperire verus & legitimus est vsus clauium.

Duodecimò. Si sacerdos confitentem verè non absoluit, iam profectò plus oneris quàm vtilitatis habebit præceptum confessionis. Nam præcipua eius vtilitas ex institutione Christi iuxta hanc doctrinam erit nuda absolutionis declaratio. Qua vtilitate grauitas illius præcepti minimè videtur compensari.

Decimotertiò. Hæc absolutionis ostensio seu declaratio, vel nullum vel exiguum vsum habet. Non enim fit Deo qui omnia nouit, quique, vt illa opinio vult, pœnitentem iam antè absoluit; neque fit ecclesiæ, quia non est hoc forum externum; neque ipsi sacerdoti, quia declaratio fieri debet ad alium: at neque pœnitenti, nam cæteris paribus ipse pœnitens multo melius videt in corde suo veram contritionem, per quam iam antè absolutus existimatur, quàm possit ex eius confessione & signis exterioribus sacerdos cognoscere; & proinde hac declaratione sacerdotis non opus habet, maximè si sit doctus, vel ipso etiam sacerdote doctior.

Decimoquartò. Nihil prohibebit hanc declarationem fieri per quemcunque doctum etiam laicum, & nulla iurisdictione præditum: imo & hoc pacto quisque doctus seipsum absoluere poterit, quia per seipsum satis intelliget se esse absolutum coram

coram Deo, idque certiùs quàm per alium quemlibet sacerdotem.

Decimoquintò. Apostoli Lazarum à Christo resuscitatum verè soluerunt à vinculis, quibus adhuc ligatus erat, & non tantùm solutum ostenderunt, ergo peccatorem per pœnitentiam à Deo resuscitatum, sed adhuc æternæ mortis vinculis obligatum verè soluunt sacerdotes. Horum enim typum apostolos eo facto gessisse multis locis testatur Augustinus, vt tract. 2. & 49. in Ioan. serm. 8. & 52. de verbis Domini serm. 44. de verbis apostoli. homil. 27. inter quinquaginta & in psal. 101. conc. 2. & apud eundem lib. de vera & falsa pœnit. cap. 10. Item apertissimè Gregorius homil. 26. in euang. Et ante vtrunque Iræneus lib 5. contra hæreses.

Postremò. Doctrinam hanc confirmat patrum authoritas. Hi enim omnes vno consensu agnoscunt in ecclesia potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles apostolis & eorum successoribus communicatam, illis præcipuè domini verbis: *Quorum remiseritis &c.* quemadmodum testantur Tridentini patres sess. 14. cap. 1.

Probant id præter loca patrum superioribus argumentis citata, primū Chrysostomi libri tres de sacerdotio, vbi subinde inculcat, sacerdotes peccata remittere. Quod quàm propriè dictum velit intelligi, patet ex cap. 5. lib 3. vbi cùm dixisset hanc potestatem neque angelis neque archangelis datam, tantam esse, vt quæcunque infernè sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet, mox citatis Domini verbis Ioan. 20. ita subiungit: Quænam, obsecro, potestas hac vna maior esse queat? Pater omnifariam filio potestatem dedit, cæterùm video ipsam eandem omnifariam potestatem à filio illis traditam. Et paulò pòst: Corporis lepram purgare, seu, vt verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum sacerdotibus solis licebat. At verò nostris sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Alius est apud eum locus in epist. Heb. 10.

Huic autem consentiunt cæteri, vt Dionysius eccl. hierarc. cap. 7. Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 10 Cyprianus in sermone de lapsis & epist. 52. & 5·. Origenes homil. 1. & 2 in psal. 37. & hom. 2. in Leuitic. Athanasius sermon super illud: Profecti in pagum, Basilius constitutionum monasticarum cap. ·3. & epist. 3. ad Amphilochium can. 73 Nazianzenus oratione ad Imperatorem & principes eius, Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 4. & lib. 2. c 1. lib. 3. de spiritusancto cap. 19. in psal. 38. & epist. 3. & in Luc. vlt. Hieronymus in ecclesiastæ 10. & in Matth. 16. & quæst. 9. ad Algasiam. Pacianus epist. 1. ad Sympronianum, & lib. de pœnitentia contra Nouatum. August. lib. 20. de ciuit. cap. 9 vel 19. serm. 11. de verbis Domini, lib. de natura boni cap. vlt. lib. 1. de adulterinis cōiugijs cap. vlt. epist. 180. lib. 3. contra Donatistas cap. 16. lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 11. & homil. 27. & 50. Arnobius in psal. 131. Fulgentius libro 1. de remissione peccatorum cap. 25. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 56. Leo epist. 91. Theophylactus in Ioan. 20. & in epist. Heb. 10. Anastasius Nicecenus quæst. 6. cuius titulus est: Sitne bonum confiteri peccata viris spiritalibus.

His accessit inter doctores scholasticos Thomæ Waldensis docta disputatio tomo 2. de sacramentis cap. 141. & aliquot sequentibus contra Wicleuistas hæreticos, qui contendebant sacerdotem non posse absoluere neque peccatum remittere nisi peccator priùs esset à peccatis absolutus. Contra quem errorem etiam in bulla Martini V. super erroribus Ioannis Wicleff & Ioannis Hus edita, huiusmodi præscribitur interrogatio proponenda suspectis, vtrùm credant quòd sacerdos possit peccatorem confessum & contritum absoluere; & rursus, vtrùm credant quod malus sacerdos verè absoluat & verè conferat alia sacramenta.

Porrò Florentinū decretum habet quòd sicut per baptismum spiritualiter renascimur: ita per pœnitentiæ sacramentum spiritualiter sanamur: atque huius sacramenti effectum esse definit absolutionem à peccatis. Denique Tridentini concilij patres sess. 14. multipliciter hanc doctrinam confirmant cap. 1. & aliquot sequentibus. item can. 1. 3. 7. ac præcipuè 9. in quo damnantur anathemate qui docent absolutionem sacramentalem sacerdotum non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti.

Conducunt autem ad huius doctrinæ illustrationem, & ea quæ ad probandum pœnitentiæ sacramentum eiusque necessitatem initio dicta sunt, & ea quæ probant neque remitti peccatum per solam cordis contritionem (ex quo errore in hunc posteriorem inductus est Magister) neque ordinariè remitti ante susceptionem sacramenti, quæ opinio ad hanc quam refutauimus Magistri opinionem proximè accedit, & eidem innititur fundamento.

§. 4. *Ad argumenta Magistri & aliorum responsio.*

S. Thom. vbi sup.

Qvamuis ex solutione argumentorum quibus sacramenti pœnitentiæ necessitas oppugnabatur ad dist. 14. & rursus eorum quæ soli cordis contritioni remissionem peccatorum vendicabant ad dist. 17. vtrumque perspici possit, quomodo sint soluenda plæraque argumenta, quæ contra superiorem doctrinam tum à Magistro tum ab alijs adferuntur, quia tamen & huic loco quędam magis peculiaria sunt, ad ea nunc oportunè erit respondendum.

Primùm argumentatur Magister: Solus Deus animam interiùs per se viuificat, ergo solus per se vinculum æternæ mortis relaxat, cùm vtrumque sit eiusdem potentiæ, & non videatur alterum ab altero separari.

Secundò. Christus sicut retinuit sibi potestatem baptismi teste Augustino tract. 5. in Ioan. ita & pœnitentiæ; non ergo eam habent sacerdotes.

Tertiò. Isaiæ 43. dicit Dominus: *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates,* ergo non eas delet sacerdos.

Quartò. Sacerdotes veteris legis typum gesserunt sacerdotum legis nouæ; atqui illi leprosos non mundabant, sed tantùm mundos vel immundos declarabant: igitur circa peccatores idem hoc officium præstant sacerdotes nouæ legis.

Quintò confirmat id authoritate Hieronymi qui ad illud Matt. 16. *Et quodcunque solueris &c.* ita scribit: Istum locum episcopi & presbyteri non intelligentes aliquid sibi de pharisæorum assumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur; cùm apud Deum non sententia sacerdotū, sed reorum vita quæratur. Deinde ex

Leuitico similitudine de leprosis interposita subiungit: Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic & hic alligat vel soluit episcopus & presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxij, sed pro officio suo cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quiue soluendus.

Sextò. Probat ex facto Domini qui in euangelio leprosos prius per se mundauit, deinde ad sacerdotes misit, quorum iudicio mundi ostenderentur.

Septimò. Ab exemplo Lazari quem Dominus à se prius viuificatum, obtulit discipulis soluendum, quia, inquit Magister, etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie ecclesiæ solutus habetur nisi per iudicium sacerdotis.

Octauò sic ratiocinatur: Nemo verè compungitur de peccato habens cor contritum & humiliatum nisi in charitate; qui autem charitatem habet, dignus est vita: atqui nemo simul vita & morte dignus est. Non est ergo tunc ligatus debito æternæ mortis.

Nonò. Ira Dei non manet super eum qui credit in Christum fide per dilectionem operante, ergo quisque peccator ex tunc filius iræ esse desinit, ex quo diligere & pœnitere incipit.

Decimò citat locum Ambrosij lib. 3. de spiritusancto cap. 19. vbi ait: Peccata ecce condonat nisi vnus Deus, quia scriptum est, *quis potest peccata dimittere nisi solus Deus?* Et infrà: Per spiritumsanctum peccata donantur. Homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in patris & filij & spiritussancti nomine peccata dimittuntur. Isti rogant, diuinitas donat. Humanum enim obsequium, sed munificentia supernæ est potestatis. Similem habet sententiam in cap. vlt. Lucæ & lib. 2. de Cain & Abel cap. 4.

Vndecimò argumentantur alij. Sacerdos retinendo peccata solummodo declarantis agit officium, ergo & remittendo.

Duodecimò. Augustinus homil. 23. inter quinquaginta dicit: Accipite spiritumsanctum, si cui dimiseritis peccata dimittuntur ei, hoc est, spiritus dimittit, non vos, spiritus autem Deus est, Deus ergo dimittit, non vos. Et tract. 3. in Ioan. Seruos agere secundùm legem potest, soluere à reatu legis non potest, & tract. 80. allegans verba apostoli ad Corinth. *Ego plantaui, Apollo rigauit*, Quod sequitur, inquit, *Deus incrementum dedit*, non per illos sed per seipsum facit. Excedit hoc humanam humilitatem, excedit angelorum sublimitatem, nec omnino pertinet nisi ad agricolam trinitatem. Idem lib. 3. contra literas Petiliani cap. 54. dicit quòd minister ad dispensandum verbum & sacramentum sit aliquid, ad mundandum verò & iustificandum non sit aliquid. Nec dissimilis est locus serm. 8. de verbis Domini.

Decimotertiò. Gregorius homil. 26. in euang. Tunc vera est absolutio, cùm æterni sequitur arbitrium iudicis, & Haimo homil. in octaua paschæ. Illos, inquit, sua sententia pastor absoluere potest, quos viderit per compunctionem cordis & dignam emendationem à Deo esse solutos.

Postremò. Aliquando contingit ante perceptionem sacramenti contritionem esse charitate perfectam, vti testatur synodus Tridentina; ergo tunc saltem sacerdos absoluens non aliud quàm declarat & annunciat peccata esse remissa; præsertim cùm forma absolutionis, vt vera sit, non aliam sensum tunc videatur admittere. Hoc autem si detur iam consequens erit eam aliàs quoque semper eundem sensum habere; quia sicut forma, ita sensus formæ semper esse debet vnus & idem.

Obijciuntur item ab hæreticis nonnulla quibus doceant clauium potestatem ad soluendum & ligandum non aliam esse quàm potestatem prædicandi euangelium & annunciandi remissionem peccatorum credentibus & damnationem incredulis. Qua proinde clauium potestate vsos dicunt apostolos quoties infidelibus euangelium annunciarunt. Sed huius intellectus falsitatem alibi refutamus ad dist. 14.

Ad argumenta igitur proposita respondeamus. Primùm itaque distinguenda est duplex viuificatio animæ, altera per conuersionem cordis præcedentem, altera per remissionem peccati subsequentem. Priorem viuificationem Deus solus operatur sine ministerio hominis saltem efficaci. Neque enim ad effectum conuersionis internæ constituit Deus sacramenta, sicut ad effectum gratiæ & remissionis peccatorum, sed potiùs ad suscipiendum sacramenta conuersionem in adultis prærequirit. Posteriorem verò per ministerium hominis sacramentum confitentis operatur. Et tamen rectè dicitur etiam solus condonare & iniquitates delere, propria nimirum ac primaria potestate. Cæterùm huius rei secundariam ac ministerialem quandam potestatem commisit sacerdotibus, tum in sacramento baptismi, tum præcipuè in sacramento & foro pœnitentiæ, in quo constituti sunt iudices, exercendam. Vnde patet responsio ad primum & tertium argumentum, & ad eas patrum authoritates quæ soli Deo potestatem remittendi peccata tribuunt. Qua ratione etiam respondetur Nouatianis, qui dicebant se Deo deferre reuerentiam cui soli remittendorum criminum potestatem reseruarent, vt est apud Ambrosium lib. 1. de pœnitentia cap. 2. & apud Socratem lib. 1. histor. cap. 7. Respondens enim illis Ambrosius; Imò, inquit, nulli maiorem iniuriam Deo faciunt, quàm qui eius volunt mandata rescindere, commissum munus refundere &c. Respicit autem ad illud: *Quorum remiseritis*. Sicut ergo in Deum iniuriosi sunt & ingrati qui ita Deo tribuunt bonitatem, iusticiam, sanctitatem, sapientiam, mirabilium operationem, vt negent horum quicquam angelis vel hominibus participatione quadam communicari (negant enim beneficia creatoris erga creaturas): sic & illis accidit qui Deo potestatem remittendi peccata ita tribuunt, vt eam ministris ecclesiæ prorsus adimant. Dicto modo quæstionem explicant & aduersarijs respondent Pacianus in epist. 1. ad Sympronianum. Chrysostomus in cap. 10. epist. ad Heb. Cyrillus tractans illud Ioan. *Quorum remiseritis &c.* Hugo lib. 2. de sacramentis parte 14. cap. 18. & rursum. Ambrosius in illud Lucæ 4. *Quis potest dimittere &c.*

Ad secundum respondetur Christum sicut in baptismo sic & in alijs sacramentis sibi reseruasse potestatem excellentiæ, quam vocant, id est, excellentis ministerij, de qua dictum est ad primam & quintam dist. inferiorem autem ministrij potestatem ad eorúdem sacramentorum effectus ecclesiæ ministris tradidisse. Nam alioqui simili argumento doceretur sacerdotem dum baptizat, tantùm ostendere hominem esse ablutum à peccatis. Id autem esset euertere virtutem illius sacramenti, sicut & reuera euertitur virtus sacramenti pœnitentiæ per hoc ostensionis commentum.

Ad quartum responsio patet ex Chrysostomi

verbis lib. 3. de sacerdotio suprà citatis. Perfectiùs enim impletur figura per hoc quod à sacerdotibus euangelicis, non tantùm vt olim, ostenditur quis mundus à lepra, id est, peccato, sed verè mundatur. Quanquam etiam dici potest similitudinem in eo consistere, quòd sicut sacerdos Leuiticus non nisi eum qui verè liberatus esset à lepra, debebat legaliter mundare, id est exteriùs reconciliare populo, vt inter alios conuersari posset: ita sacerdos euangelicus non nisi eum qui voluntate peccandi deposita verè conuersus sit, spiritualiter mundare potest, id est, Deo reconciliare, vt soluto reatu gehennæ filijs Dei & hæredibus regni celestis possit annumerari. Nam si hominem nondum à peccatis recedentem absoluendo mundare tentauerit, nihil efficiet. Qua quidem responsione duo etiam proxima argumenta soluuntur.

Ad septimũ respondetur exemplo Lazari non hoc significari quod vult Magister, sed magis contrarium, vt ex patribus supra probauimus. Inter quos Gregorius hom. 26. in euãg. cùm illud de Lazaro protulisset. Ex qua consideratione, inquit, intuendum est, quòd illos nos debemus per pastoralem authoritatem soluere, quos authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare. Quæ nimirum viuificatio ante operationem rectitudinis in ipsa iam cognoscitur confessione peccati. Quid autem Gregorio sit soluere, docent hæc eius verba paulò inferiùs posita: Venientem verò foras soluant discipuli, vt pastores ecclesiæ ei pœnam debeant amouere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.

Octauum & nonum argumenta soluuntur distinctione duplicis charitatis seu dilectionis explicata ad dist. 27. lib. 3.

Ad priora Ambrosij verba quæ decimo loco obijciuntur, aliaque similia iam responsum est, Posterioribus autem verbis seipsum magis declarat, docens non primariam illam authoritatem remittendi peccata, quam vocat ius potestatis, esse penes hominem; sed tantùm secundariam & ministerialem quam designauit vocabulis ministerij & obsequij humani. Et ad hoc significandum sacerdos sententię absolutionis præmittit orationem dicens: Misereatur &c.

Ad vndecimum respondetur, nec retentionem nec ligationem fieri sola declaratione, sed potestate iudiciaria, vti infrà magis patebit.

Quod primo loco ex Augustino obijcitur, hunc habet sensum: Spiritussanctus principaliter peccata dimittit, vos autem non nisi per spiritumsanctum accepta à Christo potestate. Huius enim rei insinuandæ gratia Dominus præmiserat illud: *Accipite spiritumsanctum*. Alterius loci sensus est, seruum non suo arbitrio, sed secundùm legem à Domino sibi præscriptam soluere posse à reatu legis. Duo reliqua loca similiter de potestate primaria, non de ministerio sunt accipienda.

Porrò Gregorius arbitrium iudicis Dei intelligit in eo, si peccatorem iam ante per compunctionem visitauerit. Præcedunt enim hæc verba, vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absoluat. Haimo quoque solutionem prærequirit ab affectu peccati, non à debito pœnæ, vt patet locum inspicienti.

Ad postremum respondetur etiam eo casu sacerdotem non tantùm ostendere peccata esse remissa, sed formæ verba eandem quam aliàs, habere significationem. Significatur enim quod sacerdos quantum est ex parte sacramenti & potestatis suæ qua legitimè vtitur, verè remittat peccata. Verùm sicut contingit reipsa peccata non remitti propter impœnitentiam confitentis: ita fieri potest, vt non remittantur, eò quòd iam priùs fuerint remissa. De qua re nonnihil dictum est, cùm de forma absolutionis ageretur ad distinct. 15.

§. 5.[um] *De varijs modis absoluendi & ligandi.*

ENumerat in textu Magister tres ligandi & soluendi modos, tanquam ad potestatem clauium apostolis & eorum successoribus à Christo traditam pertinentes. Primùm, inquit soluunt & ligant dum peccata dimittunt, vel retinent, id est, dum dimissa à Deo vel retenta indicant & ostendunt. Secundò ligant dum satisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt, soluunt cùm de ea aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad sacramentorum communionem admittunt. Tertiò ligant, dum quempiam per excommunicationem ab ecclesia ejiciunt, soluunt autem cùm eiectum ad ecclesiæ communionem recipiunt.

S. Thom. sup. dist. q. 17. & seq.

Verùm vt vniuersum potestatis ligandi & soluendi quam Christus in Petro alijsque apostolis ecclesiæ tradidit Matth. 16. & 18. & Ioan. 20. genus & amplitudinem explicemus, videndum quæ & cuiusmodi sint vincula quibus homines coram Deo obligantur. Ea in scripturis duo potissimum agnoscimus nempe peccatum & præceptum. Peccatum enim ligat hominem coram Deo; tum quia diabolo mancipatum non sinit Deo seruire; tum quia obnoxium & obligatum eum reddit æternæ damnationi, & pœnis temporalibus præsentis & futuri sæculi. Vnde peccatorum suorum funibus impium constringi testatur Sapiens Prouerb. 5. Et vinctí, id est, peccatores à Christo soluendi prædicuntur Isaiæ 42. 49. & 61. Præceptum quoque vinculum est, quo obligatus homo coram Deo tenetur ad aliquid faciendum vel omittendum. Qua ratione Ecclesiasticus cap. 6. præcepta sapientiæ vincula vocat, & dominus Matth. 23. de constitutionibus pharisaicis loquens. *Alligant*, inquit, *onera grauia & importabilia &c.*

Quod igitur ad prioris generis vinculum, id est peccatum attinet, minister ecclesiæ tripliciter dicitur ligare & soluere. Ac primùm quidem ligat hominem in peccato, dum eius peccata propter infidelitatem vel impœnitentiam non remittit, sed diuino eum iudicio obstrictum retinet. Solui autem ab hoc vinculo, quando consideratione fidei & pœnitentiæ peccata remittit; idque, vel per baptismum, recipiens inter fideles eum qui priùs infidelis erat; vel per pœnitentiæ sacramentum, reconcilians ecclesiæ eum qui relapsus fuerat. Quamquam dubitari potest, an ille soluendi & ligandi modus qui respicit eos qui sunt extra ecclesiam, id est nondum baptizatos, pertineat ad potestatem clauium, cùm ecclesia non iudicet de ijs qui foris sunt. Sed dicendum est nihil obstare, quò minùs ille etiam modus potestate clauium comprehendatur. Non enim de ijs qui foris sunt sic iudicat ecclesia, vt eos tanquam subditos puniat, sed tantùm quatenus eos secundum legem Christi, vel admittat, vel reijciat. Vnde non tam de ijs ipsis quàm de eorum admissione, vel reiectione iudicare existimanda est. Cu-

iusmodi sanè iudicium ministris ecclesiæ & competit & necessarium est.

Secundò & tertiò ligat & soluit sacerdos hominem secundùm duos posteriores modos, quos ex Magistro posuimus. Ad quorum priorem pertinet illud quod legitur in libro de vera & falsa pœnit. cap. 10. Opus iustitiæ exercent sacerdotes in peccatores, cùm eos iusta pœna ligant: Opus misericordiæ cùm de ea aliquid relaxant, vel eos sacramentorum communioni conciliant.

Ex hac autem declaratione facile est intelligere, quòd ligare & retinere, præsertim vt sacerdotibus in foro pœnitentiæ tribuuntur, non significant nudam declarationem ligationis aut retentionis, sed vel exclusionem seu separationem à fidelium societate vel obligationem ad pœnam pro peccatis subeundam, vel certè reiectionem à beneficio remissionis cum authoritate & iudicio factam.

Hinc est quòd Tridentini concilij patres sess. 14 cap. 1. testantur ecclesiam exercere iudicium in relapsos, dum tanquam rei sistuntur ante tribunal sacerdotale & cap. 5. sacerdotes Christi vicarios non tantùm remissionis, verùm etiam retentionis peccatorum sententiam pronunciando, potestate clauium vti & cap. 6. clauium ministerium episcopis & sacerdotibus propriùm complecti tam ligandi & retinendi, quàm soluendi & remittendi potestatem. Denique cap. 8. ea eo probant satisfactionem quam sacerdotes pœnitentibus imponunt, pertinere ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem; quia claues sacerdotum non ad soluendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas antiqui patres tradiderunt. Quod rursus sub anathemate definiunt eiusdem sessionis vltimo canone. Huius autem doctrinæ manifestum testimonium est apud Ambrosium qui lib. 1. de pœnitentia c. 2. tam ligandi quàm retinendi ministerium in eo ponit, quòd sacerdotes actionem pœnitentiæ lapsis iniungunt.

Iam quod ad posterioris generis vinculum, id est, præceptum attinet, iuxta hunc modum ligat prælatus ecclesiæ, quando ad aliquid faciendum vel omittendum lege data fideles obstringit; soluit autem quando legem ea causa tollit, aut in lege, voto, vel iuramento dispensat. Vtrumque verò præstat quando id ad quod quis lege, voto, aut iuramento tenebatur, in aliud commutat. Huc autem pertinere solutionem iuramenti ostendit Gregorius Antiochenus patriarcha, qui referente Euagrio lib. 6. histor. eccles. capit. 12. exercitum iuramenti cuiusdam religione absoluit, vtens authoritate Scripturæ, qua dictum est episcopis: *Quæcunque solueritis &c.*

Ad hoc posterius genus reuocatur & alius quidam ligandi & soluendi modus in Petrum eiusque successores aut propriè aut perfectè tantùm competens; nimirum vt soluere, sit nodos emergentium difficultatum circa ea quæ sunt fidei, definiendo dissoluere; & ligare sit docendo ac definiendo hæreses & errores ab ouili Christi, ne pro sana doctrina recipiantur, arcere atque excludere.

§. 6. *Excommunicatio quid sit & quibus nominibus appellata, & de multiplici excommunicatione.*

S. Thom. Sup. q. 21. ar. 1.

Cum ex superioribus constet ad clauium ecclesiæ ministerium inter alia pertinere potestatem excommunicandi, de ea nunc consequenter, quantum huic loco sufficiat, agendum est.

Excommunicatio vt nomen ipsum sonat, est à communione fidelium exclusio seu separatio. Quæ definitio etsi solam maiorem excommunicationem iuxta communem interpretationem complectatur, vt idem sit separari à communione fidelium, quod separari à corpore ecclesiæ, potest tamen etiam sic intelligi, vt & minorem excommunicationem comprehendat. Nam communionis nomen per antonomasiam vni sacramento eucharistiæ vsu fidelium tribui solet, cuius rationem suo loco reddidimus. Vnde qui ab ea communione per censuram aliquam superioris erant separati, etiamsi nondum essent ab ecclesia præcisi, dicebantur olim excommunicati; ea videlicet excõmunicatione quam nunc distinctionis causa minorem vocamus, quæque hoc pacto definiri solet, quòd sit exclusio à participatione sacramentorum. Nam sub præcipuo atque excellentissimo sacramento etiam cætera comprehensa intelligebantur.

Cæterùm si quis post legitimam admonitionem in crimine contumaciter persisteret, is demum ab ecclesiæ corpore, id est, à fidelium cœtu separabatur. Quæ separatio vocatur excommunicatio maior & simpliciter excommunicatio. Siquidem vbicunque vel à iure vel ab homine pœna excommunicationis imponitur, quando nihil aliud restrictiuum additur, semper maior excommunicatio solet intelligi. Atque hæc maior minorem necessariò includit, non contrà. Maiorem autem pleniùs definiunt hoc modo: Excommunicatio est ecclesiastica censura, qua quis ab ecclesiæ communione quoad fructum & suffragia communia, atque externum fidelium consortium separatur. Cuius definitionis sensus ex ijs quæ infrà dicentur, patebit.

Hanc autem siue censuram siue pœnam ecclesiasticam scriptura varijs nominibus appellat. Interdum enim anathema, id est, separationem, abiectionem, siue abscissionem vocat, iuxta illud Galat. 5. *Vtinam abscindantur qui vos conturbant.* Quanquam negandum non est anathematis vocabulum aliquando etiam latiùs vsurpari. Imò verò notandum quòd in scriptura non tam ipsa separatio, quàm homo separatus à cœtu hominum vocatur anathema. Vnde Magister in textu censuram hanc non anathema, sed anathematizationem vocat; qua nimirum homo cui infligitur, fit anathema. Et ita loquuntur etiam interdum patres antiquiores. Aliàs item qui excommunicantur, dicuntur tradi satanæ, & tolli è medio, videlicet ecclesiæ vt 1. Corint. 5. & 1. Timoth. 1. Item ligati tam in cælis quàm super terram, & habendi sicut ethnici & publicani. Matth. 18. Præterea Cypriano in epist. 38. & alibi dicuntur, abstenti, eiecti, pulsi de ecclesia, à communione prohibiti, sacerdotum voce damnati. Quo postremo nomine passim etiam apud alios patres appellari leguntur. Videri autem potest hoc nomen sumptum ex apostolo ad Titum dicente, quòd hæreticus sit proprio iudicio condemnatus, id est, ab ecclesia separatus. Sicut autem excommunicati, damnati: sic excommunicatio, damnatio vocabatur, teste Augustino lib. de correp. & grat. cap. 15.

Porrò apud Ambrosium epist. 28. & apud Nicephorum lib. 12. cap. 4. excommunicatio vocatur vinculum episcopale seu sacerdotale. Ipsa verò potestas excommunicandi à Christo dicitur clauis ligandi, tametsi hæc ad plura extendantur. Paulus eam virgam vocat 1 Corinth. 4. & potestatem du-

riùs

A riùs agendi 2. Corinth. vltimo. Eandem patres passim gladium, interdum mucronem appellant, vel absolutè, vel cum adiectione, spiritualem, sacerdotalem, ecclesiasticum; cuius videlicet vsus sit membrum putridum præscindere à reliquo corpore ecclesiæ.

§. 7. *Esse in ecclesia institutam à Christo excommunicandi potestatem.*

S.Thom. sup. dist. q 21. ar. 2.

B QVemadmodum Christus ecclesiæ suæ reliquit potestatem recipiendi intra se eos qui crederent, & secundùm legem Christi victuros se profiterentur, quod quidem fit per baptismi sacramentum: ita dubitandum non est quin eidem quoque dederit potestatem semel receptos, si ipsam audire contemnerent, eijciendi, atque à se tanquam Christi corpore separandi. Quam vocamus excommunicandi potestatem.

Contulit autem eam Christus ecclesiæ in capite suo, quando impleuit, quod Petro promisit Matth. 16. dicens: *Tibi dabo claues &c. Et quodcunque ligaueris &c.* C In hac enim ligandi potestate comprehendi potestatem excommunicandi tanquam speciem in genere, suprà ostendimus. Sed tamen multò apertius id docet locus Matth. 18. vbi de fratre corripiendo, & vno vel pluribus testibus adhibendis præcipiens dominus tandem subijcit. *Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ, si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Deinde sermone conuerso ad apostolos qui ecclesiæ præficiendi erant ait: *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* D Quibus verbis, etsi ea generalia sint, sicut quæ dicta fuerant ad Petrum Matth. 16. & proinde generalem regiminis ecclesiæ potestatem apostolis promissam significent, peculiariter tamen promisit Dominus apostolis suis & eorum successoribus potestatem à communione ecclesiæ separandi eos, qui ecclesiam non audirent, vt hac separationis sententia cognita, reliqui fideles illos habere possent ac deberent tanquam ethnicos & publicanos. Itaque principaliter in hoc euangelij loco potestatem excommunicandi fundatam esse, perspicuum est.

E Vsus est autem hac potestate Paulus in Corinthium illum incestuosum, de quo 1. Corinth. 5. dicit: *Et non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Et iterum: *Iam iudicaui eum qui sic operatus est, tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.* Hoc enim se facturum dicit in nomine Christi, & cum virtute Christi. id est, tanquam ministrum seu vicarium Christi, & potestate à Christo accepta.

Item ea potestate vsus est in Hymenæum & Alexandrum hæreticos quos tradidit satanæ, vt discerent non blasphemare 1. Timoth. 1. F Meminit quoque huius suæ potestatis tum in 1. Corinth. 4. dicens: *In virga veniam ad vos* tum 2. Corinth. 14. cùm ait: *Timeo ne fortè cùm venero, inueniar à vobis qualem non vultis &c.* & cap. vltimo. *Si venero iterum, non parcam.* Et sub finem: *Ideo hæc absens scribo, vt non præsens durius agam secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.*

Apud eundem apostolum locus est Galat. 1. *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.* In qua sententia separationem eam ab ecA clesia quę excómunicatio vocatur, agnoscit Siricius papa in epistola ad Mediolanensem ecclesiā, quæ est apud Ambrosium 80. Similiter in eo quod eiusdem epistolæ cap. 5. dicitur: *Vtinam abscindantur qui vos conturbant*, plærique abscissionem à corpore Christi intelligunt. Rursum in ijs verbis 1. Corinth. 5. *Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus &c. cùm eiusmodi nec cibum sumere.* Augustinus eam vitationem quæ ob excommunicationem fit, intellexit in homil. 50. & cap. 2. de fide & operibus & lib. 3. contra epistolas Parmeniani cap. 2. Quem sensum confirmant verba apostoli sequentia: *Quid enim mihi de ijs qui foris sunt, iudicare? Nonne de ijs qui* B *intus sunt, vos iudicatis?* Hinc enim apparet eos de quibus loquitur, ecclesiastico iudicio & authoritate intelligi debere separandos, sicut & illos de quibus 2. Thess. 3. dicit: *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* Sunt enim hæc verba similia illis dominicis: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

Porrò sciendum est hanc potestatem etiam per ea quæ in veteri lege à iudicibus gerebantur, fuisse adumbratam. Sicut enim ceremoniæ Mosaicæ prę-figurabant ceremonias & sacramenta ecclesiæ; ita C quæ iudices illi faciebant, figuræ quædam erant eorum quæ fiunt in iudicio ecclesiæ. Tale autem in primis erat illud quod præcipitur Deuteron. 17. *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel.* Sic enim dictum est. *Auferes malum de Israel*, sicut dicit apostolus: *Tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit*, & rursum: *Auferte malum ex vobismetipsis* 1. Corinth. 5. Vnde August. quæst. 39. super Deuteron. ad ea verba: *Auferetis malignum ex vobis ipsis.* ait: Assiduè hoc dicit scriptura cùm iubet occidi D malos. Qua locutione vsus est etiam apostolus cùm diceret: *Quid enim mihi de ijs qui foris sunt, iudicare &c. Auferte malum ex vobis ipsis.* Nam Græcus habet Τὸν πονηρὸν, quod est *hunc malignum.* Ex quo apparet eum voluisse intelligi qui aliquid tale commisit, vt excommunicatione sit dignus. Hoc enim nunc agit in ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. Et lib. de fide & op. cap. 2. Neque enim quia illam primi populi commixtionem Moyses Dei famulus patientissimè perferebat, ideo non in multos etiam gladio vindicauit. Et Phinees sacerdos adulteros simul inuentos ferro vltore con-E fixit. Quod vtique degradationibus & excommunicationibus significatum est esse faciendum in hoc tempore, cùm in ecclesiæ disciplina visibilis fuerat gladius cessaturus. Et quæ sequuntur.

Eodem pertinent hæc Hieronymi verba in epist. 1. ad Heliodorum cap. 7. In veteri quidem lege quicunque sacerdotibus non obtemperasset; aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice subiecta contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens spirituali mucrone truncatur, aut eiectus de ecclesia rabido dæmonum ore F discerpitur. Nec minùs disertè ante hos duos Cyprianus eandem hanc comparationem ex veteri lege adhibuit epistola 58. citato etiam loco Deuter. 17.

Posset quoque videri significatam esse hanc potestatem per hoc quòd inobedientes eijciebantur è synagoga, quemadmodum aliquoties in euangelio indicatur vt Ioan. 9. 12. & 16. nisi vero similius esset eam consuetudinem humana institutione procerum synagogæ postquam à Romanis ius necis inferendæ Iudæis fuit ademptum iuxta

illud,

illud, *Nobis non licet interficere quemquam* introductam A
fuisse, quàm ab authoritate legis diuinæ, qua in contumaces iudicium mortis non separationis præscribitur, descendisse.

Sicut autem illa per mortē exterminatio ecclesiasticam significauit excommunicationem: ita hæc rursum quædam imago est illius futuræ separationis de qua dominus in euangelio: *Et separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis*, Matth. 13. Hoc enim nunc imperfectè & ex parte circa contumaces agit ecclesiæ disciplina, quod tunc omnino & perfectè atque irreuocabiliter circa malos omnes aget extrema sententia supremi iu- B
dicis. Imò sententia ecclesiæ in multis inchoatio quædam est finalis sententiæ Christi. Vnde Tertullianus in apolog. contra gentes cap. 39. excommunicationem & diuinam vocat censuram, & esse dicit summum diuini iudicij præiudicium. Et Hieronymus in epist. 1. ad Heliodorum affirmat quòd sacerdotes quodammodo iudicant ante diem iudicij.

Hanc igitur excōmunicandi potestatē à Christo ecclesiæ traditā in ecclesia semper fuisse post scripturas, & apostoli Pauli exemplum, probat perpetua C
ipsius ecclesię traditio & consuetudo, scriptis patrū decretis pontificum & canonibus conciliorum euidenter expressa. Quorum ex multis hæc pauca notari possunt. Tertullianus loco iam citato, item de idololatria cap. 11. lib. 2. ad vxorem cap. 3. de præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 30. & lib. 4. contra Marcionem cap. 24. Cyprianus epist. 38. 55. 62. & 72. Origenes homil. 12. in Leuiticum, & homil. 1. in psal. 37. Ambrosius serm. 8. in psal. 118. lib. 2. offic. cap. 27. & apud eundem Siricius papa epist 80. Hieronymus epist. 1. ad Heliodorum, & D
in Matt. 18. vbi ad illa verba: *Quæcunque alligaueritis*, sic commentatur: Potestatem tribuit apostolis vt sciant, qui à talibus condemnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari; & quodcunque ligatum fuerit in terra, ligari pariter & in cælo. Aug. præter loca paulò antè citata tract. 10. 27. & 50. in Ioan. Item homil. 50. cap. 5. lib. de fide & op. cap. 19. & 26. Enchiridij 65. lib. de correp. & gratia cap. 15. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 6. lib. 3. contra epist. Parmeniani cap. 1. serm. 68. de verbis apostoli & epist. 65. sed omnium apertissimè lib. 1. contra aduersarium legis & prophetarum cap. 17. Et apud eundem Innocentius 1. epist. 91. Chryso- E
stomus homil. 5. in 1. epist. ad Timoth. homil. 15. in 1. Corinth. hom. 4. in epistolam ad Hebræos & super Matth. 18. Gregorius homil. 26 in euangelia & lib. 5. epist. 30. Vrbanus 1. in epist. ad vniuersos episcopos. Et quæ Gratianus ex varijs commemorat. ca. 11. quæstio. 3. & ca. 24. quæst. 1.

Quibus omnibus accedit, quòd hac excommunicandi authoritate solenni more aduersus hæreticos vsæ fuerunt antiquæ synodi, vt Nicæna aduersus Ari, Ephesino aduersus Nestorium, atque ita in alijs, vt meritò damnentur anathemate quicun- F
que hanc potestatem ecclesiæ vel negant vel contemnunt. De qua re videantur articuli Ioannis Wicleff. 11. 12. 13. & 30. & Ioannis Hus articuli 17. 18. & 19. condemnati in concilio Constantiensi. Quorum hæreticam doctrinam postea resuscitauit Lutherus art. 23. & 24. eorum quos Leo 10. damnauit.

§. 7. *Ad ea quæ obijciuntur, responsio.*

Contra superiorem doctrinam duo potissimùm argumenta ex patribus petita obijciuntur ab aduersarijs. *S. Thom. ibidem.* Alterum quo probent eam potestatem quam Matth. 18. Christus dedit apostolis, non esse prælatis ecclesiæ propriam, sed omnibus Christianis communem, ac proinde nec esse potestatem propriè dictam, vt quæ tantùm superiori in inferiores competat, sed officium quoddam cuiuslibet christiani erga alterum; quo videlicet eum vel impœnitentem auersando & tanquam alienum habendo ligare debeat, vel correctum recipiendo & peccatum ei ignoscendo soluere. Probant autem authoritate Augustini qui serm. 16. de verbis Domini cap. 4. post recitata Domini verba: *Quæcunque ligaueritis &c.* sic ait: Cepisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra, sed, vt iuste alliges, vide. Nam iniusta vincula dirumpit iusticia. Cùm autem correxeris & concordaueris cum fratre tuo, soluisti illum in terra. Cùm solueris in terra, solutus erit & in cælo.

Deinde probant ex commentario Theophylacti super Matth. 18. scribentis in hæc verba: Si tu, inquit, offensus habes eum qui te iniuria affecit, sicut ethnicum & publicanum, erit ille & in cælo talis. Si autem solueris eum, hoc est, ignoueris, erit ei & in cælo condonatum Non enim solùm quæ soluunt sacerdotes, sunt soluta, sed quæcunque & nos iniuria affecti vel ligamus, vel soluimus, & ipsa erunt ligata vel soluta. Quam interpretationem accepisse videtur Theophylactus ab Origene qui similiter tract. 6. in Matth. ligare & soluere ad eum refert qui fratrem arguit & vel impœnitentem vitat vel pœnitenti peccatum condonat.

Alterum verò est quo potestatem hanc simpliciter tollant. Ad quod proferunt authoritatem Chrysostomi, apud quem tomo 5. habetur sermo quidam hoc titulo: Quòd neque viui neque mortui anathemate plectendi sunt. In quo latè docet in nullos homines quantumuis malos neque viuos neque vita functos, esse proferendum anathema: ac demum concludit ipsa quidem dogmata impia & quæ ab hæreticis profecta sunt, arguere & anathematizare oportere, hominibus autem parcendum & pro salute ipsorum orandum; anathematis verò in eos iudicium iudici seculorum filio Dei, ad quem ea potestas & dignitas propriè spectet, esse reseruandum.

Sed ad hæc veterum loca breuiter ita respondemus.

Augustinus sicut interdum verba Domini Ioan. 20. *Quorum remiseritis*, sic accipit, quasi solis & omnibus bonis fidelibus dicta; quia nimirum illi omnes & soli meritis & orationibus suis impetrant alijs remissionem peccatorum, quod mali non possunt: ita etiam verba Matth. 18. ad eosdem retulit, extensione quadam scripturæ, non autem proprio & literali sensu. Nam vtriusque scripturæ literalem & proprium sensum alibi tradit; illius quidem lib. 2. contra epistolā Parmeniani cap. 11. istius autem lib. 1. contra aduersarium legis & prophetarum cap. 17. & epist. 75. & homil 27. 49. & 50.

Similiter respondendum ad Theophylactum, qui cùm locum Ioannis 20. de potestate clauium solis sacerdotibus concessa apertissimè interpretetur, hunc tamen Matthæi locum morali quadam

exposi-

expositione ad quoslibet bonos fideles extendit, secutus Origenem, qui in hoc expositionis genere frequens est. Quanquam in eo quod dicit Theophylactus, non solum quæ soluunt sacerdotes, sunt soluta, satis innuit esse quendam modum ligandi & soluendi ita sacerdotibus proprium, vt non sit Christianis omnibus communis, quemadmodum & Origenes loco citato manifestè peculiarem ligandi & soluendi potestatem Petro tribuit.

Ad posterius argumentum respondet quidam eum sermonem non esse Chrysostomi. Vt tamen detur Chrysostomi esse, respondemus eum non agere de quocunque anathemate, sed de perfecto, id est, eo quod omnibus modis, vt ipse loquitur, à Christo separat. sic scilicet vt nec spes relinquatur restitutionis. Hoc enim anathemate Christus terram, id est, impios percutiet, cùm venerit ad iudicium, vt est apud Malach. 4. Hoc etiam modo dogmata impia quia cum diuina veritate concordari non possunt, simpliciter à nobis anathemate sunt configenda. Quæ autem in homines fertur excommunicatio, medicinalis est, quemadmodum ipse Chrysostomus docet homil. 15. in 1. Corinth. 5. Cæterùm videtur hoc in sermone Chrysostomus eos taxare voluisse, qui non contenti libros Origenis damnasse, ipsum etiam authorem ducentis post mortem annis anathemate dānarunt, vti refert Socrates lib. 7. cap. 48. Nam alioqui ipsum Chrysostomum in subditos grauiter delinquentes hac excommunicandi potestate vsum fuisse testis est idem Socrates lib. 6. cap. 4. & suprà satis ex Chrysostomo hanc potestatem asseruimus.

§. 8. *Quibus bonis priuetur homo per excommunicationem.*

S. Thom. sup. q. 2. art. 1. & 2. ad 3.

NVnc contra eos qui volunt excommunicationem tantùm esse pœnam externam & ciuilem, qua nimirum quis ab externa duntaxat communione & conuersatione fidelium excludatur, monstranda est huius pœnæ grauitas, & explicandum quibus bonis priuetur, & quæ mala incurrat excommunicatus. Vnde simul patebit sensus eius quod in definitione communicationis positum erat, *Quoad fructum & suffragia communia.*

Primùm igitur ex nomine communionis ecclesiæ, à cuius priuatione dicta est excommunicatio, pœnæ huius magnitudo ostenditur. Est enim communio ecclesiæ eadem cum communione sanctorum quam confitemur in symbolo, & cum ea communione de qua dicitur in canone missæ: *Communicantes & memoriam venerantes omnium sanctorum*: vbi priore loco supplendum ex posteriori, communicantes omnibus sanctis. Hæc autem communio non in nuda externa societate vel sacramentorum participatione consistit, quandoquidem neutro horum modorum communicamus cum sanctis in cælo regnantibus; sed etiam ac potissimùm in societate & communione bonorum spiritualium: cuiusmodi sunt merita, orationes, suffragia. Vnde in canone sequitur: *Quorum meritis precibusque concedas &c.* Huius igitur communionis iure fit, vt quemadmodum membra eiusdem corporis ob connexionem naturalem quam habent in toto, sibi mutuò bona sua participant, & quodammodo influunt; ita vt ea participatio pertingat etiam ad membra infirma, imò etiam aliquo modo ad membra putrida nondum præcisa: Sic fideles omnes tanquam membra ecclesiæ quæ vegetatur spiritu Christi ob connexionem illam spiritualem quam habent in vno corpore mystico, communicant sibi mutuò bona spiritualia, adeo vt & mali fiant eorum aliquatenus participes, quamdiu ecclesiæ cohærent. Verùm sicut ibi membro resecto cætera membra quæ sunt in corpore, nihil conferunt: ita neque hîc ei qui ab ecclesiæ communione separatus est, quicquam prosunt cæteri fideles quoad communia ecclesiæ bona. Quæ res etiam similitudine vitis & palmitum declarari potest. Vtramque enim comparationem tradit scriptura: hanc Ioan. 15. illam Rom. 12. & alibi. Hinc porrò sequitur excommunicatos etiam priuari illa peculiari Dei protectione, qua totam suam ecclesiam protegit. Sicut enim vt ait Chrysostomus homil. 5. in 1. Timoth. 1. nubes olim Hebræorum castra tegebat, ita & ecclesiam protegit gratia spiritussancti.

Tertiò sequitur vt eos iam pastores ecclesiæ non habeant pro suis ouibus, itaque nec eos curent, nec pro ijs orent; intellige cura & oratione ea quam vt pastor habet & facit pro suo grege. Hinc eos Innocentius primus epist. 93. apud Augustinum dicit carere custodia pastorali. Quod & Chrysostomus significat loco iam citato.

Quartò fit eadem ratione vt cæteri fideles non eos habeant pro fratribus & commembris, præcipiente Domino: *Sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Vnde nec earum orationum fiunt participes quas sancti toto orbe fundunt pro fratribus, aut pro toto corpore ecclesiæ, quarum tamen participes existunt mali nondum separati.

Quintò, Excommunicati tot præsidijs quibus in ecclesia fulciebantur, destituti, sibi dimittuntur, infidelium societati iunguntur, satanæ traduntur. Nam sicut intra ecclesiam præsidet ecclesiæ caput Christus, ita extra ecclesiam præsidet huius mundi princeps Satanas, à quo proinde multò iam quàm antè liberiùs ac potentiùs tanquā in proprio ipsius regno tentantur, impelluntur & pertrahuntur ad omne malum, & impediuntur ab omni bono.

Postremò, Excommunicati etiamsi pœnitentiam agant & multa bona operentur, non tamen restituuntur in participationem supradictorum spiritualium ecclesiæ bonorum, neque possunt sacramentorum ecclesiæ fieri participes; ac ne quidem vnius sacramenti pœnitentiæ, priusquam corpori ecclesiæ rursum fuerint vniti, quod quidem fit per absolutionem à vinculo excommunicationis, quæ proinde absolutionem à peccatis necessariò præcedere debet. Priùs enim oportet vt quis iungatur corpori, quàm ex corpore fructum percipiat. Sicut prius est apud apostolum Rom. 11. inseri in oliuam, quàm radicis & pinguedinis oliuæ participem fieri.

§. 9. *Eiusdem doctrinæ confirmatio ex scriptura & patribus.*

QVod de pœna spirituali quæ hominem excommunicatum sequitur, diximus, pleniùs ex scriptura & patribus probandum est. Et primùm quidem locus Matth. 18. vbi dicitur: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, satis hanc spiritualem pœnam arguit. Sensus enim est, eum

S. Thom. vbi sup.

qui

qui ob inobedientiam ab ecclesiæ prælatis ligatur, non iam habendum à fidelibus tanquam frattem, sed tanquam extra ecclesiæ corpus constitutum, ethnicis & publicanis similem. Reucta igitur non iam amplius frater est, neque membrum ecclesiæ, nihilo magis quàm ethnicus aut publicanus. Quare sicut hi bonorum ecclesiæ communium & spiritualium non sunt participes, ita nec ille. Nam fraternitas illa & esse membrum ecclesiæ, non in sola consistit externa communicatione, sed est magnum bonum spirituale. Neque de eo qui propter lepram aut alium corporis morbum externa conuersatione vitandus est, rectè quisquam dixerit, quòd non sit habendus à fidelibus tanquam frater, sed tanquam ethnicus. Ac rursum non est cur ille dicatur ligatus in cælo, qui per vinculum sibi iniectum nullo priuatus est bono spirituali, sed tantùm ab externo fidelium consortio remotus.

Verùm hanc doctrinam clariùs adhuc probant duo loca apostoli 1. Corinth. 5. & 1. Timoth. 1. vbi qui excommunicantur, dicuntur tradi Satanæ. Quæ traditio dici non potest in sola communionis externæ priuatione consistere, sed haud dubiè animam attingit, quia nimirum fit per excommunicationis censuram vt homo ab ecclesia separatus, & proinde spiritualibus ecclesiæ præsidijs, quæ sunt merita, orationes, suffragia piorum, denudatus, pateat tyrannidi & incursibus diaboli cuius regnum est extra ecclesiam. Sicut enim Christus apostolis potestatem dedit eijciendi dæmones Matth. 10. Lucæ 10. & Marci vltimo: ita dedit eisdem potestatem tradendi homines dæmonibus per sententiam excommunicationis, vt ex loco iam dicto 1. Corinth. 5. patet, vbi apostolus eiusmodi traditionis sententiam pronunciandam authoritate Christi decernere se dicit. Quin & ipse Christus hanc potestatem qua traduntur homines Satanæ, exercuisse videtur, quando Iudam à suo consortio remouit, atque abire iussit dicendo: *Quod facis, fac citiùs.* Quamuis enim iam antè *diabolus misisset in cor Iudæ vt traderet Dominum*, sicut ait Ioannes 13. imò iam *in eum intrasset*, teste Luca 22. tunc tamen quando hoc ei dicebatur à Domino, vt idem Ioannes testatur, adhuc introiuit in eum Satanas; scilicet ad hoc, vt sibi iam traditum pleniùs possideret, in quem priùs intrauerat vt deciperet, quemadmodum loquitur Augustinus tract. 62. in Ioannem, vbi quod ait sibi iam traditum, manifestè significat Iudam à Christo traditum Satanæ. In eo autem quod addit, pleniùs possideret, explicatur illius traditionis effectus, videlicet plenior & perfectior hominis subiectio sub potestate diaboli, non quidem quoad corpus. (Neque enim Iudas corporaliter possessus à diabolo fuisse legitur, neque de alijs quos Satanæ tradidit Paulus, tale quid certò doceri potest, quamuis ita nonnulli existiment, vt Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius) sed quoad animam; non quòd eo ipso quo quis excommunicatur, fiat secundùm animam deterior, sed quia periculis peccandi magis expositus faciliùs & sæpius & grauiùs peccat. Nam excommunicari vel excommunicatum esse, tametsi non sit malum culpæ sed malum pœnæ, per ipsum tamen homo cùm sit protectione diuina nudatus, & tot spiritualibus præsidijs destitutus, magis appropinquat ad malum culpæ.

Huic porrò scripturarum authoritati subijciemus aliquot sententias & loca patrum, ex quibus liquidò ostendatur non corporalem modò sed & spiritualem esse pœnam quam incurrunt excommunicati.

Cyprianus epist. 58. de excommunicatione ita scribit: Spiritali gladio superbi & contumaces necantur dum de ecclesia eijciuntur, neque enim viuere foris possunt, cùm domus Dei vna sit, & nemini salus esse nisi in ecclesia possit.

Hieronymus epist. 1. ad Heliodorum. Inobediens, inquit, spirituali mucrone truncatur, & eiectus de ecclesia rabido dæmonum ore decerpitur.

Innocentius 1. epist. 91. apud Augustinum monet episcopos vt eos qui per hæresim erant ab ecclesia separati, ad ouile Christi reuocent, ne, inquit, foris positi, & tanto præsidio à fide munitionis exclusi periculis omnibus exponantur, deuorandi luporum dentibus atque vexandi &c.

Augustinus lib. 1. contra aduersarium legis & prophet. cap. 17 scribit in hunc modum: Illud quod ait Dominus: *Si nec ecclesiam audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, grauius est quàm si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subrigeretur. Nam ibi quoque subiunxit: *Amen dico vobis, quæ ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis*, vt intelligeretur quantò grauiùs sit punitus, qui velut relictus est impunitus. Et paulò pòst: Ecce ab hominibus alligatur homo amariùs & infeliciùs ecclesiæ clauibus quàm quibuslibet grauissimis & durissimis ferreis vel adamantinis nexibus. Idem tract. 27. in Ioan. Nihil, inquit, sic debet formidare Christianus quàm separari à corpore Christi. Vnde & lib. de correp. & grat. cap. 15 dicit in ecclesia nullam esse pœnam excommunicatione maiorem. Cæterùm apertissimus apud eundem locus est in epist. 75. in qua de pœna anathematis seu excommunicationis agens ita scribit: Neque enim hæc corporalis est pœna, qua legimus quosdam contemptores Dei cum suis omnibus qui eiusdem impietatis participes non fuerunt, pariter interfectos. Spiritualis autem pœna, qua fit quod scriptum est: *Quæ ligaueris in terra, erunt ligata & in cælo*, animas obligat, de quibus dictum est, *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.*

His adde locum Tertulliani in apologetico aduersus gentes cap. 39. vbi dicit per hoc ecclesiæ iudicium à communicatione orationis & conuentus & omnis sancti commercij hominem relegari. Item Origenem homil. 2. in librum Iudicum, Chrysostomum in Matth. 18. Theophylactum & Oecumenium in 1. Timoth. 1. & Theodoretum in 1. Corinth 5. & quæ à Gratiano citantur 11. quæst. 3.

❧ Ex quibus omnibus liquet quàm sit meritò damnatus à Leone decimo hic Lutheri articulus numero 23. Excommunicationes sunt tantùm pœnæ externæ, nec priuant hominem communibus spiritualibus ecclesiæ orationibus.



§. 10. *Ad quædam in contrarium argumenta responsio.*

S. Thom. vbi sup.

QVi negant excommunicationis censuram animas obligare, vel omnino spirituale aliquod damnum excommunicatis adferre, huiusmodi nituntur argumentis.

Prima est hæc Lutheri ratio: Per fidem, spem & charitatem reliquasque virtutes quæ bona sunt spiritualia, quisque efficitur membrum ecclesiæ: Ea verò bona non possunt vlla ecclesiæ potestate ab homine auferri, sed deperduntur propria cuiusque voluntate. Non igitur excommunicatio spoliat hominem bono spirituali.

Secundò argumentantur: *Filius hominis non venit animas perdere sed saluare.* Luc. 9. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum,* Ioan. 3. ergo non reliquit in ecclesia potestatem spiritualiter occidendi vel nocendi hominibus.

Tertiò, Apostolus 2. Corinth. vltimo de excommunicandi potestate loquens testatur sibi eam à Domino datam in ædificationem, & non in destructionem. Esset autem in destructionem data si bonis spiritualibus hominem priuaret.

Quartò, Idem apostolus 1. Corinth. 5. incestuosum excommunicans dicit se eum *tradere Satanæ in interitum carnis vt spiritus saluus sit in die Domini.* Et similiter 1. Timoth. 1. dicit Hymenæum & Alexandrum à se traditos Satanæ, *vt discant non blasphemare.* Ergo vsque adeo non aufert excommunicatio bonum spirituale, vt etiam ad illud conferat, vt non immeritò dixisse videatur Lutherus articulo 24. docendos esse Christianos plus diligere excommunicationem quàm timere.

Quintò, Chrysostomus in 1. Corinth. 5. excommunicationem medicinam vocat, qua melior effectus homo attrahat gratiam, dicitque lucrum esse pœna maius. Nam pœna quidem, inquit, est temporalis, lucrum autem perpetuum. Idem præterea traditionem hanc in Satanæ potestatem cum ea qua sanctus Iob Satanæ traditus fuit, ita comparat, vt in sola causa discrimen agnoscat. Nam ille quidem, inquit, pro splendidioribus coronis Satanæ traditus est; hic autem pro soluendis peccatis. Chrysostomi commentarium & sententiam per omnia sequuntur Theophylactus & Oecumenius.

Sextò, Hilarius can. 18. in Matth. in ea sententia: *Quæcunque ligaueritis &c.* ligare sic interpretatur vt sit idem quod peccatorum nodis innexos relinquere. Idemque in eundem locum scribens sentit Euthymius, qui ligationem interpretatur veniæ carentiam. Hoc autem non est bono spirituali priùs habito priuare, sed bonum spirituale nondum acceptum nolle conferre.

Septimò, Innocentius 4. in concilio Lugdunensi, vt habetur in 6. de sententia excommunicationis: Cùm medicinalis sit, inquit, excommunicatio, non mortalis, disciplinans non eradicans, dum tamen is in quem lata fuerit, non contemnat, cautè prouideat iudex ecclesiasticus, vt in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit & medentis.

Postremò: Subsistet in ecclesia excommunicandi potestas, si prælati ecclesiæ remoueant ino-
A bedientes ab externo fidelium conuersatione & sacramentorum participatione, etiamsi non eos priuent communibus ecclesiæ suffragijs, per quod spiritualiter multum eis nocetur, ergo sufficit talem potestatem agnoscere sine huiusmodi bonorum spiritualium subtractione.

Ad hæc vt respondeamus, Pro solutione primi notandum spiritualia bona esse in duplici differentia. Alia enim sunt in quibus substantia vitæ spiritualis consistit, vt fides, spes, charitas & reliquæ virtutes & virtutum opera. Quò etiam per-
B tinent illi motus & affectus voluntatis qui iustificationem præcedunt & ad eam præparant. Alia verò sunt accidentalia, quibus scilicet homo ad priora illa bona adipiscenda extrinsecus adiuuatur. Talia sunt aliena merita, orationes, suffragia, quibus etiam sacramenta connumerantur. Horum enim communione seu participatione adiuuatur homo ad vitam spiritualem.

Respondendum igitur est prioris quidem generis bona cùm sint homini interna & ab eius voluntate dependeant, non posse per ecclesiasticam potestatem ab homine auferri: posterioris autem posse per hoc quod à corpore, in quo talia bona
C communicantur, quis excluditur, quemadmodum & in alijs communitatibus contingit eum qui excluditur à communitate, simul excludi atque excidere à priuilegijs & commodis eiusdem communitatis.

Ad secundum respondetur Christum ita venisse ad saluandas animas, vt tamen in ecclesia sua instituerit potestatẽ corrigendi delinquentes & eijciendi incorrigibiles, vt per hoc toti corpori consulatur. Quod dum fit nondum iudicatur mundus, quod futurum est in consummatione sæculi, sed tantùm pauci quidam per iudicium ecclesiasticum
D à reliquo corpore separantur.

Ad tertium: Ecclesia sicut accepit à Christo excommunicandi potestatem ad ædificationem, sic eam exercet, nimirum ad conseruationem totius corporis, ne putridi membri contagio inficiatur, quamuis cedat ea potestas aliquo modo in destructionem eius qui excommunicatur, eò quòd à subsidijs vitæ spiritualis magis elongetur. Qua ratione Cyprianus dixit epist. 5e. superbos & contumaces dum de ecclesia eijciuntur, spirituali gladio necari.

Ad quartum: Apostolus cùm dicit hominem
E *tradi Satanæ in interitum carnis*, id est, carnalis concupiscentiæ, *vt spiritus*, id est, anima vel spiritualis homo *saluus sit in die Domini*, non indicat proprium effectum excommunicationis, sed potiùs ostendit intentionem excommunicantis, qui principaliter quidem per excommunicationem intendit salutem totius corporis, sicut medicus à corpore resecans membrum putridum. Vnde eodem capite ait Apostolus: *Tollatur de medio vestrum,* &, *Auferte malum ex vobisipsis,* &, *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Secundariò autem etiam resipiscentiam & salutem ex-
F communicati, quatenus per illam separationem confusus, & periculum suum agnoscens ad mentem redeat atque ecclesiæ reconcilietur, quemadmodum etiam de illo Corinthio vt ex epist. 2. patet, factum fuit. Hoc autem resipiscentiæ bonum optandum quidem est, sed non propterea optandum est & illud malum ex quo per accidens hoc bonum consequitur; sicut non sunt optanda vel facienda peccata, quæ hominis per misericordiam Dei cooperantur in bonum humilitatis.

Ex

Ex his etiam patet quinti & septimi argumenti solutio. Vocant enim patres excommunicationem medicinalem non tantùm respectu totius corporis, cui principaliter intendit consulere qui membrum viciosum resecat, verùm etiam respectu eius qui excommunicatur, propter secundariam excommunicantis intentionem iam explicatam, quæ tamen sæpe suo frustratur effectu. Et quamuis eo loco Chrysostomus nihil expresse dicat de priuatione boni spiritualis, alibi tamen eius apertè meminit. Nam homil. 3. in 1. Timoth. 1. de eodem Corinthio verba faciens: Eijciebatur, inquit, à communi fidelium cœtu, abscindebatur à grege, fiebat nudus atque ita destitutus, atque ita lupi patebat & prodebatur incursibus. Sicut enim dudum nubes Hebræorum castra tegebat: ita & ecclesiam protegebat sancti spiritus gratia. Si quis igitur extra ecclesiam fieret, comburebatur &c. In eandem prorsus sententiam scribunt Theophylactus & Oecumenius Chrysostomum secuti in 1. Timoth. 1.

Hilarius quoque & Euthymius id quod minus est dicentes, id quod grauius est tacendo non negarunt, sed potiùs intelligendum reliquerunt.

Ad postremum respondetur ex natura rei consequens esse vt membrum à corpore separatum amittat corporis influxum, ideoque ecclesiam quæ potestatem accepit contumaces à suo corpore separandi, quoties ea potestate plenè vtendum iudicat, quod fit per excommunicationem maiorem, non debere nec posse diuersa sua intentione efficere, quò minùs ille qui separatur, detrimentum spirituale quod tali separationi per se coniunctum est, patiatur, id est, communibus ecclesiæ meritis & suffragijs quæ propria sunt illi corpori, priuetur.

§. 11. *Propter quem finem infligenda sit excommunicationis pœna.*

S. Thom. sup. q. 21. ar 1. in corp & ar. 3.

QVod in solutione quarti argumenti de legitimo fine quem intendit excommunicans, diximus, paulò pleniùs hic explicandum est. Sunt enim tres fines propter quos formidabilis illa excommunicationis pœna ab ecclesia infligatur, semper coniuncti & concurrentes, licèt non æquè principaliter intenti, aut sperati; primus ex parte Dei, secundus ex parte ecclesiæ, tertius ex parte eius qui excommunicatur.

Primus igitur finis est honor diuini nominis. Hoc enim agitur illa separatione vt nomen Dei & Christi qui caput est ecclesiæ, non blasphemetur, nec malè audiat apud eos qui foris sunt, si videant manifesta scelera in ecclesia permitti impunita, & eos inter christianos tolerari qui cùm talia commiserint, corrigi nolunt. Sicut enim nomen Dei sanctificatur per bonam vitam christianorum: ita è diuerso blasphematur per enormia eorum peccata; præsertim si committantur impunè. Vnde apostolus ad Iudæum in lege & Dei cognitione gloriantem Rom. 2. *Per præuaricationem legis*, inquit, *Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes*, *sicut scriptum est*, videlicet Isaiæ 52. & Ezech. 36.

A Hunc finem indicauit Cyprianus in epistol. 37. ad Eucratium à quo de publico histrione, num in ecclesia tolerandus esset, consultus respondet: Quod puto ego nec maiestati diuinæ nec euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Propter hûc quoque finem in blasphemos peculiariter anathema vibratur, quales fuerunt *Hymenæus & Alexander* à Paulo *traditi satanæ, vt discerent non blasphemare.* Item in eos qui violentas manus inferunt sacerdotibus & alijs quibuscunque Deo dicatis personis. Vergit enim in Dei contu-
B meliam & contemptum iniuria ministris eius illata.

Secundus finis est aliorum qui in ecclesia sunt, custodia & conseruatio, ne exemplo ad similia facienda prouocentur. Peccata enim impunita in quacunque communitate facile reliquos præsertim infirmos pertrahunt ad imitationem vel saltem ad aliquam peccati communionem. Hinc apostolus incestuosum illum è medio ecclesiæ tollendum præcipiens, rationem hanc adfert: *Nescitis*, inquiens, *quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* 1. Corinth. 5. Similiter Galat. 5.
C eadem ratione præmissa subiungit: *Qui autem conturbat vos, portabit iudicium*, videlicet anathematis, de quo statim iterum subijcit: *Vtinam & abscindantur qui vos conturbant.* Huius finis sæpissime patres meminerunt, vt Cyprianus epist. 58. ad Pomponium: Ne, inquit, exemplum cæteris ad ruinas delictis suis facere incipiant. Et Augustinus de corrept. & grat. capit. 15. ita scribens: Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpeant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam, ab illo, cui nihil est impossibile ipsa forsitan separatione sanandam. Hanc rationem
D pluribus verbis exaggerat Innocentius 1. in epist. 91. & 93. apud Augustinum. Habet autem maximè ista ratio locum in hæreticis, de quibus ibi loquitur Innocentius, & de quorum doctrina dixit apostolus: Quòd *sermo eorum vt cancer serpit.* 2. Timoth. 2. eamque ob causam Hymenæum, Philetum & Alexandrum hæreticos à se excommunicatos significat.

Cæterùm notandum est hoc loco duos fines iam dictos non subsistere, si quando totam aliquam communitatem ita crimen aliquod inuoluerit vt metuenda sint schismata vel grauiora
E scandala, si in omnes eo crimine infectos feratur excommunicatio. Quocirca tunc ab excommunicando abstinendum est, & pijs apud Deum precibus alijsque oportunis remedijs agendum, vt tantum malum curetur. Vnde apostolus Paulus falsos fratres tolerare potiùs voluit quàm excommunicare, ne concitato schismate grauius malum inde oriretur. Sic enim infligenda est pœna vt pœna maneat, & ita adhibenda medicina vt non vertatur in perniciem. Qua cautela prælatis ecclesiæ vtendum esse multis locis admonet Augusti-
F nus, vt in lib. de fide & opi. capi. 2. 3. 4. & 5. vbi inter alia docet has scripturas: *Sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, &: *Peccantem coram omnibus argue*, & alias similes ita demum obligare, si vtilitas ecclesiæ id postulet, nec probabiliter timeantur deteriora. Idem docet lib. 3. contra epistolam Parmeniani capit. 1. & potissimùm cap. 2. vbi hanc habet sententiam: Quidquid sceleris & iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem. Postea verò scribit in hunc modum. Cùm quisque fratrum, id est, christianorum intus

in ecclesiæ societate constituturum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur, fiat hoc, vbi periculum schismatis nullum est. Et nonnullis interpositis ex euangelica parabola de zizanijs subiungit: Tunc autem hoc sine labe pacis & vnitatis & sine læsione frumentorum fieri potest, cùm congregationis ecclesiæ multitudo ab eo crimine quod anathematizatur, aliena est &c. Et post multa: Si contagio peccati multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est. Nam consilia separationis & inania sunt & perniciosa atque sacrilega, quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos. Et denique ita concludit: Quamobrem & illud apostoli (*cum eiusmodi nec cibum sumere*) nullo modo negligendum est, cùm sine periculo violandæ pacis fieri potest, quia nec ipse aliter fieri voluit, vt à congregatione bonorum separetur malus. Et eiusdem illud præcipuè attendendum est, *vt sufficientes inuicem diligentes custodire vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Item Domino in euangelio dicenti in illo obtemperare debemus vbi ait: *Si neque ecclesiam audierit sit tibi tanquam &c.* & in illo vbi prohibuit *colligi zizania ne simul eradicetur & triticum.* Potest enim vtrumque custodiri ab eis quibus dictum est: *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.* Hæc ille, qui etiam in epistola 50. ad Bonifacium comitem scripta pulchrè docet, vbi non huius aut illius est periculum sed populorum, detrahendum aliquid esse seueritati disciplinæ, quo maioribus malis sanandis charitas sincera subueniat. Et epist. 64. ad Aurelium: Seueritas, inquit, exercenda est in peccata paucorum. Quomodò autem cum multitudine peccantium agendum, ibidem pluribus verbis docet.

Portò his addendum similiter iam dictos duos fines deficere, si facilè & leuioribus ex causis excommunicatio infligatur. Vnde Tridentini concilij patres sess. 25. cap. 3. reform. ita statuunt: Quamuis excommunicationis gladius neruus sit ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobriè tamen magnaque circumspectione exercendus est; cùm experientia doceat, si temere aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni quàm formidari, & perniciem potiùs parere quàm salutem.

Tertius finis est correctio & salus eius qui excommunicatur. Hoc enim est quod apostolus ait: *In interitum carnis, vt spiritus saluus sit,* & alibi *vt discant non blasphemare.* Vnde & medicinalis vocatur excommunicatio à partibus etiam respectu eius qui excommunicatur, vt suprà dictum est.

Si quæras quî fieri possit, vt spiritualium bonorum subtractio cedat homini in salutem, & vt homo Satanæ traditus discat non blasphemare, cùm Satanas sit blasphemiæ magister; Respondetur id non fieri ex natura illius pœnæ qua bona spiritualia subtrahuntur, neque ex magisterio diaboli, sed per accidens; quatenus videlicet homo per corporalem illam separationem confusus & contristatus incipit cogitare & quid patiatur & propter quid, nempe quod separatus sit ab ecclesia, id est, à societate & communione sanctorum, & proinde in grauissimo salutis suæ periculo constitutus, quodque id patiatur propter peccatum in quo obstinatè persistit, quod proinde tunc ei displicere incipit. Fit enim vt quispiam percussus magno suo malo commoueatur, qui minori malo non mouebatur; si videlicet magnum illud malum sit ei notum, sitque apud homines ignominiosum. Itaque simili ferè modo excommunicatio reducit hominem ad sanam mentem, quo lex ducit ad Christum. Per legem enim augetur præuaricatio, qua aucta & deinde agnita propria imbecillitate mouetur homo vt ad Christi gratiam confugiat. Item sicut ijs qui obtusiori sunt ingenio, aliquid persuadetur deductione ad impossibile, id est, ad aliquid manifestè absurdum quod directa probatione persuaderi non poterat. Sic enim in manifestum periculum adductus quis per excommunicationem retrahitur à peccato, qui paternam correptionem priùs audire contemnebat. Nam sicut in intellectu se res habet: ita & in affectu. Verùm vt hunc finem excommunicatio consequatur, procedere debet ex charitate cum luctu & desiderio salutis eius qui excommunicatur, vt à Dei misericordia impetretur quod illius pœnæ natura in se non habet, quemadmodum Paulus fieri debere & à se factum esse significat 1. Corinth. 5. & 2. Corinth. 12. Vnde Augustinus de correp. & grat. cap. 15. dicit ouem morbidam à Deo cui nihil est impossibile; ipsa forsitan separatione sanandam esse. Et lib. 3. contra epistolam Parmeniani capit. 1. Cùm, inquit, ad talem vindictam necessitas cogit, humilitas lugentium debet impetrare misericordiam quam repellit superbia, nec illius ipsius qui de medio fratrum tollitur, debet negligi salus: sed ita agendum est, vt ei talis vindicta sit vtilis, & agendum voto & precibus si corrigi obiurgationibus non potest. Similia tradit capit. 2. Chrysostomus quoque homil. 15. in 1. Corinth. 5. & homil. 5. in 1. Timoth. 1. & in sermone de anathemate ostendit quomodo excommunicatio sit vtilis & medicinalis excommunicato.

§. 12. *Pro excommunicatis orandum esse.*

SAtis probant ea quæ proximè dicta sunt, pro excommunicatis orandum esse, vt per pœnitentiam correcti ad ecclesiam redeant. Si enim ex charitate procedendum est ad excommunicationem, & agendum vt ea sit excommunicatio vtilis & medicinalis, & vt proficiat sicut dicit apostolus *ad interitum carnis, & vt spiritus saluus sit in die Domini;* ergo Deus orandus vt hanc pœnam ei vertat in medicinam & salutem. Tantum enim bonum non sine oratione à Deo exspectandum est. Docet hoc sanctus Augustinus loco iam citato, monens agendum esse voto & precibus pro excommunicato vt ei talis vindicta sit vtilis. Idemque innuit serm. 16. de verbis Domini dicens: Noli illum iam deputare in numero fratrum tuorum, nec ideo tamen salus eius negligenda est. Et epist. 106 ad Paulinum: Aliter, inquit, diligimus Pelagium, aliter dileximus aliquando. Tunc enim quia nobis rectæ fidei videbatur, nunc autem vt ab ijs quæ inimica & aduersa gratiæ Dei sentire dicitur, illius misericordia liberetur.

S. Thom. sup. q. 21. ar. 1. ad 1.

Docet & Chrysostomus lib. 2. de sacerdotio admonens ad officium pastoris pertinere, vt nec

pro

pro abscissis curam intermittat, sed pro ijs quoque ad ecclesiæ gremium reducendis vigilet & Deum oret. Idem in serm. de anathemate multipliciter probat neminem mortalium sic anathematizandum vt ab oratione & spe salutis excludatur. Primò, quia Christus pro omnibus mortuus est. Secundò, quia Christum imitatur ecclesia pro omnibus preces fundens. Tertiò, quia solius Dei est, sic penitus abijcere hominem vt non relinquatur locus orationi, quod ipsum tamen non facit nisi post mortē. Quartò, quia apostoli sic eijciebāt contumaces ab ecclesia quasi erueretur esset oculus dexter, id est, cum magno luctu. Luctus autem est dolor de amissione rei dilectæ. Quintò, quia Paulus iubet etiam eos *qui resistunt veritati cum modestia corripi, si fortè det eis Deus pœnitentiam.* Sextò, quia Christus præcipit charitatem erga omnes. Postremò, quia etiam peculiariter præcepit orandum esse *pro inimicis, & pro persequentibus & calumniantibus nos*, nulla prorsus addita exceptione. Quocirca scripturæ generales quæ neminem dum viuit & in numero proximorum habendus est, à charitate & subinde ab oratione volunt excludi, probant etiam excommunicatos sic esse diligendos, vt & pro ijs orandum sit. Quod vsque adeo verum est, vt nec ab ijs orationibus quas fundit sacerdos ad altare, debeant excommunicati excludi. Nam apostolus 1. Timoth. 2. vult *obsecrationes, orationes, postulationes fieri pro omnibus hominibus*. Quem locum veteres inter quos Augustinus epist. 59. ad Paulinum, Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius in commentarijs exponunt de ijs precibus quæ à sacerdote Deo offeruntur in celebratione mysteriorum. & ita exponunt, vt in eo quod dicitur, *pro omnibus hominibus*, nullam admittant exceptionem. Quod idem clarè docet Cælestinus papa in epist. ad episcopos Galliæ cap. 11. His accedit Gelasius papa qui in epistola de vinculo anathematis dicit nullum esse peccatum pro quo non oret ecclesia. Et Ignatius qui in epistola ad Smyrnenses de hæreticis loquens, Tantùm, inquit, orate pro illis si fortè pœniteant.

Denique tota ecclesia publicè in die parasceues orat nominatim pro hæreticis & schismaticis; quos haud dubiè constat esse ipso iure excommunicatos.

Probatur itidem & hac ratione: Non est subtrahenda excommunicatis admonitio, increpatio, veritatis & pœnitentiæ prædicatio; ergo nec oratio. Siquidem is qui corripit delinquentem sicut & qui prædicat euangelium, debet suæ correptionis & prædicationis prouentum à Deo per orationes expectare, quemadmodum in lib. de correp. & grat. docet Augustinus.

Præterea valent ad hoc probandum quæ suprà ad dist. 12 dicta sunt de causis & personis pro quibus offerendum sit missæ sacrificium: Et generaliter quæcunque docent de nullius hominis salute in hac vita desperandum esse, & à dilectionis officijs inter quæ promptissimum ac præcipuum est, quod orando præstatur, neminem esse excludendum. Quorum illud ad dist. 43. lib. 2. istud ad dist. 28. & 29. lib. 3. à nobis probatum fuit.

§. 13. *Responsio ad ea quæ solent obijci.*

AD ea nunc breuiter respondendum quæ solent in contrarium obijci, quorum primum est: Excommunicatus eo ipso priuatus est communibus ecclesiæ suffragijs, vt ex supradictis patet; ergo fideles pro eo orare non debent. S. Thom. ibidem.

Secundum: Membri abscissi nulla amplius geritur cura, ergo pro præciso non est orandum.

Tertium: Excommunicatio est maxima pœna quam inferre potest ecclesia, teste Augustino lib. de correp. & grat. cap. 15. ergò excludit etiam ab orationibus fidelium.

Quartum: Excommunicato rectè cum apostolo dicitur anathema, maranatha, 1. Corinth. vltimo, id est, execrabilis donec dominus veniat ad iudicium: ergo non est orationibus agendum vt reuocetur.

Quintum: Augustinus serm. 49. de verbis Domini: Potens est Christus, inquit, etiam infirma membra sanare, dum tamen non nimia impietate præcidantur, sed hæreant corpori donec sanentur. Quicquid enim adhuc hæret corpori, non desperatæ sanitatis est; quod autem præcisum fuerit, nec curari, nec sanari potest: ergo secundùm Augustinum nec pro tali orandum est.

Sextum: Beda serm. feriæ sextæ in capite ieiunij dicit esse quædam peccata in fratribus, id est, Christianis inimicorum persecutione grauiora, pro quibus non sit orandum, iuxta illud 1. Ioan. 5. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* Tale autem peccatum interpretatur cum quis post agnitionem Dei fraternitatem oppugnat. Vnde putat apostolum Paulum propterea non orasse pro Alexandro ærario 2. Timoth. 4. quia iam frater erat & ad mortem, id est, inuidentiam fraternitatem oppugnando peccauerat. Quam suam sententiam ferè verbo tenus desumpsit ex Augustino lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 22.

Septimum: Bernardus tract. de gradibus humilitatis cap. vltimo vult nos tantùm gemere & plorare pro excommunicatis, non autem orare; idque exemplo Marthæ sororis Lazari quæ pro fratris sui resuscitatione non ausa fuit orare Dominum, sed tantùm dixit: *Scio quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus*; imò quasi desperans dixit, *Domine iam fœtet, quatriduanus enim est.*

Octauum: Innocentius 3. in decretalibus cap. à nobis & cap. sacris de sententia excommunicationis docet non offerri sacrificia pro excommunicatis.

Postremò ad probandum quod saltem publicè pro excommunicatis orare non liceat, proferunt alia verba Bernardi ex loco iam citato, vbi tandem de excommunicatis ita pronunciat, & quasi seipsum exponit dicens: Absit à nobis vt etiam pro talibus, etsi palam non præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus: cùm Paulus eos quoque lugeret quos sine pœnitentia mortuos sciret. Etsi enim à communibus orationibus ipsi se excludunt, sed ab affectibus omnino non possunt. Videtint tamen in quanto periculo sint pro quibus ecclesia palam orare non audeat, quæ fidenter etiam pro Iudæis, pro hæreticis, pro gentibus orat. Cùm enim in parasceue nominatim

A oretur pro quibuslibet malis, nulla tamen mentio fit de excommunicatis. Hæc Bernardus.

Possent & alia nonnulla obijci sed quæ dudum dissoluimus, cùm de sacrificio missæ ageremus ad dist. 12. Quod enim de oratione quæritur, hoc similiter de oblatione quæri potest. Igitur ad proposita argumenta sic respondemus.

Ad primum quidem, eum qui excõmunicatur, non priuari omnibus ecclesiæ seu fidelium orationibus & suffragijs, sed cõmunibus duntaxat, id est, ijs quæ fiunt pro corpore ipsius ecclesiæ, vel certis eius membris. Alioqui nihil vetat in ecclesia tum
B priuatim tum etiam publicè fieri tales orationes quæ sicut infideles & alios qui sunt extra ecclesiam, ita etiam excõmunicatos cõprehendant. Nam quod quidam dicunt ecclesiam in die parasceues pro hæreticis & schismaticis orantem, tum eos ad horam quoad illum effectum ab excommunicatione absoluere, non videtur verum, nec consentaneum intentioni ecclesiæ, quandoquidẽ & aliàs ecclesia vtitur precibus publicis quarum generalitate excommunicati contineantur; velut in tribus primis partibus orationis dominicæ, & quando Deum orat, vt & merito & numero populus ei seruiens
C augeatur: & in canone missæ, cùm orat vt ecclesiam suam Deus adunare dignetur, & quandocunque generaliter orat pro peccatoribus.

Ad secundum, non per omnia consistere similitudinem inter corpus humanum & mysticum. Nam nec membri emortui dum corpori adhuc coniunctum est, habetur cura vt reuiuiscat. Quod tamen faciendum non dubitatur in corpore mystico. Plus enim potest spiritus sanctus in corpore Christi quod est ecclesia, quàm possit anima in corpore naturali. Vnde sicut curatione manus aridæ & resuscitatione puellæ in domo, significata fuit reparatio eorum qui intra ecclesiam mortui sunt; ita
D restitutione auriculæ abscissæ, & resuscitatione adolescentis extra portam elati significata est restitutio eorum qui ab ecclesia separati seu extra ecclesiam sunt eiecti.

Ad tertium: Excommunicatio maxima pœna est quam inferre potest ecclesia. Neque enim potest aut debet prohibere, ne oretur pro excommunicatis, cùm ad hoc faciendum lege Christi fideles teneantur. Soli verò damnati ita penitus sunt anathematizati, vt nec pro ijs orare liceat, quemadmodum in sermone de anathemate docet Chryso-
E stomus. Imò nec videtur prohibere posse quò minus sacerdos ad altare pro excommunicato oret & sacrificet, cùm effectus incruenti sacrificij sicut & cruenti quoad causas & personas sit vniuersalis, qui proinde humana prohibitione restringi non debeat.

Ad quartum: Apostolus non loquitur peculiariter de excommunicato, neque prohibet orari pro eo cui dicit anathema; sed annunciat futurum iudicium in tales nisi resipiscant, quod vniuersaliter ad omnes malos referri potest.

Ad quintum: Augustinus comparationem
F membrorum corporis non ad hoc inducit, vt doceat excommunicatos prorsus non posse restitui, sed vt ostendat quàm id sit difficile & rarum in corpore mystico, quod in corpore naturali penitus est impossibile.

Ad sextum: Ea verba quæ ex Augustino Beda desumpsit, ipse Augustinus lib. 1. retract. cap. 19. ita retractat, vt addi velit, si tamen in hac tam scelerata mentis peruersitate finiunt hanc vitam. Quoniam, inquit, de quocunque pessimo in hac vita constituto non est vtique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. De peccato autem ad mortem, diximus ad dist. 43. lib. 2. & quòd ea sententia Ioannes non omnẽ excludit orationẽ. Ita testatur catechismus ad parochos, titulo pro quibus orandum. In ijs autem qui peccare dicuntur ad mortem, vix quicquam precibus votisque proficitur: veruntamen est Christianæ charitatis & precari pro illis & lachrymis contendere, vt eis possint reddere pacatum Deum.

Ad septimum: Bernardus satis se declarat significans quòd ploratus ille & gemitus non est sine oratione cordis. Vnde inter alia dicit: Sic melius tanquam non orantes eramus, sic efficacius tanquam diffidentes confidimus. Sed manifestiùs Bernardi mentem aperiunt verba in postremo argumento recitata.

Ad octauum: Canones illi prohibent oblationes & orationes publicè fieri pro defunctis excommunicationis vinculo obligatis, etiamsi pœnitentiam egerint ante mortem, nisi priùs fuerint ab excommunicationis vinculo absoluti. Cuius ratio est, quia orationes illæ non fiunt vt quis ad ecclesiam redeat, sed præsupponunt eum pro quo fiunt, esse in ecclesia. Et proinde præcedere eas debet absolutio ab excommunicatione.

Ad postremum: Bernardus tantummodo negat ecclesiam in publicis precibus orare nominatim pro excommunicatis, dicendo videlicet, oremus pro excommunicatis, quo modo orat pro Iudæis, hæreticis &c. Huius vna ratio est, quia excõmunicatio non est culpa sed pœna; tunc autem orat ecclesia nominatim pro certis impiorum generibus; cuiusmodi sunt pagani, hæretici, schismatici, Iudæi. Vnde sicut excommunicatos non nominat, ita nec suspensos, degradatos, quæ nomina similiter pœnam significant. Et hanc rationem ipse Bernardus suis verbis suggerit, dicens, quòd cùm in parasceue nominatim oretur pro quibuslibet malis, nulla tamen mentio fit de excommunicatis; quia scilicet excommunicati vt tales, non sunt mali sed miseri. Altera, quia cùm excommunicatio sit nomen extremæ pœnæ ab ecclesia inflictæ, ad eam quoque pertinet, vt quamuis excommunicati à publica oratione non sint excludendi, non tamen publicè nominandi sint; scilicet vt hac ratione magis confundantur, velut quos in publicis orationibus nec nominare quidem ecclesia dignetur.

Cæterùm quod ad fiduciam impetrandi attinet, si audet ecclesia orare pro perfidis Iudæis quorum notissima est pertinacia: item pro hæreticis & schismaticis, qui & sunt excommunicati & multis excommunicatis peiores, imò omnium excommunicatorum pessimi, non video cur non etiam similiter auderet nominatim orare pro excommunicatis, si alioqui id faciendum putaret. Cur autem id non faciat, iam dictæ sunt rationes.

§. 14. *Penes quos sit excommunicandi potestas.*

Excommunicandi potestatem vtrùm soli habeant sacerdotes, quæri potest. Ita enim quibusdam visum fuit ob has rationes. *S. Tho. q. 22 per totam.*

Primò, quia excommunicandi potestas, sicut est potestas ligandi peccatorem, ita & retinendi peccata; excommunicans enim ligat & retinet, vti testatur Chrysostomus homil. 15. in 1. Corinth. 5. Atqui retinendi potestas solis competit sacerdotibus, quem-

quemadmodum & remittendi. Solis enim ijs dictum est: *Quorum remiseritis &c.*

Secundò: Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 2. Dominus, inquit, par ius & soluendi esse voluit & ligandi, qui vtrumque pari conditione permisit, ergo qui soluendi ius non habet, nec ligandi habet &c. Et paulo post Ius enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Ac deinde eam ligandi & soluendi potestatem probat per scripturam Ioan. 20. *Quorum remiseritis &c.* quæ cùm ad solos pertineat sacerdotes, consequens videtur & dictam potestatem ad eos solos pertinere.

Tertiò: Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 6. damnat doctrinas omnes quæ ad alios quosuis homines præter episcopos & sacerdotes clauium ministerium Matth. 18. & Ioan. 20. significatum perniciose extendunt.

Quartò: Burchardus ex pœnitentiali Theodori lib. decretorum 11. cap. 15. dicit eorundem esse sacrificare quorum est ligare & soluere.

Postremò: Si potestas excommunicandi potest communicari non habentibus ordinem sacrum, consequens videtur eam non esse potestatem diuinam, sed humanæ duntaxat institutionis, cuiusmodi est potestas excludendi aliquem è numero ciuium vel militum, vel simili humana societate.

Porrò qui sunt huius opinionis dicunt eos qui sacerdotes non sunt, si præfecturam in ecclesia gerant, hactenus duntaxat suos subditos excommunicare posse, quia possunt eos arcere à communione sacramentorum, & ab externo cœtu & conuersatione fidelium, non tamen animam obligare, neque Satanæ tradere, id est, simpliciter ab ecclesiæ corpore abscindere. Hoc enim tanquam diuinum quiddam & supernaturale volunt esse sacerdotibus proprium.

Verùm hæc opinio destruitur per argumenta quibus diuersa doctrina comprobatur: videlicet neque omnibus neque solis sacerdotibus competere excommunicandi potestatem, sed omnes episcopos iurisdictionem habentes, etiamsi non sint consecrati & in vniuersum omnes prælatos habere potestatem excommunicandi suos subditos; & quidem ita propriè & generaliter, vt à totius ecclesiæ corpore sint præcisi, & in tota ecclesia haberi debeant excommunicati. Cuius doctrinæ ratio est quia cùm duplex sit forum, ecclesiasticum scilicet & exterius; in foro quidem interiori quod & forũ pœnitentiæ & conscientiæ dicitur, in quo peccator propria confessione se accusat coram Dei vicario, ligare & soluere nemo potest, nisi qui præter potestatem iurisdictionis etiam habeat potestatem ordinis, nimirum sacerdotalis: Exteriori autem foro in quo sicut in foro ciuili secundùm dicta & allegata testium condemnatur quis vel absoluitur, ligare & soluere potest quicunque externi fori habet iurisdictionem, siue consecratus siue non. Huiusmodi sunt summus pontifex, cæterique episcopi iurisdictionem habentes, ita concilia generalia & prouincialia, archidiaconi, archipresbyteri, abbates, & alij monasteriorum præfecti imò & parochi interdum in casibus à iure concessis, & omnium horum vicarij ex commissione; ita vt non tantùm simplici cuicunque clerico, verùm etiam laico videatur hæc potestas communicari posse. Cùm enim ea non requirat ordinem ecclesiasticum, clericatus autem seu prima tonsura tantùm sit iuris humani, nihil prohibere videtur quò minùs alicui non clerico committi possit. Quod quidem de absolutione excommunicati minùs dubitatur. Potest enim laicus in articulo necessitatis excommunicatum absoluere. Vnde tradunt historiæ quendam excommunicatum cum in periculo maris catechumenum baptizasset, mox ab eodem fuisse absolutum. Quòd autem excommunicandi potestas ad forum pertineat externum, ex euangelio manifestum est, vbi iubetur excommunicatus haberi tanquam ethnicus & publicanus. Ob quam etiam causam non infligitur excommunicatio à iudice nisi pro publicis criminibus, neque à lege nisi pro peccatis aliquo modo externis

Hanc doctrinam confirmat authoritas Clementis & Cypriani, quorum ille lib. 8. constitutionũ apostolicarum diacono tribuit excõmunicandi potestatem, hic verò epist. 8. diacono committit potestatem excõmunicatum absoluendi. Quibus accedit Augustinus qui lib. . contra epistolam Parmeniani cap. . testatur non modò episcopum sed & clerum eius & alios præpositos hanc excommunicandi potestatem exercere. Imò videtur id probari posse ex apostolo qui 1. Corinth. 5. ita scribit: *Iam iudicaui eum qui sic operatus est, congregatis vobis & meo spiritu tradere huiusmodi Satanæ &c.* Et in fine capitis: *Auferte malum ex vobis ipsis.* Similiter autem de eiusdem excommunicati absolutione scribit in 2. Corinth. . quasi videlicet tam excommunicandi quàm in ecclesiam recipiendi potestas Corinthijs communicata.

Denique probatur perpetua praxi ecclesiæ quæ non modò per sacerdotes, verùm etiam per alios prælaturam ouium Christi habentes excommunicandi potestatem exercet, nihil distinguens inter excommunicationem à sacerdote vel non sacerdote latam quod ad pœnæ grauitatem & potestatis perfectionem attinet, quia nimirum non agnoscit hic characterem ordinis necessarium, sed solùm externi fori iurisdictionem. Vnde illud quoque clarum est hanc potestatem non esse penes eos qui excommunicati, vel aliàs à iurisdictione suspensi sunt, nisi fortè excommunicatio lateret, quia cùm hæc sint iuris positiui, non censetur ecclesia iudices vti nec in foro pœnitentiæ sacerdotes vsu iurisdictionis per excommunicationis censuram priuare, nisi in casibus quibus iuxta decretum Const. sunt euitandi. Quod quidem necessariò constitutum est propter bonum commune fidelium. Nam si actus excommunicatorum quorum excommunicatio latet, irriti essent, magna inde nasceretur conscientiarum perturbatio. Quocirca tales excommunicati etsi coram Deo præcisi sint, nec ad interiorem ecclesiastici corporis societatem pertineant, quadantenus tamen, nempe secundùm exteriorem formam adhuc ecclesiæ cohærent; ideoque rata sunt quæ per eos geruntur ecclesiastica ministeria, licèt ipsi ea administrando grauiter peccent.

Sed nunc ad argumenta in contrarium. Itaque ad primum respondetur, non prorsus eandem potestatem significari apud Matth. 18. & Ioan. 20. Siquidem apud Ioannem potestas remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, sacerdotibus communicata est, quemadmodum docet Tridentina Synodus sess. 4. cap. 1. Quæ potestas foro pœnitentiæ propria st. Apud Matth. verò significata est potestas ligandi hominem extra ecclesiam per excommunicationem & ab ea soluendi; tametsi, vt valde probabile st, non sola Hæc igitur potestas cùm pertineat ad forum exterius, competere & committi potest etiam non sacerdotibus.

Porrò Chrysostomus retinendi vocabulum extendit ad actum fori exterioris, videlicet excommunicationem: sicut è contrario Ambrosius in eo quod secundo loco obijciebatur, ius soluendi & ligandi proprium sacerdotibus intelligit quod in foro pœnitentiæ exercetur. Disputat enim contra Nouatianos qui negabant ius ecclesiæ ad reconciliandos pœnitentes. Eodem modo intelligendum est quod ex Theodoro & Burchardo afferebatur; valent enim huiusmodi sententiæ ad probandum quòd solus sacerdos sit sacramenti pœnitentiæ minister.

Ad tertium, respondetur synodum damnare eorum doctrinam qui verba euangelica ad omnes Christi fideles indifferenter & promiscuè pertinere putant. Quod & subiectis verbis apertè declaratur & in canone 10. eiusdem sessionis repetitur. Quamquam etiam fatemur ministerium clauium, id est, eius potestatis quæ antonomasticè clauium nomine significari solet ad solos pertinere sacerdotes, vti sub initium huius distinctionis admonuimus. Sunt enim claues illæ sacramentales, de quibus eo loco agit synodus.

Ad postremum: Dubitari non debet quin excommunicandi potestas diuina sit, perinde atque potestas remittendi peccata. Primùm, quia vtraque effectum habet spiritualem & supernaturalem, ad quem institutio merè humana pertingere nequeat, quemadmodū ex ijs pro vtriusque potestatis assertione suis locis diximus, planè intelligitur. Neque enim solùm sacramenta Christus instituit, & ijs se adfuturum promisit, verùm etiam potestatem eijciendi & recipiendi intra ecclesiam præfectis ecclesiæ tradidit, eorumque sententiam approbaturum se promisit, teste Hieronymo in Matth. 18. Vnde tamen non sequitur solis sacerdotibus hanc potestatem perinde vt illam competere, quia in ecclesia diuisiones sunt gratiarum & ministrationum iuxta apostolum 1. Corinth. 12. & alia est potestas ordinis, alia potestas iurisdictionis. Itaque solis quidem sacerdotibus forum pœnitentiæ ex diuina institutione commissum est, at non solis administratio fori exterioris, cùm nulla ratio cogat neminem posse iurisdictionem ecclesiasticam in foro exteriori exercere, qui non sit sacerdos.

§ 15. *Propter quæ peccata ferenda sit excommunicatio.*

S. Thom. sup. q. 21. ar. 3. & 4.

EXcommunicatio nemini infligenda est nisi ob peccatum mortale. Cuius ratio est, quia propter ea sola quis eijciendus est extra ecclesiam, propter quæ quis excluditur à regno cælorum. Neque enim debet ecclesia eum à se separare quem Deus à regno suo non excludit. Imò cùm ipsa ecclesia in terris militans vocetur in euangelio regnum cælorum, incongruum est, vt quis extra hoc regnum eijciatur qui ob præsentem iustitiam dignus est ascribi numero ciuium regni celestis, id est ecclesiæ triumphantis.

Item non debet ecclesia foras proijcere amicos & filios Dei & templa spiritussancti, cuiusmodi sunt omnes iusti.

Alia ratio, quia meritò crudelis haberetur medicus qui ad tollendam leuem quampiam corporis intemperiem, vteretur potentissimo pharmaco; vel Chirurgus si membrum non desperatæ sanitatis, imo simpliciter sanum etsi leui affectione laborans amputaret à corpore. Quare similiter iniusta foret excommunicatio quæ ob culpam venialem curatu facilem, aut certè tolerabilem, quæque sanitatem animæ non tollit, infligeretur.

Potissima verò ratio sumitur ex fine excommunicationis. Si enim præcipuus excommunicationis finis est, ideo tollere malum de medio ne modicum fermentum totam massam corrumpat, vt ait apost. 1. Corinth. 5. non potest autem corrumpi corpus ecclesiæ, imò nec vnum ecclesiæ membrum per veniale peccatum, non debet igitur ob solum veniale quisquam excommunicari.

Quam doctrinam scriptura quoque non obscurè nobis insinuat Matth. 18. Cùm enim dicat dominus, *lucratus eris fratrem tuum*, haud dubiè de peccato loquitur per quod frater perierat, quemadmodum hoc & Augustinus interpretatur serm. 16. de verbis Domini. Deinde in eo quod dicitur, *si ecclesiam non audierit*, inobedientiæ peccatum genere suo mortale significatur. Et rursus in eo quod sequitur: *Sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Hæc enim nomina significant eos qui versantur in statu peccati mortalis. At neque apostoli aliter vsi vnquam leguntur hac potestate. Nam 1. Corinth. 5. incæstuosus excommunicatur, & 1. Timoth. 1. hæretici Satanæ traditi referuntur, & Galat. 6. Iudaismum docentes abscissione digni iudicantur, & 2. Corinth. 12. varijs criminibus obnoxij excommunicandi censentur. Quare rectissimè constitutum est in concilijs Meldensi & Aluernensi, quorum canones recitantur à Gratiano 11. quæst. 3. cap. nemo episcorum & cap. nullus sacerdotum, non ex leuibus causis sed pro solis peccatis mortalibus quemquam excommunicari oportet. Quæ quidem canonum constitutio non aliud quàm diuini iuris interpretatio quædam est.

Sciendum est autem vsque adeo ad incurrendam excommunicationem requiri peccatum mortale, vt sine eo nunquam reuera incurratur, licèt interdum contingat per errorem, vel ob falsam præsumptionem, vel alia ratione in eum qui non peccauit mortaliter, à iudice ferri sententiam excommunicationis. Quo casu ad vitandū scandalum subtrahere quidem se talis debet ab externo cœtu fidelium, non tamen priuatur ecclesiæ suffragijs, quia ad interiorem ecclesiastici corporis societatem non desinit pertinere. Cuius rationem ex iam dictis facile est colligere. Neque enim approbat Deus sententiam qua viuum & sanum & vtile membrum à corpore amputari pronunciatur.

Iam verò notandum vlterius est ad excommunicationem non sufficere peccatum mortale, nisi coniunctum habeat inobedientiæ peccatum quo quis nollet audire ecclesiam de illo peccato monentem. Christus enim non aliter dedit potestatem excommunicandi, nisi cùm is qui peccauit ecclesiam audire noluerit. Nec prius habendus est qui peccauit tanquam ethnicus & publicanus, quàm ad illum maliciæ gradum peruenerit, de quo dicit Dominus, *si ecclesiam non audierit*. Hinc autem rursū colligitur eum qui non peccauit mortaliter contra obedientiam ecclesiæ, licèt alioqui mortale peccatum admiserit, nullam incurrisse coram Deo excommunicationem; quia nondum in eo locum habet illud: *si ecclesiam non audierit*, quod ad ratam excommunicationis censuram necessarium est. Quotiescunque ergo siue à lege siue ab homine sub pœna excommunicationis aliquid præcipitur, intelligitur peccatum mortale esse tali præcepto non obedire, etiamsi eius transgressio aliàs & secundùm se non esset mortalis. Cùm enim ecclesiastici prælati

sint

A sint iudices in spiritualibus, eo ipso quo sub tali pœna quidpiam præcipiunt, constituunt illud ita necessariò agendum vt eius omissio sit mortalis; cuius exemplum videre est apud Cyprianum epist. 58. ad Pompunium. Atque ita omnino de eiusmodi præceptis æstimandum est, nisi de errore vel abusu constiterit.

Præter hæc notandum, quòd quamuis pro quocunque peccato mortali accedente contumacia teneat excommunicationis sententia si lata fuerit, non tamen ferri eam debere nisi pro grauioribus atque enormibus criminibus. Vnde Paulus priusquam incæstuosum Satanæ traderet, criminis B illius atrocitatem exaggerauit dicens: *Auditur inter vos fornicatio qualis nec inter gentes.* Et Augustinus de correpτ. & grat. cap. 15. non quascunque culpas mortales vult excommunicatione puniri; sed corripiantur, inquit, à præpositis suis fratres correptionibus pro culparum diuersitate diuersis, vel minoribus, vel amplioribus. Et subiungens excommunicationis pœnam in ecclesia esse maximam, significat eam non nisi pro grauioribus criminibus infligendam esse, & non nisi necessitate cogente ad talem vindictam veniendum esse, quemadmodum C idem ipse ait lib. 3. contra epist. Parmeniani cap. 1. Cæterùm hanc rem apertiùs tradit Prosper lib. 2. de vita contemplatiua cap. 7. his verbis: Ea autem crimina quorumlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus vndecunque claruerint, quæcunque non fuerint patientiæ leui medicamento sanata, velut igni quodam piæ increpationis vrenda sunt & curanda. Quòd si nec sic quidem æquanimiter sustinentis ac piè increpantis medela profecerit in eis qui diu portati & salubriter obiurgati corrigi noluerint, tanquam tres corporis partes debent D ferro excommunicationis abscindi &c. Quibus verbis ostendit neminem nisi incorrigibilis appareat, excommunicandum esse, idque consentire cum doctrina euangelica Matth. 18.

Porrò quatenus rectè vel non rectè pro damnis temporalibus infligi possit excommunicatio, grauiter docet Tridentina Synodus sess. 25. cap. 3. reform. vbi inter cætera mandat iudicibus ecclesiasticis, vt quandocunque executio realis vel personalis ab ipsis fieri potest, abstineant à censuris ecclesiasticis, ne videlicet ob nimiam facilitatem & frequentiam abeant in contemptum.

Postremò sciendum est, pro nullo peccato E prætetito quantumlibet enormi, cuius nulla præcesserit monitio sub excommunicationis pœna, posse eam excommunicationis pœnam infligi. Quod adeo verum est, vt absque illa præuia monitione excommunicatio sit inanis & irrita. Ratio ex superioribus manifesta est quia nulla est excommunicatio in eum qui ecclesiæ admonenti non fuerit inobediens; atqui nullum censeri potest inobedientiæ peccatum nisi admonitio præcesserit. Vt igitur inobedientiæ peccatum sit eiusmodi ob quod ferri possit excommunicationis sententia, oportet, F vt sub excommunicationis comminatione præcesserit admonitio, vel à iure vel ab homine. Et quidem si facta fuerit à iure (quod alio modo dicitur à lege, sine à canone) non opus est vt sit bina vel trina, quia admonitio iuris est solennis ideoque trinam admonitionem facile supplet, & tantundem vel plus etiam valet. Vnde qui contra admonitionem iuris in peccatum quod sub anathemate latæ sententiæ prohibetur, impingit, inobediens censetur, ideoque eo ipso excommunicationem incurrit. Ea verò quæ fit à iudice propter maturitatem iudicij quæ ante excommunicationem est necessaria, trina esse debet, vt exploratum fiat, an tanta sit subditi contumacia quæ digna sit tam graui pœna. Hæc autem trina admonitio sacris canonibus confirmata fundamentum habet in euangelio, vbi frater peccans iubetur primùm corripi seorsim, deinde adhibitis testibus, ac postremò denunciari ecclesiæ; quam si audire contempserit aut renuerit, tum demum vinculo excommunicationis alligandus est per eiusdem ecclesiæ sententiam, vt ita haberi debeat tanquam ethnicus & publicanus.

Ex dictis non videtur difficile respondere ad quæstiones quæ de ignorantia facti vel iuris hic moueri possunt.

Primùm enim quisquis Inuincibiliter ignorat factum quod excommunicationis censuræ subiectum est, etiamsi factum illud committendo grauiter peccet, à censura tamen ipsa excusatur. Ita apertè docet Alexander 3. in cap. si verò extra de sententiâ excommunicationis, dicens eum excommunicatione non innodari qui percusserit illum quem ignorabat esse clericum. Quod de ignorantia probabili glossa ibidem exponit. Ratio autem est, quia non facit contumaciter qui nescit se facere. Eam autem vocamus inuincibilem seu probabilem ignorantiam, quam quis non potest, vel non tenetur vincere.

Secundò. Quisquis excommunicationem à iudice latam inuincibiliter ignorat, durante ea ignorantia, licèt impingat in id quod prohibitum est, non tamen excõmunicationem incurrit. Idem iudiciú est de statuto iudicis ordinarij annexâ excommunicationem habente, si inuincibiliter ignoretur ab eo qui contrà fecerit. Ratio est quia non censetur præmonitus qui probabiliter ignorat. Et clara est hac de re constitutio Bonifacij 8. in sexto de constitutionibus, vbi sic habetur: Vt animarum periculis obuietur, sententijs per statuta quorũcunq; ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.

Tertiò. Quisquis ignorat inuincibiliter commune ius ecclesiasticum, quo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ quidpiam prohibetur, quamdiu ea durat ignorantia, non incurrit excommunicationem, si contra fecerit, quamuis sciat id quod agit, prohibitum esse quocunque iure etiam naturali & diuino. Ratio eadem est, quia nimirum non potest dici præmonitus, & proinde nec iudicari monenti ecclesiæ inobediens, qui mandatum ecclesiæ sic præcipientis inuincibiliter ignorat. Ex his propositionibus, velut fundamentis procliue fuerit respondere ad multa particularia quæ circa periculum incurrendæ excommunicationis quæri possunt.

§. 26. Quatenus vitandi sunt excommunicati.

DE vitandis excommunicatis videndum quid sit iuris diuini, & quid iuris ecclesiastici. Ius diuinum tradidit nobis Christus Matth. 18. dicens: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, id est, reputetur tanquam qui non sit de ecclesia, sitne de numero fidelium. Imò talem agnoscere se ex eodem iure diuino tenetur ipse excommunicatus. Verùm hæc Christi sententia nunc commouet excommunicatum magis esse vitandum quàm hominem ethnicum aut publicanum. *S. Thom. suppl. q. 23 per totam.*

A Item iuris diuini est, vt quisque fidelis alienus sit à crimine propter quod aliquis est excommunicatus; nam nec alij cuicunque peccato communicare licet. Vnde in tantum quisque tenetur excommunicatum, imò alium quemcunque malum hominem vitare, in quantum id ei necessarium est ad hoc, vt peccato eius non communicet. Hinc Apocalyp. 18. generaliter dicitur de Babylone, id est, societate malorum: *Exite de illa populus meus vt ne particeps sitis delictorum eius*. Eodem preterea iure nec licet excommunicatis administrare sacramenta; cùm enim sint ab ecclesia præcisi, nullo modo tradi eis possunt sacramenta fidelibus propria. Siquidem B baptismi sacramentum quod datur catechumenis, repeti non potest.

Denique præcipit fidelibus apostolus Paulus 1. Corinth. 5. ne commisceantur certis quibusdam criminosis, & vt cum eiusmodi nec cibum sumant, & 2. Thess. 3. denunciat eis, vt subtrahant se ab omni fratre ambulante inordinatè, & verbo suo obedire nolente, & vt cum talibus ne commisceantur, id est, commercium habeant, & ad Titum 3. *Hæreticum*, inquit, *hominem post vnam & secundam correptionem deuita*. Ioannis quoque apostoli nota sententia est in 2. epistola: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in* C *domum, nec aue ei dixeritis*. At verò hæc apostolica præcepta tantum obligant, quantum requirit fidelium salus, conuersio excommunicati, & vitatio scandali. Quarum trium rationem spectauit Paulus dicens 1. Corinth. 5. & Galat. 5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*. Quò etiam pertinet illud 1. Corinth. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*. Sed hæc ratio etiam aliquousque locum habet in infidelibus de quibus loquens idem apostolus 2. Corinth. 6. ita præcipit: *Propter quod exite de medio eorum, & separamini*. Et tamen non eandem prorsus D de istis esse rationem iam antè ostenderat in 1. Corinth. 5. dicens: *Scripsi vobis ne commisceamini fornicarijs, non vtique fornicarijs huius mundi &c. alioquin debueratis, de hoc mundo exisse*. Vnde manifestè monstratur magis vitandum esse excommunicatum quàm ethnicum seu infidelem etiamsi propalam criminosè viuat. Alteram rationem spectauit, quando ait scribens ad Thess. *Ne commisceamini cum illo, vt confundatur*. Tertiam simul & primam indicasse videtur Ioannes dicens: *Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis*; videlicet vel reipsa, E vel aliorum opinione, eò quòd frequens communicatio externa amicitiam, amicitia morum & animorum similitudinem, atque consensum arguere soleat. Ad hunc ferè modum intelligit & explicat hæc scripturæ loca August. lib. 3. contra epist. Parmeniani cap. 2.

Cæterùm rationes iam dictæ etsi non perpetuò nec in omnibus locum habeant, quoniam tamen plærumque & ferè semper subsistunt, si non omnes, saltē earum aliqua, hinc est quòd iam inde ab initijs ecclesiæ per ecclesię prefectos statutū fuerit, vt omnes F fideles simpliciter abstinerent à commercio cum excommunicatis, etiam in negocijs ciuilibus adeo vt lex ista ecclesiastica ad diuinā proximè accedat. Qua de re videre est canonē 11. primi concilij Nicæni & decreta Fabiani & Callisti pontificum & sententiam Isidori, quæ recitantur apud Gratianum 11. quæst. 3. vbi inter cætera dicitur statutum esse apostolorum cum excommunicatis non esse communicandum.

Verùm huius legis ecclesiasticæ generalitatem restrinxit decretum concilij Constantiensis, in quo ad euitandum scandala & multa pericula quæ conscientijs timoratis contingere possunt, constitutum est neminem teneri ad vitandum excommunicatos, nisi his duobus casibus; si videlicet, vel sint nominatim excommunicati, vel sint percussores clericorum adeo notorij, vt factum non possit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio excusari. Quæ constitutio vsque in hodiernum diem in ecclesia viget, non obstante quadam extensione facta in concilio Basiliensi sess. 20. cuius authoritati propter schisma non defertur. Hinc ergo sequitur, quòd si quis certus sit aliquem esse excommunicatum, quia nimirum vidit eum id facere quod sub pœna excommunicationis erat prohibitum, & scit nullum esse excusationi locum, non tamē tenetur illum euitare quantum ad ius ecclesiasticum attinet, si neque nominatim excommunicatus, neque notorius clerici percussor fuerit. Dico quantum attinet ad ius ecclesiasticum. Nam fieri potest, vt iure naturali & diuino teneatur propter aliquam ex rationibus supradictis. Obtinet autem ea non euitandi libertas tam in sacris quàm extra sacra, adeo vt etiam sacramenta à tali excommunicato suscipere & missam eius audire, imò & sacramenta ei publicè petenti si factum est occultum, administrare liceat. Quæ doctrina etiam in hæretico locum habet. Nam nec eum tanquam excommunicatum vitare iure ecclesiastico tenentur fideles, donec fuerit condemnatus de hæresi. Eo enim ipso quo quis hæreseos crimine condemnatur, censetur nominatim excommunicatus.

Iam si quæritur quatenus vel in quibus vitandi sint à fidelibus excommunicati, secundùm duas iam dictas species respondetur iuxta decreta pontificum quæ habentur 11. quæst. 3. ante omnia vitandos esse in sacris actionibus, ita vt nec cum illis orandum sit, siue publicè siue priuatim, nec coram illis missæ aut diuina officia celebranda, nec eis administranda sacramenta, nec ab eis recipienda. Secus autem est de prædicatione seu lectione sacra. Hæc enim fieri potest coram excommunicato, imò potest sine dubio concionator & doctor ab auditore suo excommunicato de his quæ ad fidem & salutem pertinent, interrogatus respondere.

Præterea prohibentur osculum, salutatio, valedictio, commercium & mensa communis cum eisdem excommunicatis. Per quæ significatur nullum amicitiæ aut familiaritatis signum eis exhibendum esse, siue id verbo siue scripto, siue per nuncium fiat, ac multò minùs cum ijs negotiandum aut mensa communi vtendum esse.

Contrà verò notandi sunt quinque casus in quibus cum excommunicatis communicare liceat, hoc versiculo expressi:

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Primus igitur casus est vtilitas spiritualis excommunicati, & temporalis eius qui cum eo communicat. De spirituali vtilitate excommunicati iam diximus. Potest enim non tantùm doctor aut concionator aut prælatus aut parochus: verùm etiam alius quisque sapiens fidelis excommunicatum admonere sui periculi, & errantem instruere, & bene ei precari dicendo, Deus te illuminet aut conuertat, iuxta illud apostoli 2. Corinth. 2. de Corinthio illo Satanæ tradito, *Sufficit ei obiurgatio hæc quæ fit à pluribus* & 2. Thess. 3. *Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite vt fratrem*, Item iuxta capitulum cum excommunicato 11. q. 3. Temporalem verò communicantis vtilitatem intelligimus, si excommunicatus ei aliquid debeat. Hoc enim repe-

tere si-

tere licet etiam in iudicio, ne de sua malicia excommunicatus commodum reportare videatur, vt patet per cap. Intelleximus extra de iudicijs.

Secundus casus est lex seu debitum coniugij, quia licet coniugi à coniuge excommunicato coniugale debitum petere, ac vicissim reddere iuxta cap. vere dist. 24.

Tertius est subiectio qualis est filiorum, seruorum & familiarium ad parentes & dominos; cuius subiectionis causa cum ijs participare licitè possunt secundùm canonem Gregorij 7. qui incipit, Quoniam multos 11. quæst. 3. Quin eadem ratione communicare potest patet cum filijs nondum emancipatis, & dominus cum seruis quantum ad officia ab illis sibi debita.

Quartus ignorantia tam iuris quàm facti, modò sit probabilis. De qua re suprà diximus, & probatur ex iam dicto canone Gregorij.

Quintus necessitas quæ legem non habet, siue ea sit communicantis. Vnde in eodem canone conceditur, vt peregrinus qui non potest aliunde, possit ab excommunicatis necessaria emere. Et in cap. voluntate extra de sententia excommunicationis, prædicatoribus permittitur, vt possint ab excommunicatis eleemosynas postulare, siue excommunicati. Dicit enim Gregorius loco allegato. Si quis excommunicatis in sustentationem non superbiæ sed humanitatis causa dare aliquid voluerit, non prohibemus. Quæ verba satis significant non intelligi necessitatem extremam, in qua omnino lege diuina dandam esse eleemosynam constat.

Postremò si quæritur, vtrùm ipsi quoque excommunicati eo vinculo durante, teneantur se subtrahere & abstinere à cõsortio fidelium, affirmatiuè respondendū est. Nam per excõmunicationis sententiam ligatur homo extra ecclesiam dicente Domino: *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis.* Cùm ergo sententia prælati approbetur à Deo, debet is qui excommunicatur se vt talem agnoscere, & proinde à fidelium communione se subducere, tanquam qui per Dei sententiam extra ecclesiam & fidelium communionem sit constitutus. Imò vi[...] tur grauiùs peccare excommunicatus ingerens se communibus fidelium, quàm fidelis cum eo communicans; quia ille causam dedit tali separationi quemadmodum & grauiùs peccat homo perniciosus miscens se consortio bonorum, quàm boni cum non vitantes; quia videlicet ille causam dat periculo corruptionis propter quam boni eum vitare debeant.

Et notandum quod hæc doctrina extenditur ad quoscunque excommunicatos excommunicatione maiori, & non tantùm ad duas supradictas species, idque maximè quoad communionem in rebus diuinis. excepta tamen collatione sacramentorum & alijs in quibus subditi opus habent eorum officio. Cuius ratio est, quia decretum Constantiense non est editum in fauorem excommunicatorum sed fidelium. Vnde apparet quòd vbi non exposcit fidelium vtilitas aut necessitas, non liceat excommunicatis licèt occultis aut non nominatis communicationem cum fidelibus habere; sed tum diuina, tum ecclesiastica lege tanquam ligati & foras proiecti, ab ijs subtrahere se teneantur.

Porrò quæ sit pœna communicantis cum excommunicato, videlicet ordinariè excommunicatio minor; & qui sint minoris excommunicationis effectus & cætera ad hanc materiam spectantia, petantur ab ijs qui ex professo Theologiam practicam tradunt, id est, à summistis, & canonistis. Consulantur item de vniuerso hoc argumento. Adrianus 6. & Dominicus à Soto scribentes in quartum.

IN DISTINCTIONEM DECIMAMNONAM.

§. 1. *Sacerdotes etiam malos habere potestatem clauium.*

QVÆRIT hac distinctione Magister vtrùm omnes sacerdotes etiam malos habeant potestatem ligandi & soluendi in foro pœnitentiæ. Vbi illud inprimis quod dicit alteram clauium, scilicet scientiam discernendi non habere omnes sacerdotes, eos videlicet qui scientiæ expertes, sacerdotij gratiam receperunt, meritò non recipitur, sed inter selectos errores Magistri numeratur, quemadmodum sub initium antegressæ distinctionis admonuimus. Neque enim, vt Magister vult, clauis scientiæ est ipsa scientia, quatenus est in eo qui ligare vel soluere potest, sed est potestas audiẽdi causam peccatoris & de ea cognoscendi: quæ etsi scientiam hactenus requirat, quia sine scientia rectè exerceri non potest, reuera tamen & quidem sæpe, quod dolendum est, existit sine scientia. Est igitur vtraque clauis tam scientiæ quàm potestatis penes sacerdotes non tantùm doctos & bonos, verùm etiam penes indoctos & malos. Nam & in similibus iudex indoctus & improbus verè habet authoritatem iudicandi, tametsi per imperitiam vel improbitatem ea potestate malè vtatur. S. Thom. supra q. 19. art. 5. & 6.

Rectè de malis hoc docet Magister, tametsi non satis aptè probet. Nam verba quæ ex Hieronymo citat, nusquam apud eum inueniuntur, sed habentur in glossa ordinaria super illud Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum,* & à quibusdam asscribuntur Rabano. Similiter ea quæ Augustini titulo citat ex lib. quæst. veteris & noui testamenti, non Augustini sunt, sed alterius cuiusdam minus probati authoris.

Certior itaque probatio petenda est ex ipsa ordinatione sacerdotum in qua ijs dicitur: *Quorum remiseritis &c.* Per quæ verba potestas clauium in foro pœnitentiæ datur omnibus ordinatis, etiam si fortè vel mali sint vel indocti, sicut ijsdem in sua ordinatione datur potestas consecrandi corpus dominicum. Vnde sicut dubitandum non est malos sacerdotes habere hanc consecrandi potestatem, eosque proinde eucharistiam verè consecrare, ita nec dubitare licet, quin & illam clauium habeant potestatem, ac proinde si adsit iurisdictio, verè absoluant.

Quòd si boni tantùm sacerdotes absoluerent, relinquerentur pœnitentium conscientiæ semper incertæ & suspensæ propter incertitudinem quam haberent de aliena bonitate vel malicia, de qua & difficillimum & periculosum est iudicare. Nam vt ait Gregorius 7. apud Gratianum 1. quæst. 1. Multi secularium, dum plus vitam sacerdotum quàm suam discutiunt, in erroris foueam dilabuntur, minùs considerantes quòd non eos vita sacerdotum læderet, si humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent.

Est autem aperta de hac re sentẽtia Augustini

tum

tum alibi contra Donatistarum sectam disputantis, vt qui general ter negarint sacramenta prodesse à malis administrata: tum de absolutione peculiariter lib. 2. contra epist. Parmeoiani cap. tt. vbi testatur per orationes malorum sacerdotum solui peccata eorum, qui ab hæresi aut schismate ad pacem catholicám redeunt. Item Gregotij 1. homil. 26. in euangelia dicentis, quòd sæpe accidat vt sacerdos ipse ligatus alios soluat. Imò tam certa hæc ecclesiæ doctrina est, vt iam olim in Donatistis, postea verò in Ioanne Wicleff & Ioanne Hus quemadmodum ex actis concilij Constantiensis & bulla Martini 5. patet, contraria sententia fuerit condemnata tanquàm catholicæ fidei aduersa.

Quibus accessit demum apertissima definitio concilij Tridentini sess. 14. cap. 6. io hæc verba: Docet quoque synodus etiam sacerdotes qui peccaro mortali tenentor, per virtutem spiritussancti in ordinatione collatam tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere, eósque prauè sentire qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Et eiusdem sessionis can. 10. Si quis dixerit, sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & soluendi nun habere, anathema sit.

Cæterùm ad huius doctrinæ pleniorem iotellectum conducont ea quæ ad dist. 17. diximus, vbi quærebatur: Cui sit confitendum, & quis proprius sacerdos, præcipuè verò quæ dicta sunt ad 1. distinct. vbi ostendimus effectum sacramenti non dependere ex qualitate ministri. Hoc enim cùm io omni sacramento verum sit, tum maximè io sacramentis baptismi, & pœnitentiæ, qoæ suor ad salutem necessaria, debet veritatem obtinere.

Ex quo item loco discere licet quid sit respondendum ad quasdam Augustini & aliorum patrum senteotias, cuiusmodi à Magistro io textu proferuntur Nam Augustinus quidem noo de ministerio sacramenrali remittendi peccata loquitur, sed de eo remittendi modo, quo quis per orationes & gemitus & alia pietatis opera cooperatur pœnitenti ad impetrandam peccatorem veniam. Iuxta quem modum etiam Hesychij verba à Magistro citata sunt accipienda.

Gregorius autem & Origenes tantùm negant eos qui vitam & doctrinam apostolorum non sequuntur, rectè habere potestatem ligandi & soluendi; quia videlicet ea non bene vtuntur, quemadmodum rectè exponit Magister. Hoc autem contingit duobus modis: vel ideo taotùm quia in affectu peccati mortalis sacramenta administrant, quod ipsum est mortaliter peccare; vel quia insuper quod deterius est, aut indignos absoluunt, aut immeritos ligant. Quo casu eorum sententia non ob defectū potestatis, sed quòd sit ab errante claue profecta, à supremo iudice non approbatur. Et hoc sensu verum est illud eiusdem Gregorij in homil. 26. iam citata: Ligandi & soluendi potestate se priuat qui hanc pro suis voluntatibus & non pro subiectorum moribus exercet. Dicitur enim se priuare potestate, quia priuat se vsu & effectu potestaris, id est, facit vt sua potestas effectum non habeat: quomodo dicitur aliquis carere manibus, qui ijs oon vtitur, & quomodo in scriptura habere pro vti sæpe ponitur, vt ibi: *Habenti dabitur &c.* Hunc sensum verborum Gregorij manifestè arguit loci circunstantia.

Obijcitur etiam Gregorius lib. 2. dialog. cap. 23. vbi cùm dixisset Petro dictū esse: *Quidcūque ligaueris &c.* subiunxit: Cuius nunc vicē ligando & soluēdo obtineot qui locum sancti regimiois fide & moribus tenent, Respondeo. Non dicit Gregorius quòd soli illi, & vult dicere, quòd illi soli rectè obtinent vicem Petri & apostolorum, qui fide & moribus tenent locum sancti regiminis. Quatenus autem etiam hæreticus sacerdos possit ligare & absoluere, similiter ex dictis ad 17. & 18. distinct. clarum reliquimus.

§. 2. *Potestatem clauium non esse penes quoscunque fideles.*

DOcuerunt olim Nouatiani potestatem clauium Matth. 18. & Ioan. 20. significatam ad omnes omnino fideles præsertim bonos pertinere, eamque ab illis exerceri quotiescunque vel offensas fratribus, qui in se peccassent, pœnitentibus remitterent, vel præstactos & impœnitentes diuino iudicio puniendos relinquercot. Vnde dicebant sacerdotes non maiorem habere clauium potestatem quàm laicos. Idem postmodum docuerunt Waldenses & Wicleuistæ. Quorum tamen absurditatem auxit Lutherus asserens artitulo 13. vnumquemque christianum etiamsi mulier aut puer sit, io sacramento pœniteotiæ, & in remissione culpæ parem eum papa habere potestatem. Assumunt autem ad huiusmodi erroris patrocinium sententias aliquot Augustioi, & aliorum patrum ex quibus saltem id appareat, omnes bonos fideles habere atque exercere posse clauium à Christo ecclesię traditarum potestatem.

S. Thom. sup. 9. 19. ar. 1. & 4.

Horum testimoniorum nonnulla citat Magister tum hac, tum superiori distinct. Primus locus est Augustini lib. 3. contra Donatistas cap. 18. vbi de apostolis quibus dictum erat: *Quorum remiseritis* sic loquitur: Ergo si personam gerebant ecclesiæ, & sic eis hoc dictum est tanquam ipsi ecclesiæ diceretur: pax ecclesiæ dimittit peccata, & ab ecclesiæ pace alienatio tenet oeccata, non secundùm arbitrium hominum, sed secundùm arbitrium Dei & orationes sanctorum spiritualium, qui omnia dijodicant, ipsi antem à nemine iudicantur. Petra enim tenet, petra dimittit; columba tenet, colomba dimittit; vnitas tenet, vnitas dimittit. Pax autem huius vnitatis in solis bonis est, vel iam spiritalibus, vel ad spiritalia concordi obedientia proficientibus: In malis autem non est &c. Et infrà de malis: Remissam tamen peccatorum non dabant quæ per orationes sanctorum, id est, per columbæ gemitus datur. Non enim raptoribus & fœneratoribus diceret Dominus, si cui dimiseritis peccata &c. Et lib. 5. cap. 21. Quapropter, ioquit, sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, ipsam verò gratiam non nisi per seipsum vel per sanctos suos; & ideo remissiooem peccatorum vel per seipsum facit, vel per illius columbæ membra quibus ait: Si cui dimiseritis &c. Et eiusdem operis lib. 6. cap. 4. Cum, inquit, homini malo veraciter ad Deom conuerso peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur quibus ipse veraci conuersione coniungitur. Idem quippe spiritussanctos ea dimittit, qui datus est omnibus sanctis sibi charitate cohærentibus; siue se nouerint corporaliter, siue non nouerint. Similiter cùm alicuius peccata tenentur, ab eis vtique tenentur à quibus ille cui tenentur, vitæ dissimilitudine & praui cordis auersione disiungitur. Præterea tract. 58. in Ioao. dicit quòd dum nobis inuicem

peccata

A peccata dimittimus, ea in terra soluimus, vt & in cælo soluantur. Et tract. 121. ad ea verba: *quorum remiseritis*, Ecclesiæ charitas, inquit, eorum qui participes sui sunt, peccata dimittit; eorum qui non sunt, tenet. Similis est locus apud Ambrosium lib. 9. in Lucam ad illud: *Soluite & adducite*, vbi sic ait: Soluit enim manus apostolica, talis actus, talis vita, talis gratia, estu talis & tu vt possis ligatos soluere.

Proferri etiam potest quod Origenes homil. 1. in 16. Matth. scribit omnes eos qui vestigia Petri sequuntur, habere soluendi & ligandi potestatem. Et quod Theophylactus in Matth. 18. B apertis verbis tradit dicens: Non enim solùm quæ soluunt sacerdotes, sunt soluta; sed quæcunque & nos iniuria affecti vel ligamus vel soluimus, & ipsa erunt ligata vel soluta.

Verùm his non obstantibus sine dubio secundùm fidem catholicam confitendum est, penes solos sacerdotes esse clauium eam potestatem quæ exercetur in sacramento pœnitentiæ. Quod primùm patet ex ordinatione sacerdotum, in qua dicitur solis ijs: *Quorum remiseritis &c.* Patet deinde ex constanti & perpetua ecclesiæ C doctrina, tum olim contra Nouatianos, tum posterioribus sæculis contra Wicleuistas & alios hæreticos. Vnde Ambrosius contra Nouatianos disputans lib. 1. de pœnitentia capit. 2. & de potestate ligandi & soluendi loquens: Ius hoc, inquit, solis permissum est sacerdotibus. Id ipsum apertissimè docet Leo epistol. 91. ad Theodorum. Et vtroque vetustior Pacianus in tract. quem edidit contra Nouatianos, vbi inter alia ostendit locum Ioan. 20. ad solos pertinere sacerdotes. Sed & Augustinus eandem scripturam ijs solis competere docet lib. 2 contra epistolam Parmeniani cap. 11. & Augustini titulo liber de vera D & falsa pœnitentia cap. 10. Denique in concilijs generalibus Constantiensi, Florentino & Tridentino, & in bulla Martini 5. eadem doctrina probata & contrarius error damnatus est, quemadmodum ostendimus cùm de confessione ageremus ad dist. 17.

Ad ea verò quæ in contrariũ ex patribus adferuntur partim ex ijs quæ de sacramentis in genere dicta sunt, partim ex capite superiori respondere non est difficile. Loquuntur enim Augustinus & Ambrosius non de ministris sacramenti, E neque de sacramentali modo remittendi qui fit per ministerium, sed de modo impetratorio remissionis peccatorum, qui proprius est sanctis ecclesiæ membris. Neque enim Deus dimittit alicui peccata malis id impetrantibus sed bonis. Atque hoc est quod dicit Augustinus per columbæ gemitus, id est, per orationes sanctorum qui sunt in ecclesia, remitti peccata. Neque aliter intelligendus esse huiusmodi Augustini sententias, satis est perspicuum ex cap. 17. & 18. lib. 5. contra Donatistas & alijs aliquot locis, quibus F nominat charitatem, orationes, gemitus & similia quæ non ad ministerium absoluentis sed ad meritum impetrantis pertinent. Et quidem hæc duo apertissimè distinguit lib. 4. contra Donatistas cap. 4. vbi disputans de hæretico & raptore, vtrùm dimittant peccata sic ait: Si per vim sacramenti Dei sicut & ille, ita & ille. Si per meritum suum, nec ille nec ille.

Hanc autem illorum patrum doctrinam etiam scriptura tradit ad Galat. 4. dicente apostolo, quòd illa quæ sursum est Ierusalem, sit mater A nostra; quia nimirum per preces & lachrymas tanquam gemitum parturientis parit nos omnes Deo, quemadmodum hoc declarat Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 15. & 16. & epist. 23. ad Bonifacium, Sic autem & sancti in cælo regnantes soluere nos à peccatis dicuntur, scilicet intercessione & merito. Canit enim ecclesia in hymno ad matrem Domini: *Solue vincla reis*, & iterum: *Nos culpis solutos mites fac & castos*. Et ad apostolos: *Nos à peccatis omnibus soluite iussu quæsumus*. Et ad martyrem. *Soluta iam vincula tui sacrati corporis nos solue vinculis sæculi &c.* Dicitur autem B iussu propter certitudinem effectus consequentis eorum intercessionem. Item ad præcursorem Domini: *Solue polluti labij reatum sancte Ioannes*. E diuerso quoque dicuntur sancti ligare impœnitentes & eorum retinere peccata, quando diuinam iusticiam circa impœnitentes, & potissimùm circa damnatos approbant. Vnde vox eorum est in psalmo: *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem*. Nam sicut in extremi iudicij die sancti futuri sunt iudices, ita & nunc quodãmodo iudicant malos & impios, diuinam etiam in hac vita circa eos approbando sententiam.

C Ad id verò quod ex Origene & Theophylacto obijcitur, iam suprà responsum est, vbi de excommunicandi potestate agebatur.

IN DISTINCTIONEM VIGESIMAM.

§. 1. *Indulgentiæ nomen vsu ecclesiastico quid significet.*

D 

ICVT ad potestatem clauium ecclesiæ à Christo traditarum pertinet condignam satisfactionem pœnitentibus iniungere: ita ad eandem potestatem spectat satisfactoriam pœnam vel in totum vel ex parte remittere seu condonare. *S. Thom. suppl. q. 25. ar. 1. & seq.*

E Huius autem beneficij varia sunt nomina apud veteres, vt remissio, relaxatio, donatio seu condonatio, sed vsitatissimum nomen est, indulgentia. Quo nomine tametsi ante Gregorium 7. qui eo in epistolis suis subinde vtitur, vix alij in hac significatione vsi à nonnullis putentur, reperitur tamen non modò apud Vigilium papam aliquot seculis illo antiquiorem in epistol. ad Eutherum capit. 3. Verùm etiam apud peruetustum authorem Pacianum in epistol. 3. contra Nouatianos, vbi dicit apostolum ijs verbis F 2. Corinth. 2. *Nam & ego quod donaui &c.* per indulgentiam proprias sententias temperasse, & apud Ambrosium lib. 1. de pœnitentia capit. vltimo occasione eorundem apostoli verborum dicentem quòd liberentur per indulgentiam qui erant per nimiam tristiciam perituri. Tribuit autem indulgentijs egregium epitheton synodus Tridentina, dum eas vocat celestes ecclesiæ thesauros sess. 21. cap. 9. reform. Cuius appellationis ratio parebit ex sequentibus.

Porrò definitionem seu propriam rationem indul-

A indulgentiæ hoc modo licebit accipere. Notum est ex superioribus, & ijs præsertim quæ ad dist. 4. & 14. dicta sunt, non similiter in baptismo atque in pœnitentiæ sacramento conferri omnium peccatorum remissionem. Siquidem in baptismo sic Christo commorimur, & ad vitam renouamur perfecta peccatorum remissione, vt pro ijs nulla omnino pœna restet in futuro sæculo persoluenda. At in pœnitentiæ sacramento sic remittuntur peccata quoad culpam, vt tamē adhuc restet terribilis quædam expectatio iudicij in futuro sæculo, nisi per dignos fructus & opera pœnitentiæ in hac vita diuinæ iustitiæ satisfiat. Quando igitur illa futuri sæculi pœna dignis pœnitentię operibus redimitur, satisfactio est. Quòd si verò ea pœnitentię opera ex causa legitima ab eo qui legitimam habet potestatem, pœnitenti remittantur, idque vel in totum vel ex parte, satisfactionis relaxatio est, quam indulgentiam vocamus.

B Eam itaque definiunt hoc pacto: Indulgentia est absolutio à pœnitentia iniuncta vel iniungenda.

Quòd enim indulgentia sit vera absolutio, & pœnæ remissio (quamuis nonnulli scholasticorum dissentiant) in primis probatur ex potestate clauium, qua non ad ligandum, vt patet, & proinde ad soluendum vtitur is qui indulgentiæ beneficium confert.

C Deinde ex ipso indulgendi vocabulo quod vsu ecclesiastico remittere, relaxare, & à pœna liberare & absoluere significat.

Tertiò ex vocabulo donandi seu condonandi quo apostolus vtitur 2. Corinth. 2. Quod quidem propriissimè remissionem pœnæ significat.

Quartò ex consueta formula indulgentiarum qua dicitur: Misericorditer indulgemus.

D Quintò ex verbis quibus vtuntur patres concilij Nicæni & Ancyrani cùm dicunt humanius aliquid ab episcopis statuendum seu cogitandum esse de pœnitentibus, quorum promptam perspexerint voluntatem. Humanius autem aliquid statuere, remittere est.

Sextò, quia si indulgentiæ collatio non esset vera absolutio, nullam requireret iurisdictionem, atque ita nihil obstaret quò minus episcopus indulgentias conferret fidelibus non sibi subditis, quod est contra decretum Alexandri 3. capit. quod autem de pœnitentijs & remissionibus.

E Ac postremò sequeretur nullam requiri potestatem spiritualem ad concedendum alijs indulgentias, quandoquidem nuda suorum sacrificiorum & suffragiorum applicatio fieri potest à quocunque sacerdote, atque etiamē sacerdotibus veteris legis fieri potuit; & possunt alij pro alijs satisfacere ex charitate.

F Interim verò dubitandum non est, quod infrà latiùs explicabitur, hanc remissionem fieri virtute meritorum passionis Christi & sanctorum, tametsi non eodem modo. Quocirca indulgentia non ita est mera absolutio, quin etiam solutio interueniat. Nam etsi ille cui fit remissio, non soluat; quia nimirum satisfactio ei relaxatur, soluit tamen in primis Christus, ac deinde suo ordine sancti: quam solutionem applicantes pœnitentibus episcopi per potestatem à Christo acceptam, verè eos à pœna debita absoluere dicuntur, sicut verè remittunt culpam, dum eis applicant satisfactionem Christi in cruce factam.

Quod autem per indulgentiam diximus iniunctam pœnitentiam relaxari, patet ex can. 62. concilij Lateranensis sub Innocent. 3. in quo statuitur vt quadraginta dies de iniunctis pœnitentijs indulta remissio non excedat. Quin & modò sic habet forma bullæ apostolicæ, qui hæc vel illa fecerint, tot dies de iniuncta ipsis pœnitentia relaxamus.

Nec tamen existimandum est indulgentiam solùm valere ad relaxationem pœnitentiæ iniunctę. Sed sine dubio etiam iniungendam pœnitentiam respicit. Nam alioqui iuxta hodiernam ecclesię consuetudinem, vix vllus esset indulgentijs locus, quando tam leues pro peccatis iniunguntur satisfactiones, vt de ijs iniunctis aliquid adhuc postea relaxare velle prorsus id ad dissoluendam, & eneruandam ecclesię disciplinam spectare videretur. Quamuis igitur nunc non sit ea disciplinę seueritas & rigor in imponendis pœnitentijs, qui olim fuit; quoniam tamen secundùm rigorem canonum & morem veteris ecclesię, atque omnino pro ratione peccatorum multò maiores esse deberent pœnitentium satisfactiones, nisi rigorem illum hoc sęculo christiani populi recusaret infirmitas: fit vt nunc indulgentię vel solùm, vel potissimùm respiciant pœnitentiam iniungendam, tametsi pro iniuncta non ineptè reputatur, quæ iam ipso canone præfixa est; ita vt tantùm declaratione sit opus, quid secundùm canones fieri conueniret. Vnde verisimile est ob hanc causam etiam hodie in diplomatis pontificijs veterem seruatum formulam retineri, vt tantùm iniunctæ pœnitentiæ mentio fiat; eò nimirum quòd pœnitentia secundùm canones iniungenda, iuxta dictam rationem meritò pro iniuncta habeatur.

Et sanè consequens est, si indulgentia relaxat pœnitentiam iniunctam, vt etiam iniungendam relaxare, ipsamque iniunctionem præuenire possit; quandoquidem non alia ratione relaxat iniunctam pœnitentiam, quam quia pœnitentem soluit à debito pœnæ temporalis, cui propter peccatum obnoxius est. Cui solutioni impertinens est siue pœna iam taxata sit arbitrio sacerdotis, siue non.

§. 2. *Vsum indulgentiæ à Christo institutæ semper in ecclesia fuisse.*

QVidam catholicorum arbitrati sunt indulgentiarum vsum in ecclesia non extitisse ante annos quadringentos, vel ad summū sexcentos, tametsi non negent, imò planè doceant earum fundamentum haberi in scriptura. Rationem autem cur non antè in vsu fuerint, hanc reddunt, quòd priorum temporum fideles ea feruebant charitate, vt pœnitentiarum relaxationem non ambirent, sed parati essent pro pœnis debitis ad plenum satisfacere. S. Thom. vbi sup.

Verùm eos qui its senserunt, fefellisse videtur, quòd cùm nomen indulgentiæ in veterum scriptis non facile occurreret, putarint nec rem ipsam apud eos in vsu fuisse, quamquam & nominis ipsius antiquitatem iam suprà monstrauimus. Multò itaque rectiùs ac verius tenendum est

sicut

ficut poteftas concedendi indulgentias à Chrifto tradita eft ecclefiæ, de quo nemo Catholicus dubitat, ita & vfum earum femper in ecclefia ab ipfis apoftolorum temporibus extitiffe.

Huius affertionis prior pars probatur ex generali poteftate Petro & cæteris apoftolis tradita Matth. 16. & 18. *Quæcunque ligaueritis &c.* & *Quæcunque folueritis &c.* Cùm enim per hæc Chrifti verba apoftoli & eorum fucceffores acceperint poteftatem imponendi pœnitentibus fatisfactiones, & ad eas illos obligandi, quemadmodum alibi probauimus, fimiliter etiam poteftatem acceperunt impofitas vel imponendas fatisfactiones ex rationabili caufa relaxandi. Nam ficut illud ad ligandi, ita iftud ad foluendi poteftatem pertinet.

Deinde docent fcripturæ Deum intuitu alienæ fidei, orationis, aliorumque meritorum feu bonorum operum, alijs peccata remittere & pœnas relaxare: id quod tam nouæ quàm veteris fcripturæ teftimonijs facile eft oftendere. Dominus enim intuitus fidem portantium ait paralytico: *Fili remittuntur tibi peccata.* Et in veteri teftamento propter Abraham, Ifaac & Iacob, item propter Moyfen, Samuelem, Dauidem Deus fæpe pareit peccatis populi. Quocirca prælati poteftatem ligandi & foluendi habentes exemplo Domini fui non folùm refpicere debent ad propria cuiufque pœnitentis opera, fed etiam ad fanctorum paffiones & merita; atque ita diiudicare quoufque illa pœnitentibus ad relaxandas eorum pœnas fuccurrere & applicari debeant.

Præterea dubitari non poteft ex Chrifti inftitutione manaffe eam poteftatem, qua primùm apoftoli, deinde eorum fucceffores perpetuis temporibus fuerunt vfi.

Hoc igitur, quod de perpetuo indulgentiarum vfu afferimus, nunc fecundo loco probandum eft. Apoftolus 2. Corinth. 2. cùm ait: *Sufficit ei qui eiufmodi eft, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus: ita vt è contrario magis donetis & confolemini, ne fortè abundantiori triftitia abforbeatur,* iubet vt inceftuofo illi Corinthio iam pœnitenti aliquid de rigore iniunctæ pœnitentiæ remittatur; ne fortè nimia vindictæ aufteritate in defperationem inductus, religionem chriftianam deferat. Ea igitur donatio feu condonatio, cuius apoftolus meminit, non aliud fuit quàm indulgentiæ conceffio, de qua rurfum fubijcit: *Cui autem aliquid donatis, & ego. Nam & ego quod donaui, fi quid donaui, propter vos in perfona Chrifti, vt non circumueniamur à Satana.* Vbi per hoc quod ait, *in perfona Chrifti*, fignificat apoftolus fe eam donandi feu indulgendi poteftatem à Chrifto accepiffe, & vice Chrifti exercere, quemadmodum 1. Corinth. 5. eundem fornicarium in Chrifti nomine teftatur fe tradere Satanæ. Hunc autem effe fenfum apoftolicæ fententiæ clarè docet Chryfoftomus homil. 4. in 2. Corinth. inter alia ita fcribens: Non enim quòd dignus fit, neque quòd fufficientem exhibuerit pœnitentiam, fed quòd infirmus fit, ideo, inquit, dignor illum venia. Vnde & adiecit: *Ne abundantiori triftitia abforbeatur.* Qui fermo declarat illius vehementem pœnitentiam, quem Paulus non fit paffus in defperationem venire. Et infrà: Ea ex re docemur quòd non folùm ad peccatorum naturam, verùm etiam ad ineuntem habitumque peccantium oporteat moderari pœnitentiam. Hæc Chryfoftomus, quem fecutus Theophylactus in eundem locum fimilia commentatur. Atque inter cætera his vtitur verbis: Pulchrè autem dixit: Donate. Vt enim ille non exiftimet fibi remiffam noxam, quia fatis confeffus fit, & fufficienter pœnitentia ductus, oftendit quòd non tantum ex pœnitentia fua, quantum ex illorum gratia & donatione dimiffionem recipiat. His quoque fimilia apud Theodoretum & Oecumenium leguntur, nec non in commentario qui Ambrofio infcriptus eft. In eandem fententiam apoftolum interpretatus eft Pacianus his omnibus antiquior in epift. 3. vbi contra Nouatianos agens productis ijfdem apoftoli verbis: Vides, inquit, apoftoli indulgentiam, proprias etiam fententias temperantem; vides mitiffimam lenitatem longè veftro fupercilio feparatam? longè à Nouatiana fronte diffimilem? communi verò vitæ ac faluti omnium confulentem? Hæc ille, cui adde eius ferè æqualem Ambrofium lib. 1. de pœnitentia capit. 6. & capit. vltimo. Vbi ad eundem modum apoftoli verba tractat, atque indulgentiæ nomination meminit. Iam verò non eft cur dubitetur quin hunc eundem relaxandæ pœnitentiæ morem ab apoftolis acceptum deinceps ecclefia retinuerit, quod quidem ita effe ex vetuftis tum fcriptoribus, tum concilijs facilè doceri poteft.

Primùm legimus apud Tertullianum libro ad martyres capit. 1. quofdam pacem in ecclefia nondum habentes, eam à martyribus in carcere conftitutis exorare confueuiffe. Cùm enim lapfi effent, & pœnitentiæ tempus nondum impleffent, martyrum interceffione impetrabant ab ecclefia condonationem pœnitentiæ reftantis, atque ita ftatim ad pacem, id eft, reconciliationem admittebantur, quæ non dabatur nifi peracta priùs pœnitentia. Idem Tertullianus pofteaquam ad Montaniftarum fectam deflexiffet, in lib. de pudicitia capit. vltimo catholicæ ecclefiæ id vitio vertit, quod antè laudauerat; nempe quòd ad confefforum feu martyrum petitionem relaxata lapfis pœnitentia pacem daret; aut certè (quod etiam poft eum Cyprianus) nimiam quorundam indulgendi facilitatem accenfat. Ex vtroque autem loco manifeftè deprehenditur iam tum in ecclefia fuiffe confuetudinem lapfis condonandi partem aliquam pœnitentiæ.

Sed adhuc clariùs id liquet ex eodem Cypriano lib. 3. epiftola 14. & aliquot fequentibus. Nam in epift. 14. culpat quorundam prefbyterorum temeritatem, quòd inconfulto epifcopo, & non expectato iufto tempore, neque habita ratione difciplinæ ecclefiafticæ ad indifcretam petitionem martyrum lapfis pacem tribuerent. Vult autem prudenter & moderatè eam gratiam concedi, videlicet huiufmodi verbis indulgendi poteftatem & vfum probans, fed tantùm abufum remouens. Quin & femper in præteritum factum effe dicit, vt à prefbyteris & diaconis fuggerentibus admonerentur martyres, fi plus aliquid peterent quàm concedi æquum effet. Vnde confequitur multò ante Cyprianum indulgentiarū vfum in ecclefia fuiffe. Et in epift. 15. martyres ipfos admonet, vt exemplo martyrum anterioris temporis, nominatim defignent eos, quibus pacem dari defiderant, nec alios nominent quàm quorum pœnitentiam fatisfactioni proximam confpexerint. In epift. autem 18. Qui, inquit, libellum à martyribus acceperunt, & auxilio eorum adiuuari apud Dominum in delictis fuis poffunt;

indulgentiæ hoc modo licebit accipere. Notum A est ex superioribus, & ijs præsertim quæ ad dist. 4. & 14. dicta sunt, non similiter in baptismo atque in pœnitentiæ sacramento confetti omnium peccatorum remissionem. Siquidem in baptismo sic Christo commorimur, & ad vitam renouamur perfecta peccatorum remissione, vt pro ijs nulla omnino pœna restet in futuro sæculo persoluenda. At in pœnitentiæ sacramento sic remittuntur peccata quoad culpam, vt tamẽ adhuc restet terribilis quædam expectatio iudicij in futuro sæculo, nisi per dignos fructus & opera pœnitentiæ in hac vita diuinæ iusticiæ satisfiat. Quando B igitur illa futuri sæculi pœna dignis pœnitentiæ operibus redimitur, satisfactio est. Quòd si verò ea pœnitentiæ opera ex causa legitima ab eo qui legitimam habet potestatem, pœnitenti remittantur, idque vel in totum vel ex parte, satisfactionis relaxatio est, quam indulgentiam vocamus.

Eam itaque definiunt hoc pacto: Indulgentia est absolutio à pœnitentia iniuncta vel iniungenda.

Quòd enim indulgentia sit vera absolutio, & pœnæ remissio (quamuis nonnulli scholasticorum dissentiant) in primis probatur ex potestate C clauium, qua non ad ligandum, vt patet, & proinde ad soluendum vtitur is qui indulgentiæ beneficium confert.

Deinde ex ipso indulgendi vocabulo quod vsu ecclesiastico remittere, relaxare, & à pœna liberare & absoluere significat.

Tertiò ex vocabulo donandi seu condonandi quo apostolus vtitur 2. Corinth. 2. Quod quidem propriissimè remissionem pœnæ significat.

Quartò ex consueta formula indulgentiarum qua dicitur: Misericorditer indulgemus.

Quintò ex verbis quibus vtuntur patres con- D cilij Nicæni & Ancyrani cùm dicunt humanius aliquid ab episcopis statuendum seu cogitandum esse de pœnitentibus, quorum promptam perspexerint voluntatem. Humanius autem aliquid statuere, remittere est.

Sextò, quia si indulgentiæ collatio non esset vera absolutio, nullam requireret iurisdictionem, atque ita nihil obstaret quò minus episcopus indulgentias conferret fidelibus non sibi subditis, quod est contra decretum Alexandri 3. E capit. quod autem de pœnitentijs & remissionibus.

Ac postremò sequeretur nullam requiri potestatem spiritualem ad concedendum alijs indulgentias, quandoquidem nuda suorum sacrificiorum & suffragiorum applicatio fieri potest à quocunque sacerdote, atque etiam à sacerdotibus veteris legis fieri potuit; & possunt alij pro alijs satisfacere ex charitate.

Interim verò dubitandum non est, quod infrà latiùs explicabitur, hanc remissionem fieri virtute meritorum passionis Christi & sanctorum, tametsi non eodem modo. Quocirca indulgentia non ita est mera absolutio, quin etiam so- F lutio interueniat. Nam etsi ille cui fit remissio, non soluat; quia nimirum satisfactio ei relaxatur, soluit tamen in primis Christus, ac deinde suo ordine sancti: quam solutionem applicantes pœnitentibus episcopi per potestatem à Christo acceptam, verè eos à pœna debita absoluere dicuntur, sicut verè remittunt culpam, dum eis applicant satisfactionem Christi in cruce factam.

Quod autem per indulgentiam diximus iniunctam pœnitentiam relaxari, patet ex can. 62. concilij Lateranensis sub Innocent. 3. in quo statuitur vt quadraginta dies de iniunctis pœnitentijs indulta remissio non excedat. Quin & modò sic habet forma bullæ apostolicæ, qui hæc vel illa fecerint, tot dies de iniuncta ipsis pœnitentia relaxamus.

Nec tamen existimandum est indulgentiam solùm valere ad relaxationem pœnitentiæ iniunctæ. Sed sine dubio etiam iniungendam pœnitentiam respicit. Nam alioqui iuxta hodiernam ecclesiæ consuetudinem, vix vllus esset indulgentijs locus, quando tam leues pro peccatis iniunguntur satisfactiones, vt de ijs iniunctis aliquid adhuc postea relaxare velle prorsus id ad dissoluendam, & eneruandam ecclesiæ disciplinam spectare videretur. Quamuis igitur nunc non sit ea disciplinæ seueritas & rigor in imponendis pœnitentijs, qui olim fuit; quoniam tamen secundùm rigorem canonum & morem veteris ecclesiæ, atque omnino pro ratione peccatorum multò maiores esse deberent pœnitentium satisfactiones, nisi rigorem illum hoc sæculo christiani populi recusaret infirmitas: fit vt nunc indulgentiæ vel solùm, vel potissimùm respiciant pœnitentiam iniungendam, tametsi pro iniuncta non ineptè reputantur, quæ iam ipso canone præfixa est; ita vt tantùm declaratione sit opus, quid secundùm canones fieri conueniret. Vnde verisimile est ob hanc causam etiam hodie in diplomatis pontificijs veterem sermonis formulam retineri, vt tantùm iniunctæ pœnitentiæ mentio fiat; eò nimirum quòd pœnitentia secundùm canones iniungenda, iuxta dictam rationem meritò pro iniuncta habeatur.

Et sanè consequens est, si indulgentia relaxat pœnitentiam iniunctam, vt etiam iniungendam relaxare, ipsamque iniunctionem præuenire possit; quandoquidem non alia ratione relaxat iniunctam pœnitentiam, quam quia pœnitentem soluit à debito pœnæ temporalis, cui propter peccatum obnoxius est. Cui solutioni impertinens est sine pœna iam taxata sit arbitrio sacerdotis, siue non.

§. 2. *Usum indulgentiæ à Christo institutæ semper in ecclesia fuisse.*

QVidam catholicorum arbitrati sunt indulgentiarum vsum in ecclesia non extitisse ante annos quadringentos, vel ad summũ sexcentos, tametsi non negent, imò planè doceant earum fundamentum haberi in scriptura. Rationem autem cur non antè in vsu fuerint, hanc reddunt, quòd priorum temporum fideles ea feruebant charitate, vt pœnitentiarum relaxationem non ambirent, sed parati essent pro pœnis debitis ad plenum satisfacere. *S. Thom. vbi sup.*

Verùm eos qui ita senserunt, fefellisse videtur, quòd cùm nomen indulgentiæ in veterum scriptis non facile occurreret, putarint nec rem ipsam apud eos in vsu fuisse, quamquam & nominis ipsius antiquitatem iam suprà monstrauimus. Multò itaque rectiùs ac veriùs tenendum est

sicut

sicut potestas concedendi indulgentias à Christo A tradita est ecclesiæ, de quo nemo Catholicus dubitat, ita & vsum earum semper in ecclesia ab ipsis apostolorum temporibus extitisse.

Huius assertionis prior pars probatur ex generali potestate Petro & cæteris apostolis tradita Matth. 16. & 18. *Quæcunque ligaueritis &c.* & *Quæcunque solueritis &c.* Cùm enim per hæc Christi verba apostoli & eorum successores acceperint potestatem imponendi pœnitentibus satisfactiones, & ad eas illos obligandi, quemadmodum alibi probauimus, similiter etiam potestatem acceperunt impositas vel imponendas satisfa- B ctiones ex rationabili causa relaxandi. Nam sicut illud ad ligandi, ita istud ad soluendi potestatem pertinet.

Deinde docent scripturæ Deum intuitu alienæ fidei, orationis, aliorumque meritorum seu bonorum operum, alijs peccata remittere & pœnas relaxare: id quod tam nouæ quàm veteris scripturæ testimonijs facile est ostendere. Dominus enim intuitus fidem portantium ait paralytico: *Fili remittuntur tibi peccata.* Et in veteri testamento propter Abraham, Isaac & Iacob, item propter Moysen, Samuelem, Dauidem Deus sæ- C pe parcit peccatis populi. Quocirca prælati potestatem ligandi & soluendi habentes exemplo Domini sui non solùm respicere debent ad propria cuiusque pœnitentis opera, sed etiam ad sanctorum passiones & merita; atque ita dijudicare quousque illa pœnitentibus ad relaxandas eorum pœnas succurrere & applicari debeant.

Præterea dubitari non potest ex Christi institutione mansisse eam potestatem, qua primùm apostoli, deinde eorum successores perpetuis temporibus fuerunt vsi. D

Hoc igitur, quod de perpetuo indulgentiarum vsu asserimus, nunc secundo loco probandum est. Apostolus 2. Corinth. 2. cùm ait: *Sufficit ei qui eiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus: ita vt è contrario magis donetis & consolemini, ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur,* iubet vt incæstuoso illi Corinthio iam pœnitenti aliquid de rigore iniunctæ pœnitentiæ remittatur; ne fortè nimia vindictæ austeritate in desperationem inductus, religionem christianam deserat. Ea igitur donatio seu condonatio, cuius apostolus meminit, non aliud fuit quàm indulgentiæ concessio, E de qua rursum subijcit: *Cui autem aliquid donatis, & ego. Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi, vt non circumueniamur à Satana.* Vbi per hoc quod ait, *in persona Christi*, significat apostolus se eam donandi seu indulgendi potestatem à Christo accepisse, & vice Christi exercere, quemadmodum 1. Corinth. 5. eundem fornicarium in Christi nomine testatur se tradere Satanæ. Hunc autem esse sensum apostolicæ sententiæ clarè docet Chrysostomus homil. 4. in 2. Corinth. inter alia ita scribens: Non enim F quòd dignus sit, neque quòd sufficientem exhibuerit pœnitentiam, sed quòd infirmus sit, ideo, inquit, dignor illum venia. Vnde & adiecit: *Ne abundantiori tristitia absorbeatur.* Qui sermo declarat illius vehementem pœnitentiam, quem Paulus non sit passus in desperationem venire. Et infrà: Ea ex re docemur quòd non solùm ad peccatorum naturam, verùm etiam ad mentem habitumque peccantium oporteat moderari pœnitentiam. Hæc Chrysostomus, quem secutus Theophylactus in eundem locum similia commentatur. Atque inter cætera his vtitur verbis: Pulchrè autem dixit: Donare. Vt enim ille non existimet sibi remissam noxam, quia satis confessus sit, & sufficienter pœnitentia ductus, ostendit quòd non tantum ex pœnitentia sua, quantum ex illorum gratia & donatione dimissionem recipiat. His quoque similia apud Theodoretum & Oecumenium leguntur, nec non in commentario qui Ambrosio inscriptus est. In eandem sententiam apostolum interpretatus est Pacianus his omnibus antiquior in epist. 3. vbi contra Nouatianos agens productis ijsdem apostoli verbis: Vides, inquit, apostoli indulgentiam, proprias etiam sententias temperantem; vides mitissimam lenitatem longè vestro supercilio separatam? longè à Nouatiani fronte dissimilem? communi verò vitæ ac saluti omnium consulentem? Hæc ille, cui adde eius ferè æqualem Ambrosium lib. 1. de pœnitentia capit. 6. & capit. vltimo. Vbi ad eundem modum apostoli verba tractat, atque indulgentiæ nominatim meminit. Iam verò non est cur dubitetur quin hunc eundem relaxandæ pœnitentiæ morem ab apostolis acceptum deinceps ecclesia retinuerit, quod quidem ita esse ex vetustis tum scriptoribus, tum concilijs facilè doceri potest.

Primùm legimus apud Tertullianum libro ad martyres capit. 1. quosdam pacem in ecclesia nondum habentes, eam à martyribus in carcere constitutis exorare consueuisse. Cùm enim lapsi essent, & pœnitentiæ tempus nondum implessent, martyrum intercessione impetrabant ab ecclesia condonationem pœnitentiæ restantis, atque ita statim ad pacem, id est, reconciliationem admittebantur, quæ non dabatur nisi peracta priùs pœnitentia. Idem Tertullianus postea quam ad Montanistarum sectam deflexisset, in lib. de pudicitia capit. vltimo catholicæ ecclesiæ id vitio vertit, quod antè laudauerat; nempe quòd ad confessorum seu martyrum petitionem relaxata lapsis pœnitentia pacem daret; aut certè (quod etiam post eum Cyprianus) nimiam quorundam indulgendi facilitatem accusat. Ex vtroque autem loco manifestè deprehenditur iam tum in ecclesia fuisse consuetudinem lapsis condonandi partem aliquam pœnitentiæ.

Sed adhuc clariùs id liquet ex eodem Cypriano lib. 3. epistola 14. & aliquot sequentibus. Nam in epist. 14. culpat quorundam presbyterorum temeritatem, quòd inconsulto episcopo, & non expectato iusto tempore, neque habita ratione disciplinæ ecclesiasticæ ad indiscretam petitionem martyrum lapsis pacem tribuerent. Vult autem prudenter & moderatè eam gratiam concedi, videlicet huiusmodi verbis indulgendi potestatem & vsum probans, sed tantùm abusum remouens. Quin & semper in præteritum factum esse dicit, vt à presbyteris & diaconis fugerentibus admonerentur martyres, si plus aliquid peterent quàm concedi æquum esset. Vnde consequitur multò ante Cyprianum indulgentiarū vsum in ecclesia fuisse. Et in epist. 15. martyres ipsos admonet, vt exemplo martyrum anterioris temporis, nominatim designent eos, quibus pacem dari desiderant, nec alios nominent quàm quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspexerint. In epist. autem 18. Qui, inquit, libellum à martyribus acceperunt, & auxilio eorum adiuuari apud Dominum in delictis suis

A possunt; si premi infirmitate aliqua & periculo ceperint, exomologesi facta, & manu eis à vobis in pœnitentiam imposita, cum pace à martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur. Meminit item huius indulgentiæ lib. 4. epist. 2. & in serm. de lapsis.

His authoribus adde Pacianum, Ambrosium, Chrysostomum, Theodoretum & alios iam citatos, qui apostolum de indulgentia seu condonatione pœnitentiæ interpretantes haud dubiè factum eius tanquam toti ecclesiæ imitandum commendarunt. B Item Theodorum Cantuariensem episcopum qui in pœnitentiali suo, cuius verba in textu citat Magister, dicit infirmorum pœnitentium qui in mortis periculo positi fuerint, pondus pœnitentiæ amicorum orationibus & eleemosynarum largitionibus subleuandum esse, si fortè migrauerint è vita, nimirum sacerdote preces & eleemosynas amicorum ad pœnæ purgatoriæ relaxationem ei applicante.

Porrò certior etiam huius rei probatio est ex concilijs, in quibus multæ episcoporum sententiæ conuenerunt. Extat Niceni concilij 1. can. 11. in quo statuitur licere episcopis circa eos pœnitentes C qui conuersationem suam bonam non verbis solùm, sed & opere & veritate demonstrant, aliquid humanius cogitare: quod non est aliud quàm de rigore pœnitentiæ aliquid remittere.

Et eo antiquior canon Ancyrani concilij num. 5. in quo sic legitur: Episcopum autem habere licentiam oportet, vt perspecta singulorum conuersatione normam regulamque conuersationis attribuat, id est, vt humanius agens secundùm vitæ modum, tempus alicui pœnitentiæ breuiare, aut etiam prolixius quod correctioni necessarium viderit, addere possit. Discutiatur autem D omnium horum & præcedens vita & subsequens, & ita circa eos sacerdotalis se humanitas moderetur. Hæc ibi. Simile quid etiam in Epaunensi concilio tempore Gelasij habito statuitur can. 29. vbi & indulgendi vocabulum clarè exprimitur.

Eodem pertinet quod in concilio Carthaginensi 4. cui Augustinus interfuit, legitur can. 75. & 76. pœnitentes pro ratione diligentiæ vel negligentiæ suæ citiùs vel tardiùs reconciliandos, E & eum qui in infirmitate fuerit reconciliatus, si superuixerit, subdi debere statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu sacerdos qui pœnitentiam dedit, probauerit. Vnde patet quòd sacerdos de statuto pœnitentiæ tempore aliquid minuere poterat. Idem liquet ex can. 3. concilij Neocæsariensis & cap. 60. concilij Agatensis.

Sed his iam summorum pontificum sententias adiungamus, Leo epist. 79. cap. 6. de ijs agens qui vel metu, vel errore iterum baptizati, postea ad pœnitentiam redeunt, statuit vt circa eos temporis pœnitentiæ habeatur moderatio, episcopi iudicio constituenda, prout conuersorum animos perspexerit esse deuotos &c.

F Post eum Vigilius papa in epist. ad Euthecium cap. 4 scribit in hunc mundum: In æstimatione fraternitatis tuæ, aliorumque pontificum relinquatur, vt si qualitas & pœnitentis deuotio fuerit approbata, indulgentiæ quoque remedio sit vicina.

Porrò Gregorius 1. vtroque posterior, Romæ instituisse dicitur stationes ad sanctorum basilicas pro consequendis indulgentijs. Ad huius tempora nonnulli catholici parum circumspectè retulerunt indulgentiarum originem, cùm ex superioribus constet, quantò sit earum vsus Gregorij temporibus antiquior.

Post Gregorium autem haud dubiè magis quàm antè, indulgentiarum & res & nomen in vsu esse cepit. Vnde pontifices posteriores in suis decretalibus epistolis earum meminerunt, tanquam rei vsu fidelium in ecclesia iam frequentatæ, velut Alexander 3. ante quadringentos annos scribens ad archiepiscopum Cantuariensem, vt habetur extra de pœnitentijs & remissionibus vbi de remissionibus, id est, indulgentijs agit quæ ab episcopis conferri solent in dedicationibus ecclesiarum.

Et post eum Innocentius 3. in magno concilio Lateranensi cap. 3. meminit indulgentiarum quæ iam antè concessæ fuerat accedentibus in subsidium terræ sanctæ, easque cum eodem concilio approbat, & cap. 60. prohibet abbatibus indulgentias concedere: capite verò 62. indiscretas & superfluas indulgentias inhibere volens, modum præscribit, vltra quem ab episcopis concedendæ non debeant extendi, & ad eam rem allegat consuetudinem ecclesiæ Romanæ. Hanc concilij constitutionem postea seruari præcipiunt Honorius extra de pœnitentijs & remissionibus can. penultimo, & Innocentius 4. in concilio Lugdunensi, vt habetur eodem titulo in sexto cap. Romana ecclesia, & Bonifacius 8. ibidem cap. indulgentiæ. Idem Bonifacius in extrauaganti quæ incipit, antiquorum, commemorans quàm largæ fuerint antiquitus indulgentiæ concessæ visitantibus apostolorum limina, pro eadem causa tribuit plenariam indulgentiam in anno Iubilæi, ac demum Clemens 6. in extrauaganti cuius initium, Vnigenitus de cælesti hoc ecclesiæ thesauro doctè & copiosè disserit.

Posteaquam verò etiam ab hæreticis impugnari cepta est hæc pia ecclesiæ traditio, manifestiùs quoque tanquam ad dogmata Catholicæ fidei pertinens à concilijs & pontificibus ea doctrina comprobata est, vt patet ex articulo 42. Ioannis Wicleff. & articulo 8. Ioannis Huss. condemnatis in concilio Constantiensi, & ex interrogationibus præscriptis in bulla Martini 5. Item ex conclusione 6. Petri Oxomensis damnata à Sixto 4. & aliquot articulis Lutheri damnatis à Leone 10.

Quibus omnibus denique accessit clara definitio Tridentini concilij sess. 25. facta his verbis: Cùm potestas conferendi indulgentias à Christo ecclesiæ concessa sit, atque huiusmodi potestate diuinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa vsa fuerit, sacrosancta synodus indulgentiarum vsum christiano populo maximè salutarem, & sacrorum conciliorum authoritate probatum, in ecclesia retinendum esse docet & præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in ecclesia potestatem esse negant. Hæc synodus.



§. 3. In-

§. 3. *Indulgentias valere pro sæculo futuro.*

S. Thom. sup. q. 25. ar. 2. q. 71. ar. 10.

QVorundam fuit opinio (quod & Lutherus in suis posuit assertionibus) per indulgentias episcoporum tantùm relaxari pœnitentiam quæ in hac vita peccatori iniungitur, non autem eas ad hoc valere, vt pœna in futuro sæculo debita condonetur. Quod quàm sit à catholica veritate alienum, ostenditur imprimis ex ipsa potestatis indulgentias conferendi institutione. Si enim qui potestate à Christo accepta Matth. 16. & 18. satisfactorias pœnas relaxat, ita eas soluit in terra, vt solutæ sint & in cælis, id est in iudicio Dei, certum est fructum indulgentiarum ad futurum sæculum pertinere. Alioqui enim grauiter fallerentur fideles, qui relaxatis in hoc sæculo pœnitentijs cogerentur loco earum longè acerbiores pœnas sustinere in purgatorio, verumque esset illud Lutheri indulgentias esse fraudes fidelium.

Probatur idem ex apostoli verbis 2. Corinth. 2. dicentis se Corinthio illi fornicario donasse, id est, pœnitentiam relaxare in persona Christi. Quo verbo declarat eam condonationem valere & ratam esse in iudicio Dei, perinde atque si Christus ipse qui secundùm prophetam est pater futuri sæculi, & secundùm apostolum Hebr. 9. pontifex futurorum bonorum, condonasset. Hinc Pacianus in epistola 3. tractans eundem locum 2. Corinth. 2. dicit apostolum per eiusmodi indulgentiam communi vitæ ac saluti omnium consulere. Quod verò non diceretur, si indulgentia non spectaret futuri sæculi fructum, sed tantùm adferret pœnarum quandam immunitatem seu relaxationem in hoc sæculo. Simili modo verba apostoli tractat Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 6. dicens Paulum ijs verbis sibi vindicasse ius Domini sui non indebitum sed acceptum dicente Domino: *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Et eiusdem lib. cap. vltimo vbi hanc condonationem vocat peccati remissionem. Eundem sensum explicat commentarius Ambrosio ascriptus in 2. Corinth. 2. qui inter alia sic habet: Et vt ratum ei cui donauit, ostenderet apud Deum, ait in persona Christi se donasse quod donauit: hoc est, accepto tulisse Christum cuius legatione fungebatur, vt factum apostoli factum sit Christi, sicut dixit: *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo &c.* Ex quibus clarum est eam relaxationem quam apostolus faciebat in terris, effectum habuisse in cælis, & in remissionem peccatorum fuisse concessam, quemadmodum etiam in bulla Constantiæ data loquitur Martinus 5. & proinde ad tollendas vel minuendas futuri sæculi pœnas valuisse.

Potest id etiam ex Tertulliano colligi qui sub finem libri de pudicitia catholicis obijcit, quòd eorum martyres mœchis & fornicatoribus donando delicta communionem redderent.

Sed Cypriani locus apertior est in epist. 14. vbi dicit eos qui libellum à martyribus acceperunt, auxilio eorum adiuuari apud Dominum in delictis suis posse, si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, & cum pace à martyribus sibi promissa ad Dominum remitti. Neque verò idem Cyprianus vnquam passus fuisset fideles lapsos tanto studio merita martyrum ambire, vt per literas ab eis acceptas indulgentiam apud episcopum & clerum obtinerent, ac multò minùs studium illud fidelium scripto & facto suo probasset (quemadmodum probasse eum ex epistolis liquet) si ea remissio nihil ad futurum sæculum pertineret. Quin potiùs reprimere & prohibere tam cæcam lapsorum petitionem debuisset, si per relaxationem salutaris pœnitentiæ huius sæculi acerbissimis futuri sæculi pœnis erant reseruandi. Imò tam Cyprianus quàm alij episcopi qui in concilijs quorum suprà meminimus, constituerunt circa quosdam pœnitentes humanius aliquid agendum esse, pessimè pœnitentibus illis consuluissent, si per eam humanitatem nihil de futuri sæculi pœnis fuisset ademptum; multoque meliùs actum cum eis fuisset, si totam satisfactionem implere iussi, pœnas futuri sæculi redemissent.

Præterea si indulgentiæ tantùm remittunt pœnas huius vitæ, iam illud quoque verum esset, quod contra expressa Cypriani verba & antiquissimam ecclesiæ traditionem conciliorum & pontificum authoritate probatam Lutherus inter cætera asseruit: indulgentias neque morituris neque infirmis necessarias aut vtiles esse, quòd hi non soleant aliqua pœnitentia ligari, sed ijs duntaxat vsui esse, qui per remissiones bonorum operum salutem suam non tam quærunt quàm fugiunt.

Item ad impetrandam huiusmodi indulgentiam nihil opus erat meritis martyrum, de quibus loquuntur Tertullianus & Cyprianus, quandoquidem solo intuitu supplicationis pœnitentium poterant episcopi remittere aliquid de rigore disciplinæ externæ, sicut potest dominus aut paterfamilias in domo & iudex in ciuitate. Nunc autem ideo in martyrum confessorumque merita respicit, semperque respexit ecclesia, vt inde per misericordem præfectorum lenitatem suppleretur & compensaretur quod de exacta satisfaciendi mensura defuisset, atque ita plena fieret remissio, perinde ac si de satisfactione nihil fuisset desideratum.

Postremò certum huius rei argumentum sumitur ex consuetudine quæ nunc per totam ecclesiam seruatur. Non enim hodie per indulgentias aliquid minuitur de pœnitentia per sacerdotem iniuncta, quemadmodum olim fiebat, sed de pœnitentia quæ secundùm antiquos canones & exactum disciplinæ rigorem iniungi deberet, nisi pristinam illam seueritatem mores christiani populi, vt nunc sunt, minùs ferrent. Cùm igitur hoc pacto per indulgentias nihil tollatur de pœna præsentis sæculi (quandoquidem & sine eis nihil amplius quàm quod sacerdos imponit, ecclesia exigit) consequens est, aut omnino inanes eas esse, vt hæretici calumniantur; aut vtiles esse ad euadendas purgatorij pœnas, quæ alioqui pleniore satisfactione in hoc sæculo fuerant redimendæ, quemadmodum habet ecclesiæ sensus.

Quæ cùm ita sint, meritò Sixtus 4. inter alias, hanc quoque conclusionem Petri Oxomensis damnauit qua negabat papam posse indulgere alicui viuo pœnam purgatorij. Quod ipsum & antè in Ioanne Wicleff atque Ioanne Huss tametsi verbis non ita expressis damnauerat Martinus 5. & postea in Luthero inter eius articulos damnarunt Leo 10. ac denique in Tridentini decreti parte damnatum satis intelligitur, qua

definitur indulgentiarum vsum esse Christiano populo maximè salutarem, simulque anathemate damnantur qui eas inutiles esse asserunt.

Huc denique referenda sunt quæ diximus alibi de fructu satisfactionis præcipuo, qui est ad redimendas futuri seculi pœnas. Hoc enim si verum est, oportet & satisfactionis remissionem, ne fideles decipiantur, eodem pertinere. Vnde ijdem hæretici qui satisfactiones negant valere respectu Dei, sed tantùm valere volunt respectu ecclesiæ, etiam in indulgentijs, id est, in satisfactionibus relaxandis rem similiter se habere contendunt, ideoque contra eos vtrumque catholicum dogma ex altero defendere & confirmare nos oportet.

§. 4. *Indulgentias niti meritis Christi & sanctorum, & de thesauro.*

S. Thom. suppl. q. 25. & 26.

QVamuis indulgentia sit satisfactionis pro peccatis iniunctæ vel iniungendæ remissio, non ita tamen quin aliunde pro ijsdem peccatis solutionem interuenire, & satisfactionem fieri oporteat, quæ nimirum suppleat defectum satisfactionis eius cui conceditur indulgentia, sicut remissio pœnæ æternæ suppletur per passionem Christi. Suppletur itaque ille defectus ex thesauro meritorum Christi & martyrum eius, aliorumque sanctorum, quæ per ecclesiæ prælatos applicantur ijs quibus pœnæ condonantur. De quo thesauro Clemens 6. in extrauaganti quæ incipit, Vnigenitus, verba faciens dicit Christum superabundanti passione sua infinitum thesaurum ecclesiæ militanti reliquisse. Quem quidem thesaurum, inquit, non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum cæli clauigerum eiusque successores, suos in terris vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum. Et infrà: Ad cuius quidem thesauri cumulum beatæ Dei genetricis, & omnium electorum à primo iusto vsque ad vltimum, merita adminiculum præstare noscuntur.

Ex quibus & alijs eiusdem pontificis verbis intelligitur hunc meritorum & passionum thesaurum præcipuè fundari & consistere in infinita & inexhausta magnitudine meritorum & passionum Christi. Hac enim ratione proprijssimè infinitus & inconsumptibilis hic thesaurus vocatur. Deinde in communione sanctorum quam in symbolo confitemur, qua fit, vt in ecclesia Dei aliorum merita & passiones alijs tanquam eiusdem corporis membris applicari & prodesse possint, vt sic iuxta apostolum 2. Corinth. 8. aliorum abundantia aliorum inopiæ sit supplementum. Hortatur enim eo loco apostolus Corinthios terrenis opibus abundantes ad conferendam liberaliter eleemosynam in sanctos quosdam, secundùm sæculum quidem inopes, sed apud Deum diuites; vicissim promittens futurum vt horum spiritualis abundantia suppleat illorum inopiam, vt quibus ad propiciandum Deum propria minùs sufficiunt, ad id alienorum operum communione iuuentur.

Huc etiam referri potest quod idem apostolus ad Coloss. 1. scribens dicit: *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est ecclesia.* Ideo namque dicit se adimplere ea quæ desunt passionum Christi, non quasi passio Christi non fuerit sufficientissimum precium pro culpis & pœnis peccatorum totius mundi, sed quia cùm secundùm Augustinum & Gregorium totus Christus sit caput & corpus, præter passiones capitis ex rectissima Dei ordinatione requiruntur etiam passiones membrorum, quæ capiti suo debent conformari, vti docet Tridentina synodus sess. 14 cap. 8. Non diceret apostolus autem se adimplere eas passiones pro ecclesia, si passiones quas in carne sua tolerabat, tantùm pro ipsius persona valerent, & non pro alijs ecclesiæ membris. Nam alioqui quilibet alius quantulumcunque pœnarum substinens diceretur pro ecclesia adimplere ea quæ desunt passionum Christi; inquantum videlicet est membrum corporis Christi. Plus ergo aliquid dicere voluit apostolus, nempe suas passiones ita cedere in vsum corporis Christi, quatenus de ijs alia etiam membra participarent. Hunc sensum apostoli indicat Chrysostomus in commentario dicens: Nondum Christus omnia passus est pro vobis, etiam post mortem patitur, si quidem adhuc reliqua quædam manserunt. Hoc etiam in ea quæ ad Romanos est, aliter quidem facit, inquiens: Qui & interpellat pro nobis, declarans quòd non mors sola suffecerit, sed & postea innumera faciat. Sic Chrysostomus, videlicet innuens, quòd pro qua re Christus adhuc interpellat post mortem, pro eadem etiam in suis membris adhuc patiatur. Sicut ergo post mortem adhuc interpellat pro plena remissione nostrorum peccatorum, ita pro eadem causa adhuc in suis patitur membris.

Pro huius doctrinæ confirmatione multa alia tum ex scriptura, tum ex patribus adferri possent, sed quia ad distinct. 15. compluribus testimonijs ostendimus posse alium pro alio satisfacere, cui doctrinæ præsens ista nititur, ideo ex eo loco cætera petantur.

Duo tantùm hîc annotãda supersunt: alterum quod ea bonorum operum in ecclesia Dei abundantia ex qua semper aliquid ad hunc meritorum thesaurum accedere Catholici docent, consentanea sit scripturæ sacræ: alterum quod passiones sanctorum non tantùm communione quadam charitatis nobis impertiantur, sed quòd verè sint condignum pretium pro peccatis nostris quoad pœnas restantes. Prius illud ex his scripturis ostenditur. Dicit apostolus 1. Timoth. 6. *Præcipe diuitibus huius seculi non sublime sapere, diuites fieri in operibus bonis, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum.* Et 2. Corinth. 9. *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in omnibus vobis vt in omnibus semper omnem sufficiẽtiam habentes, abundetis in omne opus bonum. Qui autem administrat semen seminanti & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ: Vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem.* Et superiori cap. meminit abundantiæ spiritualium bonorum per quam suppleatur inopia aliorum. Nam & propterea *Christus*, vt ibidem dicitur, *propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia nos diuites essemus.* Sic in Actis apostolicis 9. Dorcas discipula plena fuisse scribitur bonis operibus. Et in euangelio Christus nos admonet, vt thesaurum nobis thesaurizemus in cælis, videlicet, bonorum operum. Thesauri autem nomine abundantia rei preciosæ μεταφορικῶς significatur.

Denique ecclesia sacris literis edocta orat Deum, vt in nomine dilecti filij eius mereamur bonis operibus abundare, Dominica intra octauam natiuitatis Domini. Nec dubium quin in multis suis

membris

membris exaudiatur. Fit igitur ex hac bonorum operum copia & abundantia, vt possit alius pro alio satisfacere, vtque aliorum merita & passiones prosint alijs. Nam quod in genere de bonis operibus dicitur, id quò minùs de sanctorum passionibus speciatim intelligatur, nihil prohibet, cùm de ijs canat ecclesia: Omnes sancti quanta passi sunt tormenta.

Hoc autem posterius ex ijs probatur quæ dudum de satisfactione dicta sunt. Nam, vt ibi ostendimus, satisfactioni nostræ quam pro peccatis agimus, passim in scripturis & patribus hæc nomina tribuuntur, vt vocetur redemptio, vindicta, compensatio, solutio, digna castigatio, & digni fructus pœnitentię. Quare cum passiones sanctorum nobis per indulgentiam applicatæ, suppleant defectum nostrarum satisfactionum, & consistant ex parte nostra, perinde atque si nostræ essent satisfactiones; consequens est eas quoque habere rationem condigni precij respectu pœnarum nobis debitarum quæ per illas redimuntur: vt meritò hac etiam ratione preciosa æstimetur in conspectu Domini mors sanctorum eius.

Vnde Augustinus tract. 47. in Ioan. de Christo loquens: Preciosus, inquit, sanguis est illius sine peccato, fecit tamen ipse etiam suorum sanguinem preciosum, pro quibus dedit sanguinis precium.

Et plenius Origenes homil. 10. in librum Numerorum: Redeamus, inquit, ad pontificem nostrum, pontificem magnum qui penetrauit cælos, Iesum dominum nostrum, & videamus quomodo ipse cum filijs suis, apostolis scilicet & martyribus, sumit peccata sanctorum. Et quidem quod Christus venerit, vt tolleret peccatum mundi, & morte sua peccata nostra deleuerit, nullus qui Christo credit, ignorat. Quomodo autem & filij eius auferant peccata sanctorum, id est, apostoli, & martyres, si potetimus, ex scripturis diuinis probare tentabimus. Audi primo Paulum dicentem: libenter expendam & expendar pro animabus vestris. Et in alio loco, Ego enim iam immolor, inquit, & tempus resolutionis meæ instat. Pro ijs ergo quibus scribebat, expendi se & immolari dicit apostolus: hostia autem cùm immolatur, ad hoc immolatur vt eorum pro quibus ingulatur, peccata purgentur. De martyribus autem scribit Ioannes apostolus in apocalypsi quia animæ eorum qui ingulati sunt propter nomen Domini Iesu, assistunt altari &c. Quibus verbis Origenes præterquam quòd passiones martyrum ad remissionem peccatorum valere testatur instar precij, quo debitum pœnæ tollatur, etiam thesaurum meritorum Christi & sanctorum non obscurè indicauit, tanquam præfiguratum in eo quod Num. 18. dicit Dominus ad Aaron iuxta versionem 70. *Tu & filij tui sumetis peccata sanctorum.* Eiusdem in homil. 24. hæc non minùs expressa verba leguntur: Quod si agimus qui ad purificandum populum datus est, ad personam Domini & saluatoris nostri refertur, consequens videtur, quòd etiam cætera animalia quæ eisdem purificatiuis vsibus destinata sunt, referri debeant similiter ad aliquas personas quæ per meritum sanguinis Christi, purificationis aliquid humano generi conferant. Vide ergo ne fortè sicut dominus & saluator noster quasi agnus ad occisionem ductus, & in sacrificium altaris oblatus, peccatorum remissionem vniuerso præstitit mundo: ita fortassis & cæterorum sanctorum ac iustorum sanguis qui effusus est à sanguine Abel iusti vs-

A que ad sanguinem Zachariæ qui interfectus est inter ædem & altare, alterius quidem sanguis sicut vitulæ, alterius sicut hirci aut capræ aut alicuius horum, fusus est ad expiandum pro parte aliqua populum. Et quæ sequuntur. Quibus rursum & thesaurus ille commonstratur, & clarè docetur per meritum sanguinis Christi, etiam martyrum sanguine aliqua ex parte expiari peccata, videlicet quoad pœnas temporales illis debitas.

Id quod in ecclesia iam olim creditum Tertullianus postquam ab ea defecit, criminatus est in lib. de pudicitia huiusmodi sententijs: Atqui iam & in B martyres tuos effundis hanc potestatem. Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Quis alienam mortem sua soluit nisi solus Dei filius? Quibus tamen in verbis Tertullianus errore cæcatus sibi ipsi contrarius reperitur. Nam si non derogat precio redemptionis Christi, martyr propria delicta morte sua purgans, quod ille concedit, & sufficere vult martyri: neque igitur derogabit purgans aliena, quandoquidem sicut propria, ita & aliena peccata redimere purus homo potest quidem, sed non nisi per Christum. Ex quibus intelligitur in Luthero C hunc quoque articulum numero 19. meritò fuisse damnatum, quo dixit: Indulgentias non valere ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud diuinam iustitiam.

§. 5. *Obiectiones aduersariorum diluuntur.*

DOctrinam superiorem ea maximè parte qua tradit sanctorum merita posse alijs applicari D ad remissionem pœnæ pro peccatis debitæ, grauiter insectantur hæretici, his potissimùm argumentis vtentes.

Primò. Christi merita & passiones abunde sufficiunt remissioni omnium peccatorum totius generis humani, quoad culpas & pœnas, vt scriptura 1. Ioan. 2. atque alibi testatur; ergo non tantùm frustrà, sed & impiè recurritur ad merita & passiones sanctorum quasi per eas suppleatur quod Christo deest.

Secundò. Indignum est, inquiunt, miscere sanguinem Christi cum sanguine martyrum, ergo non sunt ferendi qui constituunt communem thesau- E rum meritorum Christi & quorumlibet sanctorum.

Tertiò. Solus thesaurus meritorum Christi inexhaustus est, quia solus infinitus. Nam aliorum sanctorum merita sicut finita sunt, ita thesaurus qui inde conflatur, finitus est, & proinde tandem exhauriri poterit, præsertim per indulgentias adeo largas & frequentes, vt hodie conferuntur; ergo saltem incertum erit nobis vtrumne adhuc ille thesaurus subsistat, & consequenter incertæ redduntur ipsæ indulgentiæ ea parte qua meritis sanctorum nituntur.

F Quartò Obijciuntur aliquot sententiæ patrum quæ redemptionem hominum & remissionem peccatorum ita solius Christi morti & sanguini tribuunt, vt eam à martyribus, alijsque sanctis remoueant. Ait enim Leo epist. 83. Quamuis multorum sanctorum in conspectu Domini preciosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propiciatio fuit mundi: Acceperunt iusti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuere, nec alterius quisquam debitum

suo fine persoluit. Quæ verba ijs quæ suprà ex Tertulliano recitauimus, non dissimilia à beato Leone repetuntur epist. 97. cap. 2. & serm. 12. de passione Domini. Sic Augustinus tract. 84. in Ioan. Etsi, inquit, fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius sanguis martyris funditur, quod fecit ille pro nobis. Neque in hoc quod imitaremur, sed quod gratularemur, contulit nobis. Imitari quis morientem potuit, nemo autem potuit redimentem. Eiusdem Augustini sententia est lib. 6. contra Iulianum cap. 8. Nullam impietatem relinqui impunitam, nisi quam sanguis mediatoris expiauerit. Ambrosius quoque dicit in fine lib. 6. in Lucam: Aliæ cruces nihil mihi prosunt, sola crux Christi mihi vtilis est. Et Fulgentius in serm. de Epiphania Christi, Sanguis, inquit, huius pueri prætereà non cum istorum sanguine funditur puerorum, quia solus in remissionem fundendus est peccatorum. Adijcitur & S. Thomæ Aquinatis authoritas, qui in 3. quæst. 48. art. 5. ad 3. dicit quod passiones sanctorum proficiunt ecclesiæ, non quidem per modum redemptionis, sed per modum exempli & exhortationis secundum illud 2. Corinth. 1. *Siue tribulamur pro vestra exhortatione & salute.* Idem super 1. Corinth 1. passio aliorum nobis est salutifera solùm per modum exempli.

Quintò. Sanctis nihil meritorum redundat, iuxta illud quod prudentes virgines in persona omnium sanctorum dicunt ad fatuas Matth. 24: *ne fortè non sufficiat nobis & vobis.* Vnde Augustinus quæst. 59. inter octoginta tres Vix, inquit, sibi quisque sufficit, vt ei testimonium perhibeat conscientia sua, non ergo poterunt eorum merita alijs applicari ad remissionem pœnæ.

Sextò. Etiamsi sanctis aliquid meritorum redundaret, propter opera quæ vocantur supererogationis, tamen condignum & supra condignum præmium pro ijs omnibus accipiunt à Deo. Itaque nihil eis superest, quod in alios conferatur. Et tamen videtur esse eadem ratio satisfactionum; quia, vt Durandus argumentatur, etsi qui innocenter vixerunt, non indiguerint satisfactione, atque ita satisfactio vt talis, eis, redundare videatur, attamen satisfactionis ratio commutata eis fuit in remunerationem gloriæ.

Septimum eiusdem Durandi argumentum. Opus vnius non cedit in satisfactionem alterius, nisi ille pro isto satisfacere intenderit. Nihil autem tale sancti intenderunt, vt qui ex humilitate sentirent pœnas suas peccatis esse minoras, dicentes cum psalmista psal. 102. *Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.*

Octauò. Relaxatio indulgentiarum fit virtute clauium, atqui claues vim habent tantùm ex merito passionis Christi, non autem sanctorum, ergo relaxatio illa non fit per merita sanctorum.

Postremò. Verba Clementis suggillant hæretici quibus in sua extrauaganti dicit, quòd omnium sanctorum merita præstant adminiculum thesauro meritorum Christi; quasi videlicet sanguis Christi vel per se non sufficeret, vel aliquando defecturus esset, ac vim suam amissurus nisi iuuaretur admixtione sanguinis martyrum.

His argumentis sic ordine respondemus.

Primum argumentum nostris etiam satisfactionibus commune est, ad quod proinde simili modo respondendum quo de satisfactionibus nostris respondet synodus Tridentina sess. 14 cap. 8. nempe passiones sanctorum totum id quod valent ad redimenda fidelium peccata, non aliunde habere quàm per Christum Iesum, quo cooperante sancti omnia possunt, ideoque omnem eorum gloriationem esse in Christo: in quo viuunt, in quo merentur, in quo etiam pro alijs satisfaciũt per passiones & mortes suas, quæ ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre. Quamuis ergo meritum passionis Christi per se abunde sufficiat omnibus peccatis & pœnis abolendis, voluit tamen ille sicut mereri, ita & satisfactionis dignitatem, per eandem passionem suam etiam alijs communicare. Sic enim honorabitur quem rex voluerit honorare. Atq; hoc est quod dicit Origenes homil. 24. in Num. quòd aliæ quædam personæ à Christo purificationis aliquid humano generi conferunt, sed per meritum sanguinis Christi.

Ad secundum respondetur Catholicos ponentes vnum thesaurum meritorum Christi & sanctorum, non miscere sanguinem Christi cum sanguine martyrum; quia non collocant Christi & sanctorum merita in eodem ordine, sed latum inter discrimen agnoscunt, cùm Christus per se, sancti non nisi per Christum mereri & dignum aliquod precium pro redimendis peccatorum pœnis præstare possint. Nec verò à scriptura sacra alienum est in sermone coniungere ea quorum diuersissima sit ratio, velut quod dicitur Exodi 14. *Crediderunt Domino & Moysi seruo eius* & in epistola ad Philæmonem: *Audiens charitatem tuam & fidem quam habes in Domino Iesu, & in omnes sanctos.* In quem locum scribens Hieronymus explicat quomodo eandem fidem in Christum & in sanctos eius quis possit habere. Sic legimus alibi gladium Domini & Gedeonis. Item benedicere Deo & regi & illud Ioan. 20. *sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Et quod huic instituto propiùs seruit illud 4. Reg. 19. *Protegam vrbem hanc & saluabo eam propter me & propter Dauid seruum meum*, atque alia huiusmodi. Quare similiter neminem meritò potest offendere thesaurus meritorum Christi & sanctorum, quando inter hæc & illa merita debitum discrimen agnoscitur.

Ad tertium ita respondet Clemens in extrauaganti: De cuius, inquit, thesauri consumptione, seu minutione non est aliquatenus formidandum tam propter infinita Christi merita, quàm pro eo quòd quantò plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Cui respõsioni adiungere licet id quod dicit Leo in serm. de sanctis Petro & Paulo; nempe quòd Deus per eorum merita Romanam ecclesiam vsque in finem seculi conseruabit. Id quod etiam ad merita satisfaciendi extendi potest, quia quamuis non sint infinita, nihil tamen vetat per diuinam dispositionem ea valere toto hoc seculo durante quod similiter non est infinitum: præsertim quum omne continuum sit in infinitum diuisibile. Vnde nec facilè dicendum est alicuius sancti merita quoad satisfactiones iam esse exhausta. Nouit enim Deus qui omnia in mensura, numero & pondere disponit, quomodo ea dispenset, vt non deficiant, donec finiatur hoc seculum.

Ad quartum respondetur eiusmodi sententias hunc sensum habere, quòd nemo sanctorum martyrum poterit tanti precij mortem exhibere, qua debitum æternæ mortis persolueret. Hoc enim citra controuersiam vni mediatori ac redemptori Christo proprium est, & huius generis redemptionem intelligunt scripturæ & patres, dum eam passim Christo propriam faciunt. Non est autem ne-

gandum

gandum quin tam preciosa fuerit in conspectu Dei mors sanctorum martyrum, aliorumque iustorum passiones, vt ijs debitum alterius temporaneum redimi atque exsolui possit sicut vnusquisque sua peccata eleemosynis redimere admonetur Ambrosius autem non aliud vult, quàm quod dicit apostolus Galat 6. *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini &c.* quia aliæ cruces vtiles esse non possunt, nisi per crucem Christi, & proinde prima & præcipua gloriatio tantùm est in cruce Christi. Attamen nisi vnicuique etiam sua crux aliquo modo vtilis esset, non diceret Dominus *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.* Ad verba sancti Thomæ quid sit respondendum, videatur Caiet. in eum locum.

Ad quintum & sextum argumentum respondetur quod etsi sancti pro bonis operibus plenam à Deo mercedem accipiant, nihil tamen vetat, imò diuinæ bonitati valde congruit, vt intuitu eorum operum, per quæ sancti singulariter Deo placuerunt, ipsi etiam alijs benefaciat: sicut de Abraham, Moyse, Dauide, & alijs legimus. Locus autem Matth. 24. contra eos facit potissimùm qui ex aliorum meritis pendent, ipsi interim à bonis operibus vacantes, & nihil agentes, per quod mereantur aliorum subsidijs iuuari, contra quos disserit Chrysostomus hom. 5. in Matth.

Pro solutione eius quod Durandus obijcit distinguenda est in vnoquoque bono opere pœnali duplex ratio. Nam quatenus est bonum opus, est meritorium æternæ vitæ, quatenus verò idem bonum opus etiam pœnale est, satisfactorium est. Vnde quamuis meritum sit plenè remuneratum, sit tamen vt in quantum pœnale & proinde satisfactorium est, possit adhuc alijs applicari ad redimendas eorum pœnas.

Ad septimum respondetur non requiri expressam illam intentionem sed sufficere, vt Deus per suam prouidentiam pœnalia sanctorum opera referat et in bonum publicum ecclesiæ. Quam quidem intentionem tacitè atque in genere etiam sancti ipsi habuerunt.

Ad octauum. Quamuis claues vim suam non habeant nisi ex Christi merito, nihil prohibet tamen quin per eas etiam aliorum merita fidelibus ad remissionem pœnarum applicari possint. Nam Christi meritum sufficit ad dandam clauibus eam virtutem.

Ad postremum. Non dicit pontifex merita sanctorum præstare adminiculum meritis Christi, sed præstare adminiculum ad cumulum thesauri meritorum Christi; quia videlicet per ea cumulus ille quadam accessione meritorum efficitur maior extensiuè quoad numerum meritorum, licèt non quoad virtutem quam ex meritis Christi habet infinitam. Deinde non magis absurdum est dicere quòd thesauro meritorum Christi præstant adminiculum merita sanctorum, quàm quod ait Paulus 1. Corinth. 3. *Dei adiutores sumus.* Intelligitur enim adiutorium & adminiculum huiusmodi præstari propter cooperationem quandam, non propter infirmitatis aut insufficientiæ supplementum. Nam quod idem pontifex nihil derogatum velit infinitæ virtuti sanguinis & meritorum Christi, ex eadem extrauaganti liquet apertissimè. Dicit enim quòd vel modica sanguinis gutta suffecisset pro redemptione generis humani, vocatque thesaurum hunc meritorum Christi infinitum & inconsumptibilem, etiamsi merita aliorum sanctorum nulla accedant. Sed hoc diuinæ bonitatis ac dignationis fuit, vt etiam redemptis suis merendi & redimendi quandam tribueret participationem.

§. 6. Penes quos sit potestas conferendi indulgentias.

POtestas conferendi indulgentias ad eos tantùm spectat qui iurisdictionem habent ecclesiasticam. Qua de re Alexander 3. ad archiepiscopum Cantuariensem ita scribit: Quod autem consuluisti, vtrùm remissiones quæ fiunt in dedicationibus ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, alijs prosint quàm ijs qui remittentibus subsunt, hoc volumus tuam fraternitatem tenere; quòd cùm à non suo iudice ligari nullus valeat vel absolui, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus vt prosint, proprij iudices specialiter indulserunt. Quod decretum habetur extra de pœnitentijs & remissionibus. Estque fundatum in iure diuino eodem quo fundatur ipsa potestas, videlicet Matth. 16. & 18. ligare enim & soluere cùm sit iudicis officium, nemo potest nisi qui iurisdictionem in eos habet quos ligat, aut soluit. *S. Thom. supra q. 26. per totam.*

Sed iam vlterius quæritur, cuiusmodi iurisdictio hic requiratur. Nam Durandus putat requiri potestatem ordinis, & iurisdictionem in foro interiori, ac proinde solos sacerdotes posse indulgentiam conferre: quia, inquit, indulgentia est absolutio à pœna remanente post absolutionem culpæ, ideoque eandem requirit potestatem quam absolutio à culpa, videlicet potestatem ordinis sacerdotalis.

Verùm ea sententia neque in scholis, neque ecclesiæ consuetudine recepta est. Nam & electi episcopi tametsi nondum ordinati, similiter & legati sedis apostolicæ non presbyteri indulgentias conferre solent. Vnde patet ad conferendas indulgentias, sicut ad excommunicandum necessariò requiri iurisdictionem in foro exteriori, non autem necessariò in foro interiori, seu pœnitentiæ. Atque ex hoc etiam videri potest hanc potestatem magis fundari in dictis locis scripturæ apud Matthæum, quàm in scriptura Ioan. 20. vt quæ præcipuè pertineat ad institutionẽ sacramenti pœnitẽtiæ, quemadmodum declaratum est à patribus Tridentini concilij sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 1. & can. 3. Adde quòd eadem illa verba solis in sua ordinatione dicuntur sacerdotibus.

Primùm itaque certò & indubitatè statuendum est potestatem hanc indulgentias conferendi esse penes summum pontificem, ac reliquos omnes episcopos tanquam ecclesiarum prælatos, iurisdictionem ordinariam fori exterioris habentes, quemadmodum rectè docet Sanct. Thomas in hanc dist. quæst. 1. art. 4. hanc adferens rationem; quia conferre indulgentias est communem thesaurum ecclesiæ dispensare; atqui dispensatio bonorum cuiusque reipublicæ pertinet ad eius principes & gubernatores, qui quidem in ecclesia sunt episcopi.

Secundò ex dictis sequitur parochos & quoscunque alios iurisdictionem tantùm habentes in foro interiori, non posse concedere indulgentias. Quod etsi iure & consuetudine ecclesiastica satis sit confirmatum, probari nihilominus etiam potest ex ratione iam dicta. Non enim parochi sed episcopi sunt ecclesiarum prælati, singuli distinctas & proprias habentes diœceses, tanquam diuer-

sas in

ſas in regno ciuitates, quarum ipſi propriè ac peculiariter paſtores & rectores appellantur.

Eſt & alia huius doctrinæ ratio, quia indulgentiarum collatio eſt vera abſolutio à peccatis in foro exteriori extra ſacramentum, ideoque exigit iuriſdictionem in eodem foro; quæ quidem non eſt penes presbyteros parochiales, ſed penes ſolos epiſcopos. Dicitur autem abſolutio à peccatis, hoc eſt à pœnis quæ pro peccatis ſoluendæ adhuc reſtabant. Hoc enim modo loquuntur in ſuis decretis & diplomatis pontifices, vt videre eſt in decretalibus titulo de pœnitentijs & remiſſionibus.

Quod ſi quærat aliquis, vtrùm dictum diſcrimen inter epiſcopum & parochum quoad poteſtatem indulgentias conferendi ſit iuris diuini an eccleſiaſtici tantùm, Reſpondetur id iuris diuini eſſe, quia ſoli epiſcopi apoſtolis ſuccedunt tanquam prælati & gubernatores ſuarum eccleſiarum; qui proinde etiam eo ipſo quo creantur epiſcopi, iure diuino accipiunt iuridictionē fori exterioris, tum ad dandas indulgentias, tum ad excommunicandum, tum ad alia agenda quæ illa iuriſdictionis poteſtas complectitur.

Tertiò notandum non æqualiter hanc poteſtatem omnibus epiſcopis competere. Competit enim ſummo pontifici plenè & perfectè abſque limitatione humani iuris, cùm ipſe ſit totius eccleſiæ caput, ac proinde per vniuerſam eccleſiam tanquam totam ſibi ſubiectā eas elargiri poſſit. Cæteris autē epiſcopis iure quidem diuino non competit niſi in ſubditos, id eſt, particularem ſuam eccleſiam, humano autem iure ad certum modum ſecundùm limitationem canonum, præſertim canonis 62. concilij Lateranenſis ſub Innocentio 3.

Quartò, ſi quæritur, vtrùm abbatibus & alijs monaſteriorum præfectis ea poteſtas competat, reſpondemus non competere, niſi fortè ex commiſſione; quia ſimpliciter non ſunt eccleſiarum prælati, neque in ſuos ſubditos eam omnimodam quam epiſcopi iuriſdictionem habent. Vnde Innocentius 3. in concilio Lateranenſi, & habetur extra de exceſſibus prælatorum cap. accedentibus, ſtrictè prohibet ne quis abbatum indulgentiarum literas concedere præſumat, niſi forſan, inquit, quiſquam eorum ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſa ſuper huiuſmodi valeat ſe tueri. Vbi legitimam cauſam iuxta gloſſæ interpretationem intellige conſuetudinem præſcriptam quæ dat iuriſdictionem.

§. 7. *Solutio argumentorum in contrarium.*

S. Thom. vbi ſup.

ADuerſus hanc doctrinam quædam obijciuntur. Primum ex verbis apoſtoli 2. Corinth. 2. vbi condonationem, id eſt, indulgentiæ collationem facere videtur omnibus Corinthijs ad quos ſcribit, communem dicens: *Ita vt è contrario magis donetis.* Et iterum: *Cui autem aliquid donaſtis & ego.* Vnde apparet hanc indulgendi poteſtatem quibuſcunque fidelibus competere. Item Theophylactus in eum locum dicit apoſtolum rogare Corinthios vt iudices.

Secundò videtur idem ratione probari; quia poſſunt fideles alijs pro alijs ſatisfacere, atque ita ſuas ipſorum afflictiones alijs ad remiſſionem pœnæ temporalis applicare.

Tertiò. Conſuetudo habet, vt præfecti religionum, licèt epiſcopi non ſint, nec epiſcopali authoritate præditi, benefactores ſuorum ordinum admittant ad participationem ſuffragiorum & omnium bonorum operum quæ in ijſdem ordinibus fiunt. Idque adeo rectè fieri è ſcripturis probatur & ex patribus docet Thomas Waldenſis tomo 3. de ſacramentalibus titulo 10.

Quartò. Quiſque ſacerdos dum pœnitenti ſatisfactionem iniungit, commutat pœnam futuri ſęculi in pœnam huius ſæculi longè minorem, ergo relaxat aliquid de pœna temporali debita.

Poſtremò. Eiuſdem poteſtatis atque eiuſdem fori eſt ligare & ſoluere, cùm ergo ſolus ſacerdos in foro pænitentiæ liget peccatorem imponendo ei ſatisfactionem, eiuſdem ſolius erit in eodem foro impoſitam ſatisfactionem relaxare.

Sed reſpondemus. Ad primum quidem apoſtolum eam donationem quam Corinthios feciſſe dicit, non omnibus ijs aſcribere, ſed tantùm presbyteris epiſcopali authoritate ex apoſtolica commiſſione vtentibus, ſicut & 1. Corinth. 5. iudicandi & excommunicandi poteſtatem, non ad omnes fideles vult pertinere, ſed ad ſolos præfectos. Quanquam aliquo ſenſu poteſt vtrumque omnibus tribui, quia nimirum voto, deſiderio, & pia commiſeratione, vel etiam zelo iuſticiæ totus bonorum fidelium cætus id facere dicitur, quod poteſtatis ſuæ miniſterio ſoli faciunt præfecti. Quomodo contra Donatiſtas docet Auguſtinus, quòd gemitus columbæ remittit peccata. Qua de re alibi diximus. Nam proprium quendam modum ligandi & ſoluendi ſolis præfectis competere, ſatis inſinuat ijſdem locis apoſtolus, quando vtrumque ſe facere teſtatur in nomine ſiue perſona Chriſti.

Ad ſecundum. Fideles dum pro alijs ſatisfaciunt, ſoluunt quidem pœnam alijs debitam, ſed non eos abſoluunt, quia non vtuntur poteſtate clauium per quam mediante huiuſmodi ſatisfactione debitas aliorum pœnas relaxent. Fit igitur huiuſmodi ſatisfactionum applicatio tantùm per modum ſolutionis, non autem abſolutionis. Vnde nec per talem applicationem relaxatur quidquam de pœnitentia à ſacerdote iniuncta, ſed ad eam peccator manet nihilominus obligatus, donec eccleſiæ authoritate ſoluatur.

Eadem reſponſio ad tertium argumentum adhibenda eſt. Quantum enim de ſuis ſatisfactionibus diſponere poſſunt ſinguli fideles, applicando eas alijs, tantùm poſſunt & præfecti religionum de ſuffragijs, alijſque bonis operibus ſuorum ſubditorum. Quocirca nec poſſunt præterita opera, vel ſua vel ſubditorum ſuorum alijs ad ſolutionem pœnæ applicare, ſed tantùm futura. Nam præterita ſi quidem iam antè applicata non fuerunt, trāſeunt in communem theſaurum eccleſiæ, cuius diſpenſatio ad ſolos eccleſiarum prælatos pertinet.

Ad quartum reſpondetur imprimis per indulgentiam eccleſiaſticam non commutari pœnam purgatorij in pœnam huius ſæculi, ſed pœnitentiam iniunctam vel iniungendam relaxari in totum vel ex parte. Id autem facere non poteſt quilibet ſacerdos; quia niſi maiori præditus ſit poteſtate, tenetur iniungere ſatisfactionem pœnitenti pro grauitate delicti, aut ſi id propter infirmitatem pœnitentis non facit, reliquum committit ei ſponte aſſumendum vel à Deo exſpectandum. Deinde quando commutatur futuri ſæculi pœna in pœnam huius ſæculi, etſi non ſeruatur æqualitas quoad acerbitatem, ſeruatur tamen in valore & ęſtimatione coram Deo; ita vt vere & propriè ſatisfacere fideles per iniunctam ſibi pœnitentiam dicantur.

Ad postremum. Nulla ratio cogit vt dicatur vtrumque semper eiusdem esse potestatis & fori: sæpe enim inferior ligat, cuius soluendi potestatem sibi retinet superior. Ad iurisdictionem autem externi fori meritò pertinet indulgentiarum concessio; tum propter thesaurum communem ecclesiæ, vt antè diximus, tum quia causarum consideratio propter quas conceduntur indulgentiæ, ad forum exterius pertinet, cuiusmodi causæ sunt, deuotio & pius affectus populi christiani erga sedem apostolicam, ædificatio ecclesiarum, hæresum extirpatio, victoria contra infideles, & alia huiusmodi publica ecclesiæ bona. Nam similiter excommunicandi potestas quamuis animas obliget, exterioris tantùm est fori, quia præcipuè spectat bonum commune, vt suo loco dictum est.

Ad id denique quod quæri solet, vtrùm papa vel episcopus possit sibi ipsi indulgentias conferre, cùm nemo possit in seipsum iurisdictionem exercere, neque ligando neque absoluendo, ideoque nec seipsum excommunicare quis valeat, nec seipsum sacramentaliter absoluere; respondet Caietanus concedendo quòd dans indulgentiam alijs non acquirit eam sibi, quia absoluens alios non absoluit se. Nec tamen, inquit, est deterioris conditionis quam alij, quia etsi non per istam viam, per aliam tamen potest eandem indulgentiam consequi, scilicet committendo confessori suo, vt sic absoluat ipsum, sicut ipse absoluit alios. Hoc enim modo papa subijcit se absolutioni sacramentali, & similiter indulgentiæ eadem ratione. Hæc ille in tract. 15. de indulgentijs cap 5.

Alij aliter sentiunt, dicentes quòd licèt nemo possit iurisdictionem in se exercere cogendo seipsum, & proinde nequeat se excommunicare, similiter nec in sacramento absoluere, eò quòd actus ille ratione sacramenti sit personalis vnius in alterum, nempe sacerdotis in pœnitentem, qui se debet illi subijcere, attamen quia indulgentiæ conferuntur extra sacramentum vniuersis opus tale facientibus, nihil vetare quò minùs conferens tanquam pars reipublicæ eodem possit beneficio gaudere.

Verùm Caietani sententia quia præter rationem non contemnendam etiam praxi nititur, præferenda videtur: præsertim cùm non tantùm vniuersim toti communitati, sed etiam, quod olim fuit vsitatiùs, particulatim huic aut illi dentur indulgentiæ. Quod vt quis prælatus faciat erga seipsum, nec rationi nec praxi consentaneum est. Vnde refertur de summo pontifice quòd moriturus non ipse sibi confert plenariam indulgentiam, sed data commissione eam ab alio accipit. Cui praxi etiam alia ratio accedit, quia indulgentia in bulla Martini 5. alijsque pontificum decretis ac diplomatis vocatur nunc peccatorum remissio, nunc absolutio à peccatis. Eam autem nemo sibi confert, sed ab alio suprà se potestatem habente humiliter & petere debet & accipere.

§. 8 *Quanam necessariò requisita ad indulgentiam consequendam.*

S. Thom. op. q. 27. per totam.

VT quis indulgentiæ particeps fiat, antè omnia necessarium est, vt sit subditus eius qui indulgentiam concedit, vt ex iam dictis clarum est. Non enim actus iurisdictionis exerceri potest nisi in subditum. Neque obstat quod Honorius 3. extra de pœnitentijs & remissionibus cap. nostro, consultus respondet archiepiscopum posse per vniuersam suam prouinciam concedere literas remissionis generales, ad quam tamen totam non extenditur eius iurisdictio iuxta cap. pastoralis extra de officio iudicis ordinarij, vbi dicitur quòd archiepiscopus potestatem non habet in prouinciales, exceptis quibusdam articulis. Nam inter eos exceptos articulos etiam iste de indulgentijs conferendis est numerandus. Ratio quia hoc est in fauorem & per hoc nihil decedit authoritati, imò nec iurisdictioni episcoporum comprouincialium.

Requiritur deinde ex parte suscipientis, vt sit verè pœnitens. Quod satis probatur ex ijs quæ ad dist. 15. dicta sunt de satisfactione. Sicut enim existens in affectu peccati mortalis non potest nec pro se nec pro alio satisfacere, ita nec potest ei applicari per indulgentiam satisfactio aliena. Cuius ratio est, quia sicut satisfactio quã pro seipso quis facit, est opus pœnitentiæ, quo studet Deum sibi placatum reddere, & proinde ab impœnitente fieri nequit: ita alienum opus nemini pro satisfactione, id est, pro solutione pœnæ applicari potest nisi ei qui per veram pœnitentiam ad Deum conuersus, iram eius cupiat declinare. Vnde communis & antiqua forma concedendi indulgentias semper habet huiusmodi clausulam, verè pœnitentibus seu verè contritis.

Cæterùm pro maiori huius rei declaratione distingui possunt tria tempora in indulgentia, & similiter tres status in homine volente indulgentiam consequi. Primum tempus est quo indulgentia publicatur, Secundum, quo fit opus pro consequenda indulgentia. Tertium quo quis eam actu consequi vult. Item in ipso homine primus status est peccati, secundus pœnitentiæ, tertius gratiæ. Imprimis igitur certum est eo tempore quo publicatur indulgentia, non necessariò debere hominem esse in secundo vel tertio statu, vt indulgentiam publicatam possit postea consequi. Nam etsi tunc sit in statu peccati, poterit tamen postea ad indulgentiam consequendam se disponere. Quod ad secundum tempus indulgentiæ pertinet, nemo in statu siue affectu peccati mortalis existens potest opus præscriptum facere vtiliter ad indulgentiam consequendam; quia vt dictum est, in peccato mortali non potest satisfacere. At in statu pœnitentiæ nihil vetat quò minùs præscriptas conditiones vtiliter atque efficaciter implere quis possit, dummodo in gratia reperiatur eo tempore, quod tertium in indulgentia ponebamus, nempe quando ipsa indulgentia iam actu percipienda est. Atque hinc est quod consueta indulgentiarum forma non tantùm requirit veram pœnitẽtiam seu contritionem, verùm etiam confessionem; non quòd conditiones requisitæ impleri non possint, nisi ab ijs qui præuia confessione fuerint à peccatis absoluti, sed quia ipsam indulgentiam non consequuntur nisi in gratia existentes. Cuius hæc ratio est, quia pœna non remittitur, nisi priùs remissa culpa. Quocirca Leo 10. in decretali quadam ad Cardinalem Caietanum scripta contra Lutheri hæresim tunc emergentem, declarat indulgentias conferri posse Christi fidelibus qui charitate iungente membra sunt Christi.

Ex dictis remoueri potest dubitatiò quam quis mouere posset ex consuetudine ecclesiæ, quæ satisfactionis partem per indulgentiam remittebat pœnitentibus etiam ante reconciliationem, vt patet ex

Cypriano alijsque patribus imò ex concilijs Nicæno 1. Ancyrano Carthaginensi 4. & alijs. Nam satisfactiones ipsas ante reconciliationem expleri olim solitas itidem ex patribus ostendimus cùm de de satisfactione ageremus. Vnde videri potest, quòd illi pœnitentes quibus pars satisfactionis remittebatur, eam indulgentiam consequebantur, nondum per reconciliationis sacramentum in gratiam Dei restituti.

Sed dicendum quòd sicut ab illis explebatur satisfactio ante reconciliationem, ita etiam dabatur satisfactionis quædam relaxatio, sed quæ rata non fieret nisi in ipsa reconciliatione; quia non poterat pœnitens liberari à debito pœnæ temporalis, si non prius saltem natura liberatus esset à debito pœnæ æternæ, id quod fiebat in ipsa reconciliatione per absolutionem sacerdotis.

Porrò præter hæc nonnulli putant indulgentiarum thesaurum nec illis prodesse, qui quamuis in gratia constituti, negligunt tamen per seipsos satisfacere, sed ijs duntaxat qui solliciti sunt, vt integrè in hac vita satisfaciant pro peccatis: atque ob id aut imponi sibi petunt satisfactiones condignas, aut saltem eas sponte assumunt, easdemqne implere curant. Cæterùm, qui quàm minimam petunt sibi pœnitentiam imponi, & præter eam quam minimam esse sciunt, non curant ampliùs de satisfaciendo, sed magis post hanc vitam contenti sunt luere in purgatorio, existimantes sibi sufficere, si euadant infernum; non esse cur tales sperent sibi per indulgentias subueniendum. Ita sentit & docet Caietanus tract. 10. de suscipientibus indulgentias, post Altisiodorensem & Paludanum.

Probat autem hac ratione: Nemo indignus aliena satisfactione pro pœna sibi debita, cõsequitur veraciter fructum indulgentiæ: at qui negligens est satisfacere per seipsum, licèt sit in gratia, indignus est beneficio alienæ satisfactionis, ergo non acquirit fructum indulgentiæ. Subsumptionem verò probat multipliciter, vt apud ipsum videre est.

Pro hac sententia facere videtur authoritas Cypriani qui lib. 2. epist. 16. ad confessores, rogat eos vt non alios in libellis suis nominent, & episcopo commendent pro consequenda pœnitentiæ relaxatione, quàm quorum pœnitentiam conspexerint satisfactioni proximam esse. Vnde apparet quòd ad fructum de martyrum passionibus colligendum cooperari lapsos ipsos oporteat satisfactione peragenda ad eum saltem modum, vt non multum ad eius plenitudinem deesse videatur. Idem Cyprianus in epist. 14. presbyteros grauiter incusat, non tantùm quòd inconsulto episcopo verùm etiam quòd non expectato iusto tempore lapsis quibusdam indulgeotiam dedissent ea concedentes quæ illis in perniciem verterentur. Similem cautelam requirit in epistola 18. & serm. de lapsis.

Concilia quoque & pontificum decreta quæ permittunt ijs relaxationem pœnitentiæ fieri, quorum bona conuersatio opere declarata id promeretur, vt Nicenum 1. & alia à nobis initio citata huic videntur sententiæ fauere. Vnde & Chrysostomus homil. 5. in Matth. negat nobis sanctorum merita prodesse, si ipsi negligentes ac desides fuerimus, sed tum demum, si nostram ipsi quoque curam & sollicitudinem adhibeamus. Imo Paulus ipse videri potest hanc satisfaciendi curam exegisse ab eo cui residuum pœnitentiæ donandum sit. Dicit enim 2. Corinth. 2. *Sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus, ita vt è contrario magis donetis*: quasi innuens tum demum donandam esse veniam cùm pœnitentia præcedens sufficit, id est, plenæ satisfactioni proxima est.

Verùm hæc sententia alijs plærisque non placet, existimantibus vnicuique satis esse ad consequendam indulgentiam, si in gratia existens id fecerit quod indulgentiæ forma præscribit, tum quia gratia hominem facientem opus ab ecclesia præscriptum reddit capacem illius influxus qui à Christo per indulgentiam emanat, tum quia qui opus illud facit, eo ipso curat pro parte sua tantum satisfacere, quantum requiritur, atque ita non omnino negligens dicendus est, tum denique quia ex eo frequentari cepit in ecclesia vsus indulgentiarum, quòd antiquitus pœnitentes ad implendum graues illas & canonicas pœnitentias essent negligentiores & inuoluntarij, propter quod ijs adiutrices manus porrigere voluit ecclesia. Huius rei argumentum etiam ex apostolo potest accipi, qui hanc reddit rationem relaxatæ satisfactionis: *ne forte abundantiori tristitia absorbeatur is* qui pœnitcotiæ erat subiectus. Ex quo apparet etiam ijs vtiliter fieri relaxationem qui viderētur grauiorem pœnitentiam impatienter laturi, atque inde in desperationem lapsuri. Vnde Chrysostomus in eum apostoli locum homil. 4. ita scribit: Non enim quòd dignus sit, neque quòd sufficientem exhibuerit pœnitentiam, sed quòd infirmus sit, ideo, inquit, dignor illum venia. Quibus verbis videtur Chrysostomus disertè negare id quod sumebat Caietanus, neminem qui sit indignus, consequi fructum indulgentiæ.

Quamquam fortè melius, distinguendo dici potest talē qui non est sollicitus, vt per se integrè satisfaciat, si tamen verè pœnitens est, & faciat quod præscribitur, partim esse dignum indulgentiæ beneficio, partim indignum; dignum quidem quatenus cum vera pœnitentia implet præscriptam conditionem, indignum verò quatenus ita sui negligens est, vt reseruari malit purgatorijs pœnis quàm per se plenè satisfacere in hac vita. Sed plenior huius rei explicatio pendet ab alijs quæ circa hanc materiam adhuc restant dicenda.

§. 9. *Propter quas causas conferendæ sint indulgentiæ.*

CAusæ propter quas rectè & vtiliter conferuntur indulgentiæ, multiplices existunt. Vna quam expressit apostolus 2. Corinth. 2. dicens: *Ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est.* Et quidem verisimile est hanc in apostolica scriptura nobis commendatam causam plærumque præ oculis habuisse veteres illos ecclesiæ patres, quando pœnitentibus post iustum aliquod tempus in laboriosa actione pœnitentiæ versatis remissionem reliqui temporis faciebant. *S. Thom. supp. q. 26. ar. 3.*

Erat autem alia causa illi coniuncta, vt commendaretur omnibus ecclesiæ mansuetudo & materna cura erga omnes fideles. Inde enim est quòd humanitatis subinde meminerunt canones.

Tertia causa, vt martyrum apud Deum gloria & meritorum magnitudo fidelibus commendaretur. Hinc, vt ex Tertulliano & Cypriano patet, adeo facilè episcopi & presbyteri eos ad communionem recipiebant qui libellum à martyribus impetrassent, etiamsi iniquum petere interdum viderentur.

Quarta causa, Morbus corporis & mortis periculum. Vnde Cyprianus in epist. 19. lib. 3. Qui li-

bellum, inquit, à martyribus acceperunt, & auxilio eorum adiuuari apud Dominum in delictis suis poscunt, si premi infirmitate aliqua & periculo ceperint, exomologesi facta, & manu eis à vobis in pœnitentiam imposita cum pace à martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur. Eadem ferè verba habet epist. 18.

Aliæ præterea causę legitimæ accesserunt posterioribus sęculis ab ijs qui indulgentias concesserunt, consideratæ; velut basilicarum extructiones & dedicationes, infidelium conuersio vel expugnatio, hæreseum extirpatio, deuotio populi christiani tum erga sanctos cum Christo regnantes, tum erga Romanam ecclesiam & sedem apostolicam; ac denique magnæ & vrgentes quæcunque ecclesiarum necessitates.

Illud postremò sciendum est, ad hoc vt indulgentiæ valeant, præter authoritatem dantis & debitam dispositionem suscipientis, omnino etiam requiri ex parte concedentis causam concedendi rationabilem: cuiusmodi videlicet sunt causæ iam enumeratæ, adeò vt si nulla rationabili causa mouente pontifex vel episcopus indulgentiam concederet, neque censendum esset eam ab ipsa sede profectam esse, neque existimandum eam alicuius efficaciæ seu valoris fore. Est autem ea rationabilis causa quæ cedit in vtilitatem ecclesiæ & honorem Dei, quemadmodum ait D. Thomas scribens in hanc distinct. An autem vtilitas ecclesiæ solummodo intelligenda sit commune eius bonum, vt quidam volunt; non adeo constat, cùm legamus apostolum Corinthio indulsisse non alia commemorata causa, quàm ne *abundantiori tristitia absorberetur;* id est, ne in desperationem incideret, quę videtur causa fuisse priuata, non publica nisi tantùm ex consequenti; quatenus, vt dictum est, ecclesiæ mansuetudo per hoc commendata fuit.

Quòd autem absque rationabili causa non sit efficax apud Deum indulgentia, multæ rationes ostendunt.

Prima: Pontifex & episcopi sunt à Christo constituti *dispensatores mysteriorum Dei* 1. Corinth. 4. Inter quæ mysteria est thesaurus ecclesię continens merita Christi & sanctorum. Sed & pontifices erogationem huius thesauri in suis rescriptis dispensationem vocant. Differt autem dispensatio à profusione seu dissipatione, quòd illa fiat ex causa legitima, hæc verò temere. Cùm ergo ratam non habeat Dominus bonorum suorum dissipationem, sed tantùm dispensationem, consequens est indulgentiam factam sine legitima causa irritam esse.

Alia ratio: Deus iusta ex causa reliquit pœnitentem remissa culpa pœnis temporalibus obnoxium, atque earum debitorem; ergo non vult eas absque iusta causa per vicarium suum remitti, neque si fiat, approbat.

Tertia: Non potest ecclesiæ præfectus absque legitima causa soluere obligationem non ex peccato natam, vt in votis & iuramentis, & si facere tentet, nihil agit coram Deo; ergo multò minùs relaxare poterit pœnam propter peccatum debitam, si non adsit causa rationabilis.

Quarta ratio ducitur ex temeraria & profusa donatione seu alienatione temporalium bonorum ecclesiæ, quæ neque coram Deo neque coram hominibus rata habetur. Quare multò minùs rata erit in spiritualibus. Hanc rationem doctè explicat Caietanus.

Quinta: Indulgentiarum collatio est vera absolutio à peccatis, ergo sicut in sacramento non potest sacerdos quemlibet absoluere à culpa sed eum tantùm qui fuerit absolutione dignus, neque pœnam temporalem in quamlibet mutare, sed pro qualitate criminum & facultate pœnitentium: ita neque extra sacramentum poterit pœnas reliquas pro libito relaxare, sed pro causa legitima, adeo vt nihil horum secus attentatum coram Deo valeat.

Confirmatur denique doctrina hæc authoritate Cypriani, Innocentij 3. & Clementis 6. quorum primus in epist. 15. lib. 3. dicit indulgentiam irrationabilem verti in perniciem, nec lapsos sic erigi, sed per Dei offensam magis impelli ad ruinam; secundus in concilio Lateranensi affirmat per indiscretas indulgentias pœnitentialem satisfactionem eneruari; tertius in extrauag. Iubilęi vult pro qualitate causæ concedi indulgentias nec maiores nec minores.

§. 10. *Quantum indulgentiæ valeant.*

INdulgentiæ valor attenditur ex quantitate pœnæ quæ per eam remittitur. Dum ergo quæritur quantum indulgentiæ valeant, non aliud quæritur, quàm quanta pœna per eas remittatur. De qua re fuerunt variæ doctorum sententię. *S. Thom. supp. q. 25. ar. 2.*

Prima est, indulgentias tantum vnicuique prodesse quantum sua præparatio & deuotio apud Deum impetrat. Iuxta quam sententiam cùm nihil certi consequantur qui conditiones præscriptas implent, non rectè viderentur facere prælati ecclesiæ certam aliquam indulgentiam concedentes. Hoc enim esset incertum, vt certum asserere; Atque ita fraus quędam in indulgentiarum concessione committeretur. Quod in Luthero damnatum est, dicente: indulgentias esse pias fraudes fidelium.

Secunda sententia statuit tantum remitti per indulgentiam quantum opus illud pro quo conceditur, exoluit apud Deum. At hæc opinio minùs retineri potest. Ita enim sequeretur per indulgentias reuera nihil remitti, sed tantùm commutari pœnam vnam in aliam; neque hoc pacto indulgentia esset absolutio & condonatio, sed tantùm satisfactionis quædam commutatio.

Tertia est, indulgentias non coram tribunali Dei sed tantùm in foro ecclesiæ validas esse tantumque liberare à pœna canonica quam pœnitenti ecclesia imposuerat, non autem à pœna futuri sæculi. Sed hæc opinio, etsi quorundam fuerit Catholicorum, grauiter erronea est, pertinetque ad damnatos errores hæreticorum huius sæculi. Contra quos suprà ostendimus tam satisfactiones quàm earum remissiones valere pro futuro sęculo.

Quarta sententia est, indulgentiam tantum valere, quantum causa pro qua datur, sufficit secundum diuinam æstimationem.

Quinta & vltima: Indulgentiam semper tantùm valere quantum sonat, modò adsit rationabilis causa. Hæ duę postremę sententiæ suos habent graues & catholicos authores, & suam vtrimque probabilitatem. Posteriorem amplectitur S. Thomas in hanc distinct. scribens, vbi inter alia dicit quod interdum ecclesia maiores indulgentias confert, quàm sit illa causa propter quam conceduntur; quoniam, inquit, quantitas effectus in-

ctus insequitur quantitatem suæ causæ. Causa autem remissionis indulgentiarum non est alia quàm abundantia meritorum Christi, quæ est sufficientissima ad expiandam totam pœnam. Denique concludens ait: Et ideo quæcunque causa adsit quæ in vtilitatem ecclesiæ & honorem Dei vergat, sufficiens est ad indulgentias: Sed ad applicandum thesaurum requiritur authoritas conferentis, & charitas suscipientis, & causæ pietas, quibus tribus concurrentibus indulgentiæ tantum valent quantum prædicantur. Sic ille. Cuius etiam absoluta sententia est opusc. 7. de oratione dominica petitione 5. indulgentias existenti in charitate tantum valere quantum sonant, & quantum pronunciantur. Huic opinioni fauere videtur consuetudo ecclesiæ, in qua videmus pro eadem causa modò maiores, modò minores indulgentias concedi, imò & permagnas interdum pro causis exiguis, cùm prior opinio videatur non tantùm huiusmodi indulgentias in dubium reuocare, verùm etiam in vniuersum ipsi ecclesię in quacunque indulgentiæ concessione falsitatem asscribere; vt quæ certò determinet quantitatem pœnæ relaxandæ, cùm res ea pendeat ex diuina æstimatione sibi incognita.

Attamen his non obstantibus multò probabilior nobis est aliorum sententia, cui non sufficit causa quæcunque rationabilis quantumuis exigua ad quantascunque indulgentias, sed requirit causam proportionabilem quantitati indulgentiæ concessæ: ita nimirum, vt sicut absque rationabili causa concessam indulgentiam certum est nihil valere, ita ad maiorem indulgentiam maior requiratur causa, tantumque illa valeat pro quanto in iudicio Dei causa sufficit & non amplius. Atque id est, quod aiunt, iuxta proportionem causæ sufficientis ipsas indulgentias commensurari. Causam autem sufficientem intelligimus non tantùm ex parte conferentis, verùm etiam quod antè dictum est, ex parte suscipientis. Nam & in suscipiente requiritur vt aliquid faciat, quod aliquam habeat proportionem ad indulgentię concessæ quantitatem; alioquin non tantam percepturus indulgentiam, sed minorem iuxta proportionem operis.

Hanc sententiam tenent Albertus, Bonauentura, Richardus, Adrianus 6. Caietanus, Dominicus & Petrus à Soto. Atque adeo est sententia Doctorum communis. Nititur autem ijsdem ferè rationibus, quibus paulò antè ostendimus rationabilem causam requiri ad hoc, vt indulgentiæ simpliciter valeant. Nam sicut dissipat, non dispensat ecclesiæ thesaurum qui sine causa concedit indulgentiam: ita & ille qui concedit iusto maiorem. Is, inquam, dissipat thesaurum pro ea parte quæ causæ proportionem excedit; Ac proinde pro ea parte non habetur ratum à Domino quod agitur à ministro, quemadmodum nec ratum haberetur in temporalibus, nisi vsque ad mensuram causæ rationabilis & legitimæ.

Item certum est ex extrauag. Clementis pro causę qualitate nunc maiores nunc minores concedi indulgentias. Vnde & Lateranense concilium cap. 62. permittit in dedicatione quidem ecclesię dari indulgentias vnius anni, sed in anniuersario tantum 40. dierum; videlicet pro ratione causæ dispensari volens indulgentias maiores vel minores. Et eandem proportionem in dispensandis publicis indulgentijs seruare solet ecclesia Romana. Ex quibus patet causam aliquam iustam esse ad

A concedendas minores indulgentias, quæ non sit iusta ad concedendas maiores. Quapropter si pro causa minore detur maior indulgentia, totus ille excessus indulgentiæ carebit causa, ideoque inanis & inefficax erit, perinde atque indulgentia minor simpliciter data sine causa.

Accedit quòd magis prodigus ille censetur qui magna bona dispendit absque proportionabili causa, quàm qui exigua bona sine causa; quare minus quoque rata haberi debet illius profusio quàm huius irrationabilis donatio.

B Iam verò quòd etiam ex parte suscipientis necessaria sit dispositio proportionabilis, id est, opus aliquod proportionem habens ad indulgentiæ concessæ quantitatem, ex eo probatur, quia non sufficit causæ magnitudo ex parte conferentis indulgentiam, nisi ad eandem iusta aliqua proportione per opus suum accedat ille qui indulgentiam vult promereri. Requiritur enim illa causa ad applicandum thesaurum huic vel illi. Quę applicatio non fit nisi intuitu alicuius pij operis quod iste facit. Quare si iste vel nihil vel exiguum aliquid faciat comparatione peramplę indulgentię, non valebit ei quantum sonat. Vbi tamen dili-
C genter est animaduertendum non requiri æqualitatem causæ vel operis ad indulgentiam, sed proportionem. Nam si exigeretur opus æquiualens, iam non esset absolutio, sed vera commutatio.

In quo autem gradu præcisè ea proportio consistat, non est facile definire, sed id relinquitur ecclesiæ prælatis quibus indulgendi potestatem Christus concessit, dijudicandum. Sanè Cyprianus in epist. 16. lib. 3. rogat martyres vt non alios quàm quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspexerint, libellis suis apud episcopum ad plenam indulgentiam obtinendam commen-
D dent. Et apostolus Paulus non nisi post afflictionem pœnitentiæ tam grauem, vt ex ea desperationis periculum metueretur, illi Corinthio residuum donat pœnitentiæ. Et vetera concilia statuũt circa eos pœnitentes humanius aliquid cogitandum qui cum omni timore & lachrymis perseuerantibus conuersationem bonam ostendissent. Ex quibus apparet eos qui grauiter deliquerunt, non consequi plenam remissionem per indulgentiam, nisi ipsi quoque satisfaciendo certa quadam proportione ad tam
E magnum beneficium accesserint.

Neque verò quicquam id derogat indulgentijs quæ plenę seu plenarię conceduntur. Plenę enim dicuntur indulgentiæ quarum ea vis est, vt plenam is qui sit præparatus, accipere queat peccatorum remissionem. Per quod imprimis certum est non omnem satisfactionem excludi, quandoquidem præparatio seu dispositio quædam satisfactoria requiritur ex parte suscipientis, idque ex lege diuina, cui beneficium hoc indulgentiæ plenariæ non contrariatur. Quocirca pontifex huiusmodi indulgentiam concedens non legem diuinam infringit, sed ea præsupposita de plenitudine potestatis indulgentiam dispensat, nulla
F temporis mensura limitatam, tantum videlicet largiens, quantum quisque secundùm præparationem suam capere potest, & totam condonans pœnam, si totalis condonationis secundùm suam præparationem capax est pœnitens. Vnde verè dicitur, quòd indulgentia etiam plenaria tantum valet, quantum sonat, tametsi non omnis qui eam participat, plenum inde fructum consequatur. Quod significant illa verba Bonifacij 8. in extrauagante Iubilæi, quibus ait: Vnusquisque

tameo

tameo plus merebitnt, & indulgentiam efficacius consequetur, qni basilicas ipsas ampliùs & deuotiùs freqnentabit. Qnæ verba manifestè significant indulgentiam plenariam non semper æqualiter ab omnibns participari. Atque id voluir Bonauétura, cùm dicit, indulgentias quantum est ex potestate dantis tantum valere, quantum promittunt; nec tamen omnibus valere æqualiter, sed secundùm æstimationem quam habuit vel habere debuit, qui indulgentiam dedit. Quam, inqoit, æstimatioem non oportuit exprimere, quia omnes fideles debent illud in corde præsuppooere, qnòd dona & miserationes sancti spiritus dentur cum æquolibramine.

Porrò ex hac sententia sic declarata non sequitur indulgentias in dubium reuocari, aut ecclesiæ falsitatem asscribi. Quamuis enim in discernendis indulgeotiarum causis, sicut & in dispensatiooibus & iudicijs & in alijs quibusdam possint errare præfecti ecclesiæ etiam supremi; quamdiu tamen error non est manifestus, præsumere debent fideles, vt in alijs, ita & in indulgentijs concedendis rectum ab illis adhibitum esse iudiciom, quemadmodum bene admonet Caietanus. Quare, vt ille ait, loquendo de rationabili præsumpto, causa indulgentiæ expressa in bulla; nisi manifestus sit error, semper est rationabilis, non tantùm simpliciter, verùm etiam habito respectu ad quantitatem indulgentiæ datæ; at loqneodo de rationabili vero, non semper.

Iam quod ad indulgentias attinet non plenas, in ijs rigor canonis pœnitentialis relaxatur duntaxat remissione certi temporis, velut aliqnot dierum, vel vnius anni aut plurium. Neque enim dies illi vel anni referendi sunt ad pœnam luendam in purgatorio, quasi verbi gratia qnadraginta diernm indulgentia tollat pœnam quadraginta dierum futuri sæculi, sed ad pœnitentiam in hoc sæculo pro peccatis secundùm canones debitam. Sensus enim est, per tot dierum vel annorum indulgentiam demi tot dies vel annos de pœnitentia, quæ secundùm canones pro peccatis iniuncta fuit, vel certè iniungi debuit. Quem sensum manifestè arguit indulgentiarum forma, in qua nnn dicit pontifex se remittere tot dies vel annos de pœnis, sed de pœniteotijs, & plerumque addit, iniunctis. Quod ad pœnas purgatorij nullo modo referri potest. Consequenter tamen remittitur pœna purgatorij tantę pœniteotiæ respooders. Quanta verò respondeat, soli Deo cognitum est.

Hinc autem patet quàm sit absurda ac sedi apostolicæ minimè asscribenda, sed vel merè commenticia vel imprudenter extorta in annos centenos aut millenos indulgentiarum liberalitas; cùm nec vllo canone tam diuturna pœnitentia præscripta vnquam fuerit pro quantiscunque peccatis, nec verò propter humanæ vitæ breuitatem præscribi possit, tametsi ob criminum vel enormitatem, vel multitudinem pœnitentiæ magnitudo intendi debeat, quando extendi non potest.

§. 11. *Quatenus indulgentiæ conferri possint defunctis.*

S. Thom. supp. q. 27. & 71. art. 10.

POstrema de indulgentijs quęstio est, vtrùm & quatenus possint conferri defunctis, ad quam respondetur ecclesię prælatos posse concedere indulgentias defunctis qui sunt in purgatorio, non quidem per modum absolutionis, sed tantùm per modum suffragij.

Prior pars probatur quia absolutio cùm sit actus iurisdictionis, non potest exerceri in nun subditum: atqui defuncti cùm sint extra militiam viatorum, & per mortem constituti in portu securitatis quæ viæ repugnat, non iam subsunt ecclesiæ militanti, quæ proinde vt ligare eos non potest ad certam pœnam obstringendo, ita nec à pœna absoluere.

Probatur item ex verbis datæ potestatis: *Quæcunque solueritis super terram &c.* soluere enim super terram est soluendi potestatem exercere circa homines in terra viuentes, quomodo ea phrasis passim in sacris literis accipitur vt Iob 41. *Non est super terram potestas quæ comparetur ei.* Neque enim defuncti superstites vocantur, aut superesse dicuntur; neque eos vsquam scriptura super terram esse dicit, sed magis infera & subterranea loca eis tribuit. Vtitur hoc argumento Bonauentura in huius quæstionis tractatione, adiungens & alterum ex decreto Alexandri tertij in quo dicitur: Cum à non suo iudice ligari nullus valeat, vel absolui, remissiones prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus vt prosint, proprij iudices specialiter indulserunt. Vnde sequi videtur quòd absolui non possint defuncti à prælatis ecclesiæ; vt qui non sint eorum proprij iudices. Nam qua ratione quis dixerit summum pontificem esse iudicem animarum quæ sunt in purgatorio, dici posset idem de alijs episcopis, cùm nec diuino nec humano iure potestas eorum magis restricta videatur ad solos superstites, quàm pontificis summi.

Idem porrò probare videotur illa Leonis verba in epistol. 91. Si aliquis eorum, ioquit, pro quibus domino supplicamus quocunque interceptus obstaculo à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perueniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus à carne non poterit. Nec oecesse est nobis eorum qui sic obierint, merita actusque discutere, cùm Dominus Deus noster cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ iustitiæ reseruauerit &c. Quibus verbis etsi de sacramentali absolutione sit sermo, generaliter tamen significatom videtur homines per mortem subtrahi foro ecclesiæ siue iudicio sacerdotali, & reseruari iustitiæ diuinæ.

Aperta quoque Bernardi sententia est in epist. 7. mortuos solum Deum habere iudicem. Et in quadam oratione pro defunctis canit ecclesia Romana: Deus cui soli competit medicinam præstare post mortem, quod de absolutiooe à pœnis iuxta mentem ecclesiæ intelligitur.

Denique ex forma indulgentiarum quæ pro defunctis concedi solent, id perspicuum est. In ea enim nulla absolutioois fit mentio, sicut cùm dantur pro viuis, sed tantùm soffragij. Quin & Leo 10. in epistola decretali quam misit ad Caietanum, expresè distinguit duos modos indulgentias concedendi, cùm dicit ac declarat Romanum pontificem tam pro viuis quàm pro defunctis apostolica authoritate iodulgentiam concedendo posse thesaurum meritorum Iesu Christi & sanctorum

ctorum dispensare, & per modum absolutionis A indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illum transferre consueuisse. Quæ disiunctiua locutio manifestè significat pontificem ita per modum suffragij transferre indulgentiam in defunctos, vt non per modum absolutionis eam illis conferat.

Ex quibus etiam verbis pontificis, sicut & ex consueta forma indulgentiarum quæ pro defunctis dantur, confirmatur posterior pars assertionis; nempe per modum suffragij indulgentias defunctis prodesse. Declarauit autem hoc ante centum B annos Sixtus 4. Et ad hunc modum Innocentius 8. Sixto proximus & sequentes pontifices pro mortuis indulgentias concesserunt, tametsi & ante horum tempora eiusmodi indulgentiæ concessæ in vrbe Roma repetiantur.

Hoc autem vt melius intelligatur, phrasis ipsa explicanda est. In qua primùm suffragij nomine auxilium seu subsidium ecclesiasticum oportet intelligere; vt indulgentia per modum suffragij non aliud sit quàm indulgentia quæ datur per modum auxilij ecclesiastici, id est, eo modo quo fideles per pia opera subueniant alijs seu viuis seu defunctis. Quod cùm fiat trifariam, vel merendo C per opera, vel impetrando per orationes, vel satisfaciendo per passiones; indulgentia vt talis, cùm propriè dispenset passiones sanctorum, non cuiuscunque suffragij ecclesiastici, sed satisfactorij taorummodo rationem habet. Peruenit autem hæc indulgentia ad defunctos non per viam iustitiæ sed per viam gratiæ & misericordiæ; eò quòd, vt iam ostensum est, animæ defunctorum non sint subiectæ potestati ecclesiæ militantis, vt ab eius prælatis via iurisdictionis absolui possint. Quare vt à pœnis soluantur, expectanda est misericordia iudicis, cui immediatè subsunt, videlicet Dei vt is D oblata pro illis suffragia satisfactoria gratiosè acceptare ad earum li[illegible]ationem dignetur, vti bene explicat Caietanus tract. 16. quæst. 5.

Cæterùm ex his non est consequens indulgentias defunctis collatas non spectare ad potestatem clauium. Non enim ita nudè per modum suffragij conceduntur, quin authoritas apostolica & exercitium potestatis clauium interueniat; vt patet ex bullis indulgentiarum quæ pro defunctis dantur. Vnde & Leo 10. in suprà dicta decretali declarat E Romanum pontificem potestate clauium, quarum est aperire regnum cælorum, posse indulgentias concedere Christi fidelibus, siue in hac vita, siue in purgatorio. Ad idem probandum adducitur à nonnullis Dionysius Areop. qui cap vltimo eccles. hier. agens de oratione quam fundit pontifex pro defunctis, ratam eam esse confirmat illis Christi sententijs ad apostolos dictis Matth. 18. & Ioan. 20. Sed magis videri potest Dionysius eas scripturas extendisse ad modum soluendi & remittendi per ecclesiasticas precationes.

Sed vt intelligatur quomodo & quatenus potestas clauium ad huiusmodi indulgentias concurrat, stylus ipse verborum quibus Romana ecclesia F in ijs concedendis vtitur, considerandus est. Duo namque ibi dicuntur. Et quòd authoritate apostolica concedatur indulgentia pro animabus defunctorum, & quòd eadem indulgentia opituletur illis per modum suffragij ad pœnarum remissionem. Per hoc itaque significatur quod pontifex thesaurum quidem ipsum dispensat authoritate clauium, siue pro defunctis id faciat, siue pro viuis; quia inquantum claues accepit, potestatem habet aperiendi thesaurum ecclesiæ cumque dispensandi; sed quo ad pœnas defunctorum relaxandas indulgentiam transferre per modum suffragij, non autem per modum absolutionis, quomodo eam impendit viuis.

Vnde patet indulgentiam concessam viuis & defunctis id habere commune, quòd vtraque conceditur ex potestate clauium dispensante thesaurum meritorum pœnalium in solutionem pœnarum remissa culpa restantium, tam his quàm illis. Modum autem quo ad vtrosque pertingit indulgentia, diuersum esse; quia ad viuos per modum absolutionis peruenit, defunctos autem per modum suffragij liberat.

Porrò notandum est etiam hoc loco, vt indulgentiæ valeant defunctis, requiri ex parte concedentis causam iustam, seu rationabilem, eamque proportione quadam magnitudini indulgentiæ concessæ respondentem. Alioquin enim vel non proderit indulgentia defuncto, vel non statim proderit ad plenam liberationem à pœnis. Etenim si requiritur causa rationabilis, vt thesaurus efficaciter applicetur à pontifice, ijs in quos habet iurisdictionem, multò igitur magis ea requiritur, vbi iurisdictionem non habet. Item si proportionabilis causa ibi requiritur, multò magis hic. Quod & S. Thomas sentit scribens in dist. 45. quæst. 2. Dicit enim quod non quantam voluerit pontifex defunctis possit concedere remissionem, sed quantam ratio postulat. Requiritur deinde vt præscripta conditio, cuiusmodi est vel missæ sacrificium, vel eleemosynæ largitio, vel certa precatio, vel aliud simile à viuentibus faciendum, fiat & impleatur iuxta mentem præscribentis.

Ex parte verò eius cui vel pro quo conceditur, id est defuncti, sufficere videtur, vt Deo in charitate coniunctus ab hac luce migrauerit. Per hoc enim capax est fructus bonorum operum quæ à viuentibus fiunt. Nam quod Caietanus putat indulgentias non omnibus in gratia defunctis posse prodesse, sed ijs tantùm, vt ait, qui in hac vita meruerunt, vt sibi illæ prodessent, improbabile est. Etenim ex mente Augustini quem ille allegat videlicet enchirid. 110. & de cura pro mortuis cap. 1. & 4. omnes in gratia defuncti hoc meruerunt, vt sibi post mortem viuorum suffragia prodessent. Nihil enim amplius ad hoc meritum requirit Augustinus, quam vt quis in christiana & catholica societate decesserit, vt patet ex cap. 4. lib. de cura pro mortuis. Vnde ex Augustino potiùs contrarium statuitur. Quòd si ratio Caietani requirentis specialia ac certi generis merita concluderet, sequeretur nec alia quæcunque specialia ecclesiæ suffragia (quod quidem ipse concedit) imò nec communia quæ pro omnibus offeruntur (de quibus dubitat) ijsdem illis animabus quicquam prodesse, quod est contra sensum ecclesiæ.

At verò cùm per modum suffragij tantùm concedantur indulgentiæ defunctis, eaque ad eos perueniant non per viam iustitiæ seu iurisdictionis, sed viam misericordiæ. id est gratuitæ acceptationis diuinæ, dubitari posset, an positis ijs quæ iam dicta sunt requiri ex parte viuentium, certa semper & infallibili lege prosint defunctis pro quibus conceduntur. Sanè probabilis est responsio, semper prodesse, quandoquidem & de alijs ecclesiæ suffragijs quæ pro defunctis fiunt, idem dicendum videtur. Non enim est impedimentum ex parte defunctorum, qui iam extra militiæ

linæ viam positi, sunt in gratia confirmati; neque ratio apparet ex parte Dei, cur minùs oblata pro illis suffragia acciperet. Vnde Augustinus loco iam citato loquens de pio affectu precantium pro defunctis, ait: Qui cùm defunctis à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est, ijs qui cùm in corpore viuerent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt. Quæ verba collata cum ijs quæ proximè præcedunt, significare videntur, non tantùm publicas ecclesiæ, sed etiam priuatas singulorum preces absque dubio defunctis in charitate pro quibus fiunt, prodesse. Confirmat hoc ipsum Ioannes Gerson opusc. de indulgentijs parte 2. consideratione 2. dicens non posse pro defunctis orationem fieri frustrà, cùm sint in gratia.

Veruntamen cùm sit eiusdem Augustini, imò totius ecclesiæ doctrina, animas in futuro sæculo iuuari prout in hac vita meruerunt, quæ quidem merita certum est esse inæqualia, sicut & inæquale fuit studium satisfaciendi pro suis peccatis; hinc satis apparet etiam per easdem indulgentias non omnes iuuari æqualiter, sed proportione quadam meritorũ suorum plus aut minus: vt in illis quoque locum habeat quod de viuis dicit Bonifacius 8. in extrauaganti, nempe quòd efficaciùs indulgentiam consequitur, qui vt indulgentia sibi prodesse posset, magis meritus fuit, & ad eam satisfaciendo propius accessit.

Ex quibus omnibus satis intelligitur, non ita certò statuendam esse alicuius animę pro qua data sit indulgentia, è purgatorio liberationem, vt iam non amplius pro ea orandum sit, vel rollenda sint anniuersaria, vel cętera quę ad iuuandum defunctos fieri solent, omittenda, quia videlicet certò nobis constare non potest, ea omnia subsistere & complera esse quę ad indulgentię huiusmodi effectum eumque plenum requiruntur. Sed de ipso purgatorio nunc deinceps agendum.

IN DISTINCTIONEM VIGESIMAMPRIMAM.

§. 1. *Aliquod animarum purgatorium esse post hanc vitam.*

Ad S. Tho. sup. 69. & 71.



QVAMVIS de receptaculis animarum post hanc vitam disserendi proprius locus sit ad dist. 45. huius libri, vbi eam rem tractat Magister, duplici tamen ratione purgatorij quęstio ad hunc sacramenti pœnitentię tractatum reuocatur, tum ratione remissionis peccatorum tum ratione satisfactionis. Quod enim in hac vita satisfactione non remittitur, in futura vita vsque ad plenam remissionem expurgandum relinquitur. Primùm igitur & pręcipuè contra hęreticos posterioribus ecclesię sęculis exortos, vt Waldenses, Wicleuistas, & omnes hodiernos monstrandum est, iuxta fidem catholicam quorundam fidelium animas propter peccata, in hac vita commissa, post corporis mortem pœnis quibusdam detineri, quibus purgatę randem ad beatorum societatem transeant. Eum enim siue locum siue statum animarum, vniuersa ecclesia aptissimo vocabulo purgatorium nominat.

Vt autem eius probationem à scriptura auspicemur, primus & apertissimus locus est 2. Machab. 12. vbi de Iuda Machabæo legitur quod pro peccatis eorum qui ceciderant, miserit offerri sacrificium. Quod eius factum scriptura postquam laudasset tanquam ex religiosa voluntate profectum, ita concludit: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Ex quo manifestè sequitur animas quorundam detineri pœnis in futuro sæculo, à quibus per sacrificia & orationes viuentium solui possint. Soluitur enim peccatum cùm pœna remittitur. Hoc autem scripturæ testimonium adeo est euidens, vt aduersarij aliter illud refellere nequeant, quàm authoritatem illis libri canonicam inficiando. Quibus breuiter respondetur, etsi liber ille non sit de canone Hebræorum, absque dubio tamen eum esse de canone ecclesiæ sicut & alij nonnulli, quos reclamantibus Hebræis ecclesia tanquam sacros, & à spiritusancto profectos nobis legendos proponit. Cuius indicium hac in re si contemnitur, iam nec quatuor euangelia, nec epistolæ satis magnum robur authoritatis habebunt ad fidem christianis dogmatibus faciendam. Neque enim euangelio crederem, inquit Augustinus contra epistolam Fundamenti cap. 5. nisi me ecclesiæ catholicæ commoueret authoritas. Et idem Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 1. ex hoc libro tanquam veteris instrumenti scriptura probat oblatum pro mortuis sacrificium. Sed de authoritate libri operosior probatio non est huius loci. Verùm interim id negari non potest, authori huius libri qui cum veneratione tot sæculis in ecclesia lectus est, saltem tribuendam esse fidem historicam, cuiusmodi etiam tribuitur ethoicis scriptoribus: qua nimirum res vt gesta est, ab eo conscripta credatur, præsertim quoniam ea scripsit quę non ita dudum antè contigerant. Hoc si datur, verum erit quod ab eo historicè narratur; videlicet Iudam qui non tantũ dux, sed & pontifex erat illius populi, collatione facta Ierosolymam misisse argentum quod impenderetur in sacrificia pro peccatis mortuorum. Vnde consequitur non modò sacerdotes & populum fidelem illius temporis ita credidisse, quod post hanc vitam animæ quorundam sint in pœnis à quibus possint pietate viuentium liberari, sed & publico ritu sacrificiorum quæ pro illis animabus offerebantur, eam fidelium persuasionem fuisse confirmatam.

Neque obstat quòd lege Mosaica de sacrificijs huiusmodi nihil legitur præscriptum. Comprehenduntur enim sub ijs quæ pro peccatis iubebantur offerri, non præsentium tantùm, verùm etiam absentium, velut in die expiationis pro peccatis totius populi. A quo populo cùm non perirent qui etsi aliquibus peccatis obnoxij, attamen cum pietate dormitionem acceperant, non debebant illi à generalibus sacrificijs quæ pro vniuerso populo expiando offerebãtur, excludi, idque fideles ipsos, qui in illo populo spirituales erant, aliquousque & saltem implicitè intellexisse, nõ est quod dubitetur. Nam & alia eiusdem generis opera pro mortuis fecisse sancti patriarchæ & prophetæ leguntur, cuiusmodi sunt ieiunium & eleemosyna. De luctu habemus Genes. 37. & alibi. De ieiunio 1. Reg. vltimo & 2. Reg. 1. Siquidem pro mortuis luctum & ieiunium sibi indicebãt sancti illi viri, non more gentilium qui spem non habent, aut eorum qui

humano rantùm affectu lugent, & præ mœrore vero vel simulato cibum capere nolint, sed quadam religionis obseruatione, vt defunctis tum per orationes tum per ieiunij afflictionem imperrarent requiem, quemadmodum Beda interpretatur factum virorum Iabes Galaad 1. Reg. vltimo.

De eleemosyna verò locus est Tobiæ 4. vbi Tobias pater inter cætera pietatis præcepta mandat filio dicens: *Panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus*. Sensus enim eius sententiæ iste probabiliter reddi potest: Si gratificari iusto sepulto velis, & ei prodesse iam mortuo, ne peccatorum, id est, gentilium more, (cuius meminerunt Tertullianus initio libri de resurrectione carnis & Augustinus sermone quodam de cathedra Petri) epulum ibi instituas super sepulchro, quasi solatium inde mortuis proueniat, vt gentiles stultè putabant, sed frange panem tuum & funde vinum largiendo pauperibus. Hæc enim pro defuncto facta eleemosyna magnum ei poterit afferre leuamen. Porrò videri potest etiam Ecclesiasticus qui circa tempora Machabæorum vixit cùm dicit cap. 7. *Et mortuo non prohibeas gratiam*, ad simile auxilij genus mortuis præstandum respexisse, videlicet ita gratiam mortuis exhibendam coniungens cum eleemosyna in pauperes conferenda, sicut Tobias post præceptum de eleemosyna subijcit illud de pane & vino super sepulturam iusti constituendo. Hæc ipsa vero confirmantur ex eo quod Iudæi vsque in hodiernum diem ex traditione maiorum pro suis defunctis diligenter orant, qui ad probandum hunc morem suum inter alia adferunt exemplum Ioseph patriarchæ qui exequias fecit Iacob patri suo in terra Chanaam Genesis vltimo. Licèt autem hæc quæ diximus, directè tantùm eò pertineant, vt ostendatur apud fideles qui Christum antecesserunt, semper aliquo in vsu fuisse suffragia pro defunctis, consequenter tamen inde ipsum purgatorium construitur: quia frustrà imò infideliter ac superstitiosè illa fierēt, si defuncti non essent in aliquo miseriæ statu, à quo per illa essent liberandi. Quam certissimam connexionem agnoscentes hæretici vtrumque pari studio oppugnant.

Cæterùm magis directè ad probandum purgatorium facit, quod in scriptura noui testamenti Dominus dicit de quodam peccato quod qui fecerit, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro Matth. 12. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, inquit Augustinus lib. 21. de ciuitate Dei cap. 24. quòd non eis remittatur, neque in hoc sæculo neque in futuro, nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro. Similiter ratiocinatur lib. 6. contra Iulianum cap. 5. Et ante eum Ambrosius de Elia & ieiunio cap. 20. Post vtrumque autem Isidorus lib. 1. de officijs eccles. cap. 18 clarè affirmans ijs verbis Dominum demonstrare quòd quibusdam in futuro sæculo sint dimittenda peccata & quodam purgatorio igne purganda. Præterea idem ex eo loco colligit Gregorius lib. 4. dialog. cap. 39. Beda scribens in Marci 3. vbi ipsa Gregorij verba recitat, Fulgentius lib. 1. de remissione peccatorum cap. 24. Philippus presbyter lib. 1. in Iob 12. & post eos omnes Bernardus serm. 66. in cantica vbi contra nouicios hæreticos ecclesiæ fidem oppugnantes, agit his verbis: Nam si non credunt ignem purgatorij restare post mortem, quærant ab eo qui dixit quoddam peccatum esse quod neque in hoc sæculo neque in futuro remittitur. Cur hoc dixerat, si nulla manet

A in futuro remissio purgatioue peccati. Sic & quidam Petrus Venerabilis Bernardo contemporaneus aduersus hæretici cuiusdam errores disserens eadem prorsus vtitur collectione.

Sed contra hunc sensum obijciunt aduersarij, Dominum apud Matthæum per auxesin quandam hoc tantum significare voluisse, quod simpliciter apud Lucam 12. dixit: *Non remittetur* & apud Marcum 3. *non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti*. Ad quod respondetur Dominum sic voluisse exaggerare delicti magnitudi-
B nem iis verbis quæ sunt apud Matth. vt tamen ad id faciendum non fuerit vsus inepto sermone, qualis profectò esset si partitionem adhibuisset, cuius alterum membrum non subsisteret, sed merè ficticium esset, velut si quis dicat Phœnicem auem non reperiri neque in terra neque in cælo cum in cælo propriè dicto nullæ sint aues. Quin potiùs contrà sicut ex illa distributione quam Dominus facit, rectè colligitur esse aliquod futurum sæculum: ita non minùs rectè colligendum relinquitur fieri quorundam peccatorum in illo sæculo remissionem; quemadmodum etiam de priori membro rectissimè colligitur, nempe ex eo consequens esse, vt
C quædam peccata in hoc sæculo remittantur. Quam argumenti vim propiùs expendit Gregorius loco supracitato dum collectionem suam confirmat hac ratione: Quod enim de vno negatur, cōsequens intellectus patet quia de quibusdam conceditur. Et potest hæc res similium scripturarum collatione pleniùs explicari, quales sunt istæ. *Non declinabitis neque ad dexteram neque ad sinistram* Deuter. 5. & alibi. *Et non respondit ei neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas* 1. Regum 28. Harum enim partitionum singula membra subsistunt vt patet.

D Alius est scripturæ locus ad probandam animarum purgationem post hanc vitam apud apostolum 1. Corinth. 3. vbi cùm Christum dixisset esse fundamentum, subiunxit: *Si quis autem ædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem*
E *saluus erit, sic tamen quasi per ignem*. Huius loci tres reperiuntur expositiones apud veteres. Prima est Chrysostomi, & communis Græcorum saltem posteriorum, vt ex actis Florentini concilij liquet; nempe per aurum, argentum & lapides preciosos intelligi bona opera quæ merentur vitam æternam; per ligna verò & fœnum & stipulam mala opera quæ merentur mortem æternam. Eos autem qui hæc superædificant saluos fore per ignem, id est, ita cruciandos igne gehennæ, vt nunquam consumantur. Vtitur quidem hac expositione Chrysostomus aduersus christianos criminosè viuentes, qui ex sola fide in Christum salutem sperabant, sed reuera non videtur apostoli mentem assecutus; tum quia sal-
F uum esse nusquam ita in scriptura accipitur, quin potiùs hoc eodem capite de damnandis contrario prorsus modo loquitur apostolus cùm dicit: *Disperdet illum Deus*; tum quia iuxta eum sensum non erat dicendum per ignem, sed in igne. Nam propriè per ignem saluatur quod igne ad tempus purgatur, vt inde saluum exeat: tum quia qui magna crimina committunt, licèt fidem retineant, non tamen dicendi sunt Christum habere fundamentum, quia aliud Christo præponunt, ideoque non ædificant

super

super petram quæ est Christus Matth. 7. & Augustinus enchir. 68.

Altera expositio est Augustini lib. 21. de ciuitate Dei cap. 26. super psal. 29. Enchirid. 68. quæst. 1. ad Dulcitium, & lib. de fide & op. cap. 16. itemque Gregorij lib. 4. dialog. cap. 39. per diem Domini intelligentium tempus tribulationis quale est in hoc sæculo, quo nimirum per afflictiones temporales probantur fideles, & qui perfectè & qui imperfectè Christum sequuntur. Sed neque hic sensus satis conuenit. Primùm quia per diem Domini, & diem Christi, & diem illam Paulus alibi semper intelligit tempus iudicij, & retributionis post hanc vitam. Deinde quia dicit per hanc ignis probationem manifestandum esse cuiusque opus, quod tamen non semper fit in hac vita per tribulationes, sed magis illud durante hoc sæculo veritatem obtinet quod Ecclesiastes dicit cap. 9. Omnia in futurum seruari incerta, & quod vniuersa æquè eueniant iusto & impio. Vnde & ipse quoque apostolus capit. proximo prohibet, ne quis iudicet ante tempus donec veniat Dominus &c. Denique quia disertè mercedem hoc loco nominat, quæ non redditur nisi in futuro sæculo

Est itaque tertia expositio eiusdē Augustini alijs locis, eademque aliorum patrum iuxta quam duæ priores expositiones quodam modo in vnam rediguntur; scilicet vt de futuro sæculo verba apostoli accipiantur, quod vult Gregorij commentarius, & per ædificantes super fundamentum non alij quàm boni christiani intelligantur, quod volebat secunda expositio, vt sensus sit: In futuro sæculo atque in iudicio Dei examinanda opera eorum qui Christum in hac vita pro fundamento retinuerunt. Quę quidem opera si bona inuenta fuerint, qualia significantur per aurum, argentum & lapides preciosos, non consumentur ab igne purgationis, sed permanebunt & sustinebunt iudicium Dei, & qui ea fecerint, mercedem pro illis accipient. Sin autem fuerint inuenta mala (saluo interim fundamento) id est, minuta ac venialia quæ fundamentum non euertunt, cuiusmodi significantur per ligna, fœnum, stipulam, detrimentum illorum operum patietur qui ea fecerit. Ipse autem saluus erit tanquam per ignem quendam purgationis & punitionis diuinæ, qua videlicet expurgatis sordibus & reliquijs peccatorum ipse tandem perfectè mundus & regno Dei idoneus inuenietur. Agnoscit hunc sensum Augustinus compluribus locis, velut scribens in psal. 6. & 37. & 80. & conc. 7. in psal. 103. & conc. 25. in psal. 118. Item lib. 16. de ciuitate Dei cap. 24. & lib. 20. cap. 25. & 26. ac rursum homil. 16. inter 50. serm. 41. de sanctis qui est sermo 4 in commemoratione animarum, & eius titulo liber de vera & falsa pœnitentia cap. 18. imò & in enchirid. cap. 69. licèt paulò antè aliū sensum reddidisset. Cōsentiunt alij patres, vt Origenes homil. 6. in Exodum & homil. 8. in Leuiticum & homil. 12. in Ierem. & in psalm. 36. Lactantius lib. 7. diuinarum instit. cap. 21. Basilius de spiritusancto cap. 15. & in Isaiæ 4. & 9. Hilarius in Matth. 3. Ambrosius sermone 3. & 20. in psal. 118. Hieronymus in Matth. 3. & lib. 2. contra Iouinianum, dial. cap. Gregorius in psal. 1. & 3. pœnitētiales & lib. 4. 39. vbi hunc sensum ita subiungit superiori, vt præferre videatur, & post eos Alcuinus lib. 3. de trinit. cap. 21 affirmans de igne purgatorio Paulum ea verba dixisse non esse dubitandum. Denique hunc sensum in concilio Florentino Latini patres, licèt Græcis dissentientibus duntaxat quoad interpretationem huius loci, recipere & approbare se declararunt.

A Præterea huc referri possunt scripturæ quæ in die iudicij quibusdam fidelibus misericordiam à Deo pollicentur, cuiusmodi sunt istæ, 2. Timoth. 1 *Det illi Dominus inuenire misericordiam in illa die.* & Iacobi 2. *Iudicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam* & Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* & Luc. 16. *Vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula,* & 2. Machab. 7 *Vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.* Quamuis enim hæ scripturæ nec ignis nec afflictio-

B nis meminerunt, attamen vbi misericordia promittitur, ibi consequenter & miseria esse significatur.

Tale quid etiam significare videtur illa oratio latronis: *Memento mei cum veneris in regnum tuum* Vnde Augustinus serm. 124. de tempore cap 6. de latrone sic loquitur: Ipse attendens merita sua non dixit: Memento mei, vt liberes me hodie, sed cùm veneris in regnum tuum, tunc memor mei esto. Si mihi tormenta debentur, vel quousque veneris in regnum tuum &c.

Huc præterea referendum omnino videtur il-

C lud apostoli Hebr. 10. *Voluntariè peccantibus non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio quæ consumptura est aduersarios.* Significari enim videtur illis verbis, quanta pœna maneat eos qui post baptismum in grauia peccata lapsi fuerint, etiamsi resipiscant; eò quòd per pœnitentiam non statim auferatur omnis pœna, sicut per baptismum. Quæ tam grauis pœna cùm non sit huius sæculi, patet eam nisi spontanea satisfactione diuinam vltionem quis præcurrat, in altero sæculo luendam esse; ad quod etiam propriè

D pertinet quod sequitur: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

Accedunt præterea ad instituti nostri probationem scripturæ quæ significant, quòd Christus descendens ad inferos liberauerit aliquos ex pœnis siue tormētis, vt Zach. 9. Actor. 2. 1. Petri 3. & 4. Non enim sancti patriarchæ & prophetæ apud inferos positi in tormētis erant, sed in sinu Abrahæ requiescebant. Quare si Christi descensus etiam pœnarum remissionem quibusdam attulit, id non nisi de illis accipi potest qui in purgatorio cruciabantur. Hoc autem descensus Christi beneficium multis locis agnoscunt patres, vt Epiphanius hæresi 46. Hie-

E ron. in Zach. 9 & Dani. 3. Eusebius Emissenus homil. 1. de pascha. Ambrosius lib. de mysterio paschæ cap. 4. Augustinus lib. 12. de Genesi ad literam cap. 33. vt hîc interim omittamus, quod nonnulli scholastici non improbabiliter asserunt, Christum ad inferos descendentem vt potestatis suæ plenitudinem in electos suos illic constitutos effunderet, plenam indulgentiam contulisse omnibus qui in purgatorio erant, id quod profectò satis apertè significant hæc Gregorij de Christo verba homil. 22. in euangel. Omnia traxit qui de electis suis apud inferos nullum reliquit.

F Sunt autem præter dictas & aliæ scripturæ quibus interdum pro purgatorij causa catholici vtuntur, sed ex quibus non perinde certa probatio sumitur, eò quòd alium quoque sensum admittant vel æquè probabilem, vel etiam probabiliorem, qualis est illa Matth. 5. & Luc. 12. *Non exibis inde, donec etiam nouissimum minutum reddas.* tametsi eam ad purgatorij pœnam retulerunt Cyprianus lib. 4. epist. 2. ad Antoninum, Eusebij Emisseni titulo homil. 3. de epiph. & Ambrosius in Lucam, Qualis & illa Philipp. 2. *In nomine Iesu flectatur omne genu cæ-*

permiscrit, habet in hac vita maledictionem terræ (A) suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam. Ita nemo euadit istam sententiam, sed agendum est, vt in hac tantùm vita sentiatur. Et lib. 21. de ciuit. cap. 13. Sed temporarias pœnas, inquit, alij in hac vita tantùm, alij post mortem, alij & nunc & tunc, verumtamen ante iudicium seuerissimum nouissimumque patiuntur. Non omnes autem veniunt in sempiternas quæ post illud iudicium sunt futuræ, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam quòd in isto non remittitur, remitti in futuro sæculo, id est, ne futuri sæculi æterno supplicio puniatur, iam suprà diximus. (B) Repetit hoc idem cap. 16. Quam autem certum habuerit Augustinus orandum esse pro defunctis, alia loca planissimè docent. Nam in lib. de cura pro mortuis cap. 1. cùm pro hac re librum Machabæorum citasset, ita subiunxit: Sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parua tamen est vniuersæ ecclesiæ quæ in hac consuetudine claret, authoritas; vbi in precibus sacerdotis quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. (C) De qua ecclesiasticæ consuetudinis authoritate rursum ait in epist. 118. ad Ianuarium: Si quid tota per orbem frequentat ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est. Idem serm. 32. de verbis apostoli de adiutorijs mortuorum, vt ipse nominat, ita scribit: Orationibus verò sanctæ ecclesiæ & sacrificio salutari & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum vniuersa obseruat ecclesia (D) vt pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum esse ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerint ante mortē, vt possint hæc eis vtilia esse post mortem. Hæc ille. Ex quibus constat hoc dogma fuisse Augustino prorsus indubitatum, & inter ea habitum quæ fide tenenda sunt, adeo etiam, vt Aërianos post Epiphanium & Philastrium inter hæreticos numerare non dubitarit, quòd dicerent (E) non oportere orare vel offerre pro mortuis, hæresi 53. His adde quæ habentur lib. 9. confess. cap. 11.12. & 13. de orationibus & oblationibus pro matre eius factis, vbi demum etiam lectorem rogat vt oret pro vtroque ipsius parente. Item epist. 64. ad Aurelium, enchir. 110. lib. 1. de anima cap. 9 de cura pro mortuis cap. 1. 4. 5. & vltimo, & lib. 21. de ciuit. cap. 24. & in Augustini vita Possidius cap. vltimo. Et Carthaginense concilium 4. cui Augustinus subscripsit can. 79. qui sic habet: Pœnitentes (F) si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis subueniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.

Augustinum secutus est Gregorius Romanus lib. 4. dialog. cap. 39. & 40. ex professo disserens de pœnis animarum purgatorijs. Meminit quoque lib. 2. cap. 3. expositionis in 1. Reg. Exstat etiam apud Ioan. Damascenum sermo pro defunctis, quo toto id agit author ille, vt tum ex scriptura, tum ex apostolica traditione & patribus doceat suffragia viuorum prodesse mortuis.

Horum doctrinæ consentanea cæteri quoque docuerunt vt Basilius locis supracitatis, & in liturgia, Eusebius Cæsariensis lib. 4. de vita Constantini, Athanasius quæst. 34. ad Antiochum principem & in serm. de ijs qui obdormierunt citante Damasceno, Ephrem diaconus in testamento, Prudentius in hamartigenia sub finem, & hymno in exequias defunctorum, Beda lib. 4. historiæ Anglorum cap. 22. Boëtius lib. 4. consolat. philosoph. prosa 4. Theodoretus in 1. Corinth. 3. & in vita Iacobi Nisibeni, Theodoretus in Luc. 12. Bernardus serm. 66. in cantica. Quo loco notandum est, quòd etsi orationes pro defunctis iam olim oppugnatæ fuissent ab Aërio hæretico, cuius tamen hæresis statim extincta fuit; attamen de pœnis purgatorijs animarum non legitur quisquam dubitationem mouisse ante ætatem Bernardi: Quo nimirum tempore obscuri quidam homines, vt eo sermone Bernardus testatur, purgatorium negarunt.

Nam quod ad Græcos attinet quibus hunc errorem asscribit Cyrilli Hierosolymitani falso titulo epistola ad Augustinum, vnde fortassis occasionem acceperunt S. Thomas in opusculo ad Vrbanum papam de erroribus Græcorum, & alij recentiores, vt eum errorem Græcis impingerent, sanè non modò Græcos antiquiores, quorum ex supracitatis certa & clara est sententia, sed & posteriores ac schismaticos locum purgatorium animarum agnouisse testantur acta concilij Florentini tam in principio quàm in conclusione. Nam vtrobique Græci purgatorium tanquam rem apud suos indubitatam simpliciter confitentur, tantùm in hoc à Latinis discrepantes, quòd non verum ignem sed obscuritatem seu turbinem seu quid aliud (quam quæstionem nondum definiuit ecclesia) ibi esse dicerent, quodque locum apostoli 1. Corinth. 3. Chrysostomum secuti aliter quàm Latini interpretarentur. Idem ostenditur ex libro Gennadij patriarchæ Constantinopolitani, in quo purgatorij doctrinam probat ex scripturis & antiquis orientalis ecclesiæ doctoribus. Imò neque hodie Græci etsi in schismate permanentes aliud sentire dicuntur. Quin & ecclesia Æthiopica referente Damiano vsque in hodiernum diem pœnas animarum quibus purgentur, agnoscit. Denique adeo perpetua atque vniuersalis est hæc fides, vt ipse Lutherus non statim initio eam aggredi ad oppugnandum ausus fuerit. Dicit enim articulo 37. Ego & credo purgatorium esse, & consulo suadeoque credendum.

Ne quid tamen huius dogmatis certitudini deesset, ab ecclesia vniuersali definitum est, & priùs in concilio Florentino Græcis, vti dictum est, assentientibus, & postea in Tridentino, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio iuuari. Loca concilij Tridentini sunt sess. 25. in decreto de purgatorio sess. 6. can. 30. & sess. 22. cap. 2. & can. 3.

§. 3. *Rationibus eadem doctrina confirmatur.*

Ratio potissima qua probatur animarum purgatorium ex satisfactionis necessitate sumitur, & est huiusmodi: Non semper quoties culpa remittitur, simul & vniuersa pœna condonatur. Quamuis enim in baptismo plena fiat & integra peccatorum remissio, ita vt quantum est ex parte efficaciæ

sacramenri, nihil in baptizatis relinquatur, qnod eos ab ingressu cæli remoretut, vt synodus Tridentina testatur sess. 5. can. 5. sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cælorũ,& Dei visionem perueniant, ideoqne nulla sit ijs pro peccatis præteritis iniungenda satisfactio, vti docet Florentina synodus in decreto de sacramentis, attamen de relapsis & per pœnitentiæ sacramentum reconciliatis longè aliter senriendnm. Exigit enim diuinæ insticiæ ratio, vt hi, quoniam semel à peccati & dæmonis seruitute liberati, & accepto spiritussancti dono scientes templum Dei violare & spirituusanctum contristare non sunt veriti; non ita facile ad perfectam peccatorum remissionem pertingant, atque illi qui ante baptismum per ignorantiam deliquerant: sed eò tandem perueniant per laboriosam satisfactionem, qua peccata sua voluntaria castigatione in seipsis vindicent quemadmodum explicatum est in synodo Tridentina sess. 14. cap. 2.& 8 & nos pleniùs ostendimus ad dist. 15. Cùm igitur contingat relapsos & reconciliatos non exoluere totum satisfactionis debitum ante mortem, siue quòd in satisfaciendo sint per se remissiores, siue qnòd ante peractam, vel etiam inchoatam pœnitentiæ actionem subirò tollantur è vita. necesse est, vt huic diuinæ iusticiæ satisfiat in sæculo futuro. Et quidem eò magis, quòd satisfactio fuerit institnta, vt per eam pœnitens euaderet futuri sæculi pœnas temporales, in quas æternum gehennæ supplicium virtute sacramenti fuerat commutatum. Quare iustnm est illas pœnas exigi, si vel negligenter acta, vel abtupta, vel infecta ac nulla planè fuerit ipsa huius vitæ satisfactio.

Huic rationi astipulatur scriptura Heb. 10. qua terribile iudicium in futuro sæculo expectandum comminatur ijs qui post acceptam veritatis noticiam, id est, post illuminationis sacramentum voluntariè peccarunt. Vnde etiam subuertitur fundamentum contrariæ hæreticorum doctrinæ, dicentium satisfactionem Christi in cruce exhibitam sic nobis imputari, quotiescunque peccatorum remissionem consequimur, qnasi nosipsi illam exhibuissemus. Hoc enim tantùm in baptismo verum est, vbi quoad remissionem plenissima nobis fit passionis Christi communicatio, non autem in sacramento pœnitentiæ, vt iam dictum est.

Alia ratio similis est superiori & sumitur ex culpis venialibus. Nam & pro venialibns quotidianis leuibusque peccatis agenda est pœnitentia quædam quotidiana, quemadmodum docet Augustinus homil. 27. & 50. & epistola 108 & enchirid. 71 Quæ proinde pœnitentia si minùs arcta fuerit in hac vita, restat vt pro ijs insticia Dei pœnas temporales exigat in altero sæculo. Ad hanc rationem semper respiciunt veteres vbi de purgatorio verba faciunt, ac nominatim Augustinus & Gregorius. Ad vtramque autem rationem referre licet scripturam 2. Machab. 12. iuxta diuersum intellectum peccati ab ijs qui ceciderant admissi.

His addi potest & tertia ratio. Manent enim plærnmque in hominibus etiam pijs vsque ad mortem inordinati & vitiosi quidam affectus, tametsi veniales: Qui cùm non tollantur in hac vita, & nec quidem in ipsa morte extinguantur (hoc enim fieri deberet per affectnm contrarium) consequens est vt post mortem residcant adhuc in animabus separatis, donec igne purgatorio excoquantur & expurgentur; ita vt ibi proprijssimè locum habete videatur purgatio animarum, à qua locus ipse seu status

A earum purgatorij nomen acceperit. Huc autem faciunt scripturæ Apocalyp. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum*, & 1. Corinth. 3 *Si quis superædificauerit lignum, fœnum, stipulam &c.* quamuis hic locus etiam ad secundam rationem accommodari potest. Quòd autem huiusmodi inordinationes voluntatis remaneant in bonis fidelibus etiam post mortem, etsi neque fidei dogma sit, neque Augustino certum fuerit, vt infrà docebimus, plærique tamen posteriores ita senserunt, velut author libri de spiritu & anima apud Augustinum cap. 45. Magister hac distinct. 5. D. D. Thomas in 4. dist. 20. q. 3. & Bonauentura in præsentem distinctionem art.
B 2. quæst. 1. quorum rationes quibus eam sententiã stabiliant, apud ipsos videre est.

§. 4. *Argumenta aduersariorum diluuntur.*

SVperest nunc, vt hæreticorum argumenta quibus purgatorium oppugnant, diluamus. Quæ quidem multiplicia sunt.

Primùm ex scriptura argumentantur quam dicunt tantùm agnoscere duos ordines hominum in
C iudicio Dei, alterum eorum qui damnantur, alterum eorum qui rectè transmittuntur ad regnum, Matth. 25.

Secundò Apocalyp. 14. audiuit Ioannes vocem de cælo dicentem sibi, *Beati mortui qui in Domino moriuntur, Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis*, igitur quotquot in Domino moriuntur, statim à morte beati sunt, & à laboribus requiescunt; quod verum non esset, si quibusdam eorum adhuc subeundi esset acerbissimi cruciatus in purgatorio. Item confirmari videtur ex eo quod
D sequitur: *Opera enim illorum sequuntur illos*, scilicet statim, & sine dilatione, quod si ita est, non ergo relinquitur locus purgatorio.

Tertiò. Ecclesiastæ 11. dicitur, quòd lignum in quocunque loco ceciderit, ibi erit, id est, permanebit; cùm ergo post mortem finaliter nemo permaneat nisi in regno vel in gehenna, consequens videtur hominem morientem non nisi in alterum horum cadere.

Quartò. Sapient. 3. Iustorum animæ in manu Dei & in pace esse dicuntur. Et cap. 4. dicitur: *Iu-*
E *stus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*, ergo non est in igne.

Quintò. Ioan. 5. *Qui verbum meum audit* (ait Dominus) *habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transiet à morte ad vitam.*

Sextò. Augustinus alicubi de purgatorio dubitare videtur. Nam in enchiridio cùm cap. 68. locum apostoli 1. Corinth. 3. tractans eum exposuisset de tribulationibus huius sęculi, quibus tanquam igne quodam fideles purgantur, ita subiungit cap. 69. Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & vtrùm ita sit, quæri potest.
F Et aut inueniri aut latere, nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium quantò magis minùsue bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs citiùsque saluari. Et lib. 21. de ciuit. cap. 26. cùm similiter locum apostoli fuisset interpretatus, tandem subijcit: Post istius corporis mortem, si spiritus defunctorum eiusmodi ignem dicuntur perpeti quem non sentiant illi qui non habuerunt tales mores & amores in huius corporis vita, vt eorum ligna & fœnum & stipula consumantur, alij verò sentiant qui eiusmodi secum ædificia portauerunt,

vt ibi

vt ibi concremantem ignem transitoriæ tribulationis inueniant, non redarguo; quia forsitan verum est. Sic ille. Simile quid apud eum legitur lib. de fide & operibus cap. 16.

Septimò. Aliæ aliquot sententiæ Augustini contra purgatorium proferuntur, vt ex epist. 80. vbi dicit quòd qualem vnumquemque inuenerit dies mortis, talis iudicabitur in die nouissimo, & tract. 49. in Ioan. Requiem, inquit, quæ continuò post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque cùm moritur & serm. 31. de verbis apostoli. Non hic sumus sine peccatu, sed exibimus hinc sine peccato. Item lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. cap 33. dicit peccata hic remissa non obesse post hanc vitam, & lib. de spiritu & litera cap. 28. quòd veni alia peccata hominem iustum non impediunt a vita æterna. Deinde lib. 5. hypognost. cap. 5. Primum locum, inquit, fides Catholicorum regnum credit esse cælorum, secundum gehennam, tertium penitus ignoramus, imò nec esse in scripturis sanctis inuenimus. Et in lib. de vanitate sæculi cap. 1 sic ait: Cùm anima à corpore euellitur, statim aut in paradisu pro meritis bonis collocatur, aut certè pro peccatis in inferni tartara præcipitatur.

Octanò. Aliorum patrum sententiæ quædam obijciuntur. Nam Cyprianus in epist. ad Demetrianum negat esse satisfactioni locum post hãc vitam. Gregorius Nazianseuus oratione 10. dicit post hanc vitam esse quidem locum pœnę, sed non emendationis. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 18. Pœnitentiæ, inquit, & remissionis tantùm in hac vita præscriptum tempus habemus. Et Chrysostomus serm. 2. de Lazaro: Non est in nobis situm abluere commissa post hanc vitam. Quibus addunt Hieronymum & Olympiodorum in eandem sententiam scribentes super Ecclesiastæ 11.

Nono sic ratiocinantur: Non est constituendus paradisus malorum propter bona quædam quæ fecerunt, ergo nec agnoscendum purgatorium bonorum propter mala quædam quæ commiserunt. Nec valet responsio si dicas bona illa per peccatum esse mortificata; quoniam etsi mortificata sint, vel etiam mortua quoad vitam æternam, non tamen quoad retributionem temporalem, quandoquidem etiam infideles per opera moraliter bona aliquid merentur.

Decimò. In die iudicij extremi statim omnes vel in regnum recipientur, vel in ignem mittentur, non obstãte eo quod qui viui tunc reperti fuerint, non plenè in hac vita pro peccatis satisfecerint; igitur neque nunc quidem eam ob causam agnoscere purgatorium est necesse.

Postremò. Non constat quo loco sit purgatorium, dum alij in aëre, vt Alcuinus lib. 3. de Trinit. cap. 21. alij sub terra illud collocant, vt plærique, alij diuersa loca diuersis animabus purgandis assignant, vt in dialogis Gregorius, igitur ipsum quoque purgatorium incertum redditur.

Sed ad hæc obiecta ordine respondeamus. Ad primum itaque respondetur, duos tantùm esse ordines hominum, alterum saluandorum, alterum damnandorum: ad quorum priorem pertinent haud dubiè qui post mortem ad tempus purgantur. Cæterùm quando extrema iudicis proferetur sententia de qua Matth. 24. Omnes statim vel in regnum vel in gehennam ibunt; quia purgatio omnis sententiam illam nouissimam pręcedet, vt docet Augustinus lib. de ciuit.

Ad secundum variè responderi potest. Bernar- A dus serm. 4. de omnibus sanctis dicit ea sententia distingui sanctos noui testamenti à sanctis veteris testamenti, quòd illos non statim à morte secura fuerit merces operum, etiamsi nullum haberent peccati impedimentum; hos autem statim sequatur ex quo Christus deuicta morte ianuas cæli aperuit. Alij locum de martyribus interpretantur, qui vt patres docent, continuò à morte ad regnum transeunt. Sic exponit Augustinus lib. 20. de ciuit. Dei cap. 9. tametsi ad alios etiam omnes in Domino mortuos referri posse admoneat. Alij intelligunt perfectè in Domino mortuos, B id est, qui ita in fide & charitate decesserunt, vt ab omni macula & reatu peccati liberi sint. Sed tamen nihil vetat de omnibus omnino in gratia Dei mortuis locum illum accipere. Quomodo eum extendit Augustinus loco iam memorato. Omnes enim iusti bene moriuntur, & continuò ab ipsa morte beati sunt non tantùm spe quod erant etiam in hac vita; sed vel reipsa, vt qui purgatione non egent; vel certitudine & securitate adipiscendæ beatitudinis, vt qui adhuc purgandi sunt. Si enim spes iustorum in hac vita beatos eos facit dicente apo- C stulu Rom. 8. *Spe salui facti sumus*, & Domino in euangelio: *Beati pauperes spiritu &c.* multo rectiùs post mortem beati dici poterunt propter ipsam pręmij securitatem, etiamsi ad tempus sint in pœnis. Requiescunt autem tales à laboribus suis quibus in hac vita sudarunt contra diabolum, carnem, & mundum periculosa militia decertantes. Qui sunt labores sanctis proprij, de quibus disserit Augustinus lib. 22. de ciuit cap. 23. Et tamen illis adhuc ab ecclesia requies petitur donec eius plenitudinem omni malo sublato fuerint assecuti. Licèt D enim requiescant iam à laboribus, nondum tamen requiescunt à pœnis. Notandum autem eundem Apocal. locum facere pro purgatorio. Sequitur enim: *Opera enim illorum sequuntur illos*, quod intelligitur quoad retributionem. Igitur & mala opera quatenus nondum remissa sunt, sequuntur, & proinde adhuc puniuntur in futuro sæculo.

Ad tertium. Ecclesiastes duo loca nominat austrum & aquilonem. Ad aquilonem pertinent omnes reprobi, ad austrum omnes electi, quemadmodum docet Augustinus epist. 120. ad Honoratum cap. 22. Constat autem neminem ex reprobo prædestinatum, vel contrà fieri posse. Similis est ratio E si ad austrum bonos, ad aquilonem malos collocemus. Nam post mortem nec horum inter se potest fieri commutatio, id quod vult Hieronymi & Olympiodori in eum locum commentarius. Nihil ergo facit hic locus contra purgatorium in quo non nisi boni sunt & electi ijdemque semper tales futuri.

Ad quartum. Iustorum animæ etiam quæ purgantur, sunt in manu Dei, id est, in tutissima apud Deum custodia, quia nulla tẽtatio, nulla persecutio iam eis nocere potest. Sunt item in pace quia post exactam huius vitæ militiam sunt de regno securæ. F Vnde & dormire dicuntur in somno pacis, vt est in canone missæ. Sunt autem in refrigerio, quia non patiuntur amplius æstum tentationum huius sæculi. Et tamen in dicto canone adhuc petitur eis locus refrigerij & pacis, vt ardore pœnarum quibus detinentur extincto, perfectam cum Deo pacem obtineant, quandoquidem punitio illa ab irato Deo procedit.

Ad quintum. Iudicium eo loco intelligitur æternæ damnationis, quemadmodum paulò pòst cũ dicitur: *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem*

vitæ;

vita, qui verò mala in resurrectionem iudicij. Quomodo etiam iudicium accipit apostolus 1. Corinth. 11. cùm ait: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Et iterum: *Vt non in iudicium conueniatis.*

Ad sextum. Augustinus ijs locis non dubitat, vtrùm sit purgatorium animarum post hanc vitam, cùm tam multis alijs locis quæ suprà citauimus, id indubitanter astruat, & consuetudinem vniuersalis ecclesiæ orantis pro defunctis in dubium reuocari non sinat, sed dubitat, vtrùm sicut in hoc sæculo multi purgantur igne tribulationis ab amore rerum sæcularium, & viciosis affectibus; dum videlicet ipsa tribulatio eos vrit dolore quodã amissorum huius vitæ commodorum: ita & in futuro sæculo contingat, id est, an quibusdam in Christo defunctis adhuc adhærcant affectus viciosi & amor quidam rerum secularium, à quo debeant ignis vstione seu afflictione repurgari, quemadmodum multi sentiunt, vt in tertia ratione suprà significauimus. Nec mirum est de ea re dubitasse Augustinum, cùm neque in hodiernum diem res ea definita sit, & in vtramque partem à Scholasticis graues adferantur rationes.

Quæ septimò ex varijs Augustini locis obijciuntur, bene intellecta difficultatem non habent. Nam primus locus vult vnumquemque talem qualis moritur, in nouissimo die iudicandum, quoad vitam vel mortem æternam, eiusque certum gradum. Hæc enim post mortem nullo tempore possunt mutari, cessante videlicet merito ac demerito. Secundus interponit conditionem, si dignus est; in qua continetur & illa, si statim eam accipere dignus est. Nã qui purgantur, etsi ea requie digni sint, non tamen vt eam statim accipiant. Et quidem in eodem tractatu Augustinus adhibita comparatione diuersarum custodiarum quibus rei ad iudicem producendi asseruari solent, satis innuit præter duo receptacula vitæ & mortis æternæ esse aliud temporariũ, quo recipiantur aliqui humano & miti officio, sicut ipse loquitur tractandi. Tertius locus vel significat quid in quibusdam fiat, vel de actu peccati est intelligendus. Neque enim in purgatorio animæ peccant. Quartus intelligitur de peccatis hic omnino & plenè remissis aut non obsunt post hanc vitam, quia non dãnant. Quintus negat venialia impedire, id est, simpliciter excludere hominem à vita æterna, quomodo gladius versatilis impediebat ingressum paradisi. Duo postrema loca non sunt ex libris Augustini, quanquam sententiæ veræ sint, si rectè intelligantur. Nam prior negat tertium locum perpetuum, cuiusmodi tribuebant Pelagiani paruulis non baptizatis, dicentes eos habituros quidem vitam æternam sed extra regnum Dei. Posterior intelligenda est cum conditione paulò antè ex Augustino expressa

Ad octauum argumentum. Omnes illę patrum sententiæ sicut loquuntur de pœnitentia & emendatione, qua quis conuertitur ad Deum & ex malo fit bonus, quæ proinde locum non inueniet in futuro sæculo, quia lignum vbicunque ceciderit, illic erit: ita & de satisfactione ac remissione qua aboleatur reatus pœnæ æternæ sunt accipiendæ. Nisi enim reatus ille fuerit à peccatore ablatus in hoc sæculo, necesse est, vt æternum permaneat in futuro.

Ad nonum respondet quidam non esse simile, quia malum ex singulis oritur defectibus, bonum autem integra constat causa, ideoque fieri, vt vnum crimen, in quo quis discedit, statim damnet, iustitia verò, nisi tota sit, excluso omni actu & reatu peccati, non statim saluet. Verùm quia sic nondum ratio redditur, cur opera quæ temporaliter etiam in infidelibus à Deo remunerari solent, si morte præoccupetur qui ea facit, mercede frustreotur, pleniùs respondendũ videtur Deum pro einsmodi bonis operibus absolutè nihil homini debere; quia licèt sæpe ea remuneret in hoc sæculo, non tamen perpetua lege mercedem aliquam pro ijs addixit, sicut vitam æternam pro operibus iustorum. Imò quia omnia bona à Deo sunt, fit vt Deus propter bona quæ hominibus largitur, non efficiatur hominibus debitor, sed magis illi Deo, nisi ipse se debitorem constituat ex promissione vel pacto, quale in proposito nullum intercessit.

Ad decimum. Idcirco post extremam iudicis sententiam nulla fiet purgatio, quia, vt iam antè diximus, purgatio omnis illam sententiam præcedet, etiam eorum qui in Christi aduentu reperientur viui. Fiet enim horum purgatio vel in sola anima sicut cęterorum, vel in corpore simul & anima per ignem conflagrationis; sed ita vt quod diuturnitati temporis deerit, grauitate pœnę compensetur, aut certè sanctis intercedentibus misericorditer condonetur.

Postremum argumentum planè viciosum est. Non enim si locus rei ignoretur, idcirco rem quoque vtrùm existat, ignorari necesse est. Nam paradisum fuisse, ex scripturis certum habemus, qui tamen vbi sit, aut fuerit, nondum est planè compertum. Sic iudicium extremum est absque dubio futurum, licèt eius nec tempus omnino, nec locum certò sciamus. Sic Paulus certus erat se fuisse raptum in tertium cęlum, dubius tamen, vtrùm in corpore an extra corpus. Imò nec de inferno tam certi sumus vbi sit quàm quod sit, vt ex Augustino patet lib. 2. retract. cap. 24. Interim verò, vt communis, ita probabilis admodum est doctorum sententia, & cui non sit temere resistendum, purgatorij locum esse in visceribus terræ procul tamen ab ipsis gehenæ portis, non tam loci distantia, de qua diuinare nihil possumus, quàm immutabili decreto Dei seiunctum. Nam & de lymbo patrum qui procul dubio felicior fuit locus idem secundùm scripturas sentiendum non dubitatur. Ita de purgatorij loco post Gregorium lib. 4. dialog. cap. 42. sentiunt omnes scholastici.

§. 4. Cuiusmodi sit pœna animarum in purgatorio.

Circa pœnam animarum quæ purgantur, tres quæstiones occurrunt breuiter expediendæ: prima de instrumento seu modo illius pœnæ: secunda de eius grauitate: tertia de prolixitate. *Ad dist. loco 8. Thom.*

De primo controuersia quædam fuit inter Latinos & Græcos, qui ad Florentinum concilium conuenerant. Nam Latini profitebantur eam purgationem fieri per ignem, quem vocant purgatorium, prolatis ad hoc apostoli verbis 1. Corinth. 3. *Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit,* & infrà: *Ipse autem saluabitur sic tamen quasi per ignem.* Græci verò verba apostoli ex Chrysostomi interpretatione aliorsum trahentes purgatorium non ignem sed obscurum quendam locum ac laborum plenum esse censebant, tametsi sub finem synodi quæstione renouata de ea re contendere noluerint. Sic enim de purgatorio ibi loquuntur: Quod quidem siue ignis siue obscuritas, siue turbo, siue id genus aliud

sit,

sit, non putamus referre. Vnde in ipsa conclusione concilij tantùm dicitur eorum qui in charitate Dei ante condignam satisfactionem decesserint, animas pœnis purgatorijs post mortem purgari.

Quamuis autem neque in Florentino neque Tridentino concilijs de igne quicquam definitum est, constans tamen ea fuit & est Latinorum sententia purgatorium ignem esse, licèt ibi sit & obscuritas & turbo, seu inquietudo quædam. Inde enim est quòd ecclesia fidelibus defunctis in canone precatur, non tantùm locum refrigerij contra ardorem ignis, verùm etiam lucis & pacis contra obscuritatem & turbinem. Et in oratione quadam rursum hæc tria coniungens orat Deum, vt det illis refrigerij sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Et aliàs sæpe in precibus ecclesiæ quæ fiunt pro defunctis, requiem & lucem audimus.

Porrò præter locum 1. Corinth. 3. cuius maximè probabilem interpretationem esse de purgatione animarum post mortem suprà ostendimus, etiam ea quæ habentur Heb. 10. hanc sententiam non parum confirmant. Ibi enim nominatur *terribilis quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio, qui consumpturus est aduersarios.* (Sic enim habent Græca) id est, tormentum simile ac similiter excrucians cum igne infernali. Vnde mox subiungitur: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

Et sanè notandum, quòd etsi vocabulum ignis in sacris literis sæpe generaliter grauem afflictionem significet, vt ibi: *Transiuimus per ignem & aquam,* attamen ad tropum non est absque necessitate recurrendum. Quare sicut ex eo quod dictum est Matth. 24. *Ite in ignem æternum,* & alijs locis similibus, ecclesia sentit in inferno verum & corporeum esse ignem, licèt de natura & conditione eius non perinde constet: ita ex eo quòd apostolus ignem vocat id quo purgantur defunctorum animæ, rectè colligunt patres in purgatorio verum esse ignem. Quam patrum sententiam agnoscere licet in omnibus ijs locis suprà allegatis, vbi verba apostoli 1. Corinth. 3. ad animarum purgatorium referunt. Sic & alibi loquitur Augustinus, & post eum Gregorius velut scribentes in psal. 6. & 37. ac rursum Augustinus homil. 16. inter quinquaginta & ex professo Gregorius lib. 4. dialog. cap. 39. Item Alcuinus lib. 3. de trinitate cap. 21. & inter Græcos Damascenus libro de quiescentibus in Christo & alij.

Sed quomodo ignis ille in animas agat, incertum est, & perplexè disputatur inter scholasticos, fieri tamen id posse (licèt modus lateat) per Dei potentiam non dubitatur. Qua de re sic Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 10. Cur, inquit, non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis spiritus incorporeos posse spirituali ignis corporei pœna affici, si spiritus hominum includi potuerint corporalibus membris? &c. De eadem re latè disserit Gregorius lib 4. dialog. cap. 28. & 29. & lib. 15. moral. cap. 14. Qui authores etsi agant de igne tartareo, potest tamen ad ignem purgatorium nihilominus accommodari eorum disputatio, cùm sit vtrobiq; par ratio actionis ignis corporei in spiritum. Sed plenior huius rei tractatio pertinet ad dist. 44.

Iam de grauitate illius pœnæ, quod secundo loco quærebatur, grauis exstat apud Augustinum sententia scribentem in psalm. 37. Dicitur enim, inquit, *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* A Et quia dicitur saluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quicquid potest homo pati in hac vita. Et nostis quanta hîc passi sunt mali & possunt pati &c. Similis est sententia serm. 41. de sanctis, tametsi de eo non immeritò dubitetur, an sit Augustini. Author quoque libri de vera & falsa pœnitentia cap. 18. idem affirmat. Sed & Gregorius scribens in psalm. 3. pœnitentialem. Illum, inquit transitorium ignem, omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem.

B Ob has autem & huiusmodi patrum sententias sentit S. Thomas minimam purgatorij pœnam grauiorem esse maxima pœna huius sæculi. Hoc enim sententijs illis ita nudè positis videtur significari. Quanquam alij inter quos Bonauentura, aliter putant; nempe maximam quidem purgatorij pœnam maxima huius sæculi pœna grauiorem esse, at non idem esse iudicium, de quacunque minori purgatorij pœna. Quam quæstionem nos in medio relinquimus, illud admonentes, quòd nisi grauis & acerba admodum esset illa pœna, non tam sol- C licitè ecclesia filios suos adhortaretur ad opera satisfactionis in hac vita; neque etiam tanto studio commendaret tum indulgentiarum vsum per quas illæ pœnæ relaxantur, tum orationes, aliaque suffragia facienda pro defunctis.

Cæterùm huius grauitatis ratio euidens est, quia futurum sæculum est sæculum iudicij, retributionis, & vindictæ pro malis commissis, præsens autem sæculum est misericordiæ & remissionis. Vnde Dauid psal. 6. & 37. interpretante Augustino & Gregorio punitionem quidem præsentis sæculi D iram vocat, futuri autem sæculi furorem. Vnde pertinet ad singularem Dei clementiam quòd dederit hominibus facultatem euadendi pœnas temporales futuri sæculi acerbissimas per satisfactionẽ huius vitæ; quæ tantùm est satisfactio pro pœna, ideoque ex Dei ordinatione longè mitior, cùm illa futuri sæculi sit satisfactio in pœna, quam Deus ab ijs exigit qui seipsos in hoc sæculo non iudicauerint iuxta illud apostoli 1. Corinth. 11. *Si nos ipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur vt non cum hoc mundo damnemur.*

Hoc autem quod de grauitate illius pœnæ di- E ximus, non solùm ad afflictionem ignis, verùm etiam ad pœnam damni referendum docent S. Thomas & Ricardus ad hanc distinct. tametsi dissentiat Bonauentura, quorum rationes apud ipsos videre licet.

De tertia quæstione opinatur Dominicus Soto neminem vnquam in purgatorio vltra viginti imo nec vltra decem annos detineri; quia, inquit, clementia Dei non patitur amicos suos multo tempore à suo conspectu prohiberi, & ideo prouidentia eius ad eorum purgationem illas pœnas instituit quibus breui tempore possent expurgari; præser- F tim cùm contritio eorum, & Christi sacramenta, & piorum suffragia, & sua bona opera quæ hîc fecerunt, ad cumulum satisfactionis ijs accedant. Nec putat credibile esse, vt quos pœnarum accumulatione citiùs inde eripere potest, temporis prolixitate detineat.

Verùm hac eadem ratione doceretur nec decem dies quemquam in illis pœnis agere, quoniam certum est posse Deum accumulatione seu intensione pœnarum etiam hoc tempus abbreuiare, vt quod diuturnitati deest, compenset cru-

ciatuum acerbitas. Sed Deo qui in numero, pondere & mensura omnia disponit, visum est secundùm consilium prouidentiæ suæ pœnas illas purgatorias vt ad certum modum intendere vel remittere: ita etiam ad certum tempus extendere vel contrahere.

Neque obstat quòd qui purgantur, sint amici Dei, quoniam eo loco exercetur iudicium Dei. *Et tempus est*, inquit Petrus 1. epist. 4. *vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt euangelio. Et si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Quæ verba cum videantur dicta de iudicio quod Deus exercet in hoc sæculo, magis profectò locum habent in altero sęculo, quod est tempus retributionis.

Nec mirum videri debet amicos Dei diutius prohiberi ab eius conspectu, cùm iusti veteris testamenti etiam post plenam purgationem non fuerint ad Dei cōspectum admissi, priusquam Christus cælos morte sua reserasset, & modò adhuc Enoch & Elias summi Dei amici post tot sęcula nondum videant Deum per essentiam.

Itaque multò credibilius est sępe tempus purgationis esse multò plurium annorum quàm Dominicus suspicatus est. Potest id probari ex loco 1. Petri 3. & 4. vbi dicitur Christus his qui in carcere erant, & increduli fuerant aliquando, scilicet in diebus Noe, veniens prædicasse, & mortuis euangelizasse. Quod de carcere purgatorij dictum quidam catholici valdè probabiliter ostendunt, in quo videlicet detinebantur vsque ad Christi descensum qui Noe pœnitentiam prædicanti non acquieuerant, donec aquis diluuij obruerentur. Tempus autem illud vsque ad Christum est ferè bis mille annorum.

Secundò probatur ex institutione anniuersariorum pro defunctis, quæ etiam Tertulliani tempore in vsu fuerunt. Frustrà enim in tot annos anniuersaria extenderentur, vti more ecclesiæ fieri videmus, si nemo vltra decem annos purgaretur.

Tertiò. Augustinus lib. 9. confess. cap. 13. pro matre sua Monica ante triginta vel eo amplius annos mortua, quæ tamen sanctissimè vixerat, Deum orat, tametsi confidens illam ea oratione opus non habere, non tam ob temporis lapsi diuturnitatem, quam propter vitę eius sanctitatem. Imò & lectóres rogat, vt vtriusque parentis sui ad altare Dei meminerint.

Quartò. Idem Augustinus lib. 2. quæst. euangel. 38. dubitat, vtrùm illa receptio de qua apud Lucam, *Vt cùm defecerint, recipiant vos in æterna tabernacula*, fiat statim post hanc vitam, an verò in fine sæculi, in resurrectione mortuorum atque vltima retributione iudicij. Et alibi quoque significat quosdam demum in die iudicij plenam peccatorum remissionem accepturos, vt lib. 20. de ciuit. capit 25. & lib. 21. cap. 16. & 24. Sentit hoc ipsum Hugo Victorinus lib. de anima capit. 17. Quędam animæ, inquit, abditis receptaculis vsque ad vltimam resurrectionem continentur.

Denique cùm pœnitentia huius vitæ secundùm canones pro graui aliquo scelere interdum decem annos duret, interdum per totam vitam agenda sit, etiamsi interim talis pœnitens & sacramentorum Christi sit particeps, & multa bona opera faciat, & aliorum suffragijs iuuetur; non est credibile futuri sæculi pœnam illi pœnitentiæ respondentem breuiorem esse, sed contrà potiùs sicut multò acerbiorem, ita & prolixiorem, cùm, vti diximus, illud sit tempus iustę retributionis.

§. 6. *Animas in purgatorio certas esse de salute.*

DE eo quod quæritur, an animæ quæ sunt in pœnis purgatorijs certæ sint & securæ de sua salute, opiniones seu potiùs errores quorundam extiterunt. Quidam enim opinati sunt eas adeo esse pœnis absorptas, vt non intelligant se purgari, sed æternæ damnationi addictas se esse putent. Alij propter sententiæ diuinæ suspensionem arbitrati sunt eas saltem dubias relinqui donec perfecta fuerit purgatio. Lutherus hoc sæculo simile quid asseruit articul. trigesimo octauo negans eas securas esse de sua salute, propterea quòd charitatem habeant imperfectam, & proinde cum timore coniunctam; vbi autem timor, ibi securitatem esse non posse. Vtuntur & alijs argumentis quæ ferè sunt huiusmodi.

Primum. Ecclesia animabus illis optat lucem, igitur adhuc sunt in tenebris ignorantię, vt nesciant quid de se futurum sit. Quò referunt & illud Ecclesiastæ 9. *Viuentes sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius*. Et infrà: *Scientia non est apud inferos quò tu properas*.

Secundum. Securitas seu certitudo salutis magna pars est beatitudinis, sicut contrà certitudo damnationis est magna pars gehennæ. Atqui animę illæ nullam adhuc felicitatis partem adeptę sunt, sed ea demum post purgationem illis retribuitur.

Tertium. Si de salute securæ essent, non esset pœna purgatorij grauissima, qui magnam ijs consolationem & gaudium adferret certitudo salutis.

Quartum. Preces quas fundit ecclesia pro defunctis, significare videntur sententiam iudicis suspendi vsque in diem extremi iudicij. Ita enim in illis ex persona defuncti legitur: *Dum veneris iudicare terram, noli me condemnare.* Item: *Miserere mei dum veneris in nouissimo die*, &, *Ne recorderis peccata mea dum veneris iudicare sæculum per ignem.* Et rursum, *Libera me de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli mouendi &c.* Orat etiam pro illis ecclesia, vt non pœnas æternas sustineant, & ne absorbeat eas Tartarus, neue Deus earum obliuiscatur in finem; & vt qui defuncti sunt, in resurrectionis gloria inter sanctos & electos resuscitati respirent. Et alia huiusmodi quæ probare videntur eas nondum euasisse periculum damnationis.

Deinde argumentantur ex patribus. Dicit enim Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei capit. 24. Facta resurrectione mortuorum non defuturos, quibus post pœnas quas patiuntur spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, vt in ignem non mittantur æternum. Et cap. vltimo, quibusdam defunctis sua merita non sufficere ad adipiscendam beatitudinem, nisi aliorum meritis misericordiam consequantur. Quod si ita est, igitur tales meritò manent dubij, donec per aliorum suffragia liberentur.

Idem enchirid. 110. dicit preces ecclesiæ de-

funɗis

functis quibus prosunt, aut ad hoc prodesse, vt sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio. Vnde apparet non umnes inde liberari, & per consequens non esse certam eis suam liberationem.

Ambrosius lib. 2. de Abel & Cain cap. 2. Soluitur, inquit, corpore anima, & post finem vitæ huius, adhuc tamen futuri ambiguo suspenditur. Et Cyprianus lib. de mortalitate dicit quosdam in die iudicij pendere ad sententiam Domini. Lactantius quoque lib. 7. diuinarum institutionum cap. 2. ita scribit. Nemo putet animas post mortem protinus iudicari &c.

Gregorius lib. 4. dialog. cap. 36. refert quòd sententia cuiusdam Stephani mortui visa cuidam in ecstasi fuerit adhuc pendere. Et post hos omnes Theophylactus in Luc. 12. ad illud: *Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam*. Non enim semper inquit, qui moriuntur peccatores, mittuntur in gehennam, sed sunt in potestate Dei, vt etiam dimitti possint. Hoc autem dico propter oblationes & distributiones quę fiunt pro defunctis &c. Ex quibus omnibus apparet quorundam iudicium post mortem ad tempus à Deo suspendi.

Sed & alia quædam obijciebat Lutherus quæ videre est apud Roffensem articulo supradicto.

Verùm ea doctrina à Leone 10. vnà cum cæteris Lutheri assertionibus meritò reprobata est, tanquam contraria sensui & doctrinæ totius ecclesiæ. Quin & Lutherus dum eam asserit, ipse secum pugnat; non tantùm quia postea purgatorium simpliciter negauit, verùm ob id maximè quia inter hæretica eius dogmata illud præcipuum est, omnes fideles per fidem certos esse suæ salutis, ne quidem obstante eo quod in multis sit charitas admodum imperfecta. Vnde mirum est eum illam certitudinem quam exigit à viuentibus, adimere voluisse fidelibus post mortem, vbi Deo & beatitudini suæ magis appropinquant. Imò si non sunt certæ, iam fidem & charitatem amiserunt, iuxta dogma eiusdem Lutheri, qui fidem in ea certitudine constituit, & à charitate separari posse negat.

Probatur autem Catholica doctrina primùm de securitate ex parte rei, quia animæ quæ purgantur, liberæ sunt ab omni periculo lapsus & damnationis. *Quicunque enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit* Matth. 10. *& lignum in quocunque loco ceciderit illic erit* Ecclesiastæ 11. Et ait Dominus Apocalyp. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Quò pertinet illud etiam Sapient. 4. *Raptus est ne malicia mutaret intellectum eius, & ne fictio deciperet animam illius.* Inde enim constat post mortem neminem mutari ex bono in malum, idque docent Cyprianus in serm. de mortalitate, & ex Cypriano Augustinus lib. de prædest. sanctorum cap. 14.

Quòd autem etiam securitatem habeant illæ animæ ex parte cognitionis, quæ propriè dicta securitas est & certitudo, probatur ex eo, quia statim post mortem quisque pro meritis à Deo sententiam accipit, vel salutis æternæ, vel damnationis iuxta illud Heb. 9. *statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium*, & Ecclesiastici 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundùm vias suas.* Hoc enim propter iudicij diuini sententiam dictum est, qua quisque continuò post obitum vel vitæ adiudicatur æternæ, vel morti.

Neque verò putandum est illam Dei sententiam fortè latere ipsas animas vsque ad tempus, cùm sententia Dei circa vnumquemque sit planiet decreti eius manifestatio, qua cuique sua retributio innotescit. Nam alioqui suam sententiam quisque etiam in hoc sæculo acciperet, imò & ab æterno accepisset, si ea non aliud esset quàm diuinum decretum, quo secundùm vias suas quisque vitæ vel morti destinatur. Hoc enim decretum ab æterno fuit. Hanc autem diuini iudicij notificationem non obscurè eodem loco Ecclesiasticus significauit ita subiungens: *Et in fine hominis denudatio operum illius.*

Probatur item hæc securitas ex eo quod animæ illæ bonam & tranquillam habent conscientiam, & iustificatæ ex fide pacem habent cum Deo. Sciunt quoque se esse in pœnis purgatorijs, easque patienter tolerare, & Deum ex toto corde diligere. Item spem habent regni celestis eiusque consequendi fiducia lætantur. Imò iam intra sese regnum illud habent, de quo Paulus Rom. 14. *Regnum Dei iustitia est, & pax & gaudium in spiritu sancto.* Quæ omnia certas eas faciunt quòd non sint à facie Dei proiectæ in æternum; quia omnia illa post hanc vitam non in damnatis neque in damnandis sed in solis saluandis esse possunt; præsertim cùm iuxta fidem catholicam non ignorent damnationem nemini post mortem differri.

His accedunt illæ sententiæ: *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Sapient. 3. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Apocalyp. 14. Et quod est in canone missæ, animas fidelium defunctorum pro quibus ecclesia orat, dormire in somno pacis, & in Christo quiescere. Quod verè non diceretur si præter pœnas illas purgatorias per se grauissimas, etiam torquerentur incertitudine sui status & metu æternę damnationis.

Respondendum igitur nunc ad ea quæ ex aduerso obijciebantur.

Quod prima opinio habet animas illas pœnis sic obrui vt statum suum non intelligant, planè reijciendum est; cùm nec diues epulo in tormentis longè grauioribus statum suum ignorauerit, & Abraham atque Lazarum agnouerit, & fratrum suorum recordatus fuerit.

Quod alij putant suspendi ad tempus sententiam iudicis, iam ex dictis patet falsum esse.

Ad id verò quod Lutherus obijcit de imperfecta charitate, & proinde timori permixta, respondetur semper quidem verum esse quod Ioannes apostolus ait: *Perfecta charitas foras mittit timorem*, scilicet vbi timorem inuenit; ne fateri cogamur, quòd & in Christo timorem perfecta charitas foras miserit: non tamen contrà semper verum esse quòd imperfecta charitas timorem gehennæ vel actualem vel habitualem habeat coniunctum. Nam in paruulis baptizatis charitas est absque huiusmodi timore, & potest alicui imperfecta charitate prædito fieri reuelatio suæ prædestinationis, qui proinde timore gehennæ carebit. Vnde & simili modo animæ quæ sunt in purgatorio, etsi dentur habere imperfectam id est, remissam charitatem, tunc videlicet perficiendam quando ad Dei conspectum admittentur: quoniam tamen certamen & cursum suum iam consummarunt, & periculo labendi exemptę sunt, ideoque securitatem salutis adeptæ, non habet in ijs ampliùs locum timor gehennæ, sed tantùm timor quidam diuturnitatis pœnarum in quibus versantur, eò quòd nesciant præcisè quando sint inde liberandę.

Ar verò adultis christianis dum hanc vitam agunt, quæ rota iuxta prophetam tentatio seu milicia est, plærumque necessarium est, vt quod sola charitare propter eius imperfectionem non possent, etiam timore impellantur ad seruanda Dei mandara & rentationum pericula superanda.

Sed ad cætera quoque argumenta breuiter respondemus.

Ad primum respondetur ecclesiam precari fidelibus defunctis, vt luceat eis lux æterna visionis diuinæ; Ecclesiastes autem loquitur de scientia rerum ad hanc vitam pertinentium, vt patet locum intuenti. Eam igitur scientiam mortui non habent, id est, nouam non acquirunt, nisi quatenus eis Deus specialiter eorum quæ fiunt, aliquid reuelat.

Ad secundum. Cùm animæ defunctorum iam peruenerint ad terminum nihil prohibet, imò valde congruum est eas donari illa felicitatis parte, vt sciant se ad terminum viæ & certaminis sui periculosi peruenisse, nec ampliùs cadere posse, atque ita sint de præmio securæ.

Ad tertium. Certitudo salutis etsi magnam præstet consolationem & gaudium, quantum est ex parte illius obiecti, potest tamen consistere cum maximo dolore propter pœnam aliunde illatam, quemadmodum contigit in Christo patiente. Nam gaudium & tristicia etiam in gradibus intensis sese pariter admittunt in eodem, vbi obiecta sunt diuersa.

Ad quartum. Ecclesia in officio defunctorum simul nobis ante oculos ponit diem extremi iudicij, tum propter viuentes, quia vt ait Augustinus in epist. 80. ad Hesychium, tunc vnicuique veniet dies ille, cùm venerit ei dies, vt talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die; & per hoc vigilare debet omnis christianus ne imparatum inueniat eum Domini aduentus. Imparatum autem inueniet dies ille, quem imparatum inuenerit suæ vitæ huius vltimus dies. Tum quia totum illud Dei iudicium quod agitur à morte hominis vsque ad resurrectionem sub nomine iudicij extremi rectè comprehenditur.

Ad alia quæ ex officio diuino obijciuntur, respondemus ecclesiam per eiusmodi orationes testari, quòd illa pœnarum remissio & animarum ex ijs pœnis liberatio pertineat ad gratiam redemptionis Christi. Vnde canit: *Et gratia tua illis succurrente mereantur euadere iudicium vltionis.* Quæ tamen gratia iustis atque ideo regni hæredibus iure adoptionis debita est; quia iusticia Dei non permittit, vt is quem sibi adoptauit in filium & hæredem, à possidenda hæreditate in æternum excludatur, si nullum commiserit peccatum quo illam exclusionem fuerit meritus, quemadmodum alibi à nobis ostensum est pleniùs, videlicet ad distinctionem 42. lib. 2.

Hinc etiam responsio patet ad id quod primo loco obijcitur ex Augustino. Ad alterum verò locum respondetur quibusdam merita sua non sufficere vt absque grauissimis pœnis interim luendis beatitudinem consequantur. Et ad tertium locum per tolerabiliorem damnationem intelligi mitigationem pœnarum purgatorij, quia non tantùm ibi per suffragia fidelium impetratur temporis abbreuiatio, sed & pœnarum mitigatio, prout iudici Deo visum fuerit.

Porrò Ambrosius sentit animam corpore solutam adhuc suspendi ambiguo, non quod ad iudicium attinet vitæ vel mortis æternæ, sed quod ad modum & quantitatem pœnę temporalis adhuc A soluendæ, & tempus assequendæ beatitudinis, vel certè quoad tempus iudicij extremi. Quod autem apud Cyprianum legitur, id vel huius vitæ metum significat, sicut & illud euangelicum: *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis.* Non enim hoc (inquit Hieronymus in Matth. scribens) de auaricia, sed de timore respondent; vel certè magnæ misericordiæ & gratiæ intenta significatur exspectatio, propter multa mala immerita huius vitæ. Lactantij sententia non tenetur, vtpote manifestè erronea.

Quod à Gregorio narratur si verum est, & sic B accipiendum vt verba sonant, pertinet ad extraordinaria iudicia Dei, eiusmodi exempla non faciunt regulam. Theophylacti sententiam, non est necesse recipi aut excusari. Dici tamen potest quòd illi de quibus loquitur, possunt mitti in gehennam quantum est ex parte grauium criminum, quæ post baptismum commiserunt, & pro quibus in hac vita congruam & sufficientem non egerunt pœnitentiam.

IN DISTINCTIONEM
C VIGESIMAMSECVNDAM.

§. 1. *Utrùm peccata semel dimissa redeant.*



RACTAT hac distinct. Magister quęstionem de reditu peccatorũ. Potest autem reditus peccatorum intelligi multipliciter. *s. Tho. 3. q. 88. ar. 1. & seq.*

Primùm vt sit quæstio, an peccata eadem numero redeant secun- D dùm actum. Quod quidem certum est non fieri, neque naturaliter fieri posse; quia secundùm naturam non potest actus seu quæcunque forma semel corrupta redire. Et quamuis supernaturaliter id fieri posse quis contendat, nempe per virtutem diuinam, non tamen per eam potest peccati actus idem numero redire sub ratione peccati, quippe cuius Deus author esse nequeat.

Secundò, vt sensus sit, an secundùm genus vel speciem redire possint peccata semel dimissa. Hoc E autem constat fieri posse & frequentissimè fieri. Imò contra hæreticos negantes charitatem & iusticiam semel acceptam amitti, ideoque hominem semel iustificatum in eadem vel alia crimina relabi posse, iuxta catholicam fidem tenendum est ad hunc modum peccatum redire.

Tertius est vsitatissimus quæstionis sensus, an peccata semel remissa, per subsequens peccatum redeant quoad reatum; ita videlicet, vt propter illud rursus ad mortem æternam à Deo imputentur, perinde atque si nunquam remissa fuissent.

Hoc igitur pacto redire peccata nonnulli docuerunt, inter quos Hugo Victorinus in fine libri penultimi de sacramentis, Gratianus de pœnitentia F dist. 4. in fine, & Guilhelmus cancellarius Parisiensis in fine libelli de 7. sacramentis. At Magister sententiarum solutionem huius quæstionis obscuram & perplexam esse fatetur, & ad extremum nihil definiens neque alicui parti præiudicans studioso lectori iudicium relinquit. Cæterùm Scholastici quotquot in eum commentantur, sicut & glossatores Gratiani, constanter docent peccata semel remissa non iterum imputari, nec irritum fieri donum remissionis semel factæ, quantumcunque vel

eadem peccata postea iterentur, vel noua perpetrentur; nec damnandum quemquam ob ea quæ sunt semel condonata, sed ob alia tantùm deinceps commissa. A

Hanc sententiam confirmat euidens ratio è sacris literis petita. Dicit enim propheta Naum cap. 1. *Non consurget duplex tribulatio*, vbi 70. habent: *Non vindicabit Deus bis in idipsum*, hoc est. Quod semel & exactè secundùm iusticiam puniuit Deus, cùm sit iustus, non iterum exiget eius punitionem, alioqui facturus contra rationem iusticię vindicatiuæ, quę sicut non permittit peccatum aliquod grauiùs puniri quàm pro merito: ita non patitur idem peccatum bis puniri secundùm exactam rationem. Neque enim pro eodem debito potest iustè exigi duplex solutio: Atqui peccatum quod à Deo remissum est, eo ipso quoad pœnam æternam ei debitam exactè punitum est in Christu, quia nunquam remittitur homini peccatum, nisi applicetur ei passio Christi tanquam sufficiens precium pro solutione peccati. Quare iniustè Deus ageret si pœnam illam semel à Christo persolutam iterum exigeret. Vnde Bernardus sermone ad milites templi cap. 11. Qua enim ratione iterum exigeretur à nobis, quod pro nobis ille iã soluit? Nititur ergo hæc ratio solutioni plenariæ semel factæ post quam non potest alia exigi. B

Sed tamen idem satis probatur ex nuda ratione remissionis. Remittere enim peccatum est ipsum non amplius imputare ad vindictam, iuxta illud: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, &c. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum*, igitur vbi vera remissio est alicuius peccati quoad pœnam ęternam, necesse est cessare in posterum, atque in æternum omnem imputationem eiusdem peccati ad talem pœnam. Nam alioqui peccatum non esset verè remissum, sed dilata tantùm & suspensa vel condicionata esset remissio, velut in humanis interdum fieri videmus. Certum est autem per Christum verè & propriè peccata remitti, ita vt in conspectu Dei habeantur tanquã non facta, & per eam remissionem homo non tantùm soluatur vinculo æternæ dãnationis, verùm etiam constituatur hæres regni. Habet hæc ratio locum etsi pro peccatis humani generis nulla intercessisset solutio, cuiusmodi per Christum facta est. Nam si Deus nullam exegisset solutionem ad satisfaciendum iusticiæ suæ, sed sola vsus misericordia peccatum remisisset, adhuc iniustum foret remissionem sic factam reuocare &'peccati sic remissi vindictam repetere; quia nimirum id esset contra rationem veræ & absolutæ remissionis.

Hanc rationem 'confirmat iusticia humana, quæ non finit debitum semel remissum iterum exigi, neque crimen semel condonatum iterum puniri, etiamsi vel nouum postea debitum contrahatur, vel crimen iterum perpetretur.

Huc denique facit scriptura Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei*. Vnde sicut hominem non potest iustè pœnitere condonationis factæ, sic vt eam reuocet, ita nec Deum. Est autem idem iudicium de pœna temporali semel remissa, deque peccatis venialibus, quia in omnibus eadem militat ratio iusticiæ.

Porrò inter veteres clarè tradit hanc sententiam Prosper respons. 2. ad capitula Gallorum ita scribens: qui recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in id quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter postrēma crimina ea morte afficietur quæ ei propter illa quę remissa sunt, debebatur. Et Gelasius pōtifex apud Gratianum de pœnitentia dist. 4. Diuina clementia, inquit, dimissa peccata in vltionem vlterius redire non patitur.

Postremò intelligi potest peccata semel dimissa quoad reatum redire, non simpliciter sed secundùm quid. Hoc autem certis modis contingit.

Primùm, quia quicumque post acceptam remissionem iterum letaliter peccat, is in priorem damnationis statum relabitur, qui erat effectus prioris peccati. Quomodo & febrim redire dicimus. Et sicut morbum posteriorem priori contingit nunc grauiorem esse nunc leuiorem, nunc æqualem: ita & in peccatis. Neque enim necesse est omnem eum qui recidit in peccatum, vel æqualem cum priori reatum contrahere, vel maiorem. B

Secundò propter communionem in peccatis non alienis tantùm, sed & suis, tametsi aliquando remissis. Quomodo ad reprobos redit suorum omnium peccatorum pœna accidentaria. Sicut enim gaudium est omnibus electis de omni opere bono, à quocunque factum fuerit: ita non improbabiliter dicitur quòd reprobis pœna quædam accedit de omni malo, etiam aliquando remisso. Hinc Dominus in euangelio Matth. 23. dicit ad societatem homicidarum, *vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ &c.* Vbi comprehenditur sanguis quem effudit Manasse, licèt ipse pœnitentiam egerit. Quomodo autem venit, inquit Augustinus lib. 2. contra aduersarium legis & prophetarum cap. 5. nisi quia vnum genus, vna conspersio, vna massa, est impiorum imitatione sibi connexorum? Si ergo peccatum alienum idque dimissum redit ad societatem reproborum, nihil prohibet etiam proprium peccatum simili modo redire. Quem modum significauit Augustinus, quando scribens in psal. 108. ait: Si Iudas teneret illud ad quod vocatus est, nullo modo ad eum vel sua pręterita, vel parentum iniquitas pertineret, sed quia &c. Sed hoc modo non tam punitur homo pro peccato remisso, quàm pro eo in quod recidit, cuius merito etiam pœnam percipit de priori commisso, licèt non pro illo. C D

Tertiò redire intelliguntur propter ingratitudinem, dum omnia dona peccatori antea impensa, ac præcipuè donum remissionis priorum peccatorum, redeunt vt aggrauantia sequens peccatum; & sic efficiunt, vt grauiùs puniatur peccator quàm si eiusmodi dona nunquam accepisset. Quanquam hæc ingratitudo quæ in omni peccato reperitur, non est speciale peccatum, sed generalis peccati circumstantia. Tunc autem speciale peccatum est, ideoque & vehementiùs aggrauans, quando quis directè peccat in beneficium collatum; quod quidem fieri per hęc quatuor odium fraternum, apostasiam fidei, contemptum confessionis, & dolorem de acta pœnitentia, docet S. Thomas 3. quæst. 88. art. 4. E F

§. 2. *Solutio argumentorum contrariæ opinionis.*

CONtra eam superioris doctrinę partem qua dictum est peccata semel remissa quoad reatum simpliciter non redire, multa ab ijs qui diuersum sentiunt, argumenta adferri solent, cuiusmodi S. Thom. vbi sup.

extant apud Hugonem Gratianum, & Magistrum.

Primum & præcipuum argumentum sumitur ex parabola serui debitoris Matt. 18. Cui cùm dominus omne debitum dimisisset, postea propter inclementiam erga conseruum à domino traditus est tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Quam parabolam Christus concludendo exponit his verbis: *Sic & pater meus celestis faciet vobis si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Secundum ex Ezech. 18. *Si*, inquit, *auerterit se iustus a iustitia sua & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur*, ergo nec recordabitur Dominus pœnitentiæ prioris, & consequenter reuocabit remissionem peccatorum illius pœnitentiæ intuitu factam.

Tertium. Exodi 32. de Domino dicitur quòd placatus fuerit, ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum. Et tamen in fine eiusdem cap. ipse dicit: *Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.*

Quartò sic argumentantur: Bona opera per peccatum sequens mortificata, per pœnitentiam reuiuiscunt ad meritum, ergo & peccata per remissionem deleta per relapsum reuocantur ad demeritum.

Quintò. Iustum videtur vt Deum pœniteat datæ veniæ, quando hominem pœnitet actæ pœnitentiæ.

Sextò. Peccata præterita per gratiam teguntur iuxta illud psal. *Beati quorum tecta sunt peccata*, ergo tegumento illo gratiæ per peccatum ablato, rursum deteguntur, & proinde redeunt.

Septimò. Peccata remissa possunt eadem numero iterum voluntati placere, igitur redibunt eadem numero quoad reatum, quia peccatum quod voluntati placet, voluntatem ream efficit.

Octauò. Concupiscentia post remissionem eadem est numero in homine. Quare si ei iterum consentiat, fiet idem numero peccatum, cum eo quod prius fuerat. Vnde Dauid originale peccatum suum confitetur dicens: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.* Vtitur hoc argumento Gratianus.

Postremò huc adferuntur aliquot sententiæ patrum. Dicit enim Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 12. Nam redire dimissa peccata, vbi fraterna charitas non est, apertissimè Dominus in euangelio docet de illo seruo, quem cùm inuenisset debitorem decem milium talentorum, de precanti omnia dimisit &c ac demum concludit: Deinceps autem homo reus esse continuò incipit, non solum consequentium sed etiam præteritorum dictum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quæ dimissa sunt. Et hæc sæpe contingunt in ecclesia. Idem serm. 15. de verbis Domini cap. 6. eandem tractans parabolam, ex persona Domini ita loquitur: Si ergo prior dimisi, dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, reuocabo te, & quicquid tibi dimiseram, replicabo tibi. Non enim mentitur veritas dicens: *Sic & vobis faciet pater vester &c.* Similia loca sunt lib. 15. de ciuit. cap. 6. & lib. 21. cap. vult.

Ambrosij quoque titulo in commentarijs super Ephes. 4. ad illud: *Donantes vobis inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis*, hæc verba leguntur: Hæc præcepta eius sunt, qui miseratus est, qui si in his contemptus fuerit, sine dubio reuocabit sententiam per quam misericordiam dederat, & ita eueniet, sicut ait Dominus in euangelio de eo, qui accipiens à Domino misericordiam, in conseruum suum impius deprehensus est.

Sic & Gregorius lib. 4. dialog. cap. vlt. Ex dictis euangelicis constare dicit, quia si ex corde non dimittimus quod in nos delinquitur, & hoc rursus exigi, quod iam nobis per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Quæ verba Gregorij sunt etiam apud Bedam in Matth. 18. Ac rursum idem Beda lib. 4. in Lucam ad illud cap. 11. *Reuertar in domum meam.* Timendus est, inquit, iste versiculus, non exponendus, ne culpa quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam vos vacantes opprimat. Item Rabanus citante Magistro & Gratiano super illud: *Tradidit eum tortoribus*: Considerandum est, inquit, quod dicit vniuersum debitum; quia non solùm peccata, quæ post baptismum homo egerit, reputabuntur ei ad pœnam, verùm etiam peccata originalia quæ in baptismo ei dimissa sunt. Item Innocentius 3. lib. 5. mysteriorum missæ cap. 23. Hoc pacto, inquit, & eadem cautione nobis debita dimittuntur, si nos debitoribus dimittimus; alioquin etiam dimissa reuocantur in debitum, secundùm illud: *Serue nequam, omne debitum &c.*

His adiungere licet Chrysostomum, & Theophylactum scribentes in Matth. 18. vbi dicunt ingratitudinem & vindictæ cupiditatem tantum esse malum, vt etiam donationem Dei reuocet, & irritam faciat.

Verùm hæc argumenta solui possunt ad hunc modum.

Primi argumenti communis solutio est iuxta eam parabolam peccatum semel dimissum hactenus redire ac denuo imputari, quia redundat in ea quæ postea committuntur; dum videlicet ea reddit ob coniunctam ingratitudinem maiora, quo fiat, vt occasione prioris peccati quod dimissum fuerat, posteriora grauiùs atque acerbiùs puniantur: quomodo suprà ostendimus non simpliciter, sed quodammodo peccata redire propter ingratitudinem. Sed hoc sensu non nisi valde impropriè & contortè dicitur quis reddere vniuersum debitum, quod antea fuerat remissum. Vnde alij respondent in parabola non repeti debitum priùs dimissum, sed per vniuersum debitum, quod postea exigitur, intelligi debitum pœnæ quam seruus ille ob ingratitudinem in dominum & inclementiam in conseruum commeruerat; quia, inquit, si prius debitum dominus ab eo repeteret, iuberet eum cum vxore & liberis & omni substantia venundari, sicut priùs iusserat. Id autem secundò non iubet, sed tradit eum tortoribus excruciandum; nempe vt eo pacto pœnam ingratitudinis & inclementiæ lueret, non vt debitum pecuniarium persolueret. Sed huic sensui obstat quod Christus dicens, *quoadusque redderet vniuersum debitum*, vel vt Græca sonant, *totum quod sibi debebatur*, omnino respicere videtur ad prius debitum, de quo paulò antè dicitur: *serue nequam omne debitum dimisi tibi.* Dicitur enim vtrobique omne vel totum propter magnitudinem, quia erat decem milium talentorum. Rectiùs igitur respondere videntur qui dicunt in parabolis non omnia ad rem propositam applicanda esse, sed tantùm, quatenus applicationem res proposita exigit, quemadmodum Hieronymus monet scribens in Matth. 13. & Chrysostomus in Matth 20. Atqui doctrina Christi eo loco non exigit, vt id quod in parabola dicitur de reuocato debito semel dimisso, simpliciter applicetur, sed tantùm aliquousque, & certo modo. Hunc autem modum indicat Augustinus eodē ipso loco

qui in contrarium obijcitur, videlicet lib. 1. contra Donatist. cap. 12. Dicit enim redire dimissa peccata, vbi fraterna charitas non est, non autem vbi fraterna charitas quæ erat, esse definit. Et rursum: Nec tamen, inquit, illud quod nondum conseruo dimiserat, impediuit Dominum eius quò minùs in illo tempore accipiendæ rationis dimitteret ei omnia quæ debebat. Sed quid profuit, quandoquidem in caput eius propter odiorum perseuerantiam rursus omnia continuò replicata sunt? sic non impeditur baptismi gratia quò minùs omnia peccata dimittat, etiamsi odium fraternum in eius cui dimittuntur, animo perseuerat. Hæc Augustinus, ostendere volens quomodo etiam fictè accedentibus ad baptismum, peccata remittantur. Igitur ex mente Augustini respondetur peccata debito illo decem millium talentorum significata, non fuisse coram Deo verè remissa. Nam cùm eorum veniam debitor ille posceret, gerebat aduersus proximum suum occultum in corde odium, nec paratus erat acceptam ab eo iniuriam petenti condonare, quem latentem affectum postea occasione oblata prodidit. Vnde Augustinus non recens odium, sed odij perseuerantiam etiam tempore suscepti sacramenti manentem nominat. Quod odium reuera secum non compatitur sacramenti effectum id est, peccatorum veniam. Ergo remissio quam parabola significat, ab Augustino sic accipitur, vt facta intelligatur, quantum est ex parte Dei, qui peccatori per ecclesiæ ministrum adhibet sacramentum, per quod ei verè peccata remitterentur, nisi ex parte ipsius odium fraternum animo retinentis esset impedimentum. Ad hunc igitur modum redeunt debita peccatorum; quia cùm remissa sibi ea seruus putaret, & quantum ad Deum atque ecclesiā attinet, verè remissa essent; in Dei tamen iudicio deprehendet se adhuc ijs obnoxium eorumque omnium reum, non secus ac si nullum ei remissionis sacramentum adhibitum fuisset. Hanc explicationem confirmat illud epiphonema parabolæ: *Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus suis*, id est, vobis non dimittet, si non dimiseritis, vt sit hoc idem cum eo quod est cap. 6. Matth. & Marci 11. *Si non dimiseritis hominibus, nec pater meus dimittet vobis*, totumque pertineat ad illustrandum illud orationis dominicæ: *Dimitte nobis debita nostra sicut &c.* Eundem sensum colligere licet ex Hieronymi commentario qui parabolam applicans non dicit retractari veniam factam, sed futurum vt nobis maiora crimina non remittantur, si non fratribus dimiserimus. Et verbum illud, *faciet vobis*, exponit, vt idem sit quod non remittet. Est igitur hæc comparatio seu parabolæ applicatio, sicut ille parabolicus debitum dimissum reuocauit ob cognitam postea inclementiam serui in conseruum: sic Deus

A ob eandem causam simpliciter non dimittit debitum, quia iam in corde hominis videt odium eius in conseruum, imo quod dimissum erat ex parte sacramenti, reuocat, & puniendo non dimissum fuisse ostendit.

Ad secundum respondetur Deum non recordari iusticiarum hominis iusticiam deserentis, quia debitam illis mercedem non reddet propter impedimentum peccati. Qua ratione etiam pœnitentiæ non recordatur; verùm non ideo reuocat veniam quam pœnitentia semel impetrauerat. Ea enim iam data fuit.

Ad tertium. Priùs remiserat Dominus grauiorem vindictam, vt qui minatus fuerat disperdere B illum populum, sed tamen reseruabat vltionem minorem postea infligendam occasione alterius peccati.

Ad quartum respondetur non esse simile, quia bona opera per peccatum sequens non simpliciter abolentur, sed impediuntur à mercede, quo impedimento per pœnitentiam ablato iterum reuiuiscunt; peccata verò quoad reatum per remissionem prorsus abolentur, tum quia pœna debita persoluitur in Christo; tum quia remissio peccati est eius in perpetuum abolitio, sic vt habeatur peccatum quasi non factum.

Ad quintum negatur id iustum esse, tum quia C Deus est immutabilis; tum quia apud eum non est iniusticia, quam debiti persoluti & dimissi repetitio inuoluit.

Ad sextum. Gratia tegere dicitur peccatum non illud occultando, sed reatum eius coram Deo prorsus tollendo.

Ad septimum & octauum respondetur nouum actum voluntatis esse nouum peccatum, licèt ad peccatum præteritum & remissum consensus referatur. Adde quòd licèt actus præsens legi contrarius & voluntati placens sit peccatum, non tamen actus eiusmodi præteritus ac remissus, si iterum placeat, fiet iterum peccatum, quia hęc complacentia D non coniungitur actui præterito qui iam nō existit, sed præsenti. Nam nec meum peccatum dimissum si alteri postea placeat, per hoc fiet eius peccatum.

Quod ad patrum authoritates attinet, De Augustini sententia iam dictum est: Et idem respondendum ad verba Gregorij. Refert enim ille remissionem ad opinionem hominis. Beda verò loquitur de culpa non eadem, sed simili. Hunc enim sensum postulat locus euangelicus quem tractat, cùm alioqui possint aptissimè verba eius accipi de remissione existimata.

Commentarius Ambrosij titulo, Rabanus, Chrysostomus, & Theophylactus rectè intelliguntur de reditu peccatorum secundùm quid; eo videlicet modo quo suprà diximus peccata redire ob ingratitudinem.

Finis partis prioris tomi quarti.

INDEX DISTINCTIONVM

ET PARAGRAPHORVM QVÆ IN PRIORI TOMO COMMENTARIORVM LIBRI QVARTI SENTENTIARVM CONTINENTVR.

DISTINCTIONIS I.

Distinctionis II.

Distinctionis III.

Distinctionis IIII.

8. Quæ

Distinctionis X.

Distinctionis XI.

Distinctionis XII.

Distinctionis XIII.

Distinctionis XIIII.

Distinctionis XV.

Distinctionis XVI.

§. 1. *Definitio contritionis eiusq; explicatio.* 231.

Distinctionis XVII.

§. 1. *Non remitti peccatum per solam cordis contritionem.* 241.

Distinctionis XVIII.

§. 1. *Quid nomine clauium significetur.* 258.

Distinctionis XIX.

§. 1. *Sacerdotes etiam malos habere potestatem clauium.* 279.

Distinctionis XX.

§ 1. *Indulgentiæ nomen vsu ecclesiastico quid significet.* 281.

Distinctionis XXI.

§. 1. *Aliquod animarum purgatorium esse post hanc vitam.* 297.

Distinctionis XXII.


§. 1. *Vtrùm peccata semel dimissa redeant.* 308.

Finis Indicis Distinctionum & Paragraphorum.

REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd. Omnes sunt terniones præter Cc Dd. †.

D V A C I,
Apud PETRVM BORREMANNVM Typographum Iuratum,
sub signo SS. Apostolorum Petri & Pauli.
M. DC. XVI.



COMMENTARIORVM DN.

GVILIELMI ESTII

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, ET PROFESSORIS PRIMARII, AC ACADEMIÆ DVACENSIS CANCELLARII,

IN QVARTVM LIBRVM SENTENTIARVM.

PARS POSTERIOR:

QVA PARITER S. THOMÆ SVMMÆ Theologicæ partes mirificè illustrantur.

CVM TRIPLICI INDICE.

IN DISTINCTIONEM VICESIMAMTERTIAM.

§. 1. *Sacramentum extremæ vnctionis quid sit, & quibus nominibus appellatum.*

S. Thom. suppl. q. 29.

INTER ea nouæ legis sacramenta, quæ propter priuatam singulorum salutem instituta sunt, vltimum locum obtinet extrema vnctio, tanquā totius vitę Christianæ consummatiuum sacramentum, vt concilium Tridētinum loquitur sess. 14. initio doctrinæ quam tradit de hoc sacramento. Nam reliqua duo, ordo & matrimonium, communia ac publici boni causa tradita sunt ecclesiæ: alterum, vt societas fidelium spiritualiter gubernetur: alterum, vt eadem ipsa corporaliter ad salutem multiplicetur. Rectè igitur his duobus anteponitur extrema vnctio in ordine sacramentorum.

Definitur autem esse sacramentum vnctionis infirmorum ad salutem animi & corporis. Vel pleniùs hoc modo: Extrema vnctio sacramentum est, quo fideles ęgroti per oleum sacrum & verba Christi in magnis morbi molestijs releuantur, vt felicius ex hoc mundo demigrent, & corporaliter etiam, si ita expedit, sanantur. Quarum definitionum sensus ex infrà dicendis elucescet.

Porrò variæ sunt huius sacramenti appellationes. Primùm & vsitatissimè extrema vnctio vocatur, quò distinguatur ab alijs vnctionibus sacris, quæ istam in vita præcedunt. De quibus agunt Innocentius 3. extra de sacra vnctione cap. vnico; & ante eum Hugo Victorinus libr. 2. de sacramentis parte 15. cap. 1. & Magister in textu.

Prima enim vnctio cathecumenorum est, quos sacerdos antequam baptizet, vngit in pectore, & inter scapulas; idque oleo simplici benedicto.

Secunda, qua idem baptizatos vngit chrismate in summo vertice.

Tertia, qua ab episcopo vnguntur in fronte qui confirmantur. Quam principalem vnctionem vocant Hugo & Magister, videlicet propter Spiritumsanctum, qui per eam datur.

Quarta, qua eodem chrismate sacerdotum manus, episcoporum verò & caput & manus in sua ordinatione inunguntur.

Quinta, qua iuxta Innocentium principes seculares in humero vel brachio vnguntur; non quidem chrismate, sed oleo tantùm.

Sexta, quæ adhibetur in altaris, templi & calicis consecratione, vt est apud eundem Innocentium. Inter has vnctiones sola confirmatio, vti hæc extrema, sacramentum est propriè dictum: reliquæ, vel tantùm sacramentalia quædam sunt, vel nudæ ceremoniæ.

Erat olim & quædam vnctio mortuorum corporum, de qua in euangelio Marci 16. & apud Dionysium Areopagitam libr. ecclesiast. hier. capit. vltimo. Sed nec ea sacramentum erat; suam tamen habebat significationem, de qua latè idem Dionysius. Refert etiam Beda scribens in Marc. 6. & Luc. 8. energumenos sacri olei vnctione curari solitos. At nec ea vnctio sacramenti propriè dicti rationem habebat; quoniam ibi neque promissio certa, neque effectus erat gratiæ spiritualis.

Vocatur præterea hoc sacramentum vnctio infirmorum, & sacramentum exeuntium: & à materia, vel oleū absolutè, vel oleum infirmorum; vel sacrum chrismatis oleum. Quo postremo nomine ab Innocentio primo in epistola ad Decentium appellatum legitur.

§. 2. *Extremam vnctionem esse legis nouæ sacramentum.*

S. Thom. suppl. q. 29. art. 2.

CVm huic sacramento ab hæretieis nostri temporis vehementer atque improbè contradicatur; ante omnia ostendendum est, & hanc vnctionem veris ac propriè dictis nouæ legis sacramentis annumerandam esse: & quis sit eius effectus, accuratius explicandum.

Quòd sit nouæ legis sacramentum, manifestè declarat Iacobi apostoli sententia, qua ad hunc modum fideles admonet capit. 5 suę epistolæ: *Infirmatur quis in vobis, inducat*, siue vt in Græco est, accersat: *presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, Vngentes eum oleo in nomine Domini Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus apostoli verbis & ceremonia certa præscribitur, tanquam signum externum atque visibile, & gratiæ consequendæ certus effectus ex illius ceremoniæ applicatione astruitur. Quæ duo naturam ac definitionem sacramenti nouæ legis absoluunt.

Est autem notandum in dictis Iacobi verbis; quòd sic ibi dicitur: *Vngentes eum oleo in nomine Domini*, sicut de baptismo alibi dicitur: *Baptizantes eos in nomine Domini*: vt vtrobique significetur effectum consequi ex virtute Dei Quæ similitudo locutionis multum profecto facit ad stabiliendam sacramenti rationem in vnctione, de qua Iacobus loquitur. Et quidem hunc quem diximus, apostolicorum verborum intellectum confirmat perpetuus ecclesiæ Catholicæ vsus & obseruatio, repudiatis hæreticorum interpretationibus, quas infrà suo loco refellemus.

Nunc breuiter patrum & conciliorum testimonijs ostendendum, verba apostoli ad sacramentum extremæ vnctionis pertinere: atque omnino infirmorum vnctionem sacramentis nouæ legis annumerandam esse.

Innocentius primus, qui vixit ante annos ferè 1200. in epistola ad Decentium capit. 8. post recitata verba Iacobi ita subijcit: Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt. Sic ille. Quòd autem sit de numero sacramentorum; apertius testatur his verbis post pauca sequentibus: Non pœnitentibus istud fundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi? Hortatur deinde Decentium, vt in sua ecclesia Romanam de hoc sacramento consuetudinem seruet atque custodiat; vt intelligamus non hoc primum Innocentij commentum aut inuentum fuisse, sed principalis ecclesiæ consuetudine iam olim obseruatum; neque aliunde quam ex apostolorum traditione profectum.

Ioannes Chrysostomus libr. 3. de sacerdotio capit. 6. hoc sacramentum quoad effectum cum baptismo comparat, dum inter alia sacerdotum dignitatem commendans, ait: Neque enim solum cum nos regenerant, sed postmodum etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Idque confirmat verbis apostoli Iacobi: *Infirmatur quis in vobis, &c.*

Origenes quoque his multò vetustior hom. 2. in Leuit. sacerdotibus ex hoc Iacobi loco tribuit potestatem remittendi peccata.

Meminit eiusdem sacramenti V. Beda, tum in commentario super epistolam Iacobi: vbi & ecclesię hanc esse consuetudinem affirmat, vt oleo consecrato infirmi à presbyteris vngantur; & ad eam rem Innocentij Papæ citat authoritatem: tum in libr. 2. comment. in Marc. cap. 6. vbi refert huius instituti originem ad eam vnctionem de qua Marc. 6. legimus ab apostolis multos ægros oleo vnctos fuisse & sanatos. Quod non ita est accipiendum, quasi apostoli priusquam creati essent sacerdotes, vnctione illa tanquam sacramento vsi fuerint ad spiritualem effectum: sed quia vnctio illa qua sanitas corporalis miraculosè conferebatur, propinqua quædam & expressa figura, vel potiùs imago ac repræsentatio fuit huius mysticæ vnctionis, quæ iuxta apostolum Iacobum magis ad sanandos animos, quàm ad corpora curanda instituta fuit. Idem venerabilis Beda scribens in Luc. 8. meminit olei pro infirmis consecrati.

Meminit item huius vnctionis tanquam sacramenti ecclesiastici Bernardus in vita Malachiæ sub finem: vbi narrat S. Malachiam ex hac vita migraturum vnctione sacri olei voluisse præmuniri. Et ante Bernardi ætatem Petrus Damiani Ostiensis episcopus serm. 1. in dedicatione ecclesiæ vsum huius sacramenti commendat.

Attestantur etiam huic sacræ vnctioni concilium Wormaciense can. 72. concilium Cabilonense can. 4?. & concilium Meldense: cuius verba videre est apud Iuonem part. 1. cap. 269. & Burchardum libr. 4. cap. 75. Imò apud eundem lib. 18. cap. 15. habetur canon Eusebij Papæ & martyris, qui Innocentium facilè centum annis antecessit: quo iubetur sacerdos circa ægrotum officio linguę priuatum, si pœnitentiæ eius testes adsint & signa, perficere ea omnia quæ circa alios fieri solent; id est, orationes dicere, & vngere eum sancto oleo, & eucharistiam ei donare.

Rursus apud Burchardum eiusdem libri capit. 14. recitantur verba ex pœnitētiali Theodori Cantuariensis, quibus præcipitur vt infirmi in periculo mortis positi orationibus & consolationibus ecclesiasticis sacra cum vnctione olei animari, secundùm statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.

Extat inter opera Augustini opusculum de visitatione infirmorum: quod etsi satis appareat Augustini non esse; nonnullam tamen ex antiquitate authoritatem obtinuit. In eius operis libr. 2. capit. 4 his verbis author quisquis est, ægrotum instruit: Nec prætermittendum est illud apostoli Iacobi pręceptum: *Infirmatur quis in vobis, &c.* Ergo sic roges de te & pro te fieri, sicut dixit apostolus Iacobus, imò per apostolum suum Dominus. Huic similis est exhortatio quæ legitur in tractatu de rectitudine Catholicæ conuersationis inter eiusdem Augustini opera: Qui ægrotat, inquit, in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide & deuotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab ecclesia petat, vnde corpus suum vngatur: & secundùm Apostolum, *oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus*; nec solum corporis, sed & animæ sanitatem accipiet. Ac rursus in sermon. 215. de tempore, eiusdem Augustini titulo sic habes: Quoties aliqua infirmitas superuenerit, corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat, accipiat; & inde corpusculum suum vngat, vt illud quod scriptum est impleatur in eo: *Infirmatur aliquis, &c.* Videte fratres, quia qui in infirmitate ad ecclesiam cucurrerit, & corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.

Hæc

Hæc ibi. Quæ authoritates ad hoc saltem valent, vt intelligatur quæ fuerit antiquitus in ecclesia consuetudo fidelium circa vsum huius vnctionis, quam Iacobus nobis commendauit.

His accedit clara doctrina Hugonis à sanct. Victore lib. 2. de sacramentis parte 15. vbi de hoc sacramento ex professo disserit. Item Magistri hac distinctione, qui ex Hugone multa verbatim desumsit. Item authoritas Callisti 2. qui in suis decretis hanc rem ipsis Bedæ verbis allegata Innocentij 1. authoritate astruit. Item Alexandri 3. cuius decretum habetur extra de verborum significatione cap. quæsiuit. Ac denique Innocentij 3. qui in epistula decretali ad patriarcham Constantinopolitanum scripta (& habetur extra de sacra vnctione) testatur hanc vnctionem non solùm esse signum, sed etiam sacramentum; quia, inquit, si dignè sumitur, vel agit, vel auget absque dubio quod designat.

E Græcis autem præter Chrysostomum & Origenem, quos iam audiuimus; testes huius sacræ vnctionis adduci possunt Ioannes Damascenus in libr. de quiescentibus, Theophylactus & Euthymius ad 6. cap. Marci, Oecomenius super Iacobi 5. & Nicolaus Cabasilas capit. 29. ad Liturgiam Ioan. Chrysostomi.

Quibus omnibus accessit tandem apertissima & in tribus oecumenicis concilijs definita ecclesiæ sententia. Nam in Constantiensi quidem concilio sess. 15. Martinus quintus decreuit ab eo qui de hæresi suspectus esset, quærendum an credat quod Christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis vel extremæ vnctionis, peccet mortaliter.

In Florentino decretum Eugenij 4. Armenis datum inter septem ecclesiæ sacramenta extremam vnctionem numerat, eiusque vsum & effectum Iacobi apostoli testimonio confirmat.

Denique Tridentina synod. quum sess. 7. can 1. rursus eam inter septem nouæ legis sacramenta enumerasset, postea sess. 14. institutionem eius & fructum ex sententia Iacobi apostoli doctè & grauiter explicat, adiecto huiusmodi anathemate: *Si quis dixerit extremam vnctionem non esse verè & propriè sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à beato Iacobo apostolo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à patribus, aut figmentum humanum anathema sit.* Et iterum: *Si quis dixerit sacram infirmorum vnctionem non conferre gratiam, &c. anathema sit.*

§. 3. *A Christo institutum esse hoc sacramentum.*

S. Thom. suppl. q. 29. ar. 3.

EX canone iam dicto concilij Tridentini & doctrina canoni præmissa, perspicuum est non à Iacobo vel alio quocunque apostolo, neque etiam ab vniuerso apostolorum collegio, sed ab ipso Christo noui testamenti pontifice institutum esse hoc extremæ vnctionis sacramentum: apud Marcum quidem insinuatum; per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. Idem patet ex can. 1. sess. 7. quo damnantur in vniuersum, qui dicunt non omnia nouæ legis sacramenta fuisse à Christo instituta.

Hoc ipsum autem etiam necessaria ratio conuincit: excedit enim apostolicam omnemque humanam potestatem facultas instituendi sacramenti, quia non potest homo promittere Deum tali signo adhibito gratiam daturum, nisi cognita priùs voluntate atque ordinatione diuina.

A Deinde sacramenta ad fundamenta legis Christianæ pertinent. Quare sicut in potestate Petri aut Iacobi non fuit condere nouum articulum fidei; ita ad eorum potestatem non pertinuit noui sacramenti institutio, sed eorum tantùm quæ instituta essent, dispensatio, iuxta illud apostoli Pauli 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.*

Denique cum veteris legis sacramenta fuerint à solo Deo instituta, quantò magis id de nouæ legis sacramentis sentiendum est, quæ & institutione sanctiora sunt & virtute maiora? & vt proprium B huic sacramento argumentum adferamus, Christo dicente ad paralyticum: *Dimittuntur tibi peccata tua,* dicebant intra se scribæ & Pharisæi, vt habetur Lucæ 5. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Quam illorum sententiam adeo non reprehendit Christus, vt miraculo probata assumptione: scilicet se remittere peccata; concludendum reliquerit se Deum esse. At Iacobus confidenter dicit de vtente hoc sacramento: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei;* ergo oportet hoc sacramentum institutionem habere à Deo.

Quod ergo post Hugonem Magister dicit ab apostolis institutum esse hoc sacramentum; id non C de prima illa institutione accipiendum est, qua lex aliqua seu quodcunque decretum legislatoris seu principis authoritate ac potestate conditur, sed de legis seu decreti promulgatione. In quem sensum Iacobi de hoc sacramento verba patres concilij Tridentini acceperunt. Iacobus enim hoc sacramentum promulgauit non quomodocunque, sed priùs scripto tradens & commendans illud posteritati. Quo sensu non absurdè ipsum instituisse dicitur. Sic enim etiam legimus à Roma[illegible]ontificibus instituta quædam fuisse, velut à [illegible], ne qua mulier nisi velato capite in ecclesiam introiret: ab D Alexandro, vt tantummodo panis & vinum aqua mixtum in mysterio offerretur: à Victore, vt sacrum pascha die dominico celebraretur, & ab alijs alia, quæ tamen partim diuinæ, partim apostolicæ sunt institutionis. Sed quia ab his pontificibus lege scripta promulgata sunt; aut cùm neglecta essent, in vsum reuocata, ab ijs instituta dicuntur. Certè non magis dici potest Iacobum hoc sacramentum propriè instituisse, eò quòd eius quasi legem in epistola sua scripserit, quàm dicendum sit Petrum instituisse baptismi sacramentum, quando in prima sua concione quasi præcipiens dixit ad populum Act. E 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum, &c.* Sed sicut hic nuda promulgatio fuit cum adhortatione & commendatione sacramenti, sic & ibi.

Est autem improbabile quod quidam ex Scholasticis Theologis, & in his Bonauentura senserunt; Apostolos hoc sacramentum post Christi in cælum ascensionem instituisse ex peculiari reuelatione spiritussancti. Quamuis enim hi reuera sacramenti huius institutionem ad Christum authorem referant; quasi qui per Spiritumsanctum, quem apostolis promiserat, rationem & vsum huius sacramenti F eos, vt multa alia, docuerit; attamen haud verisimile est sacramenti alicuius propriè dicti institutionem ad id vsque tempus dilatam fuisse; cùm Luca attestante Actor. 1. Christus post resurrectionem suam per dies 40. conuersatus fuerit cum apostolis suis, *loquens de regno Dei.* Quo tempore sanè credibile est illa quæ ad fundandam ecclesiam adhuc reliqua erant, ab eo instituta & tradita fuisse. Quod eò probabilius dicitur de hoc sacramento, quia Christus iam ante secundùm typum & inchoationem quandam hoc sacramentum instituerat, Marci 6. Quare

cõuenichat & perfectionem eius ab ipso immediatè apostolos edoceri. A

Verùm exactior huius quæstionis discussio pertinet ad tractatum de sacramentis in genere, vbi inter cætera ad distinctionem 1. de hac re à nobis disputatum fuit.

§. 4. Multiplex huius sacramenti effectus explicatur.

S. Thom. suppl. q. 30. tota.

PRiusquam ad ea refutanda, quæ contra huc sacramentum ab aduersarijs adferuntur, accedamus; effectum eius explicabimus. B Quem quidem non obscurè nobis significant hæc apostoli verba: *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* E quibus verbis quadruplicem ferè effectum colligunt scriptores Catholici, ac nominatim patres concilij Tridentini in doctrina de huc sacramento edita cap. 2. & catechismus ea decreto eiusdem concilij ad parochos scriptus.

Primus effectus est peccatorum remissio; non quidem peccati originalis, ad quod delendum institutus est baptismus: C neque peccatorum mortalium, ad quorum remissionem post baptismum ordinatur sacramentum pœnitentiæ; sed venialium sine quibus hęc vita non ducitur, & quorum remissione, tunc maximè opus habet homo Christianus, quando ex hac vita iã iam discessurus sisti debet ante tribunal summi iudicis, secundùm ea quæ in corpore gessit, iudicandus.

Hu[illegible]esse huius sacramenti effectum, primùm confir[illegible]apostoli verba: *Si in peccatis fuerit remittentur ei.* [illegible]uod de solis venialibus accipiendum esse iam ostendimus. Confirmat deinde ipsa huius sacramenti forma, qua dicitur: *Ignoscat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, &c.* D præsertim cùm delicti vocabulo plærumquè in scripturis minora peccata, qualia sunt infirmitatis & ignorantiæ, significentur. Vnde illud Psalm. 18. *Delicta quis intelligit?* & illud Psalm. 24. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Nam & Leuit. 6. & 7. vii & Num. 18. apertè delictum à peccato distinguitur, & minùs aliquid esse quàm peccatum, indicatur.

Huc facit quod Chrysostomus libr. 3. de sacerdotio cap. 6 es sententia Iacobi probat, sacerdotes non tantùm in baptismo, sed & postea potestatem habere remittendi peccata. E Quod & apud Origenem legitur, homilia seconda in Leuit. tametsi hi authores ijs lucis genus peccati non distinguant.

Denique concilium Tridentinum can. 2. de extrema vnctione damnat anathemate eum qui dixerit sacra infirmorum vnctione non remitti peccata.

Neque his obstat quòd Iacobus conditionem interponere videtur dicens: *Si in peccatis fuerit*, quasi non perpetuom eum esse velit huius sacramenti effectum, quod peccata remittat; ac proinde nec proprium ac primarium, F sed accessorium vel secundarium tantummodo. Scire enim oportet coniunctionem illam, si, sæpe sic vsurpari, vt non tam conditionem incertæ ac dubiæ rei significet, quàm concessionem rei certę & indubitatæ; quemadmodum Malach. 1. dicitur: *Si pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* id est, cùm constet me patrem esse & Dominum vestrum, cur non vt patrem honoratis, & vt Dominum timetis? Sic Paulus ait 2. Thes. 1. *Si tamen iustum est apud Deum retribuere, &c.* Et ipse Iacobus alibi in hac epistola capit. 1. *Si quis vestrum indiget sapientia, &c.* Quis enim non indiget sapientia? Quod autem secundùm Iacobum omnis homo in peccatis sit, satis ostendit hæc eiusdem sententia capit. 3. *In multis offendimus omnes.*

Iam si quæritur, an hic sit primarius effectus huius sacramenti; Scotus post Bonauenturam cum alijs plærisque affirmat. Pro quo facit ipsa sacramenti forma, quæ hunc solum effectum exprimit. Sanctus Thomas autem negat alia ratione motus. Posset tamen meo iudicio melius responderi; primarium eius effectum non simplicem esse, sed ea pluribus aggregatum; nimirum ex isto & duobus seqoentibus: quod satis & ratio institutionis eius requirit, & verba concilij Tridentini indicant, quibus dicitur rem huios sacramenti esse gratiam Spiritussancti, cuius vnctio delicta & peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat &c. Hinc etiam generaliter mentis sanationem tanquam effectum, extremæ vnctioni tribuit decretom Florentinũ. Quibus accedit, quòd cùm huius sacramẽti forma tãtùm meminerit remissionis peccatorum; materia tamen secundum & tertium effectum magis propriè repræsentare videtur.

Est autem secundus effectus, abstergere atque auferre peccatorum reliquias impedientes transitum ad futuram gloriam, siue illæ sint ex originali peccato, siue ex actualibus relictæ. Reliquias peccatorum vocamus propensionem ad malum, languorem & torporem ad faciendum bonum, & mentis infirmitatem ad intueoda & meditanda cælestia. Quæ quidem reliquiæ peccata non sunt, sed ex primo peccato relictæ, alijsque peccatis subinde confirmatæ. Vnde Augustinus libr. vltimo da Trinitate cap 27. alloquens animam suam: Quæ, inquit, causa est cur acia fixa lucem illam incõmutabilem videre non possis, nisi infirmitas? Et quid tibi eam fecit, nisi iniquitas? Cæterùm has reliquias non ita abstergit extremæ vnctionis gratia, vt nullæ remaneant. Id enim in hac mortalitate fieri nequit; sed vt debilitatę ac repressæ minùs impediant ęgrotum ab earum rerum cogitatione, quæ ad ipsius salutem pertinẽt. Hunc effectum imprimis significat oleum quo infirmus vngitur: cuius vna virtus est abstergere, atque auferre quod membrorum sanitati contrarium est. Deinde verba illa Iacobi; *Et alleuiabit eum Dominus.* Ablatis enim vel minutis peccati reliquijs animus ægrotantis erigitur; & ad ea quæ salutis suæ sunt cogitanda, alacrior efficitur. An autem etiam illis verbis: *si in peccatis fuerit remittentur ei*, hic effectus significetur, vt quidam volunt; non liquet. Neque enim legimus vsquam remissionem peccati sic accipi, vt ablationem reliquiarum peccati significet, sed semper vindictæ peccato debitæ relaxationem. Tametsi concilium Tridentinum ita hunc effectum cum primo coniungit, vt dicat vnctione Spiritussancti in huc sacramento, & delicta si quæ sint adhuc expianda, & peccati reliquias abstergi.

Tertius effectus est, ægroti animam alleuiare & cõfirmare, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua & incommoda morbi leuius ferat, & in spẽ melioris vitę quadam interna consolatione perfusus erigatur, & diaboli calcaneo insidiantis tentationibus facilius resistat; vt patres concilij Tridentini loquuntur. Hic effectus ex præcedenti consequitur, & apertius verbis illis Iacobi, *alleuiabit eum Dominus*, significatur. Nam lãguore illo, quo velut pondere premebatur animus, ablato; consequens est releuari infirmum, atq; alacriorem red-

di, tum

di, tum ad morbum tolerabilius ferendum, tum ad ingrediendas futuri sæculi vias. Ejusdem rei expressam significationem continet olei natura, cuius hæ ferè sunt conditiones, lenire, penetrare, discutere, exhilarare & confortare, quę cuncta efficiétię huius sacramenti pulchrè respódent. Esse auté hanc quam diximus olei significationem, inter alios author est Theophylactus scribens in cap. 6. Marc. ad illud: *Vngebant oleo multos ægros, & sanabant.* Quin etiam commentarius in Marcum Hieronymi titulo, in vnctione illa ab apostolis facta similem effectum agnoscit, quum dicit apostolos quando vngebant oleo ęgros, infirmitatem fidei virtute corroborasse. **B** Cæterùm quod in decreto Florétino legimus effectum huius sacramenti esse sanationem mentis, vt paulò ante meminimus; generale est, & ad omnes tres iam dictos effectus referendum. Sanatur enim animus & peccatorũ remissione, iuxta illud: *Sana animam meã, quia peccaui tibi*: & languoris ex peccato contracti curatione, iuxta illud: *Qui sanat omnes infirmitates tuas*: & recreatione atque confortatione interna, dicente eodem psalmista: *Qui sanat contritos corde.*

Quartus denique sacramenti huius effectus est sanitas corporis; non quidem absolutè, sed quatenus animæ saluti expedit; **C** quemadmodum in Florentino & Tridentino concilijs explicatum est. Atque hunc effectum rectè scholastici secũdarium seu minùs principalem vocant: non enim propter eum principaliter hoc sacramentum institutum est, sed propter alios iam declaratos. Sanitatis autem nomine quęlibet etiam modica corporalis morbi releuatio coprehendenda est; cùm sit quędam inchoata sanitas. Vnde licet rarius contingat hominem periculosè ægrotantem & hoc sacro oleo inunctum, pristinæ sanitati restitui; sępenumero tamen euenit, vt morbi leuamen aliquod ægrotus sentiat simul **D** cum interna Spiritussancti consolatione, quàm propriè hæc & significat & operatur: quamuis etiam signum sit & causa corporalis sanitatis, si quando illa consequitur. Effectum istum iuxta omnium ferè interpretationem significauit apostolus his verbis: *oratio fidei saluabit infirmum.* Cùm enim de infirmitate corporis loqueretur; consequens erat vt quod sequitur, de eiusdem generis sanitate intelligi vellet; non tamen excluso intellectu quo simul etiam de animi salute ac sanitate locus ille accipitur: quéadmodum & illud quod subsequitur, *alleuiabit*, vel eriget *eum Dominus*; ad vtriusque generis releuationem **E** referendum videtur. Ad hunc sensum confirmandum facit imprimis Eugenij decretum in concilio Florentino, vbi sanationis nomen disertè ad vtrumque refertur: Effectus, inquit, est mentis sanatio, inquantum autem expedit, etiam corporis. Deinde ad hanc interpretationem non leue momentum adfert pia consuetudo fidelium, qua grauiter ægrotãti cuipiam ita precari solent, vt dicant: Sanet eum Dominus in anima; & si quidem saluti animæ expedit, etiam in corpore. Sed & presbyter ad vnctionem infirmi accurrens, precatur ei perfectam animæ & **F** corporis sanitatem; illam absolutè, hanc sub conditione; idque exemplo patriarcharum, qui terram Chanaan à Deo promissam ita requirebant, vt tamen meliorem, id est, cælestem patriam potiùs se inquirere faterentur, Hebr. 11. Quod si de sola corporis sanitate loqueretur apostolus, maximè hoc loco sub conditione loqui debuisset; vbi effectus & rarus est, & incertus. Cùm autem certò promittat; satis apparet animę sanitatem principaliter intelligi debere: eò magis quòd vtatur verbo quod saluare, non sanare significat. Salutis enim & saluationis **A** vocabula, ad animam sæpius quàm ad corpus in sacris literis referuntur; velut hoc eodem capite in fine, cum dicitur: *Saluabit animam eius à morte.*

§. 5. *Duarum quæstionum circa postremum effectum explicatio.*

Circa postremũ huius sacraméti effectũ duplex occurrit difficultas; altera talis: Cùm enim nullum aliud sacramentum habeat promissionem boni temporalis, ne quidem addita conditione, si expe- *S. Thom. suppl. q. 30. ar. 2.* **B** diat; meritò quæritur, vnde huic sacramento sit hoc peculiare, vt ad bonum temporale conducat. Quam quæstionem auget ratio sacramétorum nouæ legis, quæ animis non corporibus sanandis instituta sunt; dicente Augustino ench. 66. Totum quod salutaribus agitur sacramentis, magis ad spem futurorũ bonorum, quàm ad retentionem vel adeptionem præsentium pertinere. Altera difficultas est, quomodo ex hoc sacramento sanitas corporis cõsequatur per modum sacramentalis effectus, id est, ex opere operato; cùm etiam non posito obice frequenter contingat corporis sanitatem aut morbi leuamen nullũ **C** consequi, sed ægrotum statim extingui.

Ad priorem quæstionem respondemus, singulari beneficio prouidentiæ diuinæ factum esse, vt huic sacramento præ cæteris annecteretur effectus aliquis salutis corporalis. Quemadmodum enim morte nihil terribilius inter omnia huius sęculi mala; ita nihil vita expetibilius. Qui quidem appetitus tum vel maximè se exerit, quando ad vitam prorogandam naturæ præsidijs homo destituitur, vt fit in morbo difficili. Tunc enim sæpe tentari solent ægroti ad quærendam vitæ prorogationem modis etiam illicitis; quemadmodum olim fecisse legitur **D** Ochozias rex Israel 4. Reg. 1. Quamuis ergo huius sacramenti primaria virtus spiritualis sit, vt aliorum sacramentorum; (neque enim aliud sanct. Augustinus sensit in ench. videlicet dicés ea magis ad futura pertinere bona quàm ad præsentia) voluit tamen Christus hominum infirmitati consulens, huic sacro signaculo etiam corporalis beneficij effectum, vt secundarium adiungere, ne fortè desperato morbi remedio ad illicita & superstitiosa auxilia confugerét ęgroti. Id quod sapienter annotatum est in tractatu de rectitudine Catholicæ cõuersationis, inter opera Augustini his verbis: Quoties aliqua infirmitas oc- **E** currerit alicui, non quærãtur pręcantatores, non diuini, non sortilegi; sed qui ægrotat in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide & deuotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab ecclesia petat, & secundum Apostolum, *oratio fidei saluabit infirmum*, &c.

Ad posteriorem quæstionem, quam etiam Lutherus Catholicis mouet apud Roffensem in assertione 7. sacramentorum, cauillans ex hoc sanitatis corporalis effectu consequens fore, vt huius sacramenti virtute vita hominum perpetuetur; non vnu **F** modo respondetur ab omnibus. Quidam enim opinantur virtutem huius sacramenti semper aliquid conferre corporalis remedij ad morbum curãdum: Et quamuis frequenter vis morbi grauior sit, quàm vt ei depellendo virtus illa quam sacramẽtum subministrat, sufficiat; cæteris tamen paribus facilius sanitati restitui eum qui sacramentum hoc susceperit, quàm qui non susceperit. Huic respõsioni repugnat experientia eorum, qui piè ac religiosè suscepto hoc sacramento morbi leuamen nullum senserũt. Quos si dicas reuera non dignè suscepisse, iam manifesta

dabitur occasio iudicandi proximos ex corporali huius sacramenti effectu frustrato. Repugnat item conditio tam in Tridentino quàm Florentino concilio adiecta, quæ superflua foret, si effectus hic releuantionis esset perpetuus, atque indubitatus.

Alij putant non sacramenti defectu, sed ex eo quòd eorum magna pars qui vel suscipiunt vel administrant hoc sacramentum, fide sunt minùs firma; fieri plærumque quo minùs sanitatem ægrotus recipiat. Verùm tale aliquid de effectu sacramentali dici non potest. Nam etiam infirma fides suscipientis cum bona voluntate coniuncta, sufficit vt effectui sacramentali impedimentum non obijciatur. Ministrantium autem ne infidelitas quidem & hypocrisis, effectum prohibere potest sacramenti; multò minùs fides infirmior. Neque tamen hanc responsionem, quam habet catechismus ad parochos scriptus, repudiandam censemus, sed tertia adhibita illustrandam potiùs & comprobandam: Ea est sacram vnctionem respectu huius corporalis beneficij, non tam sacramentum esse; quippe quæ effectum illum non sacramentaliter operetur; quàm sacramentale quiddam, cuiusmodi est aspersio aquæ benedictæ: vt non aliter sacra vnctione impetretur sanitas aut omnibus leuamen, quàm aspersione aquæ precibus sacerdotis consecratæ tollitur corruptio aëris vel infestatio dæmonis. Quæ responsio maximè conformis videtur sententiæ conciliorum quæ conditionem apponunt. Nam sacramenta quidem vt sacramenta, absolutum habent effectum. Quòd si ergo in effectu conditio intelligitur, sacramentum non vt sacramentum operatur, sed alia ratione, qua nimirum operantur & cætera quæ precibus ecclesiæ in varios vsus consecrantur: id est, per modum orationis publicæ; id quod satis apertè indicant hæc catechismi verba: *Quia non semper sequitur vt ægri à morbis conualescant; ob eam causam precationis forma conficitur, vt à Dei benignitate id impetremus, quod sacramenti vis constanti & perpetuo ordine efficere non solet*. Hæc ibi. Et hoc videtur innuere concilium Tridentinum quando dicit: *Et sanitatem corporis interdum, vbi saluti mentis expedierit, consequatur*. Notandum enim illud, *interdum*, etiam, *vbi expedierit saluti animæ*: Nam sensus est, non semper sed interdum conferri sanitatem corporis; nunquam tamen nisi expediat animæ saluti, id est, nisi ad bonum salutare.

Porrò sicut non discedente dæmone ab eo loco vbi aspersa fuerit aqua benedicta, non dicimus frustra factam esse aspersionem, maximè si cum fide & deuotione facta fuerit, quia pietas operis apud Deum fructu suo non priuatur, & nouit Deus quare non expediat dæmonem inde abigi, ita de vnctione ægroti respectu huius corporalis effectus dicendum est.

§. 6. *Hæreticorum interpretationes in locum Iacobi refutantur.*

S. Thom. suppl. q. 29. art. 1

QVotquot hæretici sacramentum hoc extremæ vnctionis negarunt; verba Iacobi quibus illud Catholici probant, variè eludere & catholicum eorum sensum euertere sunt conati. Quorum omnium primi Waldenses, alio nomine dicti pauperes de Lugduno, ante 400. annos blasphemo ore dicere ausi sunt, hoc sacramentum non benedictionis esse sacramentum sed maledictionis. Horum insaniam secutus est Ioannes Wicleff, & post eum Bohemi. Wicleffus Iacobi sententiam sic eludit: Quia, inquit, in palæstina præstans erat oleum, valensque ad corporis sanitatem; ideo Apostolus de recreando ægroto verba faciens istiusmodi meminit vnctionis. Hic primùm liquet Wicleffum non attendisse ad titulum epistolæ apostolicæ, quæ inscripta est non Ierosolymitis, aut Iudæis in Palæstina habitantibus, sed duodecim tribubus in dispersione positis. Atqui dispersio eorum facta fuerat in varias & longinquas regiones, in quibus non eadem olei præstantia aut virtus naturalis esse poterat, sicut nec apud nos. Item si de naturali olei virtute sermo esset, non ecclesiæ presbyteros, sed corporum medicos aduocari oporteret. Nam quod medicorum est promittuor medici, non ecclesiæ presbyteri. Vnde & scriptura Ecclesiastici 38 ad curanda ægrotantium corpora corporum medicos & vnguentarios, non presbyteros aduocari diligenter monet. Et sanè iuxta Wicleff sententiam prorsus imperitum agit medicum Iacobus, qui vnum idemque medicamenti genus omnibus morbis adhibendum præcipit, præsertim cùm olei vsus in quibusdam morbis etiam noxius sit & perniciosus. Præterea consequens erit & Marcum loqui de naturali sanatione. Quo quid absurdius? Nam Christus per miracula suam voluit commendare doctrinam, non mittere medicos circumforaneos & vnguentarios, per quos naturali curandi modo peritè & feliciter vtentes multitudinem sibi conciliaret.

Hac igitur interpretatione reiecta nostrorum temporum hæretici alia quæsierunt effugia: Lutherus partim hoc testimonio, partim doctrina de operibus fidei adiungendis offensus, semel in vniuersum huic epistolæ authoritatem ademit, stramineam eam appellans. Sed hoc Lutheri iudicium adeo temerarium atque absurdum visum est ipsis etiam eius sectatoribus, vt eorum neminem habuerit approbatorem. Nam & hodie Lutherani omnes hanc epistolam recipiunt, & illa Lutheri sententia qua tam peruersè de ea censuit, è scripturis eius tam dudum ab ipsius discipulis erasa est. Quibus proinde ad commenticias interpretationes huius loci de quo agitur, confugere necesse fuit. Inter quos Brentius Apostoli sententiam explicans: *Ministrorum*, inquit, *ecclesiæ exponit officium, vt accedant infirmum, & euangelij prædicatione consolentur*. Itaque per vnctionem tropicè Brentius intelligi vult euangelij prædicationem. Qua in re morem hæreticorum agnoscere licet, quibus studium est in interpretanda scriptura, confictis tropis ecclesiæ sacramenta subuertere. Sic enim & Caluinus, dum per aquam Spiritumsanctum intelligit, & per corpus & sanguinem, corporis & sanguinis figuram; baptismi simul & Eucharistiæ sacramentum Christianis eripere nititur, vt alibi ostendimus.

Porrò Jacobum non figuratè sed propriè locutum esse, primùm ostendit quod tota epistola apertum simplicemque habeat sermonem; deinde quòd hoc loco nulla sit euangelicæ prædicationis mentio, sed precationis tantùm. Denique satis id conuincit consentiens interpretatio omnium veterum quotquot apostoli sententiam vel obiter atque ex occasione attigerunt, vt Innocentius 1. & 3. Beda, Bernardus, & alij initio à nobis citati. Quibus adde Augustinum epistola 119. capit. 7. & libr. 5. contra Don. capit. 20. vbi oleum inter ea recenset quæ sacramentis loco materiæ adhibentur. Hi, inquam, omnes tamen si oleo mysticum aliquem effectum

ulterius

vlterius significatum intellexerunt; ipsum tamen propria significatione acceperunt, sicut & apud Marcum accipi, nec à sectarijs ipsis negatur, nec certè negari potest.

Est igitur postrema eorum interpretatio, quam præ cæteris probant tum Caluinus in institut. tum alij Luthero posteriores. Dicunt enim Iacobum loqui secundùm ea tempora quibus adhuc vigebat inter fideles gratia curationum. Eò enim manifestè pertinere quod Marcus testatur, ab apostolis multos ægros oleo vnctos sanitatem recepisse. Cęterùm posterioribus sæculis cessante miraculorum gratia stultum esse ac ridiculum, si similes ritus etiam obseruandos putemus; quemadmodum stultum foret circumferre sudarium vel natatoriam instituere ad curandos infirmos, vel mortuis incubare ad eos resuscitandos, vel lutum ex sputo & puluere facere ad restituendum cœcis visum. Huiusmodi enim exempla congerit hæretiens ille, vt vnctioni infirmorum, sacramenti dignitatem detrahat.

Verùm hęc eorū interpretatio, præterquā quod anathemate condemnata est can. 2. inter eos qui de hoc sacramento à patribus concilij Tridentini editi sunt, multis modis inepta ostenditur.

Primùm, quia gratia miraculorum non se extendit ad effectum spiritualem. Multi namque corporis sanitatem receperunt in peccatis permanentes, vt nouem leprosi Christo ingrati, atque alij de quibus diximus ad distinctionem 15. At ista vnctio teste Iacobo spiritualem præstat effectum; nempe remissionem peccatorum: non igitur dici potest ad solam curationum gratiam pertinuisse.

Deinde quæcunque præcepta tradit in sua epistola Iacobus, ea sunt omnibus temporibus accommodata. Non igitur verisimile est hoc solum de vngendo infirmo ad apostolica tantùm tempora referri. Et certè generale esse hoc præceptum ad vniuersum noui testamenti tempus pertinens, sensit Augustinus in libro quem Speculum propterea intitulauit, quòd in eo sola illa scripturæ testimonia congesserit, quæ ad vitam Christianam exercendam pertinerent, in quibus velut in speculo facilè se quisque inspiceret, atque inspiciendo vel profectum, vel defectum suum intelligeret, vt initio libri ipse præfatur. Esse autem ab Augustino collectum hoc opus, testis est in eius vita Possidius cap. 28. Cùm ergo in eo legatur tota Iacobi sententia, de qua nunc agimus; manifestè intelligitur tale esse hoc præceptum quod ad Christianos omnium temporum pertineret.

Tertiò, *Diuisiones gratiarum sunt*, inquit apostolus 1. Corinth. 12. *& alij quidem datur sermo sapientia, &c. alij gratia sanitatum. Quæ omnia operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* Non ergo si quis presbyter est ecclesiæ, continuò & gratiam curationum habet. Neque dicere debuisset apostolus, *Adducat presbyteros ecclesiæ*, sed eos qui pollent gratia curandi morbos; cùm hæc gratia neque omnibus presbyteris, neque solis tributa fuerit ab eo qui distribuit singulis prout vult. Quæ ratio procedit, etiamsi, quod hæretici volunt, per presbyteros intelligantur ætate seniores aut primores populi.

Quartò, Loquitur apostolus de ægroto Christiano à Christianis inter Christianos vngendo. Vsus autem miraculorum, quemadmodum exemplo Christi & apostolorum discere possumus, non apud fideles est, sed apud infideles, vel saltem in fide imbecilles, vt in ea confirmentur. Quod satis indicat Paulus cum ait 1. Corinth. 14. *Linguæ in signum sunt non fidelibus sed infidelibus.* Nam & idem apostolus, qui patrem Publij febricitantē curauit; Timotheum tamen valetudinarium & Epaphroditum grauiter ægrotantem, & Trophimum quem Mileti infirmum reliquerat, sanitati non restituit; sciens apud quos miraculorum gratia vtendum vel non vtendum esset.

Ex quibus consequens est sententiam Iacobi, qui quid inter Christianos faciendum sit docet, non posse de gratia curationum intelligi. Si quando autem etiam nunc sacram vnctionem sequatur sanitas corporalis, non id statim miraculo propriè dicto tribuendum videtur, sed potius diuinæ prouidentiæ sic ordinanti causas secundas seu naturaliter seu liberè operantes, vt per eas ita ordinatas atque directas, is qui alioqui moriturus erat, sanitatem recipiat.

Quod autem attinet ad locum Marci quem nobis obijciunt; iam initio admonuimus non id præcipi à Iacobo quod in Marco factum legimus, sed quod ibi præcessit in miraculo, figuram fuisse eius sacramenti quod postea à Christo institutum Iacobus diuulgauit; sicut aqua Siloë figura fuit baptismi, & manna corporis Christi; vt quod in illis signis circa corpus gestum est, postea in ecclesiæ sacramentis circa animam efficeretur. Qua ratione Tridentini concilij patres dixerunt hoc vnctionis sacramentum à Christo apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem apostolum fidelibus commendatum ac promulgatum esse. Potestque de manuum impositione, qua ad infirmorum curationem Christus aliquoties vsus legitur, simile quid intelligi. Quoties ergo interpretes, Beda, Theophylactus, Euthymius locum alterum cum altero comparant, in externa vnctione, eaque ex Christi præcepto, boni alicuius effectus operatoria comparationem faciunt, non autem in toto vnctionis effectu.

§. 7. *Ad alia quæ contra hoc Sacramentum obijciuntur responsio.*

RESpondendum nunc ad alia nonnulla quæ aduersus hoc sacramentum solent obijci. *S. Thom. suppl. q. 29. art. 1.*

Primùm, inquiunt, effectus qualiscunque intelligatur, ab apostolo non tribuitur vnctioni sed orationi, nō enim dicit quod vnctio olei, sed quod *oratio fidei saluabit infirmum*; igitur vnctio non est sacramentum efficax, sed merum signum.

Secundò: Origenes homil. 2. in Leuit. remissionem peccatorum cuius meminit Iacobus dicēs: *Et si in peccatis sit remittentur ei*, tribuit potestati clauium seu absolutioni sacerdotis, quæ pœnitenti impenditur præuia confessione. Quod & Beda tradit in Iacobum scribens his verbis: Si ergo infirmi in peccatis sint & hæc presbyteris ecclesiæ cōfessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare sategerint, dimittentur eis.

Tertiò: Idem venerabilis Beda dicit verbis illis Iacobi: *Infirmatur quis in vobis*, dari infirmo consilium qualiter se à murmurationis stultitia rueatur. Ac deinde subdit: Infirmanti vel corpore vel fide mandat apostolus, vt qui maiorem sustinuit plagam plurimorum se adiutorio, & hoc seniorum curare meminerit; neque ad iuniores minusque doctos causam suæ imbecillitatis referat; ne fortè quid per eos allocutionis aut consilij nocentis accipiat. Er-

go secundùm Bedam tantùm de consolatione & consilio petendo loquitur apostolus.

Quartò: Epiphanius hæresi 36. & Aug. hæresi 16. quæ est Heracleonitarum, tribuunt illis, quòd suos morientes vngant oleo, atque hoc nouo modo se eos redimere dicant.

Postremò: Lex noua continetur in veteri, ità vt sacramenta nouæ legis omnia fuerint præfigurata per aliqua veteris legis sacramenta: atqui nullum in veteri lege sacramentum fuit quod hanc vnctionem præfiguraret; igitur hæc vnctio non est nouæ legis sacramentum.

B Sed horum obiectorum non difficilis est solutio. Et ad primum quidem respondetur satis ex verbis Iacobi apparere, quòd vnctio efficiat aliquid; quandoquidem orationem cum vnctione coniunctam esse vult, cùm ait: *Et orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.* Idcirco autem proximè solam orationem nominat; quia oratio in hoc sacramento est ipsa forma: cui tanquam parti potiori potius tribuitur effectus, quàm vel materiæ, vel eius explicationi.

Si obijcias apostolum requirere non qualemcunque orationem, sed orationem fidei, id est, ex fide profectam, ideoque non tam verbis, quàm fidei ministrantium ascribere effectum; respondeo C formam à quocunque sacramenti ministro cum intentione necessaria prolatam semper esse orationem fidei. Semper enim valet in fide ecclesiæ; imò & profertur in persona ecclesiæ, quæ fidem suam & deuotionem ex parte ministrantium accommodat.

Ad 2. Origenes & Beda Iacobum interpretantur de peccatis grauioribus, ad quæ remittenda opus sit ministerio clauium: & ita partè posteriorem à priori abstrahunt, & ad aliud sacramentum D referunt, videlicet absolutionis. Sed magis probabile est totam sententiam eodem pertinere, & posteriori parte leuiorum peccatorum promitti remissionem, prout forma sacramenti manifestè significat.

Ad 3. Beda ijs verbis magis moralem tradit expositionem, quàm literalem. Cæterùm verbis subsequentibus clarè secundùm literam ostendit ab apostolo illud præcipi, quod ecclesiastica consuetudine circa infirmos frequentatur; nempe sacramentum extremæ vnctionis, citatis etiam quibusdā verbis Innocentij primi, quibus ille citra contro- E uersiam agit de administrando hoc sacramento.

Ad 4. Heracleonitæ hæretici exercebant vnctionem quandam corporum morientium plenam stultæ superstitionis; vt ex Epiphanio patet qui eam latè describit. Quam & Ecclesia Catholica prorsus reprobat, & execratur.

Ad postremum respondent quidam, idcirco nihil in veteri lege fuisse quo hoc sacramentum figuraretur, quòd virtus huius sacramenti sit exeuntes ab hoc sæculo ad ingressum regni disponere, qui quidem tunc decedentibus nondum patebat. Po- F test nihilominus ad argumentum responderi sacramentum hoc non tantùm insinuatum fuisse per vnctionem illam, quam apostoli exhibebant Marci 6. vt loquitur Trid. synodus; verum etiam prænunciatum in lege per quasdam vnctiones, ac præsertim per eam qua Dauid tertiò vnctus legitur, vt iam totum regnum Israel pacificè possideret, qui primò vnctus fuerat ad regnum comparandum, & secundò ad idem propagandum. Sic enim primò vnguntur fideles in baptismo, vt fiant regni hæredes; secundò in confirmatione, vt Christi regnum pugnando promoueant; & tertiò in extremæ vnctionis sacramento, vt ad pacatissimum Christi regnum in cælis possidendum transeant.

§. 8. *Quæ sit huius sacramenti materia.*

Materiam huius sacramenti expressit Iacobus apostolus dicens: *Vngentes eum oleo.* Per quod totius Ecclesiæ traditione & consensu, non aliud intelligitur, quàm oleum oliuæ. Nam & propriè id olei nomine significatur, sicut aquæ nomine aqua elementaris. Alioqui verò expressum impropriè oleum dicitur; sicut liquor è floribus distillatus, impropriè dicitur aqua. Quàm rectè autem olei natura congruat significationi atque effectui huius sacramenti, suprà à nobis expositum est, vbi de multiplici effectu huius sacramenti agebamus. Sicut enim aqua qua corpus abluitur in baptismo, significat mundationem animæ à peccatis; ita oleum cuius in medendis corporis morbis magnus vsus esse solet, optimè congruit significandæ sanationi mentis, idque certæ significationis gratia, quæ à Scholasticis explicatur. Oportet autem oleum simplex esse, non balsamo neque alteri cuiconque liquori permixtum. Vocatur quidem ab Innocentio primo chrisma, & oleum chrismatis; sed chrisma generale vocabulum est quamlibet vnctionem significans; licet nunc vsu ecclesiæ id solum significet quod ex oleo & balsamo confectum est. *S. Thom. suppl. q. 29. a. 4.*

Porrò vt oleum sit apta huius sacræ vnctionis materia, cōsecratum esse debet ab episcopo. Quam episcopalem consecrationē manifestissimè requirūt Innocentius primus in epistola ad Decentium, & Beda in cap. 6. Marci, ac rursus in Lucæ 8. & Iacob. 5. Quo postremo loco verba illa: *Vngentes eum oleo in nomine Domini,* etiam in hunc sensum exponit, ita scribens: Nam quod ait, *oleo in nomine Domini,* significat oleum consecratum in nomine Domini. Tametsi mox & aliam expositionem subiungit, eamque, vt arbitror, veriorem, qua illud, *in nomine Domini,* refert ad actum vngendi. Hanc præterea benedictionem requirit concilium Meldense can. 2. apud Burchardum & Iuonem: & postremò tam Florentinum, quàm Tridentinum concilium. Denique testis est Basilius cap. 27. lib. de spiritusancto olei consecrationem esse apostolicæ traditionis. Consecratur autem oleum, ad significandum quod non suapte natura, sed spiritussancti virtute morbis animæ medeatur. Per episcopum verò fit ea consecratio, vt significetur omnem virtutem sacramentorum deriuari ex merito Christi, cuius personam præcipuè gerit episcopus.

§. 9. *Tres quæstiones de materia huius sacramenti breuiter explicantur.*

Cum ex iam citatis patrum & conciliorum testimonijs certum sit requiri necessariò vt oleū infirmorum episcopali benedictione sit consecratum; quæri tamen potest virùm necessitate præcepti tantùm, an verò etiam necessitate sacramenti benedictio eiusmodi requiratur. Ad quam quæstionem prorsus eodem modo respondendum *S. Thom. suppl. q. 29. ar. 5. & 6. vide eundē 3. p. q. 72. ar. 3.*

vide-

videtur, quo pleniùs circa dist. 7. responsum est de consecratione chrismatis respectu sacramenti confirmationis. Sicut enim omnium ferè doctorum sententia est, non tantùm præcepti sed etiam sacramẽti necessitate requiri benedictionem chrismatis, vt confirmationis sacramentum subsistat; ita & de oleo quo infirmus vngitur benedicendo sentiunt, cùm appareat vtriusque eandem esse rationẽ. Sed & ante Scholasticorum ætatem ita disertè docuit Hugo à S. Victore, & post Hugonem Magister: dum vterque tali distinctione vtitur, vt dicat baptismum quidem celebrari posse in aqua non benedicta, vnctionem autem istam fieri non posse nisi de oleo ab episcopo consecrato. Vbi manifestè videtur intelligi necessitas sacramenti. Nam necessitate præcepti, nec baptismus celebrari potest extra mortis periculum, nisi in aqua benedicta. Rationes autem huius inter sacramenta diuersitatis, etsi probabiles à Scholasticis adferantur; præcipua tamen est, quæ redditur ex beneplacito instituentis, quod non potuit non esse valde rationabile, etiamsi rationem fortè nos non assequamur.

Cæterùm aduersus hanc communem sententiam facere videtur authoritas Innocentij 3. extra de sacramentis non iterandis cap. pastoralis; vbi ratum habet põtifex confirmationis sacramentum factum vnctione solius olei. Quod quidem non apparet consecratum fuisse, ea saltem consecratione quam chrisma requirit: quod & Dominicus fatetur, dicens fuisse oleum catechumenorum. Quocirca reuera perinde erat, atq; si consecratum omnino non fuisset; cùm oporteat consecrationẽ fieri ad certũ aliquid, nẽpe ad illud cuius vsui destinatur; ac proinde paria sint nõ esse benedictũ & benedictũ esse benedictione impertinenti; sicuti paria sunt nõ habere instrumentũ & habere instrumẽtũ impertineos. Quare & de benedictione hic requisita simile erit iudicium. Hoc argumento moti quidam opinantur tantùm præcepti esse hanc benedictionis in vtroque sacramento necessitatem, non item sacramenti. Posset tamen responderi oleum illud, etsi balsamo mixtum non fuerit, siue per negligentiã, siue quia balsamum in promptu haberi non poterat; fuisse tamen ab episcopo consecratum ea benedictione quæ chrismati adhiberi solet.

Quærunt deinde vtrùm etiam necessitate sacramenti requiratur, vt per episcopum facta sit illa benedictio. In negantem partem propendet Caietanus scribens in 3.p.q.72. art. 3. qui existimat ratam fore benedictionem, si fiat per quemcunque presbyterum; propterea quòd eucharistiæ consecratio, quæ sine dubio maior est, per simplicem presbyterum fieri possit. Sed contrarium plærique omnes tenent. Atque huic sententiæ quàm maximè fauẽt pontificum & conciliorum decreta, quæ nullum alium illius benedictionis ministrum agnoscunt quàm episcopum. Rationem autem congruentiæ iam antè assignauimus. Imò verò non apparet hac in re pontificem posse dispensare, nempe vt per aliũ quemcunque fiat olei benedictio; si, quod dictum est, necessitate sacramenti ipsa benedictio requiratur. Tum enim intelligendum est omnino requiri benedictionem ab eo factam, cui fuit ab initio institutionis sacramenti commissa, id est, ab episcopo. Nam alioqui nihil videretur obstare, quo minùs etiam diacono committi posset, si seposita sacramẽti institutione ad solam plenitudinem potestatis summi pontificis respiciamus.

Rationem autem quæ Caietanum in diuersam mouit sententiam, tunc dissoluimus, cùm de confirmationis sacramento ageremus.

Quæritur postremò, an ratum sit hoc sacramentum in chrismate administratum. Ad quod respondetur duplici ratione fieri posse, vt sic administratũ nullum sit; nempe si vel desit benedictio necessaria. Non enim eadem est benedictio chrismatis & olei simplicis; vel oleum balsami commixtione propriã naturam amiserit, factumque sit mixtum diuersæ speciei. Quod idem respondendum de qualibet alia mixtura. Si autem olei natura permanet, & adsit benedictio necessaria; certum est ratum esse sacramentum, licèt peccet qui alienam materiam admiscet, quemadmodum & de aqua baptismali suo loco diximus.

§. 10. *Quæ sit huius sacramenti forma.*

Formam huius sacramenti precationis modo profert ecclesia Romana huiusmodi verbis: *Per istam sanctam vnctionem & suam piissimam misericordiã indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum, &c.* Ita Eugenius 4. in decreto Armenis dato. Neque quemquam offendere debet, quòd quędam ecclesiæ vtantur verbis nõnihil diuersis. Nam ea verborum diuersitate nihil detrahitur de sensu. Itaque consistit integritas formæ dũ pro verbo, indulgeat, aliæ ecclesię dicunt, ignoscat, aliæ dimittat vel parcat; quædam etiam sanet: & dum pro verbo, deliquisti, aliæ ecclesiæ dicunt, peccasti, aliæ vtrumque coniungunt dicentes: quicquid peccasti vel deliquisti. Quod fieri verisimile est ad maiorem cautelam, propter mortalia oblita. Quamquam huiusmodi adiectione & cautela non est opus; quandoquidem etiam sine ea nihil minùs consequitur infirmus. Rursum multæ ecclesiæ, inter quas Romana, dicunt, *quicquid oculorum vicio deliquisti*, & ita de cæteris sensuum instrumentis. Habet hanc formam etiam catechismus parochorum. & Scotus & Richardus; & ea vti dicuntur fratres Minores. Cõstat autem huius sensum cum forma Eugeniana conuenire. S. Thom. suppl. q. 29. ar. 7. 8 & 9.

Iam quòd hæc forma precationis modo ferè ab omnibus profertur, prorsus conforme est verbis Iacobi apostoli, qui eam innuit cùm ait: *Et orent super eum*; Et rursus, *Et oratio fidei saluabit infirmum.* Quibus verbis significatam esse formam, testatur concilium Tridentinum eo loco, vbi huius sacramenti exposuit institutionem.

Cur autem hoc sacramentum præ cæteris omnibus precatoriam habeat formam; hæ reddi possunt rationes. Vna, quia qui suscipit hoc sacramentum, cùm sit proprijs viribus iam destitutus, non corporis tantùm sed & animi quem morbus plærumq; etiã afficiat, maximè indiget tum sacerdotis, tum aliorum orationibus adiuuari.

Secunda, quia cùm migret ex hac vita iam iam sistendus tribunali iustitiæ diuinæ; planè conuenit vt eum sacerdos tanquam ecclesiæ minister per orationem misericordię Dei commendet. Ob quas rationes non solùm forma precatoria est, sed & aliæ multæ precationes veteri more ecclesiæ adhibentur, quibus astantes fideles excitentur & admoneantur, vt infirmum fratrem velut statim migraturum precibus adiuuent, ac Deo cõmendent.

Tertiam rationem adfert catechismus parochorum; ideo precatione formam confici, vt eum effe-

ct in quem h ius sacramenti vis constanti & perpetuo ordine efficere non solet, id est, sanitatem corporis aut morbi leuamẽ, à Dei benignitate precando impetremus.

Si quæras, vtrùm rata sit forma enunciatiuo modo prolata: putant quidem S. Thom. & Bonau. non esse ratã, sed tamen nõ apparet certa ratio qua id doceatur, cùm nihil vetet eiusdem sacramenti formam nunc enunciatiuè, nunc deprecatiuè vel optatiuè recitari. Sic enim variari formam baptismatis apud Græcos & Latinos certum est. Quare probabiliter sentit Richardus ratam fore eiusmodi formam. Cui pro magno argumẽto accedit, quòd ecclesiæ quædam ipso etiam S. Tho. attestante, iam olim enunciatiua forma vsæ fuerint dicentes: *Vngo oculos tuos oleo isto sancto, &c.* Quæ forma à plærisque Ambrosiana vocatur, quòd ea Ambrosius in sua ecclesia Mediolanensi vsus fuisse putetur. De qua pronunciat Ioannes Eckius in homilijs de sacramentis, firmiter credendum esse, quòd vbicunque sola forma Ambrosiana vsurpatur, etiam ibi conferatur sacramentum, idque adeo aliorum sacramentorum exemplis declarat. Quanquam sunt qui pro cautela putent vtramque formam cõiungendam esse, vti fit in nonnullis ecclesijs. Qua de re videatur locus Eckij. Quod autem quædam ecclesiæ addunt, *in nomine patris & filij & spiritus sancti*; rectè fit quidem, non tamen est necessarium.

§. 11. *Quis sit huius sacramenti minister.*

S. Thom. suppl. q. 31. mem.

PEr quem administrari debeat extremæ vnctionis sacramentum, docet Iacobus cùm ait: *Inducat presbyteros ecclesiæ.* Presbyteri nomine non eum qui inter fideles ætate prouectior est, intelligens, quomodo hodierni hæretici interpretantur, sed sacerdotem iuxta ritum ecclesiæ ordinatum. Ita apostolum intellexerunt & interpretati sunt Innocentius 1. in ep ad Decentium, Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio, Origenes hom 2. in Leuit. Beda in locum Iacobi, Concilium Flor. in decreto Armenis dato, ac postremò Trid. tum in doctrina quam tradit de hoc sacramento sess. 14. tum eiusdem sess. can. vlt. Cuius canonis hæc sunt verba: *Si quis dixerit presbyteros ecclesiæ quos beatus Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quauis communitate, ob idq́ proprium extremæ vnctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit.*

Eam hæreticorum interpretationem ipsa quoque ratio refellit. Cum enim etiam ætate iuuenes rectè interdum ecclesiæ præficiantur, vt Timotheus episcopus ab apostolo constitutus; absurdum est hoc extremę vnctionis & orationis munus, ad solos seniores remittere. Vnde ait Innocentius: Cęterùm illud superfluò videmus adiectum, vt de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere dubium non est. Quod tamen nõ immerito ambigeretur, si presbyteros ætate seniores intelligeret apostolus. Est igitur presbyteri vocabulum sic accipiendum, vt sit nomen dignitatis seu sacri ordinis, non autem ætatis; quomodo & alibi passim, tam in Actis apostolorum, quàm in epistolis apostolicis accipitur.

Quod autem non ad solum episcopum nomen presbyteri hoc loco contrahendum sit; ex eo perspicuum est, quia numero plurali presbyteros aduocandos esse monet Iacobus; cùm secundùm sacros & apostolicos canones in vna ciuitate vnicum esse constet episcopum. Ac rursum ex eo quòd alioqui necesse esset plurimos fideles hoc sacramento defraudari, vt omnes eos ad quos episcopus ob loci distantiam vel aliud quodcunq; impedimentum, accedere non posset. Veruntamen sufficit ad hoc sacramentum administrandum vnicus sacerdos, quia etsi multitudinis numero vtatur apostolus; intelligendum tamen singulis datam esse huius ministerij potestatem, sicut ijs verbis: *Quorum remiseritis, &c.* Potestas data est vnicuiq; sacerdoti peccata remittendi ac retinendi. Estq́ue id definitum ab Alexandro 3. lib. 5. decretalium titulo de verborum significatione cap. quæsiuit, vbi decernit ab vnico presbytero infirmum inungi posse. Quamuis autem omnis presbyter ratione ordinis hanc habeat potestatem; eius tamen executio soli conceditur proprio parocho, qui in infirmum iurisdictionem habet; vel alteri cui proprius pastor eius muneris exequendi potestatem fecerit. Quod si quisquam non sacerdos attentauerit hoc sacramentum ministrare, tam irritum erit, quàm irrita confirmatio siue ordinatio à non episcopo attentata; Secus si sacerdos id attẽtauerit vbi iurisdictionem non habet. Tunc enim, quia nihil deest eorum quæ ad substantiam eius requiruntur, verum conferri videtur sacramentum, licèt nõ absque peccato administrantis.

Sed percontabitur aliquis, quare cum de vno infirmo vngendo loquatur Iacobus plurium presbyterorum meminerit: & rursum quomodo plures vnum vngant infirmum, vnumue conferant sacramentum.

Ad priorem quæstionem responsio quorundam est, loqui apostolum secundùm consuetudinẽ primitiuæ ecclesiæ, quando tanto studio curabatur salus fideliũ, vt plures presbyteri, & interdũ etiam episcopus presbyteris comitatus ad infirmũ accurrerẽt. Sed melius respondetur sensũ esse, *introducat presbyteros ecclesiæ*, id est, aliquẽ de presbyteris, vel esse enallagem numeri. Sic loquitur Aug. ser. 33. de diuersis, referens quandam mulierem quæ vitam infanti suo mortuo impetrauerat, tulisse eũ ad presbyteros, id est, ad aliquem presbyterorum. Nam lib. 1. miraculorum S. Stephani c. vlt vbi eadẽ narratur, tantùm fit mentio presbyteri in numero singulari. Ita Matth. 2. *mortui sunt qui quærebant animam pueri*, & 27. Latrones crucifixi cum eo improperabant ei.

Ad posteriorem, plures vnum infirmum vngere, quando vno vngente reliqui assistunt, eiq́ue cooperantur siue cõsensu & oratione communi, quomodo in canone missæ sacerdote offerente, populus circunstans simul offerre dicitur; siue quia non est absurdum à diuersis presbyteris diuersa membra inungi, atque ita totum absolui sacramentum; quale aliquid etiam in conficiendo eucharistiæ sacramento potest contingere, dum necessitate interueniente alius panem, alius vinum consecrat.

§. 12. Ad

§. 12. *Ad ea quæ in contrarium obijciuntur responsio.*

S. Thom. quæst. proximè citata.

ADuersus ea quæ de ministro diximus, obijci solent imprimis verba Innocentij 1. ex epist. ad Decentium quæ sic habent: Quo oleo ab episcopo confecto non solùm sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo. Quæ eadem verba repetuntur à Beda scribente in Iacob. Vnde videri potest ex horum sententia omnem Christianum huius sacramenti esse ministrum. Et quidem motus hoc argumento Thomas Waldensis tom. 2. de sacramentis ca. penult. existimat vbi deest sacerdos, laico permitti vt hoc sacramentum infirmo in articulo mortis administret. Citat is præterea locum ex libro de rectitudine Catholicæ conuersationis apud Aug. his verbis: Qui ægrotat, oleum benedictum fideliter ab ecclesia petat, vnde corpus suum vngat.

Respondent quidam ab Innocentio permitti cuilibet Christiano, vt occurrente necessitate tum se, tum alios hoc oleo vngere possit pia deuotione affectus erga rem sacram & episcopali benedictione consecratam, per quam speret medelam consequi: ita tamen vt nullum conficiat sacramentum, sed sic vtatur quomodo solent fideles vti aqua benedicta, alijsque rebus consecratis. Huic responsioni probabilitatem affert vetus fidelium consuetudo, qui ad curationes hoc benedicto oleo variè vti solent, vt monachi Ægyptij, qui illud ad infirmos curandos mittebant, quod & virgo Deipara & B. Genouefa ad sanitatem restituendam infirmis adhibuisse leguntur, quemadmodum S. Thomas, Richardus & alij referunt. Beda quoque scribens in Marc. 6. significat energumenis perinde vt ægrotis, adhiberi solitam benedicti olei vnctionem, cuiusque rei exemplum commemorat cómentans in Luc. 8. Quæ omnia non sacramenti sed ceremoniæ tantùm rationem habuerunt, magisque comparanda sunt cum vnctione de qua Marci 6. quam cum hoc sacramento.

Verùm potest & aliter ad Innocentij verba responderi, idque non minùs probabiliter: vt sensus eorum sit, licitum esse quibuslibet Christianis hoc oleo vti, sic vt eo vngi possint, neque propriam esse hanc vnctionem sacerdotibus, quemadmodum in veteri lege soli sacerdotes, reges & prophetæ inungebantur, imò & in noua sunt vnctiones quædā sacerdotibus propriæ. Notandum enim quod dicit Innocentius, sacerdotibus, non presbyteris, cùm postea de ministro loquens presbyteros nominet: sed & ipse contextus verborum apud Innocentium satis hunc sensum indicat. Iuxta hunc igitur sensum, illud inungendo, passiuè accipiendum est, non actiuè. Neque enim ait, inungendo eos sed absolutè & nullo casu addito, inungendo; nimirum ad significandam inunctionem passiuam. Quod etiam à poëta dictum est: *Vritq́ videndo fœmina*, id est, dum videtur: *Cantando rumpitur anguis*: id est, dum incantatur.

Cæterùm in eo quod profertur ex lib. de rectitudine Catholicæ conuersationis mendosè Waldensis legit actiuè, vngat, cùm emendatiores codices habeant, vngatur, idque etiam loco Iacobi, quem author ille citat, magis sit consentaneum.

A Aliud argumentum pro hæreticorum interpretatione accipi potest ex verbis Bedæ scribentis in Iacobum, vbi monet infirmum vt seniorum se adiutorio curare meminerit, neq; ad iuniores minusque doctos causam suæ imbecillitatis referat. Vnde videtur presbyterorum nomine seniores ætate intelligere. Sed iam alibi diximus Bedam ijs verbis moralem prosequi expositionem, iuxta quam conueniebat presbyteros secundùm ætatem accipi. Quod enim ad literam presbyteros intelligat, secundùm dignitatem ecclesiasticam; subsequentia
B verba manifestè declarant.

§. 13. *Quibus conferendum sit hoc sacramentum.*

EX apostoli Iacobi sententia minimè obscurum est, quibus hoc sacramentum sit impertiendum. ait enim: *Infirmatur quis in vobis?* & rursum: *Oratio fidei saluabit infirmum.* Deinde & ipsa materia oleum *S. Thom. suppl. q. 32. ar. 1. 2. 3. 4.*
C infirmorum patribus appellatur. Solis igitur infirmis seu ægrotantibus administrandum est, non tamen quibuscunque, sed ijs dumtaxat de quorum morte meritò timetur, vt habet decretum Florentinum.

De eadem re ita statuit Tridentina synodus ca. 3. doct. *Hanc vnctionem infirmis adhibendam esse, illis verò præsertim qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur. Vnde & sacramentum exeuntium nuncupatur.* Quibus verbis non vult synodus omnibus infirmis hanc vnctionem adhiberi posse, sed periculosè ægrotantibus; præsertim tamen ijs
D qui iam in exitu videantur constituti. Neque modò duorum conciliorum definitione, ac præterea vniuersalis ecclesiæ obseruatione hęc doctrina confirmatur, sed & ex Iacobi verbis satis intelligi potest, apud quem in Græco diuersæ sunt voces priori & posteriori loco. Vnde quamuis prior locus generatim quamcunque infirmitatem significet, ea tamen quæ in posteriori loco ponitur Κάμνοντα, ad morbum refertur grauiter & periculosè laborantem, ac morbo iam penè succumbentem designat. Itaque prioris vocabuli significatum per posterius restringere oportet. Idem postulat effectus seu fi-
E nis huius sacramenti primarius, qui est ægrotantem proximè præparare ad felicem statum vitæ futuræ. Vnde & post viaticum corporis Domini perpetuo more ecclesiæ confertur tanquam sacramentum omnium extremum. Postulat id quoque secundarius effectus. Non enim conuenit vt in quacunque leui infirmitate quæ facilè videatur naturalibus & consuetis remedijs posse curari, ad remedium supernaturale, cuiusmodi est hoc sacramentum recurratur, sed status ille morbi exspectandus est, in quo ita periclitatur ægrotus, vt ab humana medicina nihil aut parum sit spei, ac proinde opportunè à sacramento diuinitus instituto medicina petatur.

F Patet ex his non esse administrandum hoc sacramentum ijs qui cum sano sint corpore, vel probabile vel certum vitæ periculum adeunt, vt qui mare transmissuri sunt, aut prælium commissuri, aut etiam ij qui capitis condemnati, ad certum mortis supplicium ducuntur. Quamuis enim istiusmodi omnes egeant præparatione ad mortem; non tamen pro illis sed pro solis ægrotantibus institutum esse hoc sacramentum ex Iacobo constat.

Ratio autem eius reddi potest, tum quia in illis infirmitas mentis non significatur infirmitate corporis, cùm exhibeatur hoc sacramentum tanquam medicina vtriusque, ita vt animæ curatio per curationem corporis significetur; tum quia institutio respicit id quod ordinarium est, nempe homines de morte periclitantes esse infirmos non sanos.

Porrò neque infantibus aut omnino pueris ratione nondũ vtẽtibus etsi grauiter ægrotent, administrandũ est, eò quòd neq; introducere sine accersere possunt presbyterum, id est, sacramentum ab ecclesia petare. Neque peccatis actualibus obnoxij sunt, ne leuioribus quidem, quorum remissio continetur in principali effectu huius sacramenti. Quocirca nec forma sacramenti, quæ solam exprimit delictorum remissionem, eis poterit accommodari. Itaque non priùs hoc sacramentum pueris conferre licebit, quàm ratione vti ceperint, & iuxta consuetudinem ecclesiæ viaticum accipere possint. Quòd si sanis, aut leniter ægrotantibus, aut pueris nondũ vtentibus ratione tẽtauerit quis hoc sacramentum conferre, non modò paccabit grauiter contra huius sacramenti institutionem, verùm etiam nullum erit sacramentum; scilicet ob defectũ naccessarij subiecti seu suscipientis.

Iam quòd ad amentas & arrepticios seu aergumenos attinet, ijs grani morbo laborantibus, si dum sana mente essent, signa sinceræ ad Deum cõoersionis ostenderint, sicut reconciliatio ecclesiastica neganda non est, ita vnctio extrema non videtur recusanda, maximè si sacramentum antè patiuerint. Neqna enim præsans actnalis deuotio ad suscipiendum vtiliter sacramentum necessaria est, vt ex ijs quæ de baptismo & absolutiona dicta sunt, satis potest intelligi. Quod & vsus ecclesiæ in hoc sacramento declarat, dum illud sæpe ijs administrat, qui iam præ magnitudine morbi mantia vsu sunt destituti. An antem quod da energumenis inungendis dicimus, sufficienter probetur ex verbis Bedæ scribentis in Marci 6. vbi energomenos alijs ęgrotis annumerat, qui oleo pontificali benedictione consecrato ea more ecclesiæ vnguntur, non apparet, cùm energumenorum vnctio videatur fuisse alterius generis; videlicat eò spectans, vt obsessus à dæmone liberaretur, non antem vt à morbo corporis periculoso curaretur. Id quod ex alio eiusdem authoris loco probatur, nempe commentario in Luc. 8.

Postremò notandum est, vt periculosam infirmitatem esse oportet, in qua sacra hæc vnctio adhibenda sit; ita modis omnibus damnandam esse quorundam consuetudinem, qui tum damnm presbyterum accersunt, cùm iam animam agit ægrotus, siue vt Caluini verbis id Catholicis exprobrantis vtar, cum iam anima in primoribus labris laborat. Constat enim, vt in catechismo parochorũ rectè annotatũ est, ad vberiorem sacramenti gratiã percipiendam, plurimum valere si ægrotus, cum in eo adhuc integra mens & ratio viget, motumque fidei præsentem & religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo perungatur.

Si verò quęrat aliquis, quã præparationẽ in suscipiente hoc sacramentũ requirat; respõdet imprimis Innocentius 1. ad Decentiũ scribens non pœnitentibus istud oleum fundi nõ posse, quia genus est sacramenti: sed hoc cùm sit omnibus sacramentis cõmune; nempe vt impœnitentibus conferri non debeant, istud præterea, sicut & alia plæraque præuiã reconciliationem, quatenus à gratia quis excidarit, requirit. Cùm enim conferatur per modum lauationis spiritualis, præsupponit vitam spiritualem, quæ per reconciliationis sacramentum pœnitenti restituitur. Hanc rationem confirmat ecclesiæ perpetua consuetudo, quæ non nisi reconciliatos & prætetea viatico corporis Domini præmunitos, si tamen illud infirmo commodè ministrari potest; huius sacræ vnctionis participes facit. Est enim vltimo loco exhibendum tanquam migrantium sacramentum.

§. 14. *Quo ritu sit administrandum hoc sacramentum.*

QVantum ad ritum seu vnctionis modum huius sacramenti attinet, non omnia corporis membra vngenda sunt, sed certa quædam quę hoc ordina à Florentinis patribus enumerantur in decreto Armenis dato. *Vngendus est*, inquiunt, *infirmus in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* S. Thom. suppl. q. 32. art. 5. & 7.

Hic ritus ex apostolica traditiona acceptos, si sacramenti huius finem attendamus, conuenientissimus esse deprehenditor. Exhiberot enim hoc sacramentom tanquam medicina quædam spiritualis. Sicut ergo corporalia ramedia non toti corpori admouentur, sed ijs tantùm membris in quibus est morbi radis & caosa; ita hæc medicatio spiritualis in ijs tantùm fit membris, in quibus potissimùm peccandi causæ existunt. Atqui peccatum omne malè apperendo committitor. Appetitus autem omnis ex sensu ducit originem. Ob hanc igitur causam sensuum omnium instrumenta vnguntur, saltem locis propinquis. Nam quod ad tactum attinet, licèt is toto sit corpore diffusus; familiaria tamen & præcipua tangendi instrumanta sunt manus. In renibus autem seu lumbis vnctio fit vel propter appetitum in genere, vel vt alijs placet, propter libidinis motum, cuius in ea parte principium est, vt & Gregorius testatur in homilia 13. super euang. Denique & pedes vnguntur tanquam instrumenta asequandi peccatum. Nam pedibus se promouet homo ad consequendum id quod sensibus perceptum, malè concupiuit. Sciendum tamen pedum & lumborum vnctionem non omnium ecclesiarom consuetudine frequentari, quasum etiam plures sunt quæ lumborum vnctionem prætermittunt. Cùm enim omnis peccati origo sit ex sensu, sufficit ad sacramenti integritatem, sensuum instrumenta perungi. In reliquis suus cuique ecclesiæ mos seruandus est.

§. 15. *Circa ritum huius sacramenti tres quæstiones soluuntur.*

HIc primò quæri potest, quare cordis locus, id est, pectus non vngatur, cùm in corde potissima sit peccati radix, iuxta illud Saluatoris Mat. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria,* S. Thom. locis proxime allegatis.

&c.

&c. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Ad quod respondetur cor pro voluntate accipi eo loco scripturæ, sicut & alijs pene innumeris: Atqui ex voluntate non prodeunt cogitationes malæ, nisi mota fuerit ab imaginatione, quæ sumitur à sensu; & proinde cor, id est, voluntas, licèt potissima, non tamen prima in nobis est causa peccandi.

Secundò quæritur, quænam vnctiones ad essentiam huius sacramenti requirantur; sic nimirum, vt sine ijs irritum sit sacramentum. Respondent quidam, ad essentiam requiri & sufficere vnctionem quinque sensuum. Sed his obijcitur quorundam locorum consuetudo, quæ habet, vt si ægrotus videatur ante peractam totam vnctionem exspiraturus, aut si laboret morbo contagioso; solum pectus inungatur. Quamquam nec ipsa sensuum instrumenta reuera vnguntur, iuxta vniuersalem ecclesiæ consuetudinem, sed tantùm partes vicinæ; vt patet. Nec dubitandum est, quin verum suscipiat sacramentum, qui vno vel pluribus sensuum instrumentis prorsus sit orbatus. Adde quòd si quis ægrotus post vnctionem oculis adhibitam statim exspiraret, cæteris vnctionibus non adhibitis; non videtur negandum, quin verum etsi imperfectum percepisset sacramentum. Ex quibus apparet non improbabiliter dici posse, quod etsi ad integritatem huius sacramenti requirantur quinque sensuum consuetæ vnctiones, non tamen ad essentiam. Ad quam fortasse sufficit, vt corpus quacunque parte vngatur, his generalibus vtendo verbis: *Per istam vnctionem, &c. indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti*; sicut & in baptismo sufficit quamcunque partem corporis aqua tingi. Nam nec in Florentino decreto præcipitur absolutè omnes eas partes quæ ibi nominantur, vngendas esse. Alioquin enim pedum & lumborum vnctiones prætermitti non possent: Et Tridentina synodus membrorum in quibus vnctio fieri debeat, nullam facit mentionem. Vnde colligitur illud de certis partibus vngendis, relictum esse consuetudini ecclesiarum: ita tamen vt sensuum instrumenta, nisi propter necessitatem aliquã, omitti non debeant.

Tertia quæstio est, quomodo hoc sacramentum sit vnum & non plura, cùm & in pluribus membris plures atque distinctæ vnctiones adhibeantur; ita vt in vniuersum 12. vnctiones numerentur à Scoto: & forma ipsa ad singulas, vel saltem binas vnctiones repetatur mutato tantùm nomine sensus aut sensorij.

Ad quod breuiter respondetur, omnes illas vnctiones cum repetitione verborũ ad singula membra, tanquam partes integrales constituere vnum totum atque integrum sacramentum: non quòd gratiam sancti spiritus ex hoc sacramento tum demum percipiat ęgrotus, cùm vltima vnctio perfecta fuerit, vt est quorundam opinio: sed quòd perinde atque eucharistiæ sacramentũ ex pluribus constet partibus, quarum singulæ statim suum habeant effectum: ita tamẽ vt in postrema vnctione facta tandem integrum & perfectum censeatur sacramentũ, sicut perfectũ est eucharistiæ sacramentum facta consecratione calicis. Itaque si ægrotus vnctis oculis statim exspiret, sacramentum accepit, sed imperfectum; & proinde quando accedunt aliæ vnctiones non multiplicatur sacramentum, sed idem sacramentum additis suis partibus augetur & perficitur.

§. 15. *Vtrùm sacramentum hoc sit necessarium.*

SAcramentum hoc extremę vnctionis, non est ad salutem necessarium; tum quia effectus eius necessarius non est ad hoc, vt quis amicus Dei constituatur; quin potius amicitiam & coniunctionẽ cum Deo præsupponit: tum quia effectus etiam aliunde comparari potest. Quamuis enim in huius sacramenti effectu plura concurrant; id tamen quòd velut præcipuum in ipsa forma solum exprimitur; nẽpe venialium peccatorum remissionem multis alijs modis consequi licet, vel in hoc sæculo, vel etiam in futuro. Quod nisi esset; nõ satis eorum saluti, qui sani ad mortem ducuntur, consultum foret; vt qui huius sacramenti participes esse nequeunt. Similiter autem iudicandum de cæteris effectibus, quos satis constat extra sacramentum sępe percipi. (S. Thom. suppl. q. 32.)

Porrò idem probatur ex Innocentio I. qui in epistola ad Decentium vtitur his verbis: Fideles ægroti sancto oleo perũgi possunt. Et iterum; Eo omnibus Christianis vti licet. Quæ non sunt verba necessitatẽ vel sacramẽti vel etiã præcepti indicantis, sed potiùs excludentis. Illud interim verũ & certum est, hoc sacramentum, neque negligi sine culpa, neque contemni sine mortali peccato posse; vt expressum habemus in bulla Martini 5. edita Constantiæ, & repetitum in Tridentino concilio; quãquam hoc quod de contemptu dicitur, omnibus sacramentis & institutis ecclesiasticis commune est.

Si obijcias præceptum Iacobi apostoli; respondeo quorundam sententia apostolum non percipere, sed hortari. Si tamen præcepti vim habere apostoli verba quis contendat; eius præcepti omissio, venialis culpa erit, non mortalis; nisi accedat contemptus, vel certè tanta negligentia, vt pro contemptu meritò reputetur.

§. 16. *Quatenus repeti possit hoc sacramentum.*

CVm hoc sacramentum characterem non imprimat, nullumq; effectũ habeat perpetuum, nihil prohibet ipsum repeti posse, quoties videlicet ægrotum post recuperatam sanitatem in morbum relabi contigerit, etiamsi breue temporis spacium intercesserit. Atq; ita definit sess. 14. conc. Trid. Est etiam id rationi consentaneum, Nam recurrentibus morbis remedia quoq; iterari conuenit. Idq; probatur efficaciter ex scriptura: *Infirmatur quis in vobis*, id est, quandocunque contingit aliquem grauiter infirmari; ergo etiam morbo recurrente. At verò in vna eademq; ægrotatione, cum æger in eodem vitæ periculo positus est, semel tantùm adhibendum est. Cuius ratio est, quia confertur hoc sacramentum per modum medicinæ sufficientis ad curationem morbi. Talis autem in eadem infirmitate non iteratur. Quod si perseueret quidem infirmitas, sed aliquamdiu periculum cesset; repeti potest hæc vnctio, si postmodum vis morbi recrudescat. Etsi enim infirmitas eadem est; non est tamen idem infirmitatis status, quem huius sacramenti exhibitio requirit. (S. Thom. suppl. q. 33. tota.)

IN DISTINCTIONEM VIGESIMAMQVARTAM.

De sacramento ordinis.

§. 1. *Ordinem esse nouæ legis sacramentum, deq; eius effectu in genere.*

S. Thom. suppl. q. 34 ar. 1. & q. 35. ar. 1.

POst eorum sacramentorum tractationem, quæ pro singulorum salute sunt instituta; nunc de ijs agendum quæ publici boni causa Christiano populo tradita sunt. Ea duo sunt; ordo, & matrimonium. Prius autem de ordine dicendum tanquam de digniori, eò quòd ordo ad spiritualem fidelium multiplicationem & gubernationem necessarius sit; matrimonium verò destinetur ad propagationem carnalem.

C Primùm igitur quod ad noméclaturam attinet, vocatur hoc sacramentum ordo, quia etsi ordinis nomen latissimæ sit significationis; rectè tamen per antonomasiá certis ecclesiasticis gradibus, qui sub hoc sacramento continentur, est attributum; quia per eos pulcherrimo ordine disposita cõsistit ecclesiastica hierarchia. Interdũ verò distinctionis causa, vocatur ordo sacer vel ordinatio sacra. Interdũ etiam apud veteres à ceremonia ordinantis, appellatur manuum impositio, nomine ex scriptura desumpto, vt infrà patebit. Aptissimè verò definiri potest ad hunc modum: Ordo sacramentum est nouæ legis à Christo institutum, quo potestas spiritualis traditur, & gratia confertur ordinatis ad obeunda ministeria ecclesiastica. D Esse autem in ecclesia huiusmodi sacramentum à Christo institutum, & scripturæ testimonio, & apostolica traditione, & patrum vnanimi consensu comprobatur.

Scriptura quidem huic sacramento testimonium præbet ijs locis, vbi docet apostolos in ecclesiæ ministris instituendis atque ordinandis vsos fuisse manuum impositione; nimirum tanquam externo signo quo spiritualis effectus internus significaretur, vt Actor. 6. vbi per manus impositionem ordinauerunt septem diaconos, & Actorum 13. vbi Saulus & Barnabas per impositionem manuum delegati sunt ad opus euangelij; E tametsi de hoc posteriore loco dubitari potest, an ibi collatum fuerit sacramentum. Cæterùm quoniam in supradicta definitione, duo nominati sunt generales effectus huius sacramenti; nempe potestas & gratia: illa gratis data, hæc gratum faciens: quo plenior simul & clarior sit institutionis huius sacramenti probatio, vtrumque hunc effectum sacra ordinatione conferri docebimus. F Potestatem spiritualem contulit Dominus discipulis suis, quando corporis & sanguinis sui sacramentum & sacrificium instituens dixit ad eos: *Hoc facite in meam commemorationem* 1. Corinth. 11. Illis enim verbis, vt rectè Synodus Tridentina docet, Christus apostolos suos instituit sacerdotes. Et rursum quando post resurrectionem insufflauit in eos dicens: *Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis, &c.* Neque enim hæc ita ad apostolos dicta sunt, vt non etiam ad eorum successores pertinerent; cùm

A in apostolis toti suæ ecclesiæ per eos fundandæ atque ædificandæ Christus prospectum esse voluerit de ministris atque eorum legitima institutione. Quod autem etiam gratia conferatur in hoc sacramento, quæ hominem Deo commendet, testatur apostolus Paulus ad Timotheum à se ordinatum scribens 1. epist. cap. 4. *Noli*, inquit, *negligere gratiã quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.* Et rursus ad eundem 2. ep. 1. *Admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Quæ gratia cuiusmodi sit, verbis sequentibus indicat cùm ait: B *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris*; siue quod Græca vox magis significat, timiditatis, *sed virtutis*, id est roboris & potentiæ, vt ex Græco patet; *& dilectionis & sobrietatis.* Hæc enim verba ad gratiam in ordinatione collatam pertinere, intellexerunt patres Trid. conc. qui ea ad huius rei cõfirmationem protulerunt c. 3. doctrinę de hoc sacramẽto traditę. Ad huiusmodi gratiam & illud referendũ est quod ait Dominus: *accipite spiritumsanctum*; cùm enim potestatem daret sacri muneris exequendi, etiam gratiá addere voluit, per quam illa functio sacra rite & sanctè administraretur. C Ea gratia cum ad sanctificationem hominis pertineat, data intelligitur in eo, quod discipulis dictum est, *Accipite spiritumsanctum.* Est enim spiritussanctus omnis sanctificationis author.

Porrò inter veteres apertissimè de hoc sacramẽto scripsit Aug pluribus locis. Vnus locus est lib. 2. contra ep. Parm. c. 13. vbi sacramentũ ordinationis cum sacramẽto baptismi ita cõparat, vt dicat vtrũque & sacramentũ esse, & quadam consecratione homini dari, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque neutrum repetendum esse, ne sacramento fiat iniuria: & rursus eodem cap. quin vtrũ- D que sacramentum sit, à nemine dicit dubitari. Vnde intelligimus quam temerè atq; improbè nunc tandem in dubium reuocetur à sectarijs, de quo Augustini tempore nemo putauit esse dubitandum.

Alter locus est lib. de baptismo contra Donat. c. 1. quo rursum ita comparat ordinẽ cum baptismo, vt vtrumq; sacramentũ dicat, quod nec amitti possit, nec iterari debeat; alterum quidem sacramentũ baptismi; alterum verò sacramentũ dandi baptismi. Vocat autem ordinationem dandi baptismi sacramentum, nõ quia solus ordinatus efficaciter queat baptizare, sed quia solus sit ordinarius & legiti- E mus baptismi minister; quippe qui in ordinatione ius dandi baptismi acceperit; quemadmodũ id contra epist. Parm. loco supracitato ipse Aug. explicat.

Tertius locus est lib. de bono coniugali c. 24. vbi asserit in omnibus ordinatis manere sacramentum ordinationis, etiamsi vel plebem non regant, vel ob culpam ab officio remoti fuerint.

Exstat itẽ inter Augustini opera liber q. vet. & noui test. cuius authorẽ licet Augustinum nõ esse satis cõstet; peruetustũ tamẽ esse, & Augustini & Hieronymi tẽpora antecessisse, colligi potest ex q. 44. Vn- F de ad cognoscendam veteris ecclesiæ de hoc sacramento sententiam, non parũ ponderis habet huius authoris testimonium. Is q. 93. tractans ea verba, *Accipite spiritum sanctũ*, manifestè testatur ijs verbis non modo ius ecclesiasticũ tribui, verũ etiã gratiam ordinatis infundi: Quod, inquit, insufflasse in discipulos Dominus legitur & dixisse, *Accipite spiritũsanctum*, ecclesiastica potestas collata intelligitur esse. Quia enim omnia in traditione dominica per spiritum sanctũ aguntur, idcirco cum regula eis & forma traditur huius disciplinæ, dicitur eis, *Accipite spi-*

ritum-

ritumsanctum. Et quia verè ad ius ecclesiasticum pertinet, statim sibiecit dicens: *Cuius tenueritis peccata, tenebuntur: & cuius remiseritis, remittentur eis*. Inspiratio ergo hæc gratia quędam est, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Vnde apostolus dicit ad Timotheum: *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterij*. Semel ergo fieri oportuit, vt de cætero traditio ista non sine dono spiritussancti esse crederetur. Sicut enim in saluatore forma data est visibiliter, vt post baptismum spiritussanctus credentibus de cætero inuisibiliter dari non ambigeretur; ita & in supradicta causa forma data est in principio, vt ex ea traditioni ecclesiasticæ spiritussanctus infusus credatur. Hæc ille, & plura quæ sequuntur.

Eundem scripturæ locum Ioan. 20. explicans Cyrillus libro 12. in Ioan. capite 56. significat verbis illis: *Accipite spiritumsanctum*, gratiam apostolis à Christo collatam qua sanctificarentur; sicut verbis sequentibus, *Quorum remiseritis, &c.* datam multiplicem potestatem remittendi & retinendi peccata.

Haymo quoque eadem Christi verba tractans homilia in octaua paschę: Reuera, inquit, magna gratia apostolis data est, vt non solùm per spiritumsanctum à proprijs peccatis absoluerentur, sed etiam in alienis peccatis dimittendis potestatem acciperent. Quorum locum & ordinem episcopi & sacerdotes nunc in ecclesia retinent, qui ligandi &c. Huiusmodi autem veterum testimonia bene notanda sunt, etiam contra eos, qui verbis illis: *Accipite spiritumsanctum*, tantum gratiam gratis datam, quam vocant, id est, potestatem sacri ministerij; non item gratiam gratificantem putant esse collatam. Quamquam & ipsa Christi verba ita nudè & absolutè prolata, satis indicant quo sensu accipienda sint. Quoties enim absolutè dari dicitur spiritussanctus, non addito certo effectu ad quem detur, dari intelligitur ad sanctificationem.

Pertinet eodē quod dicit Augustinus vlt. cap. lib. 2. de adult. coniugijs, multos qui nunquā ante statuerant seruare continentiam, dum inuiti ad ecclesiasticam dignitatem raperentur, repente à Domino vires impetrasse ad susceptū officium castè custodiendum; nimirum Domino in ipsa ordinatione gratiam largiente ad debitam & sanctam tanti muneris executionem, quod cum tanta humilitate susceperant.

Planè confirmat hanc doctrinam Leo 1. ep. 81. ad Dioscorum cap. 1. vbi præscribens modum & tempus conferendi ac suscipiendi ordinationis, seu vt ipse vocat, benedictionis sacramentum; in traditionem apostolicam, imò in ipsam scripturam refert eum ecclesiæ morem. Ita enim subijcit: Nam præter authoritatem consuetudinis, quam ex apostolica nouimus venire doctrinā, etiam sacrascriptura manifestat: quòd cum apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto spiritussancti ad euangeliū gētibus mitterent prædicandum, ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus; vt intelligamus quanta & dantium & accipientium deuotione curandum sit, ne tantæ benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. Hæc Leo, volens singulari ordinantium & ordinatorum, atque adeo ipsius plebis abstinentia ac deuotione, gratiam spiritussancti in huius sacramenti collatione expectandam esse.

Eiusdem porrò doctrinæ graues atque illustres testes adduci possunt. Hieronymus libro contra Vigilantium, vbi dicit episcopum diaconos ordinantem Christi sacramenta tribuere. Ambrosius in epistola quam scripsit ad ecclesiam Vercellensem. Gregorius in 1. Reg. 10. & Beda libro tertio de tabernaculo capite vndecimo. Item commentator Paulinus Ambrosij titulo (quem planè vetustum esse constat, vtpote Damasi pontificis ætate scriptum) in 12. cap. epistolæ primæ ad Corinth. & 1. Timoth. 4. Atque his omnibus vetustiores Origenes in cap. 10. lib. 1. Reg. Tertullianus de præscript. hæret. Dionysius Areopagita de eccles. hierar. cap. 5. parte prima. Ignatius in epistola ad Antiochenos, & Anacletus in 2. epistola decretali. Extat etiam inter epistolas Hieronymi tractatus quidam peruetustus de septem gradibus ecclesiæ, vbi singulorum ordinum munia author ille latè prosequitur. Præter hæc autem non dubium huius rei argumentum sumitur ex scriptura veteris testamenti, vbi per regalis vnctionis sacramentum, legimus primum Sauli immutatum fuisse cor aliud 1. Reg. 10. postea verò spiritum Domini directum fuisse in Danidem 1. Reg. 16. Idem de consecratione sacerdotum illius temporis sentiendum est; quemadmodum apertè docet Augustinus quæstione 84. in Leuiticum, videlicet in consecratione sacerdotum Leuiticorum, per ministerium Moysi collatam fuisse sanctificationis gratiam inuisibilem; iuxta illud quod Dominus ad Moysen ait Exod. 28. *Sanctificabis illos, vt sacerdotio fungantur mihi*. Sed & de Iosue disertè testatur scriptura fuisse eum repletum spiritu sapientiæ, quia Moyses posuerat super eum manus suas Deut. vltimo. Quum igitur nouæ legis sacramenta, veteribus illis virtute sint efficaciora; multò magis credendum est aliquid tale fieri in ordinatione sacerdotum aliorumque ministrorum nouæ legis; ipsamque proinde eorum ordinationem certo ritu, de quo infrà dicetur, factam, verè & propriè esse sacramentum. De qua re ne deinceps relinqueretur ambigendi locus, duo œcumenica concilia Florentinum & Tridentinum definierunt ordinem sacrum vnum esse è septem sacramentis nouæ legis. Florentinum enim cùm ordinem inter sacramenta sextò loco numerasset; adiecit effectum eius esse augmentū gratiæ, vt quis sit idoneus minister. Idque rectissimè. Nam ij sacris ordinibus initiandi sunt iuxta canonum præscripta, quos antistites iam ante vtcumque idoneos nouerit; qui tamen eius gratiæ quam habebant, augmentum in ipsa ordinatione per spiritumsanctum accipiunt. Vnde & author quæst. vet. & noui testamēti loco supracitato, gratiā dicit infundi ordinatis, per quā cōmendatiores habeantur: & Magister in textu docet ampliorem gratiam ordinatos in sua promotione percipere. Tridentinum verò sess. 23. Primùm definit ordinem seu sacram ordinationem, esse verè & propriè sacramentum à Christo Domino institutum ca. 3. & can. 3. deinde per eam dari spiritumsanctum can. 4. ac postremò, vt huius sacramenti vsus intelligatur, esse in ecclesia Catholica hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris & ministris, can. 6. Atq; his contraria docentes anathemate percellit.

Sufficiunt autem hæc quæ dicta sunt, ad probandum esse in genere aliquod in noua lege sacramentum ordinis, per quod solum velut ostium intrant legitimi dispensatores mysteriorum Dei; & in quo præter ministerij potestatem, etiam gratiam percipiunt, vt iam sacrum tamque necessarium ministerium salubriter exequantur.

Cæterùm pleniorem eiusdem rei probationem ex ijs quæ sigillatim circa vnumquemque ordinem, maximeque sacerdotij dicenda erunt, accipere licebit.

§. 2. *Quæ sit in hoc sacramento materia & forma.*

S. Thom. suppl. q. 34. ar. 4 & 5.

EX doctrina concilij Florentini discimus huius sacramenti materiam id esse per cuius traditionem in manus eius qui ordinatur, vnusquisque ordo confertur. Quid autem illud sit, postea per singulos ordines erit explicandum. Veruntamē tale esse debet per quod significetur proprium cuiusque ordinis ministerium.

Quatenus autem necessarius sit contactus rei ab episcopo traditæ, disputatur à Scholasticis. Probabile est eum ad essentiam sacramenti non requiri: quandoquidem neque in decreto Flor. neque in pontificali Rom. ponitur tanquam necessarius; tametsi debet is qui ordinatur, manum porrigere ad contingendum id quod traditur: non quasi sine contactu non accepturus sacramentum, sed vt rite ordinationis ceremonia perficiatur.

Porrò formæ quoque in singulis ordinibus diuersæ sunt, exprimentes sigillatim potestatem ministerij sacri, quæ in vnoquoque ordine confertur. Quæ autem sic ad singulas ordinationes præscripta verborum forma, planè ac distinctè ex pontificali Romano exponit catechismus ad parochos scriptus, ad quem studiosos remittimus. Nam in decreto Florent. vnius sacerdotij formam expressam habemus.

Cur autem veteres ecclesiæ patres de rebus ac verbis quibus ordinatio sacra peragitur, parcius in scriptis suis fecerint locum; nihil mirum, si cogitemus quanta sollicitudine cauerint, ne tam sancta religionis nostræ mysteria in profani vulgi præsertim infidelium notitiam, & per hoc in contemptum venirent. Quod facilè futurum erat, si ea passim literis vt cætera commendassent. Ideoque ferè sola voce præfecti ecclesiarum alij alijs ea commiserunt, vt de plærisque ministerijs testatur post Dionysium lib. ecclesf. hierarch ca. vlt. Basilius lib. de spiritusancto cap. 27. Vnde Innocentius primus in epistola ad Decentium, cùm de duobus sacramentis ad eum perscriberet, consignationis & extremæ vnctionis, de priori addidit: *Verba dicere non possum, ne prodere videar.* De posteriori verò: Quę scribi fas non erat, etiam interrogati dicemus; videlicet vtrobique significans arcana verba sacramentorum scripto non esse facilè committenda. Qua de re nonnulla quoque diximus cum de sacramentorum formis in genere ageremus. Quamquam quod ad huius sacramenti materiam attinet, eius ecclesiastici ritus quo aliquid traditur ab antistite in manus eius qui ordinatur, significationem præbet author quæstionum loco suprà dicto, cùm dicit in traditione dominica omnia agi per spiritumsanctum, perque traditionem gratiam infundi ordinatis; nimirum traditionis nomine ipsam ordinationem intelligens, propterea quod per singulos ordines aliquid traditur ordinatis.

§. 3. *Quot sint ordines, & quò tandem referendi.*

S. Thom. suppl. q. 37 a. 1. 2. 3. & 4.

CVm duplex sit potestas ecclesiastica; ordinis & iurisdictionis; potestas ordinis ad verum Christi corpus refertur, quod in sacrosancta eucharistia continetur. Potestas autem iurisdictionis occupatur circa corpus Christi mysticum, quod est ecclesia. Ad hanc enim potestatem pertinet Christianum populum ita gubernare, vt ad æternam salutem perducatur.

At verò quod ad ordinis potestatem attinet, primarium ac perfectissimum eius munus est, offerre sacrificium corporis & sanguinis Domini: Quod quidem est ordinis sacerdotalis; qui proinde inter omnes ordines primus & summus est.

Sed cùm prorsus diuina res sit tam sancti sacerdotij ministerium (vt verbis vtar synodi Trident. sess 23. ca. 2.) consentaneum fuit quo dignius & maiori cum veneratione exerceri posset, vt in ecclesiæ ordinatissima dispositione plures essent & diuersi ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deseruirent, & per quos velut gradus quosdam in sacerdotium tenderetur (vt est cap. 2.) ita distributi, vt qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent. Proinde visum est spiritusancto septemplicis gratiæ largitori, omnes ordines septenario numero concludere: quorum hæc sunt nomina: Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, presbyter. Ex his tres postremi maiores & peculiari ratione sacri dicuntur: reliqui minores; tametsi & hos generali ratione sacros esse non sit dubitandum.

Neq; modò presbyterium & diaconatū, quorum sacræ literæ meminerunt; sed & reliquorū ordinū nomina atq; ministeria iam inde ab initio ecclesiæ in vsu fuisse, tū decreta pontificum & canones conciliorum, tum historiæ ecclesiasticæ aliaque patrum scripta manifestè ostendunt.

Ex quibus aliquot loca subnotabimus.

Meminerunt imprimis huius varietatis ordinū canones apostolici plæriq;, sed præcipuè 2. 9. 17. 18. 15. 26. 27. 50. 62. & 68. Item Clemens in ep 3. ad Iacobū. Dion. ecclesf. hier. c. 5. & in ep. ad Demophilū. Ignatius in ep. ad Antioch. Anacletus ep. 3. Sed apertissimè Caius pont. & mart. qui (Damaso in pōtificali referente) & ordines ipsos omnes ordine enumerat, & vt nō nisi per eos gradatim ad presbyterij & episcopatus honorem ascenderetur, præcipit. Quod præceptum post eum repetit Sozimus papa in ep ad Hesychiū. Idipsum autē diligēter obseruatum fuisse in Cornelio papa, cum laude refert Cyprianus ep. 2. l. 4. Similiter & in Amb. tametsi repente ad episcopatum vocato, fuit id obseruatum; quemadmodum in eius vita legitur.

Rursum gradus ecclesiasticos ordine recensent additis singulorum officijs conc. Carthaginense 4. cui interfuit Augustinus. Epiphanius in fine operis contra hæreses, Author epistolæ de septem gradibus ecclesiæ apud Hieronymum, & Isidorus tum in epistola ad Ludifredum, & habetur distinctione 25. capit. perlectis; tum libro 2. de officijs ecclesiasticis capite septimo & sequentibus.

Ecclesia quoque more antiquissimo in die

parasceues orat pro omnibus ijs nominatim & ordine suo recensitis.

His adde concilij Laodiceni canones, Eusebium lib. 6. eccles. hist. c. 33 & canones aliquot à Gratiano collectos dist. 60. & 61.

Verùm autem omnes hi ordines fuerint à Christo instituti, & propriè sint sacramenta; inferius suo loco disputabitur; quemadmodum & illud: vitium præter hos septem sit etiam agnoscendus ordo episcopalis tanquam verum sacramentum.

Sciendū interim quòd authores supradicti iam nō omnes cōueniūt nec in numero nec in re numerata. Alij enim plures, alij pauciores recensent: alij quoque nonnullos alios. Author tract. de 7. gradibus ecclesiæ, primum ordinem facit fossariorum, id est, eorum qui sepeliunt mortuos; & vocat sacramentum, & agnoscit in eo characterem: secundùm ostiariorum, tertium lectorum, quartum subdiaconorum, quintum diaconorum, sextum presbyterorum, septimum episcoporum. Vide & alios apud quos similiter diuersitatem inuenies.

Atque hæc satis videtur ostendere quòd minorum ordinum institutio sit ecclesiastica. Hoc enim arguit illa varietas, cum ipsius Christi institutio maximè quoad sacramenta, per ecclesiam non varient. Sed de hac re infrà propria erit quæstio.

§. 4. Clericorum quis gradus & vnde dictus.

S. Thom. suppl. q. 40. art. 1. & 2. PRiusquam ad ordines quis admittatur, ecclesiastica lege cautum & perpetua consuetudine obseruatum est, vt insigne accipiat tonsuræ clericalis; per quam videlicet in clericorum numerum cooptetur. Hic autem gradus non est ordo, sed præparatio quædam ad ordines accipiendos. Nam, vt ait catechismus parochorū, sicut ad baptismum exorcismis, ad matrimonium sponsalibus homines præparati solent, ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad ordinis sacramentum illis aperitur.

Est quidem opinio quorundam doctorum clericatum seu tonsuram clericalem ordinem esse ac verè sacramentum, quo tonsuratis gratia confeatur ex opere operato. Et ita videri potest ex verbis Innocentij 3. quæ habentur extra de ætate & qualitate præficiendoru u cap. cum contingat: vbi dicit per primam tonsuram iuxta formam ecclesiæ datam, etiam ab abbatibus conferri ordinem clericalem. Quo locò glossator notandum monet quòd abbates possunt conferre ordines. Imò videri idipsum potest ex verbis concilij Tridentini sess. 21. cap. 1. reform. cùm dicit nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam clericalis tonsuræ accipiēdum esse. Verùm quàm sit improbabilis ea opinio, satis ostendit ecclesiæ consensus iam sæpè probatus, quæ septenario numero definit ordines ecclesiasticos, idq; adeo in Florentino & Tridentino œcumenicis concilijs est definitum. Imò manifestè tonsuram ab ordinū numero remouent Tridentini patres ca 2. sess. 23. cùm dicunt ordines sic distriburos esse vt qui iam clericali tonsura insigniti sunt, per minores ordines ad maiores ascendant.

Accedit & duplex ratio: quia neq; instituta est à Christo tonsura, sed ab ecclesia introducta, nusquā enim institutionem illam legimus, nec apud patres quidem: & præterea in eius collatione nulla fit mētio potestatis quæ per eam conferatur, sicut fit in ordinum coll. tione. Vnde & clericus vt talis, nullā habet potestatē sacri ministerij exercēdi in ecclesia, sed tantū obligationē ad quasdā preces & ad vitam clericalem secun lùm canones. Certum est autem in ratione ordinis ecclesiastici, vt hic intelligitur, includi quòd per eum detur potestas spiritualis ad obeundum aliquod ministerium ecclesiasticum. Quod & initio in eius definitione ponebamus.

Ad Innocentium verò facilis est responsio, in eius verbis ordinis nomine generaliter gradū ecclesiasticum significatū esse, ideoq; etiam glossatorem ex ijs verbis perperam collegisse quòd penes abbates sit potestas ordines conferendi.

Porrò clerici vocabulum, etsi tonsura insignitis primùm imponatur; omnibus tamen ordinatis deinceps manet commune, & canones clericis præscripti ad omnes initiatos, etiam presbyteros & episcopos pertinēt. In his enim ratio huius vocabuli vel maximè conspici debet. Dicuntur enim clerici tanquā sorticij ἀπὸ τοῦ κλήρου, id est, à sorte, scilicet ad significandum quod clericus Dominum sortem & hæreditatem habere debeat: sicut de illis dicitur qui olim in Israelitico populo diuino cultui mancipati erant, quibus ait Dominus: *Ego pars & hæreditas vestra* Num. 18. Vnde Hieronymus in epistola ad Nepotianum ita scribit: Clericus qui Christi seruit ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græcè, sors Latinè appellatur; propterea vocantur clerici; vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet; talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum & possideatur à Domino. Hæc ille. Quamuis igitur aliquo modo fidelibus omnibus commune sit Dominum habere partem & hæreditatem suam; attameo sicut Leuitis hoc peculiariter attributum fuit voce Domini, propterea quòd illi ex decimis, primitijs aliisq; oblationibus & sacrificijs Deo factis alerentur: Ideoq; nullam agrorum partem more aliarum tribuum sibi attributam accepissent, vt habemus Nū. 18. Deut. 18. & Ezech. 44 ita qui in clerum assumpti sunt, peculiari ratione Dominum pro hæreditate sortiti dicuntur, non tam propter oblationes fidelium Deo factas, quàm propter ipsum Deum, in quo cæteris Christianis excellentius spem suam collocare & cor suum atque omnem cogitationem defigere debent, sicut præ alijs ad eius ministerium segregati sunt.

Quod si quis contendat clericos ex eo dictos, quòd vices officiorum sortibus olim designari solent, maximè tempore veteris testamenti, vt habemus 1. Paralip. 24. 25. & 26. Vnde & Luc. primo Zacharias sacerdos sorte exijsse dicitur vt incensum poneret: vel certè ex eo, quia diuina dignatione atque electione veluti sorte quadam ad hoc factum ministerium quisque vocatur. Vnde de Iuda ad apostolatum vocato dicitur Act. 1. *Et sortitus est sortem ministerij huius.* Atque in huius rei signum eum qui primus post Domini in cælos ascensionem designatus est euangelij minister, sorte electum fuisse, videlicet Matthiam apostolum. Si cui, inquam huiusmodi ratio magis placuerit; non admodum repugnandum est: dum tamen meminerit ecclesiam attendere rationem quam diximus, quādo iubet eum qui tonsuratur, recitare hunc psalmi versiculum: *Dominus pars hæreditatis meæ &c.* quasi dicat, pars hæreditaria, quæ mihi sorte obtigit,

Dominus est. Hæreditas enim apud Græcos à sorte nomen accepit.

§. 5. *Non esse clericis interdictam bonorum temporalium possessionem.*

S. Thom. suppl. q. 40. ar. 3 vide eundem 2. 2. q. 47. a. 3

EX ijs scripturæ locis, quibus Dominus Leuitas prohibet à possessione accipienda inter filios Israel, ansam erroris sui arripuit Ioannes Wicleff, quo negabat ecclesiasticis licitum esse proprium aliquid possidere. Qui quidem error eius damnatus est in Constantiensi concilio inter alios eiusdem articulos numero 10. 32. & aliquot sequentibus. Aduersus quem errorem breuiter ostendendum etiam initio ecclesiæ ac deinceps semper fuisse in clero Domini qui possessiones haberent.

Primùm ex apostolo ad Timotheum scribente capit. 3. epist. 1. manifestum est quosdam ministrorum ecclesiæ coniugatos fuisse & filios habuisse, quibus sanè illi pro paterno officio prouidere debebant de aliqua hæreditaria portione. Est enim iuris naturæ vt parentes filijs thesaurizent quemadmodum indicat idem apostolus 2. Cor. 12. Vnde & Augustinus in epistola ad Ecdiciam 199. scribit non debuisse parentes se bonis suis nudare, cùm nescirent vtrùm filius grandior factus monachi professionem sectaturus esset. Imò, vt euidentior sit hæc probatio contra Ioannem Wicleff, permittunt hæretici coniugium omnibus clericis etiam episcopis & presbyteris, igitur necessariò permittere eis debent possessiones quas liberis suis ex coniugio susceptis, ne turpiter egeant, post se relinquant. Præterea clarum est ex scriptura Matth. 19. consilium esse euangelicum possessiones omnes abdicare; ad quod proinde nemo tenetur nisi qui spontaneo voto ad id se astrinxerit. Quod cùm non omnes clerici faciant, patet ad illud non omnes teneri.

Tertiò, Augustinus in epistola ad Hilarium 89. quæst. 4 clarè affirmat, neminem prorsus ex præcepto astringi ad relinquendas diuitias. Idem docet Chrysostomus homilia 2. ad populum Antiochenum.

Quartò Augustinus sermone 49. & 50. de diuersis, qui sunt de communi vita clericorum, ostendit non omnium clericorum esse vitam communem in qua nemo aliquid suum esse dicat, sed eorum tantùm, qui se sponte ad illius vitæ statum & perfectionem contulerint.

Quintò, Aperta est Prosperi doctrina lib. 2. cap. 12. de vita contempl. dicentis licitum esse clericis patrimonia possidere, idque ab eis sine peccato fieri.

Postremò, vt plurima historiarum exempla omittamus, nulla lex extat ecclesiastica quæ præcipiat ijs qui in clerum cooptantur, patrimonium si quod prius habebant à se alienare, vel quaslibet iustas possessiones abijcere.

§. 6. *Responsio ad ea quæ in contrarium obijciuntur.*

S. Thom. loco prællegato.

QVi negant fas esse clericis proprium aliquid possidere, Primùm ea proferunt quæ de Leuitis in veteri lege posita suprà indicauimus: cuiusmodi est illud Domini loquentis ad Aaron & filios eius: *In terra filiorum Israel nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel.* Numer. 18. & similia quæ leguntur Deut. 10. & 18. Iosue 13. & Ezech. 44.

Proferunt deinde quod Matth. 10. ad apostolos dictum est: *Nolite possidere aurum neque argentum, &c.* Hoc autem præcepti esse intellexit Origenes teste Eusebio libr. 6. hist. capite 3.

Tertiò nituntur authoritate Hieronymi dicentis inter alia in epistola ad Nepotianũ: Quod si clericus quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus.

Quartò, Clerici, inquiunt, quando ascribuntur in clerum, dicunt: *Dominus pars hæreditatis meæ*; scilicet illis verbis renunciantes omni hæreditati & possessioni terrenæ, ac Dominum solum tanquam partem suam hæreditariam agnoscentes. Quod iterum ex Hieronymo probant ad Nepotianum dicente: Qui enim propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest.

Postremò ipsa detonsio capillorum quod est clericorum insigne, videtur significare renunciationem & abdicationem omnium bonorum temporalium.

His ita per singula respondamus.

Quod ad primum, Certum est imprimis Leuitis attributa fuisse ea quæ à populo offerebantur, vt decimas, primitias, primogenita, victimarum partes præcipuas, aliasque oblationes quæ Deo fiebant. Et hoc sensu dicit Dominus se esse partem & hæreditatem & possessionem Leuitarum; quòd nimirum oblata Domino cederent Leuitis. Vnde Iosue 13. sic dicitur: *Tribui autem Leui non dedit possessionem, sed sacrificia & victimæ Domini Dei Israel, ipsa est eius hæreditas, sicut locutus est illi*, scilicet Num. 18. vbi ferè eadem dicuntur. Deinde constat Leuitis attributas fuisse ciuitates ad habitandum & suburbana ad alendum pecora, vt est Numer. tricesimoquinto, Leuit. vlt. Iosue 21. Quin & Barnabas Leuita agrum habuisse legitur, cuius precium posuit ad pedes apostolorum Actor. 4. & Abiathar sacerdos iussus est à Salomone secedere in agrum suum 3. Reg. 2. Ieremias quoque sacerdos à patruele suo agrum emit, vbi tam vendens quàm emens Leuita erat, Ierem. 32. sed & capit. 12. testatur se hæreditatem habuisse. Item Iudas Machabæus & fratres eius Leuitæ, cùm essent duces belli & principes populi, nullas habuisse possessiones haudquaquam existimandi sunt. Et quidem potuisse Leuitas non tantùm pascua, sed etiam agros satiuos possidere; probatur ex ipsa lege Leuit. vltimo vbi dicitur quod ager quem quis vouisset & non redemisset, consecratus erat Domino, & possessio consecrata ad ius sacerdotum pertinens. Et infrà: *Omne quod Domino consecratur siue ager, non veniet,*

niet, nec redimi poterit. Quod ergo lex vetat Leuitas quicquam possidere, id de parte terræ promissæ distincta ac separata à reliquis tribubus accipiendum est; quemadmodum supradictis locis scriptura manifestè significat. Voluit enim Dominus Leuitas omnibus tribubus permixtos habitare, vt eorum opera ac ministerio apud omnes verus Dei cultus conseruaretur. Itaque præter oblationes populi de singulis tribubus aliquot ciuitates cum suburbanis cesserunt Leuitis: ciuitates quidem ad inhabitandũ, vbi proprias domos haberẽt; suburbana autem tanquam possessiones ad alendum pecora, quæ & ipsa Leuitarum possessiones erant.

Ad secundum respondemus Dominum apud Matthæum potestatem dare discipulis accipiendi vitæ necessaria ab ijs quibus erant euangelium annunciaturi; quippe cùm dignus sit operarius mercede sua. Et proinde vetat eos sollicitos esse de possidendo, id est, comparando auro vel argento ad viaticum. Nam possidere Hebræis comparare significat. Simpliciter autem auri vel argenti possessionem non prohibet. Sic præter alios Augustinus libr. 2. de cons. capit. 30. eum locum interpretatur: Imò ex ipso euangelij loco satis refellitur obiectio. Nam loco illius sententiæ subiunctæ: *Dignus enim est operarius cibo suo*, apud Lucam legitur capite decimo: *Dignus est operarius mercede sua.* Vnde sequitur quod sicut operario merces est propria; ita nihil vetat ecclesiæ ministros ratione sui ministerij stipendia habere propria, & quorum ipsi sint Domini.

Chrysostomus quidem in homilia quam habuit super his verbis: Salutate Priscillam & Aq. præceptum agnoscit in verbis Christi, sed dicit solis apostolis, & tantùm ad breue tempus id præceptum fuisse.

Porrò Origenes apud Eusebium, sicut & Franciscus in regula, verba Christi ad austeriorem vitæ obseruantiam accommodarunt.

Ad id quod tertio & quarto loco obijcitur, respondendum id vocari partem alicuius more scripturæ sacræ, quod quis habet pro re præstantissima, quamque præcipue amat, & in qua spem suam constituit. Quo sensu de voluptatibus huius seculi dixerunt impij, Sapient. 2. *Hæc est pars & sors nostra*, & Dauid Psalm. 118. *Portio mea Domine custodire legem tuam.* Talem igitur partem si clericus habuerit extra Dominum, pars eius non erit Dominus; quia nemo potest duobus Dominis seruire. Cæterùm sicut Dauid qui dixit, *Dominus pars hæreditatis meæ*, diuitias habuit, & sancti patriarchæ qui hoc idem dicere potuerunt, bona terrena possederunt; ita clericus & verè dicere potest eum psalmi versiculum, & nihilominus bona temporalia possidere; modò iuxta eiusdem psalmistæ admonitionem Psalm. 61. cor ijs non apponat: Imò vt supradictum est, omnibus Christianis commune esse debet Dominum partem habere, sed excellentiori modo competere id oportet ijs qui sacris officijs & ministerijs consecrati sunt; non quo cogantur facultates suas relinquere, sed quemadmodum sacris canonibus constitutum est, vt penitus sese abstineant à negocijs secularibus, & moderatis opibus contenti, nihil amplius requirant. Agit enim Hieronymus contra eos, qui cùm clerici essent, ita congerendis opibus studebant, vt non Dominum sed Mammona partem habere viderentur. Aliud qui non hoc sensisse Hieronymum quod Wicleffus voluit, satis liquet dum sic clericum alloquitur: ne plus habeas quàm quando clericus esse cepisti. Non ergo vult eum quod habebat, abijcere; sed id quod habebat, si ad vitam sufficit, non augere.

Ad posteriorum respondetur non id capillorum detonsione significari, sed potiùs abiectionem curarum secularium & contemptum rerum superuacuarum, quemadmodum mox dicemus. Vnde & apostolus admonet clericos his verbis: *Nemo militans implicat se negocijs secularibus*, 2. Timoth. 2. Quare qui ex professione id magis præstare tenentur, vt monachi; eius rei significandæ causa, ampliori tonsura insigniri solent.

§. 7. *De tonsura clericorum, eiusque modo & significatione.*

NOtanda sunt verba apostoli 1. Corinth. 11. quibus ex ipsius naturæ testimonio docet, *quòd vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier verò si comam nutriat, gloria est illi, &c.* Hoc autem præceptum de coma non nutrienda ad vniuersum virilem sexum pertinens, ideo studiosius est ab apostolo inculcatum, quia eo tempore gentiles nutriendo comam, leuitatem & lasciuiam quandam sectabantur; partim crispantes dependentem cæsariem, partim in anteriori parte capitis cristæ in modum erigentes. Quem capillorum abusum notauit etiam Cyprianus libr. 3 ad Quirinum sententia 83. & ad Nepotianum scribens Hieronymus. Cæterùm voluerunt apostoli peculiariter ac præ cæteris ab hoc lasciuiæ & leuitatis exemplo alienos esse ministros ecclesiæ, quòd eos oporteat reliquis fidelibus exemplar esse pudicitiæ & grauitatis. Quam etiam rationem reddit Anicetus Papa scribens ad episcopos Galliæ, quum vetat clericos comam nutrire. Eademque sanctio reperita est can. 44 conc. 4. Carthag. cui Augustinus interfuit. Qua de re plura extant in decretalibus titul. de vita & honestate clericorum. Rectè igitur sanctus Augustinus sub finem libri de opere monachorum, notat quosdam comatos, & vt ipse loquitur crinitos fratres: quorum præter hoc vnum, quòd contra expressum apostoli præceptum comam nutriant, multa & penè omnia se dicit venerari; interim eos admonens, vt & ecclesiæ consuetudini se accommodent & apostolico pareant præcepto. Sed hic obseruandum, non eos notari, qui quo noxium frigus arceant à capite, comam aliquousque crescere sinunt, sed qui eam fœminarum more nutriunt, atque in humeros dependentem gestant, quod apostolus affirmat esse contra decus virile.

S. Thom. suppl. q. 40. ar.

Iam vt ad modum seu formam tonsuræ veniamus, fuit olim inter orientales & occidentales, imò & in eadem orbis parte huius obseruationis diuersitas quædam; quemadmodum meminit Beda hist. Anglorum lib. 4. cap. 1. & pleniùs libr. 5 ca. 22. Quo loco interponit epistolam abbatis cuiusdam Ceolfridi nomine, de hac re doctè & copiosè differentis, sicut & eam cunctis fidelibus abominandam testatur, cuius origo refertur ad Simonem Magum: Omnibus tamen eam præfert, quam Romana seruat ecclesia, cuius originem refert ad beatum Petrum apostolum, qui eam gestauerit. Ac deinde rationem reddens eius tonsuræ, cuius authorem Petrum extitisse dicit: Neque vero, inquit, ob id tantùm in coronam attondemur, quia Petrus ita attonsus est; sed quia Petrus in memoriam dominicæ passionis ita attonsus est, idcirco & nos

qui per eandem passionem saluari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte gestamus. Et paulò post dicit monachos & clericos formam coronæ quam spineam Dominus in capite portauit, suo quemque in capite præferre debere, vt ad imitationem capitis sui Christi paratos se doceant ad sustinendum irrisiones & probra, vtque coronam vitæ æternæ se semper exspectare, proque eius perceptione & aduersa mundi & prospera contemnere designent. His verbis satis apparet eam tonsuram descriptam esse, quæ etiamnum hodie viris ecclesiasticis in vsu est, maximè monachis; quorum tonsura spineæ coronæ figuram aptissimè refert.

Hoc & ex Anicæti verbis ad Galliarum episcopos scribentis, intelligere licet, quibus præcipit clericis, vt desuper caput in modum sphæræ radant.

Apertius autem figuram coronæ clericalis expressit, & contra quorundam abusus obseruari præcepit concilium Toletanum 4. dum can. 40 sic statuit: *Omnes clerici detonso superius capite toto, inferiùs solam circuli coronam relinquant.*

Porrò præter rationes ex his quæ Beda citat, iam indicatas, etiam alij alias adferunt. Nam quidam regiam dignitatem, quidam rerum supernarum contemplationem, quidam perfectioris vitæ professionem; quidam denique rerum superuacuarum contemptum significatum volunt: Imò hæc omnia simul significata esse rectè intelligitur: primum, per coronam quam referunt remanentes capilli; secundum per verticis denudationem; tertium, per figuram orbis quæ perfectissima est; quartũ, per capillorum abiectionem.

Huiusmodi ferè rationes ecclasiasticæ tonsuræ præter Magistrum in textu tradunt Isidorus libr. 2. de offic. ecclesi. cap. 4. & Hugo Victorinus libr. 2. de Sacramentis parte 3. cap. 1. & 2. tametsi quod illi dicunt, vsum ecclesiasticæ tonsuræ à Nazaræis exortum videri (qua occasione Caluinus ecclesiam Iudaicæ obseruationis insimulat) non est recipiendum, vti nec ex eo fluxisse hunc morem putandum est, quòd Paulus Actor. 18. in Cenchreis sibi caput totondit. Quàm enim ritus ille Iudaicus ab ecclasiastico tondendi modo fuerit diuersus, facile quis intelliget, qui legerit sextum caput Numer. vbi ritus ille describitur. Quanquam quod à scriptoribus illis dicitur sic accipi potest, vt non iam origo, quàm typus aut similitudo quædam obseruationis significetur.

§. 8. *An omnes ordines veram sacramenti rationem habeant.*

S. Thom. Suppl. q. 37. ar. 2.

DIsputatur apud Scholasticos, vtrùm ordines sacerdotio inferiores (nam de sacerdotali ordine nulla prorsus inter eos dubitatio est) verè sacramẽta sint iuxta propriam sacramenti rationem, an verò tantùm sacramentalia quædam ad sacratissimum sacerdotij ordinem præparatoria eidemque subseruientia. Sunt enim hac in re variæ opiniones.

Durandus solum sacerdotium putat esse sacramentum. In quam sententiam propendet etiam Caietanus in tractatu quem scripsit de modo tradendi seu suscipiendi sacros ordines, & dubitanter de ea re loquitur Franciscus à Victoria relectione 2. propos. 3.

Alij quidam sacerdotio solum addunt diaconatum vt sacramentum, putantes hanc Magistri esse sententiam, qui in textu dicit §. I. quòd solummodo duos illos ordines primitiua ecclesia legitur habuisse, quodque de his solis præceptum apostoli habemus: subdiaconos verò, inquit, & acolytos procedente tempore ecclesia sibi constituit.

Rursum alij subdiaconatum his adiungunt, & sacramentum esse fatentur, sed de cæteris quatuor id negant. In hac sententia sunt Dominicus Soto in hanc distinctionem & Nauarrus in manuali cap. 22. Num. 18. Imò Franciscus à Victoria loco iam citato affirmat certò cõstare de minoribus ordinibus quod non sint iuris diuini.

Alij denique omnes septem ordines verè & propriè esse sacramenta docent. Atque hæc communior est doctrina quam tradunt sanctus Thomas, Bonauentura, Scotus, Richardus, Paludanus & alij. Confirmatur autem his argumentis.

Primùm quidem apparet ex decreto concilij Florentini omnes septem ordines propriè sacramenta esse. Tribuit enim singulis materiam cuius traditione cõferantur, & formam qua perficiantur, perinde atque alijs sacramentis.

Idem consentaneum videtur doctrinæ veterum. Siquidem Augustinus libr. de bono coniug. cap. 24. testatur in omnibus ordinatis permanere sacramentum ordinationis, etiamsi plebi congregandæ non seruiant, vel ob culpam ab officio remoueantur. Consequens ergo videtur non hæc tantùm esse officia quædam humanitus instituta, sed sacramenti vim habere, propterea quod semel accepta amitti non possint propter characterem perpetuum, qui per ea confertur.

Nec aliud sentire videtur S. Hieronymus dum in libro aduersus Vigilantium dicit episcopum diaconos, aliosque clericos ordinantem Christi sacramenta tribuere.

Accedit quod passim legimus tum apud Damasum in pontificali, tum alibi, ordinationis vocabulum quoties de diaconis & subdiaconis, vel etiam inferioribus ministris constituendis mentionem fecerunt. Eo autem vocabulo significare solent ordinis sacramẽtum. Quod inde probatur, quia in concilio 4. Carthag. cum de singulis dictum esset, quomodo fiant ordinãdi, vbi ad psalmistas & sanctimoniales peruentum esset, nulla fit vlterius ordinationis mentio.

Deinde quod ad diaconos attinet, tam eorum consecrationem designat scriptura per manuum impositionem Act. 7. quàm alijs locis ordinationẽ presbyterorum. Vnde vtrumque pari ratione sacramentum esse non videtur dubitandum. Sed de diaconis suo loco plura.

Denique admodum conformis videtur hæc sententia definitioni concilij Tridentini sess. 23. vbi cum definiatur ordinem esse nouæ legis sacramentum, & septem ordines enumerentur; non tamen quoad sacramenti rationem inter eos vlla distinctio inuenitur. Vnde & catechismus parochorum apertè hanc tradit sententiam velut definitioni concilij Tridentini consentaneam.

At verò qui opinantur ordines sacerdotio inferiores, vel omnes vel aliquos non esse propriè sacramenta; his ferè rationibus mouentur.

Primùm, quia diaconorum officium quod Act. 6. describitur, profanum est; vtpote destinatum ministerio mensarum.

Secundò, quia Anacletus Papa epistola 3. dicit à

Domino

Domino constitutos esse hos duos ordines, episcoporum & sacerdotum; Et amplius, inquit, quam isti duo, nec nobis à Domino collati sunt, nec apostoli docuerunt. Ex quo colligit Carrenza euthor summæ conciliorum, reliquos ordines aut gradus notos in ecclesia, neque à Domino institutos fuisse, neque ab apostolis. Addit tamen Anacletum in sacerdotio complexum fuisse diaconos & subdiaconos.

Tertiò, quia Magister vt suprà diximus, affirmat ecclesiam progressu temporis sibi constituisse subdiaconos & acolytos; cùm tamen constet ecclesiam instituendi sacramenti potestatem non habere.

Quartò, quia horum ordinum saltem minorum officia à clero ad laicos transferri possunt, imò & translata videntur. Laici enim multis locis ianitores sunt ecclesiarum, & passim missis inseruiunt, & luminaria incendunt etiam pueri; & alicubi laicis permittitur cantare epistolam. Igitur ad hęc nullo opus est sacramento.

Quintò, quia minores ordines, imò & subdiaconatus conferri possunt per cardinales, abbates aliosque simplices presbyteros, quibus id priuilegij sedes apostolica concesserit. Quod fieri non posset, si proprietas sacramenti ordinis eis competeret; cùm sacramentū hoc non nisi ab episcopo ed id consecrato conferri queat.

Postremò, quia si singuli ordines sacramenta essent, plura quàm septem essent nouæ legis sacramenta. Sunt & alia quædam argumenta, quæ apud Caietanum, Dominicum & Nauarrum studiosus requiret.

Ad quæstionem porrò respondentes dicimus, non videri de ea quicquam esse definitum ab ecclesia, ne de diaconis quidem; adeo vt testetur Dominicus eum qui Durandi opinionem sustinere vellet, non esse magna reprehensione dignum; tametsi nonnullam temeritatis notam ei tribuat, eò quòd non sit tam facile à communi antiquorum opinione deflectendum. De subdiaconis verò minùs aliquid definitum habetur. Nam argumentum ex eo sumptum quod subdiaconatus annumeretur inter ordines maiores & sacros, non vsquequaque conuenit, cùm non propter sacramenti rationem eis competentem sic vocentur, sed aliam ob causam, vt infrà dicemus. De minoribus autem ordinibus, qui non ita prope, vt maiores, ad sanctum sanctorum accedunt; magis adhuc tolerabilis, imò probabilis est opinio quòd non sint propriè sacramenta. Neque enim argumenta in contrarium allata certò concludunt. Nam & in ecclesiasticis institutis, vt consecratione abbatis, vel receptione canonici res & verba tanquam materia & formæ assignari possunt, Tridentina verò synodus controuersiam hanc de inferioribus ordinibus seponens, ea quæ inter Catholicos quæstionem non habebant, definire tantùm voluit. Quamquam non est negandum quin tam Florentini quàm Tridentini concilij verba videantur eò propendere, vt significentur omnes septem ordines verè esse sacramenta, & sub generali nomine sacramenti ordinis esse comprehensa: & proinde quæ contra eam sententiam obiecta sunt, quomodo dissolui possint, indicabimus; interim opinionis electionem studiosis relinquentes.

Ad primum itaque respondetur officium septem diaconorum in Actis non fuisse merè profanum, vt infrà cum ad diaconos ventum erit, pleniùs ostendemus.

Ad secundum respondetur Anacletum intelligere ordines completos. Nam episcopatus quidem complens est ordo circa corpus Christi mysticum; sacerdotium verò circa corpus Christi verum. Neque enim alioqui omisisset Anacletus diaconos, quorum in apostolicis literis adeo expressa est mentio. Agit autem contra eos qui primates seu patriarches supra episcopos velut in altiori ordine collocabant.

Ad tertium respondetur clarem esse Magistri sententiam §. A. & K. vbi generatim de omnibus septem ordinibus dicit quòd sint sacramenta, in quorum perceptione res sacre, id est, gratia confertur, quam signant ea quę in illis geruntur. Aut igitur parum sibi constat Magister, aut dicendum erit hac ratione intelligi posse, ecclesiam paulatim sibi constituisse ordines diacono inferiores, quia eorum officia in plures ac diuersos ministros distribuit. Nam in primitiua ecclesia vbi ministrorum copia nondum haberi poterat propter fidelium paucitatem, qui diaconus ordinabatur ex laico, is simul ordinetur cooseberatur ad exercenda officia omnium ordinum inferiorum. Nam sicut anima rationalis potestate continet sentientem & vegetantem animam; ita ordo superior omnes continet inferiores. Porrò procedente tempore, & crescente fidelium numero, ministeria quæ à se inuicem separabilia erant, separata sunt & in diuersos ministros distributa.

Ad quartum respondemus non omnia ordinum officia talia esse quæ à laicis vel his qui non clerici sunt, exerceri omnino non possint. Nam & baptismus, cuius conferendi ius propriè habet sacerdos, à quocunque collatus validus est, & certis casibus potest etiam licitè à non sacerdote, imò & à laico conferri. Itaque hic similiter propter defectum vel negligentiam eorum qui ed hæc inferiora ordinum officia propriè ordinati sunt, tolerat & interdum etiam probat ecclesia laicorum ministeria. Rectiùs tamen & ordinatius in ecclesia Dei ageretur, si quilibet ordinatus in suo ordine ministraret, neque ordinum ministeria per alios, quàm per ordinatos exercerentur.

Ad quintum quod cæteris vehementius vrget, & quibusdem prorsus concludere videtur; respondere tamen possumus duobus modis; vel quod illi quibus præter episcopos conceditur conferre ordines minores, acceperunt quandam participationem dignitatis episcopalis, vt abbates, cardinales & eiusmodi, siue eam acceperint in sua consecratione, vt quidam volunt; siue ex sola Romani pontificis commissione, vt alij sentiunt. Vel certè quod ordines minores à talibus collati non verè sint sacramenta, sed tantùm sacramētalia quædam; cùm nihil vetet ea officia quæ per sacramenta conferuntur, etiam extraordinariè posse absque sacramentali ordinatione vel sola voluntate superioris, vel eddita ceremonia communicari. Quo casu gratia poterit expectari ab oratione deuota conferentis & suscipientis, licèt non ex opere operato, sicut & in virginum consecratione & habitus monastici susceptione ac religionis professione. Et quoniam huiusmodi collatio officij fit cum consecratione quadam, sequitur vt ordo sic collatus iterari non debeat, sicut nec aliarum rerum consecrationes possunt iterari, quia nec possunt auferri. Atque hoc pacto in vniuersum de minoribus ordinibus sentit & respondet Dominicus.

Ad id quod postremo loco obijcitur, respondet sanctus Thomas considerandum esse quod om ne, ...

A inferiores ordines ad sacerdotium tanquam finem destinantur, atque ita omnes in illo quodammodo vnũ sunt, sicut vno ordinationis nomine cõprehenduntur. Quam vnitatis rationem etiam hoc confirmat, quòd inferiores semper in quolibet superiori virtute contineantur, etiamsi actu prius suscepti non fuerint. Veruntamen clarior & facilior est responsio quam Scotus indicat; nempe, quando dicuntur tantùm septem esse sacramenta nouæ legis, intelligi species proximè subiectas sacramento vt generi, inter quas est ordo; qui tamen vlteriùs diuiditur in species inferiores, sicut ipsæ species diuiduntur in sua indiuidua. Quare vt logicè respon- B deamus, dicendum erit septem ordines differre quidem differentia ordinis, quia ordo in eos proximè diuiditur; sed non differre differentia sacramenti, quia videlicet ad eandem proximam sacramenti speciem, id est, ordinem omnes pertinent: & ita fatendum quidem quod sint ordines diuersi, sed non diuersa sacramenta; diuersitate nimirum quæ ex proximis differentijs sumitur, quomodo dicit Philosophus quod æquilaterus & inæquilaterus sunt diuersi trianguli sed non diuersæ figuræ, quia differunt differentia trianguli, sed non differentia figuræ, cùm ad eandem figuræ speciem, nempe triangulum pertineant.

C

§. 9. *De ostiarys eorumq; officio & ordinatione.*

S. Thom. suppl. q. 37. ar. 2. in corpor. Item art. 4. ad 5.

EXplicanda nunc breuiter sunt singulorum ordinum officia, simulq; indicandum quarum sensibilium atque externarum rerum traditione singuli conferantur. De quibus tamen qui plura requirit, legat Isidorum libr. 2. de officijs ecclesiast. & epistola ad Ludifredum. Item Rabanum atque alios qui de diuinis officijs ex professo tractarunt, ac D præterea concilium Carthag 4 & inter opera Hieronymi tractatum de 7. gradibus ecclesiæ: ac denique Hugonem libr. 2. de sacramentis, Magistrum senten. hac præsenti distinctione, & catechismum ad parochos scriptum. Vt igitur imperfectionis ordine procedamus, inter ordines minores primus idemq; infimus est eorum qui ostiarij seu ianitores dicti sunt: quorum munus est templi claues habere, ostia claudere, aperire, custodire, atque ab ingressu arcere infideles, excommunicatos & deri- E sores sacramentorum Christi; Imò etiam prohibere ne quis laicorum propius ad sacrum altare, dum in eo diuina aguntur mysteria, accedat, neue sacerdotem interturbet. Itaque huius ordinis exercitium, si quando aliàs, nunc maximè necessarium foret, vt templis & sacramentis, ac potissimùm tremendis altaris mysterijs debitus honor & reuerentia seruetur.

Confertur autem clauium traditione & præscripta verborum forma, quemadmodum docet concilium Carthaginense 4 præsente & suffragante F Augustino habitum can. 9. Quidam, vt Dominicus, addunt traditionem cymbali. Nam & ad eius officium pertinet cymbali seu campanæ pulsu populum ad diuina conuocare.

Præfigurauit autem ordinem hunc in se & quodammodo initiauit Christus, quando ementes & vendentes eiecit è templo. Meminit huius ordinis præter alios Damasus in Sixto 2. Hodie in ecclesia Thesaurarius siue sacrarij custos, vnam huius officij partem, reliquam ianitor templi possidet.

A

§. 10. *De Lectorum officio atque ordinatione.*

S. Thom. supra allegata q. 37. art. 2. in corp. & art. 4. ad 5.

LEctorum munus olim fuit in ecclesia clarè & distinctè recitare veteris & noui testamenti libros; partim eos qui inter nocturnam psalmodiam legi solent; partim quos apud populum expositurus erat episcopus. Nam episcopo concionem ad populum habituro stabat lector toti populo conspicuus, & de pulpito legebat præscriptam ab epi- B scopo euangelij vel cuiuscunque scripturæ partem, quam deinde episcopus populo exponebat. Notissimum id est ex sermonibus veterum doctorum, maximè Augustini qui passim vbi ex psalmis vel alia quacunque scripturæ parte ad populum verba facit, huius officij meminit. Vtriusque verò tam lectoris quàm expositoris officium impleuit Christus, quando in synagoga stans legit, ac deinde sedens exposuit scripturam lectam, Lucæ quarto.

Porrò Dominicus & catechismus parochorum addunt præterea lectoris officium fuisse, catechumenos prima fidei rudimenta docere. Quod vtrùm C apud veteres reperiatur; inquirat studiosus.

Ordinatur autem Lector traditione codicis diuinarum lectionum cum præscripta forma verborum, vt est in 4. concilio Carthag. Meminerunt huius ordinis præter Epiphanium, & Damasum, Tertullianus libr. de præscriptionibus, Hieronymus ad Nepot. Commentarius Ambrosio inscriptus in Ephes. 4, Cyprianus epist 5. libr. 2. epist. 22. libr. 3. & 5. libr. 4. sanctus Augustinus quoque epistola 235. Lector quid agere & scire debeat, exponit, & libr. 1. de consensu euangel. capite decimo, indicat etiam pueros modo legendi pe- D riti essent, in gradu lectorum constitui solitos.

§. 11. *De Psalmistis annotatio.*

S. Thom. suppl. q. 37. ar. 2. & 5.

IN Carthag. 4. concilio can. 10. sic legitur: *Psalmista, id est, cantor potest absque scientia episcopi sola iussione presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi* E *presbytero: Vide vt quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis operibus comprobes.* Sic ibi. Sed cum psalmistarum ordinem inter minores ordines ecclesia non agnoscat; huius ratio requirenda est. Quod si psalmistæ nomine generaliter eum intelligas, qui quocunque modo seu publicè seu priuatim laudem canit Deo; est id officium omnibus Christianis commune. Ad omnes enim pertinet quod dicitur Ephes. 5. *Loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordi-* F *bus vestris Domino.* Verùm non ita generaliter de psalmista loqui Carthaginense concilium certum est. Eum namque psalmistam intelligit, cuius proprium est officium cantu psalmorum inducere populum ad deuotionem & laudem Dei. Atque hoc vicinum est Lectoris officio, eo solo differens, quòd psalmista cantando & modulando profert quæ lector plana voce pronunciat, quodq; ille solos psalmos legat, cum lectoris officium ad omnem scripturam legendam extendatur. Cùm igitur psalmista sub lectoris officio comprehendatur, quantum ad ea quæ leguntur, ac vicissim lectoris officio

non superaddat rem sed modum tantùm, videlicet cantum seu modulationem; patet non debuisse institui psalmistę ordinem à Lectore diuersum. Quod subindicans Carthaginense concilium, non eum ordinandum præcipit sed à presbytero præfici posse dicit absque scientia episcopi.

§. 12. *De Exorcistis eorumq; officio & ordinatione.*

S. Thom. locu pro nomine allegatus.

EXorcistæ, qui Epiphanio eporcistæ vocantur ab ciurando seo adiurandu sic dicti sunt. Horum officium est secundùm potestatem sibi in ordinatione datam inuocare nomen Domini atque etiam manus imponere super eos qui ab immundis spiritibus vexantur; & Græcis ἐνεργούμενοι dicuntur, ipsosque dæmones per nomen Domini adiurare vt exeant aut nocere desinant. Quod enim non tantùm nomen Domini inuocent super energumenis; sed etiam veteri more ecclesię manus ijs imponant, liquet ex Carthaginensi 4. concilio, & Sanct. Augustino libr. da vita beata in disputatione 2. diei.

Ordinantur autem tradente eis episcopo libellum in quo scripti sunt exorcismi, & præscriptis verbis potestatem dicti officij conferente; vt est in dicto concilio Carthaginensi Meminerunt huius ordinis Cyprianus libr. 4. epist. 7. Fuomilianus episcopus in epistola ad Cyprianum. Item commentarius Ambrosio inscriptus in Ephes. 4. Meminit & Seuerus in vita beati Martini sub Initiom, vbi scribit Martinum ab Hilario exorcistam fieri iussum, eam ordinationem na despeaisse tanquam humiliorē videretur, non repudiasse. Quia enim cum furiosis hominibus omnis exorcistarum occupatio erat, vulgo contemptus habebatur hic ordo. Sed ne quis dedignaretur hoc munus subire, Christus & apostoli nos exemplis suis præcesserunt exorcizātes energumenos & dæmones eijcientes.

Constat autem & Iudaicum populum suos exorcistas habuisse. Nam Actor. 19. legimus quosdam de circumeuntibus Iudæis exorcistis conatos per inuocationem nominis Iesu spiritus malignos eijcere: Et illud Matth. 12. *Filij vestri in quo eijciunt*, quamuis nonnulli de Christi discipulis dictum putant; probabilius tamen est iuxta sanct. Hieronymi interpretationem, de exorcistis qui iam ante erant in gente Iudaica, dictum esse. Quorum & Iosephus meminit libr. 8. antiquitatum Iudaic. capite secundo.

Vtrùm autem Salomon modum adiurandi dæmones tradiderit, sicut eodem loco commemorat Iosephus & Magister refert in textu; nobis incertum est. Nam quod ibi Iosephus scribit de quibusdam exorcismis à Salomone inuentis, magicas incantationes significare videtur, per quas ex pacto dæmones abiguntur; quemadmodum docet Augustinus libr. 21. de Ciuitate Dei, cap 6. & lib. 10 cap. 12. Nam & exemplum quod commemorat de Eleazaro exorcista dæmones expellente, planè suspectum est; & exorcismi illi qui hodie habentur à quibusdam, & Salomonis esse dicuntur, reuera superstitiosi sunt. Qui verò ab ecclesia traditi vel approbati sunt, ij nec dæmonum pacto nituntur (vt calumniantur aduersarij) nec naturali virtuti sed potestati & gratiæ omnipotentis Dei. De qua Christus ad discipulos ait: Luc. 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super omnem virtutem inimici*, Et Marci vltim. *In nomine meo dæmonia eijcient.* Quæ potestas etiam tunc declarata est quando Tobias a Raphaele edoctus parte iecoris marini piscis incensa dæmonem fugauit Tob. 6. & 8. Verùm ad exorcistarum de quibus hic agimus officium propriè pertinet energumenos curare, iuxta id quod eis in sua ordinatione dicitur: *Habere potestatem imponēdi manus super energumenum, siue baptizatum, siue catechumenum.* Vnde exorcismi qui adhibentur baptizandis vt per eos ad baptismum præparentur, de quibus Sanctus Augustinus loquitur libr. de fide & operibus cap. 6. dicens catechumenos diebus baptismum præcedentibus purgari exorcismis, cùm non pertineant ad curandos energumenos, sed sint exorcismi alterius generis pertinentes ad baptismi ceremonias; non videntur comprehendi in officio exorcistæ, licet ita senserit Magister inemendatè legens verba canonis Carthaginensis, sed magis spectare ad officium sacerdotis eius qui catechumenum baptizaturus est. Dicit enim Gregor. hom. 29. in euang. mysticè exponēs illud: *In nomine meo dæmonia eijcient*, quòd sacerdotes per gratiam exorcismi manum credentibus imponunt, ne in mente eorum habitent spiritus maligni. Magis enim spiritualis est effectus huius exorcismi, quàm illius qui corporaliter obsessis adhibetur.

§. 13. *De acolytorum ministerio & ordinatione.*

S. Thom. suppl. q. 37 ar. 2. in corp.

HVius ordinis ministri plærisque acolyti dicuntur, quos tamen alij acoluthos dicere malunt. Vtrumque vocabulum Græcum est. Prius significat improhibitum, id est, admissum ad altaris ministerium. Nam olim inferioribus clericis ad altare propius accedere & sacrificanti ministrare non permittebatur, sed hoc acolytis demum concessum erat. Pertinet enim ad eorum officium luminaria incendere & deferre manibusque tenere, cum missæ sacrificium agitur, & tum maximè quando euangelium populo recitatur. Ex quo munere ceroferarij Latinis dicti sunt. De eo ita scribit Hieronymus contra Vigilantium. Nam & per totas Orientis ecclesias, quando legendum est euangelium accēduntur luminaria, iam sole rutilante; non vtique ad fugandas tenebras, sed ad signum lętitiæ demonstrandum. Legitur hoc vocabulum etiam apud Gellium libr. 1. noct. Att. cap. 2. sed diuersa significatione. Vocat enim ἀκώλυτον hominem qui nullis terriculis à proposito dimoueri queat: Qualem ibi Stoicum describit. Posterius significat asseclam seu comitem. Quo nomine ideo vocari putantur qui in hoc sunt ordine constituti, quia ministros maiores, nimirum subdiaconos & diaconos in ministerio altaris assectari eisque operam dare debent. Testatur autem Iuo decreti sui parte 1. cap. 69. Bonifacium tertium constituisse vt lateranus acoluthus non baptizet. Vbi dum lateranum vocat, significare videtur acoluthum rectius dici quàm acolytum; idque vel ob causam iam dictam, vel ob id fortè quod qui in hoc sunt gradu tanquam ex latere comitatores episcopum vel presbyterum assectentur.

Fit autem horum ordinatio tradente eis episcopo ceroferarium cum cereo, nec non vrceolos vacuos quibus aqua & vinum ad sacrificium ministratur, & proferente ea verba quæ vtriusque ministerij potestatem significent, vt est in 4. concilio

Carthaginensi. Ac meminit huius officij etiem Hieronymus in epistola ad Nepotianum.

§. 14. *De subdiaconis eorumq; officio & ordinatione.*

S. Thom. suppl. q. 37. ar. 4. ad 3.

TRes postremi ordines, sacri & maiores dicuntur; propterea quod propius ad altaris ministerium & quod in eo offertur sanctum sanctorum accedant, id est, circa sacrum Domini corpus in euchatistia occupeorur, atque aliquid agant vel coosecrando, vel dispensando, val materiam subministrando. Qoamquam enim omoes ecclesiastici ordines reuera sacri sunt; tres tamen isti peculiariter ob eam causam & quasi per excellentiam tales dicuntur. Et Magister quidem in textu §. 1. dnos solus ordines presbyterium & diaconatum sacros egnoscit, sed communiorj seotentie quam & sequitur Tridentina synodus sess. 24. can. 9. subdixcooarus quoque inter sacros ordines anonmeratur. In horum igitur primo gtxdu consistit hypodiaconus, seu vt vsitatius dicitur, subdiaconus, velot diacono subseruians. Eius enim munus est diacono ad altare subseruire, sacra linea, vasa, indumenta, præcipnè verò panem & vinom ad vsum sacrificij necessarie præparando. Pertinet item ad subdiaconum epistolam apustolicam eiusua partem, vel lectionem pheticxm in missa recitare.

Hæc subdixconi officia ipsa eius ordinatione significantur Primùm enim ab episcopo sacrum calicem vecuum & patenam vecuam accipit; deinde vt intelligamus subdiaconom diaconi officio subseruire, ab archidiacono ei traduntur in menus vrceoli vino & aqua pleni vna cum lebete & linteolo quo manus absterguatur: postremùm librum epistolarum ei tradit episcopus vtens ad singolas ceremonias verbis quibusdam quibus ille sui officij ac ministerij admoneatur.

Est autem probabilius ipsum ordinem conferri traditione calicis & patenæ, quàm libri epistolarum; propterea quod Carthaginense concilium nullam faciat libri epistolarum mentionem, vti nec Florentinum. In quo etiam expresè dicitur subdiacunarom conferri per calicis vacui com patena vacua superposita traditione. Estqne ea communis doctorom sententia.

Cæterùm in eo quod sobdiaconi diaconis ad altare subseruiunt, rectè præfigurati intalliguntur per Nathinnæos qni in veteri lege ministri erant Leuitarum, vt habemus 1. Esdræ 2. & tertij Esd. 8. Quod ipsum etiam Hugo & Magister anootarunt.

Præterea fuit olim subdiaconi monos catechumenos fidei rudimentx docere; quemadmodum intelligi potest ex apist. 22. libr. 3. apud Cyprienom, in qua ad clerum scripta testatur Optatum à se hypodiaconum factum, doctorem audientium coostiturum esse, audientium oomine catechomenos significaos.

Porrò ea eo quòd huic ordini primùm lex continentiæ imponitur; colligerè licet, quanta sit eius præ alijs iam dictis dignitas, quæ potissimum sumi atque æstimari daber ex dignitate sacrosanctæ euchatistię, ad cuius ministerium subdiaconi ita prope accedunt, vt vasa corporis & sanguinis Christi portent. Qui proinde illud sibi dictum cogitare debeor quod est apud Isa. 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini*. Sed de hac continentiæ lege longè infrà proprius erit tractandi locus dist. 37.

§. 15. *De diaconis eorumq; circa Eucharistiam ministerio.*

S. Thom. suppl. q. 37. ar. 2. in corpor. & ar. 4. ad 5.

SEquitur ordo diaconorum sacerdotio proximus, de qoorom officio quia controuersiam Catholicis mouent huius temporis hæretici, paulò plenius agendum ast, præsertim cum hoc diaconorum ministerium & latius pateet, & sanctius in ecclesia semper habitum sit. Nam diaconorum sacram fuisse functiooem etiem apostolorum rempore, probetur non tantùm ex Philip. 1. vbi post episcopos diaconi proximè salutantur, velut ecclesiæ ac rerum diuinarum ministri, & ex Actor. 6. vbi cum manus impositione ordinati ab apostolis leguntor. Quem locum infra exactius expendemus: Verùm quàm maximè ex 1. Timoth. 3. vbi post conditiones in episcopo requisitas, statim subiunxit apostolus eas qoas exigit à diacono; quæ qoidem illis in episcopo requisitis, neqne admodum sunt dissimiles, neqne multò inferiores. Inter quas ea est vt sint diaconi vnius vxoris viri. Vnde satis intelligitur quàm non merè profanom, sed verè sacrum fuerit epostolis ipsom diaconi ministeriom. Hoc igitur quale tunc fuerit, atque etiem mudò sit, videamus.

Diacoous episcopi & sacerdotis minister est, vnde etiam nomen accepit; tametsi & Leoita à patribus frequentissimè vocetur, nimirum ex similitudine Leuitici ministerij, quod sacerdotio veteris testamanti subseruiebat. In qoo etiam vtroque typos erat sacerdotij & diaconatus nouæ legis. Sicut ergo Leuitarum in vereri lege, ite & ounc dieconorum officia ex officijs sacerdotalibus colligi & cogoosci debent.

Sunt autem sacerdotalis dignitatis, vt summatim comprehendantur hæ ferè fonctiones, sacrificare, baptizare, docere, recoociliare, afflictorum curam habere.

In his omnibus assistere atqne operem dere debet diaconus apiscopo vel sacerdoti. In sacrificio quidem, dum panem & vinum à subdiacono accepta sacerdoti tradit, vel super altare imponit, oblxtiones à populo acceptas ed altare defert, sacerdoti sacris operanti, cum reoereotia assistit, & quodammodo cooperatur.

Sed & olim ad diaconi munus pertioebat inter missarum solemoia animos fidelium ad attētionem sobinde excitare, vt vetustæ liturgiæ testantur; denique etiam dispensare fidelibus corpus & sanguinem Domini, sed id per modū ministri & adiutoris officij sacerdotalis, cui alioqui propria est sacramētorum administratio.

Quod autem olim diaconis in ecclesia dispensatio mysteriorum credita fuerit, quia huius tēporis sectarij id vel negaot vel dissimulant; breuiter ex veterum scriptis probemus.

Cyprianus sermone de lapsis nerrans quod acciderxt de puella à dæmune obsessa, coi licet relo-ctanti diaconus de sacramēto calicis infudit; apertè significat hæc fuisse tunc temporis consuetudinem, vt solemnibus adimpletis diaconus calicem præsentibus offerret.

De Lautentio quoque ecclesiæ Romanæ diacono testxtur sanctus Ambrosius libr. 1. offic. cap. 41. & post cum sanctus Augustinus sermone 37. de diuersis, & Leo sermone in eius solemnitate habito, commissam ei fuisse Dominici, sanguiois dispensationem.

His

His antiquior Iustinus martyr in fine 2. apolog. scribit diaconos præsentibus data, ad absentes autem perferre solitos eucharistiæ sacramenta. Item Hieronymus vel quisquis author epistolæ de ceteo paschali testatur diaconum Christi corpus pia plebi famulatione distribuere.

Præterea 4. concilium Carthaginense cui subscripsit Augustinus, can. 38. statuit vt diaconus præsente presbytero eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat; iussus eroget. Vbi dum necessitatis fit mentio, satis significatur hoc dispensationis ministerium primitus ad sacerdotem pertinere, sed ob frequentiam communicantium, vel sacerdotum paucitatem, etiam diaconis committi solere.

Ad hoc diaconi ministerium referunt quidam illud quod de diaconis dicit apostolus 1. Timoth. 3. *Habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Putant enim loqui apostolum de eo fidei mysterio cuius in calicis consecratione fit mentio in missa. Quæ expositio vt certa non est; ita certa ratione refelli non potest. Sed de hac re nonnulla etiam diximus ad distinctionem 23. vbi de eucharistiæ ministro agebamus.

§. 16. *De quibusdam alijs diaconorum officijs.*

PRæter altaris ministerium iam dictum, sunt & alia diaconi officia, in quibus superiori ordini subseruiat.

Ac primum quidem assistere quondam solet diaconus episcopo vel sacerdoti baptizanti, & coram eo recitare nomina catechumenorum. Erat enim primis illis ecclesiæ temporibus consuetudo vt catechumeni in paschata baptisma suscepturi, quarta feria ante dominicam passionis ad baptismum nomina darent; ex quo tempore competentes vocabantur: quos deinde magna cura, deuotione & abstinentia per dies sequentas ad suscipiendam baptismi gratiam præparari oportebat; quemadmodum patet ex Augustino libr. 4. de symbolo ad catechumenos cap. 1. & libr. de fide & operibus capit. 6. & ex ijs qui de diuinis officijs ex professo scripserunt. Illorum igitur præparatorum nomina describta diaconus in sabbatho sancto paschæ, quando competentium baptismus inchoabatur, recitabat apud sacerdotem baptizaturum, ne quis non legitimè præparatus ad sacrum baptisma se ingereret. Huius moris vestigium est in officio ecclesiastico, tā in sabbatho sancto, quàm in feria 4. ante passionis dominicam, in quo frequens & quasi perpetua est baptismi mentio. Ipsius autem baptismi administratio ad diaconos non pertinebat, nisi ex commissione vbi raritas erat presbyterorum, vt est in decreto Pelagij Papæ, apud Gratianum distinctione 93. cap. diaconos, & plenius ostendimus ad distinctionem 5. huius libri.

Porrò in doctrinæ & prædicationis officio edefit episcopo diaconus, dum prohibet ne quisei insidietur, aut docētis verba derideat, aut quocunque modo molestus sit, sed eum diligentar custodit, dum euangelicæ prædicationis officio fungitur, quemadmodum statuit Euaristus Papa in epistola ad omnes episcopos, cuius & meminit Damasus in pontificali, & post eum Gratianus dicta distinctione 93. cap. diaconi.

Quia & diaconorum est prædicare euangeliū; non quod ad id munus propriè ordinati sint, sed vt summaria quadam euangelij expositione plebem præparent ad solidiorem & exactiorem verbi Dei explicationem, quæ fit per sacerdotem. Nec verò hoc ipsum ijs permittitur, nisi in absentia sacerdotis vel episcopi, vel certè ijs iubentibus, & id quidem è loco humiliore; quemadmodum catechismus parochorum admonet; nimirum vt intelligant munus illud sibi non iure ordinis sed sola superioris delegatione competere. Sic legimus Act. 8. Philippum diaconum sua prædicatione Samaritanorū animos præparasse, vt apti fierent capiendis maioribus fidei mysterijs, quæ audituri erant prædicatione apostolorum Petri & Ioannis. Simili exemplo Effrem diaconus ad plebam in ecclesia Edissena conciones habuit, & S. Vincentius vt testatur breuiarum Romanum, supplebat in prędicatione verbi Dei vices episcopi sui. Hinc beatus Gregorius libr. 4. epistolarum cap. 88. quod est epistol. 44. valde reprehensibile esse dicit, vt in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inseruiant, quos ad prædicationis officium, eleemosynarumque studium vacare congruebat. Et paulò pòst, inter missarum solemnia à cantu abstinere & solùm lectionis euāgelicæ officium eos exoluere præcipit. Idemque officium diaconis [redacted] buit Augustinus serm. 4. de beato Stephano. Quæ sanè vsque in hodiernum diem ita est proprium esse intelligitur, vt diaconorum ordinatio per libri euāgeliorum dationem perficiatur; vt expressum habemus in decreto Florentino. Vnde & verbis episcopi potestas eis confertur euangelij legendi pro viuis & defunctis.

Sed vtrùm hoc modo iam inde ab initio atque ex Christi institutione celebrata fuerit diaconorum ordinatio, an verò per solam manuum impositionem, vt indicari videtur Actor. 6. quæstionem habet nōdum satis enucleatam: maximè quòd non appareat tunc potuisse per traditionem libri euangeliorum ordinari diaconum, quando nondum erant euangelia conscripta. Quo argumento inter cætera nituntur qui hunc diaconatus ordinem putant non esse sacramentum, cùm in materia & forma sacramenti nihil possit ecclesiæ authoritate immutari. Que de re videatur Caietanus in tractatu de modo tradendi sacros ordines, & Dominicus circa hanc distinctionem. Vide etiam infrà, quo ritu presbyter ordinetur.

Spectat præterea ad sacerdotem reconciliandi peccatoris officium, cui coniunctum est peccatores corripere, atque errantes in viam reducere. Qua quidem in re diligentissimè sacerdotibus & episcopis olim diaconi cooperari solent. Nam, vt est apud Clementem in 1. epistola, & refertur à Gratiano distinct. 93. diaconus tanquam oculus episcopi sedulò circumlustrare & perscrutari deberactiones & studia fidelium, vt cùm de ijs episcopum certiorem fecerit, ille delinquentes vel priuatim vel publicè corripiet, prout se magis profecturum intellexarit.

Postremò ad episcopos & sacerdotes cura pertinet miserorum, velut pauperum, pupillorum, viduarum & peregrinorum. In quo pietaris officio constitutum atque obseruatum ab initio fuit, vt diaconus ordini superiori ministrando diligentem ac fidelem operam præstaret, sicut acta apostolica testantur: in quibus legimus 7. diaconos ab apostolis institutos ad hoc fuisse, vt viduarum, sub quibus cęteri quoque afflicti & inopes comprehenduntur, curam haberent.

Quòd autem non penitus à se vel ab episcopis remouerint hanc pauperum curam apostoli, ordinarie

dinatis ad eam rem diaconis, primùm inde perspicuum est; quòd Galat. 2. testatur apostolus se & Barnabam sollicitè ab alijs apostolis admonitos, vt pauperum memores essent: Deinde quòd idem suam illam sollicitudinem in epistolis ad Corinthios & alijs totis subinde declarat: tertiò quòd Lucas Actor. 11. & 12. testatur ministerium illud in pauperes à Paulo & Barnaba factum atque expletum esse; ac postremò quòd Timotheum episcopum idem apostolus instruit, quas viduas honorare, id est, ex ærario ecclesiæ alere debeat. Verùm quoniam experientia compertum erat hac quotidiana pauperum cura non parum interturbari sublimiorem ac magis spiritualem episcoporum functionem; id quod satis indicant apostolorum verba dicentium Actor. 6. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis*; hinc authoritate tantùm huius rei penes episcopos remanente, administratio atque occupatio externa diaconis commissa fuit.

Huius officij diaconalis meminerunt præter alios Clemens & Gregorius locis suprà memoratis: ille quidem dum vult diaconum episcopo suggerere si quis peregrinus aut alioqui opis indigena, suscipiendus sit vel eleemosynæ largitione adiuuandus; hic verò dum officio diaconi congruare dicit, vt ad eleemosynarum studium vacet.

Denique ex historia passionis sancti Laurentij patet olim penes archidiaconum fuisse thesaurum ecclesiæ ex oblationibus fidelium collectum, & episcopi iussu ac iudicio in pauperes erogandum. Testantur id Augustini, Leonis & Maximi sermones, & Prudentij hymnus in B. Laurentium, & de eodem locus Ambrosij lib. 2. officiorum capite 28.

§. 17. *Quod genus diaconorum ab apostolis constitutum.*

S. Thom. suppl. q. 37. art. 2 in corp. & in resp. ad 2 item ar. 4. ad 3.

VOlunt huius temporis sectarij diaconos quorum fit mentio Actor. 6. non ad aliud ab apostolis constitutos fuisse, quàm vt essent velut eleemosynarij quidam, quales nunc appellantur magistri mensæ sancti spiritus: id est, ad quos pertineret munus fideliter ac prudenter erogandi in viduas aliosque pauperes ea quæ fuissent à fidelibus in bonos vsum oblata.

Aduersus hunc errorem ostendendum nobis est, non merè profanum seu temporale, sed sacrum reuera fuisse ministerium etiam eorum quos apostoli in Actis ordinasse leguntur: Imò & tale fuisse quale & hodie à diaconis in ecclesia geritur, & suprà à nobis descriptum est.

Primùm itaque notandum quòd apostoli ad hoc munus non tantùm quæri voluerunt viros boni testimonij fideles atque industrios (quod quidem satis esse debuit pro rerum temporalium debita dispensatione) verùm insuper plenos Spiritusanctu & sapientia, id est, zelum insignem habentes pietatis & doctos mysteriorũ christianæ religionis. Quales profectò fuerunt illi septem à fidelibus electi & ab apostolis ordinati. Nã Stephanus de præcipuis mysterijs disputauit cum aduersarijs tãta spiritus vehementia, vt ei resistere non possent. Philippus prædicauit euangelium Samaritania, Eunucho, & alijs. Vnde & euangelistæ nomen meruit Actor. 21. Cæteri quoque Nicolao aduena excepto, præclarum in ecclesia Christi testimonium reddiderunt; quemadmodum de ijs testantur martyrologia. Tales igitur viros nequaquam credibile est ab apostolis ita sollicitè expetitos fuisse ad hoc vnum, vt nudo mensarum ministerio ac viduarum curæ præficerentur. Adde quod nec voluissent apostoli viros tam egregiè in doctrina fidei instructos, & proinde ad maiora idoneos ac necessarios licèt sponte oblatos; præficere rebus profanis. Id enim fuisset in fraudem & detrimentum ecclesiæ; eo præsertim tempore, quo ad fidem christianam vbique disseminandam talibus viris vel maximè opus erat, cùm nec deessent alij, minùs quidem docti, fideles tamen & industrij per quos illa temporalia rectè possent curari.

Vt autem ad hanc rem etiam patrum testimonia proferamus; manifesta est imprimis Ignatij martyris sententia in epistola ad Trallianos, in qua de diaconis sic legitur: Quid sunt diaconi nisi imitatores Christi ministrantes episcopo, sicut Christus patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam? quomodo sanctus Stephanus beatissimo Iacobo, & Timotheus & Linus Paulo, & Anacletus & Clemens Petro. Eam autem epistolam (ne quis de eius authoritate dubitet) Hieronym. in catalogo scriptorum ecclesiasticorum numerat inter alias Ignatij epistolas.

Deinde Cyprianus epistola 9 lib. 3. eandem functionem tribuit diaconis ab apostolis constitutis, quam diaconis sui temporis, dum istos admonet vt meminerint quòd illos apostoli constituerint episcopatus sui & ecclesiæ ministros.

Præterea Neocæsariense concilium can. vltim. secundùm regulam apostolicam septem requirit diaconos in vna ciuitate, prout in Actis apostolicis insinuatur. Id quod in ecclesia Romana suo tempore obseruatum fuisse testatur Cornelius Papa scribẽs ad Fabianum Antiochenum, vti refert Eusebius lib. 6. cap. 45.

Ex quibus consequens est vnius eiusque generis diaconos intelligi eos, qui iuxta canonem Neocæsariensem in vnaquaque ciuitate constituuntur cum ijs quos Act. 6. instituerunt apostoli; scilicet vtrosque sacrorum ministros.

Ad eandem institutionem respexit Prudentius, vbi de sancto Laurentio scribens ait: Hic primus è septem viris qui stant ad aram proximi. Sed eam rem multò clarius suo carmine nobis expressit Arator diaconus & Poëta, de apostolis ita canens:

Iura ministerij sacris altaribus apti,
In septem statuere viris, quos vndiq; lectos
Leuitas vocitare placet. Quam splendida cepit
Ecclesia fulgere manus, quæ pocula vitæ
Misceat, & latices cum sanguine porrigat agni.

Augustinus quoque Stephano è septem diaconis vni manifestè sacrum tribuit ministerium, quale nunc gerunt diaconi, cum ait sermone 4. de B. Stephano: Diaconus erat, euangelia legebat, quæ legis vel audis & tu. Pertinebat igitur ad officium diaconorum quorum vnus erat Stephanus, euangelium recitare. Hac etiam ratione Stephanus non tantùm diaconus à veteribus atque in officio diuino, verùm etiam Leuita sæpenumero vocatur: Imò si Aratori creditur, septem illi primi ab apostolis Leuitæ sunt appellati. Constat autem Leuitarum ministerium in veteri lege circa Dei cultum & sacrificiorum oblationem versatum, & proinde sacrum fuisse.

His accedit interpretatio V. Bedæ in Actor. 6.

qui tum priori expositione, tum in retractatione eiusdem operis apertissimè testatur septem illos diaconos ab apostolis vt sacris altaribus ministrarent, ordinatos fuisse. Nam priori loco ita scribit: Hinc iam decreuerunt apostoli vel successores apostolorum per omnes ecclesias septem diaconos qui sublimiori gradu essent cæteris, & proximi circa aram quasi columnæ altaris assisterent, & non sine aliquo septenarij numeri mysterio. Posterioris autem loci verba sic habent: Etenim communis quidem dispensatio exigebat, vt ministri pro viduis viri eligerentur: Verùm vbi inuenti sunt qui digni ad hoc ministerium esse viderentur, crescente gradatim, vt solet, prouidentia consilij salutaris; placuit eosdem ipsos altaris quoq; sacri ac dominici sanguinis sicut & refectionis, mensæque communis multitudinis credentium ministros ordinari. Quod probatum est verbo quo dictum est: *Et orantes imposuerunt eis manus.* Hoc etenim proprium est eorum, qui de communi fidelium numero ad sacrosancti altaris promouentur officium. Hactenus venerabilis Beda.

§. 18. *Responsio ad ea quæ contra obijciuntur.*

S.Thom. vbi sup.

Diluenda nunc sunt ea quæ aduersus hanc doctrinam obijciuntur.

Liber Actorum, inquiunt, tantùm tribuit diaconis profanum seu laicum ministerium erogandi fideliter eleemosynas viduis tam Græcorum quàm Hebræorum, nulla altaris aut sacrificij cui seruire debeant, facta mentione. Ad quod respondemus, si solam historiæ superficiem spectemus, videri posse non aliud fuisse tunc diaconorum officium, quàm quale nunc eorum qui eleemosynis ecclesiæ distribuendis præfecti sunt. Quod si verò penitus id quod res est, consideremus; nimirum ea quæ in pauperes & viduas erogabantur, fuisse non quascunque eleemosynas, sed collectas ex oblationibus fidelium tempore sacrificij; non difficilè erit intelligere, quales diaconos nobis eo loco scriptura describat; eos videlicet qui altari ministrantes, & sacerdoti assistentes, eleemosynas sacrificij tempore à fidelibus ad altare oblatas susciperent, & in ærarium ecclesiæ reponerent, ac postmodum in pauperes erogarent. Quem ecclesiæ morem pulchrè versibus depinxit Prudentius in hymno de Sancto Laurentio.

Eiusdem meminit Vrbanus 1. in epistola ad vniuersos episcopos scripta, & Gregor. 1. in epistola ad Augustinum Anglorum episcopum. Cuius rei forma etiamnum hodie in ecclesijs seruatur, dum plebs ad altare, non quidem agrorũ precia, vt olim sub apostolis, sed æra minuta offert, oblationem suscipiente diacono.

Eiusdem moris significatio est apud apostolum 1. Corinth. 16. quum de collectis quæ fiunt in sanctos loquens, monet vt per vnam sabbathi, Græcè κατὰ μίαν σαββάτων, id est, per singulas primas sabbathorum, hoc est per singulas dominicas (Est enim dies dominica prima cuiusque hebdomadæ dies) quisque apud se reponat aliquid in vsum sanctorum tribuendum, prout ab ipso ordinatum erat ecclesijs Galatiæ; sanctos intelligens pauperes qui erant Ierosolymis. Idcirco autem dominica die, quia tunc sacrificium offerebatur, & synaxis erat, quo tempore ad conferendas eleemosynas maior solet esse populi deuotio.

Ex his ergo satis apparet, etiam primos illos diaconos curæ viduarum præfectos, simul etiam altaris ministros fuisse.

Sed quæres cur huius sacri diaconorum ministerij Lucas in Actis non meminerit? Respondeo, primùm quia satis ei fuit narrare occasionem ordinationis eorum, quæ erat ex murmure Græcorum aduersus Hebræos super cura, & sustentatione viduarum. Vnde & huius officij solùm meminit, ne quidem de aliorum pauperum cura quicquam addens; cùm tamen nemo dubitet quin cura pauperum in genere & non viduarum tantùm, ad diaconos ab initio pertinuerit. Deinde, quia primi temporis christiani studiosè semper huiusmodi mysteria maximè quæ ad sacrificium pertinebant, celarunt infideles. Quare ne scripto commissa facilè in eorum manus venirent, sola voce velut res secretissimas transmittebant ad posteros; quemadmodum sanctus Dionysius, Basilius, Origenes & alij testantur, vti dictum est cum de forma huius sacramenti ordinis deque formis sacramentorum in genere ageremus. Nec modò infidelibus, sed & catechumenis ipsis occultabantur sacramenta fidelium, quemadmodum patet ex Augustino tract. 11. & 96. in Ioannem. Quare etsi fortè necessitas occurrisset scripto attingendi aliquid talium arcanorum; id ita tectè & parcè apostoli eorumque discipuli faciebant, vt ab infidelibus intelligi non possent. Sic Paulus ad Timotheum & Titum episcoporum describens officium, offerendi sacrificij nusquam expressè meminit. Et Lucas in Actis sacram communionem per fractionem panis tectè significauit, sicut & baptismi mysterium per ablutionem, & consignationis sacramentum per manuum impositionem. Cæterùm cuiusmodi, res illæ essent, vel quo ritu, & à quibus perficerentur; totum id sine scripto per manus tradebatur.

Secundò obijciunt commentarium Chrysostomi in eundem locum Actorum. Is enim homilia 14. in Acta affirmare videtur septem illos viros non eam accepisse ordinationem quæ nunc est diaconorũ, sed functionem laicam distribuendi viduis ea quæ in illarum alimentum reposita erant. Quod etiam apertius cõfirmat Oecumenius suis in eundem locum commentarijs. Respondeo, vtcumque se habeat sententia Oecumenij, cuius authoritas non ita magni est momenti; Chrysostomus certè (tametsi locus adeo obscurus est, vt meritò corruptelæ alicuius suspicionem præbeat) non aliud sentire videtur, quàm nomina dignitatum, videlicet episcopi, presbyteri, diaconi nondum per id tempus in ecclesia obtinuisse, sicut obtinuerunt postea. Nam & episcopos tunc in ecclesia fuisse negat, cùm dubium non sit apostolos iam tum reuera episcopos fuisse, iuxta illud: *Episcopatum eius accipiat alter* Actor. 1. Sed harum functionum vocabula non statim vsu recepta fuerunt.

Tertiò obijciunt canonem 16. sextæ synodi generalis, in quo disertè definitum sit scripturam Actor. 6. loqui non de viris qui ministrant mysterijs, sed de ministerio quod in vsu mensarum adhibetur, atq; id Ioannem Chrysostomum in eum locum scribentem sensisse, ideoque non rectè synodum Neocæsariensem in canone suo locum illum

id diaconos qui altari seruiunt, refutabile. Respondeo canones illos falsò tribui sextę synodo, vt quę multo ante fuerit celebrata annis videlicet 27. quemadmodum ex actis synodi facilè ostenditur, sed à schismaticis quibusdam & apostolicę cathedræ aduersarijs episcopis in Trullo imperiali palatio apud Constantinopolim congregatis, compositos atque editos fuisse. Vnde & alia nonnulla in illis canonibus reperiuntur sanæ doctrinæ & Romanæ ecclesię contraria.

Quartò solet obijci quod Hieronymus in epistola ad Euagrium & alibi diaconum mensarum & viduarum ministrum vocat. Sed ijs locis Hieronymus retundit diaconorum superbiam & insolentiam, qui praua quadam ecclesiarum quarumdam consuetudine presbyteris se anteponebant. Quos monet vt cogitent qua occasione primùm constituti fuerint diaconi, non tamen asserens in solo mensarum ministerio eorum officium versari. Velut si homini dicatur, quid superbis terra & cinis? non inde sequitur hominem præter cinerem nihil esse, sed contemplatione suæ originis admonetur humilitatis.

Hic postremò quæret aliquis, num & hodie sit penes diaconos eleemosynarum ecclesiasticarum dispensatio. Respondeo id necessarium non esse. Nam sicut in ecclesia sunt presbyteri sacrificantes, nec tamen plebem pascentes, id quod rectè fieri paulò pòst monstrabimus: ita sunt diaconi qui altari seruiunt, non mensis. Et ferè archidiaconis hodie, vt olim Laurentio, illa collectarum dispensatio concredita est. De quo dispensandi munere, qua fide & diligentia coram Deo administrandum sit, grauiter monet Augustinus epistola 148. ad Valerium episcopum.

§. 19. *De Presbyterorum officio præcipuo, quodque non omnes Christiani sacerdotes.*

S. Thom. suppl. q. 37. art. 2. in corp. item ar. 4. & 5. eidem in corp.

POstremus è septem idemque sacratissimus ordo est presbyterorum seu sacerdotum. Nam vtroque nomine eos ecclesia appellat. Horum proprium ac præcipuum munus ad quod reliquorum ordinum officia destinantur, & cui velut subseruiunt, est offerre Deo sacrificium corporis & sanguinis Domini. Atque hoc nomine presbyteri verè & propriè sunt sacerdotes. Vnde Augustinus libr. 20. de Ciuit. cap. 10. Episcopi, inquit, & presbyteri vocantur in ecclesia sacerdotes.

Est deinde quoddam sacerdotij genus omnibus christianis commune de quo Petrus 1. epist. 2. omnes fideles compellans ait: *Vos autem genus electum regale sacerdotium.* De quo etiam omnium sanctorum vox est in Apoc. 1. & 5. confitentium quod Christus ipsos fecit reges & sacerdotes Deo & patri suo. Quod beatus Hieronymus in dialogo aduersus Lucifer. sacerdotium laici appellat. Quo nimirum vnusquisque christianus etiam laicus offert Deo internas & spirituales hostias, quemadmodum eo loco paulò superiùs Petrus declarat. Siquidem eo generali sacrificij nomine (definiente Augustino libr. 10. de Ciuit. cap. 6.) comprehenditur omne opus virtutis quatenus eò refertur vt sancta societate Deo inhæreatur. Verùm sicut hæc interna sacrificia generali dumtaxat ratione, adeoque impropriè sacrificia dicuntur; ita quod ijs respondet, tantùm impropriè & quadam generali ratione sacerdotium dicitur, & qui eo funguntur sacerdotes.

Sed præter hæc indubitata fide tenendum est esse in ecclesia sacerdotium quoddam externum ac propriè dictum, quod ad eiusdem rationis sacrificium offerendum destinatur; videlicet corpus & sanguinem Domini. Nec minùs certò credendum est externum hoc sacerdotiũ non omnium fidelium multitudini cõmune esse, sed quibusdã proprium; ijs nimirum qui ad tale sacrificium offerendum legitimè consecrati sunt: id est, apostolis & eorum in hoc munere successoribus; cuiusmodi sunt omnes & soli in presbyterij gradu constituti. Adeo vt ne diaconis quidem, nec iure nec vlla commissione seu dispensatione potestatis ecclesiasticæ commune sit aut fieri possit, ac multò minùs cæteris quibuscunq; vel laicis Christi fidelibus. Quòd autem quibusdam hoc proprium sit & non omnibus commune, primùm conuincitur ea ipsa ordinatione tum apostolorum, tum eorum qui apostolis successerunt. Nam sicut non omnibus christianis sed apostolis tantùm à Domino dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis eos creauit sacerdotes, vt rectè definitum est sess. 22. cap. 1. conc. Tridentini; ita non cuilibet ab episcopo dicitur: *Accipe potestatem offerendi sacrificium, &c.* Quibus verbis post Christum, vt habetur in decreto Florent. ordinatio sacerdotũ in ecclesia perficitur.

Deinde probatur id ex veteris legis sacerdotio. Neque enim dubiũ quin sacerdotium nouę legis sit illo multò pręstantius. Atqui non obstante eo quod veteri illi populo dictum fuerat, Exod. 19. *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale*, vel vt 70. habent sacerdotium regale. Legale tamen illud sacerdotium non ad omnes promiscuè pertinebat, sed ad vnam dumtaxat tribum Leuiticam, & paucos ex ea tribu, nempe solos eos qui stirpis erant Aaronicæ, qui etiam ipsi in certas classes erant ordinatissimè distributi. Vnde qui sacerdotium illud sibi vendicare voluerunt, cum diuinitus ad id vocati non essent, vt Core cum alijs 250. viris Numer. 16. & Ozias rex 2. Paralip. 26. grauissimè à Deo puniti leguntur. Cùm igitur ecclesia Christi secundùm scripturam sit velut castrorum acies ordinata, multò magis eam ita ordinatè à Christo sponso suo dispo[...]portuit, vt quamuis ex omni gente & lingua & familia possint in ea assumi sacerdotes, non tamen omnes ad vnum christiani sacerdotes sint ac potestatem habeant offerendi sacrificium externum, sed illi soli qui ad hoc legitimè fuerint ordinati.

Atque hoc futurum tempore noui testamenti Dominus per Isaiam prædixit cap. 66. his verbis: *Assumam ex eis in sacerdotes & Leuitas*: videlicet manifestè significans non omnes noui testamenti filios fore sacerdotes & leuitas, sed ex eis certos quosdam ad id assumendos.

Vnde, vt ad hanc rem patrum ac totius ecclesiæ testimonia citemus.

Clemens libr. 3. const. ap. capit. 15. agens de eo qui post baptismum ab episcopo vngitur, ita scribit: In manus impositione caput illius vnget episcopus, quemadmodum sacerdotes & reges antiquo tempore vngebantur: non quòd qui nunc baptizantur, sacerdotes ordinantur, sed quòd à Christo christiani dicuntur, regale sacerdotium & gens sancta, &c.

Augustinus quoque serm. 49. de verbis Domini clarè asserit sacerdotes offerre sacrificium, quod laicis non licet. Hoc & Chrysostomus docet libr. 3. de sacerdotio cap. 5.

Nicena verò synodus can. 14. apertè negat etiam diaconos offerendi sacrificij habere potestatem.

Negat idem Hieronymus in epistola ad Euagrium & in dialog. aduersus Lucif.

Porrò synodus Lateranensis sub Innocentio 3. cap. 1. definit sacramentum corporis & sanguinis Christi à nemine confici posse, qui non sit sacerdos rite ordinatus secundùm claues ecclesiæ quas ipse concessit apostolis & eorum successoribus.

Denique synodus Tridentina sessione 23. cap. 4. grauiter admodum ratiocinatur in hunc modum: *Quod si quis omnes Christianos promiscuè noui testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm ecclesiasticam hierarchiam, quæ est vt castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si contra beati Pauli doctrinam omnes apostoli, omnes Prophetæ, omnes euangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores.* Et sessione 7. can. 10. ita statuit: *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo & omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Quæ quidem constituta sunt contra nonnullos articulos Ioannis Wicleff iam ante damnatos in concilio Constantiensi; & contra id quod Lutherus asseruit in libro de captiuitate Babylonica, omnes Christianos esse sacerdotes, & omnes in verbo & sacramentis potestatem habere. Sed de hac re nonnulla quoque ad distinctionem 13. dicta sunt.

§. 20. *De alijs presbyterorum officijs cum quæstione annexa de duplici charactere.*

S. Thom. suppl. q. 37. ar. 5. ad 2. vide quæ habet in di. S. Th. q. 17 & 18. de potestate clauium

SEcundo loco accipit is qui presbyter ordinatur, potestatem remittendi ac retinẽdi peccata, proferente episcopo hæc verba: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, &c.* His enim verbis eandem potestatem apostolis suis contulit Dominus post resurrectionem, Ioan. 20. Sed quia de hac potestate plenius actum est circa pœnitentiæ sacramentum, ideò hic tantùm attigisse sufficiat.

Cæterùm quæstionem hic mouent doctores, quando ei qui sacerdos ordinatur, conferatur gratia & character imprimatur: vtrùm tunc dum priora verba proferuntur significantia potestatem dati offerendi sacrificij; an verò dum hæc posteriora: & vtrùm altera potestas ab altera separari possit. Ad quod breuiter videtur respondendum, vtrobique dari eam potestatem cum gratia illi respondente quæ verbis ipsis significatur. Cuius ratio est, quia in ordinatione hoc confertur quod verba ordinantis significant, & quidem confertur per verba hoc ipsum significantia, velut per formam sacramenti; id quod non solùm in sacerdotio, verùm etiam in inferioribus ordinibus locum habere perspicuum est ex cõcilio 4. Carthaginensi. Hanc omnino apparet esse sententiam catechismi parochorum, in quo habetur quòd episcopus post traditam prioribus verbis potestatem sacrificandi, postea dicens: *Quorum remiseritis, &c.* tribuit peccata retinendi ac remittendi potestatem. Neque absurdum est duos hic agnoscere characteres, cùm sint duæ potestates, concurrentes tamen ad eiusdem ordinis perfectionem. De facto quoque certum est harum potestatum alteram ab altera separatam fuisse in apostolis; quibus vnam ante passionem suam Dominus, alteram dedit post resurrectionem. Iudas autem priorem tantùm habuit. Quamuis de iure in ecclesia Christi separari eas non ita contingit, quin semper altera post alteram detur velut vna quasi continua ordinatione.

Tertium porrò sacerdotis officium est, administrare & dispensare fidelibus sacramenta Christi; præcipuè verò baptismum, eucharistiam, pœnitentiam & extremam vnctionem. Nam sacramenta confirmationis & ordinis confert solus episcopus. Matrimonij verò sacramentum à quo ministro conferatur, necdum satis inter doctos conuenit. Quatenus autem ad sacerdotes eorum quatuor quæ diximus, sacramentorum administratio pertineat; proprijs locis vbi de singulis actum est, videatur.

Denique ad sacerdotis officium spectat doctrina & prædicationis ministerio pascere populum Dei. Verùm hoc munus principaliter episcopis incumbit vt qui propriè secundùm apostolum Ephes. 4. in ecclesia constituti sunt pastores & doctores: secundariò autem parochis qui episcopis in hoc subsidiariam nauant operam. Quos iuxta quorundam interpretationem apostolus 1. Corinth. 12. vocat opitulationes & gubernationes.

§. 21. *Presbyterium consistere sine ministerio verbi.*

S. Thom. suppl. q. 36 ar. 2. in corp. & ad 2.

IN ecclesia Dei indubitatum est ordinem presbyterij consistere sine officio prædicandi verbi Dei. Cùm enim ecclesia plurimos habeat & agnoscat presbyteros, quibus neque ordinariè, neque extraordinariè siue ex delegatione commissum sit regimen animarum; perspicuum est verbi ministerium, quod pars quædam est illius regiminis, non ad omnes presbyteros pertinere, & proinde falsum esse quod tradunt plærique huius temporis hæretici, presbyteros ecclesiæ ritu ordinatos, si docendi ac prædicandi munus in ecclesia non gerant, reuera neque presbyteros esse neque sacerdotes. Neque enim, vt ipsi volunt, in solo verbi ministerio consistit ordo presbyterij, sed vel maximè in his duobus; videlicet offerendi sacrificij potestate & absoluendi à peccatis. Id quod tum ex ijs quæ proximè dicta sunt, tum ex alijs quæ de ministris sacramentorum eucharistiæ & pœnitentiæ annotauimus, apertè constat. Cùm igitur rectè possit versari sacerdos in officio sacrificandi, imò & in officio reconciliandi, absque eo quod prædicãdi munus ei committatur; patet istorum primum atque etiam secundum à tertio posse separari.

Sed plenior erit huius rei probatio, si breuiter ostenderimus quod & scriptura & vetus ecclesia presbyteros agnoscant absque prædicandi officio.

Primũ celebris & clara est apost. Pauli sententia 1. Timoth. 5. qua vult presbyteros qui bene præsunt duplici honore dignos haberi, maximè qui laborãt in verbo & doctrina. Agnoscit igitur apostol. presbyteros quosdam in verbo & doctrina nõ laborantes, & tamen duplici honore dignos; si videlicet vel sacrificando, vel pœnitentes reconciliando sanctè & salubriter in ecclesia laborent.

Idem quoque conuincit Hieronymi disputatio contra Luciferianos docentis ordinem sacerdotij integrum etiam in hæreticis permanere, & Augustini contra Donatistas ostendentis sacramentum ordinationis nulla impietate amitti, vt videre est lib. 2 contra epist. Parmen. cap. 13. & libr. 1. de baptismo contra Donatistas cap. 1. & apertissimè lib. de bono coniugali cap. 24. vbi sic ait: Si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis; & si aliquã cul-

psa quicquam ab officio remoueatur, sacramento Domini semel imposito non carebit. Igitur secundum Augustinum qui semel ordinatus est in presbyterum, semper talis manat; siue plebem regat atq; in doctrina laboret, siue non: quia nimirum character ordinis indelebilis est; quemadmodum infrà ducebitur.

Adde quod multi in monasterijs nulla plebis regendæ cura onerati, presbyteri tamen fuerunt etiam primis illis ecclesiæ temporibus; vt mox exemplis ostendemus.

§. 22. *Presbyterium & regimen animarum cum monachatu consistere.*

Vide quæ habet : Thom. 2. 2 q. 187 art. 1 q. 188 art. 4 q. 189 art. 7.

CONtra Caluinum aliosque nostri temporis hæreticos, qui negant eum qui monachus sit simul presbyterum esse & animarum præfecturam habere posse, sed hoc ipso quo plebem regit monachico statu excidere; probandum est ea duo minimè inter se pugnare, atq; adeo veterem ecclesiam monachos habuisse, qui simul episcopi vel presbyteri fuerint, & plebi regendæ præessent. Et quidē nullā esse repugnantiam inter statum monachi, & presbyteri, ex vtriusque propria ratione demonstratur.

Monachus enim is dicitur qui euangelica consilia voto complexus statum perfectionis profitetur; Presbyter verò cui potestas offerendi sacrificij, itemque potestas ligandi & soluendi tradita est. Inter has autem rationes vsque adeo nihil apparet repugnantiæ, vt altera cum altera quàm maximè consentiat. Decet enim eum cui tam diuina potestas concredita est, etiam vitæ perfectione Deo proximum fieri, & ad eam assequendam per euangelica consilia tendere & conniti. Eadem ratio est si presbyterio adiungamus regimen animarum, quandoquidem singularem charitatem in qua consistit hominis perfectio, Dominus exigit ab eo cui suas ouea pascendas committit Ioan. 21.

Iam verò, vt rem exemplis antiquitatis probemus, primùm apostoli quamuis non in solitudine, neque in monasterijs vitam egerint, euangelica tamen consilia sub Christo præceptore sunt amplexati; vnius Petri ore dicentes: *Ecce nos reliquimus omnia*, & nihilominus imò multò magis idonei pastores & rectores ecclesiarum fuerunt. Idemque de proximis eorum successoribus similiter institutis sentiendum est.

Deinde vt notiora proferamus, sine dubio monachi fuerunt Basilius, Martinus, Augustinus, Gregorius magnus, & alter Augustinus Anglorum episcopus, qui vt partim ex ipsorum scriptis, partim ex Sulpicio, Possidio, Ioanne diacono, alijsque scriptoribus constat, in monasterijs suis degentes, & monasticam vitam excolentes, simul ecclesijs suis præfuerunt & populum docuerunt.

His adde Eusebium Vercellensem episcopum, de quo ad ecclesiam Vercellensem scribens Ambr. epist. 82. testatur ipsum primùm in Occidentis partibus hęc duo coniunxisse, vt & instituta monachorum teneret, & ecclesiam regeret.

Quàm autem illa duo pulchrè consentiant, Hieronymus in epistula ad Nepot. testatur cùm de monachis qui ijdem & clerici sunt verba faciens ita subiungit: quorum & sacerdotium proposito, & propositum ornatur sacerdotio.

Patet igitur horum exemplo & testimonio non modò cōsistere presbyterium cum monachatu, sed & alteri ex altero decus & ornamentum accedere.

Verùm & illud deinceps ostendendum quod superiori connexum est, fuisse olim in ecclesia monachos qui quidem plebem non regerent, sed tamen presbyteri essent, & sacrificium altaris offerrent, aliaque sacramenta subinde administrarent. Qua ex re pleniùs quoque elucescet quod modò diximus, presbyterium sine verbi ministerio consistere.

Hieronymus in epistola ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani scripta, commemorat fuisse in suo monasterio quinq; presbyteros, atque eos tùm periclitantes quosdam suo iure baptizare possent, alijs potiùs baptizandos obtulisse. Quo etiam loco cap. 15. queritur se à Ioanne episcopo presbyteri nomine truncatum, cùm ab illo non aliud quàm Hieronymus vocaretur, ac vicissim paulò pòst sibi gratulatur de presbyteri nomine quo truncatus fuerat reposito. Denique cap. 16. affirmat sic se presbyterum creatum, vt tamen monachus esse non destiterit. Ita videlicet vir ille sanctus vtrumque titulum suum defendit, vt neutrius nominis ex altero iacturam vllam in se agnoscat. Item in epistola ad Theophilum aduersus errores eiusdem Ioannis conscripta, de fratre suo Pauliniano loquēs, clericatum imò presbyterij gradum ei tribuit, tametsi in monasterij cellula quiescente.

Porrò ad eundem Ioannem Hierosolymitanum scribens Epiphanius in epistola quæ ab Hieronymo versa inter eius epistolas habetur, dicit se in Hieronymi monasterio Paulinianum primò diaconum, deinde presbyterum ordinasse, propterea quòd multitudo fratrum in monasterio consistens, nullum se habere quereretur qui sibi Domini sacramenta conficeret; eò quòd sancti presbyteri Hieronymus & Vincentius, propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte ministerij quæ Christianorū præcipua salus est. Ac rursum eodem loco Gregorium quendam presbyterum simul & monachorum abbatem vocat.

E quibus manifestum est, iam olim etiam in monasterijs fuisse presbyteros ad hoc solum ordinatos, vt Domini sacramenta conficerent & sacrificia celebrarent. Quæ res etiam Greg. 1. & V. Bedæ testimonijs liquidò comprobatur.

Nam Gregorius libr 4. dialog. cap. 55. sui monasterij præposito mandat 30. continuis diebus missæ sacrificium pro defuncto quodam offerri. Et in resp. ad 1. quæstion. Augustini Anglorum episcopi, commonet eum vt cum clero suo vitam agat monasticam.

Beda quoque, quem presbyterum fuisse non dubium est, in fine historię suæ Anglicanæ scribit se perpetuò mansisse in monasterio. Quod & alibi identidem significat vt lib. 4. cap. 22. & 14. & lib. 5. cap. 11.

Præterea potest hæc res probari ex varijs pontificum rescriptis quæ collecta habentur in decreto Gratiani causa. 16. quęst. 1. quorum hic citationem studio breuitatis omittimus.

§. 23. *Responsio ad quædam hæreticorum argumenta.*

S. Thom. locis proxime allegatis.

CVm hæc quam diximus, sententia ex tota vetustate comprobetur; potissimùm verò testimonijs Hieronymi & Gregorij: ex ijsdem tamen authoribus eandem veritatem oppugnare conantur aduersarij.

Ex Hieronymo quidem, qui contra Vigilantium scribens sic ait: Monachus non doctoris sed plangentis habet officium. Quod totidem verbis à Bernardo repetitum est epistola 323. ad Henricum Moguntinum archiepiscopum.

Ex Gregorio autem qui epistola 11. libr. 3 presbyteros & cuiuslibet ordinis clericos prohibet abbates in monasterijs fieri: dicens ecclesiasticum ordinem & vitam monachicam sibi mutuo esse impedimento.

Ad vtrumque sic respondemus.

Secundùm Hieronymum monachus doctoris officium non habet, quatenus monachus est; sed nihil vetat doctum monachum alios docere vel scripto, vt ipse fecit Hieronymus inter præcipuos ecclesiæ doctores meritò numerandus; vel vocis officio, vt alij fecerunt suprà memorati.

Gregorius autem de ijs loquitur presbyteris quibus parochiales ecclesiæ commissæ sunt, quique in monasterio nō habitant, sed extra monasterium constituti plebem regunt: quos certè monasteriorum præfectos fieri non expedit, nisi monasterium in eiusdem ecclesiæ loco situm sit; quomodo Augustinus in suo monasterio degens Hipponensis ecclesiæ presbyter, & deinde episcopus factus est.

Obijciunt quoque verba Leonis 1. ex epistola 62. vetantis ne quis præter eos qui sunt sacerdotes Domini, sibi ius prædicandi audeat vendicare, siue sit monachus, siue laicus qui alicuius scientiæ nomine glorietur. Sed facilis est ex ipsis verbis responsio, Leonem loqui de monacho qui tantùm monachus sit & ad prædicationis officium nondum vocatus. Non enim sufficit vel professio monastica, vel doctrina sine vocatione.

Alias obiectiones cum suis solutionibus videre licet apud Gratianum loco iam citato, vbi hanc quæstionem fusè tractat & bene determinat.

§. 24. *Quo ritu presbyter ordinetur, deq; manus impositione.*

S. Thom. suppl. q. 34. ar 5. q. 37. a. 5 in corp.

ORdinari presbyterum per manus impositionem, certum apparet ex sacris literis. Nam in vtraque ad Timotheum epistola ordinatio eius per manus impositionem designatur c. 4. & 2. 1. & eidem presbyteros ordinaturo dicitur; *Manus cito nemini imposueris* 1. Timoth. 5.

Confirmatur hoc ipsum testimonijs patrum.

Nam Dionysius Areopagita ecclesiast. hierarch. cap. 5. part. 2. ordinationem sacerdotis deferA bens, manum pontificis capiti eius imponendam docet: & parte tertia mysterium per manus impositionem significatum explicat, videlicet protectionem Dei cum qui consecratur, fouentis, & contra aduersarias potestates defendentis.

Similiter Hieronymus in cap. 58. Isa. scribens, testatur ordinationem quæ Græcis χειροτονία dicitur, nō solùm ad imprecationem vocis, sed ad impositionem manus impleri.

Item Synodus quarta Carthaginensis cui Augustinus interfuit can. 3. presbyterum ordinari B dicit episcopo eum benedicente & manum super caput eius tenente.

Quòd si ad veteris populi gesta recurramus, inueniemus hunc ritum etiam ibi simile aliquid habuisse. Legimus enim Moysen iubente Domino manus imposuisse Iosue, quando eum populi ducem designauit Num. 27. & Deut vlt.

Sed contra hæc in promptu est obiectio ex decreto Florent. in quo dicitur presbyteratum conferri per calicis cum vino & patenæ cum pane porrectionem, nulla manus impositionis facta mentione. Atque id apostolorum ordinationi in C cœna factæ conforme est, quibus porrecto corpore & sanguine suo dixit Dominus: *Hoc facite, &c.* Respondendum videtur omnino tenendum esse quod Florentini patres statuerunt: Neque tamen decreto illi aduersari quæ de manus impositione dicta sunt, quia potius alterum in altero contineri. Nam manus impositio siue sacramentum ordinationis, siue chrismatis, siue reconciliationis designet (Ad hæc enim omnia vsu veteris ecclesiæ vocabulum illud extenditur) non nudam illam actionem significat qua manum capiti alterius quis imponit, sed totum illum agen-D di ritum & ordinem quem seruandum esse ex traditione didicit is qui sacramentum confert. Alioqui enim & orationem exclusam intelligere oportebit, cùm eius apostolus nullam faciat mentionem; quam tamen in presbyterorum ordinatione ab apostolis adhibitam fuisse, non est ambigendum, cùm adhibitam legamus in ordinatione diaconorum Actor. 6. Sed ad occultandum infidelibus sacramenta christiana, vnius cæremoniæ vulgo satis notæ ac receptæ nomine, scriptura voluit etiam cæteras occultiores mimi neque publi-E candas subintelligi. Quam rem disertè explicat commentarius Ambrosio inscriptus in 1. Timoth. 4. docens hoc generali nomine etiam mystica verba comprehendi.

Concilium quoque Mileuitanum can. 12. eo vocabulo vtitur pro precibus alijsque sacramentorum ritibus, dum vetat manus impositiones alias celebrari, quam quæ in concilio probatæ essent.

Quod si manus impositionem solam intelligas ritibus alijs exclusis, ea sicut in confirmatione & F pœnitentium absolutione, ita & in ordinatione, neque sacramentum constituit, neque ad sacramenti substantiam necessaria est: id quod non tantùm ex decreto Florent. verùm etiam ex rescripto Gregorij 4. doceri potest, qui sacramentum ordinationis iterari prohibet, si manus impositio fuerit prætermissa, sed eam statuto tempore vult suppleri, vt est libro primo decretal. titulo de sacramentis non iterandis, cap. presbyter.

An autem apostoli statim initio in ordinandis presbyteris fuerint vsi rebus & verbis prorsus ijsdē quibus nunc ecclesia vtitur, non omnino certum

est, & fieri potest vt dispensatione quadam diuina aliquid eorum omitterent, sicut de confirmationis sacramento dictum est. Id quod etiam de diaconorum ordinatione dici potest; tametsi testatur Augustinus sermone 4. de beato Stephano, Stephanum tanquam diaconum euangelia legisse. Quo posito non improbabile videri debet eum qui euangelia in ecclesia legebat, per traditionem libri euangeliorum fuisse ordinatum. Sed in contrarium est quod euangelia nondum erant conscripta. Quamquam illud non dubitandum, quin ritus huius sacramenti quos vt essentiales hodie seruat ecclesia, ab apostolis Christo authore fuerint ecclesiæ traditi, etiamsi fortè ijs apostoli non semper fuerint vsi.

Cæterùm quare diacono solus episcopus manum imponat, presbytero autem episcopus vna cum alijs presbyteris; rationem indicat quarta Synodus Carthaginensis can. 4. quia nimirum diaconus non ad sacerdotium sed ad ministerium consecratur, presbyter autem ad sacerdotium; & proinde à compresbyteris velut in consortium paris dignitatis assumitur.

Est præter supradictas & alia solemnis ceremonia quæ in hoc sacramento adhibetur. Vnguntur enim sacro chrismate manus (& in quibusdam ecclesijs etiam caput) seu potius primores digiti eius qui initiatur. Cuius rei significationem habemus apud Dionysium Areopagitam eccles. hierarch. cap. 4. part. 3. vbi de sacro vnguento eiusque vsu disserit. Expressius autem meminerunt Radulfus lib. 6. in Leuit. cap. 2. & Innocentius 3. libr. 1. decretal. titulo de sacra vnctione. Typus quoque eius expressus fuit in consecratione sacerdotum Leuiticorum; quemadmodum idem Innocentius ibidem declarat.

Quod autem Nicolaus papa apud Gratianum distinct. 23. cap. præterea. negat in Romana ecclesia sacerdotis manus chrismatis liquore perungi; id alij intelligunt non quidem chrismate fieri, sed oleo sacro: alij respondent manus quidem totas non perungi sed tantùm primores digitos, vt id constitutum videatur à pontifice contra eos qui anxia quadam religione totas manus sibi ab episcopo dum consecrantur, perungi cupiunt.

Iam quod ad alteram attinet ordinationis partẽ qua presbyteris datur potestas retinendi ac remittendi peccata, idq; per verba ab episcopo ad eos prolata: *Accipite spiritumsanctum, Quorum remiseritis, &c.* pro ea notanda sunt hæc patrum loca.

Chrysostomus & Cyrillus in dictum locum Ioannis. Greg. hom. 26 super euang. Eundem euangelij locũ tractãs. Ambrosio ascriptus cõmentarius in 1. Tim. 4. Quorũ concors doctrina est, ita ad apostolos ea verba dicta esse à Christo, vt vim haberent in successoribus eorum episcopis & sacerdotibus.

Deniq; author quæst. vet. & noui test. apud Aug. q. 93. manifestè declarat morem veteris ecclesiæ, quo episcopus presbyterum ordinans eadem verba proferebat quæ à Christo ad apostolos dicta sunt, eorumq; virtute conferri ordinatis vna cum potestate spirituali gratiam sanctificantem.

Ex quibus omnibus quàm maximè probabile efficitur, quod suprà diximus; nempe potestatem clauium non prius conferri sacerdotibus, quàm ad eos ab episcopo prolata fuerint verba iam dicta.

§. 25. *Episcopus à presbytero quatenus differat.*

PResbyterij grado superior est dignitas episcopalis; quam quidem dignitatis excellentiam habẽt episcopi nõ tantũ ex ecclesiastica vel apostolica traditione seu constitutione aliqua, sed ex iure diuino, & institutione Christi.

S. Thom. suppl. q. 40 ar. 4. 5. 6. vide etiam 2. q. 58.

Et quidem vtcunque superiores esse presbyteris episcopos siue humano siue diuino iure, tam euidens est ex toto ecclesiæ decursu & omnium patrum sententia, vt magnæ sit impudentiæ diuersum asserere.

Etenim ipse Hieronymus qui maximè videri potest presbyteros episcopis æquasse, discrimen inter eos haud dubiè agnoscit non vno loco. Nam in epistola ad Pammachium aduersus errores Ioannis Ierosol. scripta, damnat has voces: nihil interest inter presbyterum & episcopum, eadem dignitas est vtriusque. Et in epistola ad Euagrium dicit in schismatis remedium factum esse, ne vnusquisque ad se trahens Christi ecclesiam rumperet, quod vnus electus est inter presbyteros qui cæteris præponeretur. Repetit hoc ijsdem pene verbis commentans in Tit. 1. vbi etiam apertè asserit episcopos esse presbyteris maiores, comparans eos cum Moyse, sicut & presbyteros cum 70. senioribus à Moyse electis. Rursum in dialog. contra Lucifer. Ecclesiæ salus, inquit, in summi sacerdotis dignitate pendet: cui si non exors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesijs efficientur schismata, quot sacerdotes. Citant nonnulli præterea locum è commentario in 1. Tim. 3 vbi sic legitur: Quæritur cur de presbyteris nullam fecerit apostolus mentionem? Sed eos in episcoporum nomine comprehendit; quia secundus, imò pene vnus est gradus; sicut ad Philippenses episcopis ac diaconis scribit, cùm vna ciuitas plures episcopos habere non possit. Verùm commentarius ille reuera non Hieronymi sed Pelagij est; quem proinde ad hoc tantùm proferre liceat, vt intelligamus quæ fuerit illius seculi doctrina communis de discrimine episcoporum & presbyterorum, nempe gradus diuersos esse, tametsi vicinos. Verba prorsus similia leguntur in commentario Chrysostomi ad eundem locum.

Alia patrum testimonia si quis requirat, videat Clementem constitut. ap. lib. 3. cap. 16. vbi presbyterum episcopo vult esse subiectum: Ignatium in epistola ad Smyrnenses, vbi hoc discrimen manifestè statuit: Innocentium 1. in epistola ad Decentium, vbi dicit presbyteros licèt sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habere: Epiphanium, Philastrium & Augustinum in hæresi Aërianorum, qui quod discrimen illud tollerent, hæretici habiti sunt. Item Augustinum in lib. de fide & operibus ca. 17 & in concilio Carthaginensi 4. cui ipse interfuit can. 36, quibus locis agnoscuntur presbyteri episcopis inferiores, etiam illi qui plebes particulares regebant, quos hodie parochos vel curatos vocamus.

Denique tam multa in hanc rem exstant pontificum & conciliorum decreta & canones, vt ea superuacaneum sit enumerare. Imò discrimen hoc ex scripturis non obscuro argumento colligitur. Vult enim apostolus 1. Tim. 3. episcopum

esse

esse doctntem & Tit 1. talem *qui potens sit exhortari, in doctrina sana & eos qui contradicunt arguere* Presbyteros autem tales non necessariò requirit; quandoquidem 1. Tim. 5. agnosci presbyteros, qui non laborant in verbo & doctrina, & tamen benè præsunt; ac proinde duplici honore digni sunt habendi. Idem Timotheum tanquam episcopum presbyteris superiorem ac iudicem constituit, eodem capite dicens: *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus.* Tito quoq; Cretensium episcopo præcipit, vt per ciuitates constituat presbyteros siue episcopos. Hoc autem opus est superioris. Erant igitur inter ipsos etiam episcopos alij alijs superiores; quantò magis episcopi presbyteris? Eadem ratio est de Timotheo, qui Asianorum episcopus siue archiepiscopus accepit ab apostolo formam episcopi qualis esse debeat, non ob aliud, quàm vt sciat quales episcopos per Asiam constituere debeat.

Quod autem iure diuino sint episcopi presbyteris superiores, etsi non ita clarum est è sacris literis, aliunde tamen satis efficaciter probari potest. Probatur autem tam ratione quàm testimonijs veterum.

Ratione quidem eaque certissima, quia possunt episcopi quatenus episcopi sunt, facere quædam ad quæ presbyterorum potestas non extenditur, cuiusmodi primùm sunt episcopos, presbyteros, diaconos aliosq́ue ecclesiæ ministros ordinare, & confirmationis sacramentum conferre, deinde consecrare oleum, chrisma, templa, altaria, aliaque eiusmodi. Quæ cùm à presbytero fieri non possint, imò & attentata irrita sint vel omnia vel pleraque; consequens est ex diuino iure competere episcopo potestatem ordinis quam presbyter non habet. Nam si humano iure tantùm hæc episcopis competeret, transferri posset eodem iure in quoslibet sacerdotes.

Agnouit hoc quoque Hieronymus in epistola ad Euagrium, quamuis in ea propter fastum quorundam diaconorum presbyterij gradum valde extollat: *Quid facit*, inquit, *excepta ordinatione episcopus quod presbyter non faciat*, Sub ordinatione confirmationem comprehendens, quæ est ordinatio quædam fidelium ad militiam christianam.

Hanc enim etiam episcopis propriam facit in dialogo contra Lucifer. & ita propriam vt nec in periculo mortis concedat alijs. Ad Euagrium autem scribens demum ita concludit: & vt sciamus traditiones apostolicas sumptas de veteri testamento, quod Aaron & filij eius atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc sibi episcopi & presbyteri & diaconi vendicent in ecclesia. Sic ille. Atqui diuino iure Aaron filijs suis tanquam pontifex sacerdotibus prælatus fuit: igitur consequens apparet ex verbis Hieronymi (quicquid tandem de hac re senserit Hieronymus, quod infrà videbimus) eodem iure, id est, diuino prælatum fuisse presbyteris episcopum.

Quin & iurisdictionis potestatem ampliorē habet episcopus presbytero etiam iure diuino. Nam, vt Anacletus aliiq́ue patres sæpe testantur, & confirmat Tridentina synodus sess. 23. cap. 4 in apostolorum locum episcopi successerunt; qui proinde propriè & principaliter sunt ecclesiarum suarum pastores & doctores, inferioribus presbyteris dumtaxat in partem sollicitudinis atque officij vocatis. Quòd si parochi iure diuino æqualem cum episcopis haberent potestatem iurisdictionis in subditos; iniuria eis fieret in eo quod potestas

A excommunicandi, indulgentias conferendi, aliaque similia quæ iurisdictionis episcopalis sunt, nusquam eis nisi extraordinaria commissione permitterentur.

Porrò inter veteres imprimis Anacletus papa epistola 2. & 3. disertè docet duos ordines seu gradus à Domino constitutos, episcoporum & sacerdotum; quorum episcopi sacerdotibus sunt superiores.

Eadem est expressa Dionysij Areopagitæ sententia lib. eccles. hierarch. cap. 5 vbi tam distinguit inter episcopum & sacerdotem, quàm inter sacer-

B dotem & diaconum.

His æqualis Ignatius in epistola ad Ephesios, item ad Smyrnenses, Magnesianos, manifestè à Presbytero episcopum distinguit, & hunc illo superiorem esse ostendit, non minus quàm presbyter diacono superior est, satisq́ue significat eam episcopi eminentiam à Christo authore & institutore fluxisse.

Denique author quæstionum veteris & noui testamenti quæst. 97. Nemo, inquit, ignorat episcopos saluatorem ecclesijs instituisse, &c.

C Fuit autem illud adeo certò persuasum olim in ecclesia, vt hæreticus habitus fuerit Aërius qui hoc discrimen tollere conatus fuit; quemadmodum videre est tum apud scriptores historiæ ecclesiasticæ, tum apud tres authores suprà citatos; tametsi de iure diuino non ita expressè meminerunt. Eam hæresim in lucem reuocauit posterioribus seculis Ioannes Wicleff, & hoc nostro seculo Lutherus atque alij eo recentiores. Damnauit autem Tridentina Synodus sess. 23. capit 4. & cap. 6. & 7. vbi

D quod ad rem propositam maximè facit, cap. 6. definitum sub anathemate legitur in hunc modum: *Si quis dixerit in ecclesia Catholica non esse hierarchiam diuina ordinatione institutam quæ constat ex episcopis, presbyteris & ministris anathema sit.* Quibus verbis non tantùm significatur ordinatione diuina institutam esse hierarchiam ecclesiasticam, sed ita institutam vt ex episcopis, presbyteris & ministris constaret: nimirum tanquam partibus distinctis & ordinem inter se habentibus; ita vt alij alijs sint superiores: id quod à Dionysio apostolorum discipulo clarissimè tradi-

E tum est.

Videantur autem & hæc patrum loca. Cœlestinus pontifex in epistola ad episcopos Galliæ capite primo, Leo epistola 27. & 88. Innocentius tertius libro primo decretalium titulo de sacra vnctione. Augustinus libro primo de actis cum Felice Manichæo capite duodecimo, & concilium Hispalense 2. capite quinto & septimo.

Neque contemnenda est hæc quorundam ratio, qua ius hoc diuinum probare nituntur; quia

F constat inter omnes orthodoxos Petrum eiusq́ue successores iure diuino primatum tenere totius ecclesiæ. Igitur quo iure vnus omnibus prælatus fuit, eodem oportebat etiam particularibus ecclesijs suos præesse antistites; vt sic à capite per maiora membra ad minora charismatum influxus descenderet.

§ 2 Ad

§. 26. *Ad hæreticorum obiecta responsio.*

S. Thom. locus prælegatus.

SVperest vt respondeamus argumentis aduersariorum, quorum primus Aërius apud Epiphanium hæres. 75. sic ratiocinando loquitur: Quid est episcopus ad presbyterum? Nihil differt hic ab illo. Vnus enim est ordo, & vna dignitas: Imponit manus episcopus; ita & presbyter. Lauacrum dat episcopus; similiter & presbyter. Dispensationem cultus diuini facit episcopus; & presbyter similiter. Sedet episcopus in throno; sedet & presbyter. Respondet autem Epiphanius multa quidem presbyteris cum episcopis esse communia, sed non omnia. Episcoporum enim ordo, inquit, patrum generator est. Patres enim generat ecclesiæ, scilicet presbyteros. At presbyterorum ordo non potens generare patres per lauacri regenerationem, generat filios ecclesiæ, non tamen patres aut doctores. Imperfecta igitur erat & viciosa Aërij inductio.

Obiecit præterea Aërius apostoli locum 1. Tim. 3. vbi cùm de episcopo verba fecisset, continuò ad diaconum transitum fecit, omissa presbyteri mentione. Vnde consequens esse volebat apostolum pro eodem habuisse episcopum & presbyterum. Ad quod quidem Chrysostomus in eum locum commentans respondet ideo de presbytero tacitum esse, quia inter episcopum & presbyterum interest ferme nihil; cùm episcopi sola ordinatione, quæ confirmationem comprehendit, sint presbyteris superiores. Eandem ferè reddit rationem commentarius Ambrosio & alter Hieronymo asscriptos. Epiphanius tamen hanc Aërij obiectionem aliter refellit, dicens apostolos initio propter ministrorum raritatem, singulis ecclesijs tantummodo episcopum attribuisse cum diaconis; & quòd per hos solos sine presbyteris ecclesiastica ministeria compleri possent. Quicquid enim presbyter facit, & episcopus facere potest; non contra. Cæterùm diaconi ministerio episcopum nullo modo carere potuisse.

Tertiò posteriores hæretici nobis opponunt ac vehementer vrgent authoritatem Hieronymi, qui in epistola ad Euagrium & in cōmentario super Tit. 1. prorsus videtur ad institutionem ecclesiasticam referre præcellentiam quam supra presbyteros habet episcopus. Nam priori loco dicit ex scripturæ manifestissimè comprobari, eundem esse presbyterum atque episcopum, citans ad eam rem aliquot scripturæ loca; ac deinde subiungit: Quòd autem postea vnus electus est qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Christi ecclesiam rumperet. Et mox creationem episcopi ex presbyterorum numero comparat cum electione archidiaconi è numero diaconorum, adferens & alia nonnulla ad eius sententiæ probationem. Posteriori verò loco verba apostoli quibus ait: *Oportet episcopum sine crimine esse*, huiusmodi sermone prosequitur: Idem est ergo presbyter qui & episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*, communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò vnusquisque eos, quos baptizauerat,

A suos putabat esse, non Christi; in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.

Deinde hanc suam sententiam nempe episcopum & presbyterum vnum esse, scripturæ testimonijs confirmat, ac demum ita concludit. Hæc propterea, vt ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos & episcopos, paulatim verò vt dissensionum plantaria euellerentur, ad vnum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine
B ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos; ita episcopi nouerint se magis consuetudine quàm dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in commune debere ecclesiam regere. Hactenus Hieronymi verba, propter quæ plærique planè existimant hanc Hieronymi fuisse sententiam, episcopos non diuino sed humano ecclesiæ iure presbyteris esse superiores. Nec id mirandum, cùm ea res nondum ecclesiæ iudicio esset determinata.

Veruntamen si hæc eius verba cum ijs conferantur quæ pro episcoporum prærogatiua ex eo suprà citauimus, non immeritò videri poterit,
C Hieronymum sensisse quidem, quòd potestatem iurisdictionis supra presbyteros habeat episcopus ex constitutione humana, potestatem verò ordinis ex iure diuino; quandoquidem & ordinationem in epistola ad Euagrium nominatim excepit, dicens: Quid facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?

Quartò obijcitur eiusdem Hieronymi epistola ad Rusticum Narbonensem de septem gradibus ecclesiæ, vbi sine exceptione dicit presbyteris facere posse quicquid episcopus, licèt quædam episcopis sint reseruata. Item presbyterium esse
D episcopatum, & in presbytero summā sacerdotij, id est, episcopatus collocari. Sed respondendum non esse eam Hieronymi epistolam, ipsumque adeo authorem in fine quædam à se dicta mitigare, & submittere iudicio eius ad quem scribit, atque ingenuè agnoscere quod episcopus sit lex presbyteri. Quòd enim Hieronymi non sit ea epistola, vel inde patet quòd diaconum supra modum extollat, cuius fastum Hieronymus vbique deprimit. Similiter non magni ponderis est authoritas com-
E mentatoris in epistolas Paulinas apud Ambrosium, qui in ephes. 4. similia quædam verba scripta reliquit.

Quintò potest ex Augustino obijci, quod in epistola ad Hieronymum numero 19. dicit, secundùm honorum vocabula quæ nunc vsus obtinuit, episcopum esse presbytero maiorem. Respondetur eorem non aliud Augustinum significare, quàm quod olim secundùm vocabula non fuerit inter episcopum & presbyterum distinctio; erat enim presbyteri nomen vtrique commune.
F Non tamen negat Augustinus rerum distinctionem, quam apertè confirmat in hæresi Aërianorum & alibi.

Postremò mouere aliquem potest quod Ignatius dicit in epistola ad Smyrnenses: Sacerdotium summa est omnium bonorum quæ in hominibus consistunt. Sed facilè respondetur ibi sacerdotij nomine comprehendi episcopatum. Sic enim olim non rarò loquebantur, episcopalem dignitatem sacerdotij, & episcopos sacerdotum nomine significantes: de qua re mox aliquid dicemus.

Verùm

Vtrùm autem presbyterium cum episcopatu vnus idemque ordo sit, an diuersus; infrà peculiari quæstione tractandum erit. Illud interim tenendum, iure diuino discrimen inter vtrumque consistere, etiamsi quod multis placet, ordines diuersos non constituant. Sed de hac re infrà.

§. 27. *Explicatio trium vocabulorum, episcopi, presbyteri, & sacerdotis.*

S. Thom. sup. 4. d. 24. q. 3. ar. 4. vide etiam quæ habet sic angelicus doctor 2. 2. q. 184. a. 6. ad 1. & 3. p. q. 22. art. 1. in corp.

TRia sunt vocabula, episcopus, presbyter, sacerdos, ex quibus velut indistinctis argumentum sumunt hæretici, quo episcopum cum presbytero & sacerdote confundant. Quæ proinde nobis hic distinguenda sunt, & quem vsum vel nunc habeant, vel olim habuerint, explicandum.

Ac primùm quidem si vocum etymologiam expendamus, episcopus inspectorem, presbyter verò seniorem significat: quorum alterum officij, alterum ætatis nomen est. Et illud quidem officij nomen legitur tum apud Ciceronem lib. 7. epistularum ad Atticum, tum etiam in sacris literis 2. Esd. 11. & psal. 108. in versione 70. interpretum. Hoc autem ætatis, passim occurrit apud Ecclesiasticum. Cæterùm vsu ecclesiæ christianæ nomen episcopi ad eos qui in ecclesiastica hierarchia primi sunt, presbyteri verò ad eos qui ab illis sunt proximi significandos, accõmodatum est. Quæ tamen distinctio non statim ab initio nascentis ecclesiæ fuit accuratè semper obseruata; quemadmodum ex ipsa scriptura satis apparet. Paulus enim Philip. 1. scribit episcopis & diaconis Philippensis ecclesiæ, cùm vna ciuitas tantùm vnum habeat episcopum. Quare episcoporum nomine presbyteros comprehendit, vt qui tales erant ad quos etiam gregis inspiciendi sub episcopis cura pertineret. Atque hoc modo locum apostoli interpretantur Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius & alij plærique non Græci tantùm, verùm etiam Latini.

Sunt autem qui putent etiam 1. Tim. 3. & Tit. 1. vbi qualem episcopum esse oporteat, docetur, & Act. 20. vbi dicitur, *in quo vos spiritussanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei*, generale esse episcopi nomen presbyteros comprehendens, vt Hieronymus in Tit. 1. & Magister in texto. Sed magis est probabile specialiter accipi prout ecclesia nunc eo vocabulo vtitur, idque iuxta omnium ferè interpretationem, nominatim Chrysostomi in 1. Tim. 3. & commentarij Ambrosio inscripti, & Epiphanij scribentis contra Aërianos. Quem sensum etiam canones ecclesiastici sequuntur, & ratio conuincit. Vult enim apostolus episcopum esse doctorem & qui potens sit exhortari in doctrina sana; quas quidem conditiones non necesse est in omni presbytero reperiri, vtpote non in eo qui cùm bene præsit, iuxta eundum apostolum 1 Tim. 5. non laborat tamen in verbo & doctrina. Quòd autem Act. 20. nomen episcopi eodem modo, id est, specialiter accipiatur, tametsi Beda in eum locum scribens & alij nonnulli dissentiant, confirmare videtur synodus Tridentina sess. 23. ca. 4. vbi attribuit eius locis sententiam peculiariter ijs episcopis qui sunt presbyteris superiores. Quod & facit Oecumenius in suo commentario. Neque ob id consequens erit, in eadẽ vrbe videlicet Epheso, plures eo tempore fuisse episcopos. Non enim dicit scriptura eos Ephesiorum episcopos seu presbyteros fuisse, sed quod ad eos euocandos apostolus Ephesum miserit; nimirum vt ad ciuitatem primariam, vnde facilius illi possent è suis ciuitatibus euocari. Denique in hac propria significatione vsurparunt hoc nomen scriptores apostolorum temporibus proximi, Clemens, Ignatius, Dionysius, Anacletus suprà à nobis citati. Eum autem vocabuli vsum subsequens ætas deinde magis ac magis confirmauit.

Sequitur presbyteri nomen quod in scriptura vet. test. & in euangelijs ferè pro magistratu plebis accipitur, quòd ea præfectura plærunque deferri soleat viris ætate prouectis. In Actis autem & epistolis apostolicis ecclesiasticam præfecturam significat: ita tamen vt duplex eius acceptio reperiatur, vna generalis, altera specialis. Generalis acceptio episcopos comprehendit, imò & ipsos apostolos, vt in 2. & 3. epistola Ioannis. & 1. Pet. vlt. quibus locis Petrus & Ioannes se seniores, id est, presbyteros vocant. Item ad Tit. 1. generale esse presbyteri nomen cùm iubetur Titus per ciuitates constituere presbyteros, inde constat, quia sequitur: *Oportet enim episcopum sine crimine esse*.

Deinde Act. 20. Maiores natu, id est, presbyteros conuocasse dicitur apostolus; quos tamen paulò pòst episcopos vocat.

Eadem significatio presbyteri videtur esse Act. 14 vbi dicuntur Paulus & Barnabas constituisse per singulas ecclesias presbyteros, & Act. 15. vbi conuenisse dicuntur apostoli & seniores ad concilium Hierosolymitanum. Paulus quoque 1. Tim. 4. iuxta expressam Oecumenij interpretationem per impositionem manuum presbyterij, intelligit ordinationem ab episcopis factam. Neque enim, inquit, presbyteri episcopum ordinabant.

Notandum autem locis supradictis, etsi interpres modò seniores, modò maiores natu, modò presbyteros verterit, in Græco tamen vnum esse vocabulum presbyterorum.

Specialis eiusdem vocabuli acceptio est 1. Tim. 5. vbi dicitur: *Qui bene præsunt presbyteri, &c.* Et rursum, *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, &c.* Agitur enim de presbyteris episcopi iudicio subiectis, Et agnoscuntur presbyteri honore digni nec tamen in doctrina laborantes, quod de episcopis dici non potest, vt suprà ostendimus. Sed & Iacobus ad infirmum inducendos admonet presbyteros ecclesiæ, cùm vna ecclesia plures episcopos non habeat.

In hac speciali significatione presbyteri vocabulum passim apud vetustissimos vsurpatum legimus, velut in scriptis eorum quos paulò antè citauimus, ac præterea Tertulliani, Cypriani, Origenis & aliorum.

Porrò sacerdotis vocabulum quo offerendi sacrificij potestas seu functio propriè significatur, in scriptura noui testamenti non legitur sacerdotibus nouæ legis attributum, sed soli Christo. Cuius ratio est, quia totum instrumentum nouum eo tempore scriptum est quo adhuc in vsu aut certè in recenti memoria erãt sacrificia veteris legis, & in sua functione versabantur eiusdem instituti sacerdotes, cum quibus nomine communicare noluerunt apostoli, ne non abrogatum vetus illud sacerdotium videretur. At paulo pòst Hierosolyma

cum

cum templo euersa, & proinde veteris legis sacerdotio cessante, mox episcopi & presbyteri, pontifices & sacerdotes appellari ceperunt. Et quamuis sacerdotis vocabulo frequenter episcopus per excellentiam designetur apud veteres, vt apud Leonem in epistolis & sermonibus, atque apud alios eo antiquiores; non minùs tamen frequens est eandem vocem cuiuis presbytero attribui, vt videre est apud Ignatium in epistola ad Philadelphios & in altera ad Heronem diaconum. Item passim apud Dionysium in lib. de ecclesi. hierarch. Cyprianum lib. 1. epist. 9. & libr. 2. epist. 3. & apud alios frequentissimè. Vnde Augustinus libr. 20. de ciuit. cap. 10. dicit episcopos & presbyteros propriè in ecclesia vocari sacerdotes. Etsi autem in libris noui testamenti presbyteri nusquam sacerdotes appellati legantur; diuina tamen prouidentia factum vt in veteri sic appellarentur Isa. vlt. dicente Domino: *Et assumam ex eis sacerdotes & Leuitas.* Quod cùm de sacerdotio omnibus Christianis communi intelligi nequeat, quia certi quidam è fidelibus ad hoc assumendi dicuntur; consequens est de speciali & propriè dicto Christianorum sacerdotio intelligendum esse, quomodo & Hieronymus eum locum est interpretatus.

§. 28. *Vtrùm episcopatus sit ordo.*

S. Thom. suppl. q. 40. ar. 5.

PRoblematicè disputatur inter Catholicos an episcopatus sit ordo iuxta eam ordinis significationem qua sacramentum significat, quale initio à nobis definitum est.

Negantem partem tenent Thomas Aquinas & Waldensis, Bonauentura & alij plerique scholasticorum sequentes doctrinam Magistri in textu & Hugonis Victorini de hoc sacramento disserentis.

Mouentur autem his ferè rationibus.

Primò, quia si episcopatus esset ordo, iam 8. essent ordines, cùm tamè vsus ecclesiæ septem tantùm ordines agnoscat, atque hic numerus iam antè etiam ex Tridentino concilio fuerit probatus.

Secundò, quia ordines omnes ad eucharistiæ sacramentum referuntur, circa quod actus nobilissimus, qui est eius consecratio, competit sacerdoti ex sua, id est, sacerdotali ordinatione: igitur episcopatus cùm nullum proprium actum habeat circa eucharistiam, non est ordo.

Tertiò, quia ordines eum habent ordinē inter se vt posteriorem suscipere possibile sit omisso priori, v. g. presbyterū omisso diaconatu; quemadmodum patet ca. cap. sollicitudo dist. 52. & cap. Tuæ literæ, extra de clerico per saltum ordinato. Atqui fieri non potest vt in episcopum quis promoueatur omisso presbyterio; quemadmodum docet cap. ea literis, extra de excessibus prælatorum; ergo episcopatus non debet connumerari inter ordines.

Quartò, quia sacramentum ordinis confertur tantùm in ferijs quatuor temporum: Episcopus autem non nisi diebus dominicis consecratur.

Quintum argumentum materiam & formam in episcopali ordinatione desiderat.

Sextò obijcitur authoritas Ignatij qui

A dicit in epistola ad Smyrnenses: Sacerdotium summa est omnium bonorum quæ in hominibus consistunt.

Septimò, Augustini authoritas dicentis q. 101. in quæstionibus vet. & noui testamenti: Quid est episcopus nisi primus presbyter, hoc est, summus sacerdos? Vnde apparet episcopum à presbytero seu sacerdote ordinis ratione non differre.

Porrò qui in hac sunt sententia, fatentur quidem episcopatum esse ordinem, id est, gradum eminentiorem sacerdotio, propterea quòd ei annexa sint officia quædam præter ea quæ sa-

B cerdotalis sunt ordinis; non tamen ordinem vt est sacramentum. Itaque dicunt episcopatum non imprimere nouum characterem, neque ex opere operato gratiam conferre, sed characterem sacerdotalem, qui prius inerat, extendere ad quædam officia; eiusmodi sunt confirmare & ordinare, ad quæ primitus non extendebatur.

At verò pars affirmatiua multò apparet probabilior, si tum scripturas, tum veterum sententias expendamus: quam proinde recentiores multi amplectuntur, vt Ioannes Maioris in 4. Eckius hom. 67. & 68. de sacramentis, Caietanus tom. 1. opusculo 11. Petrus à Soto lect. 4. de sacramento

C ordinis, vbi putat istud fide tenendum. Nauarrus in manuali cap. 22. num. 18. cap. 27. num. 163. & alij quidam; sed & Scotus ab hac sententia non est alienus.

Scripturæ quæ illam probant sunt 1. Tim. 4. & 2. Tim. 1. quibus admonetur Timotheus vt gratiam in ordinatione episcopali acceptam non negligat sed resuscitet. Nam de episcopali ordinatione vtrumque locum exponunt omnes ferè interpretes, ac nominatim Theophylactus, Oecumenius, Anselmus. Sed & Chrysostomus priorem locum eodem modo interpretatur; de posteriori verò

D nihil adfert quod huc pertineat. Cùm igitur duo illa scripturę loca potissimùm à Catholicis proferri soleant ad stabiliendum sacramentum ordinis, imò & à Tridentina synodo sess. 23. cap 3. locus posterior ad idem probandum adferatur; manifestè cōsequi videtur episcopatum ordinem esse sacramentalem, ac propriè dictum.

His accedunt patrum etiam antiquissimorum testimonia. Nam Dionysius cap. 5. eccles. Hierarch. tres describit ac proprijs actibus hierarchi-

E cis distinguit ordines sacros, diaconorum, presbyterorum & episcoporum. Actus illi sunt, purgare quod diaconorum est, illuminare quod presbyterorum, & perficere quod episcoporum.

Anacletus in epistola 3. docet à Christo institutos esse duos ordines, Episcoporum & sacerdotum.

Leo epistola 84. ca. 4. dicit primum ordinem esse episcopalem, secūdum presbyteralem, tertium Leuiticum, quartum subdiaconorum. Gelasius a-

F pud Gratianum dist. 32. eandem cum Leone tradit ordinum distinctionem.

Gregorius lib. 4. in 1. Reg. 4. de culmine dignitatis ecclesiasticæ, id est, episcopatu loquens: Qui in culmine ponitur, inquit, sacramenta suscipit vnctionis. Quia verò ipsa vnctio sacramentum est, is qui promouetur bene foris vngitur, si intus virtute sacramenti roboretur. Sic ille.

Apud Epiphanium quoque hæresi 75. vox est Aërij hæretici: vnus est ordo episcoporum & presbyterorum, vna dignitas. Cui respondens Epiphanius ordines ipsos distinguit. Item apud

Hie-

Hieronymum tractatus de septem ordinibus ecclesiæ similiter ac manifestè distinguit hęc duo tanquã diuersos ordines. Facit enim presbyterium sextum ordinem, episcopatum verò septimum. Quamuis autem author non sit Hieronymus, est tamen Hieronymo vel æqualis, vel antiquior. A

Notandus prǽterea locus est apud Aug lib. 1. de actis cum Felice Manichæo c. 12. vbi Felix ait Augustino episcopo: Non tantum ego possum contra tuam virtutẽ, quia mira virtus est gradus episcopalis. Erat ergo tunc persuasum non minùs hæreticis quàm catholicis, insignẽ aliquam gratiam conferri ordinatione episcopali.

Potest autem ipsius Augustini proferri authoritas ex conc. Carthag. 4. cui interfuit & subscripsit. In quo cùm ex professo agatur de ritu sacrorum ordinum conferendorum, primùm describitur ordinatio episcopi, deinde presbyteri, tertiò diaconi, & aliorum deinceps vsque ad ostiarium. B

Probatur idem ex hist. ecclesiastica. Refert enim Theodoretus lib. 4. c. 23. & Nicephorus lib. 11 c. 46. sanctum quendã virum nomine Mosen, nequaquã induci potuisse, vt à Lucio Ariano episcopo in episcopũ consecraretur, quod certus esset spiritũ sanctum ad illius inuocationẽ nunquam descensurum; nimirũ propter contagiũ communionis. Igitur gratiam conferri per ordinationẽ episcopalem credebat, si tamen obex non poneretur. Sozomenus autẽ lib 7. c. 10. & Nicephorus lib. 12. c. 14. cõmemorat hæc verba Martyrij cuiusdã ad Nectarium episcopum: Vtrumq; & sacrum lauacrum & munus episcopale delictorum esse remediũ & expiationem, ex sacris constitutionibus nouimus. Refert idem Nicephorus lib. 14. c. 55. & lib. 16 c. 28. exempla quædam eòdem pertinentia. C

Deniq; passim in scriptis veterũ & canonibus legimus ordinandi & ordinationis vocabula, vbi de consecratione episcoporum fit sermo; videlicet eadem phrasi qua sacerdotes, aut diaconi ordinari dicuntur. Nusquam autem contra legimus episcopatum non esse ordinem, aut episcopos non propriè ordinari, vel aliquid tale. D

Nec parum huic sententiæ fauent verba concilij Tridentini sess. 23. c. 4. quibus synodus declarat prę ter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopos ad hierarchicũ ordinem præcipuè pertinere, eo'q; multa agere posse, quarum functionum potestatẽ reliqui inferioris ordinis nullam habent; vbi & nominat ordinationem episcoporũ, sacerdotum, & cęterorum ordinũ. Fauent quoq; duo eiusdẽ sessionis canones, 6. & 7. E

Rationes etiam pro hac sententia non sunt contemnandæ.

Prima, quia hæc ordinatio gratiã cõfert ex Christi institutione, vt iam ex scriptura & patribus probatũ est. Et amplius probari potest ex eo; quia si presbytero, diacono, & cęteris inferioribus opus est gratia peculiari ad exercendũ sacras actiones ad quas deputantur; multò magis ea opus habet episcopus propter maiorem dignitatis & officij tum excellentiam, tum difficultatem. F

Secunda, quia per eã non tantùm iurisdictionis verùm etiam ac propriè ordinis potestas datur, per quam ordinatus exercere possit spiritualia quædam opera omnem humanam virtutem excedentia, quę sunt ordinare & confirmare Non enim hæc potestas habetur ex ordine sacerdotali. Quare necesse est vt habeatur ratione ordinis alicuius superioris, id est, episcopatus: id quod non obscurè indicant Tridentini concilij verba c. 4. iam citato.

Tertia, quia in episcopatu character imprimitur, propter quem fit vt ordinis illa potestas nulla nec depositione, nec degradatione, nec iurisdictionis priuatione auferri possit. Vnde nec repeti potest episcopalis consecratio.

Quarta, quia in põtificatu veteris legis gratis sanctificationis conferebatur. Nõ minùs enim Aaron, quàm filij eius significati sunt per ministeriũ Moysi Exod. 29. De qua re locus est apud Augustinum q. 84. in Leuiticum.

Ex his omnibus apparet quanto probabilius sentiant, qui episcopatũ putant verè ac propriè esse ordinẽ sacrum, quamq; non immeritò quidam hanc sententiam etiam vt certam amplectantur. Quare respondendum nũc ad argumenta partis negantis.

Ad primum respondemus, nec Florentinũ decretum, nec synodum Tridentinam meminisse numeri septenarij, nec vllum canonem ecclesiæ testari quòd pręcisè septem sint ordines ecclesiastici, quin potiùs ex canonibus apparere quòd sint octo, vt ex Carthag. 4. conc. & alijs suprà citatis. Rectè tamen vulgo septem recensentur ordines, quia ad corpus Christi verum, id est, ad eucharistiæ sacramentum soli septẽ directè destinantur; episcopatus verò ad gubernandum corpus Christi mysticum, & ad creandos alios ecclesiæ milites & sacramentorum ministros. Vnde etiam patet solutio 2 argumenti.

Ad tertium respondetur diuersam esse rationẽ, quia in ordinibus sacerdotio inferioribus non confertur potestas alicuius operis omnem humanam virtutem excedentis. Vnde & actiones illorum ordinum aliquando committuntur non ordinatis. At in sacerdotio talis haud dubiè potestas confertur; quæ cùm eadem non conferatur in episcopatu, nec tamen ea episcopo deesse debeat; fit vt nemo possit in episcopum ordinari, qui non priùs fuerit ordinatus sacerdos: sicut nemo confirmari potest nisi priùs baptizatus.

Ad quartum dicendum est, sicut non eadem feria conferũtur ordines minores & maiores; ita conuenientissimè obseruari vt summus ordo suum quoq; peculiarem habeat diem, eumque pręcipuum, id est dominicum, in quo confertur.

Ad quintum respondetur, huic ordinationis episcopalis sacramẽto suam non deesse materiam neq; formam. Sed quas requirere oporteat in pontificalibus (ad quæ in vniuersum de ordinibus agens lectorem Scotus remittit) & apud eos qui de diuinis officijs & ritibus sacramentorũ scripserunt; tametsi & Carthag 4 conc. c 1. vtriusq; videatur meminisse.

Ad sextum iam alibi respondimus Ignatio sacerdotium esse dignitatem seu gradum episcopalem, vt ex loci circũstantia perspicuè patet. Hoc enim agit Ignatius eo loco vt gradum episcopalem supra cæteros ordines, ac nominatim supra presbyteriũ ipsũ omnemque humanam dignitatem extollat.

Ad postremũ respondetur illius operis Augustinũ nõ esse authorem; verissimum tamen ea verba rectè intellecta sensum habere, quia sine dubio episcopus est primus presbyter, primusque sacerdos, quandoquidem ita est sacerdos, vt cæteris sacerdotibus non tantùm iurisdictionis sed etiam ordinis potestate antecellat. Vnde & summi sacerdotis titulo honoratur in epistola de 7. gradibus ecclesiæ & apud alios. Idemque Dionysio princeps sacerdotum, atque Epiphanio pater patrum vocatur.

§. 29. *Quæ sint episcoporum officia.*

S.Thom. suppl. q. 40. a. 4. in corp. Vide Sũmistas verbo, episcopus, Molan, tract. 5. Theol. pract ca. 25.

DE hac re multa in canonibus. Præcipuum eius officium est prædicare verbum Dei. Patet ex Act.6.& ex apostolo ad Tim.& ad Tit. & ex conc. Tridentino.

Itam solus confert ordines, & confirmat, & benedicit chrisma, & sacrum oleum, & consecrat virgines, & ecclesias & altaria. Sed quia multa istorũ ecclesiasticæ institutionis sunt; ideo authoritate ecclesiæ possent communicari presbytero. Vide apud Hieronymum epistolam de 7. gradibus ecclesiæ, vbi omnia, excepta ordinatione, dicuntur fieri posse à presbyteris, saltem in necessitate.

Item episcopi est visitare parochias sibi subiectas.

Item singularem habere curam pauperum, orphanorum, viduarum.

§.3. *Episcoporum gradus qui sint, & quis inter eos summus.*

S.Thom. suppl. q. 40. ar. 6.

AD hierarchiam ecclesiasticam pertinet non solùm ordinum diuersitas, de qua hactenos, verùm etiam in vno & eodem ordine, potissimùm episcopali, graduum quædam distinctio. Sunt enim episcoporum varij gradus, non quidem ordinis, sed iurisdictionis potestate, & vel maiori vel minori
D potestatis amplitudine inter se distincti. Siquidem potestas ordinis vna est eademq; in omnibus. Hi gradus partim ex Christi ordinatione, partim ecclesiæ authoritate constituti sunt. Ex Christi ordinatione vnus cæteris apostolis eorumq; successoribus episcopis cum plenitudine potestatis præfectus est; scilicet Petrus apostolorum princeps ac totius ecclesiæ pastor, & quicunque ei in cathedra successor est.

Hanc summam in terris potestatem Christus Petro promisit Matt. 16. quando audita eius præ cæ-
E teris apostolis confessione, dicentis ad se, *Tu es Christus filius Dei viui*, istam tam insignis confessionis vicem atq; mercedem rependit, vt ei diceret: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*, &c. *Et tibi dabo claues regni cælorum*, &c. His enim verbis Petro eiusq; successoribus duo promittuntur; alterum quod sit futurus totius ecclesiæ fundamentum adeo firmum, vt portæ inferi nunquam sint aduersus eam tam bene fundatam præualituræ. Nõ enim audiendi sunt qui illud, *super hanc petram*, aliorsum detorquent, vel Christum intelligentes, vel ipsam
F Petri confessionem. Certum enim est Christum cũ hæc diceret, neq; Latinè neq; Græcè, quibus in linguis diuersa sunt Petrus seu πέτρος & petra, locutum fuisse, sed Hebræorum seu Syrorum lingua vsum apud quos inter prius & posterius vocabulum nulla prorsus differentia est. Quasi ergo ad hunc modum dixit Christus: *Tu es petra & super hanc petrã* vel sic. *Tu es rupes & super hanc rupem ædificabo*, &c. vbi si ad Christum referas idem vocabulum posteriori loco positum, quod priori fuerat Simoni Petro attributum & cum authoritate impositum; pla-
A nè contorta ac violenta videbitur interpretatio, ac sermo ipse parum cohærens ac propemodum sophisticus. Sensus igitur clarus & planus iste est: Tu es petra seu Petrus, id est, hoc nomen quod petram significat, tibi impono; quia super hanc petram, quam te esse dixi, tanquam rupem firmissimam atque immobilẽ ædificabo ecclesiam meam. Alterũ quod ibi promittitur, est summa gubernandi in ecclesia potestas, quæ significata est per claues regni cælorum. Eam autem potestatem hoc loco promissam Christus Petro tradidit post resurrectionem, quando rursum præsentibus alijs apostolis et
B post trinã amoris interrogationem, quarum prima erat. *Diligis me plus his*, peculiariter dictum fuit: *Pasce oues meas, & pasce agnos meos*, id est, vniuersam ecclesiam meam, in qua velut ouili sunt oues cum agnis, id est, maiores cum minoribus. Atqui hæc breuis probatio primatus Romanæ atque apostolicæ cathedræ in præsens sufficiat. Nam plenior huius rei declaratio tum ex alija scripturæ locis, tum ex amplissimis patrum & conciliorum testimonijs proprium ac iustum tractatum meritò postulat.

Porrò vt omnia ordine quàm optimo in ec-
C clesia gererentur, progressu temporis authoritate ecclesiæ quidam adhuc gradus episcoporum introducti atque instituti fuerunt, quorum alij alijs essent potestate superiores, totamque sic ecclesiasticam hierarchiam velut aciem ordinatissimam absoluerent.

Sunt autem archiepiscopi qui ijdem & metropolitani, quamuis Isidorus libro septimo etymol. cap. 12. videatur inter archiepiscopum & metropolitanum distinguere, quem tamen Magister excusat & commodè interpretatur. Verun-
D tamen illud vterque non rectè, quòd metropolitanum dictum putant à mensura; cùm verior etymologia sit, metropolim significare matrem seu matricem ciuitatem, quæ nimirum sic appellata sit quòd ex ea velut matre genitæ sint aliæ in eadem prouincia ecclesiæ, quibus proinde illa iure quodam præsit & aliquo dignitatis grado præcellat.

His superiores sunt patriarchæ, quales post Romanum pontificem quatuor agnouere Constantinopolitani concilij patres hoc ordine, Cõstantino-
E politanum, Alexandrinum, Antiochenum & Hierosolymitanum. Eandem ferè cum his dignitatem obtinent qui hodie primates dicuntur.

Cæterùm in ordine episcoporum non sunt cẽsendi chorepiscopi siue qui olim in ecclesia fuerũt, siue qui etiamnum hodie in quibusdam cathedralibus ecclesijs hoc nomine appellantur. Erant enim illi quemadmodum & isti, ordinatione tantummodo presbyteri, tametsi conniuentia episcoporum & propria præsumptione multa ab his episcopalia vsurparentur. Quam ob causam decretis pontificum partim damnati, partim repressi sunt, vt videre est
F apud Damasum ep. 4. Leonem ep. 88. Ioan. 3. in ep. vnica, in qua prohibitionis à Damaso & Leone prædecessoribus suis factæ meminit, & ante hos omnes Neocæsariense concilium c. 13. vicarios episcoporum eos vocat ad exemplum 70. seniorum constitutos. Parisiense verò concilium Ludouico & Lothario Imperatoribus habitum cap. 7. statuit, vt chorepiscopi modum mensuræ suæ, qui in sacris canonibus præfixus est, non excedant.

Dicti sunt autem chorepiscopi, non à choro sed χώρα (quæ vox Græcis regionem aut agrum significat)

nificat) quasi cerrarum regiunculatum in qualiber dioceti speculatores, quod officium in eos qui archidiaconi, archipresbyteri & decani rurales hodie vocantur, maximè competere videtur.

§. 31. *Ordinationem legitimam non dependere ab electione laica.*

Vide quæ habet S. Thom. q. 36 suppl. a. 4. ad 3.

DVo potissimùm errores hæreticorum nostri temporis existunt circa electionem ministrorum ecclesiæ. Alter quo volunt tam electionem eorum quàm destitutionem esse penes plebem vel magistratum ciuilem, idque diuino ac perpetuo iure quod mutare non liceat. Alter quo insuper docent ab eiusmodi electione ordinationem sic depédere, vt sine ea inanis ac nulla sit ordinatio, quam etiã semel factam eiusdẽ seu plebis seu magistratus abrogatione penitus tolli contendũt. Volunt enim hi omnes ad ciuilem magistratum, vel etiam ad plebem pertinere iudicium, sitne quis idoneus verbi minister. Et si quidem talis iudicatus fuerit, postea ab illis sistendam eum dicunt alij cuipiam ministro vni vel pluribus à quo vel à quibus manus ei imponantur: aut etiam absq; huiusmodi manus impositionis ceremonia & ministri approbatione, solam potestatis secularis vocationem sufficere censent. Qua in re gentilitatis imitatores se præbent. Nam sacerdotium seu quodcunque sacrum ministerium apud ethnicos non alio loco habebatur quàm profanæ & politicæ quælibet functiones atque officia quorum collatio penes principem vel magistratum vel plebem erat, à cuius voluntate ita dependerent; vt illo functionem alicui abrogante, nulla in eo qui ministrauerat, potestas reliqua esset. Verumque hunc errorem vna sententia damnauit synodus Tridentina cùm sess. 23. cap. 4. definit in hunc modum: *Docet sacrosancta synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum, & cæterorum ordinum, nec populi, nec cuiusuis secularis potestatis, & magistratus consensum, siue vocationem, siue authoritatem ita requiri, vt sine ea irrita sit ordinatio: Quin potius decernit, eos, qui tantummodo à populo, aut seculari potestate, ac magistratu vocati & instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non ecclesiæ ministros, sed fures & latrones, per ostium non ingressos, habendos esse.* Et can. 7. *Si quis dixerit ordines ab episcopis collatos sine populi, vel potestatis secularis consensu, aut vocatione irritos esse, aut eos qui nec ab ecclesiastica & canonica potestate ritè ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & sacramentorum ministros;* anathema sit. Hæc ibi.

Cæterùm nos hoc loco priorem errorem authoritate scripturæ & patrum refellemus. Nam posterioris confutatio quàm maximè ex ijs dependet quæ de ministro huius sacramenti deque ordinatione non iteranda proxima distinctione dicenda erunt.

Primùm igitur, vt ab ipsius Christi exemplo ordiamur, constat duodecim apostolos ac deinde 70. discipulos, non electione plebis aut magistratus sed solius Christi voluntate ordinatos, seu vt sectarij loqui malunt, verbi ministros institutos fuisse. Quam electionis formam à Christo acceptã postmodum etiam apostoli in apostolis, episcopis, presbyteris designandis seruarunt. Ipsi enim Act. 1. propria sua electione duos statuerunt meritis pares, quorum alter in quem sors cecidisset, apostolatu fungeretur.

Deinde Act. 13. non plebis suffragijs, sed occulto indicio spiritussancti electionem eorum qui ecclesiæ præerant dirigente Saulus & Barnabas ad apostolicum munus segregati sunt.

Sed & Paulus ipse nulla suffragiorum plebis facta mentione Timotheo & Tito potestatem dedit manus imponendi & presbyteros instituendi: *Manus*, inquit, *citò nemini imposueris*, 1. Tim. 5. *Constitue per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi*, Tit. 1. Videlicet non aliam formam illis præscribens quàm ipse in ijsdem ordinandis seruauerat. Nam Timotheũ constituit episcopum Ephesiorum, Titum Cretensium; quia vtrumq; idoneum ipse cognouerat, & iudicarat, nõ expectatis ad eam rem plebis suffragijs.

Quòd si plebis aut magistratus politici suffragia necessariò audienda essent & approbanda; frustrà episcopo diceretur: *Manus citò &c.* cùm nõ ex ipsius iudicio sed ex alieno suffragio, tota ministrorum ecclesiæ dependeret ordinatio.

Adde quod apostolus recensens conditiones in episcopo & diacono requisitas 1. Tim. 3. Tit. 1. non præcipit eas plebi seu toti fidelium congregationi proponi, vt norit qualẽ eligere debeat. Hoc enim si voluisset, potiùs toti ecclesiæ Ephesiorum vel Cretensiũ super ea re scripsisset epistolas; præsertim cùm alias ferè omnes epistolas ad ecclesias scripserit. Quare cùm solis episcopis illas conditiones exponit, satis significat ad eos solos vel totam vel præcipuam electionis curam pertinere.

Hunc eundẽ morem secutus est Petrus apostolus in designando Clemente sibi successore, quemadmodũ satis indicant ipsius Clementis verba in ep. 1. ad Iacobum; Si tamen illa Clementis est epist. de quo nunc non agimus.

Sic Gregorius 1. Augustinum Anglorum facit episcopum non expectato illius populi consensu. Et postea Vitalianus papa eidẽ populo episcopum misit Theodorum Tharsensem, plebe nõ audita, vt ex Beda constat in historia gentis Anglorum. Rursum idẽ Greg. lib. 7. ep. 87. & tribus sequentibus mãdat clero quarundam ciuitatum, vt expetat seu postulet episcopũ à se ordinandum. De plebe autẽ prorsus nihil meminit. Huiusmodi & alia passim extant in registro epistolarum Gregorij. Quin & aliàs sæpe soliti sunt Romani põtifices tum antiquiores Gregorio, tum posteriores mittere episcopos sibi probatos ad regiones & prouincias non audita populi postulatione. Habemus eius rei & in Augustino exemplũ qui plebe non eligente sed congratulante & acclamante dumtaxat, vt habebat tunc ecclesiarum consuetudo, & ipse factus est episcopus, vt author est Possidius in vita eius ca. 8. & Eradium sibi successorem designauit; quemadmodum ipsemet testatur epist. 110.

Deniq; huius generis exempla satis multa nobis suppeditant historiæ ecclesiasticæ, quibus proinde recitandis supersedemus. Illud verò notandum fuisse aliquando simpliciter denegatam plebi ministrorum ecclesiæ electionem. Sic enim decretum legimus in conc. Laodiceno can. 13 non esse populis concedendum electionem facere eorum qui altaris ministerio sunt applicandi.

Neque tamen negamus rectè interdum ad eam rem plebis ac magistratus secularis suffragia rogari. Nam & hoc apostoli fecisse leguntur Actor. 6. quando 7. diaconos à multitudine fidelium electos impositione manũ ordinarunt. Sed factum hoc est ab ijs, neque vt ordinatio ipsa subsisteret & valida esset, (Quam extra plebis voluntatem validam esse, disertè testatur Augustinus lib. de bono coniugali cap 24.) neq; tanquam ex præcepto aliquo diuino

aut lege naturali necessariò obseruandum, sed quia id pro tempore bonum atque vtile ecclesiæ tunc iudicatum fuit. Quod vt intelligatur, sciendum de modo eligendi ministros ecclesiæ nihil à Christo vel apostulis præceptum esse; Proinde ea in re sequi conuenit legem naturæ, quæ dictat vt eo modo ministri designentur, qui ecclesiæ ædificandæ vtilissimus esse intelligitur ratione temporum & locorum. Nam si plebs sana est in fide & pietate (nisi quid aliud obstet) nõ est negandũ eius suffragijs episcopum vel pastorem rectè designari. Sin corrupta est, maximè si ad hæresim vel seductionem procliuis, non expedit. Ita primæ multitudini credentium quorum erat cor vnum & anima vna in Domino, permissum est vt diaconos eligerent; præsertim quia tunc de viduis & pauperibus agebatur alendis ex bonis à tota multitudine in commune collatis. Cretensibus autem quia duri erant & inobedientes, in episcopo non est idem permissum. Sic de Victorino episcopo & martyre legimus in Rõ. martyrolog. Sept 5. quod sacerdotiũ, id est, episcopatum totius populi electione adeptus fuit. Quod tamen in multis alijs secus factum est. Docent enim nos tum historiæ ecclesiasticæ, tum canonum decreta varijs olim modis electos fuisse pontifices, episcopos, aliosque ecclesiæ ministros; nimirum vel sola voluntate ordinantis, vel consensu plurium episcoporum, vel electione cleri, vel plebis, vel imperatoris, aut principis, aut magistratus sęcularis; imò & apud eosdem non perpetuò eundem modum seruatum, sed subinde variatum fuisse, vt de Romani pontificis electione constat. Idque non sine causa, nec temerè. Nam prout variè sunt affecti hominum animi, atque aliæ interdum causæ concurrunt; ita expedit aliquando rationem electionis mutari. De qua re videre est Gratianum distinct. 63. per totam.

Porrò quidam etiam miraculo aliquo diuinitus ostenso designati sunt: velut Gregorius, Ambrosius, Nicolaus & alij nonnulli. Verùm etiam sic solitus electionis vel approbationis modus non fuit prætermissus, ac multò minùs omissa consueta consecrationis ceremonia, sine qua prorsus non consistit ordinatio.

§. 32. *Responsio ad ea quæ obijciunt aduersarij.*

S. Thom. loco præallegato.

SEposita quæstione vtrùm ad plebem vel magistratum ciuilem pertineat iudicium de religione, & consequenter de idoneis religionis & verbi ministris, de qua re peculiaris est catholicorum cum hæreticis controuersia; ea tantùm hic proferamus & soluemus argumenta, quæ magis propriè electionem attingunt, & eò adferri solent vt ostendatur electionem ministrorum ecclesiæ ad laicos seu principes seu priuatos necessariò pertinere.

Sunt autem huiusmodi.

Primum: Moyses dux populi Exod. 28. & Leuit. 8. Aaronem & filios eius designat & consecrat sacerdotes. Item Num. 8. ad hoc ipsum consensus & suffragiũ multitudinis requiritur. Nam dicitur: *Applicabis Leuitas conuocato omni multitudine filiorum Israel. Cumq́; Leuitæ fuerint coram Domino, ponent filij Israel manus suas super eos.* Quæ ceremonia solet esse dantis suffragium.

Secundum: Dauid rex 1. Paral. 23. & sequentibus, sacerdotibus, Leuitis, cantoribus & ianitoribus sua designauit officia & vices distribuit; nec ipse tantùm sed & magistratus exercitus cantores in ministerium segregauit, vt habetur initio capitis 25.

Tertium: Salomon 3. Reg. 2. Abiathar sacerdotem à pontificatu repulit, atq; in eius locum Sadoc instituit.

Quartum: Iosaphat rex Iuda 2. Paralip. 19. Amariam constituit in his quæ ad Deum pertinent.

Quintum: Alexander & Demetrius reges Syriæ 1. Machab. 10. & 11. Ionatham constituunt summum sacerdotem Iudæorum. Idq́; etiam commemorat Iosephus lib. 13. antiq. capite quinto & octauo.

Sextum: In Actis apostolorum legimus non tantùm diaconos electione multitudinis designatos fuisse Act. 6. verùm etiam Paulum & Barnabam per singulas ecclesias presbyteros constituisse suffragijs plebis Act. 14. Hoc enim significari volunt Græca voce χειροτονήσαντες, qua Lucas vsus est, eò quòd olim in creando magistratu populus manibus in altum sublatis suffragia ferre solitus sit.

Septimum: Cyprianus lib. 1. ep. 4. (apud Pamelium 68) dicit quòd plebs maximè habet potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi: Quod & ipsum, inquit, videmus de diuina authoritate descendere, vt sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur, sicut in Numeris Dominus Moysi pręcepit &c. Et iterum: Coram omni synagoga iubet Deus constitui sacerdotẽ, id est, instruit & ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere: vt plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prędicentur, & sit ordinatio iusta & legitima, quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata. Deinde interpositis exemplis scripturæ Act. 1. & 6. de Matthia & diaconis ad hunc modum ordinatis, subijcit postea ex traditione diuina & apostolica obseruatione hoc ipsum esse retinendum.

Octauum: Leo epist. 84. cap. 5. Cùm, inquit, de summi sacerdotis, hoc est, episcopi electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisq́ue consensus concorditer postularint: ita vt si in aliam fortè personam partium se vota diuiserint, metropolitani iudicio is alteri præferatur, qui maioribus & studijs iuuatur & meritis: tantũ vt nullus inuitis & nõ petentibus ordinetur, ne ciuitas episcopum non optatum aut contemnat aut oderit, & fiat minùs religiosa, quàm conuenit, cui non licuerit habere quem voluit. Sic ille. Cuius verba refert Iuo lib. 3. sui decreti & Gratianus distinctione 63. cap. si fortè.

Nonum: Nicephorus lib. 11. hist. eccles. cap. 28. scribit clericorum calculis & populi flagitatione eligendum episcopum, sicut ecclesiasticæ produnt sanctiones.

Decimum: Regula iuris est num. 29. in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Cùm ergo episcopus ordinetur propter plebem, debet eius ordinatio approbari suffragijs plebis.

Postremum: Episcopus est sponsus ecclesiæ, id est, populi: & propter hoc datur ei annulus in sua consecratione, ergo vt populus sit ei pro sponsa, debet ipsius populi accedere consensus: quia sponsus & sponsa non fiunt nisi mutuo consensu.

Ad hæc obiecta sigillatim respondemus, & ad primum quidem hoc modo: Moy-

ses As-

ses Aaronē & filios eius non tantùm designauit sacerdotes sed etiam vnxit & consecrauit; non tamen vt dux populi, sed ex peculiari Dei mandato, quemadmodum apertè testatur scriptura. Vnde nec constitutum à se summum sacerdotem postea potuisset amouere, nec sacerdotium ad aliam tribum aut familiam transferre.

Adde quod Moyses ipse etiam sacerdos erat iuxta illud psal. *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius*, adeoq; prius ipse sacrificia obtulit quàm alios sacerdotes consecraret.

Ad alteram partem obiectionis quid sit respondendum, vide annotationes Num. 8.

Ad secundum: Dauid quoq; non id fecit regia authoritate sed ex reuelatione prophetica & iussu diuino. Nā vti c. 28. eiusdem libri legitur, acceperat diuinitus reuelatā sibi formā totius templi ędificādi, sicut Moyses tabernaculi. Sed & ca. 9. scriptura testatur, quòd Dauid & Samuel videns, id est, propheta constituerint officia; nimirum ambo acti diuino & prophetico spiritu. Quod enim Dauid id fecerit non authoritate regia sed potestate peculiariter atque extraordinariè sibi à Deo commissa; vel inde liquet, quod nec posterioribus regibus, nec ipsis etiam pontificibus licuisset ordinem illū cultus diuini à Dauide semel institutū tollere aut mutare. Intelligebant enim ordinationem illam esse diuinam, vnde & retenta fuit vsque ad tempora Christi, vt patet Luc. 1. & verisimiliter vsq; ad postremam templi euersionem.

Ad tertium: Salomon quatenus rex non tam à sacerdotio amouit Abiathar quàm in exilium egit tanquā lęsæ maiestatis reum. Vnde consequēs erat vt sacerdotio ministrare non posset, quia templum non erat extra Ierusalem. Ac præterea notandum quòd in eo facto Salomon subseruiuerit voluntati diuinæ, *Vt*, quemadmodum eo loco dicitur, *impleretur sermo qui dictus fuerat per prophetam ad Heli*; nempe trāsferēdum ab eius posteritate summum sacerdotium ad aliam familiam, cui ea diuina promissione competebat, de qua familia erat Sadoc. Quocirca ministerio Salomonis non fuit trāslatum ius sacerdotij sed tantummodo ius antiquum legitimo hæredi restitutum. Nam & hodie princeps sęcularis iudicat de possessorio in beneficialibus.

Ad quartum: Iosaphat non constituit Amariam pontificem, sed declarauit ad eum tāquam summū pontificem quæstiones legis Mosaicæ referendas esse. Erat enim Amarias iam antè pontifex videlicet iure successionis diuinitus constituto.

Ad quintum: Exempla regum ethnicorum qui ius constituendi summos sacerdotes in Iudaico populo sibi per potentiam vsurparunt, non sunt christianis imitanda, nihilo magis quàm illud quod 2. Machab. 4. & 14. significatur & plenius à Iosepho narratur primùm reges Ægypti, Asiæ, Syriæ, deinde & Romanos non absque graui scelere idem sacerdotium precio venale habuisse. Neq; verò Ionathas suscepit summum sacerdotiū tanquam ab illis regibus sibi collatum, sed tanquā permissum quoad vsum, reuera autem delatum à populo Iudęorū; vt de Simone fratre eius constat ex 1. Machab. 14. licet postea etiam authoritas regis Demetrij accederet.

Ad sextum: Vox Gręca χειροτονεῖν tam apud profanos quàm sacros authores generalem habet significationem. Vtuntur enim ea voce ad significandū suffragium, electionē, ordinationē quamcunq; siue ea fiat à multitudine, siue à paucis vel etiam ab vno, & siue fiat manuum extensione vel digitorum ere-

A ctione, siue alio modo. Sic & verbum χειροτονεῖν generaliter significat eligere, designare, ordinare, constituere. Neq; enim vocū etymologię semper significationi respondent. Hoc generali modo certū est eam vocem accipi Act. 10. vbi dicitur à Petro, quòd Deus *dedit Christū manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo.* Qui locus nullo modo de electione, quę fit multorū suffragijs eleuatione manuum indicatis, intelligi potest. Eadem vox est 2. Cor. 8. vbi de quodam dicitur: *Sed & ordinatus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostræ.* Quem locum Græci de Barnaba malunt intelligere quàm de Luca. Barnabas autē nō suffragijs populi delectus erat

B Pauli comes ad euangelium prædicandum, sed speciali vocatione spiritussancti Act. 13. Deinde sciendum est Græcos canonum interpretes per illam vocem, vbi de ordinatione ministrorum ecclesiæ agitur, longè aliud intelligere quàm plebis suffragationem. Intelligunt enim ipsam ordinationem quæ fit per manuum impositionem episcopi vnius vel plurium. De qua re consulantur Martinus Bracarēsis in can. 13. conc Laodiceni, Zonaras & Balsamon in canones apostolorum, primum & secundum. Item Hieronymus in Isa 58. Chrysost hom. 14. in Acta Dionysius in ep. ad Heronem, & Iosephus lib. 18. ant. capit. 2. vbi de Essæis disserit. Vi-

C deantur & ea quæ suprà de manus impositione dicta sunt. Estque sanè hęc interpretatio longè congruentior loco Act 14 propterea quod ibi χειροτονία ipsis apostolis ordinatoribus non autem fratribus aut multitudini tribuatur. Iuxta hanc igitur maximè probabilem illius loci interpretationem Paulus & Barnabas dicuntur constituisse presbyteros, non quia vel ipsi elegerunt, vel alijs eligentibus approbauerunt; sed quia manuum impositione eos presbyteros ordinarūt: siue electio aliqua plebis fideliū præcesserit, siue non. Neq; enim negandū est, vt nuper admonuimus, suffragijs plebis posse crea-

D ri ministros ecclesiæ; sed catholica doctrina est eiusmodi electionem neque necessariam esse, neq; ad sacram ordinationem sufficere. Cur autem diaconorum electio Act. 6. commissa fuerit multitudini, dictum est suprà. Veruntamen & eam insecuta est impositio manuum apostolica: Imò legitur in sacrificio missæ de S. Stephano, quod eum apostoli elegerunt. Itaque electio facta per multitudinem, non fuit canonica, quæ ius tribueret, de qua paulò pòst dicemus.

E Ad septimum: Vult Cyprianus vt episcopus pręsente plebe & sub omniū oculis eligatur propter testimoniū bonū, sine quo nemo debet in quocunq; gradu ordinari, sicut apostulus Paulus vult eundem habere testimoniū bonum etiā ab ijs qui foris sunt: vt videlicet hoc pacto vita innotescat eius qui assumendus est, nec fallantur ordinatores circa necessarias eius quem ordinaturi sunt, qualitates. Cuius rei forma quædam etiam hodie seruatur quando fit proclamatio ad plebem ante ordinum collatio-

F nem, & testium diligens habetur interrogatio ante episcoporum confirmationem atque ordinationem. Vocat autem Cyprianus authoritatem diuinā non præceptum aliquod generale ad omnem electionem pertinens, sed particulare, quale erat de Eleazaro in præsentia populi pontifice creādo Num. 20. Vel certè diuinam authoritatē in eo intelligit, quòd apostolus vult ordinandos habere testimonium bonum ab ijs qui foris sunt, ac proinde multò magis ab iis qui intus sunt, vt indicat Leo ep. 89. Qua ratione eidem Cypriano traditio diuina & apostolica obseruatio vocatur hæc consuetudo. Nā

non fuisse eam quam Cyprianus eo loco tradit prorsus vniuersalem ecclesiæ consuetudinem, inde patet quod dicit ferè per vniuersas prouincias eam teneri; videlicet exceptionem aliquarum prouinciarum agnoscens. Vt autem intelligatur, quatenus plebi competere possit electio ministrorum ecclesiæ, conuenit duplicem distinguere electionem. Est enim alia electio canonica, quæ dat ius electo: alia non canonica, quæ tantùm vim habet testimonij & desiderij seu optationis. Illa solius est cleri, quia plebs in rebus ecclesiæ ius dare non potest. Hæc verò potest etiam plebi competere, & de ea Cyprianus loquitur & apostoli Act. 6. & concilium Cabilonense cap. 10. Indicat hanc distinctionem Leo in supradicta epistola, dum sic ait: Expectarentur certè vota ciuium, testimonia populorum, quærereтur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus ab his qui norunt patrum regulas custodiri, vt apostolicæ authoritatis norma, &c. Et rursum: Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Deinde addit generaliter de electione loquens: Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur. Eodem spectant quæ scribit idem pontifex epistola 84. ca. 5. & 6. Deniq; in epistola synodi Nicenæ apud Socratem lib. 1. hist. ecclas. ca. 6. manifesta fit distinctio, vt plebs dicatur optare seu petere, clerus suffragia ferre; ordinatores verò manus imponere. Quam distinctionem perspicere licet in vocabulis Græcis, quibus in ea epistola patres vtuntur. Vnde & canon 13. concilij Laodiceni canonicam dumtaxat electionem videtur plebi denegare. Quod autem Cyprianus & Leo plebis electionem saltem generaliter dictam requirere videntur tanquam necessariam; id ita intelligendum, quatenus ad cognoscendam vitam & idoneitatem eius qui ordinandus est, opus sit testimonijs, votis, aut suffragijs multorum, & quatenus expedit eiusmodi electionem plebi permittere. Ex quibus etiam ad octauum argumentum responsio patet.

Ad nonum respondetur sanctiones illas, quę tamen ipse modò dictam distinctionem confirmant, nec perpetuas fuisse nec vniuersales. Imò ex eo quod ecclesiasticæ sanctiones vocantur, satis intelligi datur, non esse iuris diuini nec constitutionis apostolicæ quod ijs præcipitur. Alioquin enim potius scripturæ vel apostolorum authoritatem allegasset ille, cuius ibi verba recitat Nicephorus

Ad decimum, præterquam quòd regula illa suas patitur exceptiones, vt apud glossatores videre est, respondemus id ab omnibus approbatum meritò censeri, quod approbatur ab ijs qui in eo quod approbandum est, totius multitudinis curam gerunt, vt sunt episcopi & clerus ecclesiæ. Nam alioqui nec in generali concilio quicquam statui posset nisi singulis è plebe christianorum auditis & approbantibus. Quod absurdum & impossibile est. Sequeretur etiam ordinationem fieri non posse discrepantibus eligentium suffragijs; quia videlicet non ab omnibus vnus esset approbatus.

Ad postremum, sufficit quod populus tenetur consentire in eum quē ecclesia, id est, ecclesię prælati ipsorum superiores, eis dant episcopum & pręsumitur consentire. Et in eo differt coniugium hoc spirituale à carnali: quia filia non est parentibus subdita quoad assensum in coniugium vel coniugem; populus autem ecclesiæ subiectus est quoad acceptandum pastorem, sicut & in alijs ad animarum salutem pertinentibus. Item est sponsus totius ecclesiæ suæ & non solùm plebis laicæ.

IN DISTINCTIONEM VIGESIMAMQVINTAM.

§. 1. *Quis minister sacramenti ordinis.*

POtestatem conferendi sacros ordines habet ex sua consęcratione omnis & solus episcopus, tanquam christianæ reipublicæ præfectus & hierarcha, siue sacrorum princeps, ad quem proinde pertinet ministeria atque officia inferioris dignitatis ordinatè distribuere, sicut ad sęcularem principem in republica ciuili spectat disponere de officijs publicis inferioribus, ijsque idoneos homines præficere. S. Thom. sup. q. 38. art.

Huius doctrinæ probatio peti imprimis potest ex sacris literis. Nam vt omittamus veterem legem qua legimus consecrationem Aaronis & filiorum eius non ab alio factam quàm à Moyse, quem ob id Deus iam antè voluit esse sacerdotem & pontificem, vt patet ex Exodo, Numeris & psal. 98. ipso etiam tempore nouæ legis non aliter factas in scriptura legimus ordinationes.

Primùm enim Christus sacerdos summus apostolos suos partim in cæna, partim post resurrectionem presbyteros ordinauit. Deinde Act. 6. diaconi à multitudine electi, non nisi ab apostolis ordinantur. Act. 13. Paulo & Barnabæ manus imponuntur ab ijs qui præerant ecclesiæ Antiochenæ. Rursum Act. 14. Paulus & Barnabas constituunt per singulas ecclesias presbyteros. Testatur idem Paulus suarum manuum impositione ordinatum Timotheum 2. Tim. 1. Nec diuersum est quod 1. Tim. 4. nominet impositionem manuum presbyterij. Presbyterium enim Chrysostomus & Theophylactus disertè episcopos interpretantur. Præterea Timotheo & Tito tanquam episcopis mandatur quibus imponere manus, & quos vel episcopos vel presbyteros constituere debeant 1. Tim. 3. & 5. &. Tit. 1.

Vt autem ad ecclesiasticam traditionem & authoritatem patrũ descendamus, Canones apostolici 1. & 2. pręcipiunt episcopum quidem à duobus aut tribus episcopis ordinari, presbyterum verò & diaconum, & reliquos clericos ab vno episcopo. Dionysius eccles. hierarch. cap. 5. dicit sacerdotem non posse initiari nisi per inuocationes episcopales, neque omnino quemquam alium præter episcopum agnoscit ordinatorem. Eiusdem rei testis est Ignatius in suis epistolis, ac præcipuè in ea quæ est ad Antiochenos.

Scribit item Cornelius pontifex in epistola ad Fabianum, referente Eusebio lib. 6. hist. eccles. cap. 43. Nouatum hæreticum cùm episcopatum Rom. ambiret, hoc vnum laborasse vt episcopos aliquot circumueniret, à quibus episcopus crearetur: adeo tunc persuasum erat etiam hæreticis non aliter episcopum creari posse, nisi ab episcopis ordinatione facta.

Grauius autem testimonium est totius ecclesiæ, quæ tacito quodam consensu damnauit Aërium, quòd presbytero tum alia quę episcopalis sunt officij, tum maximè ordinationem faceret cōmunem; vt Epiphanius testatur in hæresi 75.

Hieronymus quoque presbyterum cum episcopo conferens in epistola ad Euagrium & in dialogo aduersus Lucif. nominatim excipit ordinationem, velut functionem episcopo propriam.

His adde Chrysostomum in 1. Timoth. 3. & eiusdem loci commentarium Ambrosio ascriptum, itemque Leonem epist. 88.

Quibus demum accessit conciliorum Oecumenicorum definitio, Florentini in decreto Armenis tradito, & Tridentini sessione 23. capite 4. & can. 7.

Quæ doctrina sic omnino accipienda est, vt ordinationem à quocunque alio presumptam sine attentatam, irritam atque inanem esse non sit dubitandum. Hoc enim cùm de chorepiscopis declarent Damasus, Leo, & Ioannes pontifices superiori distinctione citati, propterea quòd illi non sint verè episcopi; multò magis de cæteris omnibus qui episcopi non sunt, pro certo tenendum est. Cuius hæc est manifesta ratio: quia potestas ordinandi non iurisdictionis est potestas sed ordinis, quam in sua consecratione episcopus accepit; tametsi fatemur requiri iurisdictionem ad hoc vt illam ordinis potestatem licitè legitimeque exerceat.

Denique iam ex dictis perspicuum est, quàm sit à scripturæ ac totius ecclesiæ sensu atque à recta ratione alienum nouum illud quorundam sectariorum dogma; penes politicum magistratum esse potestatem non eligendi tantùm, sed etiā constituendi atque instituendi quoscunque ecclesiæ seu verbi Dei ministros. Cùm enim non profanum sed sacrum sit hoc ministerium, ac præterea in sacerdotibus potestatem requirat supernaturalem; videlicet consecrandi eucharistiam & remittendi peccata: nimis absurdum est à potestate indigniori, eaque toto genere diuersa, cuiusmodi est sæcularis & laica potestas; tam tantæ dignitatis ac potestatis vel suscipi, vel conferri. Damnauit autem hoc dogma synodus Tridentina loco paulò antè citato.

§. 2. *Ad quasdam in contrarium obiectiones responsio.*

S. Thom. suppl. q. 38. art. 2.

QVæ contra superiorem doctrinam opponi solent argumenta, huiusmodi ferè sunt.

Primum: Ea quæ pendent à potestate ordinis, alijs committi non possunt: atqui ex commissione Papæ possunt cardinales presbyteri & abbates conferre ordines minores. Idque adeo de abbatibus & alijs quibusdam agnoscit Tridentina synodus sessione 23. capite 10. reform. Non igitur pendet illorum ordinum collatio à potestate ordinis episcopalis.

Secundum: Habet ecclesiæ consuetudo, vt iuxta cap. presbyter, distinct. 23. presbyteri circumstantes vnà cum episcopo manus imponant ei qui presbyter ordinatur. Est quoque mos quarundam ecclesiarum, vt archidiaconus materiam subdiacono, acolyto & inferioribus tradat dum ordinantur: igitur hi sacramentum ordinis saltem ex parte materiæ ministrant.

Tertium: Florentinum decretum testatur ordinarium huius sacramenti ministrum esse episcopum, significat ergo etiam alijs saltem extraordinariè ministerium hoc committi posse.

Quartum: Antiochena synodus sub Iulio Papa, can. 10. chorepiscopis permittit ordinationem lectorum, exorcistarum & subdiaconorum: & tantùm prohibet ne presbyterum vel diaconum audeant ordinare. Similiter Leo epistola 88. horum duorum tantùm ordinationem inhibens chorepiscopis, permittere eis videtur potestatem conferendi subdiaconatum & reliquos ordines inferiores. Sed & hodie quidam abbates ordinis Cisterciensis ex priuilegio subdiaconatum conferre dicuntur.

Quintum: Augustinus quæst. 101. veteris & noui testamenti affirmat, quòd in Ægypto si desit episcopus, consecrat presbyter. Quod non potest intelligi de consecratione corporis Domini; quia non in Ægypto solùm, sed per totam ecclesiam à presbytero corpus Domini consecratur: quare intelligendum id videtur de ordinationis sacramento.

Sextum: Hieronymus in epistola de 7. gradibus ecclesiæ, dicit presbyteros omnia Dei sacramenta complere; licèt ordinationem & virginum consecrationem fateatur episcopis in ecclesia reseruari propter authoritatem. Probat etiam hoc argumento suam sententiam; quia plus est consecrare corpus Domini quàm ordinare clericum. Cùm ergo presbyter possit illud, potest & istud.

Septimum: Nicephorus lib. 8. suæ historiæ cap. 19. & 24. scribit in concilio Niceno indicatum, non esse iterandam ordinationem factam à Meletio, eiusque sectatoribus hæreticis. Qui tamen Meletius ibidem dicitur sibi sumpsisse ac vendicasse munus episcopale.

Postremum: Scribit idem Nicephorus lib. 11. cap. 20. Amphilochium ab angelis episcopum consecratum, atque ea re cognita alios episcopos absque vlteriori consecratione, sola salutatione & osculo ei impertito ad episcopalem functionem eum admisisse.

Sed ad hæc obiecta breuiter respondeamus.

Ad primum quidem variè responderi potest. Vno modo, si dicamus episcopum ita esse ministrum huius sacramenti, vt tamen ministerium illud aliqua ex parte committi possit presbyteris; saltem authoritate Romani pontificis qui in vniuersa hierarchia ecclesiastica supremam habet potestatem. Qui hoc modo sentiunt, dicunt ordines omnes subdiacono inferiores, vt qui tantùm indirectè & mediatè ad eucharistiæ sacramentum referantur, ideoque imperfectam ordinum rationem habeant; posse alijs committi, non autem tres maiores, propterea quod illi circa eucharistiam vel eius materiam proximè versentur.

Sed his adhuc obstat argumentum de potestate ordinis, & de commissione interdum facta subdiaconos ordinandi. Proinde respondent alij nihil mirandum de eiusmodi commissione: quandoquidem putant ordines minores non esse verè & propriè sacramenta: quod & nonnulli de subdiaconatu opinantur; quemadmodum suo loco diximus.

Tertia responsio est, quamuis detur omnes septem ordines verè esse sacramenta, quod habet multorum sententia; posse tamen presbyteris hoc saltem committi, vt conferant ordines minores, ipsumque subdiaconatum, non tanquam sacramen-

ta, sed vt sacramentalia, seu potiùs vt officia quædam sacra quæ sine sacramentali ordinatione communicari atque exerceri possunt; eò quòd nullam requirant supernaturalem potestatem, cuiusmodi in sacerdotali officio requiritur.

Quid autem horum etiam maximè sit probabile, conijcere licebit ex ijs quæ tum de ministro sacramenti confirmationis, tum superiori distinctione de minoribus ordinibus dicta sunt.

Ad secundum: Impositio manuum quæ fit ordinando presbytero ab alijs presbyteris, non est sacramentum neque pars eius, sed nuda ceremonia. Cuius significationem alibi indicauimus, cùm de ritu presbyteri ordinandi ageremus.

Ad alteram verò partem secundæ obiectionis facilis est responsio secundùm eos qui ordines illos inferiores putant non esse sacramenta. Alioqui dicendum erit solum episcopum esse ministrum, quia solus formam profert & sacramentum perficit; licèt materiam alius tradat, vel potiùs ipse per alium. Quamquam illa consuetudo cum Romano pontificali hodie non conueniat.

Ad tertium: Florentinum decretum ideo ordinarium dicit, quia de extraordinario ministro inter doctores catholicos controuersia est, quam authores illius decreti relinquendam in medio putarunt: id solùm quod certum erat, definientes: quemadmodum etiam de ministro confirmationis suo loco admonuimus.

Quartum argumentum nihil conuincit secundùm eos qui minores ordines comprehenso etiam subdiaconatu putant non esse sacramenta. Si verò ea propriè sacramenta esse fateamur; tum adhibenda erit tertia solutio primi argumenti. Notandum tamen canonem Antiochenum perplexè loqui, propterea quòd dicat chorepiscopos manus impositionem episcoporum accepisse, & more episcoporum consecratos esse. Quod contrarium est ijs quæ ex decretis Romanorum Pontificum superiori distinctione protulimus. Et id si verum esset, possent haud dubiè chorepiscopi ex potestate ordinis etiam presbyteros & diaconos creare, quod tamen ibidem eis negatur. Videtur itaque reijcienda authoritas illius synodi, vt quæ ab Arianis fuerit habita contra Eustatium Antiochenum & Athanasium Alexandrinum episcopos catholicos, cuius Socrates meminit libro secundo historiæ ecclesiast. capite 35.

Ad quintum: Author ille (quem constat non esse Augustinum) consecrationem videtur intelligere consignationem baptizatorum. Nam ijsdem pene verbis vtens apud Ambrosium commentator Pauli in Ephes. 4 pro, *consecrare*, habet, *consignare*. Quod vocabulum sine dubio pertinet ad confirmationis sacramentum: & ad id argumentum responsum à nobis est, cùm de eo sacramento ageremus.

Ad sextum: Doctrina illius epistolæ, cuius author obscurus est (Nam Hieronymi non esse similiter constat) non admodum videtur diuersa à damnata opinione Aërij, qui inter episcopum & presbyterum nō distinguebat; tametsi author sub finem se quodammodo corrigit, & eius ad quem scribit, iudicio submittit.

Ad rationem verò quam adfert, respondemus, non semper eum qui potest quod maius est, posse quod minus est. Fallit enim ea regula quando minus præsupponit potestatem maioris; vt in proposito, vbi potestas ordinandi præsupponit potestatem consecrandi. Et notum est ex apostolo 1. Corinth. 12. Spiritumsanctum variè sua dona, prout vult, distribuere: & quibusdam concedere maiora, quibus non concedit minora. Vnde multa possunt angeli, quæ tamen non potest sacerdos; licet hic præ illis consecrandi corporis Domini potestatem habeat. Manifestum quoque est hominem qui potest intelligere, ratiocinari, loqui; multa non posse, quæ possunt bestiæ.

De Meletio quod septimo loco obiectum fuit, respōdemus illum verè quidem sed furtinè atque illegitimè ordinatum fuisse episcopum: atque hac ratione dici, quod sibiipsi munus episcopatus sumpsisset.

Ad postremum respondetur cum sancto Thoma 3. quæst. 64. articulo 7. Deum suam potentiam sacramentis non alligasse; ideoque extraordinaria via posse vel per angelos, vel etiam absque omni ministerio creaturæ facere aliquem episcopum aut sacerdotem, sicut Christum fecit sacerdotem secūdùm ordinem Melchisedech.

§. 3. *Ordinationem ab hæreticis & excommunicatis factam, validam esse.*

QVod dictum est, omnem episcopum sacramenti ordinis esse ministrum, vsque adeo obtinet, vt nullum crimen quantumuis enorme, vt sunt hæresis, schisma, apostasia: nec vlla censura quantumlibet grauis, vt est excommunicatio; possit efficere quò minùs ratè & validè fit ordinatio ab eo facta, etiam circa eos qui ipsius iurisdictioni non sunt subiecti: dummodo legitimum seruet ordinationis ritum quoad essentiam sacramenti. *S. Thom. suppl. q. 38. ar. 2.*

Probatur id tum ratione, tum SS. Patrum authoritate.

Ratio manifesta est, quia ordinatio, quemadmodum & eucharistiæ consecratio, actus est pertinens ad potestatem ordinis; quæ potestas semel accepta amitti non potest. Quare sicut verè consecratur corpus Domini à sacerdote quantumcunque criminoso; ita vera fit ordinatio ab episcopo quibuscunque peccatis vel censuris implicato. Et sicut presbyter à schismatico episcopo ordinatus verè consecrat; ita episcopus extra ecclesiam ordinans, seruata tamen ecclesiæ forma, verè ordinat. Cæterùm quæ iurisdictionis sunt, vt absoluere, excommunicare; frustrà & inaniter fiunt ab eo qui vel iurisdictionem nullam habet, vel non in eum habet quem soluere aut ligare tentat.

Hanc de hæreticorum ordinatione sententiam multis verbis explicat Augustinus libr. 2. contra epistol. Parmeniani cap. 13. ostendens quòd sicut hæreticus ab ecclesia præcisus baptisma non amittit; ita nec ius dandi baptismi amittat. Vocat autem ius dandi baptismi ipsam ordinationem seu potestatem in ordinatione acceptam; quæ quidem in episcopo non tantùm ad collationem baptismi vel eucharistiæ consecrationem, sed etiam ad ordines sacros cōferendos extenditur. Quare ex August. sententia sicut baptisma verum est quod extra ecclesiam datur; ita ordinatio vera ab episcopo schismatico facta. In eandem sententiam scribit lib. 1. contra Donatistas cap. 1. & libr. 3. cap. 10. & tract. 5. in Ioan. Et passim constans est Augustini doctrina, vera sacramenta ab hæreticis ministrari, tametsi non ad salutem, vt libr. 3. contra Donatistas capit. vltim.

vlrim. Item sacramenta Christi esse, sed non prodesse vbi fidei resistitur, vt tract. 53. in Ioan. Rursum sacramenta paria nobiscum celebrare hæreticos, tametsi doctrina dispares, vt libr. de vera religione cap. 5. Denique generalis Augustini sententia est scribentis in Psalm. 21. & in Psal. 54. in omnibus sacramentis hæreticos esse cum Christo, sed non in charitate.

Hieronymus quoque in dialogo contra Lucif. Baptismi & sacerdotij parem vult esse rationem apud hæreticos.

Huc præterea adduci possunt aliquot à Gratiano citatæ patrum sententiæ quæ habentur in 1. q. 1. vbi hanc quæstionem disputat, & distinctione 68. ac rursus de consecratione distinctione quarta.

Verùm ne singula persequamur, satis hanc doctrinam confirmat perpetua praxis ecclesiæ, quæ nullos vnquam de quacunque hæresi vel schismate in quo ordinati fuerant, venientes iterum ordinauit; sed sicut baptismum, ita & ordinationem vbicunque factam velut signum imperatoris Christi agnouit & approbauit.

Vnde & Nicæni Patres (vt in eius concilij actis videre est) Nouatianos & Meletianos ad ecclesiam redeuntes suis honoribus fungi permiserunt, non iterata eorum ordinatione. Quod & in Arianis recipiendis postmodum à catholicis seruatum est. Paulianistas verò & Cataphrygas, quia non secundùm ecclesiæ formam ordinati fuerant, iterum ab episcopo catholico ordinari præceperunt. Idque similiter de baptismo propter eandem causam cõstitutum fuit teste Augustino ad Quoduultdeum hæres. 44.

Cætera porrò huc spectantia petantur ex tractatu de sacramentis in genere dist. 1.

§. 4. *Dissolutio eorum quæ pro diuersa opinione adferuntur.*

S. Thom. loco proximè citato.

EX ijs quæ dicta sunt, patet non esse recipiendam Magistri & Gratiani sententiam; qui versantes hanc quæstionem eò tandem propendere videntur, vt putent illos hæreticos qui in ecclesia episcopi ordinati sunt, potestatem ordinandi etiam cùm separati fuerint, habere: eos autem qui in schismate vel hæresi positi, ab illis ordinati fuerint, ea potestate carere. Huius, inquam, sententiæ falsitatem facilè superiora coarguunt. Quare ad authoritates patrum quibus nituntur tametsi earum plæræque generales sunt, respondendum est.

Primùm quod ad Cyprianum attinet, apud quem huiusmodi sententiæ complures reperiuntur, quibus hæreticorum sacramenta prorsus irrita esse contendit; non est negandum in hac opinione Cyprianum fuisse, sed quæ tunc paucis ferè in Africa episcopis placuit, alijs catholicis ac præcipuè Romanæ sedis episcopis reclamantibus, vt ex ipso Cypriano clarum est. Vndè & non multò pòst totius ecclesiæ consensu in plenario concilio ea sententia damnata est.

Secundò proferuntur Innocentij 1. verba ex epistola eius 18. cap. 3. vbi negat Arianorum clericos cum sacerdotij vel ministerij alicuius dignitate suscipiendos esse, sed solum baptisma ijs ratum esse permittit. Ad quod respondemus Innocentium hoc sensu velle clericis Arianis solum baptisma ratum permanere; quia redeuntes ad ecclesiam hæretici potiuntur priuilegijs baptizatorum: vt videlicet fidelium loco habeantur, quoad ecclesiæ communionem & sacramentorum perceptionem, & quicquid aliud fidelibus omnibus est commune. Sacerdotium autem illis ratum esse negat; non quin verè eos sacerdotes esse existimandum sit: sed quia in sacerdotalis dignitatis honorem, & locum eos recipi non vult ecclesia, præcipiens laicam ijs communionem dandam esse: id est, non inter initiatos seu clericos, sed inter laicos debere eos sacram communionem percipere; nimirum extra septa chori, quomodo & Theodosium imperatorem communicare voluit Ambrosius Theodoreto referente libr. 5. hist. capit. 18. Solis enim altaris ministris vsque ad altare progredi & ibidem communicare permissum erat; quemadmodum disertè testatur synodus Laodicena can. 19. Esse autem hunc verborum Innocentij sensum ex eo intelligitur, quod ab hæresi redeuntibus non adimat potestatem vel ordinem sacerdotalem, sed dignitatem tantùm & honorem, quamuis & ipsum sacerdotij honorem eis restituat ecclesia, siubi illud populo christiano profuturum iudicat; vt de quibusdam decernit synodus Nicæna can. 8. Qua de re ipsum quoque Innocentium videre est epistola 22. cap. 5. Quare quod cap. 3. eiusdem epistolæ dicitur: eum qui sic ordinatur, nihil accepisse, quoniam in dante nihil erat quod ille posset accipere; non de ordine, sed de honore, vel gratia sanctificante similiter accipiendum est.

Tertiò profertur quod ab Hieronymo in 2. caput Agg. scribente dicitur, omnia quæ ab hæreticis ad honorem Dei fieri videntur, vt vota, sacrificia, eleemosynas, ieiunia, contaminata esse in conspectu Dei. Verùm non negat Hieronymus esse apud hæreticos ordinationem veram aut sacerdotium verum; sed docet quæcunque ab eis fiunt in Dei cultu, polluta esse: quia per ea non tam Deo quàm hæresi & factioni suæ seruiunt. Quo sensu autem sacramenta ab hæreticis collata polluta esse dicantur, pulchrè explicat Augustinus libr. 2. contra epist. Parmeniani capite 13. hoc nimirum sensu, quia mali atque peruersi homines, quantum in ipsis est, sacramenta Christi polluunt, polluta mente & conscientia ea tractantes; cùm alioqui illa in se sancta & impolluta permaneant, quomodo scriptum est 1. Thess. 5. *Spiritum nolite extinguere*, quantum scilicet in vobis est, cùm ille in seipso extingui non possit. Quo etiam modo verba quædam Cypriani idem Augustinus exponit epistola 23 ad Bonifacium. Superiori similis est alia Hieronymi sententia in Amos 5. scribentis, qua dicit Deum odisse atque à se proijcere sacrificia hæreticorum. Sed satis ex ijs quæ sequuntur constat, non eum loqui de sacrificio externo & propriè dicto, quale est sacrificium altaris; sed de hæreticorum doctrina, deque operibus quæ in speciem sancta peruersa intentione contaminantur. Quem sensum habet & tertia eiusdem Hieronymi sententia quæ habetur ad caput 8. Husee. Quamquam eiusmodi sententiæ etiam de sacramentis intellectæ commodum sensum recipiunt. Odit enim Deus hæreticorum sacrificia & sacramenta: non qualia sunt propria institutione, sed considerata secundùm affectum & merita offerentium, id est, quatenus hæreticorum sunt actiones malo fine viciatæ.

Quartò obijciuntur verba Leonis ex epistola 90. ad Anatolium cap. 2. quibus affirmat aliter in

ecclesia Dei nec rata esse sacerdotia nec vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos pontifex reconciliet, & verus agni immaculati sanguis emundet. Sed illius sententiæ sensum hunc ipse contextus postulat: Nisi Christus sit verus homo proprietatem habens carnis nostræ non esse in ecclesia verum sacerdotium aut sacrificium. Neque enim fieri potest vt vera Christi caro offeratur in altari, si non Christus veram carnis substantiam habet in cælo. Quæ erat Eutychianorum hæresis asserentium humanam Christi naturam virtute diuinitatis fuisse absumptam.

Alia sunt eiusdem Leonis verba in epistola 75. ad Leonem Augustum, vbi Dioscori Alexandrini episcopi tyrannidem exaggerans, dicit per eam in ecclesia Alexandrina omne cælestium sacramentorum lumen extinctum fuisse, interceptam sacrificij oblationem, defecisse chrismatis sanctificationem, & parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxisse mysteria. Quæ verba similem cum prioribus sensum habent. Nam Dioscorus Eutychetis defensor veritatem humanæ in Christo naturæ negabat. Itaque per eius hæresim Christo homine extincto, omne sacramentorum lumen pariter extinguitur, & sacrificij oblatio intercipitur; & cætera sanctificationis instrumenta subtrahuntur: quia si Christus non est verus homo, nec vera possunt esse sacramenta, nec vera sacrificia; vtpote quæ vel Christi carnem & sanguinem verè continent, vel ex Christi hominis passione & merito vim sanctificandi acceperunt.

Quintò Gregorij authoritas obijcitur qui 3. dialog. libr. cap 31. vocat sacrilegæ consecrationis communionem, quæ perfidis Ariani episcopi manibus oblata fuerat. Respondemus ijs verbis non aliud significari, quàm sacrilegam fuisse episcopi illius actionem, qua cùm hæreticus esset, corpus Domini consecrare præsumpserat; eâ præsertim intentione, vt per eius communionem filium regis catholicum suæ perfidiæ consortem faceret. Non enim Gregorius rem consecratam, sed ipsam consecrationem sacrilegam vocat.

Ad id verò quod ait idem Gregorius libr. 7. epistol. 110. & citatur à Gratiano 1. quæst. 1. cap. Quicunque; nempe, quod quicunque precio mercari studet quod sacrum est, dum non officium sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit; respondetur ijs verbis non negari quin sic ordinatus sit verè sacerdos, sed hoc tantùm significari, quòd qui simoniacè ad sacerdotium ascendunt, non tam quærant ordinem ipsum sacerdotalem eiusque officium, quàm inane eius nomen cum externo honore. Vnde idem doctor libr. 4. epistol. 23. non sacerdotem esse negat, sed indignum sacerdotio pronunciat eum qui Dei donum precio mercatus fuerit. Et libro tertio epistol. 13. taliter ordinatum priuari iubet ordine, id est, loco & officio presbyteratus; videlicet significans eum verè presbyteratum suscepisse.

Sextò obijcitur decretum Vrbani 2. quod refertur à Gratiano 1. quæst. 7. cap. Daibertum, & alterum Damasi Papæ, quod ibidem refertur cap. Per illicitam: quorum priori pontifex quemdam Daibertum ex integro diaconum constituit, qui fuerat ab hæreticis diaconus ordinatus, quod, inquit, non reiterationem existimari censemus, sed tantùm integram diaconi dationem; quoniam qui nihil habuit nihil dare potuit. Posteriori verò sic ait: Reiterare necesse est quod legitimè actum non est, aut collatum minimè probatur. Nam quomodo possit honorem retinere, qui ab illo acceperit, qui potestatem dare non habuit legitimè, inuenire non possum. Sed vtrumque glossa ab ipsius Gratiani sententia recedens interpretatur de ijs qui fuerant ab hæreticis præter ecclesiæ formam ordinati; tametsi fortè rectiùs de ijs intelligitur, qui ordinati fuerant ab hæreticis non legitimè, id est, ritu ecclesiæ ordinatis, quales erant olim Paulianistæ, de quibus in Nicæna synodo. Nam de illis propriè verum est: Qui nihil habuit, nihil dare potuit.

Septimò, Theodoretus libr. 1. histor. ecclesiast. capite 9. ponit epistolam Nicæni concilij, in qua qui à Meletio hæretico fuerant ordinati, iubentur sanctiori ordinatione confirmari. Respondemus ex eodem loco constare quod verè ordinati fuerint, vt suprà diximus. Sed confirmationem illam non aliam intelligere videtur synodus, quàm ceremoniam qua ad ordines exercendos admittebantur, qui eos in hæresi vel schismate susceperant.

Octauò, Nicephorus libr. 12. hist. ecclesiast. cap. 13. refert patres concilij Constantinopolitani decreuisse de Maximo quodam (qui tamen capite 11. legitur in episcopum fuisse consecratus à Timotheo Alexandrino) quos consecrasset clericos, & quæcunque egisset, irrita vt omnia essent. Sed respondendum omnia irrita decerni quoad debitam executionem ordinis suscepti. Vel sensus est, quoad locum & honorem in ecclesia, sic omnia habeantur quasi non acta.

Postremò, Rupertus libr. 12. in Matth. cap. 26. negat ratum esse quicquid fit ab episcopo vel alio sacramentorum ministro præciso vel damnato ab ecclesia. Respondeo videri Rupertum in eadem cum alijs nonnullis sententia fuisse. Quamquam responderi potest dicta eius intelligenda vel de effectu gratiæ; quia qui a talibus ordinem siue aliud quodcunque sacramentum accipit, grauiter peccat: vel de legitimo potestatis vsu. Sæpe enim quod legitimè fit, id solum ratum esse dicimus.

§. 5. *Sacramentum ordinis characterem imprimere, & nec amitti, nec repeti posse.*

CVm de sacramentis in genere ageremus, ostendimus connexa esse hæc tria, sacramentum aliquod characterem imprimere, amitti non posse, & nec debere nec posse iterari. Quæ tria vt baptismo & confirmationi, ita & sacræ ordinationi competunt. Cuius rationem Augustinus libr. 2. contra ep. Parm. cap. 17. de duobus agens sacramentis, baptismo & ordine, reddit his verbis: Vtrumque sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur; illud cum baptizatur; istud cum ordinatur: ideoque in catholica ecclesia vtrumque non licet iterari, & alia complura quæ sequuntur; vbi & characteri militari sacrum hoc signum, quod post ordinationem in homine relinquitur, comparat; & ideo repeti posse negat, ne ipsi sacramento fiat iniuria: tali, inquam, sacramento quod quadam consecratione homini datum est; Consecrationem intelligens, deputationem absolutam & *S. Thom. suppl. q. 35. ar. 2. vide eundem 3. q. 63. ar. 5.*

perpe-

perpetuam ad aliquid sacrum, qualis est in sacra ordinatione non minus quàm in baptismo & confirmatione. Nam sicut in baptismo consecratur homo religioni & familiæ Christi, in confirmatione autem militiæ Christi; ita in ordinatione consecratur ministerio ecclesiastico, seu functioni publicæ in ecclesia Christi. Ea autem consecratio in eàm perpetuum relinquat effectum siue absolutum siue respectiuum, quem characterem dicimus; de quo disputatur apud scholasticos: ea ratione amitti non potest, & proinde nec iterari. Quod si quis tentauerit, nihil efficit; ac nihilominus sacramento cum tali consecratione dato facit iniuriam. De eadem re sic idem Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 1. Nam sicut redeuntes, inquit, qui priusquam recederant, baptizati sunt, non rebaptizantur; ita redeuntes qui priusquam recederent ordinati sunt, non vtique rursus ordinantur, sed aut administrant quod administrabant, si hoc ecclesiæ vtilitas postulet; aut si non administrant, sacramentum ordinationis suæ tamen gerunt; & ideo eis manus inter laicos non imponitur, &c. Idem lib. de bono coniugali cap. 24 manere dicit in ordinatis sacramentum ordinationis, etiamsi plebi non præficiantur: Etsi, inquit, aliqua culpa quispiam ab officio remoueatur, sacramēto Domini semel imposito non carebit, quamuis ad iudicium permanente. Sic & author sermonis de ablutione pedum Cypriani titulo. Semel sanctificatis, inquit, nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere; nemo sacros ordines semel datos iterum renouat, &c. Rationem quoque hanc subiungit: Quia contumelia esset Spiritussancti, si euacuari posset quod ille sanctificat, vel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit & confirmat. Sanctificationis autem nomine consecrationem intelligit.

Similiter Gregorius libr. 2. epist. 32. eum qui semel consecratus est, negat in eodem ordine posse consecrari; sicut qui semel est baptizatus, iterum baptizari non potest.

Extat de eadem re canon Toletani 8. concilij numero septimus, in hæc verba: Sicut sanctum chrisma collatum, & altaris honor euelli non queunt; ita quoque sacrum decus honorum (intelligit sacros ordines) quod his cōpar habetur & socium, qualiber fuerit occasione præceptum, manebit omnimode inconuulsum. Sic ibi.

Denique probat hoc totius ecclesiæ consensus, quæ semel verè ordinatos, nunquam reordinasse legitur. Vnde meritò definitum est hoc dogma primùm in Florentino concilio, deinde & in Tridentino tum sessione 7. can. 9. de Sacramentis, tum sess. 23. cap. 4. & can. 4. vbi nostri temporis hæreticorum damnatur sententia, qui asserunt noui testamenti sacerdotes & ministros temporariam tantummodo potestatem habere, & semel ritè ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium exercere desinant. Quæ doctrina congruit cum moribus priscorum hæreticorum, quos in libro de præscriptionibus perstringit Tertullianus dicens: Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes. Et infrà: Itaque alius hodie episcopus, cras alius, hodie diaconus qui cras lector hodie presbyter qui cras laicus. Nam & laicis sacerdotalia officia iniungunt. Quibus ille verbis à contrario significat ecclesiasticas ordinationes esse constantes & perpetuas, ac minimè tales, vt quis ex presbytero laicus iterum fieri queat; tametsi ita fieri posse de nostris etiam ordinationibus persuasum habent hæretici.

§. 6. *Solutio eorum quæ contra obijciuntur.*

ADuersus hanc doctrinam obuia est obiectio de ijs qui per ecclesiasticam censuram degradantur. Non enim tantùm suspendi & deponi propter crimina contingit ordinatos, verùm etiam degradari. Degradatio autem sonat gradus seu ordinis ablationem. Vnde glossa decreti super cap. Accedens dist. 50. dicit presbyterum degradatum non conficere corpus Domini, eò quòd potestatem omnem amiserit. Quod & alij multi sentiunt, teste Syluestro in summa. Magister autem in textu dicit episcopum degradatum non habere potestatem largiendi sacros ordines, tametsi facultatem baptizandi non amiserit.

S. Thom. locis proxime allegatis.

His accedit quòd patres tum in canonibus, tum alibi sæpe ita loquantur, vt dicant aliquos ob crimina priuandos vel priuatos esse ordinibus susceptis; vt Gregorius libr. 3. epist. 13. de eo qui per simoniam ordinatus est, & alij quorum sententias recitat Gratianus tum in dicta distinct. per aliquot capitula, tum alijs locis ibidem à glossatore citatis.

Præterea idem Gregorius hom. 26. super euangelia sic ait: Ligandi & soluendi potestate se priuat, qui eam pro suis voluntatibus, & non pro subiectorum moribus exercet.

Sed ad hæc non est difficilis responsio. Degradantur enim nonnunquam ecclesiastica seueritate vel episcopi, vel presbyteri propter grauissima quædam crimina: non quod ordinis potestas ab ijs auferatur, quod omnino fieri nequit; sed quia gradus, id est, honor, dignitas & locus ordini congruens eis abrogatur: vt non alio deinceps loco quàm laicorum habeantur. Ac nihilominus inter suspensionem, depositionem & degradationem, tametsi vicinas inter se censuras discrimen consistit; quod per suspensionem & depositionem non honor aut locus ordini debitus adimitur, quod fieri diximus per degradationem, sed tantùm executio ministerij inhibetur; idque vel cum spe restitutionis, quod qui patiuntur, propriè suspensi vocantur; vel omni spe restitutionis ablata, quod fit per depositionem. Qua de re pleniùs agit Syluester in summæ verbo, degradatio. Qui etiam glossam allegatam & alios ei assentientes meritò reijcit.

De Magistro autem respondere possumus, eum non tam asserendo quàm disputando & opiniones referendo ita locutum fuisse.

Quod ad eas attinet patrum sententias quibus aliqui dicuntur ordinibus priuari; respondendum est illos non de absoluta potestatis priuatione loqui: qua nimirum fiat, vt merè laici efficiantur quales erant ante ordinationem, sed de priuatione honoris seu priuilegij clericalis, quam diximus vocari degradationem; vel saltem officij clericalis exequendi, quæ vocatur depositio. Quam rem satis apertè ac distinctè explicat Augustinus locis supracitatis, & potissimùm c. p. 24. de bono coniugali, cum dicit eos qui ob culpam aliquam ab officio remouentur, sacramento Domini semel imposito non carere.

Ad postrema Gregorij verba respondemus, eiusmodi sacerdotem se priuare ligandi & soluendi potestate; vel quia malè vtendo meretur, vt ei exe-

eutio

cino potest iis interdicatur, vel quia vtitur ea sine effectu, dum indignos absoluit aut immeritos ligat. Hoc enim faciens potestatem illam sibi quodammodo inutilem atque inefficacem reddit.

§. 7. *Qui à sacris ordinibus arceantur.*

S. Thom. suppl. q. 39. tota.

IN triplici differentia sont ij quibus ordinis sacramentum conferri non debet. Quidam enim prorsus incapaces sunt sacræ ordinationis. Qnidam capaces quidem, sed ob eetra vel extetna vel corporis impedimanta noo sunt ordinaodi. Quidam deniqua cùm nullum eiusmodi impedimentum habeant, admitti tamen nõ debant propter defectum doctrinæ vel probitatis.

Io primo ganere est fœmineus sexus. Quem sacræ ordinarionis ineapacem esse, ex eo ostenditur; quia ordo sacramentum est hierarchicum, id est, eorum qui ecclesiasticam præfecturam in certis gradibus constituti gerunt & administrant. Natura autem fœminas non præesse voluit, sed subiectas esse; quemadmodum scriptora docet Genes. 3. & 1. Corinth. 11.

Deinde expressum est apostoli præceptum 1. Timoth. 2. *Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto*, Et 1. Corinth. 14. *Mulieres in ecclesijs taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subiectas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia.* Quo vtroque loco apostolus doctrinæ & verbi nomine etiam reliquas functiones ecclesiasticas compreheodit, maximè sacrificij oblationem.

Ad huius confirmationem accedit quod Christus sacerdotes instiruans io cœna & post resurrectionem tribuens eis remittendi & retinendi peccata potestarem, ne interesse quidem vllam fœminam voluit, vt ostenderet sexum illum ad præfecturam & functiones acclesiasticas esse prorsus ineptum. Vnde legimus extra de pœnitentijs & remissionibus cap. Noua quædam, vsque adeo muliebrem sexum ad ea quæ sunt ordinis sacri, admitti non posse, vt ne quidem B. Deiparæ virgini cõmissę fuerint claues regni cælorum.

Adde quod in veteri lege, vbi rantùm sanguinis successione fiebant saeerdotes, nonquam mulieras ad saeerdotij munus assumptæ fuerint. Multò igitor minùs id fieri conuenit in noua lege, quæ veteri est longè perfectior.

Aliud huius rei argumentum sumitor ex tonsura initiatorum. Ea enim, vt superiori distinctione ostendimus, est apostolicæ institutionis. Atqui turpe est mulieri tonderi, apostolo nihilominus teste 1. Cor. 11. Qnare ex apostolica doctrina ac traditione sexus muliebris omnino à sacris ordinibus est repellendus.

Rursus alind argumentum occurrit ex episcopatu. Qui enim sacros ordines suscipit, eo ipso fit habilis vt episcopus fieri possit: episcopus autem sponsus est ecclesiæ, Christum repræsentans. Quod quidem muliebri sexui nequaqnam congruit.

Aliud item ex potestate ligandi & soluendi, quam consequitur potestas cognoscendi peccata & confessiones audiendi. Quod quantum dedeceat illum sexum, quamque periculosè hoc ei committeretur, tum propter naturalem qoandam in illo sexu rationis inopiam animique leuitatem & inconstantiam, tum ob linguæ intemperantiam & garrulitatem; experientia notissimum est.

Postremò, quod maximi momenti argumentum est: Nunquam ecclesia in tanta annorum serie & in qualibet necessitate, tametsi non defuerint omnibus sęculis optimæ & prudentissimæ mulieres; tentauit aliquam earum assumere ad ordinem seu ministerium ecclesiasticum, ergo existimauit hoc omnioo à se fieri non posse.

Imò testatur Epiphanius in hæresi 79. quæ est Collyridianorom (apud quos molieres B. Mariæ sacrificium offerebant) quod ab initio mundi non legatur mulier Deo sacrificasse. Quod si, inquit, mulieribus concessum fuisset; maximè oportebat ipsam Mariam sacrificiom perficere in nouo restamento. Quod tameo vt fieret, Deo non placuit. Et alia in eaodem sententiam.

Chrysostomus autem libr. 2. de sacerdorio scribit io hunc modum: Quando de ecclesiæ præfectura agitur, vniuersa quidem muliebris natura functionis istius moli ac magoitudini cedat oportet, &c.

Quibus adiunge cap. mulierès distinct. 32. apud Grarianum, quo prohibetur mulieres quæ presbyteræ vocantur, tanquam ordinatas in ecclasia constitui.

Quod si quæras, quænam igitur olim in ecclesia dictæ fueriot diaconissæ & presbyteræ, de quibus extat canon, *Diaconissa*, 27. quæst. 1. & cap. Mulieres, iam dictum, quarum & meminir Nicephorus libr. 9. cap. 45. & libr. 12. cap. 28. vbi & nomen ordiois eis tribuit; Respondeo hæc nomina tantùm fuisse officij seu mioisterij quod mulieres vel gubernando vel subseruiendo inter se, non autem in ecclasia obibant; quemadmodum declarat Epiphanius loco iam dicto. Ordines autem interdum vocantur generali significatiooe, in quantom officia quædam erant non omnibus promiscuè, sed certis qoibusdam personis iniuncta.

Demum si quis objiciat mulierem præfici posse regno politico, & proinde sexum nihil obstare quò minùs etiam in ecclesia ad præfecturam aliquam admittatur; respondemus primò iuxta philosophum libr. 1. polit. corruptelam esse reipublicæ vt principatus & administratio regni ad fœminas deueniat: deinde non rectè colligi simile quid saltem tolerari posse in ecclesia. Nam ecclesia cùm sit immediatè à Christo institota, regnum est multò perfectius atque ordinatius quàm regnum qoodcunque terreuum. Vnde ab eius gubernatione sexum muliebrem oportuit simpliciter esse remotum.

Porrò aliud in eodem genere impedimentum ordinis est, si quis non sit baptizatus. Cùm enim baptismus sit ianua sacramentorum, non potest quisqnam absque eo priùs suscepto aliud sacramentum suscipere. Vnde in concilio apud Compendiom celebrato sic legitur: Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatom, baptizetur, & iterum ordinetur. Cuius concilij sententiam sequitur & probat Innocentius 3. Habetur autem vtrumque in decretalibus titulo, *De presbytero non baptizato.*

Nec obstat quod refert Socrates libr. 5. cap. 21. receptum fuisse in ecclesia Alexandrina vt siue ex catechumenis, siue ex baptizatis lectores & interpretes fierent. Non enim de ordine loqoitur ecclesiastico, sed de ordine tantùm: tametsi nec apparet laudabilem fuisse istiusmodi coosuetudinem, vt qui in ecclesia nondum est, lectoris in ea vel interpretis

furga-

fungatur officio. Est autem notandum discrimen intar hoc impedimentum & superiua, quòd vir non baptizatus capax ordinis fieri potest, si baptizatur; vt iam dictum ast: mulier autem, quia sexum mutara non potest, nec potarit aliquando capax fieri sacræ ordinationis.

In secundo impedimenti genere sunt pueri, furiosi, amentes, serui, homicidæ atiam inuoluntarij aut reconciliati: item spurij seu illegitimè nati. Deniqua insigniter deformes aut mutili: quòd hi partim vsu rationis careant, partim aliquid habeant quod vel dignitatem ordinis dedeceat, vel eius administrationi impedimentum præstet. Nam & in veteri lege quædam corporis vicia ab altaris ministerio Leuitas ipsos excludebant; quanquam illa potissimùm ad animi vicia noui sacerdotij tempore transferenda sunt, vt quorum significandorum causa fuatuot illa io veteri lege tam accuratè & particulatim præscripta.

In eodem genere raponendi sunt digami qui lega apostolica episcopis & diaconis ordinandis præscripta, per hoc quod dicitur: *Vnius vxoris virum*, 1. Timoth. 3. prohibentur initiari, vel ob incontinentiæ suspicionem, vt quidam volunt, val vt alij tactius, carti mysterij in Christo & ecclesia significandi causa. De qua re accuratior erit tractatio ad distinctionem 27. Cætarùm hi omnaa qui secondi sunt generis varum sacramentum suscipioor, si facto ipso ordinari aos contingat; atiam illi qui rationis vsu vel ob ætatem vel morbum sunt destituti, quemadmodùm probabiliter tenent sanctus Thomas, Bonauantura, Richardus, Paludanus & alij; tametsi reclamet Durandus.

Rationem autem hanc reddunt, quia sacramenta characterem imprimantia nullum requirunt actum rationis in suscipianta, ad hoc vt par ea character seu potestas spiritualis consaratur. Vode sicut baptismus & confirmatio daotur efficaciter ante vsum rationis, sic & ordinis sacramentum; qoamuis sine dubio illicitè hoc fietat, eò quòd huiusmodi ordinationis oulla sit neque nacessitas oaqua vtilitas quantum quidem attinet ad publicum ecclesiæ bonom, cuius gratia institutum est hoc ordiuis sacramantum. Nam de gratia suscipieotis animam sanctificanta, vtrùm ea sic ordinatis conferatur, alia quæstio ast, affirmatiuam fortassis exigens tasponsionem, eò quòd sacramentum sic collarum obicem non inueniat, sicut & sacramentum confirmationis.

Probatur item dicta opinio tum per cap. vnicum, de clarico per saltum promoto, vbi Innocentius 3. approbaturus videtur ordines omnes presbyterio inferiores ante annos discretionis susceptos, si de facto legitimè cōstaret; tum per canonam quarti concilij Toletani, quem citat Gratianus distinct. 77. cap. In vateri lega, vbi dicitur quod quidam & infantes & pueros Leuitas, id est, diaconos ordinabant, naque negaror tamen ordinationem valere, sed tantummodo factum reprehenditur, & ne vlterius fiat, prohibetur.

Porrò idem iodicium, quoad veram ordinis susceptionam, cartissimè habendum ast de ijs qui ad tattium impedimanti genus pertinent. In quo ganere sunt, digamis exceptis, primùm illi quos ab episcopatu & diaconatu arcet apostolus 1. Timoth. 3. dum certas ad vtrumque conditiones præscribit: & deinde quicunqua oon tales sunt doctrina & vitæ honestate, qualem vniuscuiusque ordinis sanctitas & administratio iuxta sacros canones requirit; & præcipuè iuxta reformatoria decreta synodi Tridant. sessione 23. capite 5. 11. 12. 13. & 14.

Huc denique referri potest impedimentum seu defectus ætatis, vtpote plerumque coniunctum habens doctrinæ vel saltem grauitatis ac maturitatis morum atque iudicij defectum. Quo fit vt iustissima ratione certam ac satis maturam ætatem ad ordines capessendos ecclesiasticæ leges requirant. Qua in re tamen variatum noonihil fuit. Nam secundùm antiquos canones qui sunt apud Gratianum distinct. 77. & 78. ad subdiaconatum requirabatur ætas annorum 20. ad diacooatum 25. ad presbyterium 30. quanquam & in illis canonibus, maximè quoad subdiaconi ætatem, non modica diuarsitas reparitur. Neque satis aa quæ Magister dicit, cum canonibus consentiunt. Postmodum verò refrigescente pietatis studio nec motam tam diuturni temporis in inferiori gradu ferentibus hominibus, Clemens quintus in concilio Viennensi antiqua iura commutauit & tempora coortaait, vt habetur in Clamentinis titul. De ætate & qualitate præficiendorum cap. Generalem; vbi subdiaconis annos assignauit 18. diaconis 20. presbyteris 25. Quam legem synodus Tridentina in presbytario quidam retinendam censuit, in reliquis autem duobus ordinibus seu propter continentiæ votū ijs annexum seu aliam ob causam, ad maturiotam ætatam reduxit, statuens na quis ad subdiaconatus ordinem ante 22. ad diaconatus ante 23 ad prasbyteratus anta 25. ætatis suæ annum promoueatur, sassioos 23. cap. 12. reform.

§. 8. *Qui Simoniaci & quà ratione dicantur hæretici.*

QVod de ijs qui extra ecclesiam ordinaotur, suprà diximus, verum ordinationis sacramentum eos accipere; idem omnino sentiendum de ijs qui ordinantur à Simoniacis: siue nescientes ab ijs sacramentum accipiant, siue sciaotes & consantientes; cùm da his nihilo minùs quam de cæteris rationes & authoritates suprà positæ concludant, quamuis hic diuersum doceat Magister §. E. dicens eorum qui scienter à Simoniacis se permisariot consectari, consacrationem omnino irritam esse. Quæ Magistri sententia meritò reijcitur & inter eius erroribus annumeratur. Neque eius opinioni suffragatur Vrbani decretum quod habetur apud Gratianum 1. quæst. 1. cap. Si qui, vnde sua verba Magister deprompsit. Sensus enim dacreti est talium consecrationem omnino irritam asse, quoad honores & priuilegia ordinis, & quoad licitam ac legitimam aius aaecutionem. Nam tali atiam casu ordinem verè conferti paret ex capitulo proximè præcedenti & duobus saquentibus, in quibus ordinari quocunque modo simoniacè, non negaotur ordinis sacramentum suscapisse; sed contra potius tanquam verè ordioati iubantor à gradu suscepto deijci ac deponi. Qui canones sunt loco interpretationis decreti Vrbani.

S. Thom. 2. 2. q. 100. ar. 1.

Cæterùm huius doctrinæ occasione subijciendum opportunè hoc loco, qui dicaotur Simoniaci, & quid sit Simonia, quibusque modis committatur.

Igitur Simoniaci in genere dicuntur sectatores Simonis magi, coius duplex fuit maliciæ genus: Alterum quòd precio comparara sibi voluit gratiam dandi visibiliter spiritumsanctum, vt habemus, Act. 8. Alterum quod propria quæda dogmata Catholicæ fidei aduersantia tradidit, contra quæ doctè

A dissenserunt Irenæus & Epiphanius. Hac in parte qui eum sequuntur, propriè hæretici sunt, non item qui in priori. Non enim doctrinæ sed affectus prauitate laborant illi quos hodiè Simoniacos vocamus; Ipsaq; simonia non opinionis sed affectus vicium est. Vocantur tamen & priores illi interdum hæretici, ipsumque vicium, hæresis Simoniaca, tum apud Gregorium in registro libr. 3. epist. 3. & lib. 4. epist. 51. & libr. 9. epist. 51. 53. & duabus sequentibus: ac rursum eiusdem libri epistola 64. & libr. 11. epistola 46. & alibi frequenter; tum in alijs nonnullis pontificum decretis apud Gratianum. B Vnde & Magister in textu, De Simoniacis, inquit, non est ambigendum quin sint hæretici. Idemque confirmat Hugo Victorin. lib. 2. de sacramentis parte 10. tractatu de Simoniacis. Vocantur autem hoc pacto impropriè; quia videlicet hominis hæretici sectatores sunt, licet non in eo quod hæreticus fuit, sed quod impius & sacrilegus; sicut Romanus papa vocatur apostolicus, quia Petri apostoli successor est, non quidem in apostolatu, sed in primatu ecclesiæ.

Possunt & hac ratione hæretici dici, quia irreligiosè tractant sacramenta Christi, aliasq; res spirituales, C pari modo atque si hæretici essent, & non sanam de ijs opinionem haberent. Nam & reuera hæretici sunt illi qui emptionem & venditionem beneficiorum ecclesiasticorum licitam esse docent, vt hodie episcopi Græci; nimirum in ea quoque re Simonem magum imitati, cui dicitur ab apostolo: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*. Existimatio enim opinionem significare videtur. Ad eundem modum qui vsuras exercent, si id se facere licitè putant, hæretici sunt, vt habet decretum Vienensis concilij.

D Porrò Simoniaci etiam Giezitæ dicuntur à Giezi ministro Elisæi qui à Naaman Syro quod ab Elisæo magistro suo per miraculum lepra liberatus esset, precium exegit atque accepit 4. Reg. 5.

Vocantur & Balaamitæ à Balaam ariolo, qui precio conductus fuit vt filijs Israel in Dei nomine tanquam propheta malediceret, Numer. 22. Fuerunt autem & alij in sacris literis notati huius criminis, vt Ieroboam, qui precio vendebat sacerdotium, de nouissimis populi constituens sacerdotes excelsorum 3. Reg. 13. vt Iason, Menelaus E & Lysimachus, qui ab Antiocho impio rega summum sacerdotium plurimis auri talentis mercati leguntur 2. Mach. 4. vt Annas & Caiphas alijque eius temporis pontifices qui eandem dignitatem à Romanis in annos precio redemerunt teste Iosepho libr. 18. antiquit. vt Herodes Ascalonita & eius successores, qui pontificatum & sacerdotiū Iudæorum venalia habuerūt, teste eodem Iosepho lib. 17. antiq. & Nicephoro lib. 1. cap. 9 vt deniq; omnium pessimus Iudas qui filium Dei 30. denarijs vendidit, ementibus eundem ad perdendum principibus sa- F cerdorum; de quo tamen dubitari potest, an propriè Christum vendiderit, an verò tantùm operam suam locauerit, adducendum Iudæos ad locum, vbi facilè ac sine populi tumultu Christum capere possent.

Veruntamen qui hoc crimine sese commaculant, peculiariter & quidem aptissimè iam olim Simoniaci vocantur à Simone mago, in quo voluntas fuit non vendendi tantùm sicut in Giezi & Balaam & Ieroboam & Iuda, neque emendi tantùm, vt in alijs; sed emendi simul & vendendi: Ideo enim emere voluit potestatem dandi Spiritumsanctum, A vt vsum atque exercitium eius potestatis postea venderet; atque hac ratione quod gratis non accepisset, nec gratis daret. Testatur hoc Augustinus in Psalm. 130. de Simone dicens: Emere volebat quod vendere disponebat. Et iterum: Volebat Simon emere columbam, & vendere columbam, & Gregorius homilia 4. in euang. Percipere donum sancti Spiritus pecunia voluit, vt deterius venderet, quod malè comparasset.

B

§. 9. *Simoniæ definitio eiusdemq; explicatio.*

Simonia vulgo definiri solet, *Studiosa voluntas emendi, aut vendendi rem spiritualem vel spirituali annexam*. Dicitur autem studiosa voluntas quam alio nomine consentientem dicere possumus, qualis est, cum quis sciens rem esse spiritualem aut spirituali annexam nihilominus precio eam subijcit. Meritò quoque volūtas nominatur non actus, quia sola voluntate committi potest hoc crimen, sicut & C alia peccata; siue voluntas illa verbis exprimatur, vt factum est à Simone mago, qui non emit, sed tātùm emere voluit, eamq; se voluntatem verbis exposuit, siue nullo prorsus signo sese foras prodiderit, cuiusmodi est simonia purè mentalis. S. Thom. 2.2.q.100 art.1.

Sub verbis emendi & vendendi in definitione comprehendi oportet omnem contractum non gratuitum; cuiusmodi sunt, elocatio, conductio, permutatio, transactio & similes. Deinde sicut alij non gratuiti contractus fieri possunt, ita & simonia committi, non tātùm interueniente pecunia sed D omnibus ijs quæ precio sunt æstimabilia, qualia sūt seruitium, obsequium, opera. Imò preces, laudes, assentationes, si quando eas is qui vel præstat, vel accipit, precij loco ducit. Alioqui sicut pauperi impensè roganti data eleemosyna gratuita est; ita beneficium ecclesiasticum, precibus vel assentatione impetratum, gratis datum nihilominus censetur.

Incurrunt autem & illi crimen simoniæ qui propinquis suis hac ratione beneficia conferunt, aut conferri procurant, vt ab eorum debita sustentatione liberentur; secus si solius consanguinitatis E intuitu id faciant. Tunc enim licet iniquæ dispensationis peccatum incurrant, simoniæ tamen crimine non implicantur. Estque eadem ratio de eo qui ministro suo liberaliter confert beneficium, hoc tantùm spectans quia minister suus est, nō quia ecclesiæ futurus vtilis.

Porrò res spiritualis in definitione ea intelligitur, quam Spiritussanctus ad salutem hominum gratuitò operatur. Huiusmodi autem res non vnius sunt generis. Quædam enim ita spirituales sunt, vt ab homine tradi non possint pacto alicuius pre- F cij interueniente, vt fides, spes, charitas, & quæcunque hominem Deo commendant. In huiusmodi tradendis & accipiendis committi nequit simonia, etiamsi talia sint vt per sacramenta acquiri possint. Non enim acquiri possunt ab eo qui precio sibi putat ea cōparare. Aliæ verò spirituales quidem res sunt, sed hominum ministerio traduntur etiam malis & indignè suscipientibus, vt potestas ordinandi, consecrandi, absoluendi & alij sacramentorum effectus, quibus tamen homo Deo gratus non efficitur. Circa huiusmodi spiritualia cōmittitur simonia, quoties nō gratis sed precio tradūtur

vel

vel accipiuntur. Eodem pertinent prophetia, donum linguarum, operatio miraculorum, aliæque gratiæ quæ vocantur gratis datæ. In quo genere fuit illud, quod sibi precio comparare voluit Simon magus.

Denique ipsa sacramenta, & actus quibus illa administrantur, ad hoc genus referuntur, vt baptizare, absoluere, sacrificare, nec non alij actus cuiuslibet spiritualis potestatis, vt templa, altaria, calices consecrare: Item beneficia conferre & ad ea nominare, præsentare, vel in ijs instituere: Item in lege ecclesiastica dispensare, dimissorias dare ad ordines, & quæcunque sunt huius generis.

Postremò in definitione simoniæ additum est, *vel rem spirituali annexam*. Sunt enim res quædam temporales spiritualibus annexæ, in quibus simoniæ vicium cauendum est.

Pro quo notandum res spiritualibus annexas esse in duplici genere. Quædam enim antecedenter se habent ad id quod spirituale est, quædam verò consequenter.

Antecedenter se habere dicuntur ad rem spiritualem, ex quibus tanquam prioribus natura vel tempore, res spiritualis dependet, v. g. calix consecratus hoc modo rei spirituali annexus est, quia & prius existit ipsa consecratione, & in eo quodammodo fundatur ipsa consecratio. Huiusmodi quoque sunt sacræ vestes, aliaque tum ornamenta, tum vasa ecclesiæ, consecratione ad rem diuinam sanctificata: Item cœmeterium consecratum, & ager seu prædium habens annexum ius patronatus. Hæc igitur omnia vendi quidem possunt, sed eorum precium propter rem spiritualem cohærentem augere non licet. Vnde calix consecratus non debet pluris vendi ratione consecrationis quàm non consecratus, & sic de alijs.

Quod autem talia vendere simpliciter non sit illicitum, manifestè probant exempla Sanctorum, Ambrosij de seipso scribentis libr. 2. offic. cap. 28. Exuperij Tolosani episcopi apud Hieronymum in epistola ad Rusticum, Augustini apud Possidium in eius vita cap. 24. Gregorij idipsum approbantis lib. 6. epistol. 13. & aliorum qui laudabiliter in vsum pauperum, vel redemptionem captiuorum premente necessitate sacra vasa confracta vel conflata distraxerunt & agros ecclesiæ vendiderunt.

Eiusdem generis præterea sunt ea quæ ad materiam assumuntur sacramentorum, vt panis, aqua, vinum, oleum seu simplex, seu balsamo mixtum. Hæc enim omnia antecedenter ad ipsa sacramenta se habent; quibus proinde non repugnat vt vendi possint eo precio quo venderentur extra vsum sacramentorum vt res profanæ. Sed quia precium talium rerum permodicum est, & vix æstimantur res illæ nisi ratione eius quod spirituale est; hinc canonibus cautum est, ne pro chrismate aliquid exigatur. Quod multò magis prohibitum censeri debet de ijs quæ minoris ac vix vllius secundùm se sunt precij, idque propterea ne sub earum rerum obtentu sacramenta ipsa venalia videantur & per hoc contemptui exponantur.

Porrò consequenter ad rem spiritualem sese habet res temporalis, quando quod temporale est, mediante spirituali acquiritur; sic nimirum, vt vtroque dato, prius natura spirituale, ac posterius temporale datum acceptumque cogitetur. Quæ sunt huius generis temporalia, à spiritualibus pendent, non contra. In quo quidem genere beneficia ecclesiastica reponi debere certum est. Est enim ecclesiasticum beneficium ius quoddam percipiendi vitæ necessaria, seu bona temporalia propter officium spirituale quod est ius seruiendi Deo in clericatu: ita videlicet vt illud temporale nemini competat, nisi qui priùs hoc spirituale acceperit. In hoc igitur rerum temporalium genere prorsus illicita est emptio & venditio. Ac de his intelligendum est quod ait Paschalis papa citatus à Magistro, & cuius sententiam pleniùs refert Gratianus 1. quæst. 3. his verbis: Si quis obiecerit non consecrationes emi, sed res quæ ex consecratione proueniunt; penitus desipere probatur. Nam cùm corporalis ecclesia, aut episcopus, aut abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter viuit; quisquis horum alterum, id est, temporale, vendit, sine quo nec alterum, id est, spirituala, prouenit; neutrum inuenditum derelinquit. Nullus igitur emat præbendam, vel ecclesiam, vel aliquid ecclesiasticum, nec pastellum nec pastum antea nec postea pro huiusmodi soluat. Hæc ille; vbi quod dicitur, sine quo nec alterum prouenit, sic intellige: ita vt alterum necessariò præsupponat.

Est igitur huius doctrinæ ratio; quia in huiusmodi transferri non potest temporale, nisi translatione eius quod spirituale est, præsupposita. Quare qui quod posterius est, precio transfert, etiam id quod prius est, precio transferre censetur, ac iure Simoniacus habetur. Quod vsque adeo verum existimamus, vt nec ipse Romanus pontifex à vicio simoniæ excusandus veniat; si quod absit, non gratis sed precij interuentu conferat ea temporalia, quæ ad hunc posteriorem modum spiritualibus annectuntur, ac multò magis si ipsa spiritualia vendat. Quod si autem, verbi gratia, agrum aliquem ex ecclesiastico profanum faciat, separando videlicet obligationem seu debitum officij spiritualis à iure percipiendi fructus illius agri; quod quidem ex plenitudine potestatis facere sine dubio potest, tum non modò pontifex, sed & alius quiuis agrum illum precio subijcere poterit. Estque hæc doctrina de illicita per se beneficiorum ecclesiasticorum emptione ac venditione sacris canonibus conformior, vtpote quibus significatur huiusmodi pactiones prohiberi tanquam per se viciosas ac turpes, & vt diuinę legi contrarias: tametsi non desint qui totum hoc genus referant ad ius merè ecclesiasticum, putantes eiusmodi contractus ideo tantùm esse malos, quia legibus ecclesiæ prohibiti sunt; non ideo prohibitos quia per se mali. Quæ ferè est Canonistarum opinio.

§. 10. *Vtrum labor ministerij ecclesiastici precio sit æstimabilis?*

INter ea temporalia quæ spiritualibus ita connexa sunt, vt ea antecedant natura; numerandus videtur labor corporalis quem vel missas celebrando, vel sacramenta administrando, vel concionando suscipiunt ecclesiæ ministri: de quo proinde controuersa inter doctores quæstio est, vtrùm precio sit æstimabilis. Nam putant quidam laborem illum qui sacramentis, alijsque actionibus sacris est internus, cumque ijs necessario concurrit, precio æstimari non debere; vt qui secundùm se nullius

S. Thom. 2. 2. q. 100. ar. 2. 3 & 4.

uestra metamus? Et Rom. 15. *Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis.*

Cæterùm quod in genere iubet lex diuina & naturalis, id lex ecclesiastica determinat, dum certum aliquid constituit ecclesiæ ministris à populo accipiendum, velut decimas, iura exequiarum & sepulturæ, & quæcunque alia tum ad sacramentorum administrationem, tum ad alias sacras functiones, vel expressa lege vel consuetudine ministris eorum assignata sunt. Quæ tamen omnia non mercedis & precij sed debitæ sustentationis rationem habent. Nam quod Luc. 10. & 1. Timoth. 5. mercedis nomen legitur; non id dicitur de alimentis B ministrorum ecclesiæ, sed de mercede operariorum, à quibus tam apostolus quàm Christus sumunt exemplum, vt iam diximus. Cuius exempli similitudo in eo consistit, quod sicut operarius viuit ex opere suo accipiens mercedem sibi debitam; ita minister ecclesiæ ius habet viuendi ex ministerio suo, accipiens sibi vitæ subsidia. Atque hac ratione poterit quod ministris ecclesiæ datur, etiam merces vocari. Potest & propriè merces dici, vt opponitur merito; quia qui ministrat euangelio, meretur sustentationem, non tamen non est plena nec tota, nec præcipua merces operis eius, ac proinde nec precium; quia precium significat aliquid saltem æquale, quod in ratione mercedis non continetur.

§. 12. *Quæ præbentur ecclesiæ ministris, non esse puras eleemosynas.*

S. Thom. 2.2. q. 87. INter articulos Ioannis Wicleffi in Constantiensi synodo damnatos, vnus est numero 18. quo ille asserebat decimas esse puras eleemosynas, & parochianos posse propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum eas auferre. Quem errorem, etsi satis quæ modò dicta sunt, eludunt; plenius tamen tum ex scriptura, tum ex patribus, tum ex ipsa ratione naturali probandum nobis est tam decimas quàm alios ministrorum ecclesiæ prouentus, non puras esse eleemosynas sed stipendia ministerijs ipsorum debita.

Primùm id ostendunt comparationes quibus vtitur apostolus 1. Corinth. 9. quæ non sunt acceptæ ab eleemosynis mendicorum, vel ab alijs donis merè gratuitis atque indebitis, sed ab ijs quæ omni iure debentur, vt sunt stipendia militum, merces pastoris, plantatoris seu agricolæ & cuiuscunque tandem operarij.

Eodem loco vocat potestatem & ius manducandi & bibendi & non operandi; vbi & se commendat quod potestate illa, id est, iure sibi debito non fuerit vsus. In altera verò epist. cap. 11. sic ait: *Alias ecclesias exspoliaui, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.* Igitur secundùm apostolum erant stipendia iure debita, quæ ministris verbi dabantur.

Sic Roman. 15. debitum vocat: *Placuit enim eis*, inquit, *& debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis.* Et 1. Timoth. 5. presbyteros qui bene præsunt duplici honore, id est, amplis stipendijs dignos haberi vult.

Eodem pertinet quod paulò antè dictum fuit de mercedis vocabulo, quod haud dubiè & meritum & debitum includit, & cum pura eleemosyna ex diametro pugnat.

Simili modo & Dominus loquitur in lege Numer. 18. cum dicit primitias & alia huiusmodi deberi sacerdotibus pro officio sacerdotali, idque iure perpetuo, ac postremò addit hæc verba: *Quia pretium est pro ministerio quo seruiunt in tabernaculo testimonij*, precij nomine generaliter intelligens aliquid iure debitum, etiamsi operi pro quo datur, non sit adæquatum.

Sed ad patres veniamus. Augustinus lib. de opere monachorum cap. 15. Timotheum, inquit, quia per infirmitatem corporis manibus operari non poterat, sic exhortatur, monet & consolatur apostolus, *Labora sicut bonus miles Christi &c.* Hic ne ille pateretur angustias dicens: Fodere non possum, mendicare erubescor, adiunxit: *Laborantem agricolam primum oportet de fructibus percipere, &c.* Fecit itaque secutum castum euangelistam, non ad hoc euangelizantem vt venderet euangelium, sed tantùm huic vitæ necessaria suis sibi exhibere manibus non valentem; vt intelligeret quod necessarium sibi sumebat, ab eis quibus tanquam prouincialibus militabat, & quos tanquam vineam cultura exercebat, vel tanquam gregem pascebat, non esse mendicitatem sed potestatem. Sic ille. Quod si C secundùm Augustinum non est mendicitas sed potestas cum accipitur; neque ergo eleemosyna est sed debitum, cum datur. Debitum autem esse apertius adhuc idem testatur Augustinus in tract. de pastoribus cap. 2. ita scribens: Apostolus quamquam elegerit manibus suis laborare, nec ipsum lac quærere ab ouibus; tamen lactis potestatem percipiendi habere se dixit, & sic Dominum disposuisse, vt *qui euangelium annunciant de euangelio viuant*, & dicit alios coapostolos suos vsos fuisse hac potestate, non vsurpata, sed data. Plus ille fecit, vt nec quod debebatur acciperet. Ipse ergo donauit D & debitum, sed alius non exegit indebitum, & quæ sequuntur. Idem conc. 3. super Psalm. 103. similibus verbis vtens docet quod euangelij prædicatoribus datur, debitum esse non donatum, & dicit populum non debere expectare donec petatur, sed debere præuenire petentem.

Similiter Hieronymus in Malach. 3. Saltem, inquit, Iudæorum imitemur exordia, & sacerdotibus ac Leuitis honorem debitum deferamus. Vnde dicit & apostolus presbyterum duplici honore honorandum, maximè qui laborat in verbo & doctri- E na Dei. Quod qui non fecerit, Deum fraudare & supplantare conuincitur, &c.

Omnium autem apertissimè de hac re Chrysostomus loquitur homilia 33. in Matth. tractans illud cap. 10. *Dignus est operarius cibo suo:* Vnde perspicuum est, inquit, à discipulis ipsos esse alendos. Ne aut ipsi aduersus eos quos ducebant, quasi omnia præbentes & nihil vicissim accipientes insurgerent; aut illi qui audirent, quasi neglecti atque spreti discederent: ac ne eos puderet, qui quasi F mendicando viuere ipsos volebat, operarios vocauit, & quod eis dabatur, mercedem appellauit, vt rem debitam ipsis dari ostenderet. Nam etsi verbis solùm operari videbantur; res tamen erat non parui laboris. & beneficia collata non exigua. Quare quod apostolis dabatur, non gratis offerebatur, sed ad retributionem beneficiorum reddebatur; *Dignus est enim operarius cibo suo*, non quia tanti solummodo labores illi apostolici fuerunt, absit. Nequaquam enim hoc cogitandum est; sed propterea illud ita ordinauit, ne apostoli plus aliquid

consuetudo ab apostolis necessariæ collationis ad diurnam seu quotidianam tantùm sæculo renunciantium, aut per inopiam indigentium alimoniam fuerit instituta. Et grauiter eos reprehendit qui collationibus plebis & muneribus sese ditant.

Similia habet idem author can. 23. in Matt. Et Hieronymus in Matth. 27. ad illud, *Mulieres ministrantes ei*, Vt typum, inquit, ostenderet magistrorum quod victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti. Idem in epistola ad Damasum vt citatur à Gratiano 16. q. 1 c. Quoniã, ita scribit: Clericos illos conuenit ecclesiæ stipendijs ali, quibus parentum & amicorum nulla suffragantur stipendia. Qui autem bonis parentum & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium incurrunt.

Item Antiochenum concilium cap. 35. & habetur apud Gratianum 12. q. 1. cap. Episcopus, prohibet ne episcopus participet de bonis ecclesiæ, nisi quibus indiget.

Bernardus quoque in epistola 2. furtum & rapinam esse affirmat quicquid præter simplicem victum & vestitum de altario retinetur. Quibus similia leguntur apud Augustinum serm. 17. & 219. de tempore, & epistola 50. Ex quibus omnibus consequens videtur, id quod ecclesiæ ministri accipiunt, non habere stipendij rationem sed eleemosynæ tantùm. Nam si stipendium esset, plus aliquid liceret accipere, vt patet in stipendijs militum & mercedibus operariorum.

Quartum: Concilium Tridentinum sess. 25 ca. 4. reform. vocat ea quæ pro celebrandis missis ex fundationibus relicta sunt, eleemosynas. Atque eo modo etiam loquitur Aquisgranense concilium, dicens canonicos ex eleemosynis viuere cap. 122. Sed & alibi obuia est hæc locutio, vt pia legata vocentur eleemosynæ, etiamsi recipientes obligentur ex fundatione ad missarum celebrationem vel aliud huiusmodi. Imò interdum etiam talia in puram eleemosynam relicta dicuntur.

Postremum: Annua subsidia studiosorum quæ bursæ vocantur, sunt eleemosynæ etiam respectu accipientium, quamuis ipsi ratione talium subsidiorum ad multa sint ex pacto vel statuto obligati, videlicet ad diligens studium, ad orandum pro fundatore, ad certum vitæ statum, &c. igitur & ecclesiasticæ præbendæ sunt eleemosynæ respectu accipientium, licèt propter eas teneantur ad ecclesiasticum ministerium.

His argumentis ordine respondeamus.

Ad primum quidem respondetur vno modo, Dominum cùm diceret: *gratis accepistis*, non respexisse ad opus euangelicæ prædicationis, quod laboriosum est, & ferè totũ hominem requirit; sed ad operationem miraculorum, de quibus proximè locutus fuerat, & in quibus non adhibetur multùm operis aut laboris. Vbi proinde si quid acciperetur, viderentur ipsa miracula vendi, & gratia miraculorum ad quæstum exponi. Altero modo, vocabulum, *gratis*, aliter apud Matthæum, aliter apud apostolum accipi. Nam apud Matthæum opponitur precio, non stipendio: Siquidem referendum sit etiam ad prædicationem euangelij. Nam stipendium non negari, patet ex eo quod mox de opere prædicationis sequitur: *Dignus est operarius cibo suo.* Apud Paulum verò strictius accipitur, vt excludat quamcunque debiti receptionem. Commendat enim se Paulus quod gratis euangelizauerit apud Corinthios, id est, nihil stipendij ab ijs acceperit quod tamen vt iure debitum accipere potuisset, sicut accipiebant alij apostoli, atque etiam ipse ab ecclesijs Macedoniæ, quemadmodum ibidem disertè testatur dicens: *Alias ecclesias exspoliaui accipiens stipendium in ministerium vestrum.*

Ad ea quę secundo loco ex Prospero objiciuntur, respondemus ea scripta esse quo tempore nondum erat facta bonorum ecclesiæ partitio, sed adhuc possidebantur in commune. Tunc enim ad episcopi pertinebat officium, ex illis bonis clero, fabricæ, & pauperibus secundùm cuiusque necessitatem vel meritum distribuere, ac sibi etiam inde quantum opus haberet, accipere. Tenebatur autem ad huiusmodi distributionem lege iusticiæ; futurus restitutioni obnoxius, si aliter distribuisset, quemadmodum post S. Thomam 2. 2. quæst. 185. art. 7. rectè ostendit Dominicus Soto lib. 10. de iusticia & iure quæst. 4. art. 3. Cæterùm postea aucto clericorum numero, quando vita illa communis in tanta multitudine diutius retineri non potuit, & graues de mala communium bonorum dispensatione excitabantur querelæ; visum fuit ecclesiæ bona diuidere in quatuor portiones: quarum prima episcopo, secunda clero, tertia fabricæ, quarta pauperibus cederet. Quod fieri ceptum est sub annum Domini 470. tempore Simplicij papæ, ac deinde perfectum temporibus Gelasij & Gregorij primi; quorũ triũ extant canones in decreto Gratiani 12. q. 2. & Gregorij secundi cuius de ea re extat epistola ad episcopos & principes Germaniæ. Tantisper ergo dum indiuisa remanserunt ecclesiæ bona, prouideri inde episcopo & clericis debuit iuxta cuiusque necessitatem; non tamen nudo paupertatis nomine, sed ratione ministerij quod ecclesiæ præstabant. Qua etiam ratione plus episcopo debebatur quàm inferioribus clericis, & inter hos presbytero plus quàm diacono, atque in vniuersum ijs amplius qui magis atque vtilius laborabant, iuxta illud, *Presbyteri qui bene præsunt, duplici honore digni, &c.* Ex hoc enim patet non præcisè habitam fuisse rationem indigentiæ. Vnde & in diuisione postea subsecuta, diuersa fuit portio cleri à portione pauperum. Quod certissimo argumento est, clericos non vt pauperes ecclesiæ bonis iam ante vixisse. Debuisset enim alioqui eorum portio à pauperum portione remansisse indistincta: aut certè debuissent duæ constitui portiones pauperum; altera clericorum; altera cæterorum. Quod patet non esse factum, sed illa quidem clericis, hæc autem pauperibus assignata fuit portio. Quare liquet illos quidem partem accepisse vt stipendium; hos autem vt puram eleemosynam. Rectè tamen clericos sibi de suo sufficientes repellit Prosper à communium bonorum participatione, tum quia non agebant cum cæteris vitam communem: tum quia pauperibus fuisset hoc detractum, quod in illos supra quam opus habebant, esset erogatum: quandoquidem ipsi de suo commodè viuere poterant. Nunc autem distributione bonorum facta, & portione pauperum ab reliquis separata, nihil tale accidit. Neque negat Prosper clericis deberi stipendia terrena, sed quid potiùs ac principalius in suo ministerio spectare debeant, admonet; nempe æterna præmia, de quibus rursum subijcit, satis indignum esse, si fidelis & operosa deuotio clericorum propter stipendium tem-

A poιale præmia sempiterna contemnat. Nam aliqui debitum non obscurè agnoscit in eo quod dicit clericos propria possidentes, quodammodo sua relinquere, quando proprijs contenti rebus nihil eorum quæ labori vel ordini suo deberi arbitrantur, accipiunt: quasi dicat deberi quidem clericis etiam propria possidentibus, sed non deberi ex illis bonis indistinctis & ad vitam communem sic destinatis, vt quod superest, sit portio pauperum.

Ad tertium respondetur debere quidem ecclesiæ B ministros contentos esse necessarijs quando non amplius præbetur, imò nihil vltra ijs expetendum esse, multò minùs exigendum; idque verbis Domini & apostoli significatum esse: sed si piorũ liberalitate amplius eis datum aut relictum fuerit, id quo minùs in amplum stipendium, & duplex honorarium, vt apostolus loquitur, accipiant, non prohiberi.

Sententiæ verò Hilarij & Hieronymi referendæ sunt ad id tempus, quo nondum erat bonorum ecclesię facta partitio, & intelligendæ eo modo quo Prosperi verba exposuimus; C tametsi quæ Hieronymi titulo citantur à Gratiano, nusquam apud eum reperiuntur, licèt illis quædam non dissimilia legantur in epistola eius ad Nepotianum.

Bernardus autem exaggeratione vtitur aduersus clericos auaros; vt sensus sit eos grauiter offendere in legem charitatis, quòd superflua non erogent in egenos, sub quo tamen alios etiam pios vsus comprehende. Nam propriè non posse accipi Bernardi verba, manifestum est; quia qui detinet alienum, non committit rapinam, nisi D coniuncta sit violentia.

Augustinum quoq; de debito charitatis intelligendum esse patet, quia non de clericis, sed generaliter de diuitibus loquitur.

Ad quartum Tridentina synodus alijque passim eiusmodi relicta vocant eleemosynas ex parte dantium, non ea parte accipientium: quatenus videlicet à pijs hominibus gratis legata sunt, cùm alioqui potuissent de ijs aliter disponere: non autem quatenus accipiuntur cum obligatione certi ministerij seu officij diuini. Vel certè dicuntor eleemosynæ, quatenus misericorditer relin- E quuntur pro refrigerio defunctorum. Interdum autem à legantibus putæ vocantur eleemosynæ ad distinctionem restitutionis, quæ aliquando nomine eleemosynę palliatur; nullo autem modo ad negandam stipendij rationem.

Ad postremum respondetur, eiusmodi subsidia respectu accipientium non esse meras eleemosynas. Non enim dantur nudè ad sublevamen inopiæ, sicut mendico datur panis vel nummus, sed sic dantur vt à recipientibus exigatur quædam vicissitudo operis, vt in argumento declaratum est. Sunt tamen illa potiori adhuc ratione eleemosynæ quàm præbendæ clericorum; F vtpote quæ dantur absque intuitu paupertatis ad hoc tantùm vt ab eis peragatur ministerium ecclesiasticum; illa verò vt studiorum quædam subsidia, sine quibus ob rei tenuitatem studiosi vel omnino non possent, vel ægrè possent disciplinis ita vt oportet, operam dare.

§. 14. *Vtrùm pro religionis ingressu dare aliquid liceat.*

SIcut in ijs qui beneficia ecclesiastica possident, ita & in his qui religionem professi sunt vel profiteri volunt, duo consideranda sunt; alterum spirituale, alterum temporale. Spirituale est ius & obligatio seruiendi Deo in communitate seu monasterio alicuius religionis secundùm præscriptam regulam. Temporale verò ius percipiendi vitę necessaria ex eiusdem monasterij bonis competens alicui propter illud spirituale, tanquam rem natura priorem; & proinde consequenter ad illud se habens, sicut ibi beneficium se habet ad officium. Quare cùm ius illud spirituale non sit æstimabile precio, nec temporale istud quod ab illo spirituali dependet precio æstimare fas erit; ideoque damnanda est omnis exactio & pactio quæ fit ad ingressum religionis tanquã simoniaca, perinde atq; in ecclesiasticis beneficijs. Qua de re extãt canones in decretalibus tit. De simonia cap. Veniens, & cap. De regularibus & cap. Quoniam, quod postremum in Lateranensi concilio sub Innocentio 3. sancitum can 64. sic habet; Quoniam simoniaca labes adeo plerasq; moniales infecit, vt via aliquas sine precio recipiant in sorores, paupertatis prętextu volentes huiusmodi vicium palliare; ne in de cætero fiat, penitus prohibemus statuentes, &c. Ac demum subijcitur: Hoc etiam circa monachos vel alios regulares decernimus obseruandum.

S. Thom. 2. 2. q. 100. ar. 3 ad 4.

Generalis item prohibitio est Alexandri 3. in concilio Turonensi, vt habetur ibidem cap. Non satis: Prohibemus, inquit, ne ab ijs qui ad religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur. Rursus idem districtè prohibetur ab Vrbano quarto in extrauagante quæ incipit: Sanè ne in vinea Domini, appositis tum ibi, tum in Lateranensi conc. & alibi contra transgressores grauissimis pœnis.

Interim verò sciendum est per huiusmodi canones neminem prohiberi quin liberaliter aliquid conferre possit in subsidium monasterij per modum eleemosynæ vel gratuitæ donationis, atque etiam tale quid oblatum recipere, quemadmodum in dicta extrauagante concedit pontifex his verbis: Illa dumtaxat quæ personæ ipsæ ingredientes purè & sponte & plana liberalitate, omnique pactione cessante dare vel offerre ecclesijs, monasterijs & locis huiusmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè possint recipere. Hæc ibi. Cæterùm quod si tanta est reuera monasterij paupertas, vt ex eius prouentibus plures ali nequeant, ea sic exponenda est admitti cupientibus, vt tamen ex pacto nihil accipiatur, aut accipi videatur pro admissione seu ingressu monasterij. Nam in talibus non tantùm simonia, sed & species simoniæ summopere cauenda est. Quod autem hac ratione licitum sit aliquid accipere docet Sanctus Thomas 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. ita respondens. Dicendum est, inquit, quod pro ingressu monasterij non licet aliquid exigere vel accipere, quasi precium; licet tamen si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterij exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ

in monasterium fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterij opes &c. Idem probatur ex regula Benedicti, quæ permittit accipi aliquid pro victu & vestitu eius qui recipitur. Vnde & Oxoniense concilium sub Stephano archiepiscopo statuit pro vestitu aliquid accipi posse, si monasterij prouentus ad ea onera minus sufficiant.

Quæ res etiam apostolorum exemplo confirmari videtur, qui non quidem exegerunt sed tamen acceperunt precia bonorum diuenditorum ab ijs qui communem & apostolicam cum ipsis vitam ducere volebant, vt habemus Act 2.4.& 5.

Cæterùm ante professionem quid à nouitijs accipere liceat, his verbis statuit synodus Tridentina sess. 25. cap. 16. reform. Sed neque ante professionem excepto victu & vestitu nouicij vel nouiciæ illius temporis quo in probatione est, quocunque prætextu à parentibus vel propinquis aut curatoribus eius, monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur: ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, id recuperare possit &c. Quod non ita prohibet synodus, quasi simoniacum sit quocunque prætextu præter victum & vestitum aliquid dare, sed ob causam decreto expressam.

§. 15. *Pro receptione ad beneficium num accipere aliquid liceat.*

S. Thom. 2. 2 q. 100 a. 4. ad 3.

OB causam superiùs dictam exigere nihil licet pro receptione seu introductione ad canonicatum, vel quodcunque aliud beneficium ecclesiasticum, non obstante quacunque consuetudine quam canones corruptelā vocant; siue id quod exigitur sit conuiuium vel pastus vt vocant; siue pecunia, siue quidlibet aliud. Estque idem iudicium de electione, nominatione, præsentatione, collatione, institutione & similibus. Extat ea de re rescriptum Gregorij 9. extra de simonia ca. Iacobus canonicus, quo mandat pontifex canonicis, vt non obstante consuetudine prandij à nouo canonico exhibendi non obseruata, nihilominus ipsi sicut vni ex alijs in prouentibus & præbenda prouideant. Eodem pertinet decretum Paschalis papæ apud Gratianum 1. q. 3. cap. Si quis obiecerit, vbi pastum, quem vocant, solui prohibet, & Innocentij 2. ibidem cap. Si quis præbendas, similiter prohibentis vt nec pro pastu, nec sub obtentu alicuius consuetudinis antè vel pòst, aliquid exigatur, vel ipse qui recipitur, dare præsumat, quoniam simoniacum est, sed vt liberè absque diminutione aliqua, collata sibi dignitate atque beneficio perfruatur. Ex quibus intelligitur has prohibitiones etiam tunc locum habere, quando quis quasi gratis admittitur, & postea compellitur ad seruandam consuetudinem. Nam quod pontifices solui vel dari aliquid tale prohibent, non de spontanea & liberali donatione seu oblatione intelligitur, sed de ea quæ fit alijs exigentibus & quæ respondet exactioni. Hoc enim significat solutionis vocabulum.

Cæterùm huiusmodi canones penè obsoletos renouauit atque in vsum reuocari voluit Tridentina synodus sess. 24. cap. 14. statuens in hunc modum: In pluribus ecclesijs ex earum constitutionibus aut ex praua consuetudine obseruari intelligitur, vt in electione, admissione &c certę conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissione &c interponantur. Hæc cùm sancta synodus detestetur, mandat episcopis, vt quæcunque huiusmodi in vsus pios non conuertuntur, atque ingressus eos qui simoniacæ labis aut sordidæ auaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant, &c. addens transgressores pœnis contra Simoniacos editis teneri.

His porrò accessit diploma Pij quinti cuius initium, Durum nimis, quo prohibet ne ad ingressum beneficiorum quicquam petatur aut exigatur, aut ex beneficij fructibus retineatur, nisi vbi consuetudo est ea quæ sic dantur aut retinentur, in pios vsus conuerti.

Circa collationem verò beneficiorum sciendum est, inquit Sanctus Thomas 2. 2 quæst. 100. art. 4. ad 3. quod si episcopus antequam beneficium alicui conferat, ob aliquam causam ordinauerit aliquid subtrahendum de fructibus beneficij conferendi, & in pios vsus expendendum, non est illicitum. Si verò ab eo cui beneficium confert, requirat aliquid sibi exhiberi de fructibus illius beneficij, idem est ac si aliquod munus ab eo exigeret, quod non caret vicio simoniæ. Sic ille.

§. 16. *Simonia quare peccati rationem habeat*

S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 1. in corp.

GRauitatem peccati simoniæ satis significauit Petrus, quando Simonem magum donum spiritussancti precio comparare volentem ita increpauit vt diceret: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, Act. 8. Ex quo intelligitur peccatum hoc genere suo esse mortale. Potest autem huius peccati grauitas ex tribus æstimari.

Primum est, quod res spiritualis terreno precio compensari non possit. Vnde Prou. 3. de sapientia dicitur: *Pretiosior est cunctis opibus & omnia quæ desiderantur ei non valent comparari*, & Iob. 28. dicitur quòd nec aurum, nec quicquam aliud pretiosum sapientiæ possit adæquari. Hanc rationem Petrus attendit quando increpationi suæ causam addidit: *quia donum Dei existimasti pecunia possideri*, siue comparari. Qui enim ita existimat, vel agit quasi sic existimet; magna iniuria afficit Spiritumsanctum, cuius dona tam vili æstimat.

Alterum est, quòd is qui res sacras administrat, non sit earum dominus, sed dispensator, iuxta illud apostoli: *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei* 1. Cor. 4. Et proindè etiamsi dona spiritussancti sua natura vendibilia essent; tamen à ministro vendi non deberent, qui eorum non proprietatem habet, sed tantùm dispensationem.

Tertium est, quod venditio pugnet cum origine rerum spiritualium. Omnia enim spiritussancti dona gratuitò nobis proueniunt. Quare valde indecorum est & illiberale eadem illa precio velle alijs communicare. Atque hanc rationem Christus expressit, quando de donis spiritualibus, quibus suos discipulos ornauerat vtendis & erogandis ait ad eos: *Gratis accepistis, gratis date*, Matth. 10. Eandem insinuauit Petrus Act 8.

dicens

dicens : *quia donum Dei* , id est, gratuitum Dei beneficium precio comparare voluisti.

Porrò dictarum rationum primam spectauit Augustinus in serm. de pastoribus cap. 2. cùm ait : Vnde ergo viuitur, necessitatis est accipere, charitatis est præbere : non tanquam venale sit euangelium vt istud sit precium eius , quod sumunt , qui annunciant vnde viuant. Si enim sic vendunt , magnam rem vili precio vendunt. Accipiunt sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis qui sibi in charitate euangelij seruiunt . Non aespectent illi mercedem , nisi vnde & isti salutem. Hæc ille.

Vrget eandem rationem Ambrosius libr. 4. in Luc. 4. dicens gratiam Dei non aestimari precio. Vbi grauitatem etiam huius criminis exaggerans ab exemplo Giezi lepre percussi in posteros transmittenda , subiungit : Inexpiabilis est enim venditi culpe mysterij, & gratiæ vindicta cælestis transit ad posteros,

Hieronymus item scribens in Marc. 3. planè pronunciat Spiritumsanctum nec venundari nec emi posse , per spiritumsanctum donc eius intelligens , de quibus Simon magus cum apostolis precio pacisci voluit.

Asserit etiam Chrysostomus homilia 33. in Matth. eorum beneficiorum de quibus loquabatur Christus ad apostolos dicens : *Gratis accepistis, gratis date* , nullum posse condignum precium inueniri. Et infrà, de laboribus apostolicis euangelicæ prædicationis loquens , negat eos tanti solummodo valere quantum fideles reddunt dando stipendium sustentationis. Hinc & Magister in textu gratiam spiritussancti vocat inapprecia - bilem.

Ex his igitur perspicere licet ad quam peccati speciem pertineat simonia : videlicet non tantùm ad irreuerentiam Dei & rerum diuinarum, quod est peccatum religioni contrarium, verùm etiam ad iniusticiam specialem ; quia peccetur iniqua commutatione rerum , quando id quod precio non est æstimabile, precio æstimetur.

Denique consequitur simoniam non tantùm iure positiuo diuino atque humano illicitam esse, sed etiam naturali ; quod quidem duæ priores rationes conuincunt. Neque tantùm id verum est de rebus spiritualibus, quas temporali precio commutari non posse inter omnes conuenit (Vnde & Balaam qui erat extra populum Israel, & Simon qui erat in Christi religione neophytus, res eiusmodi emere & vendere volentes damnantur , non iure aliquo positiuo, sed sola lege naturæ) Verùm etiam de temporalibus quæ spiritualibus consequenter annexa sunt , cuiusmodi sunt beneficia ecclesiastica , videtur idem dicendum ; nimirum ratione rerum spiritualium quibus iste sic annectuntur , quemadmodum apparet ex decreto Paschalis papæ suprà citato Cuius rei argumẽtum est quod taliũ quoq; emptiones & vẽditiones canonibus prohibeantur , non tanquam secundùm se indifferentes , sed vt per se turpes , iniquæ ac detestandæ , idcoque intrinsecam deformitatem habentes , ita vt præueniendo legem omnem ecclesiasticam , pactiones eiusmodi illicitæ habeantur, semperque habitæ fuerint. Atque his similes fortassis erant pactiones illę principum Græcorum & Romanorum cum sacerdotibus Iudæorum de pontificatu Iudaici populi. Non enim rem ad di-

A gnitatem spiritualem respiciebant, quàm ad ius rerum temporalium , quod ex illo spirituali dependebat . Vnde apparet omnem simoniam propriè dictam , etiam quæ committitur circa temporalia spiritualibus annexa , non esse malam quia prohibitam, vt plerique canonistæ censent de simonia in temporalibus; sed prohibitam quia malam , id est, legi naturali contrariam.

B

§. 17. *Responsio ad ea quæ contra obijciuntur.*

SVperest iam vt ea dissoluamus argumenta , quę *S.Thom.*
probare videntur emptionem ac venditionem *2. 2. q.*
definitione simoniæ comprehensam, aut simplici- *100. ar. 1*
ter licitam esse , aut solo positiuo iure illicitam. *& seq.*
Petuntur autem ea partim ex diuina authoritate, partim ex ratione.

Primùm igitur obijcitur exemplum Iacob pa-
C triarchæ Gen. 25. qui emit à fratre primogenita, atque eum ad vendendum induxit , dicens : *Vende mihi primogenita tua* . Ius autem primogeniture apud veteres annexum sibi habebat aliquid spirituale ; nimirum ius sacerdotij , seu potiùs illud spirituale in se comprehendebat tanquam partem sui.

Secundò profertur exemplũ Saulis adhuc Deo placentis, quando 1. Reg 9. argentum obtulit Samueli, vt prophetico spiritu sibi indicaret id quod quærebat.

Tertiò, 3. Reg. 14. ad Abiam prophetam adferun-
D tur munera ab vxore regis Israel, vt indicet quid sit euenturum filio regis ægrotanti.

Quartò: Tob. 12. Tobias pater & filius offerunt angelo mercedem pro beneficijs , inter quæ erant aliqua spiritualia & miraculosa, velut dæmonis repressio & cæci illuminatio.

Quintò: Abraham emit locum sepulturæ etiam ab eo qui paratus erat gratis dare , vt habemus Gẽ. 23. Ius autem & locus sepulturæ spiritualia quædam sunt.

Sextò : Rursum Iacob Gen. 28. ita paciscitur cum Domino: *Si fuerit Dominus mecum & dederit mi-*
E *hi panem ad vescendum & vestimentũ ad induendũ, erit mihi Dominus in Deum &c.* in quibus verbis videtur esse pactio de re spirituali pro temporali.

Septimò: Regnum cælorum maximè spirituale est, quod tamen emere licet, iuxta illud Greg. hom. 5. in euang. Regnum cęlorum tanti valet, quantum habes, & declarat de temporalibus; quia, inquit, Zachæo valuit dimidium bonorum eius , viduæ duobus minutis &c.

Octauò: Iubetur homo peccata sua eleemosynis redimere, in quo videtur esse commutatio rei temporalis, videlicet eleemosynæ pro re spirituali , id est, peccati seu pœnę remissione.

Nonò: Christus precio sanguinis sui redemit ho-
F minem peccatorem, iuxta illud 1. Cor. 6. *Empti estis precio magno.*

Decimò : Matrimonium rectè contrahitur intercedente pactione pecuniaria; ergo sacramentum vendi potest.

Vndecimò : Rectè quis dat alteri pecuniam vt pro se oret , sicut fecerunt principes Israel Num. 31. sicut & faciendum monet Christus Luc. 16. dicens : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis &c.*

Duo-

Duodecimò: Licet fructus beneficij ecclesiastici vendere, ergo & ipsum beneficium; quia videtur vtrumque pari ratione à re spirituali dependere.

Decimotertiò: Licet vendere officia ciuilia, quemadmodum testatur Tho. in epist. ad Ducissam Brabantiæ, quæ tamen spiritualia sunt, in quantum sunt officia administrandæ iusticiæ loco Dei, quemadmodum dicitur 2. Paralip. 19. *Non enim hominum exercetis iudicium sed Domini*; ergo spiritualia vendere non est illicitum.

Decimoquartò: Licet emere reliquias Sanctorum, quod ex eo probatur; quia licet redimere precio hominem viuum ab hostibus detentum; ergo & corpus eius mortuum, seu corporis partes, etiamsi sit corpus hominis sancti. Quin etiam legitur Heraclius imperator crucem Domini ab infidelibus ablatam, redemisse restitutione regni Persarum, vt est in breuiario Romano: & Leotandus rex Longobardorum corpus S. Augustini magno precio redemisse, vt in eodem breuiario legitur, & Sanctus Ludouicus, vt habetur in historia Francorum, redemisse coronam spineam Domini viginti mille libris argenti.

Decimoquintò obijciunt quidam se non gratis accepisse spiritualia, sed precio comparasse; ideoq; ea portò alijs vendere posse, velut qui iam antè non teneantur illa Domini sententia: *Gratis accepistis gratis date*.

Decimosextò: Qui gratis à Christo sanitatem & firmitatem membrorum consecuti sunt; licitè potuerunt pro vsu artis vel opificij quod per eadem membra exercebant, de precio pacisci: ergo & apostoli nisi positiua Christi lege prohibiti fuissent, licitè potuissent pro infirmorum curatione precium accipere, quamuis eam potestatem supernaturaliter accepissent.

Postremò: Etsi detur rem spiritualem terreno precio commutari non posse, poterit tamen æstimari alia re spirituali. Itaque non incurret simoniæ vicium, qui spirituale vel spirituali annexum, vt beneficium ecclesiasticum, pro simili commutauerit, etiamsi non accedat authoritas superioris, vt quæ ad rationem simoniæ tollendam nihil faciat: & idem videtur iudicium de orationibus & alijs sacris actionibus, velut si quis dicat, orabo pro te si tu vicissim pro me ores: item, baptizabo te ea lege vt tu me vicissim baptizes.

His argumentis ordine respondeamus.

Ad primum respondet Sanctus Thomas, ius primogenituræ debitum fuisse Iacob ex diuina electione, ideoque Esau quidem peccasse vendendo primogenita, Iacob autem non peccasse emendo; quia, inquit, intelligitur suam vexationem redemisse. Verùm hæc solutio non parum inuoluit difficultatis; tum quia diuina electio non dabat ei ius primogenituræ nisi suo tempore accipiendum, sicut patet in electione ad hæreditatem regni cælestis; tum quia bona fide Esau ius illud possidebat, vnde reuera nulla erat vexatio; tum verò maximè quia volenti redimere vexationem super beneficio ecclesiastico, non liceret dicere oblato precio: Vende mihi beneficium, sicut nolenti baptizare etiam in necessitate, non liceret dicere: Vende mihi baptismum. Conatur quidem has obiectiones diluere Dominicus libro nono de iusticia & iure q. 7. art. 1. sed non videtur satisfacere. Quare probabilior & facilior erit responsio, si dicamus ius primogenituræ fuisse ex genere eorum temporalium quæ antecedenter se habent ad spiritualia, non autem consequenter. Nam sicut calix prior est consecratione: ita ius primogenituræ prius erat sacerdotio & sine eo consistere poterat, quemadmodum reipsa consistebat tempore legis Moysi, & nunc consistit tempore gratiæ Christi. Imò coniunctio illa sacerdotij cum primogenitura non videtur probari posse ex sacris literis, sed magis contrarium apparet ex eo quòd statim post initium humani generis non solùm Cain qui erat primogenitus, verùm etiam Abel secundo genitus leguntur obtulisse sacrificia. Et quidem apud veteres in iure primogenitorū præcipuè spectabatur principatus inter fratres, & prærogatiua paternæ benedictionis vt indicatur etiam Heb. 12.

Ad secundum respondet Hieronymus in commentario super Mich. 3. dixisse quidem Saul ad puerum, se ad Samuelem ire non posse sine precio quod offerrat pro vaticinio; non tamen scriptum esse quòd Samuel acceperit, aut quòd illi obtulerint: Quin potiùs, inquit, à propheta pascuntur & inuitantur ad prandium. Ac deinceps ait: Sed fac eum accepisse, stipes magis æstimandæ sunt tabernaculi, quàm munera prophetiæ, & cætera.

Quo loco etiam ad tertium ab Hieronymo subditur responsio. Dicitur enim, inquit, quid secum mulier illa portauerit, & tamen propheta non scribitur accepisse; quippe cùm & corripuerit eam, & venturum luctum prædixerit. Licèt putauerint hi qui ad ariolos ire consueuerant (quia multi diuini & arioli erant in Israel) mala consuetudine æstimasse idipsum etiam de prophetis, & voluisse sanctis viris offerre, quod diuinis offerre consueuerant; & tantummodo scripturam narrasse quid illi voluerint, nec tamen intulisse quod ipsi aut offerre ausi fuerint, aut prophetæ acceperint. Hæc Hieronymus.

Ad quartum respondetur id quod angelo vi homini offerebatur, oblatum fuisse non vt mercedem, sed vt aliquale honorarium pro beneficijs, quæ ipsimet offerentes fatebantur dignè non posse compensari. Sic enim ait filius ad patrem: *Quam mercedem dabimus ei, aut, quid dignum poterit esse beneficijs eius?* & iterum: *Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?* quasi dicat, nihil.

Ad quintum rectè respondet S. Thomas non apparere, quod spelunca duplex quam Abraham emit in sepulturam; fuerit terra consecrata ad sepeliendum; & ideo licitè potuisse Abraham terram illam emere ad vsum sepulturæ: sicut etiam nunc liceret emere agrum aliquem communem seu profanum ad instituendum in eo cœmeterium vel etiam ecclesiam. Præterea cœmeterium emere ac vendere liceret in casu necessitatis, sicut & vasa sacra; dummodo consecratio ipsa non veniret in partem precij. Quod autem subiungit S. Thomas, dici etiam posse quod Abraham redemerit suam vexationem, non admodum probabiliter dicitur; ob causas suprà indicatas.

Ad sextum respondetur imprimis, aliud esse pactum, aliud emptionis aut venditionis contractum, vt patet in pactis quæ Deus iniji cum hominibus. Non enim ibi requiritur rerum commutatio & æqualitas, sed solùm sufficit vt vtrimque pacta præstentur quantumuis inæqualia. Deinde quod Iacob fecit non tam pactum fuit quàm votū,

de

de loco sacrificij eatroendo & decimis offerendis si meolumis ad sua reuctterttur.

Ad septimum, octauum & nonum responde-tur, emptiones illas non esse proprias sed meta-phoricas, quia in ijs non fit nec fieri potest hinc inde rerum traditio: siquidem Deo nihil prorsus ea operibus nostris accedit. Deinde in ijs ea-empiia spiritoalia comparantur cum spiritualibus, vt opera iusticiæ cum regno cælorum, opera satisfactionis cum remissione culpæ vel pœnæ, & passio Christi cum salute hominis. Vnde dicit Petrus 1. ep. 1. *Non auro vel argento redempti estis, sed precioso sanguine Christi*; tametsi oec ioter hæc omoia sit agooscenda çqualitat, vt patet de Christo & oobis.

Ad dacimom Sanctus Thomas respoodet matrimonium non solùm esse ecclesiæ sacramentom, sed etiam naturæ officiom; & hac quidem ratione pro eo licitè dari pecuniam, ooo autam qua ratione sacramentum est: & ideo, inquit, secoodùm iura prohibetur oe pro benedictione ouptiarum aliquid exigatur.

Ad vodecimom: Qui daot eleemosynas paopetibus, vt pro sa ab illis oretor, nó intanduot orationes amere, quod reuera simoniacum esset. Naq; sic constaret ratio eleemosynæ, quæ sonat misericordiam gratuitam; sed per gratuitam beneficentiam prooocant animos pauperum ad hoc vt quod postulat gratitudo, sponta pro sa orent. Cùm autem aliquid tale datur ministris ecclesiæ; oec sic quidem datur vt precium orationis vel diuinæ laudis, sed vt stipendium sustentationis, quemadmodum iam antè dictum est.

Ad duodecimom responderur oon esse simile de fructibus & beneficio, quia beoeficium ooo potest alteri tradi sine iure spirituali, fructus autem possnot, vt patet quotidiana aaperientia. Nihilomioua de locandis beoeficiorum fructibus tenandum est quod præcipit Tridantioa syoodus sess. 25. ca. 11. reform.

Ad daciomtertium respoodetur, omnem potestatam legitimam aliqoo modo spiritualem esse; videlicet ratione originis, qoia à Deo est, ob quam aliam causam obligaoi in conscientia leges ab ea profectæ: sed obiecti ac proprij fioia ratione ciuilis potestas non est spiritualis, quia proprià spectat tranqnillitatem temporalam reipublicæ; licet iudex Christiaous in qoaotum Christianos est, debeat vlterius ordinare pacem politicam ad pacem & salutem æternam. Potestas autam ecclesiastica, cuiusmodi etiam ast potastas iudicandi io coria episcupali, ex obiecto & fine spiritualis est, quia propriè ordioatur ad salutem animarom, ideoque hæc absque vicio simoniæ vendi non potest; illa potest, licèt plærumqoe ooo careat eiusmodi venditio vicio sordidæ auariciæ, sicut & vendere admioistrationem iusticiæ acceptis muoeribus, passim in scripturis & eatta damnatur.

Ad decimumqoartum: Reliquias sanctorum ratione eius quod sacrum est, emere ae vendere oullo modo licet. In ijs tameo babere locum potest iniustæ veaationis redemptio. Qua ratiooe excusantor exempla in argumento posita.

Ad decimumquintum respondetur, contra ius esse vt quis ex soa malicia commodum reportet; & proinda dicendum est, si quis ecclesiasticum beoeficiom non gratis accepit, qood reuera nec accepit, sad velut malè partum restituare tenetur. Si verò potastatem aliquam spiritualem, vt in sacramentis, non gratis accepit, iniustè accepit & iniostè possidet; & tamen ea parte Dei qui sacrameotis suis etiam inter impios effectum non subtrahit, potestatis illa collario liberalis & gratuita est. Quare cùm oon obstante coottactu quem eum homine inijt, potestatem illam gratis à Deo acceperit, non oisi gratis eam exercere licitè poterit; præsertim cùm salua semper maneat prima & præcipoa ratio, cur veadere oon possit; quia quod veodere vult, ooo ast precio æstimabile.

Ad penultimum respondetor esse manifestam ioter illa duo diuarsitatem. Nam ipsa iofirmorum curatio quam apostoli faciebant, miraculosa erat, vtpote peculiari operationi diuinæ tribuenda; ideoque non sine grauissima Dei iniuria tarreno precio potuit subijci. Siquidem emptionis ea oatura ast, vt precio oomerato oihil amplius emptor venditori ea iusticia debeat. Id aotem de homine respectu munerum à Deo acceptorum, dici ooo potest. At verò operationes quæ fiuot membris miracolosè sanatis, non miraculosæ sunt sed natorales; quas proinde precio locari posse, vt alias actiones natorales oihil prohibet.

Ad posttemom respoodent quidam eum qui eiusmodi commutationem facit reuera rem spiritoalem subijcere precio terreno: Quia, ioquiuot, obligatum esse per contractum ciuilem, qualis est emptio & venditio, qoiddam temporale est, & ipsa talis obligatio precio est æstimabilis. Proinde qui per contractum amptioois spirituale cum spiritoali commutat, sic æstimat spiritoale quasi sub obligationem temporalem cadere possit. Alij oihil absurdi putaor ex rei oatura, si spirituale cum spirituali commoietur, & alterom accipiator velut altarius precium. Rectiùs tamen videtur dicendum, in permutationibus beneficiorum qoas ecclesia approbat, oon aliud fieri quàm qood vterque beneficiatus io fauorem alterius beneficium suum rasignet io manus collatoris; id quod oeque diuioo oeque humano iore prohibitom est, nequa vllam amptioois speciem habet. Io alijs verò allatis exemplis, vt ait Domiuicus libro nooo de iusticia & iore quæst. 5. articulo secundo in fina, nihil admisceiur venditionis aut precij, si vicariæ tantùm operæ in pactum ducantur.

§. 18. *Res Simoniacè acquisita an & cui restituenda.*

NOo solùm ecclesiastico iure, quod satis multi canones probant, verùm etiam diuioo ac oaturali restituere quisque debet quicqoid temporale simooiacè acquisiuit, siue sit peconia, siue beneficium ecclesiasticum; sioe quid aliud. Et ius quidem dioinom fundatur in hac Domini sententia: *Gratis accepistis, gratis date.* Ratio autem hæc est, quia qui rem tali modo accapit, non est factus eius rei dominus. Neque enim ibi transfertur rei dominium, eo modo quo transferri potest & debet. Nam cùm ecclesiasticum beneficiom vendibile non sit, fieri ooo potest vt per venditionem in potastatem alterius transeat, sed tantùm per gratuitam donationem, vel collationem. Vnde conseqoens est, vt ne pueri quidem simoniacè sibi à parentibos acquisita bene- *S. Thom. 2. 2. q. 100. ar. 6*

ficia

ficia licitè retineant, etiamsi ipsi in acquirendo beneficio fuerint extra omnem culpam. Siquidem restitutio non tam pœna est peccati, quàm quidam institiæ actus, qui etiam nullo præcedente peccato (vt fit dum alienum ignoranter detinetur) aut peccato perfectè remisso, etiam quoad pœnas temporales, nihilominus necessarius permanet, ad hoc vt quisq; quod suum est habeat, & inæqualitas iniquæ possessionis tollatur.

Ex iam dicta ratione videtur & illud consequēs, mentalem quam vocant simoniam cum opera subsecuto restitutioni obnoxiam esse, verbi gratia: Si quis non expressè paciscatur de precio, sed munus quasi liberaliter offerat, mente tamen simoniaca, qua intendat munere tanquam precio beneficium sibi comparare, is obnoxius fit restitutioni, quia talimodo beneficij possessor fieri non potest, nihilo magis quàm si expressa pacto intercederet. Idque confirmari potest ex simili. Nam qui ea mente dat mutuum vt aliquid speret vltra sortem vsuram mente committit, & ad restitutionem tenetur eius quod tali intentione acceperit, etiamsi expressa conuentio non antecesserit; quemadmodum ex Vrbano 3. decretum habemus extra de vsuris cap. Consuluit. Quare idem omnino de mentali simonia sentiendum videtur. Atque ita sentiunt Adrianus 6 & Dominicus, reclamantibus licèt plerisq; canonum doctoribus.

Neque obstat huic sententiæ rescriptum Gregorij 9. quod habetur extra de simonia cap. *mandato*, quod ita sonat, quasi fateatur pontifex eos ad resignationam spiritualium vel temporalium non teneri qui nullo pacto sed solo aff. ctu animi præcedente, ea acquisiuerint, sufficere enim vt per solam pœnitentiam suo satisfaciant creatori. Nam eo loco non aliud docet pontifex, quàm pœnas canonibus expressas & solo iure positiuo constitutas, non extendi ad eos qui sola mentis intentione simoniam commiserunt; quia de occultis ecclesia non iudicat; & pontifex canonicè loquitur, id est, de pœnis canonicis. Nam & nos dicimus non eos ad restitutionem teneri lege ecclesiastica, sed diuina ac naturali: qua vtraque docemur non dimitti peccatum nisi restituatur ablatum, ac generaliter iniustè acquisitum. Itaque restitutio includitur in ea pœnitentia, per quam vult pontifex, vt qui dicto modo mentalem simoniam commiserunt, suo satisfaciant creatori. Eadem ratione Innocentius 3. eiusdem titul. cap. *Tua*, tales apud districtum iudicem Deum culpabiles iudicari pronunciat; neque ipsi aliam pœnam addit, quia, inquit, nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare. Gregorius autem primus à cuius sententia non est verisimile Gregorium nonum voluisse recedere, apud Gratianum 1. q. 1. cap. *Si quis*, apertè dicit eum qui fraudulento munusculo dignitatem aliquam ecclesiasticam acceperit, eumque insperata mors pœnitentem non inuenerit, proculdubio in æternum periturum. Quo loco fraudulentum munusculum intelligitur, quod sine pacto expresso quasi liberaliter datum est; quemadmodum illud rectè glossa interpretatur. Vult ergo Gregorius mentalem Simoniam cum opere subsecuto, sub pœna æternę dānationis esse restitutioni obnoxiam. Nec planè apparet S. Thomam in diuersa esse sententia art. 6. ad 6. Quamuis enim Caietanus sic eum intellexerit, Dominicus tamen locutum eum interpretatur de Simoniaco mentali, qui intendit quidem dare aut accipere aliquid non tamen dedit aut accepit.

An autem probabilis sit distinctio verborum supradicti capituli *Mandato*, quam adferunt Adrianus & Dominicus, vt argumentum ex eo petitum soluant, studiosis discutiendum relinquimus.

Cæterùm quæret aliquis, Cui restitutio fieri debeat? Respondeo, Si solum ius naturale spectemus, restitutio rei per simoniam acceptæ facienda esset ei à quo accepta est, sicut & Iudas fecit referando 30. argenteos principibus sacerdotum & senioribus Matth. 27. Sed pontificio & ecclesiastico iure rectissimè constitutum est, vt nec ille quidem qui simoniacè aliquid dedit, quod suū erat recipiat, sed restitutio fiat ecclesiæ; vtpote cui ab vtroq; tam dante quàm accipiente grauis illata est iniuria. Sic decretum habemus cap. *De hoc autem*, extra de Simonia & alibi. Vbi tamen notandum ecclesiæ nomine etiam pauperes ecclesiæ comprehendi, quibus aliàs olim pars bonorum ecclesiæ sunt deputata. Est autem hoc quod dicimus intelligendum de restitutione precij, quo res spiritualis vel spirituali annexa comparata fuerit, itemq; de restitutione fructuum ex beneficio perceptorum. Nam ipsum beneficium ecclesiasticum simoniacè acceptum redit ad ius collatoris vel superioris, si realis fuerit simonia; alioqui ad priorem possessorem reuerti debet.

§. 18. *Quæ pœnæ Simoniacis constitutæ.*

INter pœnas Simoniacis constitutas prima est restitutio, non quidem in quantum restitutio est, vt suprà monuimus, sed quatenus fieri debet ecclesiæ non autem illi qui aliquid simoniacè dedit. Hoc enim in pœnam eius qui dando peccauit, ecclesiastica lege decretum esse iam diximus. Eamque pœnam Paulus secundus ipso facto incurri decreuit in extrauaganti quæ incipit: *Dum detestabile scelus*. Verùm prætereà sunt & aliæ pœnæ quas pro delicti modo & grauitate canones contra Simoniacos statuerunt. *S. Thom. loco prealligato.*

Prima est suspensio ab executione ordinis vel officij simoniacè acquisiti.

Secunda, depositio eiq; coniuncta infamia. Quę pœna tunc infertur cùm de crimine per iudicium publicum constiterit, vt habemus causa 15. q. 3. cap. *Sanè quisquis*.

Tertia est excommunicationis pœna ipso facto incurranda, atq; extra mortis articulum à solo Romano pontifice relaxanda; quemadmodum patet ex extrauaganta quæ incipit: *Sanè ne in vinea*, & alijs subinde iteratis pontificum constitutionibus.

Quarta pœna est inhabilitas ad idem beneficiū. Quam Pius 5. extendit ad omnia beneficia in posterum aquirenda.

Quinta est eorum qui Simoniam commiserunt in ingressu vel receptione ad religionem. Tales enim iuxta canonem 64. Lateranensem, sina spe restitutionis de suo monastario expelli & in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuò pœnitentiam retrudi debent. Aliàs quoque eorundem pœnas continent duo capitula, *Veniens* & *Dilectus* extra de simonia. Sciendum tamen dictis omnibus pœnis eos solos implicari qui realem simoniam cōmiserint. Nam qui mentalē commiserunt vel conuentionalē, præter restitutionem

si quid acceptū ast, faciendam solam gehennæ pœnam incurrunt. In eos autem qui simoniam confidentiæ quam vocant admiserunt graues pœnæ decretę sunt à Pio 4. & 5. bullis peculiariter contra eos editis.

Illud denique notandum pœnas Simoniacorum nonnullas in odium tam detestandi criminis, extendi etiam ad eos qui propriè non sunt Simoniaci, sed illi vicio affinia quædam committunt; quemadmodum satis patet ex decretis pœnalibus de simonia. Vnde etiam Tridentina synodus sess. 24. cap. 14. ingressus eos ad beneficia, qui simoniacæ labis aut sordidæ auaritiæ suspicionem habent, puniri præcipit ijs pœnis quæ contra Simoniacos editæ sunt. Et. ca. 18. declarat examinatores synodicos occasione examinis aliquid accipientes, vnà cum dantibus simoniæ vicium incurrere; quod intelligendum, quoad pœnas, id quod verba proximè sequentia manifestè significant.

IN
DISTINCTIONEM
VIGESIMAMSEXTAM.

De sacramento matrimonij.

§. 1. *Matrimonium naturali ac diuina lege institutum esse*

S. Thom. suppl. q. 41. ar. 1.

MAtrimoniū, cui postremus est inter ecclesiæ sacramenta locus, duplicem postulat considerationem, alteram quatenus est naturæ officium; alteram quatenus ecclesiæ sacramentum. Et quia apostolo teste 1. ad Cor. 15. *prius est quod animale, deinde quod spirituale*; priori loco de matrimonio agemus vt ad naturę officium pertinet; posteriori, quatenus ei sacramenti ratio accessit.

Matrimoniū vt est officium naturæ, ea ipsa naturæ lege originem ducit, quam deinde lex Dei positiua confirmauit. Intelligimus autem matrimonij nomine non quamcunque maris & fœminę commixtionem generationis causa susceptam, quod naturæ opus etiam bestijs est commune, & in hominibus extra matrimonium esse potest; sed eam maris & fœminæ coniūctionem, qua prolis generandæ fouendæq; causa indissolubili nexu copulati sunt.

Quod autem lege naturæ institutum sit matrimonium, ita ostenditur: Natura, etiam excluso peccato, inclinat hominem ad prolis generationem, & ad eum finem sexuum diuersitas naturaliter est ordinata, vt quę extra coniugium nullum alium vsum habeat; Atqui proles sicut concepta in lucem edi debet, ita in lucem edita per nutritionem & educationem ad perfectum perduci secundùm corpus & animam, idque eadem natura dictante, quæ non tantùm generationē rei sed & prouectionē & perfectionem eius intendit. Hæc autem necessaria nutritionis & educationis officia certos requirūt parentes, eosque vinculo quodam indissociabili colligatos, qua in re matrimonij ratio constituta est.

Est autem inter animantia bruta & homines manifestum discrimen. Nam bestiarū quædam mox genitæ parentum cura non egent sed sibi ad nu-

A trimentum quærendum & vitanda noxia sufficiunt: quædam solius fœminæ subsidio nutriuntur: quædā vtriusq; quidem parentis curam requirunt, sed non multo tempore quibus tamen propter hoc ipsum ita natura prouidit, vt ad eas nutriendas aliquamdiu mas & fœmina commorentur. At cùm homo sit animal mente præditum, non tantùm nutritionem secundùm corpus, sed & educationē requirit secundùm animam. Estq; vtriq; officio longū tempus necessarium. Quocirca perfectioni prolis humanæ non satis prospectū fuerit, nisi parentes perpetuæ societatis vinculo sint inter se colligati.

B Porrò hanc naturæ legem institutio diuina cōfirmauit. Nam præter hoc, quod dubitandū non est, quin author naturæ sit Deus, ac proinde quicquid à natura institutum est ad Deum authorem & institutorem sit referendum; etiam Deus ea ipse fecit & dixit, quæ positiuæ institutionis matrimonij vim habeant. Primum id ostenditur ex primorum hominum formatione. Nam vt ostenderet Deus arctius esse vinculum coniugij inter homines, quàm societatē procreationis causa inter bestias; cum in his mares & fœminas seorsim condidisset, in hominum genere non seorsim ambos, sed alterum ex

C altero, fœminam scilicet ex viro formauit, neq; aliunde quàm ex latere Gen. 2. nimirum ipso productionis modo significans inter vtrumq; sexum generationis causa coniunctum, in humano genere arctissimam esse debere societatem.

Deinde hoc ipsum prophetico spiritu intelligēs primus homo, post soporem immissum ac de latere suo dormientis formatam coniugem in hæc verba prorupit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, & continuo addidit vel Adam ipse eodem spiritu sermonem continuans, vel secundùm alios Moyses

D libri scriptor: *Quamobrem relinquet homo patrem suū & matrem, & adhærebit vxori suæ; Et erunt duo in carne vna.* Quibus verbis velut quadam periphrasi significata est arctissima societas quæ secundùm corpus inter homines esse potest; adeo vt homines sic coniuncti, iam non duo sed vnum quid facti videantur. Et cùm Adam ipse omnium hominum primus, nec patrem habuerit, nec matrem, manifestum est verba hæc perpetuæ institutionis vim habere; vt non tantùm quale inter Adam & Euam vinculum esset, sed & quale deinceps inter coniuges futurum esset significaretur.

E Porrò Christus in euangelio Matt. 19. ad vtramque matrimonij institutionē, tam eā quæ ex natura est, quàm quæ ex Dei verbo, respexisse videtur cum ait: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos.* Et dixit: *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, &c.* Nā prius illud: *Masculum & fœminam fecit eos*, scilicet homines, legē naturæ significat in ipsa creatione cum natura exortam. Hoc autem posterius: *Propter hoc dimittet, &c.* repetitio est legis Dei per Adam vel Moysen pronūciatæ. Quam deinde magis etiā confirmat per hoc quod subijcit:

F *Quod Deus coniunxit*, eo verbo apertissimè significans coniunctionem illam cōiugalem esse à Deo. In hac autem diuina lege indissolubilitatem contineri declarat eadem completa sententia: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Vnde consequens est totam matrimonij rationē, quatenus naturæ officium est, etiam à diuina lege profectam esse ac Deum habere institutorem.

§. 2. Sit-

§. 2. *Sitne matrimonium in præcepto.*

S. Thom. suppl. q. 41. ar. 2. DVm quæritur an matrimonium sit in præcepto, duplex adhibenda est distinctio: altera temporis; altera personarum. Nam in ipso exordio generis humani lege naturæ tenebantur omnes ad coniugia ineunda, donec ad iustam multitudinem perductum esset genus humanũ. Cuius ratio est, quia sicut naturæ præceptum est, vt quisque se in individuo conseruet alimẽto sũptioone; ita eiusdẽ naturæ præceptum est, vt sobolis propagatione species conseruetur, quod fieri licitè non potest nisi in matrimonio. Singulos autem homines constringebat hoc præceptũ, & non tantùm humanæ temp. quamdiu erat ea hominum paucitas, vt nondũ satis perpetuitati generis esset prospectũ, nec ad iustam multitudinem productũ genus humanum. Expresse sum tamen Dei præceptũ de hac re nullum extat. Nam quod dictum est primis hominibus: *Crescite & multiplicamini*. non tam præceptum est operis coniugalis, quàm fœcunditatis donatio, & creaturæ ad sui propagationem benedictio, quemadmodum ea verba etiam catechismus ad parochos scriptus intelleait. Probatur item ex eo, quia non hominibus tantùm sed & bestij. id dictũ legitur. Itaq; illud dicere non aliud fuit, quàm animantibus quibus hoc dicebatur, fœcunditatem qua crescerent & multiplicarẽtur, occulta operatione impertiri. Quod autem ea verba non habeant vim præcepti, potest etiam ex sequentibus intelligi cum dicitur: *Et dominamini piscibus maris & volatilibus cæli &c.* quibus homini non dominium præcipitur, sed dominandi potestas traditur, qua quum opus esset, vti posset.

Sed & post diluuium ad Noe & filios eius dictum est: *Crescite & multiplicamini* Gen. 9. cùm tamen ipsum Noe nullam postea prolem genuisse. Non ergo præceptum aliquod illis verbis continebatur, sed continuata in posteros eius fœcunditas significabatur, quam & benedictionis nomine designat ibidem scriptura dicens: *Benedixitq; Deus Noe & filijs eius.*

Rursus autem in præcepto fuit matrimonium, quo tempore populus Dei exiguo numero etiamnum existens carnali generatione erat multiplicandus; quemadmodum docet Augustinus lib. de bono coniugali cap. 9 & 13 Non enim vt tempore noui testamenti, infidelium conuersione sed filiorum procreatione multitudo fidelis populi tunc procuranda erat. Cæterùm populo illo satis multiplicato, non amplius singuli ad contrahenda matrimonia tenebantur, eoq; minus quo maiorem in multitudinem populus ille excreuisset. Quod satis ostendunt exempla Iosue, Eliæ, Elizei, Ieremiæ, qui sine ioiotia legis diuinæ & naturalis cælibes & casti vixerunt. Et quamuis tempus illud veteris testamenti tempus amplexandi fuerit, tamen etiam tũc laudata fuit castitas tori coniugalis nescia, Isa. 56. & Sap. 3. & non defuerunt æmulatores huius castitatis, tametsi admodum rari, de quibus vide Iosephũ lib 2. de bello Iudaico cap. 2. Quod ergo legimus Deut. 7. & Exod. 23. sterilem non fore quamquam in terra Israelitica; non præceptũ sed promissionis sermo est, quo benedictio fœcunditatis promittitur coniugibus Dei mandata seruantibus. Nam sta-

A tilis non dicitur qui vel quæ non suscipit coniugiũ, sed qui coniugio vtens liberos suscitare non potest, itaque sterilitas in opprobrium & maledictionem reputabatur, vt patet exemplo Elisabeth Luc. 1. Neque in hominum potestate situm erat steriles non esse, vt de ea re præceptum dandum esset, sed defectus erat naturalis. Quanquam locus exod. 23. iuxta Hebraicam veritatem & codices Latinos emendatiores, sic potiùs legendus est: *Non erit infœcunda nec sterilis terra tua*, vt in ijs verbis sit promissio fœcunditatis terræ, non hominum.

B Illud quoque quod apud Augustinum legitur lib. de bono viduitatis cap. 7. quod sanctas fœminas propheticis temporibus nubere, obedientia non concupiscentia compellebat, vt propagaretur populus Dei, quodque eandem ob causam maledictus habebatur per legis sententiam qui non suscitaret semen in Israel: sic intelligendum, vt seu viri seu mulieres qui alio modo ad rempublicam nihil conferebant, saltem filiorum generatione debuerint eam multiplicare; idque per consuetudinem illius temporis, quæ quidem aliquousque non ta-

C men omnino præcepti vim obtineret. Vnde nec legimus pœnam aliquam ijs fuisse constitutam qui à coniugio vellent abstinere. Et sanè si matrimonium toto veteris populi tempore præceptum fuisset ad singulos pertinens, non prætermisissent hanc accusationis occasionem Iudæi aduersus Christum & Ioannem baptistam, quos cælibem vitam ducere sciebant & aduersus discipulos Christi, qui vel vxores non habebant vel eas dimiserant. Quam rem tamen nusquam Iudæi leguntur calumniati: Adeo etiam apud illos honorabilis erat casta agamia.

D Porrò noui testamenti tempore quamuis humano generi ad propagationem posteritatis necessarium adhuc sit matrimonium, quemadmodum docet Augustinus de bono coniugali cap. 16. ideoque præceptum illud legis naturæ de conseruanda specie humana per vsum coniugij respectu reipub. humanæ adhuc duret & duraturum sit vsq; ad finẽ sæculi, quemadmodum hoc loco rectè docet Dominicus: singulis tamen hominibus vsque adeo nulla lege matrimonium præcipitur, vt potiùs omnibus ijs, qui se continere possunt, perpetua continentia suadeatur, dicente Domino Matth. 19.

E cùm de ijs qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum loqueretur: *Qui potest capere capiat.* Vnde & apostolus 1. Corinth. 7. non nuptis & viduis consilium dat vt sic permaneant, & Ecclesiastes cap. 3 dicens quoddam esse tempus longè fieri ab amplexibus, noui testamenti tempus mysticè prænonciauit.

Cùm autem apud patres passim extent laudes perpetuæ virginitatis & continentiæ, superfluum est earum testimonia in hanc rem congerere. Quare suffecerit annotasse pauca hæc sanct. Augustini loca quibus negat coniugium nunc præceptum esse, vt libr. de bono viduitatis capite 8. 9. & 18.

F & libr. 9. de Genes. ad literam, cap. 7. & libr. 1. de nuptijs & concupiscentijs cap. 17. Quare quod idem Augustinus dicit sermone 20. de verbis Domini, mulierem concipientem & parientem facere quod Deus iussit, non de iussiona propriè dicta accipiendum est, sed, iussit, positum est pro, instituit. Neque enim Deus præcepit mulieri vt conciperet & pareret, quod non est in eius potestate, sed concipiendi & pariendi naturalem fœcunditatem ei tribuit; tametsi non est sermo ille Augustini.

Veruntamen sciendum præter generale & perpetuum præceptum conseruandæ speciei, etiam noui testamenti tempore duplex hominum genus esse quibus peculiariter lege quadam naturæ necessarium est vt matrimonium contrahant. Alterum eorum qui cùm adhuc potestatem nuptiarum habeant, consilium perpetuæ continentiæ capere non possūt. Hi enim dū tales sunt & quatenus tales, pro remedio suæ incontinantiæ coniugiū amplecti debent. Nam quòd coniugiū post lapsum factū fuerit incontinentiæ remediū, quod ante lapsum tantùm erat naturæ officiū; rectè post Augustinū libr. 9. de gen. ad lit. c. 7. docent Hugo lib. 2. de sacramentis p. 11. & Magister in textu. Qui verò remedium illud per continentiæ votum sibi fecerunt impossibile, ijs ad alia sanctiora remedia necessariò cōfugiandū est, quibus efficiant adiuuante Dei gratia, vt etiam hoc tantum bonū capere possint, ac reipsa capiant.

In altero genare sunt reges ac principes eorumq; filij ac filiæ, quibus aliquando necessitas incūbit contrahendi matrimonij causa conseruandę pacis aut religionis in regno; velut si ex cælibatu principis periculum esset ne post eius mortem regni successio ad hæreticos aut infideles deuolueretur, aut aliàs incerta magnorum in republica motuum causam præberet.

§. 3. *Matrimonium esse rem bonam & licitam.*

S. Thom. suppl. q. 41. ar. 3.

CVm è sacris literis, vt suprà ostendimus, constet matrimonium à Deo institutum esse; fuera tamen olim hæretici, qui eius dignitati vsque adeo detraxerunt, vt vel malo Deo auctori nuptias adscriberent, vel eas cum fornicatione compararent, vel simpliciter vt illicitas damnarent atque reijcarent. Talia docuerunt Marcion & Manichæus, Tatiani & Encratitæ, Apostulici & Hieracitæ, de quibus videre est Tertullianum scribentem contra Marcionem, Hieronymum lib. 1. contra Iouinianum, Epiphanium, Philastrium & Augustinum contra hæreses. Eam hæresim resuscitarunt postea Armeni & quidam Almaricus tempore Innocentij 3. à quo pontifice damnatur hic error, extra de summa trinitate cap. *damnamus*. Quò pertinat etiam eorum opinio qui in statu integro negauerunt commixtione sexuum propagandum fuisse genus humanum. Quam quidem erroneam opinionem refutauimus lib. 2. sent. distinct. 20.

Cæterùm aduersus huiusmodi dānabiles errores pręter ea quę suprà de diuina ac naturali matrimonij inter homines institutione allata sūt, ex quibus manifestè patet matrimoniū eiusq; vsum bonū esse ac licitum (neque enim bonum esse posset matrimonium, nisi & bonus esset eius vsus) proferri possunt & alia clarissima scripturæ testimonia quibus idem probetur. Verba apostoli sunt 1. Cor. 7. *Alligatus es vxori, noli quærere solutionem, & si acceperis vxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccauit.* Et iterum: *Quod vult faciat, non peccat, si nubat.* Ac demum illud apertam nuptiarum commendationem continens: *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit.* Et illud Hebr. 13. *Honorabile connubium in omnibus & torus immaculatus.* Idem apostolus Eph. 5. in tantum extollit nuptias, vt in ijs agnoscat magnum sacramentum, quod est in Christo & ecclesia. De quo infrà agetur. Et 1. Tim. 2. de muliere dicit quod saluabitur per filiorum generationem, videlicet in statu coniugali.

Huc pertinent ea euangelij loca, quibus Dominus prohibet vxorē excepta fornicationis causa dimitti, vt Matth. 5. & 19. Marc. 10. & Luc. 16. Quod etiā Paulus testatur 1. Cor. 7. dicens Domini præceptum esse, ne vxor à viro discedat. Item locus Ioan. 2. vbi Dominus facto suo manifestè declarauit bonum & licitum esse nuptiarum institutum, quando eas sua ac matris suæ & discipulorum præsentia adhibito etiam illustri miraculo cohonestauit; quemadmodum eum locum doctè contra Manichæos tractat Augustinus. Quod autē tunc per se Dominus fecit, id per angelum Raphaelem iam olim fecerat, quo quasi paranympho inter Tobiam & Saram conciliatæ sunt nuptiæ. Cuius etiam sanctissima præcepta leguntur de legitimo vsu coniugij Tob. 6. His accedit quod diuina & naturali lege quibusdam præceptum fuerit coniugium, vt suprà docuimus. Nam & frater superstes fratris sine liberis defuncti vxorem accipere ex præscripto legis tenebatur Deut. 25. & Osee propheta iubetur fornicariam mulierem accipere vxorem; Imò & sacerdotes, vt successionem sacerdotij secundùm legem conseruarent, vxores ducere debebant. Constat autem fieri non posse vt Deus præcipiat aliquid illicitum.

Quæ cùm ita sint, meritò doctrinam eorum qui nuptias damnant & nubere prohibent, quos aliquando exorituros apostolus prophetico spiritu præuidebat, doctrinam dæmoniorum appellauit 1. Tim. 4.

Scripserunt aduersus hunc errorem præcipuè Epiphanius in opere de hæresibus, & Augustinus multis locis contra Manichæos tomo sexto, & extant eadem de re plurima pontificum & conciliorum decreta, vt Leonis 1. concilij Bracarensis, & Gangrensis, & Toletani primi, & Lateranensis sub Innocentio 3. & aliorum.

Cæterùm de actu coniugali quando licitus sit & quando illicitus, idemq; quando venialis, & quando damnabilis explicabitur infrà ad distinctionem 31.

§. 4. *Ad quædam in contrarium argumenta responsio.*

S. Thom. vbi sup.

PRætermissis ijs argumentis quæ actū coniugalem in vniuersum culpæ obnoxium ostendere videntur, de quibus suo loco; nunc ea diluemus per quæ coniugium ipsum tanquam illicitum oppugnatur.

Primum est: Matrimoniū secundùm indulgentiam seu veniam conceditur ab apostolo 1. Cor. 7. *Hoc, inquit, dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.* Quod non tantùm de actu coniugij, verū de ipso etiam coniugio dictum patres intellexerunt. Vnde S. Martinus apud Sulpicium lib. 3. dial. dicit quod coniugiū pertinet ad veniam, virginitas ad gloriam, fornicatio ad pœnā. Atqui venia nō nisi peccati est, dicente Augustino de hac ipsa apostoli sententia lib. de peccato originali ca. 38. Euidenter dum tribuit veniam, denotat culpam. Qui & alibi similiter ratiocinatur vt epist. 78. & lib. de bono coniugal. cap. 10.

Secun-

Secoudom: Matrimunium puſt lapſum inſtitutum eſt in remedium incontinentiæ. Atqui ſic vtentcs marrimunio peccent, ſaltem venialiter iuxta apertam apoſtoli ſententiam qua id ſecundùm veniam cuoecdirur: ergo matrimonium ſaltem ſecundùm eam inſtitutionem quam poſt peccatum bebet, illicitum eſt; vtpute cuius proprius vſus peccatum ſit.

Tertium: Matrimunium impedit ac remoretur hominem à cœna cœleſtis patrisfamilias iuxta illud Luc. 14. *Vxorem duxi & ideo non poſſum venire.*

Quartum: Matrimoniom inhoneſtu o aſt ſaltem poſt lapſum, quod probari videtur tum ex turpitudine, quæ neceſſariò actui eius coniongitur; tum ex apuſtulo qui 1. Cor. 7. exhortans ad continentiam dicit ſe hortari ad id quud honeſtum eſt. Ex qoo apparet matrimonium apoſtolo noo eſſe honeſtum.

Quintum: Dicit idem apoſtolus Rom. 8. *Qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt.* Id autem de iis qui carnali vinculo matrimonij coſtricti ſuot, intelligit Hieron. lib. 1. contra Iouinianom.

Sextom: Eothymius ſcribans in pſal. 50. ad illud: *Ecce enim in iniquitatibus*, dicit nuptias eſſe ex peccato, oon ex prima inſtitutione.

His argumentis ita reſpondemus.

Ad primum, Sicubi apud veteres legitur metrimonium ipſum ſecundùm indulgentiam cuoecdi, id hoc ſenſu poteſt accipi: quia multiplicato iā ſatis bumano genere matrimoniū neq; præcipitur, neq; coofulitur, ſed tantū cooceditur. Nunquā præcipitur tanquā bonum neceſſariū, vt initio generis humani, neq; conſulitor tanquā maius bonū, vt virginitas, ſed conceditur tanquā minos bonum. Cæterùm apoſtolus Paulus non matrimoniū ipſom ſecundùm indulgentiam ſeu veniam concedit, ſed concubitū cooiugalē qui fit per incontinentiā. Vnde Aug. lib. de bono coniog. c. 10 Mihi videtor, inquit, hoc tempore ſolos eos qui ſe non contioent, coniugari oportere, ſecundùm illam eiuſdem apoſtuli ſententiam: *Quod ſi ſe non continent, nubant. Melius eſt enim nubere quàm vri.* Nec ipſis tamen peccatum ſunt nuptiæ, quæ ſi in comparatione fornicationis eligerentor, minus peccatum eſſent quàm fornicatio, ſed tamen peccatum eſſent. Nunc autem quid dicturi ſomus aduerſus euidentiſſimam vocem apoſtoli dicentis: *Quod vult faciat, non peccat, ſi nubat &c.* Hinc certè iam dubitare fas nō eſt nuptias non eſſe peccatum. Noo itaque nuptias ſecondùm veniam concedit apoſtulus. Nam quis ambigat abſurdiſſimè dici, eos peccaſſe quibus venia datur? Sed illum concubitum ſecundùm veniam concedit qui fit per incontinentiā, non ſola cauſa procreandi, & aliquando nulla cauſa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, ſed ignoſci impetrant. Hæc Auguſtinus. Similia tradens & alibi vt lib 1. de nuptijs & conc. c. 16. & lib de bono viduitatis cap. 9. Notandum tamen quod in huiuſmodi ſententijs conſiderat Auguſtinus nuptias ſeu matrimonium ſecundùm genus ſuum, ſecluſa circumſtantia finis. Qua ratione certum eſt nuptias non eſſe peccatum, idque ſufficit præſenti inſtituto. Nam alioqui nihil prohibet; vt is qui matrimonium contrahit, contractum illum ſuum ex genere buoum, aliqua parte viciet, ſi non eo fine contrahit, quo contrahi debet. Quæ res non hic ſolummodo, verùm in alijs quoque bonorum operum generibus locum habet. Atque eo ſenſu forteſſe rectiùs accipitur quod veteres interdum dicunt, coniugium ſecundùm indulgentiam concedi, ſiue ad

A veniam pertinere; quia plærique homines coniugij ſtatum aſſumunt propter incontinentiam, non autem purè propter generationem; qui proinde videntur non tantùm vtendo coniugio, verùm etiam contrahendo venialiter peccare.

Ad ſecundum reſpondetur, propriū matrimonij finem tam poſt lapſum quā ante, eſſe generationem prolis. Cæterū impropriè dicitur poſt lapſum eſſe inſtitutum in remedium incontinentię, quia videlicet carnalis libido quæ per peccatum increpſit, per matrimoniom ita excuſatur, vt congreſſus in- B cootineutiæ cauſa tantùm ſit venialis, qui extra matrimonij limites erat futurus damnabilis. Itaq; remedium incontinentiæ non tam finis matrimonij dicendus eſt, quàm quidam effectus eius, occaſione peccati ſubſecutus, finis autem eſt ipſorū hominum qui contrahunt caoſe vitādę fornicationis.

Ad tertium reſpondetur, id dictum propter impedimenta quibus coniugati ſæpe abſtrahuntur à rerum diuinarum cogitatione. Nam vt ait apoſtolus 1. Cor. 7. *Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mūdi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Quod tamen C non fit vicio coniugij quod per ſe ſanctum eſt, ſed culpa hominum qui carnaliter ſe mutuò amant, quem carnalem amorem introduxit tranſgreſſio primorum parentum. Vnde Ambroſius lib. 7. in Lucam ſcribit, non illud dici quo coniugium reprehendatur, ſed quia ad maiorem honorem vocetur integritas, quoniam mulier innupta & vidua cogitat quæ ſunt Domini &c.

Ad quartum, Matrimoniū ſubſtantia & inſtitutione ſua ac proprio fine ſemper honeſtū & ſanctū eſt etiam poſt lapſum. Accidit autē ex peccato vt actui eius coniuncta ſemper ſit turpitudo libidinis, quæ D tamen in ipſum matrimonium non redundat, niſi fortè ex mala contrahentis intentione. Senſus autē apoſtoli eſt, eum hortari ad id quod honeſtius eſt & melius, quodque facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſeruandi, id eſt, ad ſtatum continentiæ. Nam vt paulò pōſt ſubijcit: *Qui non iungit virginem ſuam matrimonio, melius facit.*

Ad quintū: Loquitur apoſt. de iis qui ſecundùm carnē viuunt non ſecundùm ſpiritum. Hieronymus autem ſuo inſtituto ſententiam apoſtoli accommodans, non aliud vult, quàm coniuges dum carnali operi vacant; non poſſe ſimul vacare orationi & E rebus diuinis. Id quod etiam apoſtolus ſignificat 1. Cor 7 monens coniuges ne fraudent inuicem, niſi ex conſenſu ad tempus, vt vacent orationi.

Ad poſtremū reſpondetur Euthymiom cum nonnullis alijs Gręcis grauiter falli, dum putant nuptias non eſſe ex prima inſtitutione naturæ ante peccatum, ſed ex peccato habere originem. Contra quos actum eſt à nobis ad diſt. 20. libri 2.

§. 5. Matrimonium eſſe ſignum rei ſacræ.

F Matrimonium non tantùm inſtitutionē à Deo habet, ſed etiā eodē authore atq; ex eius inſtitutione ſacramēti rationē obtinet. Qua in re duo præcipuè conſideranda occurrunt: alterū matrimonium eſſe ſignum ſeu ſymbolū rei cuiuſdam ſacræ, alterū coniunctā ei eſſe gratiæ promiſſionem, ſicut alijs nouæ legis ſacramentis. Horū vtrumq; cùm ab aduerſarijs negetur, nobis authoritate ſcripturæ & patrum teſtimonijs confirmandum eſt. S. Thom. ſuppl. q. 42. ar. 1.

De priori manifeſtus imprimis locus eſt apud apoſt. Eph. 5. vbi cōmendans mutuā coniugū dilectionem

ctionem exemplo Christi & ecclesiæ, inter alia addit vxorem esse corpus & carnem viri, sicut ecclesiam Christi, *quia*, inquit, *membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius.* Neque tantùm apostolus hæc similitudinis modo comparat inter se; nempe virum cum Christo, mulierem cum ecclesia, & coniunctionem vnam cum altera, eo modo quo regnum cælorum simile esse perhibetur homini regi vel patrifamilias vel grano sinapi, absque institutione aliqua significationis, vt volunt hæretici; sed præterea vult in vno positam esse à Deo significationem alterius: sicut per virum Christus, & per mulierem ecclesia, & per eorum inter se coniunctionem, Christi cum ecclesia coniunctio ex diuina institutione significaretur. Id enim probant verba eius sequentia, vbi repetitis ex Genesi verbis illis: *Propter hoc relinquet &c.* infert: *Sacramentum* seu mysterium *hoc magnum est*, id est, arctissima illa coniugum coniunctio de qua dicitur: *Relinquet homo patrem suum & matrem & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, magnæ alicuius sacræ & arcanæ rei signum est. Quod mysterium deinde explicat & interpretatur cùm ait: *Ego autem dico in Christo & in ecclesia.* Quasi dicat, tametsi coniunctio maritalis si in se spectetur, res non magna videatur, in genere tamen signorum res magna est, quia magnum aliquid significat, Christum videlicet & ecclesiam, eorumque inter se coniunctionem. Per hoc enim quod homo relictis parentibus adhæret vxori, & cum ea vna caro efficitur, mysticè significatur filium Dei è sinu patris ac patre quasi relicto in terras descendisse vt ecclesiæ coniungeretur, vnumque cum ea corpus per incarnationem efficeretur.

Neque verò concedendum est aduersarijs, quod contendunt ab apostolo non coniugium humanum viri & fœminæ, sed ipsam coniunctionem Christi & ecclesiæ vocari magnum sacramentum, nam non solùm veteres omnes qui hunc locum apostoli tractarunt, coniugium intellexerunt vocari sacramentum coniunctionis eius, quæ inter Christum est & ecclesiam, vt in suis commentarijs Hieronymus, Chrysostomus & commentator Ambrosianus, & ab Hieronymo citatus Gregorius Nazianzenus, & Chrysostomum secuti Theophylactus & Oecumenius, ac præter hos Augustinus lib. 1. de nuptijs & conc. cap. 10; verùm etiam textus apostolicus hunc sensum postulat. Primò quia demonstratiuum pronomen, hoc, non aliò referri potest quàm ad id quod proximè præcesserat de humano coniugio, de quo & præcipuè agebat apostolus. Deinde quia Græcè non est in Christo & ecclesia, sed in Christum & ecclesiam, quomodo etiam legit Tertullianus libr. de anima cap. 11. & 21. & lib. 5. contra Marcionem cap. 18. & Augustinus in psal. 138. citante Beda in Eph. 5. Ea autem verba clarè significant Christum & ecclesiam esse terminum illius mysticæ significationis, ac proinde ipsum coniugium esse mysterium siue arcanum quoddam symbolum, cuius significatio referatur ad Christum & ecclesiam.

At neque dici potest in solo coniugio primorum parentum hanc fuisse significationem, non in cæteris, licet Hieronymus in Eph. 5. scribens tantùm ad illud coniugium videatur respexisse. Nam verba illa: *Propter hoc relinquet &c.* in quibus hoc mysterium continetur, generalia sunt ac magis propriè pertinent ad posteros, quàm ad ipsum

A Adamum, qui parentes quos relinqueret, non habuit, ipse omnium hominum primus parens. Et manifestum est tum apostolum hoc loco, tum Christum Matth. 19. ad omne legitimum coniugium hæc verba referre, saltem inter fideles contractum. Nam de infidelium coniugio quid sentiendum, postea dicemus.

His accedit quod etiã alibi frequenter scriptura Christum sponso aut marito comparat, ecclesiam verò sponsæ aut vxori; velut imprimis toto libro Canticorum, deinde psal. 44. in quo mystici coniugij canitur epithalamium. Item in Apocal. 19. &
B 21. vbi nuptiæ agni describuntur, & ecclesia eiusdem agni vxor & sponsa vocatur. Sed & baptista de Christo ait: *Qui habet sponsam, sponsus est.* Ioan. 3. Et ipse Christus sponsum se vocat cum dicit ablato demum sponso futurum vt filij sponsi ieiunent, Matth. 9. Denique Oseæ 2. & virum & sponsum ecclesiæ se vocat Dominus, promittens se eam sibi desponsaturum in sempiternum. Quod si rationem consulamus, huius tantæ rei sacramentum, in matrimonio positum esse nemo certè mirabitur qui semota libidinis fœditate quæ per peccatum irrepsit & per se ad coniugium nullo modo pertinet,
C considerare volet tum amorem qui inter coniuges ardentissimus esse solet, ideoque ad mutuam dilectionem Christi & ecclesiæ repræsentandam est aptissimus; tum beneficium propagationis carnalis, quod ex coniugio consequitur genus humanum: vt meritò in eodem coniugio Deus iam inde ab initio signum esse voluerit eius coniunctionis qua ad spiritualem sobolem perpetuò propagandam, Christus ecclesiæ copulatur. Hanc porrò quam dicimus sacramenti rationem in matrimonio agnoscunt passim veteres, vt Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius locis iam
D citatis, Tertullianus libr. 3. contra Marcionem cap. 5. & libr. 5. cap. 18. item in exhortatione ad castitatem cap. 5. & libr. de monogamia cap. 5 Gregorius Nazianzenus oratione 31. quam habuit super verbis euangelij Matt. 19. Ambrosius lib. 8. in Luc. ad illud cap. 16. *Omnis qui dimittit vxorem suam, &c.* Hilarius in Matth. 19. Augustinus libr. de bono coniugali cap. 5. & nonnullis sequentibus, libr. 1. de nuptijs & concupisc. cap. 21. tract. 9. & 10. in Ioan. & libr. 2 de Genes. contra Man. cap. 24. Leo epistola 23. scripta ad clerum & plebem Constantinopoli-
E tanam, & epistola 92. ad Rusticum, Beda in Ephes. 5. ac compluribus Augustini locis, atque alij qui dictum apostoli locum interpretati sunt. His adde Saluianum qui libr. 7. de prouidentia vocat venerabilis connubij sacramenta, & Cassiodorum qui lib. 2. variarum epistol. 10. coniugium appellat humani generis procreabile sacramentum. Quamuis autem non addant cuius rei sit sacramentum, absque dubio tamen volunt alicuius rei sacræ signum esse, & quidem eius de qua ad Ephes. 1. scribit Apostolus.

Iam verò & illud ex superioribus consequitur,
F matrimonium in statu innocentiæ sacramentum fuisse, quantum attinet ad significationem rei sacræ; tametsi res significata iuxta veriorem sententiam, non nisi ex peccato occasionem habitura erat. Testantur id Hieronymus in Eph. 5. & Augustinus lib. 1. de nuptijs & concupisc. cap. 21. libr. de bono coniug. cap. 5. & 18. Nec mirum cum in illo statu fuerit & aliud sacramentum, videlicet lignum vitæ, vti docet Augustinus eiusdem libr. 8. cap. 4. & 5. & libr. 13. de Ciuitate Dei, cap. 20. Eandem autem sacramenti rationem post lapsum toto tempore legis naturæ ac veteris testamenti matrimonium reti-

nuit

nuit, quemadmodum idem Augustinus testatur lib. de bono coniug. cap. 18. qui etiam in coniugio quod inter Ioseph ac B. Virginem intercessit sacramentum agnoscit libr. 1. de nuptijs & concupisc. capit. 11. & libr. 5. contra Iulianum cap. 12. Quod coniugium certum est veteri lege durante contractum fuisse. Idem innuit Trident. synodus, quando in doctrina huius sacramenti non absque certa ratione Christum vocat venerabilium sacramentorũ perfectoram, videlicet additione gratiæ.

§. 6. *An & quatenus coniugium apud infideles fuerit sacramentum.*

S. Thom. art. præallegato.

VTrùm autem etiam apud infideles eandem sacramenti rationem matrimonium olim retinuerit, hodieq; retineat; dubitatur.

Nam pro parte negatiua facit quòd matrimoniũ infidelium etiam consummatum potest aliquo casu dissolui, vt suo loco monstrabitur; non autem matrimonium consummatum fidelium. Cuius ratio videtur, quia matrimonio infidelium deest dignitas sacramenti etiam generaliter accepti. Nam vt Augustinus ait lib. 1. de nuptijs & concup. cap. 11. ideo in matrimonio agnoscitur sacramentum, quia nullum diuortium: ergo vbi diuortium, ibi non est sacramentum.

Aliud argumentum ex polygamia infidelium sumi potest. Ibi enim locum non habet illud: *Erunt duo in carne vna*; & proinde nec mysterium coniunctionis Christi & ecclesiæ.

Probatur item ex S. Augustino qui libr. de bono coniugali cap. 7. coniugij indissolubilem firmitatem refert in rationem sacramenti. Nec tamen, inquit, nisi in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius talis est causa cum vxore, & cap. 15. ait: Semel autem initum connubium in ciuitate Dei nostri, vbi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo potest nisi alicuius eorum morte dissolui. Et cap 18 In nostrarum nuptijs plus valet sanctitas sacramenti quam fœcunditas vteri. Et apertissimè capit. 24. Bonum nuptiarum, inquit, per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere &c. Alius eiusdem locus est lib. de fide & operibus cap. 7.

Atque hæc sancti Thomæ sententia est scribentis in hanc distinctionem quæstione 2. articulo secundo, & Ruardi in explicationa articuli 18.

Cæterùm alijs magis placet pars affirmatiua hac potissimùm ratione, quia quòd matrimonium sit signum coniunctionis Christi & ecclesiæ, id habet ex prima institutiona facta in paradiso, vt ex supradictis patet. Quare infidelitas contrahentium matrimonium eam significationem tollere non potuit, sicut eadem infidelitas tollere non potest significationem iridis institutam post diluuium. Manet ergo illa significatio, & proinde generalis sacramenti ratio tam in matrimonijs infidelium quàm fidelium, licet infidelibus incognita, sicut & multis fidelibus.

Videtur id quoque ex apostolo probari. Quod enim ait Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est*, dictum est ab eo generaliter de omnibus coniugijs, saltem eorum ad quos scribebat. Atqui eorum plurimi in infidelitate constituti matrimonia contraxerant, licèt postea essent ad fidem conuersi. Neque doceri potest quod illa sacramenti ratio talibus matrimonijs accesserit per baptismum. Competebat ergo illis ab initio quo fuerant contracta.

Hanc opinionem multum adiuuat Innocent. 3. authoritas, qui in cap. Gaudemus, extra de diuortijs affirmat sacramentum coniugij apud fideles & infideles existere, & ibidem cap. Quanto, dicit quòd baptismus qui est fidei sacramentum ratum efficiat coniugij sacramentum, vt ipsum in coniugibus illo durante perduret. Item cap. Veniens, de presbytero non baptizato dicit sacramentum coniugij à non baptizatis recipi posse.

Tenet hanc sententiam Dominicus Soto ad præsentem distinctionem quæst. 2. art. 3. sub finem dicens liquidum esse quòd matrimonium infidelium sit sacramentum, si sacramenti nomine intelligatur mysterium quo significatur vnio Christi & ecclesiæ. Nec dissentire videtur Adrianus in 4. q. 1. de matrimonio.

Neque omnino conuincunt quæ in contrarium allata sunt. Nam & matrimonium infidelium firmitatem habet ex ratione sacramenti, licet non tantam, quantam habent coniugia fidelium, quòd in his alia quædam accedat ratio firmitatis. Id quod suo loco pleniùs explicabitur.

Polygamia quoque infidelium huic sententiæ nihil obstat, tum quia erat illicita, & primæ institutioni contraria; tum quia quædam etiam fidelium coniugia, vt sanctorum patriarcharum, polygamiam admiserunt.

Ad Augustinum verò ex ipso Augustino responderi potest. Nam is firmitati coniugij quæ est apud fideles, manifestè opponit repudium ac dissolutionem coniugiorum gentilium, quam eorum matrimonia permittebant non autem lex diuina. Vnde sicut lege diuina insolubilia erant infidelium coniugia (quod eo loco Augustinus non disputat, tametsi satis insinuet) ita & rationem sacramenti continebant. Quam solutionem colligere licet ex cap. 7. 18. & 24. eiusdem libr. de bono coniugali, atque etiam ex loco allegato de fide & operibus. Cùm enim gentiles duo bona coniugij agnoscerent ac latis legibus retinerent, prolem & fidem coniugalem; tertium bonum, id est, sacramentum vti non agnoscebant, ita effectum eius, id est, nexum coniugij indissolubilem non retinebant: cùm alioqui ipso iure diuino reuera insolubilia essent etiam illorum coniugia, ideoque eodem iure diuortium respuerent etiam ob causam fornicationis, vt in ijs quoque locum habeat illud Augustini: Sacramentum quia nullum diuortium, tametsi nō pari gradu cum coniugijs fidelium.

§. 7. *Matrimonij sacramento gratiam conferri.*

S. Thom. suppl. q. 42. ar. 3.

PRæcipua de matrimonio quæstio est, an sit verè ac propriè nouæ legis sacramentum, id est, an ita sit sacræ rei signum, vt ex institutione Christi etiam gratiam suscipientibus conferat. Hoc enim non modò ab hæreticis omnibus huius sæculi negatur, verùm etiam à Catholicis nonnullis, olim autem

expressem ecclesiæ de ea re definitionem dubitarum fuit. Nam Durendus scribens io henc distin-ctionem qn æst. 3. etsi fateatur matrimonium sacramentum esse generali retione suprà caplicata; tenet tamen vt probabile quod oon cōferat gratiam, ideoque nec sit sacramentum vniuocè cum elijs sacramētis nouæ legis. Adducit eutem huius opinionis consortes aliquot doctores canonum, ac prætetea glossam cap. Honorantur 32. quæst. 2. quæ dicit ideo in sacramento matrimonij potiùs quàm in alijs interuenite posse pecuniam, quia in hoc sacrameoto non confertur gratia Spiritussancti, sicut in alijs: Item Magistrum qui distinct. 2. lib. huiua docet matrimonij sacramentuo rantùm esse institutum in remedium, non autem gratiam adiutricem conferre. Idipsum autem rradit Durandi cootemporaneus Guilielmus Peraldus in summa viciorum, dicens omoia sectamenta ecclesiæ præterqoam matrimonium conferre gretiam, & eo entiquior Iacobus de Vittiaeo Romanæ ecclesiæ cerdinelis lib. occidentalis historiæ eap. 36. Imò quia quæstio hæc ecclesiæ authoritate non crat definita, hinc est quod sanctus Thomas, Boneuentura, Scotus & alij qui veram & Catholicam docuerunt seutentiam, tantùm rradiderunt eam vt probabiliorem, vt mirandum oon sit quosdam Catholicos Doctores eb bis diuersum sensisse.

Nobis igitur probandum erit sacremento matrimooij gratiam conferri, idque adeo certò tenendum ounc esse vt salua fide dissentire oon liceet.

Imprimis aotem ad id probandum ooo arbitramur sufficere illa epostoli verba Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est.* Non enim eo loco sectamentum, sioe, vt Græcè est, mysterium, eliud significat quàm atcanæ ac sacræ rei signum, siue gratiæ promissionem habeat adiunctam siue nun. Nam & in statu ioregro & post peccarum vsque ed Christum tale sacrametiom erat, vt suprà monstreuimus; gratiæ tamen promissiunem nondum habebat, & sæpe alibi in scriprura sacramenti seu mysterij oomen legitor, vbi tamen non intelligitur anoexa gratiæ promssio, vt Daniel. 2. Tob. 12. Coloss. 1. 1. Timoth. 3. Apoc. 1. & 17. & io hac ipsa ad Ephesios epist. capit. 1. & 3.

Deinde nec ille Domini verba Matth. 19. *Quod Deus coniunxit homo non separet*, satis videntur ad id probandum valete, licet eo argumento nonnulli fuerint vsi. Nam vinculum illud coniugij licet ea Dei institntiòne magis quàm lege naturæ sit insolubile, & simile qoid babeat cum charactere baptismi vel ordinis, vt indicat Augustinus lib. 1. de ooprijs & conc. cap. 10. & lib de bono coniug ili cep. 24. consistit tamen sine gtatiæ largitione. Etat eoim in primo statu tale vinculum inter coniuges ec deioceps vsque ad Christum, qno tameo rempora matrimonium noodum gratiem conferebat: Imò & inter infideles erat tale vinculum de quo verè dicererut: *Quod Deus coniunxit.* Item obligetio voti solemnis à Deo babet quod sit insolubilis vt & ibi dicere liceet: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, nec tamen gratiam confert.

Sunt qui ad probationem vtantur illis apostoli verbis 1. Timoth. 2. *Saluabitur autem mulier per filiorum generationem si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione cum sobrietate.* Verùm nec ea satis solida probatio nobis videtut; non ideo tantùm, quòd apostolus generaliter loquatur de coniugibus siue post siue ante susceptam fidem matrimonio copularis, sed etiam ob istes retiones: tum quia quod hic dicitur mulierem saluatum iri per filiorom genera- A tionem, geoerale est & similiter dici potest de proprio cuiusque hominis officio. Nam & agricola saloator per opus suum beoe & piè factum, & doctor per doctrinam, & diues per eleemosynas; tum quia hoc ipsum verè dici poterat da cooiugibua ante legem gratiæ: tum denique quia in Græcis & plærisque Latinis manoscripris codicibus non legitor, *permanserit*, vt quod subiungitur de fide, & dilectione & sanctificatione oon ad mulierem sed ad filios referatur, quorum sancta educatiooe pareotes sibi concilianr meritum æternæ salutis.

Similiter nec ista ad hanc rem probandem ad- B modum idonea sunt loca 1. Corinth. 7. *Vnusquisque donum suum habet ex Deo, vnus quidem sic, alius autem sic.* Et 1. Thessal. 4. vbi viros hortatur apostolus vt ebstioeant se à fornicatione, & vas suum possideant in sanctificatione. Nam sicot virginitas, ita & cooiugalis castitas sempet fuit Dei donum etiam ante Christi aduentum, & semper debuerunt cooiuges abstinere se à fornicatione & vas suum possidere in sanctificatione, oec tameo semper matrimonium cootulit saoctificationis gratiam. Quanquam non negamus fieri posse vt io eiusmodi locis respexerit apostolua ad gratiam sactameuti. Verùm hoc ea ipsis verbis statui noo potest. Vnde nec catechismos C ad parochos istiusmodi probationibus vtitur, nec ipsa synodus Tridentina. Nam quod ad gratiam attinet, quam ex eiusdem synodi definitione confert hoc sacramentum, ita legitur sessione 24. in doctrina de sactamento matrimonij: *Gratiam verè, quæ naturalem illum amorem coniugum perficeret & indissolubilem vnitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit. Quod Paulus apostolus innuit dicens: Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit ecclesiam & seipsum tradidit pro ea*, mox adiungens: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia.* Quibus verbis non affir- D mat synodua apostolum ionuere quòd sacramentum coningij confetat gratiam, sed hoc tantùm quòd Christus sacremeotorum author, gratiam que conioges sanctificantur, sua nobis passione prometuerit. Id quod oullam habet controuersiam.

Vnde nec satis euidens & certa probatio ea dictis apostoli verbis sumi posse videtur pro gratia sacramaotali; præsertim quia multi eorum ad quos scribit apostolus, matrimonium contraxerant E adbuc infideles, & eedem omoia quæ ibi dicit apostolus de cooiogio eiusque significatione ac mutua Christi & ecclesiæ dilectione verè dici possint, etiamsi fingamus matrimonium nō habere aonexam gratiæ promissionem.

Cùm igitur huius doctrinæ non possit ex scripturis haberi probatio, saltem aperta & euidens; ac nihilominos ea doctrina, vt iosi à petebit, certa sit & catholica: coosequens est atticulum hunc, matrimonij sacramento gratiam conferri, vnum esse ea traditiooibus ecclesiæ oon sctiptis, & ad verbum F Dei non sctiptum sed traditum pertioera. Qnod nobis proinde tum ex concilijs, tum ee sanctorū pattum sctiptis, in quibus consignatas habemus apostolicas traditiones, ounc restat probandum.

Primùm itaque constans, est patrum doctrina Christum qnando inuitatus venit ad nupties, easque insigni miraculo aquæ in vinū conuersæ cohonestare dignatus est Iuan. 2. nuptijs ipsis benedixisse, id est, bene precatum fuisse; scilieet vt homioem, ac proinde vt Deum bene fecisse ac gratiam attulisse. Sic docueront 200. episcopi in Ephesina synodo con-

do congregati præsidente in ea Romanæ atque apostolicæ sedis nomine Cyrillo Alexandrino. Habetur autem locus ante anathematismos. Sic Cyrillus ipse lib. 2. in Ioan. cap. 22 vbi huius miraculi historiam exponit dicens inter cætera Christum sanctificasse coniugium & gratiam nuptijs præparasse, vt aditus hominum in hanc vitam benedicetetur. Similia repetit eiusdem libri cap. 26. Et ante eum Ambrosius in epistola ad Siricium papam, quæ quidem non vnius Ambrosij est epistola sed vniuersi concilij Telensis, in qua item asseritur à Christo sanctificatum esse coniugium, tametsi is ad alium scripturæ locum respexit; addit enim, diuina voce dicente, *Erunt ambo in carne vna & in vno spiritu.* Item Epiphanius in hæref. 51. & 67. & post eum Augustin. tract. 9. in Ioan. vbi euangelicā de nuptijs historiam explicans, docet ideo Christum nuptijs interesse voluisse vt castitatem coniugalem firmaret. Idem serm. 41. de tempore eandem tractans historiam benedictionis optimum memorat, & Maximus hom. 1. de Epiphania Domini sic ait: Vadit ad nuptias Dei filius, vt quas dudum potestate constituit, nunc præsentiæ suæ benedictione sanctificet. Rursum meminerunt eiusdem benedictionis Damascenus de Orth. fide lib. 4. cap. 25. & Euthymius scribens in 2. caput Ioannis. His accessit nouissimè censura Græcorum tametsi schismaticorum, quæ cap. 7. vbi de 7. ecclesiæ sacramentis agitur, sic habet inter cætera: Propterea & ipse Christus benedixit nuptijs, vt non sine cælesti benedictione ortus nostri principia iaciantur.

B

Porrò horum omnium sententia est ita Christum semel nuptijs benedixisse, vt tamen illius benedictionis virtus perpetua lege in nuptijs fidelium deinceps perseueraret, sicut benedictio fœcunditatis semel data verbis illis: *Crescite & multiplicamini*, perpetua lege vsque ad finem mundi in humano genere perdurat.

C

Iam verò putandum non est illam Christi benedictionem non aliud fuisse quàm fœcunditatis ab initio datæ approbationem seu confirmationem quandam. Non enim Christi redemptoris beneficia temporalia sunt sed spiritualia, quibus non natura instituitur aut instituta seruatur, sed quod in natura viciosum est, per gratiæ medicinam sanatur. At neque confirmatione illa opus erat, quandoquidem ad perpetuitatem prima institutio sua benedictio, sicut in alijs rebus, sufficiebat.

D

Hanc veteris ecclesiæ doctrinam de nuptijs à Christo benedictis retinuerunt ac tradiderunt scholastici doctores, itemque pontifices & concilia posteriora, in eo quod matrimonium sacramentis ecclesiæ propriè dictis, id est, sanctificantibus & gratiam conferentibus annumerarunt. Nam vt de scholasticis, quia notissimum est, taceam, Lucius papa eius nominis tertius ante annos amplius 400. in decreto quod incipit, *Ad abolendam*, & refertur extra de hæreticis: Vniuersos, inquit, qui de sacramento corporis & sanguinis Christi, vel de baptismate seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire non docere non metuunt, quàm Romana ecclesia prædicat & obseruat, vinculo perpetui anathematis innodamus, &c. Fuit autem decretum illud editum in concilio multorum ac præcipuorum episcoporum Veronæ habito. Sed & in Lateranensi concilio canone qui refertur in decretalibus, de simonia cap. Cum in ecclesiæ corpore, manifestè significatur matrimonium esse vnum è numero sacramentorum ecclesiæ, quum prohibetur ne pro

E

F

A

benedicendis nubentibus seu alijs sacramentis conferendis seu collatis aliquid exigatur. Eandem doctrinam indicauit synodus Constantiensis sessione 15. in condemnatione 8. articuli Ioannis Hus, quo ille asserebat sacerdotes quomodolibet criminosè viuentes infideliter sentire de 7. sacramentis ecclesiæ. Item Martinus 5. in bulla Constan[...] data, in qua de hæresi suspectos inter alia iubet interrogari, num credant quòd christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis, vel extremæ vnctionis, aut solemnizationis matrimonij, peccet mortaliter. Non enim nisi propriè dicta nouæ legis sacramenta, id est, quæ gratiam conferant, huiusmodi decretorum sermo solet significare.

Sed his apertius est quod in Florentino decreto Armenis tradito Græcis præsentibus, matrimonium vltimo loco numeratur inter septem sacramenta nouæ legis; de quibus omnibus ibidem definitur, quod & gratiam contineant, & ipsam dignè suscipientibus conferant.

Apertissimè verò definitū est idipsum de sacramento matrimonij à Tridentina synodo sessione 24. in doctrina, vbi matrimonium in lege euangelica veteribus connubijs per Christum gratiā præstare dicitur, & can. 1. quo anathema pronunciatur in eum qui dixerit matrimonium non esse verè & propriè vnum ex septem legis euangelicæ sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in ecclesia inuentum, neque gratiam conferre.

Quod si quæras, vbi Christus hoc instituerit, respondemus etsi Matth. 19. & Marc. 10. reuocauerit matrimonium ad primæuam institutionē, attamen ex supradictis satis intelligi, quod ipsum vt sacramentum sanctificans & gratiam conferens instituerit Ioan. 2. quando nuptijs benedixit.

Cæterùm pro pleniori probatione huius sacramēti subijciemus aliquot loca patrum, quibus hanc doctrinā apertè tradunt, vel saltem subindicant. Ex quibus etiam patebit quàm falsò iactet Caluinus, quòd ante Gregorij tempora nemo patrum viderit matrimonium esse nouæ legis sacramentum.

Tertullianus, præterquam quod aliquot locis supracitatis coniugium vocat sacramentum, etiam lib. 2. ad vxorem in fine, prædicat felicitatem eius matrimonij quod ecclesia conciliat & confirmat oblatio, & obsignatum angeli renunciant.

Lactantius in epitome diuinarum institutionum cap. 6. Qui habet coniugem, inquit, inuiolati cubilis sacramenta custodiat. Eodem modo Saluianus & Cassiodorus à nobis supracitati, & Leo in epistola 92. ad Rusticum cap. 4. matrimonium sacramenti appellatione honorant.

Athanasius in epistola ad Ammon monachum ait, quod qui vxorem ducit, etsi parem gratiam non consequatur cum eo qui virginitatem amplectitur; consequitur tamen aliquam, quippe qui ferat fructum tricesimum.

Siricius papa epistola 1. cap. 4. scribit sacrilegium committi cum alter coniugum altero viuente ad aliud coniugium transit. Matrimonium igitur res facta est, & ad religionem pertinet.

At Innocentius primus plus aliquid dixit, asserens in epistola 9. quæ est ad Probum, matrimoniū diuina gratia fundari dum celebratur.

Similiter Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 7. loquens de eo qui alterius nuptam sibi postulat in vxorem: Qui sic egerit, inquit, peccat in Deum, cuius legem violat, gratiam soluit: & ideo quia

A in Deum peccat, sacramenti cælestis amittit consortium.

Quod ad Augustinum attinet, is sacramenti nomen attribuit matrimonio plurimis locis, vt in libr. de bono coniugali, & libr. 1. de nuptijs & concupiscent. per aliquot capita: Item tractat. 10. in Ioan. libr. de fide & operibus cap. 7. libr. 8. de gen. ad litat. cap. 5. & libr. 9. cap. 7. libr. de Sancta virginitata cap. 12. libr. 5. contra Iulianum cap. 9. & 12. & libr. de peccato orig. cap. 34. Non solat autam Augustinus ita fraquenter & ordinatiè vocare sacramentum, nisi quod propriam sacramenti rationem habeat. Quæ ratio consistit in gra- B tia sanctificante. Adde quod Augustinus libr. 1. de nuptija & concupiscent. cap. 10. & de bono coniugali cap. 24. matrimonium comparat cum baptismo & ordinatione velut cum sacramentis eiusdem generis.

Denique vt intelligatur quàm latè pateat hæc catholica doctrina, quod Græci in Florantino concilio pari consansu cum Latinis decreuerunt, id ijdem illi etsi iam schismatici vsque in hodiernum diem ratinant, quemadmodum liquet ex censura Ieremiæ patriarchæ Constantinopolitani adita ante 14. annos, vbi cap. 7. legitur: Matrimonium diui- C num sacramentum asse, atque vnum ax illis septem quæ Christus & apostoli acclesiæ tradiderunt.

Porrò quamuis sola ratione sacramenti huius institutio certò astrui oequeat, rectè tamen ad ostandendum quàm fuerit conuaniens ipsum institui, rationes à doctoribus adducuntur. Cuiusmodi sunt.

Primò quia valda grauis & onarosa res est, ita coniugam vnum vni alligatum esse vt nulla ex causa ac nulla dispensatione vinculum possit solui, naqua alia coniunx priore viuante superinduci: Ad quam rem proinde peculiari gratia opus fuit.

Secundò, quia ad coniugium pertinet non so- D lùm procreare liberos, verùm etiam aducare & instruere, tum in moribus tum in sana raligiona; atque operam dare vt beoe instituti, sicut apostolus dicit, *Permaneant in fide & dilectione*, &c. 1. Timoth. 2. Quod ab ijs præstari non potest absque singulari auxilio gratiæ Dei.

Tertiò, quia cùm matrimonium post peccatũ sit in remadium contra fornicationẽ, ad id tamen non sufficit sine gratia Dei: tum quia concupiscentia ax actu carnali potius accenditur & augetur quàm re- E primitur; tum quia sæpe accidit vt ob morbum vel absentiam cogantur coniugas longo tampore se continera. Quod quidem coniugatis plærumque difficilius est, quàm continentiam professis in perpetuò cælibatu viuata. Quare oportuit huic remadio gratiam esse adiunctam.

Sanè probabilea sunt hæ rationes & ad suadendum aptæ. Quod tamen non nacessariò conuincant, hinc satis apparet, quia etiam ad implandum votum monasticæ religionis magno Dei auxilio opus est; nequa tamen votum illud annaxam habet F gratiæ promissionem, potest anim gratia Dei alijs modis, & præcipuè per orationes impetrari. Adda quòd hæ rationes etiam ante Christi aduantum locum habuerint, præsertim durante lege naturæ; quo tamen tampore constat matrimonium non contulisse gratiam.

§. 8. *Quos gratiæ effectus conferat matrimonij sacramentum.*

VT rectè ac distinctè cognoscamus quibus gratiæ beneficijs nuptias fidelium Christus sua benadictione dotauerit; prius videndum quæ mala per peccatum primorum coniugum in nuptias irrepserint. *S. Thom. suppl. q. 42. ar. 3.*

Primum sanè & præcipuum illud est, quod ex nuptijs nascatur prolas peccato obnoxia, non minùs quã ex fornicationa, iuxta illud: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis &c.*

Secundum quod præter originale vicium sæpe alijs modis parentes proli noceant: dum videlicet eam val concipiendam impadiunt, vel conceptam extinguunt, vel natam abijciunt aut etiam necant (quæ omnia apud infidelea & frequenter & impunè committi solant) vel denique praua educatione vel præpostato amore mores eius corrumpunt.

Tertium est libidinis malum, per quam sæpenumero ad varia flagitia homines etiam coniugati impelluntur.

Quartũ est inter coniuges discordia, qua fit vt & vir potestate quam in mulierẽ accapit, abutatur, & mulier subijci marito recuset.

His malis ad culpam pertinentibus accedit multiplex miseriæ malum. Primum quod in nuptijs etiam castis & honestis proles sine pudẽda libidina procreari non potest. Secundum, fastidium matris gastantis & dolor parantis. Tertium, vtriusque parentis sed patris maximà sollicitudo & anxia cura in prole educanda. Postremum, mutua corporum seruitus inter coniugas propter mutuam incontinentiam.

Omnibus his malis certo modo occurrit & madetur gratia Christi per sacramantum matrimonij; ita vt vel tollantur penitus, vel certè minuantur ac tolarabiliora fiant.

Per hanc enim gratiam fit vt qui coniugij statum amplectuntur, prolem quærant quæ per regenarationis sacramentum à peccato mundata, in Dei timore & sancta conuersatione educetur, crescat atqua proficiat. Quod coniugij bonum commendant Augustinus libr. 1. de nuptijs & concupiscen. cap. 17. & Fulgantius in epistola 1. quæ est de coniugali debito cap. 3. & 10.

Deinde per eam fit vt christiani coniuges non sequantur impetum libidinis, sad excessum & intemperantiam eius cacipiant atq; cohibeant honestate nuptiarum, vtq; fidem mutuo datam nulla adulterij pollutione violent; quamadmodum in eadem epist. Fulgentius, & pluribus locis Augustinus testantur, ac nominatim tract. 9. in Ioannam vbi dicit Christum nuptijs intarfuisse, vt coniugalis castitas firmaretur. Sed & Bonauentura scribens in hanc distinctionam, & Gulielmus Parisiansis in tractatu de matrimonio grauiter explicant quam vim habeat hoc sacramentum ad moderandam & refrænãdam carnis concupiscentiam.

Item par eam fit vt iuxta apostolicam commonitionam Ephas. 5. viri vxores diligant, sicut Christus ecclesiam, mulieras autam subditæ sint viris suis, sicut ecclasia Christo: & nec vir potestatis suæ terminos excedat, nec muliar debitam obedientiam

detrectet; vtque sancto amore coniuncti vsque ad finem vitæ inuicem commaneant, etiamsi fortè defecerit spes sobolis.

Per eandem denique Christi benedictionem fit, vt quod ad mores & conuersationem attinet, mutuas infirmitates supportent, & alter alterum si vel hæreticus est, vel ebriosus, vel discolus, vel aliàs criminosus; tum moderatè ferendo, tum mansuetè corripiendo Christo lucrifaciat.

Fit postremò, vt carnis tribulationem quam nuptijs inesse testatur apostolus 1. Corinth. 7. tanquam commune iugum pariter ambo leuius ferant.

Hanc porrò multiplicem nuptiarum benedictionem Christus nobis insinuare voluit per hoc, quod in nuptijs quas sua præsentia dignatus est, aquam conuertit in vinum; nimirum significans ad hoc se venisse, vt maledictionem culpa primi hominis in nuptias inuectam, ipse secundus homo aboleret atque in benedictionem verteret. Nam per aquas in scripturis tribulationes intelligi solent. Vnde illud: *Quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Et in alio Psalmo: *Forsitan aqua absorbuisset nos.* Et in alio rursum, *Libera me de aquis multis.* Vinum autem à Deo creatum esse vt lætificet cor hominis, alibi idem psalmista testatur.

Accedit autem & aliud quiddam quo declarare voluit Dominus se matrimonij instauratorem esse. Nam cùm lex diuortium permitteret quacunque ex causa, & vni viro potestatem faceret plures simul vxores habendi, eidemque zelotypo impunè permitteret accusationem & explorationem vxoris innocentis, vt patet Numer. 5. nihil tale vicissim permittens mulieri aduersus virum, ne nocentem quidem; cuncta hæc mala Christus è matrimonio sustulit, eiusque statum ad primæuam reuocauit originem, ita vt sublato diuortio solius adulterij causa repudium fieret, & non nisi duo essent in carne vna, & secundùm apostolum non minùs vxor haberet potestatem corporis viri quàm contra. Quæ bona cùm Christus aduentu suo nuptijs attulerit, valde consentaneum est ipsum etiam gratiam sanctificantem ijsdem nuptijs attribuisse, qua inter coniuges hæc eadem bona firmarentur; nã alioqui hac matrimonij reformatione plus oneris quã subsidij attulisse humanæ infirmitati videretur. Quam rationem suprà attigimus.

§. 9. *Ad ea quæ contra prædicta obijciuntur responsio.*

S. Thom. vbi sup.

ARgumenta quæ cõtra matrimoniũ vt propriũ nouæ legis sacramentum obijciuntur; partim catholicorum sunt, qui ante manifestam ecclesiæ definitionem diuersum senserunt; partim hæreticorum, qui certam ac definitam ecclesiæ sententiam etiam hodie oppugnant.

Primùm obijcitur Magistri authoritas & canonistarum doctrina ante Durandi tempora, & glossa cap. Honoràtur suprà à nobis citata, & alij quidam scriptores eiusdem vel posterioris sæculi; quorum sententia fuit matrimonium non conferre gratiam.

Secundò profertur ratio, qua potissimùm nituntur canonum interpretes; quia nimirum pro matrimonio cõtrahẽdo de dote pacisci licet, quod non liceret si matrimoniũ conferret gratiam. Hãc rationem habes in glossa modò allegata.

Tertium argumentum est: Tria in omni sacramento nouæ legis ita requiruntur iuxta decretum Florentinum, vt si aliquid eorum desit; sacramentum non perficiatur. Ea sunt, materia, forma & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit ecclesia. Atqui in matrimonio neque materia requiritur, neque forma verborum vlla necessaria est, cùm absque verbis per alia signa possit ratus contractus fieri; neque certus minister saltem ante Tridentinum concilium fuit necessarius: & denique sine intentione faciendi quod facit ecclesia, ac sola cogitatione carnali plurima ante dictum concilium contracta fuerun matrimonia.

Quartum: Potest matrimonium contrahi inter absentes; non potest autem gratia per sacramentum conferri absentibus: ergo matrimonium non est sacramentum.

Quintum: sacramenta significant gratiam quam continent, & continent eam quam significant: Atqui matrimonium institutum est ad significandum coniunctionem Christi cum ecclesia, quam tamen non efficit.

Sextum: Coniugium impedit gratiam Dei, iuxta illud: *Vxorem duxi & ideo non possum venire,* Luc. 14. & apostolo teste impedimentum præbet obseruandi Dominum, id est, vacandi rebus diuinis 1. Cor. 7. Vnde & ab vsu eius interdum abstinendum vt vacetur orationi ibidem: ergo non confert gratiam.

Septimum: Circa essentialia sacramentorum nihil potest immutare ecclesia. Mutare autem potest personas suscipientes matrimonij: dum videlicet gradus propinquitatis extendit aut contrahit. Nec dubium quin suscipiens sit vnum ex ijs quæ necessaria sunt vt subsistat sacramentum.

Octauum: Nullum propriè dictum sacramentum suscipi potest ante baptismum. At matrimonium iuxta Innocentium tertium locis suprà citatis etiam ab infidelibus ante baptismum suscipitur, etiam vt sacramentum; ita vt postea non debeat iterari: ergo non est sacramentum propriè dictum.

Nonum: Apostolus Ephes. 5. coniugalem copulam vult esse sacramentum coniunctionis Christi & ecclesiæ. Absurdum autem est dicere quod in illa copula seu commixtione corporum, quæ nunquam sine turpitudine est, & vix vnquam sine peccato, gratia conferatur: Non ergo matrimonium vt sacramentum gratiam confert.

Decimum: Ecclesia multos fideles repellit à matrimoniũ, vt sacerdotes & monachos & virgines sacras. Atqui nemo repellendus est à gratia: igitur hoc sacramentum gratiam non confert.

Postremum: Christus nullum instituit signum, quod vocari possit sacramentum matrimonij; quia quicquid fit in matrimonio contrahendo, legis naturæ est, & ante Christi aduentum fieri solitum: ergo non instituit sacramentum aliquod matrimonij.

Sed ad hæc respondemus. Et primum quod ad Magistri sententiam attinet, quamuis plærique sic eum intelligant, quasi absolutè neget ad conferendam gratiam valere hoc sacramentum; Quapropter & selectis eius erroribus idipsum annumerari solet: putant tamen alij non hoc eum sensisse, idque probant tum ex 1. distinctione vbi inter sacramenta veteris & nouæ legis ita distinguit, quod hæc

conferant gratiam, non illa, ac sacramentum vt septem nouæ legis sacramentis commune est, definit esse signum gratiæ, eiusdemque causam: tum ex præsenti distinctione, in qua sub finem dicit coniugiũ esse signum spiritualis cõiunctionis & dilectionis animorum, qua inter se coniuges vniri debent. Intelligit autem Magister signum efficax vt in cęteris christianę religionis sacramentis. Ad illud autem quod 2. distinct. dicit coniugium esse in remedium tantũ; non improbabiliter responderi potest ex sancto Thome eum locum explicante, quòd ibi Magister loquatur de principali fine siue effectu sacramenti matrimonij. Quamuis enim omnia sacramenta, & contra peccatum valeant, & auxilium bene viuendi præstent, rectè tamen trifariam ita secundùm Magistrum diuiduntur, quod quædam principaliter instituta sunt ad iuuandum hominem in bono, vt confirmatio, eucharistia & ordo: quædam ad delenda vel vitanda peccata, vt reconciliatio, extrema vnctio & matrimonium: quædam ad vtrumque effectum, vt baptismus, quo & vetus homo moritur & nouus nascitur.

Porrò glossa cap. Honorantur, cui consonat & altera glossa cap. Quicquid, 1.q.1. reijcienda est vna cum interpretibus canonum idem sentientibus. Qui quidem pauci sunt, & in quæstione quæ ad Theologum propriè spectat, facilè labi potuerunt. Nam alioqui vt refert Nauarrus in Ench. cap. 22. num. 20. communis doctorum sententia in rubricam de sponsalibus & matrimonijs est in contrarium.

Ad rationem secundo loco allatam respondimus cùm de simonia ageremus. Cùm enim matrimonium dupliciter considerari possit: vno modo vt est ciuilis contractus ex ipsa natura instinctum habens: altero vt est sacramentum; poterit contractus ille certa pactione dotis iniri absque iniuria sacramenti, eo modo quo calix consecratus rectè precio venditur sine consecrationis iniuria. Nam vt calix ad consecrationem, ita contractus matrimonialis ad rationem sacramenti antecedenter se habet. Aliã solutionem indicat glossa iam dicta cap. Quicquid. Et sanè etiamsi matrimoniũ gratiam non conferret, adhuc tamen locum haberet argumentum propter generalem rationem sacramenti, quam in matrimonio ijdem doctores agnoscunt; quemadmodum & duæ glossæ citatæ confitentur. Vnde mirum est authores illos eo argumento adductos fuisse vt huic sacramento gratiam detraherent.

Tertij argumenti solutio patebit ex ijs quæ infrà de materia, forma, & ministro huius sacramenti dicentur.

Ad quartũ respõdetur, si quod nõnulli putant, matrimonium inter absentes per literas, vel internuncios contractum non est sacramentum propriè dictum; non tamen inde consequens est matrimonium in vniuersum excludi debere à numero sacramentorum, quæ gratiam conferunt. Quid autem de matrimonio inter absentes inito sit dicendum; infrà discutietur ad dist. 29.

Ad quintum respondetur nullum esse sacramẽtum in quo non aliquid peculiare & ab aliorum sacramentorum lege diuersum reperiatur. Huic autem sacramento peculiare est, vt gratiam quam continet, non ita expressè neque immediatè significet, sicut significant alia sacramenta. Cùm enim primarius ipsius matrimonij finis sit procreatio prolis, efficit gratia quæ hoc matrimonij sacramento continetur, vt coniuges prolem susceptam pia sollicitudine regenerandam offerant Christo. Atque hoc pacto matrimonialis illa eademque sacramentalis parentum coniunctio, causa est coniunctionis eius qua proles ecclesiæ membrum effecta Christo copulatur, facitque vt quodammodo Christus & ecclesia sibi mutuo coniungantur ad prolis genitæ regenerationem. Alij breuius & clarius respondent sacramenta non omne illud quod significant efficere. Est enim sacramentorum multiplex significatio, vti dictum est cùm de sacramentis in genere ageretur. Itaque sacramentum matrimonij præter coniunctionem Christi & ecclesiæ, quam ita significat vt propriè non efficiat; etiam significat coniunctionem amicabilem & christianam coniugum ipsorum inter se. In qua quidem connectione continetur omnis illa gratia quam suprà diximus hoc sacramento conferri, vt fides, concordia, mutua supportatio, prolis regeneratio & sancta educatio &c.

Ad sextum: Coniugium in se consideratum neque gratiam impedit, neque eam confert, sed impedimentum quidem gratiæ prouenit ex praua concupiscentia quæ in naturam humanam ac peculiariter in actum coniugalem irrepsit in prima transgressione; collatio autem gratiæ coniugio competit quatenus sacramentum est ad hoc à Christo institutum, vt illius concupiscentiæ carnalis esset remedium.

Ad septimum: Ecclesia, vt in alijs sacramentis, ita & in isto mutare non potest quæ sacramento sunt essentialia. Vnde sicut alia sacramenta per ecclesiam conferri non possunt, nisi ijs qui secundùm Dei institutionem sunt eorum capaces; ita nec istud nisi legitimis personis: ita vt legitimæ personæ secundùm Christi ordinationem sint soli illi quibus hoc sacramentum possit conferri. Quæ sint autem legitimæ personæ, non ipse definiuit, sed id magna ex parte ecclesiæ determinandum reliquit; propterea quòd matrimonium non tantùm sit sacramentum, verùm etiam contractus, quem proinde legibus quibusdam humanis regulari conuenit.

Ad octauum, ex supradictis patet responsio. Nam matrimonium ante baptismum contractum etsi concederetur esse sacramentum generali ratione propter significationem rei sacræ; non tamen specialiter vt est à Christo ad sanctificationem coniugum institutum. Ideo autem post baptismum non iteratur, quia ante baptismum fuit verum coniugium, cui tamen per baptismum maior firmitas accedit, vt suo loco dicetur. An autem per baptismum fiat sacramentum speciali ratione, id est, quoad gratiæ effectum, dubiè disputatur, neque id huius loci est.

Ad nonum respondetur coniugalem corporum coniunctionem, dum in ea magnum sacramentum agnoscit apostolus, non esse considerandam, prout libidinis turpitudinem adiunctam habet, quæ per peccatum, vt iam diximus, in nuptias subintrauit; sed prout instituta est à Deo. Qui enim considerauerit congressum illum coniugalem in innocentiæ statu nihil pudoris ac nihil omnino vicij habiturum fuisse, sed cum summa animi ac membrorum tranquillitate semper coniunctum; non mirabitur Deum voluisse rei cuiusdam eximiæ significationem in eo constituere. Sciendum tamen catholicos non constituere rationẽ huius sacramẽti, qua parte gratiam confert, in ipsa carnali copula, sed in contractu matrimoniali, siue secundùm se; siue quod

nos verius putamus, accedente benedictione ministri ecclesiæ.

Ad decimum: Duæ sunt rationes propter quas sacerdotes & qui sanctioris vitæ professioni se tradunt, arceantur à matrimonio: altera quia matrimonio, tametsi rei honestæ & sacræ, coniuncta est res turpis & inhonesta, scilicet carnis libido: & ita coniuncta vt à proprio eius actu separari non possit, melius autem & laudabilius est, ab vsu talis rei, id est, libidinis per continentiæ propositum omnino abstinere, quàm eam per huius sacramenti gratiam intra coniugij terminos vtendo cohibere. Nam vt ait apostolus 1. Corinth. 7. *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit melius facit.* Altera ratio est sollicitudo carnis & implicamenta rerum sæcularium, quia vt ibidem ait: *Qui cum vxore est sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Qui autem sine vxore est, sollicitus est quæ sunt Domini sui, quomodo placeat Deo, &c.*

Ad postremum respondetur nihil prohibere, quo minùs aliquid præexistens assumatur in signum alicuius rei quam priùs significabat, aut certè non ita significabat vt etiam efficeret; quomodo Deus iridem quæ ante diluuium erat sed signum non erat, in signum creauit atque instituit post diluuium Gen. 9. Atque hoc modo rectè intelligitur Christus matrimonij sacramentum instituisse; quia nimirum eam rem quæ priùs erat, imò & signum erat rei sacræ, voluerit deinceps etiam gratiæ effectricem esse.

§. 10. *Quis sit huius sacramenti minister.*

S. Thom. suppl. q. 42. ar. 1.

DE ministro huius sacramenti, itemque de materia eius & forma, quæ quidem in omni sacramento reperiri docet synodus Florentina: non parua est inter Catholicos scriptores difficultas, quænam sint vel qualiter assignentur in hoc sacramento; præsertim cùm Magister & alij antiquiores nihil aut perparum de hac re ex professo tradidisse legantur.

Est autem communis scholasticorum posteriorum sententia, virum & fœminam matrimonium contrahentes, esse proprios huius sacramenti ministros. Idque ex eo probant, quia ad ministrum sacramenti pertinet verba formæ pronunciare, & per ea sacramentum conficere. Faciunt autem hoc vir & mulier dum verbis conceptis sibi mutuam dant fidem.

Idem confirmari videtur ex decreto concilij Florentini de sacramentis, vbi sic legitur: *Causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Cùm igitur mutuum illum consensum verbis exprimant illi ipsi qui matrimonio copulantur; cōsequitur eos efficere matrimonium, & proinde matrimonij, id est, huius sacramenti perficiendi ministros esse.

Rursum confirmatur ex eo, quia matrimonium inter christianos contrahi potest (saltem præueniendo legem positiuam Tridentini concilij) per eos solos qui matrimonio copulantur, nemine alio præsente; & tamen cùm sacramentum sit nouæ legis non potest perfici absque ministro: ergo contrahentes ipsi & non alij ministrorum gerunt officium.

Porrò Scotus in hanc distinctionē scribēs sentire videtur id non esse perpetuum. Sic enim ait: Vt plurimum ipsimet contrahentes ministrant sibiipsis hoc sacramentum, vel mutuo vel vterque sibi. Sed nec hoc requiritur necessariò, si in omni contractu (videlicet matrimoniali) est sacramentum; quia aliquando parentes contrahunt pro filijs vel filiabus, præsentibus eis, non exprimentibus signa propria. Si ergo ibi est sacramentum; oportet dicere, quod minister huius sacramenti potest esse indifferenter, quicunque potest esse minister in contractu matrimonij. Sic ille.

Verùm facilè potest Scoto respōderi, quod quāuis alij plerumq; intersint contrahentes, semper tamen principaliter contrahunt per proprium consensum illi qui coniugio copulantur, siue id verbis faciant, siue alijs signis idem valentibus, inter quæ etiam silentium ipsum interdum secundùm iura computatur; quia tali casu qui tacet præsumitur consentire. Vnde non est necesse propter ea quę Scotus adfert, alios ab ipsis coniugibus aliquādo agnoscere sacramenti huius ministros.

Aliorum opinio est in hoc sacramento sicut in alijs ecclesiæ sacramentis, non alium esse quærendum ministrum, quàm qui sit ipsius ecclesiæ minister, id est, sacerdos virum & mulierem certis ac præscriptis verbis coniungens.

Hanc sententiam tradit & multis argumentis propugnat Melchior Canus lib. 8. locorum Theol. cap 5. vbi contēdit matrimonium sine ecclesiæ ministro contractum, non esse verè & propriè sacramentum, eò quòd proprius minister per quem administrari debuit, illi desit. Argumenta quę pro hac opinione vel ab illo adferuntur vel insuper adferri possent, partim eò spectant, vt ipsam directè probent; partim vt superiorem, id est, communem sententiam improbent atque infirment. Sūt autem ferè huiusmodi.

Primum: Nullum est ecclesię sacramentum sine ministro ecclesiæ. Idque quod probatur inductione aliorum sacramentorum, in quibus etsi interdum ob necessitatem laicus fungatur vice ministri, vt in baptismo; constat tamen ordinarium ministrum solum esse sacerdotem: igitur & matrimonij sacramentum ab ecclesiæ ministro dispensatur.

Secundum: Aliud est pœnitentia, aliud pœnitentiæ sacramentum. Nam pœnitentia existit sine ministro ecclesiæ, sacramentum pœnitentiæ non item: ergo similiter aliud est matrimonium, aliud matrimonij sacramentum propriè dictum; cū illud fieri possit sine ministro ecclesiæ, sicut fiebat ante Christi aduentum, istud autem non possit.

Tertium: Concilium Florentinum definit omnia sacramenta tribus perfici, quorum tertium est persona ministri conferentis sacramentū. Intelligit autē ministrū ecclesiæ, quia addit, *Cum intentione faciendi quod facit ecclesia.* Nam quomodo facit ecclesia, quod nunquam facit nec facere potest ecclesiæ minister? Vnde ex his posterioribus verbis fit tale argumentum: Omne sacramentum sic institutum est, vt illud facere debeat ecclesia (facit autem ecclesia per suos ministros) nisi ob necessitatem, vt in baptismo, alius faciat supplens vicem ministri ecclesiæ, qui tamen etiam debet habere intentionem faciendi quod facit ecclesia: ergo etiam hoc sacramentum matrimonij sic est institutum, vt debeat fieri per ministrum ecclesiæ. Nec dici potest quod vir & mulier suppleant vicem ministri ecclesię, quia tale supplementum in solo baptismo agnoscitur: & si hic esset supplementum, sequeretur quod multò magis minister ecclesię, cuius vicem illi supplent, id facere posset; quia magis potest rem vnāquamq; primarius administer, quàm vicarius.

Quartum: Sacramenta propriè dicta sunt sacræ ceremoniæ religionis, quarum proinde celebratio ad ministros ecclesiæ spectat.

Quintum: Soli ecclesiæ ministri ad hoc ordinantur vt sint sacramentorum dispensatores, ergo per illos solos omnia sacramenta debent administrari.

Sextum: Personæ contrahentes suscipiunt hoc sacramentum; ergo non conferunt. Non enim quisquam sibiipsi conferre potest aliquod sacramẽtum, eorum quæ in actione consistunt, vt verbi gratia, seipsum baptizare, ordinare, absoluere, &c. Nec est dicendum quod alter alteri cõferat; quia si ministri sunt ambo, simul constituunt vnum totalem ministrum, cùm neuter possit sine altero.

Septimum: Personæ contrahentes non habent intentionem conferendi sacramentum sed potius accipiendi. Neq; vnquam ecclesia docuit, quòd debeant habere intentionem administrandi sacramẽtum; & tamen sine intentione faciendi quod facit ecclesia, nullum est sacramentum, vt disertè tradit synodus Florẽtina, & satis indicat synodus Tridentina sess. 7 can 11. de sacramentis, & pleniùs ostendimus ad distinctione m 1. huius libri.

Octauum: In clandestinis matrimonijs quæ plurima contrahebant ante Tridentinam synodum, ordinariè nulla intercedebat intentio faciendi quod facit ecclesia, sed ferè tantùm cogitabatur de copula carnali & contractu ciuili, sicut inter gentiles Neq; satis est dicere quod intẽdebant contrahere matrimonium, nam & infideles hoc intẽdunt, qui tamen in contrahendis matrimonijs non intendunt facere quod facit ecclesia: & alioqui secundùm hanc euasionem impossibile esset ab aliquo contractu matrimoniali saltem inter christianos, abesse intentionẽ, &c. etiam inter hæreticos. Vnde sic arguitur: Fideles contrahentes possunt carere intentione faciendi quod facit ecclesia; quod certum est. Nam & sacerdos baptizans potest carere intentione, &c. ergo indubiè possunt & poterunt esse matrimonia inter fideles quæ non essent sacramenta. Quod argumentum validissimum est contra quosdam contendentes omne matrimonium christianorum esse sacramentum nouæ legis.

Nonum: Absurdum est ab alicuius sacramenti administratione generaliter excludi episcopum aut sacerdotem atq; eius ministrum necessariò esse debere eũ qui non sit ecclesiæ minister, sed homo laicus aut quasi laicus; imò mulier, quod est absurdius, cùm sacramenta ecclesiæ vel necessariò, vel saltem conuenienter & decenter debeant administrari per viros eosque ecclesiæ ministros.

Decimum: Apostolus 1. Cor. 14. non permittit mulieribus loqui in ecclesia. Quod non tantũ intelligitur de verbo Dei, sed etiam de administratione sacramentorum: ergo non est putandum aliquod ecclesiæ sacramentum sic esse institutum, vt in eo mulier necessariò sit ministra.

Vndecimum: In omni sacramento sufficit vnus minister. Quod & indicat synodus Florentina, cum nominat personam ministri, non ministrorum. At si contrahentes administrant hoc sacramentum, semper ergo necessarij erunt in hoc sacramento plures ministri.

Duodecimum: Christus tanquam summus sacerdos benedixit nuptijs in Cana Galileæ, vbi & sacramentum hoc vt nouæ legis sacramentum instituit; quemadmodum suprà latè demonstratum est: ergo sacerdos Christi vicarius sacramẽtum hoc administrare debet, vt per ipsum benedictionis gratia conferatur. Itaque non vir & mulier contrahentes, sed sacerdos benedicens huius sacramenti minister est.

Decimumtertium: Absurdum videtur sacerdotem dicere ministrum rei accessoriæ, videlicet benedictionis, quam dicunt tantùm esse sacramentale quiddam, non autem ipsius sacramenti, sed huius administrationẽ laicis propriam ac perpetuã facere.

Decimũquartum: Fideles nõ se existimabãt esse sacrilegos quãdo in statu peccati mortalis priuatim seu clandestinè contrahebant matrimonium ante conc. Trident. quod tamen oportebat si ipsi sacramentum ibi administrabant. Eam fidelium persuasionem approbat Paludanus in 4. dist. 5 q.2.

Decimumquintum: Concilium Trident. sess. 24. cap. 1. reformationis matrimonij, vult vt parochus tanquam ecclesiæ minister dicat cõtrahentibus: *Ego vos in matrimoniũ coniungo &c.* Quod enim hoc dicat vt ecclesiæ minister, testatur ecclesiarũ consuetudo. Nam vt præscribit pastorale Mechliniẽse, sacerdos dicit: *Et ego tanquã Dei minister vos in matrimonium coniungo &c.* Sunt autem eadem in sacramẽtorum negotio, Dei minister, & ecclesiæ minister. Sanè ministrum huius sacramenti ea synodi constitutione sacerdotem seu parochum designari, disertè testatur Matth. Galenus huius scholę doctor catechesi 216.

His omnibus accedit probabilitas ex authoritate patrum, qui ita sensisse videntur, cùm tamẽ e diuerso nullus patrum dixerit ipsos cõtrahentes esse huius sacramenti ministros. Nam Euaristus papa epistola 1. ire requirit in coniugijs sacerdotalem benedictionem, vt aliter præsumpta nõ coniugia sed adulteria sint. Quod quidem pontifex non diceret de vero sacramento ecclesiæ.

Nec obstat quod in breuiario Rom. legitur Euaristus instituisse vt sacerdotis benedictio matrimonio adhibeatur; quasi consequens inde sit, sacerdotalem matrimonij benedictionem non esse institutam à Christo, & proinde sacerdotem ex Christi institutione non esse sacramenti huius ministrum: Nam hoc eo modo dicitur, quo in eodẽ breuiario Alexander papa statuisse dicitur, vt tantũmodo panis & vinũ in mysterio offerretur, & Victor, vt quauis aqua, modò naturali, si necessitas cogeret, quicunque baptizari posset, & Innocentius, vt qui ex christiana muliere natos esset per baptismũ renasci deberet, & Syluester, vt ab episcopo chrisma conficeretur, & alia nonnulla, quæ cùm sint institutionis diuinæ, decretis horum pontificũ, cùm fortè à quibusdã fidelibus negligerentur, aut ab hæreticis impugnarentur, sunt confirmata.

Tertull. lib. 2. ad vxorem in fine significat illud matrimoniũ esse ecclesię sacramẽtum, quod ecclesia conciliat, videlicet per suum ministrum.

Ambros. epist. 70 de coniugio dicit quod sanctificari ipsum oporteat benedictione sacerdotali.

Innocentius 1. in epistola 1. ad Probũ dicit matrimonium fundari diuina gratia, quando celebratur: Celebrari autẽ non dicitur, nisi quando solemniter ecclesiæ more contrahitur.

Gulielmus Parisiensis Alberti magni contẽporaneus in libro de sacramẽtis tract. de matrimonio cap 9. quæst. 1. negat matrimonium veri nominis sacramentum esse & sacramentalem virtutem habere, nisi sacerdotali ministerio consecratũ fuerit. Indicat hoc idem cap. 1 de baptismo.

S. Thomas lib. 4. contra gentiles cap. 78. Matrimonium, inquit, inquantum ordinatur ad bonum ecclesiæ, oportet quod subiaceat regimini ecclesiæ. Ea autem quæ populo per ministros ecclesiæ dispẽsantur, sacramenta dicuntur. Et mox subiunxit: Vnde &

de & quę iam benedictio nubentibus per ministros ecclesiæ adhibetur.

Idem scribens in 4. dist. 1. art. 3. ad 5. dicit matrimonium sicut pœnitentiam, quatenus vtrumque est sacramentū, in dispensatione ministrorū ecclesię consistens, habere aliqua verba quibus perficiatur. Et in 2.2 quæst. 100. art. 3. in fine dicit, dare pro matrimonio pecuniam, in quantum est ecclesiæ sacramentum illicitum esse: Et ideo, inquit, iura prohibent, ne pro benedictione nuptiarum, aliquid exigatur. Vbi indicat quod sacramenti ratio sit in benedictione nuptiarum quæ fit à sacerdote.

Porrò nonnulla alia in hanc sententiam citantur à Cano ex decreto Gratiani, sed quæ minùs vrgeāt.

B Præcipuum autem argumentum petitur ex verbis generalis concilij Lateranensis sub Innocentio 3 quæ habentur extra de Simonia cap. Cùm in ecclesiæ corpore, vbi synodus deplorat tanquam rem horribilem, quod pro benedictionibus nubentium, seu alijs sacramentis aliquid requiratur, ac postea subiungit: Ne igitur hæc de cætero fiant, seu pro benedicendis nubentibus, seu alijs sacramentis conferendis seu collatis aliquid exigatur, districtius prohibemus: vbi manifestè semel & iterum benedictionem nubentium, quę sine dubio per ministrum ecclesiæ fit, synodus connumerat alijs sacramentis. Vnde glossa eiusdem loci: Pro benedictionibus, inquit, nubentium aliquid accipi prohibetur, quia per eas gratia confertur. Et ibidem ad cap. Suam, annotat benedictiones nubentium esse sacramenta. Putat quia Canus hanc esse canonistarum opinionem, quòd licet contractus matrimonij seclusa benedictione sacerdotis non conferat gratiam, id tamen præstet sacerdotis benedictio, tanquam propriè dictum sacramentum.

C Accedit insuper cap. Religiosi, in Clementinis ex concilio Viennensi; vbi in eodem ordine ponuntur sacramentum vnctionis extremæ vel eucharistiæ ministrare, & matrimonia solemnizare. Hoc autem indubiè ad ecclesiæ ministrum pertinet. Vnde in bulla Martini 5 Constantiæ edita ipse solemnizatio matrimonij vocetur sacramentum. Vult enim interrogari vtrùm credat quis quòd Christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis vel extremæ vnctionis, aut solemnizationis matrimonij, peccet mortaliter.

D Prætereà in Coloniensi conc. parte 7. cap. 40. dicitur sacramentum matrimonij accedente sacerdotali precatione conferre donum spiritus quo vir diligat vxorem amore casto, sicut Christus ecclesiam & c. Profert Canus etiā quædam concilij Coloniensis verba, sed vt apparet, ex enchiridio Christianæ institutionis, quod eius concilij nomine editum fuit, accepta.

E Denique non sine causa duo concilia generalia Florentinum & Tridentinum cùm de hoc sacramento agerent, de ministro eius nihil expressè, sicut nec de materia & forma, definiendum putarunt. Quod nimirum intelligerent diuersas de his esse Doctorum in ecclesia sententias, de quibus nihil adhuc definiendum putarent, tametsi M. Galenus putat de forma definitum esse in concilio Tridentino.

F Non ignoro hanc Cani sententiam à Dominico & alijs nonnullis non solùm reijci & refelli, sed etiam nouitatis ex temeritatis nomine taxari. Quorum rationes apud ipsos authores videant & expendant studiosi. Certè rationes & authoritates satis ostendant, neque nouam neque temerariam esse hanc sententiam neque à patrum sententia alienam; præterquam quòd sacramentorum sancti-

A tati quàm maximè congruit. Vnde & Dominicus Bannesius scribens super 1. quæst. 1. art 8. dicit communem sententiam modo à multis improbari, non solùm post celebrationem concilij Tridentini, sed etiam antea; & Cani sententiam multos alios sequi absque vlla temeritate. Quod enim, inquit, vno tempore occultatur, postea per diligentiam & studium aduenientiū multoties innotescit &c. & post multa. Respondetur, inquit, illam sententiam de matrimonio non fuisse communem omniū Theologorum, sed aliqui oppositum docuerunt. Præterea licet fuisset communis, non tamen fuit firma sententia, vt patet ex Magistro, S. Thoma, Scoto & omnibus alijs in 4. qui oēs sub dubio relinquūt, neq; aliquid certò definiunt. Hæc ille, & quę sequuntur.

Denique vitantur multa paradoxa per hāc sententiam, vt quod huius sacramenti minister non sit vnus sed duo, non ordinati, sed laici, vir & mulier; quòd iidem suscipientes & conferentes; quòd forma consistat sine verbis; quòd nullam contineat ceremoniam peculiarem &c.

§. 11. *Quæ sit huius sacramenti forma.*

SI, quod habet communior opinio, sacramenti huius ministri sint ipsi qui matrimonio coniunguntur, haud dubiè formę verborum quibus perficitur idem sacramentum, erit ex quam illi contrahendo proferunt, dicentes ad inuicem: *Ego te accipio in meum vel meam.* Constat enim verba sacramenti à ministro sacramenti proferri debere. Pro hac sententia adducitur quod in Florentino decreto legitur, causam efficientem matrimonij regulariter esse mutuum consensum per verba de præsenti expressum, tametsi inde reuera non aliud habetur, quàm contractum ipsū matrimonij effici regulariter per eiusmodi verba, non autem sacramentum matrimonij quatenus gratiam confert. Vnde nec dicunt patres. Causa efficiens huius sacramenti sed *causa efficiens matrimonij regulariter, &c.* Addunt autem *regulariter*, quia & alijs signis exprimi potest cōsensus, qui matrimonium efficiat, quemadmodum proxima distinctione docebitur. S. Thom. suppl. q. 42. ar. 1.

Sed hinc oritur quæstio, an sola verba sint forma sacramenti, an etiam quæcunque signa à verbis diuersa quæ valent ad consensum indicandum. Plerique tenent ad sacramenti huius formam non referre verbis ne de præsenti, an alijs signis ęquiualentibus consensus contrahentium exprimatur, idque dicunt peculiare esse huic sacramento, vt in eo verborum vicem etiam alia signa supplere possint.

At Scotus in hanc distinctionē scribens & præsentem quæstionem versans, in eam partem propēdet quod sola verba sint huius sacramenti forma, sicut in alijs sacramentis; & proinde interdum fiat contractus matrimonij sine sacramento, nempe quum fit sine verbis. A qua sententia etiam Adrianus in 4. scribens quæst. 2. de baptismo in fine, non videtur alienus.

Pro his facit quod Florentinū concilium in omnibus 7. sacramentis requirit verba tanquam formam, ita vt si desint non perficiatur sacramentum. Ad quod tamen alij respondent eo loco intelligi non solùm verba propriè dicta, sed etiam signa quæ vicem verborū gerunt. Cæterùm in vniuersum aduersus eam sententiam quæ in verbis contrahentiū, vel alijs signis æquiualentibus formam huius sacramenti vt sacramentum est constituit, imprimis obijci possunt omnia argumēta suprà posita, quæ pro-

bare videntur contrahentes non esse sacramenti ministros. Hoc enim dato consequitur necessariò nec formam eius esse verba seu alia signa contrahentium, eò quòd formam sacramenti à sacramenti ministro pronunciari oporteat, vt in confesso est.

Obijcitur præterea, non esse rationem illius prærogatiuæ quam tribuunt huic sacramento, vt nó verbis tantùm, sed etiam alijs signis perfici possit, cùm hoc maximè deberetur baptismo, propter summam eius necessitatem; cui tamen non est cōcessum. Vnde nec videtur illa responsio ad verba concilij Florentini, quæ modò allata est, satisfacere, cùm in cæteris omnibus sacramentis intelligantur necessariò atque indispensabiliter requiri verba propriè dicta.

Deinde forma sacramenti debet significare effectum sacramenti vt sacramentum est, non autem vt est aliquid humanum, aut naturale, aut ciuile; quemadmodum patet in omnibus alijs sacramentis, & probari potest ex ipsa ratione formæ, cuius est determinare materiam ad constituendam speciem totius: quod totum in proposito est matrimonium vt sacramentum, non autem vt ciuilis est contractus. Atqui verba illa: *Accipio te in meam*, non significant effectum sacramenti, neque omnino sacrum aliquid, sed tantùm coniugalem obligationem, quam significarēt etiamsi non esset coniugium in sacramētum institutum. Vnde & communia sunt fidelibus & infidelibus.

Præterea iuxta hanc sententiam fatendum est ipsam carnalem copulam aliquando esse sacramenti formam, videlicet ante Tridentinam synodum, vel etiam hoc tempore ijs locis quibus synodi decretū nondum est publicatum; nimirum quando & vbi per subsequentem copulam spōsalia transibant vel adhuc transeunt in matrimonium. Tunc enim copula signum est sufficiens consensus ad matrimoniū requisiti. Hoc autem non immeritò refugiunt aures christianæ. Quamuis enim actus ille possit esse meritorius, absurdè tamen dici videtur quod sit aliquando pars essentialis sacramenti, vel etiam ipsum sacramentum, loquendo de sacramentis nouæ legis quæ Augustinus dicit esse castissima. Adde quod formæ sacramentorum sunt verba mystica & arcana, quæque haud facilè vulgo prodebantur, vt ex ijs patet quæ de formis sacramentorum in genere diximus. Hæc autem verba omnibus gentibus sunt notissima, & adeo non sunt occultanda vulgo, vt eorum pronūciatio ad solos pertineat laicos quantumcunque sint vulgares & infimæ sortis homines.

Est igitur aliorum opinio, qui sicut ministrum huius sacramenti volunt esse ministrum ecclesiæ, id est, sacerdotem; ita (quod necessariò consequens est) formam sacramenti dicunt esse verba ab eo dum sacramentum ministrat, prolata.

Sed quæritur quæ verba?

Nonnulli ita de forma loqui videntur, quasi verba benedictionis quibus sacerdos super nouis coniugibus vtitur dicens: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, ille vos in Christo benedicat, &c.* vel alia quædam similia constituant ipsius sacramenti formam. Verùm obstat quod hæc benedictio secundùm canones & morem ecclesiæ non debeat adhiberi in secundis & vlterioribus nuptijs, vbi tamen etiam verum est & propriè dictum sacramentum. Quocirca melius sentiunt qui formam agnoscunt in illis verbis quæ Tridentina synodus præscripsit sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij. Sic enim ait: *Si nullum legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem matrimonij in facie ecclesiæ procedatur, vbi parochus viro & muliere interrogatis & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris & Filij & Spiritussancti, vel alijs vtatur verbis iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritum.* Quod postremum additur, quia est in hac re nonnulla per ecclesias consuetudinis diuersitas. Nam vt refert Dominicus Soto, quidam dicunt: *Ego vos sponso & sacramentum confirmo*, alij vtuntur his Christi verbis: *Quos Deus coniunxit, homo non separet:* alij aliud dicunt, sed plærīq; proferunt eadem vel pene eadem verba quæ synodus expressit, videlicet post coniugum verba dicendo: *Et ego tanquam Dei minister vos in matrimonium coniungo in nomine Patris & Filij & Spiritussancti.* Sed quæcunque demum verba sint, quibus ecclesiæ vtuntur, cùm proferentur à ministro ecclesiæ in celebratione sacramenti, vidētur sic accipienda, vt significationem habeant supernaturalis ac diuinæ benedictionis. Nā & Dominicus fatetur hunc sensum esse: Ego benedico coniunctionem vestram aut quod in idem recidit, sensus est: Ego coniunctionem vestram benedictione confirmo. Quo fit vt non malè eadem illa verba nomine benedictionis interdum apud authores cōprehendantur. Dici autē potest ijs significari simul & effici coniunctionem illam dilectionis & subiectionis de qua apostolus Ephes. 5. Quod & innuere videtur Coloniense conciliū loco suprà indicato. Et sanè ad hæc vel huiusmodi verba videri potest allusisse Tertull. quando dixit ecclesiam conciliare matrimonium fideliū, quia videlicet ecclesia per ministrum dicit se eos in matrimonium coniungere. Et notandum hæc verba repeti etiam in secundis & vlterioribus nuptijs, tum veteri more ecclesiarum, tum ex præcepto ac præscripto synodi Tridentinæ. Quæ res argumento est in ijs veram formam sacramenti vt à ministro ecclesiæ administratur, contineri. Quod & sentit M. Galenus loco suprecitato.

§. 12. *Quæ sit materia sacramenti matrimonij.*

Materiam huius sacramenti tanquam in re dubia & perplexa variè assignant doctores, vt videre est apud Palodanum & Dominicum in primam huius libri distinctionem, & Capreolum in distinctionem præsentem. *S. Thom. vbi sup.*

Quidam enim in interno consensu vtriusque coniugis materiam constituerunt, non rectè; propterea quòd res illæ quibus tanquam materia vnumquodque sacramentum constat, debeant esse subiectæ sensibus, cuiusmodi non est consensus internus.

Alij tam materiam quàm formam huius sacramenti esse putant verba contrahentium, vel nutus, aut alia signa verborum vicem supplentia. Sic opinatur Dominicus eandem opinionem ascribens S. Thomæ. Quod tamen non ita intelligit, vt verba coniugis priùs consensum suum declarātis tantùm habeant rationem materiæ, eius autem qui posterius suum consensum exprimit, tantùm habeant rationem formæ; sed sic vt amborum verba sint sibi inuicem materia & forma. Siquidem vtriusque verba per verba alterius, vt ait, informentur, vt vim accipiant obligandi coniuges inter se.

Verùm hæc opinio quomodocunque declaretur, parum habet probabilitatis; non ideo tantùm quia sic sequetur eandem rem in eodem sacramento esse materiam & formam, sed eo maximè, quia quantumuis nomen rerum generalius accipiatur, quando dicit synodus Florentina omnia sacramēta constaro

tare rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma; ita vt rerum nomine possint etiam actiones comprehendi quæ sint quasi materia, vt in pœnitentiæ sacramento, non ita tamen generaliter, vt etiam verba comprehendat; quandoquidem disertè synodi sententia res à verbis distinguit.

Igitur alij personas ipsas contrahentes statuunt materiam huius sacramenti. Cui opinioni non vsque adeo obstat, quod eædem personæ suscipiant sacramentum, ideoque sint materia in qua; ac proinde non videatur simul esse posse materia ex qua, nã ratione possunt hæc duo in illis distingui, præsertim si consideremus quòd contrahentes per verba quibus se mutuo accipiunt in coniuges, etiam se mutuo tradunt in coniuges, faciuntque se, id est, sua corpora alienæ potestatis per spontaneam traditionem & contractum huiusmodi, *De ve des* Res autem illæ quæ in sacramentis traduntur materiæ locum habent, vt maximè perspicitur in sacramento ordinis. Itaque iuxta hanc opinionem coniuges vt sunt personæ quædam, sacramentum suscipiunt; at ratione corporum quæ inuicem traduntur, materiæ rationem habebunt: vel certè ipsa corpora erunt loco materiæ. Atque hæc opinio videtur cæteris probabilior, si ponamus verba cõtrahentium esse formam huius sacramenti.

Cæterùm iuxta eos qui sacramentum hoc dicunt administrari à ministro ecclesiæ verbis ab eodem prolatis, facilius erit materiam huic sacramento assignare. Nam sicut in sacramento pœnitentiæ materia, vel vt concilia loquuntur, quasi materia sunt actus pœnitentis, qui valut informantur per absolutionem sacerdotis; ita rectè dicitur actus contrahentiũ, quibus sibi mutuo siue per verba siue per alia signa dant fidem matrimonialem, esse huius sacramenti materiam vel quasi materiam, quæ deinde informetur ad gratiæ consecutionem per ea verba sacerdotis, in quibus consistit forma sacramenti. Sicut enim Deus actus pœnitentis euexit in sacramentum nouæ legis addita absolutione sacerdotis vt forma; ita valde cõuenienter dicitur quod actus contrahentium euexerit in sacramentum nouæ legis addita benedictione sacerdotis vt forma. Et hoc modo de materia sentit sanctus Thomas in præsentem distinctionem: Sacramentum, inquit, matrimonij perficitur per actum eius qui sacramento illo vtitur, sicut pœnitentia; & ideo sicut pœnitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subiectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de matrimonio. Sic ille. A qua sententia in summa Theologica nequaquam recedit, quamuis ibi vsque ad sacramentum matrimonij non peruenerit. Nam p. 3. quæst. 84. art. 1. ad 1. dicit quod in sacramento pœnitentiæ sicut & matrimonij, ipsi actus humani sunt loco materiæ.

§. 13. *Sitne verum & perfectum absque carnali copula matrimonium.*

S. Thom. suppl. q. 41. ar. 4.

ADuersus errorem quorundam hæreticorum ac nominatim Ioannis Wicleff, quem oppugnat Thomas Waldensis tomo secundo de sacramentis cap. 130. certò & indubitatò tenendum est verum esse matrimonium (siue contractum & vinculum inde natum spectes, siue sacramenti rationem) inter eos qui legitimè per verba de præsenti contraxerunt, etiam ante carnalem copulam.

Probatur id multipliciter.

Primò ex matrimonij definitione, cuius nulla pars in matrimonio nondum per copulam consummato desideratur; vt patebit ex proxima distinct.

Secundò, quia vsus & operatio rei, cuiusmodi est copula respectu matrimonij, non est de ipsius rei essentia, vt patet latissimè in alijs rebus.

Tertiò, quia inter primos homines ante lapsum verum erat matrimonium. Tunc enim dictum eis fuit tanquam veris coniugibus, *Crescite & multiplicamini.* Tunc etiam ipse Adam occasione vxoris sibi de latere suo formatæ dixit: *Adhærebit vir vxori suæ,* & statim post scriptura Euam vocat vxorem Adæ Genes. 2. quando carnaliter nondum fuerant coniuncti.

Quartò: Inter Ioseph & Deiparam Virginem verum intercessit coniugium, quemadmodum scriptura testatur & compluribus locis docet Augustinus, & plenius à nobis ostendetur ad distinctionem 30.

Quintò: Sanctificatio coniugum quæ est effectus huius sacramenti, præcedit copulam; igitur multò magis sacramentum ipsum copula prius est, & ab ea non dependet.

Postremò id probatur authoritate patrum. Sic enim scribit Ambrosius lib. de institutione virginis cap. 6. Nec illud moueat quod ait: quia Ioseph accepit coniugem suam & profectus est in Ægyptum. Desponsata enim viro coniugis nomen accepit. Cùm enim initiatur coniugium, tunc coniugij nomen asciscitur. Non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cum iungitur puella coniugium est, non cum virili admixtione cognoscitur. Hęc ille. Alius eiusdem locus est lib. 2. in Luc. 2. Nec te moueat, inquit, quod frequenter scriptura coniugem dicit, non enim virginitatis ereptio, sed coniugij testificatio nuptiarum celebratione declaratur.

Similiter Augustin. serm. 63. de diuersis cap. 13. ex eo ostendit verum sine copula carnali fuisse coniugium inter Mariam & Ioseph, quia fuit inter eos charitas coniugalis, quæ coniuges facit, non libido. Quod deinde probat exemplis coniugum christianorum, inter quos multi sunt qui mutuo consensu abstinent ab opere carnali. Idem libr. 1. de nupt. & conc. cap. 11. Coniux, inquit, vocatur Maria à prima desponsationis fide quam Ioseph cõcubitu non cognouerat, nec erat cogniturus. Nec perierat, nec mendax mansera tconiugis appellatio, vbi non fuerat nec futura erat carnis vlla commixtio, &c. Eadẽ ferè habentur libr. 2. de consensu euang. cap. 1.

Est etiam clara sententia in opere imperfecto titulo Chrysostomi super Matth. hom. 32. Matrimonium, inquit, non facit coitus sed voluntas, & ideo non soluit illud separatio corporis.

Alia quoque testimonia ex Isidoro, Nicolao papa & alijs citat Gratianus 27. quæst. 2. & Magister tum in distinctione præsenti, tum proximè sequenti, vbi quæstio disputabitur de causa efficiente matrimonij.

Iam si quæras, an perfectum sit matrimonium ex solo animorum consensu sine corporum cõmixtione consistens; distinguendo respondetur, duplicẽ perfectionem in matrimonio, vt & in alijs rebus, considerari posse; alteram primariam, id est, essentialem sine qua res non subsistit; alteram secundariã seu accessoriam, sine qua res existit quidem, sed finem suum non assequitur. Fatendum igitur matrimoniũ mutuo cõtrahentiũ cõsensu firmatum perfectũ esse perfectione primaria, qua verẽ habet ma-

trimonij rationem, at non perfectione secundaria, quoad vsq; copula carnalis accesserit, sine qua non potest finem suum, id est, prolem consequi. Vnde & per copulam consummari dicitur matrimonium, & sine ea ratum quidem sed inconsummatū vocatur. Quāquam nec per copulam sit omnino perfectum matrimonium. Nam perfectionem suam omnimodam tunc demū obtinet, cùm proles, quæ proprius & præcipuus est matrimonij finis, suscepta fuerit. Verùm hac de re plura ad proximam, & rursus ad 30. distinctionem.

§. 14. *Solutio eorum quæ contra obijciuntur.*

PRimùm argumentantur hoc modo aduersarij: Carnalis coniunctio maris & fœminæ vel sacramentum est, vel certè pars sacramenti. Nam in ea rationem sacramenti constituit apostolus Eph. 5. dicens: *Et erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo & in ecclesia*: ergo vbi illa deest, deficit matrimoniū, saltem secundùm rationem sacramenti: quia non est idoneum significare coniunctionem Christi cum ecclesia, qua sola tamen ratione apostolo magnum sacramentum dicitur. Respondetur duplicem esse inter coniuges coniunctionem, cui similiter duplex Christi cum ecclesia coniunctio respondet, quemadmodum rectè explicat Magister in textu § F. & G. Prior est coniunctio animorum quæ potissimùm perspicitur in conuersatione mutua atque officijs amicitiæ, quæ inter coniuges maxima esse debet. Ad hanc coniunctionem pertinet quod dictum est de viro: *Adhærebit vxori suæ*, quod similiter intelligendum de muliere, nempe quòd adhęrere debeat viro suo. Posterior est corporum coniunctio, ad quam illud refertur, *Et erunt duo in carne vna.* Prior itaque coniugum coniunctio significat illam Christi cum ecclesia coniunctionem, qua eam vt sponsam suam diligit; posterior autem, eam qua eidem sponsæ suæ ecclesiæ in vtero virginis per incarnationis mysterium quasi secundùm carnem copulatus est. Vnde illam Magister vocat coniunctionem voluntatis, hanc naturæ. Quamuis igitur copula carnalis significet coniunctionem Christi cum ecclesia per naturę conformitatem, & hac ratione sacramentum dici possit; non tamen sine ea matrimonium amittit sacramenti rationē: quia nō illa sola significatio sacramentū facit, sed etiam significatio Christi cum ecclesia cōiuncti per amorem. Quare nec fatendum est, copulam esse sacramentum vel partem sacramenti quatenus matrimonium est sacramentum ecclesiæ, si de parte essentiali loquamur, nam partem integralem eam dici propter significationem iam dictam, non est absurdum. Neque enim necesse est in quauis parte integrali cuiuscunque sacramenti agnoscere vim sanctificandi, vt patet in sacramento pęnitentiæ.

Iterum obijciunt: Matrimonium ante copulam solui potest: igitur non est verū matrimoniū, vtpote in cuius definitione insolubilitas ponitur. Respondeo vtrumque matrimonium indissolubile esse, sed non pari gradu, quēadmodū infrà suo loco dicetur, & alioqui eodem argumēto doceretur apud infideles non esse vera matrimonia etiam post consummationem, quod est apertè contra canones & scripturam sacram.

Tertiò obijcitur authoritas Gratiani qui 27. q. 2. cap. Institutum, §. Potest & aliter, & cap. Sic quip-

A pe §. Ex his omnibus, docet ex quibusdam Patrum sententijs tunc demum verum fieri coniugium & verè coniuges appellari posse cùm fuerint carnaliter coniuncti. Sed respondemus Gratianum partim obscuris, partim verò perperam citatis testimonijs deceptum fuisse vt ita sentiret, atq; ab eo Magistrum non obstantibus ijsdem patrum sententijs quas in textu citat, rectè dissentire.

Quartò itaque obijcitur quod Augustini titulo citant Gratianus & Magister in hæc verba: Non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio
B sexus. Sed respondemus sententiam illam apud Augustinum nusquam reperiri, & satis supra ostendimus Augustinum aliud sentire, ac nominatim ex loco libri primi de nuptijs & concupisc. cap. 11. vbi agnoscit triplici bono perfectum matrimonium inter Beatam Virginem & Ioseph, de qua re dicemus infrà ad distinct. 30.

Quintò apud eosdem ex Leonis epistola 92. cap. 4 leguntur hæc verba: Cum societas nuptiarum ita à principio sit instituta, vt præter commixtionem sexuum non habeat in se Christi & ecclesiæ sacramentum; non dubium est illam mulierem non per-
C tinere ad matrimonium in qua docetur non fuisse nuptiale mysterium. Sed respondetur vtrobiq; malè citari verba Leonis; nimirum adiecta negatione quæ apud authorem non habetur. Testatur enim eo loco pōtifex sic diuinitus institutam esse nuptialem societatem, vt pręter sexuum commixtionem haberet in se Christi & ecclesiæ sacramentum. Vnde ostendit eam mulierem ad matrimonium non pertinere, in qua docetur nuptiale non fuisse mysteriū: scilicet per nuptiale mysterium intelligens signum coniunctionis Christi cum ecclesia, quod in fornicarijs & adulteria non reperitur, cùm possint ac de-
D beant separari; Christi autem cum ecclesia coniunctio inseparabilis sit. Quod quidem mysterium reperitur in coniugatis, non tantùm post coniugalem commixtionem, verùm etiam ante; quia non tantùm indissolubilis est Christi cū ecclesia coniunctio per naturam, sed etiam per dilectionem.

Postremò ex Augustino citant ijdem Gratianus & Magister aliam quandam sententiam superioribus similem, sed quæ nec ipsa apud Augustinum reperitur. Est tamen simile aliquid apud eum libr. 1.
E soliloquiorum cap. 10. vbi dicit, sine contactu corporum vxorem haberi non posse, sed vxorem haberi intelligit in vsu. Quomodo dicit apostolus 1. Corinth. 7. *Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquaque suum virum.*

IN DISTINCTIONEM VIGESIMAMSEPTIMAM.

F

§. 1. *Matrimonium vnde dictum, & quid sit.*

MATRIMONII nomen à varijs variè exponitur, tamen inter omnes ferè conuenit, à matre matrimonium dictum esse, sicut à patre patrimonium. Cuius appellationis hæc ratio reddi potest, quia procreatio prolis, cuius causa institutum est matrimonium, in matre euidentius agnoscitur propter gestationem, & partum, & nutritionem

c. Item. supp. q. 44 ar. 1. & 2.

prolis,

prolis, quàm in patre; quemadmodum e diuerso hæreditaria portio quæ patrimonium vocatur, magis accepto ferenda est patri quàm matri: tùm propter industriam viri qua plærumque rem familiarem non solùm conseruare, verùm etiam augere solet; tum quia in regimine domus ac dispensatione bonorum potiores partes natura viro tribuit. Nuptias autem à nubendo, id est, velando dictas esse, quòd sponsæ apud veteres dum viris tradebantur, nubere, id est, velare capita solerent, & coniugium à iugo quod pariter ducunt vir & fœmina, compositum esse, rectè apud Grammaticos traditur.

Porrò vt ad definitionē matrimonij veniamus, cùm in matrimonio multa possint considerari, primum, consensus interni, secundùm, contractus externus, tertium, obligatio seu vinculum inde subortum, quartum, potestas mutua corporum, quintum, copula carnalis; sciendum est nihil horum propriè dici matrimonium præter id quod tertio loco positum est: nempe vinculum quo inter se coniuges colligati sunt. Nam consensus interni vnà cum verbis & contractu externo, causa sunt efficiens matrimonij, vt infrà dicetur. Potestas autem corporum quæ hinc inde datur, geminata est, dicente apostolo, *Vir sui corporis potestatem non habet sed mulier*, & contrà 1. Cor. 7. cùm matrimonium inter duos sit vnum. Copula verò carnalis, vt suprà ostendimus ad essentiam matrimonij non spectat, sed vsus est potestatis, ipsiusq; matrimonij; ac proinde vtroque posterior & natura, & plærumq; tempore.

Rectè igitur à Magistro alijsque doctoribus matrimonium definitur hoc ferè modo, quod sit *Legitima viri fœminæq; coniunctio ad indiuiduam vitæ consuetudinem retinendam diuinitus instituta.* Qua in definitione coniunctionis nomine, non actus ille quo primùm vir & mulier per mutuum consensum verbis expressum coniunguntur, intelligitur, sed obligatio, vinculum & nexus ille mutuus, qui ex consensu interno & pactione externa inter virum & mulierem resultat. Nam actus ille transitorius & momentaneus est. Matrimonium autem permanet tantisper dum ambo coniuges supersunt. Quare ratio eius non est ponenda in eo quod transit, sed in eo quod permanet, cuiusmodi est nexus ille quem diximus. Quocirca qui matrimonium definiunt vel per consensum, vt Hugo libro 2. de sacramentis parte 11. cap. 4. vel per contractum, vt Scotus ad superiorem distinctionem; ij effectum per causam definiunt, suntque eiusmodi definitiones veræ tantummodo in sensu causali. Simile iudicium est de hac definitione quæ habetur ff. de ritu nuptiarum lege 1. *Matrimonium est consortium communis vitæ & communicatio diuini & humani iuris.* Hic enim causa definitur per effectum.

Cæterùm legitimam coniunctionem vocamus, quæ est inter personas legitimas, id est, tales quæ secundùm legem liberæ sunt ad dandam & accipiendam mutuo fidem; ita vt neque natura neque lege positiua impediantur. Natura enim excludit à nuptijs frigidos, & ætatem puerilem, nec admittit coniugium in primo consanguinitatis gradu. Reliqui verò gradus legibus excluduntur, vt minimum positiuis; quemadmodum suo loco dicetur exactius.

Postremum illud: nempe coniunctionem hanc diuinitus institutam esse ad perpetuam atque indiuiduam vitæ consuetudinem inter coniunctos seruandam, ex ijs est manifestum quæ suprà de matrimonij origine & institutione dicta sunt, pleniusque cognoscetur ex ijs quæ infrà de insolubilitate matrimonij dicentur.

Quòd si quis matrimonium definire volet quatenus est ecclesiæ sacramentum, addet superiori definitioni hæc aut similia verba; *Significans Christi cum ecclesia coniunctionem, simulq; promissionem habens gratiæ sit coniunctorum animos*, vt ita mihi conuenit, *Vnctis*, dummodo iuxta Christi institutionem facta fuerit.

§. 2. *Quæ sit efficiens causa matrimonij.*

AD matrimonium efficiendum omnino necessarius est mutuus de præsenti consensus contrahentium tanquam necessaria causa ex qua indissolubile illud vinculum, quod matrimonium vocamus, nascatur. Cuius ratio est, quia non possunt cuiusquã bona in alterius transire potestatem, nisi vel cogente lege, vel per ipsius domini consensum. Cùm igitur nulla lege cogente potestas mutua corporum qualis in matrimonio est, transferatur; consequens est id non aliter fieri quàm per mutuum consensum eorum qui contrahunt. Oportet autem hunc consensum esse de præsenti, vt loquuntur, quo nimirum vterque consentiat in præsentem potestatis corporis sui in alterum translationem. Nam si de futuro sit, sponsalia fient, non coniugium. Oportet quoque mutuum esse hunc consensum, quia matrimonium inter duos est, & potestatem corporum mutuam necessariò requirit; sicut & in actu eius mutua est corporum vsus. Vnde consequens est alterius tantùm consensum ad hoc vinculum efficiendum minimè sufficere. S. Thom. suppl. q. 45. ar. 1.

Porrò quia necesse est vt vtrique voluntas alterius innotescat, hinc consensum vtriusque seu verbis, seu nutibus, seu alio quopiam signo, declarari oportet. Quod si soli interni consensus nullo signo declarati ad conciliandum inter duos matrimonium sufficerent (vt contendit Ioannes Wicleff refutante Thoma Waldensi tomo 2. de sacramentis capite 32. & 33. quia, inquit, Deus qui videt corda, potest illos approbare consensus) iam sequeretur inter homines locis seiunctissimos, ac mutuum consensum prorsus ignorantes matrimonia intercedere, ipsaque adeo matrimonia confusa esse, ac certitudinem nullam habere possent: quæ res cum in omni republica, tum maximè in ecclesia Dei foret perquam absurda. Neque vllius momenti est argumentum Ioannis Wicleff, quia quamuis Deus & corda videat & consensus illos approbare possit, non tamen approbat sic vt matrimonium efficiant. Cuius ratio est, quia constituit matrimonium inter homines non fieri, nisi modo hominibus conuenienti, id est, per consensus inuicem cognitos & significatos, quod fieri non potest nisi per exteriora quædam signa. Vnde præter consensus internos, externa quædam locutio, qualis hominum naturæ congruit, requiritur; qua videlicet quod mente clausum gerunt, sibi

mutuo notificent. Quod dum fit tunc demum nascitur ioret eos vinculum illud quod matrimonium vocetur.

Hæc autem quæ de consensu ad matrimonium necessario diximus, possunt tum ex sacris literis, tum ex decretis ecclesiasticis facilè probari. Nam Gen.24. dicunt qui Rebeccam desponderant Isaac in vxorem, *Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem; cumq́; vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? quæ ait: Vadam.* Et quamuis Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. vlt. consensum hunc puellæ refetat non ad nuptias, sed ad profectionem, idque etiam ex texto appareat verisimilius, quia de profectione quæstio erat, nam & antea seruus ille quæsierat ex Abraham: *Quid si noluerit mulier venire in terram hanc nunquid reducere debeo &c.* alterum tamen ex altero dependebat, quia consensus in profectionem includebat consensum in coniugium, cùm profectio non ob aliam causam esset suscipienda.

Alius locus est Num. vltimo, vbi de filiabus Salphaad dicitur: *nubant quibus volunt.*

Rursum alius locus 1. Cor. 7. vbi dicit apostolus: *Cui vult nubat.*

Hæ scripturæ indicant ad coniugia liberum voluntatis assensum requiri in fœminis, ac multò magis in viris, cùm sexus virilis per se vt præstantior, ita & liberior sit sexu muliebri. De qua libertate consensus ad proximā distinctionem recurret disputatio, vbi de matrimonijs agetur absque parentum consensu contractis.

Iam vt ad canones veniamus, plenissimè consensus necessitatem expressit Nicolaus papa apud Gratianum 27. q. 2. Sufficiat, inquit, solus secundùm leges consensus eorum, de quorum quarumque consensu & coniunctionibus agitur; qui solus si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur: cùm ergo inter istos consensus intercessetit, qui solus matrimonium facit; patet hos coniuges fuisse. Rationem autem eius rei præter eam quam suprà dedimus, ex alio eiusdem pontificis decreto licet accipere. Nam in cap. *Præsens*, 20. q. 3. sic ait. Quod enim quis non eligit, nec optat, profectò non diligit; quod autem non diligit, facilè contemnit. Quæ ratio vt in alijs, ita maximè locum habere debet in eo statu suscipiendo, à quo postea resilire non liceat, & in eo vinculo subeundo quod postea nequeat dissolui. Sic enim nullum violentum perpetuum; ergo matrimonij iugum vt sit perpetuum, non per vim aut coactionem imponi, sed voluntariè ac liberè suscipi debet. Neque sanè aliter bene consultum foret, educationi & institutioni prolium, si ad illum procreationis statum, vel etiam ad certos coniuges accipiendos homines inuiti cogerentur. Quocirca tam perpetuitas quàm finis matrimonij omnino exigunt, vt non absque consensu mutuo vir & mulier matrimonio copulentur. Exigit id etiam sacramenti ratio, cùm enim matrimonium sit institutum ad significandam coniunctionem Christi cum ecclesia, quæ coniunctio non est sine consensu animorum; oportuit hunc consensum etiam inter eos reperiri qui tantæ rei sacramentum gerunt.

Est autem hic obiter notandum, quòd cùm dicit pontifex, solum consensum sufficere ad matrimonium, non excludit contractum externum, sed consensum intelligit verbis aut alijs signis expressum: deinde etiam præsupponit personas legitimas. Imò hoc ipsum satis expressit in eo quod addidit, secundùm leges. Vult ergo solum con-

A sensum contrahentium ad matrimonium sufficere ex parte causæ efficientis; ita vt parentum nec aliorum quorumuis consensus, nec vlla alia circumstantia, sit ad illum effectum necessaria. Porrò Nicolai pontificis verba repetit & confirmat Innoc. 3. cap. Tuas, de sponsa duorum & ca. Cùm apud, de sponsalibus. Sed & eodem titulo de spōsalibus cap. Cum locum, Alexan. 3. affirmat matrimonium solo consensu contrahi. Huc quoque pertinet illa ex opere imperfecto sententia: Matrimonium non coitus facit sed voluntas, item quæ ex Ambro. &
B Isidoro in eandem sententiam recitant Magister hac dist. & Gratianus 27. q. 2.

Denique in Florentino decreto de hac re sic legitur: *Causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Additum est autem, *regulariter*, non propter sponsalia de futuro, quæ sufficiant aut sufficere soleant, accedente copula, vt vult Dominicus; quandoquidem nec ibi sit aut factum fuit vnquam matrimonium sine consensu de præsenti per signum aliquod expresso, sed quia interdum non verbis sed nutibus
C aut alijs signis, & nonnunquam solo silentio significatur & exprimitur hic consensus, cuiusmodi expressio cum interno consensu sufficit ad matrimonium. Sunt autem nonnulli qui putent consensum internum non ita esse necessarium, quin absque eo per contractum externum verè inter aliquos coniugale vinculum oriatur; vt si quis animo non consentiens, sed fallere volens, verba tantùm det fidem alteri; durum videri si negetur esse matrimonium; quia inquiunt, cùm is voluntariè ea verba protulerit, indicantia conceptum animi, videtur hoc voluntarium sufficere ad ineun-
D dum pactum. Ita videtur in textu sentire magister §. C. dicens: Si verbis explicant quod tamen corde non volunt, si non sit ibi coactio vel dolus, obligatio illa verborum quibus consentiunt dicentes: *Accipio te in virum, & ego te in vxorem*, matrimonium facit. Hic enim apparet Magistrum hoc velle quod sufficiat consensus in pronuntiationem verborum, etiamsi non adsit consensus in rem significatam. Eandem quæstionem reliquit sub dubio Gaspar Contareus lib. 4. de sacramentis. Veruntamen absque dubio tenendum quod expressio verborum vel consensus in illam nisi pariter adsit
E consensus in rem quæ verbis exprimitur & significatur, nullo modo sufficiat, quemadmodum supradicta clarè probant, quæ non nisi absurdè & coactè de consensu expressionis verborum possunt exponi.

Itaque in casu proposito fatendum est coram Deo & in conscientia, nullum esse matrimonium; licet ecclesia quę de occultis non iudicat, in externo foro tale matrimonium aliquādo subsistere iubeat. Atque in hunc sensum quidam Magistrum interpretantur.

Sed iam quæritur, in quam rem tendere debeat consensus ad matrimonium necessarius. Neque enim Florentini patres id explicarunt, neque cano-
F nes apertè tradere videntur. Vnde & Gratianus hāc quæstionem ambiguè versat 27 quæst. 2. cap. Sufficiat §. Sed quęritur. Respōdemus in primis non esse necessarium, vt consensus iste expressè, &, vt aiunt, formaliter feratur in copulam carnalē, nam alioqui inter beatam Virginem & Ioseph non fuisset verum coniugium, cùm constet sacratissimam virginem in actum carnalem nunquam consensisse. Quod idem plenius probari potest tum ex eo quod superiori distinctione ostendimus, sine copula carnali cōsistere

verum matrimonium; tum ex ijs quæ de coniugio Deiparæ virginis ad distinctionem 30. dicturi sumus. Deinde nec sufficit consensus cohabitationis etiam perpetuæ atque indiuiduæ, vt rectè probat dicto loco Gratianus. Nam nihil vetat ob aliquam causam fratrem & sororē, etiam ex contractu simul perpetuò habitare. Requiritur itaque & sufficit consensus in coniugalem vitæ societatem. In rei enim consensu vel expressè, vt quidem volunt, vel saltem tacitè atque virtute intelligitur tradi hinc inde potestas corporum ad actum coniugalem. Est enim ea coniugalis societas in qua vterque alterius corporis potestatem habet.

Ita docent Hugo libro 2. de sacramentis parte 11. & Magister sequenti distinctione §. vltimo, quos sequuntur omnes scholastici. Ex hoc autem consensu sequitur consensus cohabitationis, quatenus sine ea non potest illa coniugalis societas retineri, nisi vel per repudium, vel causa religionis, vel alia ratione coniuges saltem quoad habitationem separari contingat, quemadmodum docet Magister dicto loco. Denique ex dicto consensu sequitur consensus in copulam carnalem implicitus & conditionalis, qui nimirum in copulam feratur sub hac conditione: si coniugale debitum petatur. Vnde si quis certitudinem à Deo habeat quod coniux nunquam debitum petet, nihil repugnat quo minùs talis saluo continentiæ voto iungi possit matrimonio, vti factum esse in B. Virgine docebimus infrà ad distinctionem 30.

Post hæc si quæras, vtrùm necesse sit amborum contrahentium consensus simul tempore concurrere & verbis explicari, respondeo primum non requiri atque adeo nec decere vt verba vtrimque simul proferantur: deinde nec oportere vt consensus actuales concurrant in idem momentum. Sufficit enim ambos contrahentes actualiter consentire, siue eodem prorsus tempore, siue diuerso: dūmodo consensus prioris saltē virtute permaneat vsque ad cōsensum posterioris, quemadmodum fit dum matrimonium per literas aut internuncios contrahitur. Hoc autē intellige si materia fuerit legitima, id est, si nullum sit inter eos impedimentum dirimens. Nam si illegitima fuerit materia superueniente postmodum dispensatione, requiritur vtriusque coniugis iteratus actualiter consensus, perinde atque in primo contractu; quemadmodum rectè Dominicus docet ad præsentem distinctionem quæst. 1. articulo tertio, & ad distinctionem 29. quæstione 2.

§. 3. *Quæstiunculæ de consensu soluuntur.*

S. Thom. suppl. q. 45.

POstremò monent nonnulli quæstiunculas, an possit Deus aliquem matrimonio coniungere absque ipsorum consensu, & vtrùm id aliquādo fecerit, & vtrùm eam potestatem ecclesiæ communicare possit, & an communicauerit. Ad quas breuiter respondemus.

Ad primam, Deū id haud dubiè posse, quia consensus cùm sit efficiens causa matrimonij, est extra eius essentiam. Quicquid autem Deus potest per causam efficientem mediam, potest & sine ea, velut aërem illuminare sine sole.

Ad secundam, Deum id verisimiliter nūquam fecisse. Nam quod dubitari potest de matrimonio primorū parentum, dicimus probabilius esse quòd non absque proprijs inter se cōsensibus à Deo coniuncti fuerint, atque adeo nec absque verbis vel alijs signis mutuum consensum indicantibus.

Ad tertiam quoque respondemus, indubiè potuisse, & ad quartam, non communicasse; quia nimirum vidit hoc non expedire propter rationes suprà dictas. De his pleniùs tractat Dominicus ad distinctionem hanc q. 1. art. 2 & Franciscus à Victoria in relectione de matrimonio parte prima.

§. 4. *An matrimonium inconsummatum per ingressum religionis dissoluatur?*

S. Thom. suppl. q. 61. ar. 3. item q. 61. art. 2. & 1.

CVm ratum & validum fiat matrimonium per consensum contrahentium, etiam antequam carnaliter conueniant; meritò quæritur an huiusmodi matrimonium quod suprà diximus inconsummatum vocari, per religionis ingressum possit dissolui: quandoquidem per matrimonium obligati sunt coniuges ad indiuiduam atque indissolubilem vitæ consuetudinem. Hæc enim ratio ex matrimonij definitione sumpta mouit Magistrum, vt putaret nihilo magis inconsummatum matrimonium, quàm consummatum dissolui posse; ac proinde in neutro licitum esse altari coniugi altero inuito ad religionem transire.

Sed verior est aliorum sententia, docentium per monasticam professionem inconsummata matrimonia dissolui; ita vt coniugi relicto liberum sit aliud inire coniugium. Hoc enim & canones tradunt, & ecclesia iam definiuit, ac præterea multis sanctorum exemplis confirmatur, ac demum ratione probatur.

Primùm quidem canones quibus id traditur sunt isti: In decretalibus titul. de conuersione coniugatorum cap. Ex publico, & cap. Ex parte tua, & cap. Verum, desumpti ex Alexandro 3. & Innoc. 3. Item titul. de sponsalibus cap. Commissum, ex eodem Alexandro & cap. Ad apostolicam, ex eodem Innocentio, Qui rursum titulo de frigidis cap. Fraternitatis tuæ, idem affirmat & præsupponit. Estq; notandum hos pontifices testari se in huiusmodi suis decretis sequi vestigia suorum antecessorum. Quæ quidem habemus apud Gratianum 27. quæst. 2. cap. Desponsatam, ex Eusebio papa, & cap. Decreta, ex Gregorio, & ibidem alia quædam ex patribus eodem spectantia. Nam quæ desponsatæ ijs in locis dicuntur, non à sponsalibus de futuro, sed à pactione seu sponsione de præsenti, copula nōdum subsecuta, sic appellantur.

Ac ne præsens quæstio post tot rescripta SS. Pontificum dubitationem deinceps vllam haberet; visum fuit patribus Trid. conc. rem definire, atq; de ea canonem cōdere num. 6 sess. 24. his verbis: *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi; anathema sit.*

Iam verò exempla huius rei non pauca in historijs occurrunt, etiamsi non omnia paris momenti ac certitudinis. Nam quod de Ioanne apostolo post vxorem ductam à Christo ex nuptijs reuocato legitur apud nonnullos authores, velut Hieronymum libr. 1. contra Iouinianum, Bedam in homilia de sancto Ioanne, & in præfatione commentariorum suorum in eius euāgelium, & Simeonem Metaphrastem in eius vita, quod & legitur in prologo

præmitti

præmitti ſolito ante Ioannis euangelium, quem vida apud Liranum, & in prologo qui habetur ante tractatus Auguſtini ſuper Ioannem; id ab alijs non recipitur, tum quia non eſt veriſimile Chriſtum voluiſſa ſtatim diſſoluere eas nuptias quas ideo præſentia ſua honeſtauit, vt eas benedicando chriſtiani coniugij ſacramentum inſtitueret, tum quia hoc non parum derogaret perfectæ virginitati Ioannis apoſtoli, ſi aliquando in coniugium conſueto more conſummandum conſenſiſſet. Vnde nec dignus videretur cui virgini matrem virginem Chriſtus commendaſſet: tum quia iuxta ſententiam probabiliorem, Ioannes non fuit Chriſto ſanguine coniunctus, quam tamen cauſam putant fuiſſe vt ad eius nuptias Dominus cum matra ſua vocaretur.

Alia igitur exépla proferamus. Primò Teclam virginem Paulus à nuptijs reuocauit anta matrimonij conſummationem, vti teſtantur Epiphanius hæreſi 78. & Ambroſius libr. 2. da virginibus. Quod & apud Auguſtinum libro 30. contra Fauſtum cap. 4 legitur, Fauſti quidem verbis, ſed ab Auguſtino minimè reiectis ſed magis approbatis.

Secundò, Cæcilia prima nocte nuptiarum recuſauit amplexus Valeriani ſponſi ſui; quia nimirum Chriſto virginitatem ſuam conſecrata decreuerat, vt aſt in geſtis & apud Metaphraſtam; tameſi non omnino certum aſt, verùm iam ante vouiſſet.

Tertiò, Alexius prima nuptiarum nocte ſponſam relinquens intactam peregrè profectus eſt, caſtamque vitam perpetuò duxit, vt eſt in breuiario Romano & apud Metaphraſtem. Quod exemplum etiam Magiſter in textu recitat; nec incredibile eſt eum ſe voto ſolemni obſtrinxiſſa more illius temporis.

Quartò, Macarius inter Chriſti eremitas præcipuus, inquit idem Magiſtar, celebrato nuptiali conuiuio, cū veſpere thalamū eſſet ingraſſurus, ea vrbe egrediens tranſmarina petijt, & eremi ſolitudinem ſibi elegit. Eadem verba ſunt apud Gratianum 27. quæſtiona 2. cap. Scripſit. Vtrumque autem accepiſſe videtur ex Vitiſpatrum parte prima da Macario.

Quintò, de S. Euphraſia ſimila quid refert Metaphraſtas.

Sextò, Auguſtinus libro 8. confeſſionum capita 6. ſcribit duos milites lecta Antonij vita moa vota monaſtica ſuſcepiſſe, relictis ſponſis quas habebant; illas quoque cum id cognouiſſent ſimiliter feciſſe. Quo loco ſponſæ vocantur, vt ſæpe apud veteres, quæ deſponſatæ ſunt per verba de præſenti ac nomen illud retinent vſque ad matrimonij conſummationem. Quomodo etiam canones loquuntur titul de conuerſione coniugatorum, & ipſe Auguſtinus eiuſdam libri capita 3. dicens antiquitus inſtitutum eſſa vt ſponſæ iam pactæ non cito tradantur viris, &c.

Septimò, Gregorius libro 3. dialog. capite 14. refert Gregoriam virginam nuptijs iam conſtitutis ad eccleſiam confugiſſa & ſanctimonialis vitæ habitum accepiſſe.

Octauò, Gregorius Turonēſis libro ſanctorum Patrum capite vlt. refert S. Leobardum ruptis fœderibus nuptialibus cum honeſta puella contractis monachum eſſe factum.

Nonò, Sancta Oditha apud Anglos regina contra viri voluntatem eùm adhuc eſſet ab eo intacta, accerſitis epiſcopis curauit ſibi imponi velamen, vt aſt in vita eius apud Surium.

A Ac poſtremò non diſſimila eſt exemplum apud Bedam libr. 4. hiſtoriæ Anglorum cap. 19. da ſancta Edildrida regina, quæ viro petenti debitum coniugala recuſauit, quod raligionē ingradi vellet, quod & tandem perfecit.

Sed iam ad rationes veniamus, cuiuſmodi tres valda probabiles ad huius doctrinæ confirmationam adferuntur.

Prima: Semper licitum aſt da ſtatu minùs perfecto tranſire ad perfectiorem, quando id fieri poteſt abſque vllius detrimento; ergo à ſtatu coniugij
B ad ſtatum religionis tranſitus fieri poterit, ſi coniugium ſit inconſummatum. Tunc enim fiet id abſque alterius detrimento. Nam conſummato matrimonio duplex oritur detrimentum, ſi dirimatur: alterum proli iam natæ vel conceptæ, quæ minùs bena poterit educari altero parente deſtituta; alterum coniugi, quæ eùm ſit ligata non poteſt alteri nubere: & vt poſſit, non taman ita commodè poſt amiſſam virginitatē, cuiuſmodi nihil accidit in matrimonio inconſummato.

Secunda ratio: Duplex in matrimonio vincu-
C lum inuenitur, alterum ſpirituala quod naſcitur ex ſolo conſenſu; alterum carnala quod naſcitur ex copula. Atqui carnale vinculum diſſoluitur demum per mortem corporalem iuxta apoſtolum Rom. 7. & 1. Corinth. 7. ergo ſpirituale ſolui debet per mortem ſpiritualam & ciuilem, qualis eſt profeſſio monaſtica, vt infrà explicabitur.

Tertia ratio ſumitur ex eo quod dicitur Geneſ. 2. & repetitur ab apoſtolo Epheſ. 5. *Erunt duo in carne vna*. Quam ſententiam pontificea Benedictus, Gragorius, Alexander 3. & Innocentius 3. partim apud
D Gratianum 27. quæſt. 2. cap. Lex, & cap. Sunt, partim extra da conuerſione coniugatorum capit. Verum, & cap. Ad apoſtolicam, interpretantur de commixtiona carnali: Id quod etiam ex apoſtolo probabile fit, qui 1. Corinth. 6. eandem allegans ſententiam, eum qui adhæret meretrici vnum cum ea corpus affici dicit. Atqui ea ea ſentētia Dominus Matthæi 19. concludit omnimodam firmitatem matrimonij, dicens: *Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Igitur ante eiuſmodi carnalem coniunctionē ſecūdùm Chriſtū & apoſtolum eius Paulum, aliquo modo diſſolui
E poteſt matrimonium, quo poſt illam diſſolui non poſſit. Hunc autem modum tradit eccleſia catholica, dum alter coniugum tranſit ad vitæ monaſticæ profeſſionem.

§. 5. *Soluuntur obiectiones in contrarium.*

REſpondendum nunc ad ea quæ aduerſus hanc definitam eccleſiæ doctrinam obijciuntur: quorum primum & præcipuum eſt, quod ex ipſa matrimonij rationa ſumitur.

S. Thom. locu ſuperius allegatu

F Eſt enim matrimonium, *Nexus quidam ac vinculum quo mas & fœmina ſibi inuicem ad indiuiduam, & indiſſolubilem vita ſocietatem ſunt obligati.* Quæ matrimonij definitio communis eſt matrimonio conſummato & inconſummato: ergo ſicut ſola morte ſoluitur matrimonium conſummatum, ita & da inconſummato dicendum erit.

Secundum: Ad omne matrimonium pertinet illud Matthæi 19. *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet.* Neque enim dubium eſt quin & eos coniunxerit

Daua

Deus qui matrimonium nondum consummarunt, velut Mariam & Ioseph. Separari ergo quoad vinculum non possunt.

Tertium: Generaliter dictum est: *Quicunque dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Matthæi 5. ergo dimittere non licet, ob ingressum religionis.

Quartum: Generaliter item dictum est Rom. 7. & 1. Corinth. 7. quòd *mulier viuente viro alligata est legi*, à qua demum soluitur si vir mortuus fuerit.

Quintum: Coniunctio Christi ad ecclesiam per charitatem, quæ significatur per matrimonium inconsummatum, insolubilis est, non minùs quàm coniunctio per naturam, quæ significatur, per matrimonium consummatum: ergo vtrumque matrimonium ratione significationis æquè est indissolubile.

Sextum: Si matrimonium inconsummatum non est omnino indissolubile ex significatione: igitur non solùm ob religionis ingressum, sed alijs etiam casibus dirimi poterit; præsertim accedente dispensatione superioris.

Septimum: Per contractum matrimonij etiam ante consummationem, vterque coniux dat alteri potestatem corporis sui; ergo eam dum viuit, non potest vllo casu alteri viuō auferre, præsertim nolenti & contradicenti. Sic enim videretur ei facere manifestam iniuriam.

Octauum: Si per religionis ingressum, soluitur matrimonium inconsummatum, videtur similiter solui posse per susceptionem sacrorum ordinum, ac præcipuè ordinis episcopalis; cùm etiam sacris ordinibus annexum sit solemne votum continentiæ, & status episcoporum perfectior sit, statu religiosorum. At hoc modo non soluitur, vti definiuit Ioannes 22. in extrauaganti quæ incipit, *Antiquæ*.

Nonum: Inter primos homines fuit insolubile coniugium, etiam ante congressum. Erant enim sine dubio à Deo coniuncti, & nullo modo potuissent matrimonium suum dirimere etiamsi vel maximè voluissent; quod & alter eorum testatur dicens: *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Et erunt duo in carne vna*: ergo & nunc insolubile est. Non minùs enim firma sunt coniugia tempore euangelij, quàm fuerunt tempore legis naturæ.

Decimum: Augustinus lib. 1. de nuptijs & conc. cap. 11. dicit inter Mariam & Ioseph nullum potuisse esse diuortium.

Vndecimum: Augustinus eiusdem libri cap. 10. & 11. docet matrimonium continentium ab opere coniugali firmius esse quàm non continentium, ergo minùs dissolui potest.

Duodecimum: Professio religionis non liberat à debito pecuniario: ergo nec à debito coniugali; quippe cuius fortior est obligatio.

Decimumtertium: Religiones approbatæ requirunt, vt minus, annum integrum probationis, quem explere non poterit coniux absque iniuria coniugis interea debitum petentis: ergo non rectè placuit per professionem subsequentem solui inconsummatum matrimonium, cùm id fieri nequeat saltem absque præuia alterius coniugis iniuria.

Postremò obijcitur, hanc doctrinam etsi in decretis posteriorum Pontificum contineatur, non tamen reperiri apud vetustiores ecclesiæ Patres &

A Doctores; imò contrarium apud eos legi, velut apud Gregorium & alios, quorum decreta & sententiæ citantur à Gratiano 27. quæst. 2. & extra de conuersione coniugatorum.

Ad has obiectiones, & eas potissimùm quæ insolubilitatem vinculi matrimonialis vrgent, respondeo; primùm fatemur cum Augustino libro 1. retract. cap. 19. & libro 2. cap 57. difficillimam esse de matrimonij insolubilitate quæstionem: neque omnes eius quæstionis nodos satis adhuc explicatos esse. Interim verò quod ad propositæ difficultatis enodationem attinet; dicimus rectè à doctoribus

B distingui duplicem vnitatem, qua sibi inuicem per matrimonium vir & mulier vniuntur: alteram ciuilem seu domesticam, quæ in mutua vitæ conuersatione consistit; alteram naturæ seu carnis vnitatem, quæ nascitur ex commixtione carnali. Per priorem alter alteri familiariter adhæret: per posteriorem ambo vna caro efficiuntur. Igitur posterior hæc vnitas sola morte naturæ dissolui potest, vt vnitati naturæ dissolutio quæ per naturam fit, respondeat. Prior autem illa non eo tantùm modo dissoluitur, sed & per mortem ciuilem, id est. per talem mutationem qua quis alienus fiat ab omni ciuili conuer-

C satione, & quasi mūdo moriatur. Hoc autem mortis genus non aliter contingit quàm professione solemni religionis approbatæ. Cùm igitur inter coniuges ante copulam carnalem sola ciuilis vnitas intercedat, cōsentaneum est eam quoque ciuili morte dissolui: qua nimirum ita à ciuili conuersatione quis remouetur, vt ad eam redeundi spem ac potestatem vltra non habeat; sicut per mortem naturæ fit, vt ad vnitatem naturæ seu carnis quis redire non possit. Quòd autem professionem monasticam mors ciuilis sequatur necessariò; hoc manifestum

D est, quia religionem professus iam nec corpus, nec voluntatem propriam habet, neque deinceps vllius est proprietatis capax, sed totus ac perpetuò est iuris alterius. Vnde & leges ciuiles declarant per ingressum religionis tanquam per mortem confirmari testamentum antea conditum: adeo vt nec reuocare, nec superaddere, nec interpretari suum testamentum ei concedatur, vt habetur in authenticis Cod. *De sacrosanctis*, lege, *Si qua mulier*.

Porrò mortem istam ciuilem nullo alio casu contingere quàm per religionis ingressum; inde patet, quia nisi quis se & sua omnia tradiderit in

E potestatem alterius ad obsequium Dei, idque in religione approbata, adhuc regressum habere poterit ad ius & voluntatem propriam. Quocirca nec simplici continentiæ voto, nec susceptione ordinis sacri, nec professione religionis non approbatæ, nec per vitam eremiticam, seu anachoreticam soluitur matrimonium non consummatum; quia per hæc mors ciuilis nondum intercedit. Hæc ad primam obiectionem, ad quam tamen aliter paulò responderi potest: nempe omne matrimonium esse insolubile, sed non æqualiter; quomodo inexpugnabi-

F le dicitur aliud alio magis minusue. Nam consummatum matrimonium magis insolubile est quàm inconsummatum quemadmodum etiam matrimonium fidelium magis quàm infidelium. Vnde sicut quodam casu soluitur matrimonium infidelium consummatum, non obstante eo quòd sit insolubile, quo casu non soluitur fidelium matrimonium item consummatum; quia nimirum firmitatis aliquid accedit matrimonio per hoc quod fit aut fiat in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, vt loquitur Augustinus libro de bono coniugali cap. 7. id est, in ecclesia, siue à baptizatis: ita quo tam mo-

do sol-

do soluitur matrimonium inconsummatum etiam fidelium,non obstante eius insolubilitate, quo casu non soluitur consummatum; quia scilicet aliqnid firmitatis accedit matrimonio per consummationem. Hanc porrò considerationem adiuuat superior illa declaratio de duplici morte, ciuili, & naturali.

Ad secundum respondent quidam, Deum & non hominem separare quando per religionis ingressum inconsummata matrimonia dissoluuntur. Sic enim etiam de consummatis Nicolaus papa respondet in cap. Scripsit, 27. quæstione 2. dicens Deum & non hominem separare, quando diuini amoris intuitu ex consensu vtriusque coniugis matrimonia dissoluuntur.

Verùm hæc solutio alijs non placet; tum quis certum est Pontificem agere tantùm de separatione quoad thorum & habitationem; tum quia huiusmodi responsio vt Dominicus annotauit, principium petit quoniam hoc ipsum quæritur,an Deus voluerit inconsummati matrimonij vinculum tali casu dissolui. Vnde & Christus ad pharisæorum interrogationem respondens, non hoc tantùm volnit,ne absque diuina authoritate quis inter coniuges faceret separationem(contendebant enim Pharisæi secundùm legem Moysi,quæ à Deo erat,separationem multis ex causis fieri posse) sed absolutè negauit separari posse quos semel Deus coniunxisset, vt sensus sit: Quod Deus coniunxit,nullus homo quacunque authoritate separare vllo casu præsumat; quia diuinitus non est homini data potestas illud dissoluendi.

Dicendum itaque videtur, vti ex parte Indicauimus sub finem capitis superioris, Dominum non loqui de quocunque matrimonio, sed tantùm de matrimonio fidelium consummato; fidelium quidem, quia allegat positiuam Dei constitutionem in paradiso quæ solos fideles astringit; consummato verò,quia dicit: *Erunt duo in carne vna*,quod de consummato matrimonio accipiendum esse ibidem ex scriptura & Pontificū decretis ostendimus; & proinde cessat obiectio tam de matrimonio infideliū, quàm de inconsummato. Et verū quidem est Mariā & Ioseph à Deo fuisse cōiunctos,sed nō ea coniunctione de qua ibi Dominus loquitur,quandoquidē & aliæ multæ coniunctiones à Deo factæ per homines possunt dissolui.

Ad tertium respondet Alexander tertius cap. Ex publico, extra de cōuersione coniugatorum,dicens id intelligendum esse de his quorum matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua confirmari, aliàs consummari non potest.

Quod quarto loco obijcitur similiter de consummato matrimonio accipiendum: vel certè vita generaliter intelligenda est, vt etiam ciuilem comprehendat, iuxta ea quæ dicta sunt pro solutione primi.

Ad quintum respondent quidam inconsummato matrimonio tantùm significari coniunctionem Christi cum anima fideli, quæ coniunctio solui potest, & sæpe soluitur. Vnde & fatentur inconsummatum matrimonium multis alijs casibus dispensatione pontificia dirimi posse: quorum sententiam vt nouam & improbabilem oppugnat hoc loco Dominicus. Dicendum itaque potius dicendum videtur, non debere semper exactè respondère signum rei significatæ; atque adeo maiorem esse rationem firmitatis consummati matrimonij, quàm inconsummati etiam ex significatione; quia in matrimonio consummato significatio est vtriusque coniunctionis Christi cum ecclesia,& per charitatem,& per naturam: in inconsummato, alterius tantùm; videlicet eius quæ est per charitatem.

Ad sextū iam patet respōsio. Non enim insolubile rectè diceretur si multis modis solui posset,quod contingit ijs qui extra casum præsentem, qui solus ab ecclesia agnitus & probatus est,alijs modis illud dirimi posse putant authoritate summi pontificis. Ex qua opinione præterea sequeretur etiam inferiorum episcoporum authoritate ob similes causas idem matrimonium posse dirimi, vt rectè ex ea opinione infert Dominicus. At nos illud insolubile dicimus,quia vno tantū modo qui rarus & difficilis est soluitur, imò quia solui non potest, nisi morte ciuili, sicut consummatum non nisi morte naturali.

Ad septimum respondemus sicut ex iusta causa coniux sine coniugis consensu potest adire mortis naturalis periculum, velut in martyrio vel in ecclesiæ aut patriæ defensione,& si licitum esset seipsum occidere, faceret id coniux sine coniugis tnioria mortem naturalem sibi inferendo, qua dissolueretur matrimonium consummatum & consequenter interiret potestas quam alter in alterius corpore habebat, ita iusta ex causa videlicet, vt Deo perfectius seruiat & multiplices peccatorum occasiones euitet, posse coniugem sine coniugis cōsensu sponte assumere mortem ciuilem, qua ex ordinatione diuina dissoluatur matrimoniū inconsummatum, simulq; proinde potestas illa mutua corporū extinguatur. Potest etiam breuiter respondert traditionē illam corporum debere intelligi pro ratione contractus matrimonialis. Cuius ex Dei institutione ea conditio est, vt si per copulam consommetur, solui nequeat, nisi per mortem alterius, non consummatus autem soluatur per religionis ingressum.

Octaui solutio patet ex solutione primi, non enim mors ciuilis incurritur per ordinem sacrum, ne episcopalem quidem etiamsi in statu episcopali sit maior perfectio. Itaq; sicut monasticæ professioni per se & ex natura rei repugnat proprietas ita & coniugium. Ordini autem sacro cuicumque simpliciter non repugnat proprietas, repugnat autem coniugium non per se, sed ex decreto ecclesiæ.

Ad nonum respondeo, primùm, nullo modo licuisse primis duobus hominibus perpetuam continentiam seruare, quia cum primi & soli esset oportebat ab illis propagari genus humanum, Deinde nondum erat instituta ac fortè nec institui tunc poterat, religio per cuius professionem inconsummatum matrimonium solueretur.

Ad probationem vero respondetur eos ante cōsummationem coniunctos quidem fuisse à Deo sed non illa coniunctione de qua Dominus in euangelio loquitur, vti & suprà diximus de coniunctione B. Mariæ & Ioseph. Verba quoque illa: *Erunt duo in carne vna*, referenda esse ad tempus coniugij consummati.

Ad decimum respondert potest sicut in matrimonio consummato vinculum manet vsque ad mortem naturalem, ita in inconsummato vsque ad mortem ciuilem, ac proinde sicut ibi non est diuortium, quia durante vita naturali nō potest vinculum abrumpi, ita nec hic, quia similiter abrumpi non potest, durante vita ciuili.

Alij respondent prorsus indissolubile fuisse illud coniugium propter prolem, quæ illius coniugij bonum erat, teste ibidem Augustino, cuius prolis cura & educatio ad ambos coniuges pertinebat. Hoc & nobis videtur, matrimonium enim inter B.

Mariam

Mariam & Iosaph, licèt non fuerit consummatum quoad copulam, fuit tamen consummatum quoad generationem prolis quæ in illo sine ipsius iniuria nata est, & ad illam prolem alendam, educandam, &c. non minùs tenebatur Ioseph, quàm si eam ex se genuisset, & ita non poterat esse diuortium ratione prolis, sicut in matrimonio consummato, &, si eme virgo coniugata pareret filiam ex Spiritusancto, vir eius non posset ingredi religionem, sed eadem ratione esset indissolubile. Tale igitur ante prolis conceptum habet se vt inconsummatum, postea verò vt consummatum. Itaque antea dissolui posset per religionis ingressum, postea non. Vide infrà ad distinctionem trigesimam, vbi hoc ex professo.

Ad vndecimum firmius est secundùm Augustinum, consummato coniugio inconsummatum, non quoad obligationem contractus, sed quoad charitatem mutuam & consensionem animorum, qua significatur mutua charitas Christi & ecclesiæ. Nam vbi est maior vitæ perfectio, ibi & maior charitas. Loquitur enim sanctus Augustinus de coniugibus propter Dei amorem ex mutuo consensu continentiam seruantibus, siue matrimonium antè consummauerint, siue non.

Ad duodecimum respondetur professionem monasticam tanquam mortem ciuilem, non minùs liberare à debito pecuniario quàm mortem naturalem. Vtrobique enim liberatur is qui mortuus est, sed sicut hic tenentur hæredes nomine defuncti, ita ibi soluere tenetur communitas nomine professi. Nec tamen est par ratio debiti coniugalis. Hoc enim simpliciter extinguitur per mortem seu naturalem, seu ciuilem, quia obligatio eius, id est, vinculum ipsum matrimoniale non vltra se extendit.

Ad decimumtertium respondemus Alexandrum tertium capit. Ex publico, extra de conuersione coniugatorum præscribere duorum mensium spatium, quo possint coniuges ante consummationem matrimonij deliberare de ingressu religionis, quo spatio elapso iam non liceat vltra differre debiti exacti redditionem. Non facit autem alteri iniuriam, qui in negando debito vtitur iure legibus sibi concesso. Et idem dicendum de tempore probationis. Neque enim vt quidam putant, abbreuiandum est tempus illud in fauorem coniugis in seculo remanentis, sed liberum est coniugi religionem ingredienti totum annum probationis absoluere, nisi fortè charitas aliud faciendum suaderet. Ita sentiunt Durandus, Paludanus, Hostiensis & Dominicus. Quòd si interea temporis alter alteram fortè vi opprimeret, licèt iniuria fieret oppressæ, consummatum tamen euaderet matrimonium, & proinde sola naturali morte dissolubile, vt rectè docet idem Dominicus, quæ etiam multorum est sententia.

Ad postremum respondemus veterum sententiam satis intelligi posse, tum ex decretis Eusebij & Gregorij quæ produximus. Ac præterea sciendum apud sanctum Ambrosium & Ioan. Chrysostomum reperiri quæ huic sententiæ admodum patrocinentur. Siquidem sanctus Ambrosius in Lucam scribens, ad illud capitis primi, *Desponsatam Ioseph*, & rursus super caput 23. tractans illud Ioannis 19. *Ecce mater tua*, quamuis de religionis ingressu specialiter non meminerit, significat tamen ante carnalem copulam coniuges separari posse, quomodo & Ioseph à B.

A Virgine fuisse separatum putat. Simile quid etiam apud eum legitur libro de institutione virgin. capite sexto & septimo & epistola 79. Ioan. Chrysostomus autem homilia quinta in Matth. ex eo ostendit Ioseph cum B. Virgine non conuenisse, quia non illi sed Ioanni Dominus eam commendauit. Per quod significat diremptum fuisse hoc coniugium, vtpote inconsummatum, quod tametsi sit improbabile, (Nam sanctus Augustinus libro 1. de nuptijs & concupiscentijs capit. 11. nullum diuortium fuisse dicit inter Ioseph & Mariam, & Epiphanius hæresi 78. testatur Ioseph tantùm vsque ad annum Christi duodecimum vixisse)

B sufficiat tamen ex dictis authoribus ostendisse, non eandem esse rationem matrimonij consummati, & non consummati, quod ad vinculi firmitatem attinet. Et scripturam illam: *Quicunque dimiserit, &c.* intelligendam esse de matrimonio consummato. Ea verò quæ ex Gratiano & decretalibus adferuntur Pontificum, & Patrum testimonia quasi diuersum probantia, cuiusmodi etiam nonnulla citat in textu Magister, omnia de coniugio consummato, & de ijs coniugibus qui per concubitum facti sunt vna caro & vnum corpus, oportere intelligi ex ipsis decretorum verbis & contextu manifestum

C est.

§. 8. *Consummatum matrimonium non solui per religionis ingressum.*

D QVOD de matrimonio inconsummato iam ostendimus, non defuerunt qui id etiam ad consummatum transferrent; existimantes ipsum quoque per religionis ingressum dissolui. Pro qua sententia facit imprimis lex Iustiniani finalis, Codice de episcopis & clericis, & alia lex quæ habetur in authenticis, Codice de nuptijs, vbi sine exceptione facultas conceditur coniugatis ad meliorem vitam migrandi & sub castitate viuendi. Deinde Basilius quæstione 12. earum quas fusiùs explicauit, dicit virum posse

E religionem ingradi etiam inuita vxore, si illa rogata consensum pertinaciter abnuat. [S. Thom. suppl. q. 61. ar. 2.]

Tertiò profertur exemplum Theonæ abbatis, de quo apud Cassianum collatione 21. capit. 9. legitur, quòd cùm ab vxore licentiam impetrare non posset, illa inuita matrimonium soluerit & monachus factus sit. Quod factum Cassianus ibidem capite decimo, docet tum ex sanctitate & miraculis illius viri, tum ex aliorum sanctorum approbatione non esse reprehendendum.

F Quartò videri potest huic sententiæ fauere locus euangelij Matth. 19. vbi vxor numeratur inter ea quæ qui propter Christum reliquerit, vitam æternam possidebit. Neque enim vllus interpres ea Domini verba restrinxit ad vxorem nondum carnaliter cognitam.

Verùm his non obstantibus, indubiè tenendũ est consummatum inter fideles matrimonium neq; hoc casu monasticæ professionis, neq; vllo alio quoad vinculum posse dissolui, quemadmodũ pleniùs infrà docebimus ad distinctionem 33. vbi de matri-

monij insolubilitate proprius erit tractandi locus, & ad distinctionem 35. vbi ostendemus nec quidem per adulterium dissolui matrimonium, & ad distinctionem 32. quo loco docẽdum erit non licere coniugibus sine mutuo consensu continentiam Deo vouere siue ad tempus, siue in perpetuum. Quod sanè non esset illicitum, si professio monastica vinculum matrimonij consummati dissolueret.

Sufficiant autẽ præsenti loco hæ generales scripturæ: *Qui dimiserit vxorem suam, facit eam mœchari.* Matth. 5. *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Matth. 19. *Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi, &c.* Rom 7. Quam sententiam repetit apostolus 1. Corint. 7. vbi etiam ait: *Ijs qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, vxorem à viro non discedere. Et vir vxorem non dimittat.* Quæ generales sententiæ locum habere debent saltem in matrimonio consummato.

Huc præterea facit, quod ibidem apostolus prohibet, ne coniuges inuicem defraudent coniugali debito, ne quidem ad vacandum orationi, nisi fortè ex consensu ad tempus: quare multò minùs fraudare alter alterum poterit in perpetuum, quod fieret per religionis ingressum.

Probatur item ex suprà dictis de matrimonio incõsummato. Nam idcirco Pontifices quos ibi citauimus, sua decreta restrinxerunt ad inconsummata matrimonia, quia de consummatis sentiebant aliam esse rationem. Quibus adde plurima decreta Patrum, conciliorum, pontificum quæ recitantur partim à Gratiano 27. quæst. 2. partim in decretalibus titulo de conuersione coniugatorum, quibus disertè cauetur, ne absque mutuo consensu coniuges ad religionem transeant, quoniam vt in ijsdem decretis non semel asseritur, per huiusmodi transitum connugia (intellige consummata de quibus ibi est sermo) non dissoluuntur.

Quæ cùm ita sint, superast vt ad obiecta breuiter respondeamus.

Quod igitur ad legem ciuilem attinet, etiamsi eam commodè quis posset interpretari, quòd videlicet intelligenda sit de incõsummato matrimonio, vel quod cõsensum coniugis alterius præsupponat; Gregorius tamen lib. 9. epist. 39 ad Theoclistum, citante etiam Gratiano 27. quæst. 2. cap. Sunt qui, & iterum cap. Agathosa, liberè legem illam reprehendit, dicens quod etsi lex humana seu mũdana separationẽ huiusmodi causa conuersiónis ad religionẽ fieri permittat, nõ tamen permittit lex diuina; quia, inquit, postquã copulatione coniugij, viri atq; mulieris vnũ corpus efficitur, non potest ex parte conuerti. & ex parte manere in seculo.

Basilius verò non declarat se loqui de consummato matrimonio. Si tamen de eo, quemadmodum apparet, intelligendus est; respondemus Basiliũ non aliud velle, quàm coniugatum si monachus fieri velit, primùm debere consensum coniugis quærere, quem si statim obtinere non potest, precibus ad Deum, lachrymis & ieiunijs instandum esse, quò consensus eius obtineatur, & seculi renunciatio etiam illi persuadeatur. Atque ita demum posse virũ in monasterium recipi. Huius autem rei exempla sunt in fratre & sorore sancti Bernardi, qui à coniugibus suis orationum instantiâ consensum obtinuerunt, quem antea impetrare non poterant, vt est in libro 1. vitæ S. Bernardi cap. 4. & 6.

Porrò Theonæ abbatis factũ à Cassiano commemoratum, si vera est narratio, inter ea reponendum est sanctorũ facta, quæ admiranda magis sunt, quàm imitanda: fortassis enim à sancto viro id factum est peculiari instinctu Spiritussancti, per quẽ etiam miracula operabatur.

Ad locum euangelicum respondemus, illa Domini verba non repugnare alijs eiusdem verbis eodem capit. positis, quæ separationem ac dimissionem vxoris prohibent. Repugnarent autem si accipienda essent de vxore relinquenda, vel simpliciter quoad vinculum; vel inuita quoad torum excepto casu adulterij. Quocirca ne repugnent, intelligenda sunt de dimissione eius quoad torum ipsa consentiente. Nam nec illi quibus ea verba tunc dicebantur, scilicet Petrus & alij apostoli, quorum omnium nomine Petrus dicebat: *Ecce nos reliquimus omnia*, leguntur vxores suas inuitas reliquisse. Quibusdam tamen placet id quod de vxore relinquenda dicitur, intelligendum eo casu quo vir per eam à salute impediretur, velut si hæretica existens, virum peruertere studeret. Tum enim relinquenda esset, vel inuita: non quidem perpetua tori separatione, sed iure defensionis, tantisper saltem, dum eiusmodi duraret periculum, vt infrà suo loco dicemus. Sed prior sensus magis congruit rei de qua agebatur.

§. 7. *Qui sponsi, & quæ sponsalia dicantur.*

HÆc vocabula sponsus & sponsa, non vno modo apud scriptores tam sacros quàm prophanos accipiuntur. Nam vt in hanc distinctionẽ scribens S. Thomas annotauit art. 1. ad 6. cùm in matrimonio duo considerentur, scilicet coniunctio seu vinculum matrimoniale, & ipsius matrimonij vsus, bifariam vir & mulier sponsus & sponsa dicuntur. Vno modo ratione futuri coniugij, quando nimirum sponsalia tantùm contraxerunt. Ex eo enim tẽpora sponsi vocantur. Alio modo ratione futuræ copulę, quomodo coniuges ante copulam dicuntur sponsi, quia videlicet eam sibi mutuò saltem implicitè spoponderunt, quando contractum matrimonialem inierunt. Qua sponsione præstita iam sponsi & sponsæ nomen exspirat.

S. Thom. suppl. q. 43. ar. 1.

Vnde notãdi sunt in præsenti negotio tres gradus, quorum primus est in quo vir & mulier sponsi tantùm vocantur; secundus in quo sponsi vocantur & coniuges; tertius in quo tantùm coniuges.

Valet autem hæc duplicis acceptionis distinctio plurimum ad intelligendas scripturas & conciliandos canones in quibus sponsi & sponsę seu desponsatæ aliquæ vocantur.

Porrò sponsalia definiente Nicolao papa in rescripto ad consulta Bulgarorum, & habetur apud Gratianum 30, quæst. 5. ca. Nostrates, *futurarum sunt nuptiarum promissio*, subintellige *mutua*. Erit autem mutua promissio, si mutuo fiat consensu eorum qui sunt coniungendi. Nam sicut sine mutuo consensu contrahentium non fit matrimonium: ita nec sponsalia rata sunt nisi vtroque in promissionem consentiente. Proinde sponsalia quæ parentes interdũ pro filijs contrahũt ante eorum legitimam ætatem, quæ est 7 annorum, rata fieri non possunt nisi per filiorũ consensum, cùm ad eam ętatem peruenerint; quemadmodum nec illa rata sunt, quæ pro filijs legitimã ætatem habentibus parentes contrahunt, nisi filij tacitè vel expressè consenserint.

Quamuis autem sponsalia neque sufficiant ad efficiendum matrimonium (quia promissio vim traditionis seu donationis non habet) neque etiam ad matrimonij substantiam sint necessaria (nam

absque

absque sponsalibus præuijs contrahi potest, & sæpe contractum est matrimonium) rectè tamen & laudabiliter matrimonio præmittuntur, tum vt eò rectiùs constare possit vtramque partem in matrimonium liberè consentire; tum ne temerè ac præcipitanter se dare videantur in statum illum societatis indissolubilis, sed velut gradibus quibusdam ad eum procedant, vt qui etiam faciant ad huius status solemnitatem quandam & dignitatem commendandam: tum denique propter conditiones quæ sæpe in sponsalibus interponuntur ante matrimonij contractum adimplendas: & in genere, quem vsum habet promissio ante donationem facta, eum habere possunt sponsalia ante matrimonium.

Præter hunc autem multiplicem vsum sponsalium, notari solet duplex eorum effectus. Primùm enim ex sponsalibus oritur vtrimque obligatio contrahendi matrimonij; quia quod quis promisit, nisi iusta sit exceptio, seruare tenetur, eoque magis, quo maioris momenti res est, de qua fides fuerit interposita, cuiusmodi res est matrimonij contractus. Vnde Innocentius tertius extra de sponsalibus capite Præterea. Hi, inquit, qui de matrimonio contrahendo purè, & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt & modis omnibus inducendi, vt præstitam fidem obseruent. Sic ille.

Obligantur autem sponsi ad contrahendum matrimonium, vel certo tempore si quod præfinitum fuit; vel si nullum est præfinitum, primo tempore congruo secundùm iudicium prudentium; vel saltem tempore vtriusque consensu præfiniendo, ita vt ne vni parti contra voluntatem alterius in mora esse debeat.

Secundò oritur ex sponsalibus publicæ honestatis iustitia simile quid habens cum affinitate. Quæ iustitia dictat indecens esse & publicæ honestati contrarium, vt is qui sponsalia contraxit, & ea quacumque ex causa non complet, postea cum prioris sponsæ propinqua matrimonium contrahat. Vnde & impedimentum matrimonij constitutum est iam olim, sed à Trident. synodo restrictum sessione 24. capit. 3. reformationis matrimonij, de quo nos infrà agemus ad distinctionem 41.

Verùm aduersus dicta obijciet aliquis, omnem promissionẽ si modò iusta sit & honesta, vim habere obligandi: ideoq; si altera tantùm pars sponsionem faciat alteri de futuro matrimonio, validã esse spõsionem etiam absque sponsione reciproca; & proinde sponsalia non necessariò constare promissione mutua. Ad quod respondemus haud dubiè promissionem seu sponsionem huiusmodi obligatoriam esse ex parte eius qui promittit, non tamen dici posse sponsalia, quamdiu pars altera nondum spopondit, sed habere dumtaxat rationem & vim simplicis promissionis: ex quo etiam fit, vt non tam fortiter obliget quàm sponsalia. Nam si pars altera diu deliberet, & sponsionem suam in longum tempus differat, meritò censebitur vel contemnere, vel non acceptare factam sibi promissionem. Promissio autem contempta vel non acceptata, promittentem non obligat. Quamuis & acceptata, si non accedat sponsio reciproca, non potest parem cum sponsalibus obligandi vim habere.

Cæterùm pro pleniore declaratione definitionis sponsalium, sciendum est, quòd sicut matrimonium ipsum non contrahitur, nisi mutuus contrahentium consensus verbis de præsenti vel æquiua-

A lentibus signis exprimatur: ita in cõtrahendis sponsalibus oportet mutuum consensum exprimi verbis futurum tempus significãtibus, vel alijs signis idem valentibus. Ratio autem vtrobique eadem est, quia nimirum aliter vtrimque de consensu constare non poterit, nisi is signis aliquibus manifestetur.

Iam verò prout hæc signa multiplicia sunt, ita multipliciter contingit sponsalia contrahi.

Aut enim verbis contrahuntur, aut alijs signis; cuiusmodi sunt scriptura, nutus, annuli siue alterius cuiuspiam arrhæ traditio: interdum quoque & silentium ipsum. Rursum aut fiunt oratione aperta, aut obscuram habente significationem. Item aut

B absolutè, aut addita conditione: & iterum, aut promissione simplici, aut iureiurando firmata.

Et quidem quod ad verba vel signa obscura attinet, quoniam sæpenumero in ijs ambiguum est, vtrùm promissionem tantùm, an verò donationem ipsam contineant; accipienda est eorum significatio in foro conscientiæ, ex intentione loquentis, seu significantis: vt si ille voluntate promittendi dixerit aut signum dederit, promissio sola intelligatur; sin autem voluntate donandi, donatio. At in foro externo, vbi non potest intentio probari, significatio signorum sumitur ex vsu frequentiori magisque recepto, adductis etiam in considerationem

C circumstantijs ipsius contractus. Quod si sic quoque ambigua manet significatio, nihil probatur, ideoque pro reo pronunciandum erit, quandoquidem vt habet axioma iuris, *Actore non probante, absoluitur reus.* Verùm de his exactior est apud summistas tractatio.

§. 8. *Sponsalia conditionata quatenus obligent.*

D Sponsalia quæ ob conditionem appositam conditionata dici solent, non vnius sunt generis. Vt enim varias apponi contingit conditiones: ita variè de ipsis sponsalibus censendum est. Nam si conditio iam subsistit, vel etiam necessaria est, subsistunt sponsalia, & absolutè facta intelliguntur, perinde atque si nulla fuisset adiecta conditio; velut si quis dicat, ducam te vxorem si Deus voluerit, si sol lucet, si virum non habes. In eodem genere sunt omnes conditiones specialiter ad cõtractum matrimonij necessariò requisitæ; velut si vir Christianus di- *S. Thom. suppl. q. 47 ar. 3. in corp. & ad 4.*

E cat fœminæ Mahumetanæ, ducam te, si Christiana fieri voles. Nam nisi illa conditio priùs impleatur, non poterit vnquam ratum inter illas personas fieri coniugium.

Si autem impossibilis, vel inhonesta est conditio, velut si dicat quis, ducam te si solem stare facias, si lunam cęlo deducas, vel si furtis & latrocinijs mecum operam dare voles; si quidem addita sit ea intentione, vt consensum excluderet, reuera nulla est promissio. Sed tamen in foro externo vbi intentio

F non probatur, huiusmodi conditiones, dummodo non sint ipsi matrimonio contrariæ, pro non adiectis habentur, quemadmodum declarat ac statuit Gregorius 9. extra de conditionibus appositis, cap. Finali, ita inquiens: Si conditiones contra substantiam coniugij inserantur, puta si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis euites, vel donec inueniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus quantumcumque sit fauorabilis, caret effectu; licèt aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles

faerint,debeant propter eius fauure u pro nun adiectis haberi. Hæc Pontifex, loquens quidem de contractu matrimoniali, sed idem de sponsalibus quæ ad matrimoniom ordinantur, iudicandum relinquens. Ex coius etiam verbis intelligitur, qoæ conditiones censari debeant matrimonio repugnare;nimirum illæ quæ tollunt aliquid horom trium, aut perpetuitatem, aut prolem, aut fidem, quæ sunt tria matrimonij bona. Horum enim exempla sigillatim ponrifex posuit. Parer ax eiusdem verbis non ideo ecclesiam pronunciara pro sponsalibus, quibus adiectæ faerint aliæ conditiones turpes aot impossibiles, quòd illæ vim habeant aliquam ratificandi sponsalia, cum potiùs contrarium efficere videantur; sed vbi per alias conιecturas præsumitur consensus in futuras nuptias, tunc conditiones istiusmodi pro non adiectis habendas esse,propterea quòd ad impossibile vel inhonestum nemo tanetur. Id quod etiam in testamentorum legatis obtinet, vt impossibilis aut inhonesta coodirio adiecta legatarium non defraudet,etiamsi talem conditionem non impleat, quam vtique implere vel non poiest, vel non debet. Si varò circumstantiæ saris arguunt conditionem impossibilem ad hoc adiectam fuisse, vt per eam significaretur consensum excludi, quemadmodum fit interdum iucando, vel irridendo, vel quocumque modo quasi figuratè significando se non consentire; tum etiam in axterno foru iudicandum est inanem essa sponsionem.

Porrò conditiones inhooestæ seu turpes qoæ repugnant matrimonio, iuxta generalem regulam Gregorij noni supradicto decrato traditam,effectu carent, seu quoad sponsionem, seu quoad contractum matrimonij,si vtrilibet fuerint adiectæ. Cuius ratio ast, quia qui talem conditionem adijcit atque in eam consentit, is aut simpliciter non consentit in matrimonium seu præseus, seu futurum; velut si dicat habebo te vxorem donec inueniam ditiorem, vel vsque ad mortem patris mei,vel vsq; ad septenniom, quæ conditiones repugnant vinculo matrimonij quod perpetuum est & insolubile: aut in matrimonium non consentit, nisi viciatum, vel ex parta finis proprij, vel ex parte potestatis vtrimque tradēdę Nam si quis dicat,ducam te ea lege vt conceptum aut partū liberorum impedias,prolem quæ est finis matrimonij,excludit:si verò dicat,ducam te ea cōditionē vt corpus tuū ad quæstum prostituas, fidem excludit coniogalem.

Sunt autem etiam honestæ quædam coodiriones,cum matrimonio pugnantes, velut si spondeant, aut etiam matrimonium inter se coorrahant aliqui ea lege, vt nunquam sibi motuò reddant debitum coniugale: quo casu tametsi putet Paludanus rata esse sponsalia, seu ratum matrimonium, hac ratione motus, quia contracto iam matrimonio possunt coniuges sine matrimonij iniuria ex mutuo consensu perpetuam continentiam seruare; probabilior tamen est sancti Thomæ, Bonauenturæ, Richardi, Adriani, & aliorum ferè omnium, quibus etiam Dominicus subscribit, sententia; videlicet negantium eo pacto spondentes, aut contrahentes, consentire rauera in futurum aut præsens matrimonium. Et ratio est, quia per talem conditionem non tantùm excluditur copola carnalis, (quod rectè fieri mutuo consensu coniugum post contractum matrimonium non dubitatur) verùm excluditur atiam translatio corporum vtriusque in alterius potestatem, quæ tamen ad substantiam matrimonij necessaria est. Atque hæc sententia conformis videtur decreto Gregorij noni suprà citato, vbi generaliter & sine restrictione dicit conditiones cōtra substantiam coniugij insertas, effectu carere, indicaos etiam honestas tales posse reperiri.

Quod & hac rationa ostenditur: Conditio procurandę sterilitatis censetur matrimonio contraria, quia per eam obsaruatam fit vt proles non nascatur; igitur & conditio perpetuę cootinentiæ talis censeri debet propter eandem causam: hoc solo discrimine, quòd hæc conditio sit honesta, illa inhonasta.

Cæterùm de cōditionibus honestis,quæ matrimonio non repugnant, ita breuiter statuendum est: Si cōditio ast de re præsenti, siquidem subsistit conditio, subsistunt sponsalia;non extante autem cōditiona,non subsistūt. Exempli causa, si dicat quis, ducam te vxorem, si liberam habes bonorum tuorum admioistrarionem, aut si es 20. annorum, nisi subsistat iam cōditio, nulla oritur obligatio: Si verò conditio est da re futura, velut si dicat qois, ducam te si pater meus assenserit, aut si mille aureos in dotem dederis; tum euenιente conditione rata fiunt sponsalia;non eueniente, irrita sunt. Sic rescripserūt Alexander 3. Vrbaous 3. & Innocentius 3. extra de conditionibus appositis.

Contingit præterea verbis quidē præsentis temporis exprimi consensum, sed adijci cōditionem de re futura; velot si quis dicat, do tibi fidem meam, si modò cras tot aureos ad ma attuleris: quo casu sponsalia tantùm erunt eueniente conditione, non matrimonium; ne quidem præueniendo decretum concilij Trid. irritantis matrimonia qoæ aliter fiunt quàm præsente parocho, &c. Cuius ratio præcipua hæc videtur, quia matrimonium cootrahi non potest, nisi per consensum de præsenti. Id quod manifestum relinqoitur ex ijs quæ de causa efficiēte matrimonij dicta sunt. Qoare cùm prior illa consensus tantùm fuerit de futuro, vtpote propter interpositam conditionem peodaos à re futura, nisi ea conditione adoeniente, noous de præsenti consensus accesserit, oon fit matrimonium. Atqoe ita post Alexandrum respondit Vrbaous loco iam citato, dicēs quod huiusmodi consensus non sit de præsenti habeodus, licet per verba de præsenti euidentius exprimatur qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit. Vnde etiam intelligitur quod propter conditionem de futuro appositam, verbū præsentis temporis, accipit quodammodo significationem futori, qoēmadmodom rectè sanctus Thomas annotauit scribens in distinctionem 29.

Nec obstat argumentum canonistarum, quod somunt à similitudine aliorum cōtractuum, in quibus impleta conditione ratificatur contractus; ita vt nouo contractu val consensu non sit opus. Ibi enim iore præsumitur consensum vitrote durare, quousq; impleatur cōditio, eaque impleta transire in præseorem seu potiùs iura supplant, quod fortè deest ex parte consensus, ne sit opus nooo contractu da præseori. At in matrimonio, ad cuius substantiam omnioo necessarius est de præsenti coosensus, iura defectum eius supplere nequeunt.

Porrò de sponsalibus cōditionatis, & in vniuersum de sponsaliom contrahendorum varietate, plura qui volet, legat Adrianum in 4. tractatu de matrimonio, & Dominicom post alios ad distinct. 27. & 29. per complures articulos.

Ad extremum verò notandum, omnia ferè quæ de spoosalibus conditionatis dicta sunt, æquè ad matrimonia conditionata referri possa, ac similiter de vtrisque canones & eorom interpretes iudicare. Quamquam post decretum Trident. non

ita vt

A ita vt olim conditiones in matrimonijs contrahendis, locum habent, propterea quòd parochus & testes extra quorum præsentiam non fit matrimonium, conditiones admittere non facilè debent, sed ad præcauendas difficultates quas secum trahere solent contractus conditionati, hoc omnino agere vt matrimonia contrahantur absolutè.

§. 9. *Sponsalia iurata quam vim habeant.*

S. Thom. suppl. q. 43. ar. 1. ad 2.

B PErtinet huc ea quæstio quam distinct. proximè sequenti tractat Magister: videlicet an consensus de futuro cum iuramento matrimonium efficiat.

Ad quam cum Magistro ac cæteris omnibus indubitatè respondendũ est consensum eiusmodi, id est, sponsalia iurata non habere vim contractus matrimonialis, sed tantùm promissionis; & proinde matrimonium non efficere: quod intellige etiamsi fiat eiusmodi promissio præsente parocho &c. iuxta Trident. concilij decretum. Cuius responsionis aperta ratio est, quia iusiurandum non mutat, sed confirmat id ad quod adhibetur. Quo- C circa iurata sponsalia firmiora quidem sunt non iuratis, & fortius obligant, naturam tamen promissionis, quæ est de re futura, non excedunt. Vnde Alexander 3. extra de sponsalibus, cap. De illis, sponsalia iureiurando firmata, per nuptias cum alia persona contractas dissolui docet; quod fieri nequaquam posset, si illa vim haberent contractus coniugalis. Eadem est sententia Gregorij 9. ibidem cap. Si inter.

Cæterùm ille qui post sponsalia iurata matrimonium cum alia contrahit, ad iuramentum implendum cogi nec debet, nec potest; quia res iurata D iam ei facta est illicita & impossibilis: sed quemadmodum dicti canones præcipiunt, per pœnitentiam periurij crimen expiare debet.

Verùm aduersus hanc pontificum sententiam obijci solet lex Imperatoris, quam & Gratianus in suum decretum retulit, 30. quæst. 5. cap. Si quis, & Magister recitat sequenti distinct. qua statuitur vt si quis iurauerit mulieri, se eam legitimam vxorem habiturum, sit illi legitima vxor, quamuis nulla dos, nulla alia scriptura interposita sit.

E Hic quamquam responderi potest, præcipi tantùm quid fieri debeat, non doceri quid fiat, quia nimirum is qui sic iurauit, tenetur eam cui iurauit vxorem ducere; verior tamen solutio est, legem hanc ab Imperatore Christiano latam contra leges gentilium, apud quos solus contractus etiam iuratus, non efficiebat matrimonium validum, sed præterea necesse erat & dotem consignari, & alias quasdam solennitates intercedere. Loquitur enim Imperator non de sponsalibus, sed de contractu matrimoniali. Nam vox illa, *habiturum*, non futuri F tantùm, sed simul etiam præsentis temporis respectum includit hoc loco. Sensus enim est: Si iurauerit se eam ex tunc & deinceps habiturum pro vxore sua legitima, &c. Estque in genere notandum hæc aut similia verba, habebo te vxorem, licet secundùm sermonis rigorem tantùm habeant futuri significationem, pro consuetudine tamen ferè sic vsurpari, vt significent consensum de præsenti; & proinde matrimonium efficiant.

Hæc solutio est Hugonis à S. Victore in summa sentent. tractatu 7. ca. 7. & post eum Magistri, A itemque glossæ super Gratianum, & Dominici in hanc distinctionem.

§. 10. *Sponsalia cum copula subsequente quid valeant.*

S. Thom. quæst. citata.

QVæri solet vtrùm sponsalia per copulam carnalem postea subsequentem in matrimonium transeant. Ad quod ita breuiter respondemus, imprimis copulam carnalem per se non sufficere ad constituendum matrimonium quantumuis sponsalia præcesserint etiam iurata. Cuius hæc ratio est, B quia nunquam fit matrimonium sine consensu de præsenti, vt ex ante dictis patet. Quare per copulam absque huiusmodi consensu nunquam poterunt sponsalia in matrimonium transire, & hoc pacto sine dubio iudicandum est in foro conscientiæ.

Cæterùm si contractis sponsalibus ambo sponsi coniugali affectu carnaliter conueniant, etiamsi nec verbis nec vllo alio signo exprimatur consensus de præsenti, nisi quid aliud obstet, fit matrimonium. Nam eo casu coniugalis affectus, quo interueniente sibi mutuo copulantur, includit & C supponit consensum interpretatiuum de præsenti, propter verba de futuro quæ præcesserunt. Idque etiam locum habet, ante euentum conditionis, si quæ fortè sponsalibus adiecta fuerat; quia, vt docet Innocentius tertius extra de condit. appositis, cap. Per tuas, videtur à conditione apposita, recessisse, qui ea nondum impleta carnaliter fuit sponsæ copulatus.

Quoniam autem ecclesia de occultis non iudicat, fit vt in foro externo iudicari soleant contraxisse matrimonium, & esse veri coniuges, qui post sponsalia carnaliter fuerint commixti, etiamsi forD tè consensus internus defuerit, præsumitur enim consensus, & consequenter matrimonium propter copulam, sponsalia in quibus erat consensus de futuro, subsecutam. Nam sicut alia signa verborum locum supplent, velut consensum de præsenti significantia; sic & copula si sponsionem secuta fuerit, censetur idem valere, quod verba de præsenti, Ita definierunt pontifices Gregorius 9. extra de sponsalibus cap. Is qui fidem, Alexander 3. de condit. appositis cap. De illis, & ibidem Innocentius 3. cap. Per tuas.

E Diximus autem matrimonium fieri, nisi quid aliud obstet. Cùm enim ecclesia in synodo Trident. prorsus irrita decreuerit in posterum matrimonia, aliter quàm præsente parocho & testibus contracta, consequens est per copulam sponsalia subsequentem, etiam cum expresso consensu de præsenti, nihilo magis fieri matrimonium quàm per ipsa verba de præsenti, quibus præter modum à concilio præscriptum, vir & mulier consensum mutuum declarauerint.

F Vnde huius constitutionis beneficio sublatæ sunt plurimæ perplexitates, quæ ex huiusmodi sponsalibus oriri, & contrahentium conscientias grauare solent, de quibus multa apud summistas & sententiarios. Atque in hunc modum censuit & declarauit non semel congregatio Cardinalium sub Gregorio 13. deputata ad explicationem dubiorum quæ circa praxim concilij Trident. emergunt. Idem etiam Nauarrus postrema recognitione sui Enchiridij annotauit.

§. II. *Sponsalia quibus modis dissoluantur.*

S. Thom. suppl. q. 43. ar. 3.

QVamuis ex sponsalibus obligatio nascatur matrimonij contrahendi, vt iam antè diximus; multis tamen modis, ea dirimi contingit, sic vt eorum obligatio soluatur, vel vtrinque, vel ex altera saltem parte; loquimur autem nunc de sponsalibus ratis ac validis. Nam sponsalia inter personas non legitimas attentata, velut inter cognatos aut affines, aut eos qui septennium nondum impleuerunt (ea enim ætas contrahendis sponsalibus per canones rectè constituta est, propterea quod homines tunc ferè iudicium aliquod agendorum ac prudentiam futurorum nonnullam habere incipiant) prorsus inualida sunt, neque vllam pariunt obligationem; ideoque non opus habent, vt soluantur. Cuiusmodi etiam sunt ea quæ cum conditione fiunt, si conditio non eueniat. De quibus suprà plenius actum est.

In eodē genere sunt sponsalia facta post quodcumque votum continantiæ, itemque post sponsalia cum alio priùs validè contracta, etiamsi posteriora hæc firmentur iureiurando. Ratio manifesta est, quia nullius est roboris promissio quæ fit contra obligationem priùs contractam, nisi de ijs rebus promissio fiat quæ in priori promissione exceptæ intelliguntur.

Hæc igitur enumerendi sunt modi quibus sponsalia vera & rata soluantur.

Primò itaque soluuntur per religionis ingressum seu professionem. Qui modus est sponsalibus cum matrimonio inconsummato communis, atque ex eo euidenter probatur argumento à minori; quia sine dubio fortius est vinculum matrimonij etiam incōsummati quàm sponsalium, ideoq; minùs solubile. Notandum autem quod etiam ante professionem per solam habitus susceptionem liberatur sua sponsione is qui in sæculo relinquitur, ita vt ei liberum sit ad alia vota transire; non autem is qui habitum suscepit, alioqui posset quis in fraudem suscipere habitum vt sponsione liberaretur, & postea exire & aliam ducere. Verisimile est autem hoc extendi etiam ad sponsalia iurata. Quæ enim exceptio in sponsalibus iure ipso intelligitur: videlicet, nisi alter sponsorum religionem profiteri velit; eadem & in iuramento, quo sponsalia confirmantur, intelligenda videtur. Pontifex tamen Alexander 3. extra de sponsalibus capit. Commissum, tutius esse affirmat seruare iuramentum, & postea intrare religionem, matrimonio non consummato, ne videlicet vulgi opinione periurus habeatur qui ad hunc modum à sponsione iurata recesserit. Idem faciendum simpliciter tenet Scotus in distinctionem 30. quæst. 2. tametsi prior sententia magis est probabilis, de qua re vide Dominicum.

Quod autem de religionis ingressu dictū est, idē & de susceptione sacrorū ordinum intelligendum venit propter votum castitatis annexum: Imò & de voto simplici castitatis idem videtur iudicium, si post sponsalia fuerit emissum. Cuius ratio est, quia semper in sponsalibus etiam iuratis intelligitur hæc exceptio, nisi magna aliqua & valde notabilis mutatio interuenerit, quæ quidem exceptio non modò in sponsalibus verùm in alijs quoque promissionibus locum habet. Quo tamen securiori conscientia propter causas supradictas soluantur sponsalia iu-

A rata, consultum fuerit ob reuerentiam diuini nominis ea dissolui per authoritatem superioris in iuramento dispensantis; maximè si de ijs soluendis agitur ob simplex votum castitatis, quia de hac causa peculiariter inter doctores cōtrouertitur, vt videre est apud Syluestrum, Dominicum & Nauarrum.

Secundò, soluuntur sponsalia per subsequens matrimonium alterius cum alio. Et huius apertissima ratio est, quia matrimonium est insolubile, ideoq; per ipsum sponsio præcedens fit obseruatu impossibilis, cuius proinde nulla relinquitur obligatio, B nisi fortè pro eo tempore quo per mortem vxoris posset priorem sponsam ducerē. Quanquam dubium non est eum grauiter peccare qui matrimonium cum alia contrahens fallit fidem priori cum qua sponsalia contraxerat. Veritatem autem obtinet hic modus vniuersalem, etiamsi vel spōsalia iurata fuerint, vel matrimonium subsequens nondum consummatum.

De hoc casu loquuntur canones, Si inter virum, & De illis, extra de sponsalibus, non tamen extendi debet ad sponsalia cum copula subsecuta, quia hæc iam non constituunt matrimonium, vt suprà C ostendimus, ideoque tollere non possunt obligationem sponsionis prioris nisi fortè aliud concurrerat impedimentum, vt cognatio vel affinitas de quo vide Nauarrum.

Tertiò, soluuntur sponsalia ante ætatem nubilem contracta, si alter mox vt eam ætatem attigerit, consensum reuocet, etiamsi nulla causa interueniat, præter solam voluntatem reuocantis, vt habetur extra de despōsatione impub. cap. De illis, & cap. A nobis.

Quartò, quoties altera pars recusat matrimonium contrahere, altera liberetur sua sponsione. Ratio est, quia sponsio erat mutua, & quamuis grauiter D peccet is qui temerè à sponsione recedit, adeoque in cōscientia maneat obligatus ad eam seruandam; quoniam tamen coacta matrimonia plærumque sortiuntur infelices exitus, fit vt ecclesia consulens nubentium saluti, tales non putet absolutè esse cogendos, sed commonendos tantùm, & modis omnibus inducendos vt fidem datam seruent, quemadmodum suprà docuimus ex Innocentio 3. extra de sponsalibus cap. Præterea. Id quod etiam de sponsalibus iuratis expressè statuit Lucius 3. ibidem cap. Requisiuit. Cùm, inquit, libera debeant esse matrimonia, monenda est potiùs quam co- E genda mulier quæ iurisiurandi religione neglecta nubere renuit, cui se nupturam interposito iuramento firmauit, eò quòd coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. Quo decreto videtur hic Pontifex corrigere quod ante eum simili in casu responderat Alexander 3. vt habetur ibidem cap. Ex literis Siluani. Ibi enim vult eum qui iurauit cum aliqua contrahere, nisi rationabilis causa obstiterit, per censuram ecclesiasticam cogi ad contrahendum; nisi quis dicat rationabilem causam quam pontifex excipit semper subesse, quando me- F tus est ne coactum matrimonium malum sortiatur exitum. Et notandum ob dictam causam, ne videlicet libertas matrimonij aliquo modo minuatur, vetitum esse ne pœna vel mulcta sponsalibus apponatur, cap. Gemma, de sponsalibus.

Quintò, soluuntur sponsalia etiam iurata per subsequentem alterius fornicationem. Ea enim datæ fidei directè repugnat. Soluuntur autem hoc casu, vt & superius, tantùm ex parte innocentis, cui liberum sit à sponsione recedere, si velit, capite Quemadmodum, extra de

iureiurando. Cæterùm fornicatio non licet parte inuita pactum rescindere; quippe cui sua malicia patrocinari non debeat. Habet id locum etiam in puella vi oppressa, quemadmodum rectè docet glossa eiusdem loci; Imò & in ea quæ cùm crederetur esse virgo, postea deprehensa est esse corrupta. Ad huiusmodi enim ducendam propter insignem in sponsa factam vel cognitam in peius mutationem ad statum matrimonij pertinentem sponsus non obligatur.

Sub hoc casu etiam spiritualis fornicatio comprehẽdi potest, vt hæresis, apostasia, & quodcunque crimen graue & infame. Nam hæc omnia notabilem mutationem inducunt.

Sextò, soluuntur per cognationem vel affinitatem superuenientem, vel impedimentum affinitati simile, velut si alter alterius filium de fonte leuet, si sponsus fornicetur cum sorore sponsæ, aut eius rei publica fama laboret (quo casu neutram ducere potest) vel aliud simile iuris impedimentum aut scandalum interueniat, de qua re videre est cap. Si quis, 27. quæst. 2. & cap. Cùm in tua, extra de sponsalibus.

Septimò, propter superuenientem grauem diuturnum aut perpetuum morbum, velut lepram aut paralysim, vel ob insignem deformitatem aut mutilationem, è quibus si post sponsalia superueniant, aut postea cognita fuerint, facilè contingit vt alter alteri displicere incipiat, ideoque per canones obligatione soluitur is qui sanus & integer permanet. Ita enim docet Vrbanus 3. cap. Literas, extra de coniugio leprosorum, & Innocentius 3. capite Quemadmodum, extra de iureiurando. Ex quo patet hunc casum etiam ad iurata sponsalia extendi.

Octauò, per longinquam peregrinationem seu absentiam alterius, alter seu altera sponsione liberatur. Quo casu quamuis ius ciuile biennium totum præcipiat expectari, iure tamen pontificio, post cognitam sponsi in remotas terras profectionem, nullum tempus ad expectandum præscribitur; quia ille per talem discessum censetur iuri suo renunciare. Ita declarat pontifex cap. De illis, extra de sponsalibus.

Nonò, solui possunt si grauis inimicitia inter sponsos vel eorum parentes interuenerit: item si sæuitie seu morum asperitas sponsi priùs incognita, posteà comperta fuerit: iusta enim in vtroque est ratio recedendi ab eo quod pactum fuerat.

Decimò, soluuntur per hoc, quod non implentur cõditiones promissę, siue id voluntariè fiat, siue inuoluntariè, velut cum dos promissa non præstatur, ratio est, quia promissio pendebat à conditione.

Vndecimò, per factum canonici inter sponsos impedimenti. Ratio est, vt scandalum vitetur, quẽadmodum docet Pontifex capit. Cùm in tua, extra de sponsalibus.

Duodecimò, sicuti plærique alij contractus sunt dissolubiles per consensum mutuum eorum qui inter se contraxerunt: ita dubium non est sponsalia quæcumque mutuo sponsorum consensu ac voluntate dissolui, dum sibi inuicem sponsionem remittunt, etiamsi fortè iurata fuerit; quia iuramentum tantùm additum fuit ad confirmandam promissionem. Promissio autem absolutè desinit obligare remittente eo cui facta est. Sic canonum interpretes ad cap. Præterea, de sponsalibus.

Postremò, dissolui possunt per quodcumque aliud ex improuiso superueniens, quod si præcessisset aut præuisum fuisset, sponsalia verisimiliter & rationabiliter non fuissent contracta. Ita sentit Sanctus Thomas scribens in hanc distinct. & alij post eum, & ratio patet ex generali natura promissionis.

Est autem vniuersè notandum circa diremptionem sponsalium, quod si publicè fuerint contracta, & causa dissoluendi non sit manifesta ac publicè nota, tum ad ea dirimenda debet interuenire publica ecclesiæ authoritas, videlicet vt scandalum euitetur. Alioqui non est necesse.

§. 12. *De clandestinis sponsalibus annotatio.*

QVæcumque de sponsalibus hactenus dicta sunt, ea etiam ad clandestina sponsalia, pertinent. Nã & hæc totidem modis contrahi ac dissolui possunt, quibus contrahuntur ac dissoluũtur publica. Quamuis enim sponsalia publicè fieri oporteat, non tamen irritata sunt per concilium Trid. si clandestinè contrahantur, quemadmodum matrimonia; & proinde ea adhuc rata esse, atque eandem validitatem relictam esse in ijs terminis in quibus ante concilium erat, rectè sentit Nauarrus sub finem ca. 25. sui Enchiridij, idemque censuit congregatio Cardinalium delegatorum sub Gregorio 13. Habet autem ea res haud dubiè veritatem, siue clandestine interpreteris sponsalia, quæ omnino secretè & absque arbitris inter duos fiunt, siue quæ non fiunt coram parocho & testibus, quomodo de matrimonio statuit Trid. synod. Ratio est, quia omnia eiusmodi veram habent sponsalium naturam, ideoque verè obligant, quamdiu nulla superioris lege irritantur. S. Thom. hic sup.

Quod autem ad eorum diremptionem attinet, in quantum publica non sunt, in tantùm ad ea dirimenda non est opus ecclesiæ authoritate: sed si iusta subsit causa, priuatim dissolui possunt, quia cùm sint clandestina, scandali ratio cessat.

Quæret autem hoc loco aliquis, an contractus de præsenti clãdestinus, quem quidem constat iuxta Trid. decretum non efficere matrimonium, saltem vim habeat sponsalium clandestinorum, & hac ratione obliget ad futurum matrimonium, quemadmodum desponsatio impuberum per verba de præsenti, iuris interpretatione resoluitur in sponsalia de futuro, vt habetur cap. Finali, extra de desponsatione impuberum. Ad quod respondetur, nulla ratione niti vt contractus ille quem seuerè prohibet Tridentina synodus, atque irritum & nullum esse decernit, vim aliquem habere dicatur ad constituenda sponsalia, maximè cùm sponsalia sint via proxima ad matrimonium. Probatur hoc ipsum ex generali ratione donationis. Nam si quis de facto donet aut tradat aliquid contra legem Dei vel superiorum, qua talis donatio decernatur nulla & irrita, nemo censebit eam donationem habere vim promissionis, sed meritò quisque iudicabit omnino ac prorsus inualidam esse. Similiter autem de desponsatione impuberum statuendum est, quæ si per verba de præsenti facta fuerit aliter quàm præsente parocho & testibus, nullam habet vim sponsalium; sin autem ad eum modum fuerit facta, tum iuris interpretatione iuxta dictum cap. Resoluetur in sponsalia de futuro.

§. 13. *Digami qua ratione à sacris ordinibus repellantur.*

S.Thom suppl. q. 66. ar. 1.

SVprà dictum est eem mulieram qoæ per verba da præsenti desponsete est, sed nonduio cognita, na sponsam voceri, vt tamen verè sit vaor.

Vnde quæri potest, an qui ea mortua aliem ducit, aut qui viro eius mortuo ipsam ducit vaorá, digamus sit dicendus. Qua etiam occasione Magister in fina huius distinctionis obiter attingit digamiam quatenus est impedimentũ ordinis sacri suscipiendi. De qua proinde circa hunc locum pleoiùs agere soleot doctores.

Primùm iteque moostraodum est, quæ sit origo & quæ retio eiue irregularitatis quæ per digamiam contrahitur.

Est autem origo eius ea apostolico præcepto 1.Timoth. 3. quo statuitur vt episcopi, & diaconi eligantur qui sint vnius vaoris viri. Quod & sub nomine presbyterorum repetitur Tit. 1. vt maoifestum sit præceptum illud ad episcopos, presbyteros & diaconos pertinera. Nam quomodocumque oomen presbyteri accipiatur in epistole ed Titum, sioe pro eo qui episcopo inferior & proximus est, siue pro ipso episcopo, quemadmodũ coouinci putant ea eo quod ibidem statim sequitur; *Oportet enim episcopum sine crimine esse*, illud extra controuersiam est, qualitatem quæ in diacooo raquiritur à presbytero nou debere abesse, quem constat diacono esse digniorem. intelligit autem apostolus vnius vxoris virum, qui non plures vaores habuerit, siue simul, siue etiam post aliam, sed vel vnicam vel nullem. Est enim negatiuè eapooenda ille apostoli phrasis prout res ipse perspicuè declerat, & eaempla docent, tum apostolorum, tum aliorum qui ab illis & post illos ordioati sunt. Qoomodo etiam eum locom veteres omnes suot ioterpretari. Tametsi hac in re sufficere debet perpetue ecclesiæ praais, tanquem optima scripturæ iorerpres, cui quidem testimonium iam olim perhibuerunt Hieronymus io lib. contra Iooinianum, & Epiphanios hæresi 59. docentes quem coorioentiæ modum exigat ecclesie ab ijs quos in sacrorum ordinum gradu constituit, qua de ra plura infrà ad distinctionem 37. iam quod apostolus de episcopo, presbytaro & diacono decreuit, id Nicæne synodus raferente etiam Ambrosio in epistola ad plebem Vercellensem, ad vniuersum clerum extandit,

Porrò in retione epostolici huius præcepti assignanda non omnes conoeniuot. Nam Hieronymus in commentar. epistolæ ad Titum 1. & pleniùs io epistola ad Oceanum, itemqoe Chrysostomos in 1. Timoth. 3. hanc præcepti rationem esse volunt, quia digemie, id est, plures habuisse vxoras, argumentum est incontinentiæ. Meritò eutem à sacris arcentur ordinibus, qui incontinentiæ suspicione leborant.

At verò rectius alij docent digamum ab ordinibus repelli propter defectum sacramenti, id est, sacræ significationis; quia nimirum telis non est idoneus qui in secerdotio constitutus Christi personam repræsentet, vtpote qui dum esset in matrimonio, eandẽ Christi personam imperfectè tantùm repræsentauit. Christus enim vnicam sibi sponsam copulauit per incarnationis mysterium, & ecclesia similiter vni sponso copulare est. Quocirca licèt singule matrimonia hominis digami seorsim considereta perfectè repræseorẽt coniunctionem Christi cum ecclesia tanquem vnius cum vne, si tamen duo coniugia quibus vnus idemque homo quamuis diuerso tempore, fuit alligatus, simul considerentur, nempe vt sunt plura vnius; sic non reperitur in ijs significatio coniunctionis suprà dictæ, sed potiùs aliqoid quod illi significationi repugnet. Hanc rationem saquuntur Augustious libro de bono coniugeli cap. 18. Ambrosius in epistole modò citara, Innocentius primus in epistola 2. & 22. & Leo epistola 87. ad episcopos Africanos, vbi etiam in coniugijs sacerdotum veteris legis, de quibus præcipit Dominos Leuit. 21. dicit idem mysterium fuisse sigoificatum. Horum denique sententiem sequuntur omnes pontificas & canooes posteriores, vt videre est io decretalibus, titul. de bigemis non ordinandis per totum.

§. 14. *Qui sint eodem loco cum digamis habendi.*

S.Thom. suppl. q. 66. ar. 2. & 3.

PRopriè quidem digami suot hi soli qui dues vt minimum veras vxores habuerunt, sed tameo qood ad irregularitetem suprà dictam attinet, eodem cum illis loco & alij quidam habendi sunt, quemadmodom rectè tradit glossa, ad cap. Super eo, titul. de bigamis &c. vbi duplex distinguit bigamiæ geous: alterũ verũ; alterum interpretatiuũ, verũ est quod iam diximos: interpretatiuom verò, cũ iuris ioterpretatione seu extensione tãquam digamos habetur qui verè & propriè digamus non est. Huius eutem rursum complures sunt modi.

Primus, dum quis viduam duxit vaorem. Tele enim coonubium ea parte molieris non est eptum perfectè repræseotere spirituale coonubium Christi cum ecclesia: cùm ecclesia præter Christum alium sponsum nunqoem agnooarit, oec iotelligi debeat Christum viduam duxisse ecclesiem, sed virginem. Vnde Leo in epistola suprà dicta præceptiooem epostolicam tam saciam semper fuisse babitam dicit, vt etiam de muliere sacerdotis eligendi eadem intelligeretur seruande conditio.

Secuodus est, dum quis duas vaores duxit elterã de iure, alteram de fecto siue simul sioe successiuè eas habuerit. Talis enim quantum in ipso fuit, duas vaores sibi matrimonio copulauit, non volũtate tãtũ, sed & opare; & proiode quamuis io veritate nõ sit digamus, irregularitatem tameo tanqoam digamus incurrit: non propter sacramenti defectum, cùm reuera non fuerit pluribus matrimonialiter coniunctus, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto, quia quantom in ipso fuit tale opus facieote, secundam mulierem sibi matrimonialiter coniunxit, vti docet & eaplicet Innocentius 3. cap Nuper, eatre de digemis. Iotelligitur autem coniunctio carnelis, nam alioqui non contrahitur irregularitas, vti bene anooterunt Richardus & Domioicus ad hanc distioctiooem & iofrà docebimus.

Tertius, dom quis duas de facto duxit vaores vel simul vel successiuè, tametsi neutram habuerit de iure, siue propter impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, vel aliud simile, quod vaisimiliter eatenditor ad eum, qui post decretum Trident. de fecto cum duobus clandestinè contraxit. Hunc tertium modum tradũt Paludanus & Dominicos, idque rectè. Nam vtromque est inpre-

terpretatiuum matrimonium, dum bis de facto contrahatur.

Quartus, dum quis de facto, licet non de iure viduam ducit vxorem; sic Innocentius 3. vbi suprà cap. A nobis docet subdiaconum qui de facto contraxerat matrimoniũ cum vidua, incurrisse irregularitatem.

Quintus, dum quis ducit vxorem nõ virginem, tametsi non viduã, de qua suprà dictum est, sed extra matrimonium viciatam. Ratio est, quia per eam non repræsentatur illa, cui dicit apostolus 2. Cor. 11. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo*: Idem tradunt canones apud Gratianum B distinctione 51. cap. Qui in aliquod, & extra. Qui clerici vel vouentes cap. 1. Nec refert ad irregularitatem, vtrùm corruptionem sponsę vir præsciuerit an non, quia vt in hanc distinctionem scribens sanctus Thomas ait, & superiori capite à nobis ostensum est, irregularitas hæc ab ecclesia non infligitur pro culpa, sed incurritur propter defectum sacramenti seu mysterij. Si tamen eam quis duxerit vxorem, cum qua priùs concubuit, is secundùm probabiliorem sancti Thomæ sententiam non fit irregularis, tum quia neque ipse, neque illa carnem C suam diuisit in plures; tum quia sicut proles ante matrimonium suscepta legitimatur per subsequens matrimonium; ita mulier ab aliquo viciata ante coniugium si ab eodem ducatur in vxorem, honestatur per illud coniugium, vt habeatur quasi virgo ducta fuerit.

Cæterùm si vir ante coniugium fornicatus fuit cum vna vel pluribus, non propterea eum digamis censetur, neque tanquam irregularis à sacris ordinibus repellitur, neque enim hoc vlli canones tradiderunt. Cuius rei causam alij aliam assignant, vt videre est apud Dominicum Sed hæc ratio vera D videtur, quia corruptio virginitati opposita naturaliter non ita in viris locum habet, vt in fœminis. Vnde quod de virgine dictum est, canones in fœminis tantùm, non etiam in viris putarunt esse considerandum. Vnde de ecclesia per virginem significata specialiter dicitur: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Deo.*

Sextus modus est, dum quis suæ vxori commiscetur, postquam illa cum alio fuit adulterata. Ita probabiliter docet sanctus Thomas, licèt alij aliud sentiant. Pro sancti Thomæ sententia faciunt canones, si cuius, & si laici distinctione 34. apud E Gratianum.

Septimus, dum quis post solenne votum continentiæ matrimonium cum quacumque de facto contrahit, talem enim irregularem fieri docetur ex cap. Presbyterum distinct. 28. & apertiùs ex cap. Quotquot 27. quæst. 1. & cap. Nuper de bigamis. Est autem huius ratio, quia talis matrimonium spirituale voti solemnitate contractum violat per matrimonium carnale, quod postea de facto contraxit, & hæc est digamia metaphorica.

F

§. 15. *Quid de eo qui priorem coniugem ante baptismum habuit.*

S. Thom. suppl. q. 66 ar. 1 & 4.

QVi in præcepto apostolico vnius vxoris virum, moralem tantùm rationem attendunt, videlicet incontinẽtiæ suspicionẽ in digamo, putant eum non esse à sacris ordinibus arcendũ, qui vel vtramq; vxorem vel alteram ante baptismũ habuit, & post baptismũ vel nullam vel secundam eamq; vnicam fuit A contentus, propterea quòd omnis incontinentiæ labes baptismo purgata censeatur & baptizato tanquam nouo homini nihil prioris incontinentiæ imputari debeat. Sic sentit Hieronymus in epistola ad Oceanum, vbi pro hac sua sententia vehementer pugnat. Sic idem in commentario epistolæ ad Titum, & post eum Chrysostomus super 1. Timot. 3.

Sed cùm suprà sit ostensum magis ratione sacramenti, quàm ecclesiasticæ disciplinæ ab apostolo constitutum esse, ne digamus ordinetur, fit vt propter sacramenti defectum canones nec illum ad B ordines ecclesiasticos admittendum iudicent, qui priorem coniugem ante baptismum habuerit: cùm enim etiam talis per diuersa coniugia carnem suam distraxerit in plures, non retinet illius mysterij significationem, quod in ordinandis ecclesiæ ministris requirit apostolus. Vnde Augustinus libro de bono coniugali ca. 18. Hoc, inquit, quod dicit, *Vnius vxoris virum*, acutiùs intellexerunt, qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur non de peccato. Nam in baptismo peccata omnia dimittuntur, & infrà: Propter sacramenti au- C tem sanctitatem, sicut femina etiamsi catechumena fuerit viciata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari: Ita non absurdè visum est eum qui excessit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculũ necessarium, & quæ sequuntur.

Ita quoque docet ac statuit Innocentius, Hieronymo & Augustino σύγχρονος, in epistola 2. ad Victricium, vbi etiam disertè legem hanc ad maritum viduæ declarat extendi, sic inquiens cap. 5. D Si quis viduam licèt laicus, duxit vxorem, siue ante baptismum, siue post, non admittatur ad clerum; quia eodem videtur vicio exclusus. In baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ vxoris consortium relaxatur. Et cap. 6. diuersam opinionem refellens ait: Et si ab aliquibus existimatur ante baptismum, si fortè quis accepit vxorem, & ea de seculo recedente alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errant à regula; quia in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum vxorum numerus aboletur, &c. Ac rursum in epistola 22. E ad episcopos Macedoniæ cap. 2. eandem rem latiùs prosequitur.

Cum his sentit Ambrosius qui libr. 1. officio. cap. vltimo ea occasione locum apostoli tractans ita subijcit: Quod plærisque mirum videtur, cur etiam ante baptismum iterati coniugij ad electionem muneris & ordinationis prærogatiuam impedimenta generentur, cùm etiam delicta obesse non soleant, si lauacri remissa fuerint sacramento. Sed intelligere debemus, quia in baptismo culpa remitti potest, lex aboleri non potest. In coniugio F non culpa, sed lex est. Quod culpæ est igitur, in baptismate relaxatur, quod legis est in coniugio non soluitur, Hæc ille. Quæ Patrum testimonia in decretũ à Gratiano relata sunt, distinct. 26. & cap. 28. quæst. 3.

Quibus accedit quod Innocentius tertius extra de bigamis cap. Nuper, & cap. Debitum, & cap. A nobis, semper in hac re sacramenti defectum vrget, tanquam causam huius apostolicæ constitutionis præcipuam; tametsi & aliæ causæ reddi possint accessoriæ, quas videre est apud glossatorem decreti dist. 26. sub initium.

Deni-

Deoique apostolom omnioo voluisse suo præcepto compreheodere eos, qui vtramque vel alieram vxorem hebuissent ante baptismum, ex eo satis apparer; quia tempore primitiox ecclesiæ ferè ordinabantur qui adolti ed fidem venerant,& aote fidem susce pram vxores doxisseot. Quod non volt apostolus ijs obstare qoò minùs ordinentur, dommodo singularem coniugij numerom non excessissent.

A nec sit oec esse possit monogamus. Quod eutẽ suprà inter eos qui com digemis qooed irregularitatem censentor, tertio loco numerauimus eum qui duas de facto duxir vxores, tametsi oeotram de iure; id tantùm de eo iotelligendum, qui eiusmodi contractum soom earnali commixtione eoosummanit, quomodo & alij modi ibi numerati intelligontor, hoc autem in proposito caso oon contingit.

B

§. 16. *Quid de eo qui viduam virginem duxit.*

S.Thom. suppl. q. 66. REctè quidam Magister penultimo §.holus distinctionis doeet, eam sponsam qoæ tantùm io fotuto est pacta, mortuo sponso noo remanere viduam, quia noo fuerat ille vir aius. Vnde, inquit, si quis eam duxerit, ad sacros ordines eooscendere noo prohibetur, qoia non duxit vidoam.

C Cæterùm illud minùs rectè qood vltimo §. subijcit: si verò talis sponsa fuisser, inter quem & sponsum eius consensus de præsenri intercessisser, eo mortuo vidoa remansisser, eui copulatus in coniogio vlterius ad sacros ordioes oon acederer, eùm viduam duxerit. Hæc inquam Megistri sententie à Doctoribos non recipitur; idque meritò. Nam etsi verum est aiusmodi sponsam sponso mortuo viduam remanere, ac proiode qui eam doxerir, vidnam duxisse; quia tamen virgioem duxit, secũdùm canones non prohibetur ordioeri.

Estque idem iodieiom da eo qoi priore vxore, antequam cum ea matrimonium consommaret, mortna aliam postea vxorem duxit. Sic respondir D Pelagius papa apud Gratianum, distioct. 34. cap. Valenrino, dicens tali viro nihil de canoñicis institoris obuiare, quò mioùs ad secros ordinas promooeri valeat, Non enim, vt potat Magister, loqoitur ibi pontifex de spoosa pacta per verba de futuro, sed verè eoniogata, nondum temen à viro eognita.

Eadem est expressa seotentia Innoceotij 3. eap. Debitom, extra de bigamis, vbi & hanc addit rationem; quia matrimonium inconsummeium non pertioet ad illud eoniugium designandum, quod inter Christom & ecclesiam per incarnatioois mysterium est contractum. Cùm ergo, inquit, propter E sacramenti defectum, iolubitum sir ne bigamus eut maritus viduæ præsumat ad seeros ordines promouari, quoniam nec ille est vnica vnici, nee iste vnus vnius; profectò vbi deficit inter huiusmodi eoniuges commistio corporum, non deest istinsmodi signacolum sacramenti. Vnde is qui mulieram ab alio viro ductam sed minimè cogniram, duxit vxorem, qoia oec illa nec ipse carnam suam dioisit in plures, propter boc impediri non debet, quin possit ad sacerdotiom promoneri. Sic ille.

Ex his porrò facilè est intelligere, qoid de eo sit diceodum, qui cùm sit frigidus, & proinde ad matrimonium ineptus, samel & iterum tentauit F vxorem ducere. Nem si is qoi viduam virginem vxorem dueit, eut ipse viduus priore incognita aliam docit & cum ea commiscetur, oon fit irregolaris, eùm tamen ibi doo sint matrimonia, sed alterom ineonsummatum; satis apparet multò mioùs frigidum irregularem fieri, propter artentata duo marrimonie: quaodoquidem ex eius perte nullum esse potest matrimonium, & carnem suem nec diuisit in plores, nec diuidere potest. Eondem aorem propriè digamum non esse, certissimum ast; eùm

§. 17. *An cum digamis vt ordinentur, dispensari poßit.*

POstrema hoios loci quæstio est. Nom possit ecclesia dispeosara cum digamis, vt sacris ordinibos initientur. *S.Thom. eadem q. art. 3.*

Plærique eanooom interpretes negant fieri posse. Qoorum præcipna ratio est, qoia putant, haoc irregularitatem diuioo iura contrahi, cùm sir in saeris litteris expressum episcopum & diaconum C esse debere vnius vxoris virum. Vnde consenriunt quidem dispensari posse in subdiaconato, & gradibus ioferioribus, et non in diacooatu & sopra.

Pro hac sentẽtia facere videotor ipsorũ Pontificũ decreta, Nem Lucius 3. ca. Super eo, extra de bigamis, epertè dicit, quòd in bigamis contra apostolum dispensare non licet, vt debeant ad saeros ordioes promooeri, vel io eis si promoti fuerint, remanere.

Quio etiam Inoocentius tertius ibidem eap. Nuper, & cap. A oobis, hanc dispensandi impossi- D bilitaram extendere videtur ad maritum viduæ, & ad eum qui tantùm de facto secoodam duxit vxorem.

Idem tradit glossa dictorom canonum, quæ & suos citat authoras.

Sed verior est eliorum sententia, posse ecclesiem cum digamis vt ordioentur, dispensare, etiam vsque ad episcopatum. Ratio ast, quia constitutio hæc, ne digemus ordioetur, non diuina est sed ecclesiastica, noo à Christo, sed ab apostolis profecta. Potest autam ecclesia io suis legibus dispensare.

E Probetur deiode ex prexi ecclesiæ. Nam sæpenomero ad omnes ordines suscipiendos, summi pontifices dispensaueronr. Ac de subdiaconato quidem, axemplum babemus apod Gratianum distinct. 34. cap. Lector. Ibi enim eum lectore si vidoam duxit vxoram, Mertinos papa generarim dispeosat, vt in lectoratu permenear; aut si oecessites fuerit, etiam subdiaconus fiar. Eodẽ loco glossetor eommemorat exemplum Lucij papæ, qui cum Panormiteno episcopo, tametsi bigamo dispensauir. Huic praxi attastator ibidem annotatio margioalis. Exemplum autem Lucij papæ etiem sanctus Thomas in heoc distinctionem & alij allegaot.

F Ad rationem igitur in conrreriom allatam respondetur, non omna illud esse iuris diuini, quod apostoli alijque sancti viri, etiam dum saerem scripturam nobis tradereor, præceperunt. Quædam enim ab ijs constirura sunt ea potestate quam habebant vt pestoras & rectores ecclesiæ: quæ potestas etiam hodie in ecelesia perdorat. Sic præcepit apostolus Corinthijs, vt tantùm duo aut tres prophetæ dicereor 1. Corinth. 14. Sic & apostoli in vnom congregati. Actor. 15. decreuerunt abstioendum esse fidelibus à suffocato & sangoine. Quod

præceptum nunc omnino cessat. Sicut ergo talia præcepta ob iustas causas vel antiquari possunt, vel mutari, vel dispensationem admittere: ita & de isto pręcepto apostolico, quod episcopum & diaconum vnius vxoris virum postulat, sentiendum. Nam & ibidem legitur: *Non percussorem*; quo non obstante potest dispensare papa cum homicidis, vt ordinentur. Legitur quoque: *Non neophytum*; & tamen Ambrosius, Nectarius & alij nonnulli, adhuc neophyti, dispensante seu dissimulante ecclesia fuerunt ad episcopatum euecti.

His accedit quod in Gangrensi cõcilio legitur & à Gratiano refertur, distinct. 50. cap. Presbyter, quod quamquam secundùm canones apostolorum presbyter fornicarius debeat deponi, iuxta pontificum tamen Clementis, Siluestri ac Callisti moderationem possit, si dignè pœnituerit, in pristinum gradum restitui.

Ad id verò quod ex decretis Lucij, & Innocentij obijcitur, breuiter respondemus, pontifices illos non loqui de dispensatione propriè dicta, sed de cõmuni permissione. Cùm enim apostolica sit prohibitio ne digamus ordinetur, non debat nisi ex graui admodum causa, vt id fiat, concedi.

IN

DISTINCTIONEM VIGESIMAMOCTAVAM.

§. 1. *Rata esse matrimonia sine parentum consensu contracta.*

S. Thom. suppl. q. 47. ar. 6

QVOD in textu à Magistro citatur Euaristi papæ decretum, de christianorum coniugijs, occasionem dedit commentatoribus tractandi duas quæstiones circa præsentem distinctionem: quarum altera sit de coniugijs quæ fiunt absque parentum consensu; altera de clandestinis. Quamuis enim hæc duo frequenter concurrant, differunt tamen plurimum. Nam & clandestina matrimonia, consentientibus parentibus sæpe facta sunt, & ijsdem non consentientibus interdum matrimonia publicè & solenniter contrahuntur.

Quod igitur ad ea attinet, quæ parentibus vel inscijs, vel inuitis, vel omnino non consentientibus fiunt, certum est matrimonij substantiam à consensu parentum non dependere, vt ex matrimonij definitione patet. Vnde consequens est standu in lege naturæ, legemque humanam (quæ tamen hactenus in ecclesia Dei nulla obstitit) præueniendo, rata & valida esse matrimonia sine parentum consensu contracta.

Hoc ipsum autem requirit libertas matrimonij quam indicat apostolus cùm ait 1. Corinth. 7. *Cui vult nubat, tantùm in Domino.* Quod etsi de vidua dictum est, attamen pari ratione de omnibus alijs vtriusque sexus nubentibus est intelligendum. Vnde & de Rebecca dicebant sui parentes Genes. 24. *Vocemus puellam & quæramus ipsius voluntatem*, & de filiabus Salphaad Numer. vltimo: *Nubant quibus volunt, tantùm vt suæ tribus hominibus*

Huius libertatis ad contrahendum matrimonium requisitæ, ratio est, quia in ijs disponendis & constituendis quæ ad statum totius vitæ pertinent, cuiusmodi sunt matrimonium & continentia per-

A petua, & vita monastica, liberum vnumquemque esse conuenit, ac soli Deo subiectum. Quæ sanè libertas multum minueretur, si ex consensu parentum coniugia liberorum depẽderent; quemadmodum etiam ostendimus ad superiorem distinctionem, cùm de consensu qui matrimonium efficit, ageremus.

Vnde scriptura sacra non modò requirit, vt iam diximus, liberam voluntatem contrahentium, sed etiam agnoscit vera matrimonia præter parentum consensum à filijs inita, quale fuit iunioris Tobiæ, quod inscijs parentibus angeli consilio, quem quidem
B hominem esse putabat, contraxit Tob. 7 Quale etiam Iudæ patriarchæ coniugium Gen. 38. & ipsius Esau Genes. 26 Quæ duo exempla etsi imitanda non sunt, ostendunt tamen vera esse matrimonia, ideoque non dissoluenda quæ inscijs vel etiam inuitis parentibus contracta fuerint. Adde quòd Iacob patriarcha tantùm vnam duxit vxorem consilio parentum, reliquas tres ijs ignorantibus.

Hæc porrò sententia est Ambrosij epistola 43. vbi quamuis factum filij reprehẽdit qui inconsulto patre duxerat vxorem, firmum tamen esse matri-
C monium satis declarat.

Denique quò magis appareat huius doctrinæ certitudo, Trid. synodus sess. 24 cap. 1. reformationis matrimonij, damnat eos anathemate qui affirmant matrimonia à filijsfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse.

Extat etiam de hac re decretum Clementis 3. extra de regularibus cap Cùm virum, vbi dicitur, quod puella in ætate nubili constituta, quia liberum habat arbitrium, in electione propositi sequi
D parentum non cogitur voluntatem.

In eandem sententiam scribunt Augustinus epistola 233. Ambrosius in lib. de virginibus, & sanctus Thomas in 2. 2. quæst. 104. articulo 5. Cuius hæc sunt verba: In his quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solùm Deo, quia omnes homines natura sunt pares, puta in his quæ pertinent ad corporis sustentationem & prolis generationem. Vnde non tenentur nec serui dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio contrahendo vel virginitate seruanda, vel aliquo alio huiusmodi, &c. In qui-
E bus verbis aliud adhuc pro hac re argumentum suggeritur. Nam coniugium seruorum inuitis dominis ratum esse apud doctos in confesso est teste etiam Alexandro 3. extra de coniugio seruorum, cap. 1. Neque enim potuit ius gentium quo seruitus introducta est, id auferre quod ius naturę concessit. Quare multò magis coniugium filiorum inuitis parentibus ratum erit, cùm sit maior subiectio seruorum ad dominos, quàm filiorum ad parentes.

F

§. 2. *Utrùm licita sint huiusmodi matrimonia.*

S. Thom. loco præallegato

QVamuis rata sint matrimonia inconsultis parentibus contracta, plærumque tamen sunt illicita. Nam nisi iusta & rationabilis causa diuersum suadeat, tenentur liberi parentum suorum cõsilium audire, & consensum expectare in cõtrahendo matrimonio, idque multas ob causas.

Primò propter honorem parentibus super om-

nes

A nes alios propinquos & amicos debitum. Qui sanè postular, ne quid magnum, eiusmodi est imprimis coniugium, aggrediantur filij sine illorum consilio & consensu.

Secundò, quia parentum interest, quem generum vel quam nurum sint habituri, cui & dotem annumerent & parentis officium tanquam filio vel filiæ impendã. Cùm enim per matrimonium vir & mulier vnum corpus efficiantur, debent generi & nurus quasi filiorum loco haberi à soceris

Tertiò, quia parentes plærumque & possun B rectè filijs consulere, quia prudentia per ætatem atque experientiam plus valent, & volunt, quia eos impensè diligunt.

Postremò, quia filij iam coniugati in multis adhuc egent auxilio & consilio suorum parentum. Qui in re promptiores & propensiores eos erga se inuenient, si non absque eorum consiliu & consensu in coniugium se dederint. Hinc igitur est quod illi quos nobis scriptura commendat, ferè non leguntur inconsultis parentibus vxores accepisse. Nam de Isaac & Iacob clarè scriptura testatur quòd C parentum consilijs & voluntati fuerint obsecuti in ducendis vxoribus Gen.24.& 28. Item Samson sine parentum consensu mulierem quam valdè amabat, ducere noluit, Iudicum 14. Rebecca quoque quamuis de voluntate sua interrogata, consilium tamen patris incunctanter secuta est, Gen 24. Qua de re disserens Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. vltimo, inter alia laudat versus Euripidis poëtæ qui virginem introducit ita loquentem:

Sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit, hoc enim non est meum.

Adde quod Exod. 34 & Deuteron. 7 præceptum de coniugio filiorum parentibus potiùs datur D quàm filijs; ne videlicet iungantur cum incolis terræ promissæ: *Filiam tuam*, inquit Dominus, *non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo.* Imò legimus Genes.28. Isaac apertè præcepisse filio suo Iacob, vt non acciperet coniugem de genere Chanaan, sed ex filiabus Laban auunculi sui. Quod & ab illo factum est, & quidem tacitissimè. Contrà verò grauiter peccauit Esau, & iustam parentum suorum indignationem aduersum se prouocauit, quòd contra ipsorum voluntatem vxores accepisset Gen. 26. 27. & 28. & Ambrosius in epistola 43. ad Sysimium, E quo inscio filius eius vxorem duxerat, agnoscit iustam eius esse indignationem.

Neque his obstat, quòd idem Iacob præter duas vxores filias Laban iussione seu consilio patris ductas, etiam duas ancillas duxerit eodum patre inscio, cùm enim iustam haberet is faciendi rationem, vti scriptura satis declarat, nec parentes adessent quos consulere posset, facile excusatur quod ijs inconsultis id fecerit. Qua ratione etiam Tobias excusandus venit, qui id fecit longè remotus à parentibus, atque interim vsus consilio eius cui tanquam duci atque directori fuerat à patre commissus, nec dubitans quin ratum esset habiturus pater, quod illius consilio à se factum esset.

F Sed quæret aliquis, quomodo parentes filijs possint aliquid de matrimonio præcipere, cùm in his quæ ad statũ totius vitæ pertinent constituendis, quemadmodum dictum est cap. superiori, filij non sint parentibus subiecti. Ad quod respondendum videtur, quoties tale quid rectè fit à parentibus, sicut non dubitatur rectè factũ ab Isaac, non esse præceptum propriè dictum ex parte parentum; quasi illi sua authoritate quam in filium habent, possint id præcipere: sed esse præceptum ex parte Dei seu legis naturæ, quod parentes cum authoritate filio denunciant, quia tale est, vt secundùm rectam rationem filius dissentire non possit; velut si præcipiant, ne ducat hæreticam aut de fide suspectam, aut aliter malè moratam. Hoc enim pacto patri licet præcipere & filius tenetur obedire; quemadmodum etiam cùm filio expedit comedere certos cibos, vel à certis abstinere, potest ad eundem modum & sensum pater de his præcipere filio, qui & obedire tenetur.

§. 3. *Obiectiones contra prædicta soluuntur.*

Communis ferè sectariorum nostri temporis doctrina est coniugia liberorum sic esse in potestate parentum, vt sine eorum consensu constare non possint. Ad quod probãdum argumentis vtuntur huiusmodi. *S. Thom. vbi sup. vide Bellarm.*

Primò, Scripturæ passim in patris vel vtriusque parentis potestate constituunt coniugia filiorum & electionem sponsi aut sponsæ. Nam Exod.22. negatur coniugium viri cum virgine quam seduxit, si pater virginis eam dare noluerit, & capite 34. prohibetur parentibus ne filijs suis accipiant vxores de filiabus terræ Chanaan. Eadem prohibitio est Deuteron.7. Item 1. Corinth.7. patris arbitrio relinquitur, vt filiam suam vel in matrimonium locet, vel virginem seruet, ait enim: *Quod vult faciat*, videlicet pater de nuptijs filiæ suæ, & rursum: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit, &c.* Similiter Ecclesiasticus monet cap 7 *Trade filiam & grande opus feceris, & homini sensato da illam.*

Secundò, Si filia vouerit aliquid Deo, poterit pater votum illud irritare, vt habemus Numer. 30. quare multò magis irritare poterit promissionem eius homini factam de coniugio.

Tertiò, Deus coniungit virum vxori in matrimonio, iuxta illud: *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Matth. 19. atqui non coniungit immediatè vt primos homines, sicut nec producit nunc homines immediatè vt primos illos: ergo sicut producit homines opera parentum, ita & coniungit matrimonio per aliquod medium. Hoc autem medium non aliud est quàm ijdem ipsi parentes, quibus iubentur filij obedire per omnia, teste apostolo Coloss. 3. ergo nullum est, & inualidum matrimonium quod non fuerit conciliatum à parentibus, vel saltem ijs qui parentum vicem supplent.

Quartò, Euaristus papa epistola 1. ad episcopos Africanos, & recitatur à Gratiano 30 quæst. 5 Aliter, inquit, legitimum (vt à patribus accepimus & à sanctis apostolis eorumque successoribus traditum inuenimus) non fit coniugium, nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem videntur habere & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus aut propinquioribus sponsetur. Et infrà: Taliter enim & Domino placebunt, & filios non spurios sed legitimos atque hæreditabiles generabunt. Et paulò pòst: Aliter verò præsumpta, non coniugia, sed aut adulteria aut contubernia, aut stupra vel fornicationes potiùs quàm legitima coniugia esse non dubitamus. Ex quibus verbis apparet, non solùm illicita sed & irrita esse matrimonia sine parentum consensu contracta.

Quintò, Ambrosius libro 1 de Abraham capit.

vltimo,

vltimo, & refertur à Gratiano 32. quæst. 2. cap. Honorantur, sic habet: Consulitur puella non de sponsalibus (illa enim iudicium expectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum) sed iam desponsata viro de profectionis consulitur die. Tractat enim illud Genes. 24. *Vocemus puellam, interrogemus os eius.* Quod vult Ambrosius non de sponsalibus sed de profectione dictum esse. Ac deinde citatis versibus Euripidis quos suprà recitauimus, monet virgines & viduas nupturas vt electionem mariti parentibus deferant, nec sibi de nuptijs suis electionem vendicent.

Sextò, cōcilium Toletanum 3. can. 10. præcipit vt nulla virgo extra voluntatem parētum vel suam cogatur maritum accipere: parentum quidem, vt volunt aduersarij, si parentes habeat; suam verò, si non habeat. Legitur illud apud Gratianum ibidem cap. Hoc sanctum.

Septimò, Nicolaus papa vt habetur 30. quęst. 5. cap. Nostrates, inter alia ad nuptias pertinentia requirit vt fiant de consensu parentum.

Octauò, concilium Aurelianense 4. can. 15. Et habetur 36. quæst. 1. cap. De raptoribus, præcipit puellam raptam reddendam esse patri, etiamsi raptori ipsa consenserit.

Nonò, Gregorius apud Gratianum 36. quæst. 2. cap. Apud omnipotentem: Cùm rapta, inquit, patri fuerit restituta, si volūtas parentis vtriusq; in vnum conuenerit, nō prohibentur inuicē raptor & raptę copulari.

Decimò, Basilius in epistola ad Amphilochiū, matrimonia inuitis parētibus contracta, haud secus atque Euaristus papa, fornicationes appellat, ca. 42. illius epistolæ, idemque affirmat de coniugijs seruorum sine consensu dominorum can. 40 & 42. rationem hanc addēs: quia eorum qui sunt in alterius potestate, pacta conuenta firmi nihil habent. In canone autem 22. puellam raptam ac nulli desponsatam, ita vult suis restitui, vt eorum sententiæ atque arbitrio prorsus permittat puellam raptori iungere vel non iungere. Hæc porrò omnia approbat & cōfirmat Balsamon eiusdem epistolæ interpres, adductis etiam legibus Imperatorum quibus similia statuantur.

Postremò obijci potest Trid. synodus quæ sess. 24. cap. 1. reformationis dicit ecclesiam vt clandestina matrimonia, sic & ea quæ à filijsfamilias sine cōsensu parentum contrahuntur, ex iustissimis causis semper detestatam fuisse ac prohibuisse.

His argumentis ordine sic respondemus.

Ad primum: scripturę nil aliud volunt quàm ad parentum curam & prouidentiam coniugia liberorum quàm maximè pertinere, itemque honestatem & reuerentiam parentibus debitam hoc exigere, vt filij ac potissimùm filiæ quæ verecundiores sunt naturæ, non tam propria electione, quàm parentum consilijs & voluntate cui libenter acquiescunt, in capessendis nuptijs vtantur. Hæc enim causa est cur pręcepta de coniugijs filiorum & filiarum dentur parentibus.

Cæterùm locus Exod. 22. non agit de coniugio iam contracto, quod volunt aduersarij: quasi pater illud si velit retractare possit; sed de contrahendo causa stupri præcedentis si modò pater voluerit, cuius voluntati puella stuprum passa præsumitur acquiescere.

Locus autem 1. Corinth. 7. si quid pro aduersarijs faceret, conuinceret etiam virginitatem perpetuam filiarum esse in potestate parentum; quod tamen sectarijs non placet. Vnde manifestum est in his saltem tacitè requiri consensum puellarum.

Ad secundum respondetur legem loqui de votis quæ pertinent ad victum & cultum domesticum, velut de ieiunando vel certis cibis vtendo, vel à certis abstinendo, in quibus liberi dum sunt in paternis ædibus, subsunt regimini parentum, non autem de ijs quæ pertinent ad statum totius vitæ, cuiusmodi sunt coniugium & perpetua continentia, in quibus liberi parentibus non sunt subiecti.

Alij respondent legem agere de filiabus quæ nondum peruenerunt ad ætatem nubilem. Meminit enim textus ætatis puellaris. Atque huic legi similem volunt esse illam quam ex concilio Triburiensi refert Gratianus 20. quæstione 2. his verbis: Puella si ante 12. annos ætatis spōte sua sacrum velamen assumpserit, possunt statim parentes eius vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. At si annum & diem dissimulando consenserint, vlterius nec ipsi nec ipsa mutare poterunt. Si verò in fortiori ætate adolescentula vel adolescens seruire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi. Hæc ibi. Rationem autem huiusmodi legis adferunt, quia ante annos pubertatis non habent homines plenum iudicium rationis, nec proinde adhuc sui sunt iuris quemadmodum post, vt de se suisque actibus qui naturaliter liberi sunt, pro arbitrio disponere possint.

Ad tertium, sicut primi homines coniuncti fuerunt inspirante quidem Deo, sed tamen mediante vtriusque consensu signis conuenientibus expresso; sic quotquot alij homines matrimonio iunguntur, per simile medium coniunguntur. Erit autem & Deo grata eiusmodi coniunctio, si iuxta diuinam inspirationem maturè deliberent, & sana consilia parentum atque amicorum sequantur. Quod verò præcipit apostolus parentibus obediendum per omnia, de ijs dumtaxat intelligitur omnibus ad quæ præcipienda parentum potestas se extendit. Tale autem neque matrimonium est, neque continentia perpetua.

Ad quartum respondetur Euaristum ad hoc vt legitime sint coniugia, non tantùm requirere parentum consensum, sed alias præterea multas conditiones: cuiusmodi sunt, vt puella legibus dotetur, vt cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur, vt biduo vel triduo ante vnà cum sponso orationibus vacet. Quas conditiones nec ipsi aduersarij necessarias fatentur ad substantiam matrimonij; vult igitur pontifex ita legitimum esse coniugium, vbi omnia illa adsunt, vt econtrario, si nihil eorum seruetur, sed occultè sine testibus contrahatur, legitimum coniugium haberi non possit: non quidem in conscientia sed in foro ecclesiæ externo; vtpote quæ de occultis non iudicat.

Alij censent pontificem non negare vera esse eiusmodi coniugia, sed legitima, id est, secundùm leges contracta; quia videlicet in ijs legum & canonū præscripta non seruantur. Quod enim contra leges fit, etiamsi subsistat, legitimum tamen negatur; sicut legitimi negantur extra matrimonium nati, etiamsi verè sint filij. Eadem autem adulteria ac stupra vocari per quandam exaggerationem. Nam propriè ea non esse adulteria constat. Adulterij tamen & fornicationis speciem habent, quia furtiuè & clanculum fiunt, & meretricio magis quàm coniugali affectu suscipiuntur. Huic sensui fauet quod pontifex paulò pòst eadem illa vocat mala & illicita

coniugia, nec præcipit ea dissolui sed digna seueritate corripi.

Ad quintum, Ambrosius non de consensu loquitur, sed de electione quam honestæ virgines solent ac debent parentibus relinquere. Et eodem pertinet exemplum Rebeccæ Genes. 24. de quo loco diximus ad distinctionem superiorem cùm de consensu ageremus.

Ad sextum, Toletanus canon sub voluntate parentum expressa comprehendit tacitum virginis cõsensum: vt sit sensus, ne cogatur virgo virum accipere, nisi quem ipsa elegerit aut certè parer eius, ipsa consentiente.

Ad septimum, Pontifex eo loco varios nuptiarum ritus enumerat, & tandem in fine canonis subiungit, non esse peccatum, si non omnes seruentur. Itaque multò minùs existimandum est omnes eos ad matrimonij substantiam pertinere.

Ad octauum, Aureliancnsis canon loquitur de puella quę consenserat in raptum vel stuprum, non autem in coniugium.

Quæ penultimo loco obijciuntur, non Gregorij sed ipsius Gratiani verba sunt, quæ ille post Gregorij sententiam subijcit. Similem autem sensum habent cum supradictis. Nam propterea requiritur parentum consensus, quia pręsumitur puella in parentum voluntate acquiescere.

Ad decimum respondetur, non constare quis sit author illius epistolæ, quæ non ita dudum, haud scitur vnde accepta, in lucem prodijt. Certè Basilij magni non esse etiam alia quædam quę in ea leguntur, satis videntur arguere, vt can. 9. 20. & 47. qui continent manifestos errores.

Quod autem eiusdem epistolæ interpres sicut & hodierni sectarij ex legibus principum secularium in corpus ciuile relatis, pro se adferunt; non magnum momẽtum habet apud eos qui sciunt causas matrimoniales non ad seculares sed ad ecclesiasticos præfectos ac iudices pertinere. Vnde tametsi fortè aliquando leges huiusmodi obtinuerint apud ethnicos, vt absque parentum consensu nullum esset matrimonium filiorum; nunquam tamen eas ecclesia recepit.

Ad postremum breuis & plana responsio est, pronomen demonstratiuum *illa*, vbi synodos dicit ecclesiam illa semper detestatam esse, ac prohibuisse, non pertinere ad matrimonia sine consensu parentum contracta, sed ad sola clandestina. Quod manifestum erit textum decreti diligenter considetanti. Nam ea verba proximè sequentia, quæ de remedio loquuntur, de solis agunt clandestinis.

§. 4. *An possit ecclesia irritare matrimonia inconsultis parentibus contracta.*

S. Thom. suppl. q. 47. ar. 6.

NOnnulli opinati sunt ecclesiam non habere potestatem edendi canonem, quo decerneret in posterum irrita esse matrimonia parentibus inconsultis contracta: nimirum hac ratione moti, quia inquiunt, id esset contra libertatem matrimonij.

Verùm hæc ratio non conuincit. Quamuis enim canon tale aliquid statuens libertatem contrahentium multum astringeret atque minueret, non tamen eam omnino tolleret; quia adhuc relinqueretur filio vel filiæ libertas accipiendi personam, in quam parentes consentirent.

Cæterùm si ex solo parentum consensu matrimonium filiorum depẽderet: ita videlicet vt ratum illud esse oporteret, in quod parẽtes consensissent, siue filiorum accederet consensus, siue non; tum demum matrimonij libertas respectu contrahentium prorsus tolleretur.

Fatendum igitur est ecclesiam posse eiusmodi canonem edere quod ita probatur: Matrimonium est contractus ciuilis, qui tamen propter rationem sacramẽti coniunctam, & negotium salutis animarum, quod in illo contractu sæpe versatur, subiacet dispositioni ecclesiæ. Quare sicut irritari possunt lege ciuili alij multi filiorum cõtractus, si fiant absque consensu parentum, in quibus tamen adhuc retinetur contrahentium libertas, consensu parẽtum præsupposito; sic & iste contractus, sine parentum consensu initus, ecclesiastica lege irritari poterit. Vnde & à patribus Tridentini concilij circa hanc materiam non tam quæsitum fuit, quid posset statui quàm quid expediret. A paucis enim tunc dubitatum fuit, quin esset eius rei constituendæ potestas penes ecclesiam.

His accedit quod de clandestinis coniugijs non minùs quæstio fuit ante Trident. synodum, an ea possent ecclesiæ decreto irritari, quàm de ijs quæ fiunt inuitis parentibus. Cùm igitur illa synodus iam reipsa irritauerit, eoque facto ostenderit se id facere posse; nulla est ratio, cur de his quò minùs idem statuere possit, si sic expedire iudicaret, vlteriùs ambigatur.

§. 5. *Utrùm expediat eiusmodi coniugia irritari.*

S. Thom. ibidem.

QVod patribus concilij Trid. visum fuit de clãdestinis coniugijs: nempe fidelium saluti expedire vt ea irritarentur; id de coniugijs sine parentũ cõsensu contractis, licet ex patribus nonnulli sicut eorum relatu qui interfuerunt audiui, vehementer vt id fieret, instarent, non similiter visum fuit. Idq; ob multas rationes.

Primò, quia fit interdum, vt filij sint parentibus prudentiores.

Secundò, quia contingit parentes esse peruersæ vel suspectæ religionis, qui proinde verisimiliter eam filio quærent vxorẽ, & filiæ maritum, per quos illi alioqui catholici, à recta religione auocentur.

Tertiò, quia cõtingit parentes esse sordidè auaros, qui ne dotem numerare cogantur in filiorum aut filiarum nuptias, non facilè consentiunt, sed eas vsque procrastinant, magno salutis eorũ detrimento; aut certè filijs vxores quærunt dotatas magis quàm bene moratas.

Quartò, fit vt ex prępostera quadam pietate, vel alia deteriore causa, liberos etiam inuitos in monasterium detrudere velint, nunquam tn eorum nuptias consensuri.

Quintò, fit vt præter parentes sint alij propinqui seu amici, parẽtibus non parum cordatiores ac prudentiores, quorũ consiliũ posthabito parentum consilio, sequi aliquando etiam expedit; maximè in illorũ absentia, quemadmodum fecisse legitur Tobias, qui cõsilio Raphaëlis angeli, quem hominem esse putabat, prudenter & feliciter vsus, parentibus inscijs & rem factam postea probantibus, vxorem duxit.

Sextò, multi sunt filij extra parentum potesta- A
tem constituti, vt illegitimi, itemque vidui ac viduæ, vel quocunque modo emancipati. Quibus adde eos qui ætate ac rerum peritia multum sunt prouecti, parentibus ipsis vel dudum mortuis, vel præ senio minùs sapientibus. Quos omnes iniquum sanè esset ea lege constringi, vt sine parentum vel propinquorum consensu matrimonium suum ratum facere non possent. Hinc filiabus Salphaad quòd patrem superstitem non haberent, dicitur Num. vltimo: *Nubant quibus volunt.* Et viduæ 1. Corinth. 7. *Cui vult nubat.*

Postremò ne passim filij aut filiæ inconsultis B
parentibus ineant coniugia, iam magna ex parte prouisum est ab ecclesia, per decretum quo clandestina coniugia abrogauit ac statuit vlla coniugia rata non esse, nisi quæ coram parocho & duobus testibus fierent. Pertinet enim ad officium & prudentiam parochi, præsentem se contractui coniugali non exhibere, nisi ipsi constet, aut parentes consentire, aut iustam esse rationem cur eorum consensus expectari non debeat. Sed de clandestinis coniugijs, nunc deinceps agemus.

§. 6. *Clandestina coniugia quæ sint, & quare illicita.* C

S. Thom. suppl. q. 45 ar. 3.

Clandestina coniugia sunt in duplici genere. Alia nemque propriissimè ex eo clandestina dicuntur, quia ita clanculum & secretè fiunt, vt nulli omnino arbitri seu testes intersint per quos ipsa coniugia in foro ecclesiæ probari possint. Alia verò præsentibus quidem arbitris seu testibus fiunt, sed omissis solemnitatibus quæ iure seu consuetudine ecclesiæ debent adhiberi: cuiusmodi sunt, quæ vocantur banna, id est, proclamatio- D
nes & denunciationes quæ solent ac debent contractum præcedere, & sacerdotalis benedictio quæ ipsum comitatur, Sed hæc matrimonia minùs propriè clandestina dicuntur, quum sæpe sint notoria.

Cæterùm vtriusque generis coniugia clandestina omnibus seculis in ecclesia illicita fuerunt, sed magis quæ sine arbitris contrahebantur. Cuius ratio iam indicata est, quia quæ sic contrahebantur, in foro ecclesiæ non poterant probari. Quò E
fiebat vt quemadmodum ea sæpenumero temerè, stultè & imprudenter contracta fuerant; ita non rarò, vel ambo mutuo consensu sibi fidem remittentes, ad alias nuptias transirent, vel alter contra alterius quantumcunque reclamantis voluntatem, à contractu resiliret, fidemque falleret, & ad aliud matrimonium transiret, idque impunè: quippe cùm alteri legitima documenta deessent quibus contractum inter ipsos matrimonium probaret. Atque hoc pacto contingebat, vt qui prioris F
matrimonij fide violata, alia de facto coniugia inijssent, in perpetuo deinceps viuerent adulterio, filiosque procrearent illegitimos & adulterinos, cum magna quidem filiorũ iniuria, sed longè maiore discrimine salutis propriæ.

Accedebat & aliud grauissimum incommodum, nam si alter coniugum eorum qui sic clandestinè contraxerant, aliam duxisset coniugem, & postea conscientiæ stimulo impulsus priorem veramque coniugem per iudicium ecclesiæ repetere voluisset, relicta posteriore, vt quam certò sciret non esse suam coniugem, compellebatur is ab ec- A
clesia (quæ de occultis non iudicat, sed ex allegatis & probatis tantummodo procedit) ad eam quam posterius duxerat, retinendam, eique reddendum debitum, quod tamen ille sine adulterij crimine facere non poterat.

Nascebantur igitur ex tali coniugio hæc tria maxima eaque penè ineuitabilia mala, perpetuum adulterium in coniugibus, pudendus error in ecclesia, id est, ecclesiastico iudice, & illegitima natiuitas in filijs. Nam error ecclesiæ in iudicando prorsus ineuitabilis atque inuincibilis erat, ideoque peccato carebat. Adulterium autem & filiorum procreatio vitari quidem poterant, & debe- B
bant, quia ecclesiæ sic præcipienti non tenebantur illi quibus hoc præcipiebatur, obedire: quin potiùs tenebantur non obedire, sed tamen vinculo quodã necessitatis implicati ægrè tam grande peccatum declinare valebant.

De huiusmodi coniugijs potissimùm est intelligendum decretum Trident. concilij sessione 24. cap. 1. de reformatione matrimonij, vbi testatur sanctam Dei ecclesiam clandestina matrimonia iustissimis ex causis prohibuisse, semperque detestatam fuisse. Causam autem præcipuam ibidem subijcit; nempe grauissimum peccatum eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore vxore cum C
qua clam cõtraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt. Cui malo, nisi efficacius aliquod remedium adhiberetur, ab ecclesia succurri posse negat.

Ea verò coniugia clandestina quæ non sine arbitris fiebant, minùs quidem continebant periculi, culpanda tamen & ipsa erant (nisi iusta ratio excusaret) plures ob causas.

Primò, quia testes vel mori possunt vel muneribus aut promissis corrumpi, ne veritati ferant testimonium, & sic redibunt eadem incommoda, quę iam enumerauimus.

D Secundò, quia cùm matrimonium sit ecclesiæ sacramentum, postulat religionis ratio, vt non nisi per ministrum ecclesiæ seruatis præscriptis ab ea ceremonijs celebretur. Quamuis enim sine benedictione sacerdotis ratum sit matrimonium, non tamen ritè seu legitimè cõtractum, & iuxta sententiam valde probabilem, nec propriè dictum nouæ legis sacramentum.

Tertiò, quia dum sine ratione solitæ proclamationes omittuntur, minùs cauentur ea mala, ad E
quæ præcauenda institutus est proclamationum vsus; videlicet ne coniungantur illi qui fortè propter impedimentum aliquod coniungi nequeant.

Postremò, quia peccatur in ecclesiam dum constitutiones eius pro honestate & solemnitate matrimonij editæ violantur: cuiusmodi sunt quæ habentur apud Euaristum papam in epistola 1. & canone 51. concilij Lateranensis sub Innocentio tertio, cum grauibus pœnis appositis, vt videre est in decretalibus tit. de clandestina desponsatione cap. 3. quem canonem nouo decreto confirmauit syno- F
dus Trid. loco suprà dicto.

Meminit etiam ecclesiasticæ legis Ambrosius epistola 9.

Cæterùm quibus casibus non obstante ecclesiæ interdicto, licita fuerint aliquãdo clandestina coniugia vtriusque generis, atque etiamnum hodie interdum licita sint clandestina posterioris generis, docent Caietanus opusc. 12. quæst. 2. tom. 1. Dominicus in præsentem distinctionem quæst. 1. art. 2. & Nauarrus cap. 16. enchiridij numero 36. & 37. & cap. 22. numero 85.

§. 7. *Rata fuisse clandestina coniugia ante concilium Tridentinum.*

S. Thom. suppl. q. 45. ar. 5. ad 3. & 4.

QVod de matrimonijs sine consensu parentum contractis suprà ostendimus: ea quamuis plærumque illicita, rata tamen esse, nec proinde dirimi debere: idem prorsus tenendum est de clandestinis quãtum est ex parte legis naturalis ac diuinæ. Nam quod attinet ad legem naturæ nihil magis naturale est, quàm vt possit per suam quisque voluntatem & liberum consensum alteri similiter consentienti se in coniugẽ tradere, si modò legitimæ sint personæ.

Quod idem ex definitione matrimonij perspicuum est, quæ talibus coniugijs verè accommodatur, si in sola lege naturæ sistamus. At neque lex diuina legitur vnquam eiusmodi coniugijs firmitatem ademisse.

Rata igitur in ecclesia Christi semper fuere clãdestina coniugia, etiam prioris generis, quamdiu nullo canone ecclesiastico irritante fuerunt sublata; vt meritò Trident. patres cap. 1. de reformatione matrimonij affirmarint, quod non sit dubitandum clandestina matrimonia libero cõtrahentium consensu facta rata & vera esse matrimonia, quãdiu ecclesia ea irrita non fecit: quodq; proinde iure damnandi sint illi (vt eos sancta synodus anathemate damnat) qui ea vera ac rata esse negant.

Eandem doctrinam facile est probare ex canonibus antiquioribus quos recitat Gratianus 27. q. 2. cap. Sufficiat, cap. Matrimonium, & cap. Omnes: ac rursum ex canone 51. magni concilij Lateranensis, vbi sic prohibentur clandestina coniugia, vt tamen non decernantur irrita; tametsi certissima probatio est ex sententia & praxi ecclesiæ, quæ ante Trid. decretum editum & publicatum nunquam tentauit clandestina matrimonia tanquam inualida dirimere.

Quid verò respondẽdum sit ad decretum Euaristi, vocantia huiusmodi coniunctiones stupra & adulteria, & natos inde filios spurios; suprà diximus. Quod autem apud Hugonem Victorinum legitur libro 2. de sacramentis parte 11. cap. 6. furtiuos istos consensus qui nullo testimonio probãtur, irritos esse debere; non significat quid sit, sed quid meritò fieri debeat, vel certè quid sit in foro ecclesiæ quæ de occultis non iudicat. Nam quod non sentiat Hugo iam tum irrita fuisse secreta coniugia, probant sequentia eius verba quibus ait, quod siue in occulto siue in manifesto sit talis consensus, perfectum iudicatur sacramentum coniugij; nimirum in foro conscientiæ.

§. 8. *Clandestina coniugia irrita esse post concilij decretum.*

TRidentini concilij patres cùm viderent tam grauibus malis & incommodis, quæ ex clandestinis coniugijs ortum habere suprà monstrauimus, aliter occurri non posse, tandem in vniuersum ea omnia siue prioris siue posterioris sint generis, dummodo forma sequentis decreti non comprehendantur, penitus tollenda & irritanda statuit sessione 24. cap. 1. reformationis matrimonij. Decreti verba sunt ista: *Qui aliter quàm præsente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decreuit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.* Hactenus decretum. Ne quis autem suspicetur fieri potuisse vt patres concilij in hoc decreto statuendo, limites suæ potestatis egrederentur, & proinde errarent: tanquam videlicet in negocio quod non ad fidem, sed tantùm ad gubernationem ecclesiæ pertineat; audiendus est canon 4. dogmaticus eiusdem sess. quo anathema pronunciatur in eum, qui dixerit ecclesiam in impedimentis matrimonij constituendis errasse.

Est igitur fide tenẽdum potuisse ecclesiam irritare matrimonia clandestina, & omnino ea omnia quæ fuerint aliter quàm decreti forma præscribit, inita, eademque post hoc ecclesiæ decretum publicatum irrita esse. Et sanè plærique doctores tum ante concilium, tum in ipso concilio, non tam dubitauerunt de potestate ecclesiæ, quoad irritationem clandestinorum coniugiorum, sicut & eorum quæ sine consensu parentum contracta essent, vt suprà diximus, quàm de eo, num expediret illa irritari. Quod tamen expedire de clandestinis tandem visum est. Vnde Petrus à Soto lectione 14. de matrimonio, scribit multos prudẽtes & Deum timentes à multis annis desiderasse vt ecclesia irrita decerneret clãdestina matrimonia: Quod certum est, inquit, ecclesiam posse. Sic ille ante decretum concilij. Quibus similia scribit Dominicus à Soto super hanc distinctionem.

Cæterùm quoniã decretũ hoc in frequentissima fidelium praxi versatur; paulò plenius ipsum à nobis explicandum est, annotando quædam ad intellectum & elucidationem eius pertinentia: quorum primum est.

Cùm decretum dicat numero singulari, *præsente parocho*, palam est sufficere præsentiam vnius parochi, etiamsi fortè coniungendi sint ex diuersis parochijs. Quod adeo verum est, vt nec consensus alterius parochi sit necessarius; quandoquidem nihil tale decretum requirit.

Secundum, si quæritur, cuiusmodi parochi præsentia requiratur; dicendum videtur, non qualemcumque præsentiam sufficere, sed talem requiri qua parochus repræsentet personam ecclesiæ, non quidem administrantis sacramentum, sed rem quæ geritur, cognoscentis; siue factum approbet siue non. Quare si dormiens vel amens, vel, quod absit, ebrius adsit; mẽte videlicet sopita vel alienata, non censetur res eo præsente fieri.

Tertium, si quæritur vtrius contrahentis parochus requiratur, viri an fœminæ: dicendum in parochia viri sufficere parochum viri, & in parochia fœminæ parochum sufficere fœminæ; quemadmodum id declaratum fuit à congregatione deputatorum sub Pio 5. & Gregorio 13. teste Nauarro enchiridij cap. 25. in fine.

Quòd si verò contractus fiat præsente quidem parocho vtriusque vel alterius contrahentis, sed extra limites parochiæ eius, quamuis peccet parochus tali loco ad talem effectum absque licentia suam exhibens præsentiam, non tamen videtur irritum matrimonium; quia non fit aliter quàm decreto præscribitur. Dissentit quidem Nauarrus in consilijs, sed sine iusta ratione: quia sicut valet absolutio facta per proprium parochum extra limites parochiæ; ita valere debet matrimonium coram parocho contractum extra parochiam. Cùm enim sit huius personæ parochus, potest adesse cum aliqua authoritate, & ecclesiæ personam repræsentare.

Quartum, Non sufficit parochus loci in quo matrimonium contrahitur, nisi sit parochus alterius contrahentis, aut ab eo licentiam habens. Paret hoc quoque satis ea verbis decreti, & declaratum ast in concilio 5. Mediolanensi sub Borrhomæo titulo de matrimonio.

Quintum, Ex decreto palam est non esse matrimonium, si contrahatur præsente dumtaxat quocúque presbytero, qui neque sit parochus, neque ab ipso parocho, seu ordinario licentiam habeat: ac multò minùs ratum esse quod in foro vel vbicumque contrahitur corã ministro hæretico vel Magistratu laico; dum tamen publicatum io eorum locis fuerit concilij decretum.

Sextum, Ordinarij nomine episcopus intelligitur. Ae de eius licẽtia fieri dicitur, quod ipse per se vel suos officiarios fieri coocesserit.

Septimum, Quamuis synodus potestatem det episcopo relaxandi denunciationes antè matrimonium faciendas, oon tamẽn dat potastatem remittendi præsentiam parochi & testium, nequa solius parochi, neqoe testis vnius aut plurium.

Octauum, Non est tamen eorum pręsentia necessaria in contrahendo danuò matrimonio ab ijs qui illud publicè cum sufficiẽti denunciatione contraxerunt, sad inoalidè propter occultum aliquod impedimantum, quo sublato iterum contrahont. Hoc anim non esse nacessarium, declarauit Pius 5. quemadmodum testatur Nauartus enchiridij cap. 22. numero 70. & reuera non videtur id essa contra verba concilij beoę capensa; tales enim noo aliter quàm præsente parucho & tastibus contrahere attentauerunt, licèt contractus proptet impedimentum non statim ratus fuerit. Nisi quis malit dicare hoc à summo pontifice de plenitudina potestatis indulgeri, idque tantùm eo casu dum prioris contractus impedimentum occultum est: nimirum ad euitandam infamiam qoæ incurreretur per iteretum publicè matrimonium causa iterationis latente. Posset etiam dici pontificem sic intarpretari mentem concilij. Mens enim non fuit vt talas sic coniuncti deberent occoltum impadimentum coram parocho & testibus prodere, aut non prodendo grauiorem etiam de se suspicionem facete, quod videtur aliquo modo esse contra legem naturæ, cui derogare non voluit synodus Trident. & similis est rasponsio de alijs casibus, vbi nec pastor, nec apiscopus, nac vicarius haberi potest, nec ad eos tutus est accessus: quo casu iam declaratum est sina parocho valere matrimonium, noo per nouam constitutionem, aot dispensationem, aut deceteri ex patre derogationem, sed solùm per interpretationem.

Nonum, De hæreticis habitantibus in parochijs, in quibus publicatum fuit decretum concilij, respondit supradicta congregatio, matrimunium ab ijs contractum aliter quàm præsente parocho esse nullum. Qnod idem multò magis sentiendum est de contrahentibus, quorum alter sit catholicus, altare hæretica, vel contrà. Ratio est, quia decretum concilij eos omnes obligat, tãquam subiectos iurisdictioni & legibus ecclesiæ. Neque enim ad solos catholicos potestas ecclesiasticæ iurisdictionis se extendit, verùm ad omnes eos qui per baptismi sacrameotum, semel in numerum fidelium sunt ascripti, quantomuis postea per schisma, vel heresim, vel qnomodolibet aliter à corpote & communione ecclesiæ fuerint separari. Eos enim omnes tanquam iure sibi subiectos ecclesia iudicat & punit. Et sanè nimis absurdum foret illis suam malitiam

A vsque adeo patrocinari, vt propter eam à iurisdictione, legibus, & constitutionibus ecclesiæ absoluti, liberi atque immunes essent, cùm nemo de malitia sua commodum, sed incommodum potiùs ac pœnam tẽporrare debeat.

Decimum. Si duo contraxerunt matrimonium corem parocho alieno, proptetaa quòd proprius eorom parochus vel esset palam hæreticus, vel profugus; vel expulsus, vel mortuus, vel omnino quie ecclesia parochialis carebat suo rectore; irritum nihilominus esse contractum, ex sententia congragationis supradictæ declarauit Gregorius 13. Ratio patet ex verbis decreti.

B Vndecimum. Si duo siue hæretici siue catholici vndecumque illi aduenerint, morãtes tamen seu suas sedes habentes in ciuitate vel parochia siue catholica siue hæretica, in qua decretum synodi nondum fuit publicatum, contraxerint coram ministris sectarijs, vel omnino aliter quàm præsente parocho, &c. non impedit decretum, quò minùs verùm sit matrimonium; quia vt in fine decreti dicitur, non priùs ipsum in vnaquaque parochia robur suum habere incipit, quàm post 30. dies à dia prima publicationis in eadem parochia factæ oumerandos. Ita quoque censuit supradicta deputatorum congregatio.

C Duodecimum, Si dicto modo contrahentes in tali ciuitate vel parochia noo fixerant sedem, sed habitationem habebant io parochia, in qua publicatio decreti facta fuerat, oullus est contractus virtute decreti.

Decimumtertiũ: Matrimooium in ijs quas hæretici occupant prouincijs, ab ijs contracta qui sunt oriundi ax aliquo loco, vbi publicatum fuit decretum concilij; nisi contracta fuerint coram aliquo sacerdote, ad hoc specialem potestatem habente, omnino nulla & irrita esse pronunciat nouissime synodus Cameracensis titulo de sacramento matri-

D monij cap. 1.

Decimumquartum: Eedem synodos cap. 2. eiusdem tituli declarat neminem censeri alicuios perochiæ aut diœcesis quoad matrimonium contrahendũ, nisi qui animo ibidẽ residendi, nõ autem statim ad propria redeundi vel aliò commigrandi, in ea vel diœcesi vel parochia sedẽ fixerit; ita vt studiosi qui in aliqoa vniuersitata vel alio oppido studijs incũbunt, & alij similes sedem suam non habentes, non

E censeantur illius parochiæ vel diœcesis, quoad dictum effectum matrimonij cootrahendi.

Postremum: An ijs in locis vbi per hæresim parochiæ & diœceses in quibus aliquãdo publicatum fuit concilij decretum, subuersæ sunt, irrita iudicari debeant omnia matrimonia à quibuscumque contracta præter formam decreti Trid. velut nunc per vniuersam Hollandiam, & similia loca; nõnulli dubitant. Et quamuis ea nuno articulo videaotur iudicanda irrita, securiùs tamen fuerit ea de re explicationem patere & aapectare sententiam sedis a-

F postolicæ.

§. 9. *Solutio eorum quæ contra obijciuntur.*

QVi putauerũt vel etiam nũc putant penes ecclesiam non asse potestatam irritandi clandestina matrimonia, moti fuaruot huiusmodi rationibus. *S. Thom. vbi supr.*

Primũ, quia solus cõsensus inter legitimas personas, semper facit matrimoniũ Nã legitimę personę

in proposito dicuntur illæ, quarum consensus matrimonium facere potest: nihil ergo interest, verùm secretè an palam, vel curem arbitris contrahant, dummodo consensum mutuum signis idoneis exprimant.

Secundò: Ecclesie in constituendis matrimonij impedimentis, semper respicere consuenit ad præcedentem aliquam personæ qualitetem, ob quam habeatur illegitima: velut est certus gradus consanguinitatis vel affinitatis, vel aliquid simile. Hoc eutem in proposito ostendi non potest, quia tantùm hic ponitur impedimentum propter modum contrahendi, cuiusmodi nullum aliud hactenus extat. Vnde apparet quòd nullo certo argumento fieri potuit ecclesie se habere potestatem personas alioqui legitimas, ad sic contrahendum reddendi inhabilas.

Tertiò, Quicquid ad fidem pertinet, deducitur ex scriptura vel traditione apostolica tanquam principijs quibusdem dogmatum christianæ religionis: atqui ex illis non videtur probari posse, quòd potestas irritandi matrimonia clendestina competat ecclesiæ. Non ergo fide tenendum est ecclesiem ea in ra non errasse.

Quartò. Circa subiectum sacramenti nihil mutere potest ecclesie; vt verbi gratia, non potest efficere vt panis triticeus non sit materia Eucharistiæ, vel vt infans non sit capax baptismi suscipiendi: ergo personas quæ aliàs legitimæ sunt, & proinde capaces matrimonij contrahendi, non potest illegitimas fine ad contrahendum inhabiles reddere.

Quintò, Id quod est alicui sacramento accidentale, non potest ecclesia facere eidem essentiale. Neque enim posset irritum facere baptismum absq; solemnibus ceremonijs celebratū, vel occultè & sine testibus, aut ab elio quàm parocho collatum, ergo facere non potest, vt irritum sit matrimonium occultè contractum, quod enim fiat coram parocho, hactenus ad eius substantiam non pertinuit, sed accidentale illi fuit, igitur & modò tale remanet.

Sextò, Contractus matrimonij clendestinus ante decretum concilij fuit ratus iure diuino; igitur ecclesia non potuit eum irritum facere.

Postremò obijciunt ecclesiam frustrà edidisse tale decretum, eò quòd dum mederi vult quibusdam incommodis quæ ex claodestinis coniugijs oriebantur, aulam præbuit alijs malis atque incommodis, nihilo minoribus. Nam qui ante decretum cōtrahebant coniugium clendestinum, solent conuenire vt veri coniuges, nunc autem qui tale coniugium attentant, conueniunt vt fornicatores. Deinde fit vt in locis quæ ab hæreticis occupantur, vix vlla iam contrahantur vera matrimonia, sed omnia ferè quæ de facto contrahuntur, sint perpetuæ quædam fornicationes; vtpote non contracta iuxta formam decreti. Quod quidem malum & grauissimum est, & latissimè patens, & stante decreto incurabile.

Verùm ad hæc obiecta respondemus, & ad primum quidem ex verbis ipsius decreti, quo declaratur eos qui aliter quàm præsente parocho, &c. contrahere attentent, ad sic contrahendum inhabiles effici, ac proinde personas non esse legitimas, in quantum tali modo tentant matrimonium contrahere. Quamuis enim personæ in se, & secundùm qualitates sibi inhærentes considerata legitimæ sint, non tamen ex parte modi quo tentant contrahere; quia nimirum modus ipse non est le- A gitimus. Cui rei simile quid est in voto religionis, quemadmodum admonet Dominicus ad hanc distinctionem quæst. 1. art. 1. Sic enim potest ecclesia irritare matrimonie tali modo contracta, sicut non agnoscit vota vt solemnia & vim mortis ciuilis habentia, nisi quæ certo ritu & modo, quem ipse præscribit, facta fuerint.

Ad secundum respondent quidam, etiam eos qui præter formam decreti contrahunt, illegitimas esse personas, propter aliquid præcedens in ipsis seperatum: videlicet propter voluntatem sic contrahendi, qua durante maneant ad inuicem illegi- B timæ. De qua tamen, inquiunt, non potest ecclesia iudicare, nisi quando de facto tentant contrahere, tunc enim ex facto ipso patet voluntas præcedens. Et quia talis voluntas tantùm est qualitas transiens, mutata voluntate fiunt iterum legitimæ. Verùm cùm non sit necesse voluntatem huiusmodi antecedere contractum, & vt semper antecedat, posset tamen adhuc obijci non solere ecclesiam constituere impedimentum ex qualitate transeunte sed tantùm ex permanente; idcirco consormiter ipsius decreti verbis potiùs respondendum, non esse necessarium, vt in personis aliquid præcedat, C propter quod statuentur esse illegitimæ, nisi fortè ad hoc vt statuātur esse illegitimæ simpliciter; quod ipsum tamen meritò dubitatur. Quæ autem præter formam decreti contrahere tentant, illæ non simpliciter, sed tantùm ad sic contrahendum inhabiles, atque illegitimæ declarantur. Neque oportet eius rei antiquius aliquod exemplum extare. Sufficit enim certa ratione doceri, quòd ecclesia possit contractui matrimoniali huiusmodi ponere impedimentum. Nam in matrimonio christianorum non tantùm inuenitur ratio sacramenti, verùm etiam contractus ciuilis, in quo contractu visum fuit D Deo sacramentum aliquod instituere. Atqui matrimonium etiam quo parte contractus est, ita subest dispositioni ecclesiæ, sicut ad politicum magistratum pertinet disponere de contractibus merè ciuilibus, & sicut ethnici principes extra ecclesiam poterunt & adhuc possunt leges condere de contractibus coniugiorum ratis, vel irritis habendis. Quare sicut illi possunt & potuerunt ob causas iustas impedimenta obijcere dictis contractibus; ita potest ecclesia facere circa contractum matrimonij. Quæ quidem quoad hoc consistit in lege com- E muni, secundùm quam contractibus authoritate humana possunt ex rationabili causa poni vera impedimenta, non tantùm ex qualitate permanente personarum, verùm etiam ex modo contrahendi, vt per se patet, & facilè exemplis declarari potest. Vnde non est necesse ecclesiam habere huius rei in particulari probationem ex scriptura, vel traditione. Agit enim ea in parte secundùm legem & ius commune præfectis politicis & ecclesiasticis.

Atque ex his sequitur posse ecclesiam adhuc mul- F ta alia impedimenta ponere quoad modum agendi, si ita videretur expedire: velut quod irritum esset matrimonium inuitis parentibus, vel extra locum sacrum, vel tempore quadragesimæ contractum.

Ad tertium iam patet responsio. Sufficit enim ex scriptura vel traditione nobis constare, quòd causæ matrimoniales spectent ad iudices ecclesiasticos, vt secundùm canones aliquos est definitum in synodo Trident. sessione 24. capit. 12. quodque ecclesia in his quæ fidei sunt, definiendis errare non possit.

A Quartum argumentum generale est ad tollendam in vniuersum omnem ecclesiæ potestatem circa impedimenta matrimonij constituenda. Cui proinde breuiter respondemus subiectum sacramenti huius esse legitimas personas. Id autem ab ecclesia non mutatur. Semper enim legitimæ personæ manent subiectum susceptiuum huius sacramenti. Quæ sint autem vel non sint legitimæ personæ, pendet partim ex lege naturæ, partim ex positiua lege ecclesiastica. Nec mirum ecclesiam hoc posse circa subiectum huius sacramenti, cùm matrimonium in quantum est contractus quidam, B subsit dispositioni ecclesiæ. Quanquam & in alijs sacramentis possunt homines rem aliquam arte vel natura ex subiecto sacramenti facere non subiectum; vel ex materia non materiam & contrà, qui tamen non censentur subiectum vel materiam sacramenti immutare.

Ad quintũ respõdetur accidẽtale esse matrimonio, vt fiat corã parocho, etiam hodie, sed essentiale ei est, semperq; fuit, vt sit inter legitimas personas. Potest autem ecclesia ob rationem modò dictam, efficere quasdam personas legitimas, quæ reuera C non erant legitimæ, & contrà, vt clarè patet in extendendis vel contrahendis gradibus consanguinitatis & affinitatis, vel etiam in ijs dispensando.

Sextum quoque argumentum generale est ad omnia impedimenta dirimentia ab ecclesia constituta, velut est affinitatis & consanguinitatis, &c. Quocirca generaliter etiam respondemus, quòd contractus coniugalis legitimarum personarum semper est ratus, iure diuino ac naturali, sicut lege naturæ ratus est contractus emptionis & venditionis inter homines nulla lege prohibitos ab emendo vel vendendo, idq; vel simpliciter vel certo D modo. Sed sicut hic lex politica quosdam prohibet & prohibendo impedit à tali contractu, ita & ibi lex ecclesiastica à contractu matrimoniali. Qui autem sic prohibentur, iam non sunt legitimæ personæ, neque ad contrahendum habiles, vel saltem, vt synodus loquitur, *ad sic contrahendum*.

Ad postremum quoad priorem partem respondetur, quòd cùm per vniuersam ecclesiam notum sit coniugia clandestina irrita esse; fit vt ea iam non amplius frequententur, & si fortè per crassam ignorantiam ab aliquibus attentata fuerint, mox à præfectis error corrigitur. Estque malum tolerabilius E semel committi fornicationem, quæ veritate patefacta statim possit impediri, quàm in statu fornicationis, imò adulterij cõtinuò versari, ex eo quod rei veritas apud ecclesiam probari non possit, quemadmodum eueniebat in clandestinis nondum irritatis. Quoad posteriorem verò, ecclesiam ante omnia consulere voluisse filijs suis, qui nimirum intra ipsius gremium continentur. Nam quod ad hæreticos attinet qui sunt filij præuaricatores, & ecclesiæ leges contemnunt, vsurpare possumus illud Apocalypsis vltimo: *Qui in sordibus est, sordescat* F *adhuc*. Nihilominus etiam illi malo, quod ex mera hæreticorum inobedientia nascitur, poterit adhuc ecclesia maturiori consilio, quod aliquando futurum speramus, occurrere, idq; vel explicando decreti sui sententiam, vel nouum decretum aliquod statuendo.

IN

DISTINCTIONEM VIGESIMAMNONAM.

§. 1. *Quæ coactio, seu quis metus repugnet contractui matrimoniali.*



CVM perpetuus sit & indissolubilis duorum inter se coniugum nexus; fit vt consensus quo nexus ille perficitur, à plena debeat libertate voluntatis vtriusque proficisci, ne tum coniuges; tum status ipse coniugalis per se onerosus grauiori seruituti oneretur. Nam vt ait Nicolaus papa, 20. quæst. 3. cap. Præsens, quod quis non eligit, nec optat, profectò non diligit, quod autem non diligit, facillè contemnit. Atqui tradit philosophus 3. Ethicorum libertati voluntarij consensus obstare hæc duo, vim & ignorantiam. Quocirca præter ea quæ ad distinctionem 26. & 27. de consensu tanquam efficiente matrimonij causa dicta sunt, considerandum nunc deinceps quæ vis & quæ ignorantia talem consensum, qui ad matrimonium efficiendum necessarius est, excludant. Ac primò de violentia seu coactione cum Magistro agendum. S. Thom. suppl. q. 47. ar. 1. 2. 3. & 4

Verùm vt huic quæstioni clariùs exactiusque respondeatur, præmittendæ sunt aliquot diuisiones ad quæstionis explicationem necessariæ.

Primùm igitur distinguenda est violentia seu coactio. Quæ quidem duplex est. Alia quæ absolutam infert necessitatem, & voluntarium penitus excludit. Atque hoc à philosopho simpliciter violentum vocatur, quia nimirum tantùm ab extrinseco fit principio, neque ad motum vel actionem quicquam confert id quod patitur: velut dum quis alium renitentem loco depellit, motus ille depulsionis ei qui depellitur, simpliciter est violentus & nullo modo voluntarius, similiter si virgo totis viribus repugnans à stupratore fortiori opprimatur.

Huiusmodi ergo coactio, quæ rectiùs violentia dicitur, nullo modo potest efficere matrimonium, quia consensum penitus excludit. Sine consensu autem matrimonij rationem non consistere, manifestum est. Alia coactio est qua per metum aliquem voluntas quodammodo impellitur ad eligendum aliquid, quod extra metum posita non eligeret. Hoc autem violentum mixtum vocatur, quia consensum voluntatis non excludit omnino, velut dum mercator in periculo nauis demergendæ vt vitam seruet, iacturam facit mercium suarum, is simpliciter quidem iacturam non eligit, sed eligit tamen comparatione maioris mali, videlicet submersionis ac mortis suæ. Itaqui metu compulsus dat alicui fidem coniugalem, & id non simulatè sed reuera, is quidem consentit, sed consensu per vim ac metum extorto. Talis autem cõsensus interdum facit, interdum non facit matrimonium.

Quòd vt intelligatur, adhibenda est duplex distinctio. Prior: Metus alius est qui cadit in virum constantem, alius qui in virum inconstantem. Posterior: Metus aliquando iustè, aliquando iniustè infertur. Virum constantem vocamus qui inter maiora minoraque mala sciens distinguens, ea est animi firmitate, vt propter periculum minoris

mali, non se conijciat in maius malum. Inconstans autem & leuis censetur, vel qui inter mala minora maioraque non rectè dijudicat; vel ea est animi imbecillitate, vt metu mali minoris conijciat se in id quod maius est. Metus igitur cadens in virum constantem, is dicitur, quo ad euadendum maius malum, quod verisimiliter imminet, cogitur aliquis amplecti minùs malum: velut si timore mortis, mutilationis, seruitutis acerbi cruciatus, item perpetui carceris, exilij, infamiæ, aut amittendæ virginitatis consentiat in coniugem quam alioqui accipere nollet. Nam illa sano iudicio æstimantur grauiora mala, quàm habere vxorem quæ alioqui displicet. Si quis autem metu amittendi pallium, vel nummos aliquot, aut ne excidat gratia domini sui, vel è familia dimittatur, vxorem duxerit, inconstantis hominis est ille metus; quemadmodum & si quis mortem quidem & tormenta metuat, sed quæ verisimiliter non inferentur.

Ad quæstionem igitur propositam respondendum est, omnem & solũ metum cadentem in virum constantem, atque iniustè illatum, facere matrimonium irritum.

Quod si autem viro constanti metus iustè inferatur; velut si quis metu mortis à iudice cogatur eam ducere, quam se ducturum iurauit, aut si spe euadendi extremi supplicij, ad quod iustè condemnatus fuit, in eam mulierem consentiat, quæ se ad ipsius liberationem offert; talis metus matrimoniũ non facit irritum. Idemq́ue iudicium est si quis fornicationi ac dissolutiori vitæ assuetus, metu mortis æternæ quam Deus peccatoribus iustissimè infligit, vitam coniugalem alioqui sibi inuisam amplectatur.

Cæterùm plura de his qui volet, videat Dominicum in hanc distinctionem quæst. 1. art. 3. vbi tamen de metu iustè illato paulò aliter sentit, item Nauarrum cap. 22. enchiridij numero 51. vbi etiam multipliciter impugnat definitionem metus iusti à sanct. Thome traditam, Ac sanè videtur bene concludere.

§. 2. *Quæ sit ratio dictorum.*

CVm vterque metus tam is qui cadit in hominem inconstantem, quàm qui in constantem, æqualiter videatur vel tollere, vel minuere libertatem consentiendi, siue etiam iustè, siue iniustè inferatur, meritò quæritur cur alius impediat, alius non impediat matrimonium.

Quidam vt Richardus, Paludanus & alij complures, opinantur eius rei diuersitatem prouenire ex iure positiuo ecclesiastico: quasi nimirum voluerit ecclesia succurrere ei, qui metum iniustè passus, ab officio constantis viri non deflexerit; Quo remedio dignus non sit habitus, qui vel iustè metu affectus est, vel per ignauiam animi peccauit: alioqui in lege naturæ, ac diuina consistendo, æquè vtrumq́ue matrimonium validum esse. Rationes aliquot pro hac opinione collectas videre licet apud Dominicum.

Verùm enimuero si canones sacros diligenter expendimus, satis apparet non nouum aliquod ius per eos constitui, sed quid naturæ lex habeat, declarari Id quod imprimis ex rescripto Alexandri 3 manifestum est, extra de sponsalibus & matrimonijs hoc capitulo: Cùm locum non habeat consensus, vbi metus vel coactio intercedit, necesse est vt vbi assensus cuiusquam requiritur, coactionis materie repellatur. In quo decreto consensum intelligi oportet, ad matrimonium sufficientem.

Proinde Scoti & aliorum quorumdam sententia probabilior est, docentium ex ipsa naturæ lege ac matrimonij ratione dictam diuersitatem prouenire.

Omissis autem multis rationibus ramatis bonis, quas septem ordine recenset Dominicus, easdemq́ue soluere conatur, pro huius rei intelligentia, statuendum est fundamenti loco matrimonium esse contractum prorsus indissolubilem, ex quo consequens est omne illud impedire ne ratus fiat matrimonij contractus, quod eius perpetuitati atque indissolubilitati per se repugnat. Repugnat autem metus viri constantis iniustè illatus. Itaque consensus per talem metum extortus ratum efficere matrimonium non poterit. Quod autem talis metus perpetuitati matrimonij repugnet, hinc ostenditur; quia eiusmodi metum passus potest iustissimam querelam mouere de consensu extorto, atque ex iure naturæ iustissimè postulare, vt in priorem suam libertatem restituatur. Si ergo matrimonium esset contractus solubilis, ratum quidem esset per consensum sic extortum, sed querelam mouente apud iudicem eo qui vim iniustè passus esset, solui deberet per restitutionem in integrum Vnde idem pontifex cap. Abbas, extra de his quæ vi metusue causa fiunt, affirmat ea quæ per vim vel metum facta fuerint, debere in irritum reuocari. Nũc verò cum indissolubilis sit matrimonij contractus, postulat ius naturæ vt ratus omnino ac validus effici nequeat per eum consensum, propter quem aliàs dissolui deberet.

Cæterùm qui vel iustam metuendi causam non habuit, vel metum iustè passus est, non potest iustam querelam mouere de consensu extorto. Et proinde ratum est ex cõsensu per talem metum extorto contractum matrimonium.

Adde quod metus hominis inconstantis, non tã infertur per violẽtiam, quàm per ignauiam assumitur, cùm reuera non subsit causa tanti metus. Quare & consensus ex illo metu ortus, minùs coactus magisque voluntarius est eo metu, qui in constantem virum cadit, ex quo patet etiam ex parte voluntatij non eandem esse vtriusque consensus rationem.

Iam verò quæ de viro constante & inconstante diximus, eadem similiter ad mulierem sunt accommodanda: sic tamen vt sexus ipsius muliebris, qui per se infirmior & inconstantior est, ratio habeatur. Vnde non statim quicumque metus, & quæcumq; coactio feminã à matrimonio liberat, etiam virum liberabit, cùm sexus virilis aduersus vim & metum, per se magis sit aptus resistere quàm muliebris sexus; sicut etiam magis virilis ætas, quàm puerilis. Quò fit vt metus excusans puerum vel mulierem ab inconstantiæ vitio, non continuò excuset virum.

§. 3. *Consensus coactus cum iuramento an faciat matrimonium.*

QVæstio est superiori cohærens, vtrùm consensus per vim extortus, & iureiurando firmatus, matrimonium efficiet. Et rursum: Vtrùm rata sint sponsalia per vim extorta, eaque iureiurando firmata. Ad hæc duo non vno modo respondendum videtur. Nam sponsalia sunt contractus solubilis, matrimonium contractus insolubilis. Ex

S. Thom. suppl. q. 46 ar. 2. vide etiam q. 47 ar. 2.

quo

quo fit vt in sponsalibus quemedmodom ente diximas, locum habere possit restitutio in integrum, in A matrimonio non item. Quia restitutio in integrtem soluit qood ratum erat; matrimonium autem semel ratum, solui iam non potest. Quare si quis iusto metu, id est, cadente in virum constantem iniustè compulsus iurauit se docturum aliquam; rata quidem habetur promissio propter honorem diuini testimonij per iuramentuut allegati, sed ei qui sic iurauit, per restitutionem in integrum, & dispensatoriam iuramenti relexationem succurri potest tanquam vim & iniuriaor passo. Atque hoc modo solvetur obligatio. B

At verò si quis simili metu impolsus consentiat in matrimonium eddito iuramanto; is neque ratum efficit metrimonium, neque si mulierem non retineat, periuriū incurrere videtur. Prioris quidē ratio est, qoia ratiooi matrimonij quatenus est cōtractus insolubilis, repugnat vt coalescere possit per talem consensum, vt suprà ostensum est. Iuramentum autem adiuoctum, quemadmodum rationen consensus non mutat, neque pleniorem eum efficit aut liberiorem; ita ex non matrimonio matrimooium facere non potest. C

Posterioris eotem ratio ita explicatur, quia iuramentum illud vel est super consensu, vel super contractu. Si super consensu, manifestum est oullum esse periuriom; qoia sic iurantem facimus verè consentire, tametsi consensu coacto. Si super contractu, ne sic quidem periurium committi videtur; quia talis verè contrahit, quantom in ipso est in tali metu posito; ponitur enim verè consentire in contractum. Verùm sicut non mentitur affirmans se contrahere, & mulierem accipere in suam; ita nec periurus erit, si hoc ipsum iurameoto confirmet. Est enim sermone quotidieno receptum, vt contrahere, vendere, emere dicantur etiam illi, D quorum contractus non sunt rati. Esset autem periurus, si eum tantùm ex metu iniustè illato, & in virum constantem cadente consentiat, iureret se liberè cōsentire, aut verū contrahere matrimonium; præsertim si interim sciret propter huiusmodi impedimentum, non esse ratom quod facit.

Sed contra hæc objicitur capitulum, Inter cætera, 22. quæst. 4. ex Augustino scribante ad Seuerum Mileuitanum episcopum. Cui quærenti quid agendum de Hubaldo quodam, qui ceptus & timore necis impulsus, suæ concubinæ iuramento firmauerat ipsam in coniugem suscipere; ita respon- E der. Quia verò quem priùs concubinam habuerat, non est peccatum in coniugem suscipere, matrimonium sit in Deo firmum & stabile. Ad hanc obiectionem glossator varias adfert solutiones. Sed notandum imprimis est, ea verba apud Augustinum nusquam legi, ac reuera (quod ex dictione satis colligitor) non esse Augustini. Deinde eum Dominico dici potest ibi oon fuisse contractum de præsenti, sed sponsionem de futuro, quam tametsi metu extortam, si iusiurandum accesserit, obligere iam diximus. Vnde non ait author matrimonium F ex tunc fuisse firmum, sed hoc pacto matrimonium fit in Deo firmum & stabile, id est, quia rem licitam & sanctam iureuit se facturum, videlicet concubinam suam in vxorem accepturum, confirmetur ea sponsio per contractum de præsenti, vt sit matrimonium.

Eodem ferme recidit quod ait glossa, verbom sic non poni præceptiuè, sed hortatiuè; vt significetur eum qui compulsus iorauit rem bonam, licèt iure cogi non possit ad retinendam mulierem, hortādum tamen esse vt matrimonium libero consensu confirmet.

Porrò sciendum quod casuum ex coactione emergentium, occasiones magna ex parte minuit atque amputauit Trident. synodus, quando sustulit coniugia, quæcumque aliter quàm præsente parocho, &c. fiunt. Dum enim hic modus necessariò seruatur, fit vt quàm rarissimè eiusmodi coactioois casus occurrant.

§. 4. *An parentes liberis suis præcipere possint de matrimonio contrahendo.*

EX ijs qoæ de consensu coacto disputantur ad hanc distinctionem, solet etiam quæstio mooeri de consensu præcepto, scilicet an de matrimonio contraheodo aliquid præcipera possint suis liberis parentes, siue in geoere vt matrimonium contrahant, siue vt contrahant cum certis hominibus. S. Thom. suppl. q. 47. ar. 6.

Ad qoam quidem respondendum est, paternam potestatem nooextendi ed ea præcipienda, in qoibus par est filius patri: euiusmodi sunt omnia ea quæ ad vniuersum vitę cuiusque statum pertinent, quale est vel maximè matrimonium.

Deinde cum in matrimonio quædam insit perpetua seruitus, nequit pater filium, vtpote liberæ conditionis existentem, suo præcepto in illam seruitutem compellere, vt rectè ratiocinatur S. Thomas in banc distinctiooem.

Idem confirmant duo decreta Vrbani papæ à Magistro in textu citata, qoæ habentur apud Gratianum 31. quæst. 2. Et rursum ea quæ habentur in decretalibus, titulo de desponsatione impuberum. Huc etiem pertinent quæ ad superiorem distinctionem diximus, de matrimonijs sine parētum conseosu contractis.

Neque his obstet lex decalogi de honorandis parentibus, qoæ sine dubio obedientiam comprehendit, neque apostolicum illud præceptom: *Filij obedite parentibus per omnia.* Coloss. 3. Nam obedientia in vnoquoque genere non ad alia necessariò extenditur, quàm ed quæ se extendit præcipiendi potestas. Quod ergo dicitur, *omnia*, intelligendum accommodatè, nimirum ea omnia quæ parentes filijs pręcipere possunt. Vnde sicut illicita & inhonesta, sub illa generalitate non continentur, ita nec ee in quibus natura filios suæ potestati ac libertati relinqueodos docet. Quod si rursum objicias posse patrem necessitate pressum liberos suos vendere in seruitutem, saltem secundùm leges antiquas; multò igitur magis posse eos ad vxorem ducendam cogere, cùm hoc malum vera æstimatione minus sit seruitute. Respondemus id non esse consequens, tum quia seruitus suapte natura non est perpetue sicut coniugium, Possunt enim serui aliquando libertatem assequi; tum quia seruilis status per se oon exigit amorem, coniugalis autem natura sua beneuolentiam & amicitiam, eamque summam requirit. Quem proinde statum minùs oportet alieno subiacere imperio.

Cæterùm quamuis pater filio in negocio coniugali præcipere non possit; attamen prout causæ occurrunt iustæ ac rationabiles, vel ex parte parentis, vel ex parte filij vel etiam aliunde, potest pater inducere filium consilijs, hortationibus ac monitis, & nonnunquam præcepto vt vxo-

rem ducat, atque etiam vt hanc vel illam ducat. Idque confirmatur exemplo scripturæ sacræ. Nam Genes. 38. Isaac patriarcha prohibuit Iacob filio suo, ne acciperet coniugem de genere Chanaan, simul præcipiens vt aliquam acciperet de filiabus Laban auunculi sui. Iam si de filijs hoc fatendum est, magis verum erit de filiabus, quas natura ipsa à directione magis voluit dependere.

Porrò tali præcepto vel prohibitioni eatenus filius obedire tenetur, quatenus ad eum pertinet causa præcepti: Vt si causa ipsum omnino obliget, tum præcepto patris omnino atque absolutè parere debeat, exempli gratia, si pater præcipit filio vxorem ducere, quia videt eum scortari & incontinenter viuere, neque aliud sperari remedium illius mali, nisi coniugium; tenetur filius patri sic præcipienti obedire, quia tenetur à fornicatione abstinere. Idem iudicium si pater in vitæ periculo constitutus, aliter inde euadere non possit, nisi filio hanc aut illam vxorẽ ducente. Vel si pater inopia pressus, aliter quàm per filij cõiugium iuuari nequeat. Ratio est, quia tenetur filius patri periclitanti & egenti succurrere.

De prohibitione idem quoque dicendum, vt si filius ducturus videatur vxorem hæreticam, maleficam, vel aliàs criminosam aut malè moratam, id ne faciat prohibenti patri protsus obedire debet. Tenetur enim quisq; lege naturæ periculum suum vitare.

Quòd si verò causa pręcepti non omnino filium obligat, sed honesta tantùm est & rationabilis; tum filius non simpliciter tenetur patri præcipienti obedire, quia non omne quod honestum & rationabile est, ex præcepto obligat; quemadmodum de consilijs patet. Itaque si matrimonium sit futurum & honestum & vtile tam filio quàm toti familiæ, aut si sponsalia à parentibus iurata erant; honestum est filio, acquiescere præcepto patris, non tamen necessarium. Idemque rursum de prohibitione sentiendum.

§. 5. *Utrùm inter absentes contrahi poßit matrimonium.*

Vide S. Thom. q 41. supp. & q. 45.

QVoniam in altero Vrbani decreto quod à Magistro recitatur, legatorum fit mentio, quæri hîc solet, vtrùm per legatos seu nuncios vel epistolas contracta inter absentes matrimonia sint valida. Ad quod respondemus nihil obstare, quò minùs valeant ac rata sint, consistendo intra terminos legis naturalis ac diuinæ. Sicut enim inter præsentes per interpretem vel scriptum vel aliam similem voluntatis, & consensus hinc inde testificationem contrahi possunt; ita per nuncios ac procuratores vel epistolas inter absentes, dummodo qui consensum suum hoc pacto declarauerunt, vel eorum alter priusquam nuncij conueniant, vel epistolæ perlatæ fuerint, voluntatem non mutet. Oportet enim consensus ipsos actu vel virtute permanentes, vtrimque concurrere in eodem tempore. Qua de re consulantur Dominicus ad distinctionẽ 27. quæst. 1. artic. 3. & Nauarrus enchiridij cap. 22. numero 80.

Diximus autem consistendo in lege Dei & naturæ, quia humana lege posset inualidum fieri eiusmodi matrimonium. Ac fortasse quia per decretum Synodi Trident. *Quicumque aliter quàm præsente parocho, &c.* matrimonium contrahere attentant, ad sic contrahendum redduntur inhabiles; consequens cuipiam videatur, hodie inter absentes non posse fieri rata matrimonia cis locis, in quibus concilij decretum publicatum est, eò quòd parochus præsens esse nequeat contrahentibus, nisi & contrahentes ipsi sibi mutuò sint præsentes.

Verùm id non videtur reuera consequens. Nam fingi possunt aliquot modi quibus inter absentes contrahatur matrimonium, saluo concilij decreto.

Primùm si dicamus parochum vnà cum testibus præsentem esse debere, non vbi contrahentes sunt, sed vbi fit ipse contractus, siue per ipsos fiat, siue per procuratores ipsorum. Nam quod dicitur: *Qui aliter quàm præsente parocho, &c.* rectissimè sic intelligitur, qui siue per se siue per procuratores. Nam matrimonium est contractus humanus, atqui contractus humani fieri possunt per procuratores habentes sufficiens mandatum, & in illis locum habet regula iuris: *Quod quis per alium facit, per se facere censetur.* Nec fuit voluntas Patrum concilij Trid. simpliciter abolere matrimonia pro procuratores, cùm interdum incidat necessitas, præsertim inter regum & principum filios & filias. Vnde relinquerunt sic intelligendum suum decrętum sicut dixi.

Secundò, quia parochus & testes proficisci possunt, ad contrahentes diuersis locis positos, atq; vnius consensum ad alterum perferre.

Tertiò, quia possunt contrahentes vicissim ac diuerso tempore parochum & testes accedere, suumque eis consensum significare, vel etiam chirographum consensus ac ratihabitionis apud eos relinquere.

Denique quibus modis alij contractus fieri possunt inter absentes, adhibito testiũ numero, ijsdem & hic contractus inter absentes fieri poterit. Nam quod ad parochum attinet, talis eius præsentia sufficit, qualis & testium.

Sed vlteriùs quęret aliquis, An contractum inter absentes matrimonium, sit nouæ legis sacramentũ, quo nimirum gratia conferatur.

Durandus quidem ad distinctionem vicesimamsextam. quæstion. 3. vt probet matrimonium non esse sacramentum vniuocè cum alijs sacramentis, vtitur hoc argumento, quia contrahitur etiam inter absentes, quod in cæteris sacramentis nulla ratione fieri potest, vt videlicet absentibus conferantur. Caietanus autem tomo 1. tractatu 12. quæst. 1. quæstionem hanc ex professo tractans, etsi non dubitet matrimonium esse vnum è septem nouæ legis sacramentis; de eo tamen per procuratores quod inter absentes contrahitur, sentit ipsum non esse ecclesiæ sacramentum, ob has rationes.

Primùm, quia nullum sacramentum suscipitur per procuratorem, cùm receptio sacramenti sit passio personalis, sicut collatio sacramenti actio est personalis. Quod & probat exemplo sacramenti pœnitentiæ. Nam sicut sacramentum matrimonij consistit in contractibus, ita pœnitentiæ sacramentum in actibus iudicialibus, in quibus vtrisque per procuratorem multa fieri nihil prohibet. Nec tamen id quod propriè sacramentum est, videlicet absolutio sacerdotalis, potest per procuratorem agi aut suscipi: igitur nec in matrimonij contractu per procuratorem absens aliquis recipiet sacramentum.

Deinde quia sequeretur virum & mulierem dormientes, aut aliter occupatos, cùm nihil omnino aut à seipsis, aut à ministro sacramenti, circa

cos fiat; sacramentum suscipere, tunc quando ipsorum nomine alij contrahunt. Quod non solùm absurdum esse censet Caietanus, verùm etiam non intelligibile; præsertim si concedatur sacramentum illud constare materia & forma, quas applicari necesse est suscipientibus.

Postremò, quia sequeretur quòd dormiens peccaret mortaliter peccato sacrilegij, suscipiens tunc sacramentum in peccato mortali. Itaque concludit coniugium eiusmodi non esse sacramentum, donec coniuges ipsi coram ratificent contractum.

B Hanc Caietani sententiam Dominicus distinctione 27. q. 1. art. 3. etsi non negar esse probabilem, diuersam tamen ipse tanquam probabiliorem amplectitur, his rationibus motus.

Primùm, quia Christus matrimonium simpliciter & absque vlla exceptione instituit esse sacramentum.

Deinde, quia etiam illud quod inter absentes contrahitur, ratione & varitata nouæ legis fit indissolubile.

Tertiò, quia gratia tam est necessaria in tali matrimonio, quàm in alijs.

C Postremò, quia si non esset sacramentum, non deberet ab ecclesia permitti.

Quamquam hæc Dominici argumenta non adeo vrgera videntur, atque ea quæ pro se adfert Caietanus. Quòd si vera est eorum sententia qui sacramentum hoc non putant conferri nisi per ministrum ecclesiæ, quam nos vtique verissimam putamos; fie multò plus accedet probabilitatis sententiæ Caietani. Neque enim sacerdos vllum sacramentum conferre potest absentibus, id est, ijs qui à sacerdote absint, licèt adhuc consistere possit, vt à sacerdote conferatur successiuè ijs qui à se mutuò remoti atque absantes per nuncios contrahunt.

IN DISTINCTIONEM TRIGESIMAM.

§. 1. *Quis error matrimonium impediat, & quare.*



S. Thom. suppl. q. 51. art. 1. & 2.

ALTERVM eorum quæ libertati cō sensus matrimonialis obstare dicebamus, est error seu ignorantia. Contingit autem circa matrimonium error quadruplex: videlicet, personæ, conditionis, qualitatis & fortunæ. Error personæ est, quo circa personam erratur, verbi gratia, si putetur esse Paolus qui est Antonius, vel contrà; non quidem vt fit error in nomine, sed in homine sic nominato. Error conditionis, quo circa conditionem liberam vel seruilem, vt si liber putetur qui seruus est vel contrà: Error qualitatis contingit circa inhærentem aliquam qualitatem, vt si frugi putetur qui prodigus est, si sobrius qui ebriosus, si nobilis qui ignobilis, si virgo quæ corrupta, si pulchra quæ deformis, vel contrà. Error fortunæ, quo circa bona externa seu possessiones erratur, vt si diues putetur qui pauper est vel contrà. Cæterùm inter hos errores quoad impediendum vel non impediendum matrimonium, magna est differentia. Nam error personæ omnino & semper impedit, ne ratum sit matrimonium. Error conA ditionis interdum impedit, interdum non impedit; Error autem qualitatis aut fortunæ nisi quid aliud concurrat, nunquam impedit, & de errore quidem conditionis ad distinctionem 36. cum Magistro ex professo agetur.

Quare autem error personæ matrimonium excludat & non error qualitatis, vel fortunæ; manifesta est ratio, quia error personæ aduersatur substantiæ matrimonij, quæ cōsistit in translatione mutua corporum inter duas personas. Iam verò vbi circa personam erratur, non possunt designari duæ personæ sibi inuicem consentientes ad mutuam corporum translationem. Nam verbi gratia Petrus in Mariam cōsentit, non in Catharinam quæ ei pro Catharina præsentatur. Licet ergo Catharina in eundem Petrum consentiat, non fit matrimonium, quia non est inter illos consensus mutuus.

In hanc doctrinam consentiūt canones qui sunt apud Gratianum 29. quæst. 1.

Idemque confirmatur ex simili. Nam si ementi aurum supponeretur eius loco orichalcum, aut vini loco acetum, cum substantia diuersa sit, nullus est contractus, nec id modò lege ciuili, verùm etiam naturali.

Ex his ergo consequens est errorem personæ impedire contractum matrimonij, non tam lega aliqua positiua, quàm ex ipsa natura rei.

§. 2. *Obiectionum quarundam dissolutio.*

ADuersus iam dicta primum obijci solet exemplum Iacob patriarchæ, cui cùm Rachel in coniugem promissa fuisset, introducta est ad eum Lia, vt habemus Genes. 29. Atqui verum illud inter Iacob & Liam fuisse matrimonium ex eo apparet, quia fatendum alioqui esset sanctum patriarcham eo concubitu adulterium vel saltem fornicationem commisisse. Deinde quia eam postea agnito errore nihilominus pro vxore retinuit. Respondamus Iacob & Liam nocte illa nuptiarum qua conuenerunt, non fuisse coniuges propter errorem personæ, quia Iacob non in Liam consentiebat, sed in Rachelem sororem eius, pro qua septem annis seruiuerat. Postmodum autem nouo consensu interueniente coniuges facti. Neque negandum est concubitum illum primæ noctis fornicarium fuisse, quantum quidem ex natura actus, & vt loquuntur materialiter, quia reuera erat congressus soluti cum soluta. Sed tamen quod attinet ad intentionem & voluntatem ipsius Iacob, fornicatius non erat, quia cum excusabat ignorantia facti; quippe qui putaret promissam Rachelem, ad se adductam fuisse. Vt autem Liam non statim agnosceret, hæc causa fuit; quia solent olim sponsæ obuelata facie traduci ad torum maritalem pudoris causa. Vnde & nuptiæ à nubendo, id est, velando apud Latinos dictæ sunt, quo more per se honesto & laudabili ad fallendum generum suum abusus est Laban, pater Liæ. Ipsam verò Liam nihil est necesse à peccato excusari. Erat enim filia hominis idololatræ, & patri suo in ea mala obsequebatur. Quod autem Magister respondet in mysterio factum fuisse, vt sancto viro Lia pro Rachele supponeretur, (cuius quidem mysterij explicationem videre est apud Augustinum, libro 22. contra Faustum capite 51. & sequentibus) non satis est ad huius facti excusationem, quandoquidem non tantùm per ignorantes verùm etiam per peccantes

multa

D. Thom. quæst. 51. art.

multa in populo Israëlitico mysticè fuerunt præsignificata, quale est & illud, quod per os Caiphæ nescientis, simul & grauissimè peccantis, spiritus diuinus oraculum protulit.

Secundò objicitur exemplum Isaac patriarchæ cuius rata fuit benedictio, tametsi circa personam errantis, benedixit enim Iacob pro Esau, & ratum fuisse quod fecerat, ipse postea confirmat dicens, *Benedixi ei & erit benedictus*. Genes.27.

Respondeo benedictionem illam vel ratam fuisse ab initio, eò quòd intenderet Isaac benedicere filio suo, siue is esset Esau siue Iacob, & ita propriè non erat error personæ, quia in hunc hominem modò filius suus esset, ferebatur voluntas benedicentis. Vel initio propter errorem personæ inualidam, postea intellecta Dei voluntate, ab ipso fuisse ratificatam, quod significatur illis verbis: *Benedixi ei & erit benedictus*, alioqui certè nihil ei patris benedictio profuisset. Adde quod factum Isaac erat propheticum. Vnde sicut per Balaam nolentem, ita & per Isaac eratiem potuit Deus in Iacob eiusque posteritatem conferre benedictionem.

Tertiò objicitur quod in cæteris fit sacramentis. Si quis enim intendens baptizare Petrum baptizaret Ioannem, verum conferret sacramentum, verèque baptizatus esset Ioannes per errorem pro Petro baptizatus. Et ita in alijs sacramentis, ergo & in sacramento matrimonij consentaneum est rem similiter se habere. Ad hoc respondeti potest baptizantis intentionem esse de hoc homine baptizando, quamuis nesciatur esse Ioannes, aut putetur esse Petrus, quod non ita est in matrimonio. Nam matrimonium non tantùm est sacramentum verùm etiam contractus, qui fit inter certas personas præcisè cum exclusione aliarum. Vnde si error personæ ibi contingat, irritum est quod agitur. Etenim contractus matrimonij non tantùm est inter personas, sed etiam de personis: quia personæ sunt res ipsæ hinc inde tradendæ. Sicut ergo in contractibus debet tradi res ipsa de qua conuentum est per consensum contrahentium, & non licet aliam pro alia substituere, nisi de consensu præsumpto; ita in matrimonio. Sacerdos tamen duos aliquos matrimonio coniungens, etiamsi fortè circa personam erret, verè benediceret, imò & verè conferret matrimonij sacramentum, iuxta illos qui sacerdotem huius sacramenti censent esse ministrum. Aliter huic argumento respondet Dominicus; Dicit enim in baptismo & alijs sacramentis intentionem ministri non esse proximam causam effectus sacramentalis, nempe characteris & gratiæ, sed elementum & verbum; ideoque errorem baptizantis alium pro alio, non tollere effectum: consensum autem esse causam proximam vinculi matrimonij, qui si fertur in Petrum, non fertur in Ioannem; & proinde non esse simile. Iuxta quam responsionem fatendum esset eum verè baptizari, quem sacerdos per errorem baptizaret, etiamsi intentione sua actuali; immo & protestatione verbali eum omnino à baptismo exclusum vellet, & errore remoto nequaquam baptizaret. Quod an ita sit, meritò dubitari potest, & diligentiori examine opus habet.

Quartò objicitur, si filia regis vel magni alienius principis consentiat in virum aliquem quem credat esse filium alterius cuiusdam regis, aut principis, cùm reuera fit homo plebeius; nullū erit matrimonium propter errorem qualitatis, quæ est, filium esse regis aut principis. Item, si mulier consentiat in eum quem falsa narratione vel persuasione delusa credit esse primogenitum; ideoque præ cæteris filijs in bonis paternis successurum, cùm reuera talis non sit; similiter nullum erit matrimonium: ergo non tantùm error personæ & conditionis, verùm etiam qualitatis & fortunæ videtur matrimonium contrahendum impedire. Ad hos & huiusmodi casus respondendū est, contingere posse, vt error qualitatis aut fortunę redundet in errorem personæ. Quod quotiescumque fit, irritum est matrimonium; non propter errorem qualitatis aut fortunę, sed propter errorem personæ coniunctum. Hoc autem vt rectè diiudicetur, examinandum est diligenter, vtrùm errantis consensus ferebatur in hāc particularem personam directè, an verò in personam cui talis qualitas adiacet; videlicet primogenitum esse aut filium regis. Nam priori modo, solùm in qualitate error est; posteriori modo in persona; & ibi quidem ratum fit matrimonium: hic autem irritum existit. Quare de casibus propositis alijsq́, similibus iuxta dictam regulam pronunciandum erit, quemadmodum declarant sanctus Thomas in hanc distinctionem art. 2. ad 5. Dominicus quæst. 1. art. 1. Item Siluester in verbo, matrimonium, numero 8. quæst. 1. & Nauarrus enchiridij. cap. 22. numero 32.

Postremò objicitur, Si qua mulier per errorem contrahat cum viro frigido vel maleficiato, etiamsi directè in personam consentiat, nullum fit matrimonium: vbi tamen solus est error qualitatis. Sed facilis est responsio tali casu frustrari contractum matrimonij, non propter errorem aliquem. Nam siue sciatur, siue ignoretur virum esse taliter affectum, constare cum eo non potest matrimonium, propter impedimētum frigiditatis vel maleficij: & idem iudicium est de alijs impedimentis dirimentibus, vt propinquitatis, voti solemnis, infidelitatis &c. His enim omnibus impertinēs est vtrùm ignorata fuerint an præcognita: quia per se matrimonium impediunt.

§. 3. Ob quas causas debeant aut possint contrahi matrimonia.

POst considerationem eorum quæ ad consensum pertinent, tanquam efficientem matrimonij causam; aliquid adjiciendum est de causa eius finali. *S. Thom. suppl. q. 48. a. 2 & q. 49 toto.*

Finis itaq; matrimonij actusq; ipsius matrimonialis, proprius & primarius est filiorū procreatio atq; educatio. Propter hunc enim finem matrimoniū ab initio fuit à Deo institutū. Cuius etiā causa sexuum diuersitas in humano genere constituta est, dicente scriptura Genes.1. *Masculum & fœminam creauit eos. Benedixitq; illis Deus & ait: Crescite & multiplicamini & replete terram.*

Est autem & alius quidam matrimonij finis, sed secūdarius & accessorius, idemq; tēpore posterior. Quoniam enim per peccatum primorum parētum, fœdę libidinis vicium in humanam naturam irrepsit; factum est, vt qui sibi suæ infirmitatis conscij, carnis pugnam sustinere vel nolunt vel non possunt, permittantur vti matrimonio, tanquam suæ incontinentiæ remedio, ad vitandam fornicationem, aliasque damnabilia libidinis peccata, vnde apostolus 1. Corinth.7. *Propter fornicationem*, inquit, *vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque suum virum.*

habeat, & unaquaque suum virum. Et paulò pòst, *Reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas, propter incontinentiam vestram.* Et iterum: *Qui non se continent, nubant.* Atque hunc finem, videlicet libidinis vsum intra matrimonij terminos, concedit ibidem apostolus, *Secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Ex quibus apostoli verbis quæstio exurgit, vtrùm hic coniugij finis bonus sit, & licitus, præsertim cùm postea dicat, *Quod si non continent nubant.* Cui quæstioni quomodo sit respondendum, ex ijs quæ proxima distinctione dicentur, patebit.

Cæterùm præter hos duos fines, qui propriè sunt ipsius matrimonij, & actus eius, sút & aliæ causæ, quibus homines inducti coniugia suscipiunt, vel certo delectu coniuges accipiunt. Sed hæ causæ non tam sunt ipsius matrimonij quàm eorum qui matrimonium contrahunt, neque certo numero comprehendi possunt. Sunt autem earum aliæ honestæ ac licitæ, aliæ inhonestæ atque illicitæ.

B Honestæ aut certè non damnandæ causæ sunt istæ: hæredis relinquendi desiderium, diuitiæ, forma, gratia, generis splendor, morum similitudo aliæque similes: quibus tamen omnibus præferuntur religio, pietas, morumque probitas; vtpote per se bonæ. Inhonestæ verò sunt quæcumque pietati aliquo modo aduersantur, vt hæresis, auaritia, ambitio, libido & similes.

C Honestis causis annumerauimus formam seu pulchritudinem. Ea enim nihilo magis quàm vtilitas, inter inhonestas causas recenseri debet; cùm pulchrum suapte natura sit amabile. Vnde Deuter. 21. pulchritudinem honesti amoris causam esse, significatum est in his verbis: *Si videris in medio captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, & volueris eam habere vxorem, &c.* Quanquam præter hanc causam ex naturali inclinatione sumptam, potest & alia iusta esse ratio, cur formosam præ deformi quis eligat: nimirum vt proles suscipiat nullo deformitatis vicio apparente contracto notabiles.

D Quæ cùm ita sint, inmeritò patriarcham Iacob, in ordinati amoris incusauit olim apud Augustinum Faustus Manichæus, & hoc nostro seculo Caluinus ex eo quod Rachel formosam præ Lia sorore eius quæ lippis erat oculis, adamauerit, quasi Liam natu maiorem, ac probitatis ratione commendabiliorem per hoc iniuria affecerit. Quibus respondendum nullam primogenitæ factam iniuriam, cum libera omnino oporteat esse matrimonia. Nā quod Lia probitate sororem antecesserit, nusquam indicat scriptura. Sanè honestum ac temperatissimum fuisse sancti viri amorem erga Rachel, vel inde liquet, quòd ab ea se continuerit totos 7. annos quibus pro ea seruiuit, licèt cum ipsa quotidie intra eosdem versaretur parietes, quodque sororem eius fraudulenter ad se introductā non abiecerit, quamuis id iure posset, sed eius honori consulens statim in coniugem acceperit.

E Iam quod de pulchritudine dictum est, idem de dote & opibus dicendum. Possunt enim hæc experi iustas ob causas; vt videlicet honestam cum coniuge & familia quis habeat sustentationem, vt liberis educandis atque instituendis sit commodè prospectum, vt honestum ijs patrimonium relinquat, vt habeat vnde liberaliter tribuat egenis. Estque similis ratio de omnibus causis per se indifferentibus. Hæc tamen eadem si vel malo fine vel inordinato modo expetantur, ad inhonestas causas referenda erunt: & pro ratione affectus quo expetuntur, nunc venialis culpæ, nunc mortalis reum facient.

F Sciendum denique matrimonium, quocumque fine contrahatur, dummodo cōsensus adsit de præsenti, quo legitimæ personæ sibi inuicem corporum suorum tradunt potestatem, semper ratum & validū esse. Ac rursum, quocumque fine ab ijs qui inter se contrahunt, tum vtrumque seu in genere suo ac proprio fine bonum esse, siue quatenus naturale vinculum est, siue quatenus sacramentum. Nam etsi contingat actum illū quo inter se coniuges contrahūt, vel ex prauitate finis, vel ob aliam circunstātiam viciari sic vt actus ille verè peccatum sit; genus tamen ipsum & proprius finis matrimonij nunquam mutatur, neque proinde eam quam per se habet, boni rationem amittit.

§. 4. *Beatam Mariam vouisse Deo perpetuam virginitatem.*

AD ea quæ de consensu qui matrimoniū efficit, deq; proprio eius fine dicta sunt, pleniùs intelligenda, conducit plurimum explicatio quæstionis quam hac distinctione interserit Magister, de coniugio sacratissimę virginis Mariæ cum Ioseph. Cùm enim circa illud coniugium duo cōcurrerint in speciem pugnātia: nempe coniugij veritas & perpetuæ virginitatis propositum, quorum vtrumq; de scriptura testimoniū habet: illud quidem dicente angelo ad Ioseph: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam,* Matt. 1. hoc autem dicente virgine ad angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco,* Luc. 1. considerandum est, vtrùm, & qua ratione potuerint, aut etiamnum possint hæc duo pariter atque inuiolabiliter consistere: maximè si propositum illud perpetuæ virginitatis etiam voto firmatum fuerit; quemadmodum à beata virgine factum fuisse, non est dubitandum. S. Thom. 3. par. 28. ar.

Est quidem Magistri & aliorum quorundam opinio, beatam virginem vouisse sub conditione hac aut simili, nisi Deus aliter iuberet, vel reuelaret, vel inspiraret. In quam opinionem ex eo inducti sunt, quod coniugij illius veritatem aliter defendi non posse existimarent; vt videre est apud Magistrum præsenti distinctione, tum 28. præcedenti. Verùm is nullo satis idoneo testimonio ad id probandum vtitur. Nam verba illa quæ distinctione 28. §. C. habentur. Proposuerat enim Maria in virginitate manere, nisi Deus aliter facere iuberet, secundùm quod videtur angelo dixisse: *Quomodo fiet istud, &c.* quæ videntur vel ex Augustino desumpta libro de sancta virginitate, capit. 4. vel ex Gratiano 27. quæst. 2. capit. Sufficiat, §. sed quæritur, non prorsus ita leguntur apud hos authores, quemadmodum à Magistro scripta sunt. Nam pro verbo, proposuerat apud illos est, vouerat; exceptioverò, nisi Deus aliter facere iuberet, apud eosdem prorsus non legitur. Quod autem hac distinctione §. B. adfert tanquā ex Augustino dicente, quòd beata Maria proposuit se seruaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum votum non expressit in ore, quodque subiecit se diuinæ dispositioni, & proposuit se perseueraturam virginem nisi Deus aliter ei reuelaret, &c. id quamuis totidem verbis apud Gratianum loco iam dicto recitatum Augustino ascribatur; nusquam tamen apud Augustinū reperitur, neque reuera ipsius est, vt quem aliter sensisse satis manifestum sit ex locis quæ infrà proferemus.

Rectius proinde cum præclaris ecclesiæ scriptoribus tam vetustis quàm recentioribus dicēdum, beatam virginem absolutè & citra cōditionem Deo suam vouisse & consecrasse virginitatem.

A Primùm id docetur ex ipsius virginis verbis. Cùm enim dictum ei esset ab angelo: *Ecce concipies & paries filium*, respondit illa: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Quæ responsio primùm quidem inepta protsus erit, si sensus sit: hactenus virum non cognoui. Quis enim non videat ei replicari potuisse: At modò cognosces virum vt filium gignas; præsertim cùm iam viro esset desponsata. Dictum est ergo, non cognosco, quasi, nunquam cognosco, id est, decretum mihi est nunquam cognoscere virum, sicut dicitur quis non bibere vinum, qui vel naturæ conditione vel proposito vinum nunquam bibit; vt minimum ergo B propositum perpetuæ virginitatis ijs verbis declaratur. Sed neque hoc sufficit. Nam rursus facile ei responderi poterat, vt filium Dei gignas, propositum mutabis. Neque enim peccat qui propositum quantumuis pium iusta ratione mutat. Vnde legitur extra de voto cap. literaturam, quod qui tantùm proposuit intrare religionem, non sit transgressor, si non impleat: & testatur Nauarrus enchiridij capite 12. numero 26. talem ne quidem peccare venialiter. Quocirca plus aliquid oportet in- C telligere in verbis illis, à prudentissima virgine prudentissimè prolatis. Id autem est votum perpetuæ virginitatis, remota etiam omni conditione. Nam si conditio illa, nisi Deus aliter iusserit, addita fuisset; rursus locum non haberet quæstio virginis. Iam enim ex angelico, imò diuino nuncio quo futurus partus ei nunciabatur; intelligere potuisset Deum aliud iubere, & per hoc iam se suo voto solutam esse.

Præterea conditionem ab illius virginis voto rationes aliæ satis excludunt.

Prima, quia conditio illa, nisi Deus aliud reue- D lauerit, non satis congruere videtur humilitati virginis, quasi illa reuelationem à Deo de vitæ suæ statu exspectauerit.

Altera, quia superflua fuisset ea conditio; vtpote quam in omni proposito, promissione & voto per se inclusam intelligere oportet, quemadmodum rectè Scotus admonet hoc loco.

Tertia, quia votum sine conditione perfectius est, quàm si conditionem vel exceptionem quandam annexam habeat; fuit autem beatæ virginis votum perfectissimum, vt esset omni- E bus deinceps virginibus exemplar vouendæ Deo castitatis.

Consequens igitur est, tum ex interrogatione virginis bene expensa & intellecta, tum ex adiunctis rationibus, illam sine conditione & absolutè vouisse; ac proinde hunc esse verborum eius sensum: Quis erit modus huius conceptus & partus, quem tu mihi annuncias, cùm mihi iam integrum non sit cum viro commisceri, eò quòd per votum virginitatem meam consecrauerim Deo?

F Hunc sensum & hanc de voto virginis doctrinam confirmat authoritas Patrum. Scribit enim apertissimè de ea re sanctus Augustinus libro de sancta virginitate capite quarto, in hæc verba: Ipsa quoque virginitas eius ideo gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret, ipse præripuit, sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba quæ sibi fœtum annuncianti angelo Maria reddidit, *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quod profectò non diceret nisi Deo virginem se antè vouisset. Sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto non violenter ablaturo, sed potiùs contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat. Et infrà. Poterat & iuberi virgo permanere; in qua Dei filius formam serui congruenti miraculo acciperet, sed exemplo sanctis futura virginibus, virginitatem Deo dicauit, cùm adhuc quid esset conceptura nesciret, vt in terreno mortalique corpore cælestis vitæ imitatio voto fieret non præcepto, amore eligendi, non necessitate seruiendi. Hæc Augustinus. Qui etiam in ser. 20. de tempore, ca. 2. eiusdem voti apertè meminit, & tractatu 10. in Ioannem dicit à Maria cepisse dignitatem virginum, scilicet sacrarum, quæ nimirum Deo sese per votum dicauerint. Et in tractatu de cataclysmo sub finem, siue Augustinus siue Eradius eius successor, virgo Mater, inquit, quod vouit, impleuit.

Similiter Gregorius Nyssenus in oratione de Natiu. Domini: Si nuptiarũ causa, inquit, assumpta erat à Iosepho, quomodo angelum de partu prædicentem, quasi re noua atque insolita obstupefacta, auersata esset? cùm prorsus speraret se quoq; ipsam aliquãdo iuxta legem naturæ matrem esse futuram? quoniam Deo dicatam & consecratam carnem, veluti sanctum quoddam donarium, intactum seruari oportebat, propterea etiamsi angelus sis, inquit, ac de cœlo veneris, etiamsi supra hominem sit id quod appatet, attamen vt virum cognoscam, fieri non potest: Quî mater ero absque viro? Nam Iosephum sponsum quidem noui, virum autem non cognosco. Sic ille.

Beda quoque scribens in primum Lucæ ad illa verba: *Quomodo fiet &c.* Propositum, inquit, suæ mentis reuerenter exposuit, vitam videlicet virginalem se ducere decreuisse, quæ quia prima fœminarum tantæ se virtuti mancipare curauit, iure singulari præ cæteris fœminis beatitate meruit excellere. Et in sermone de annunciatione Domini, verè gratia plena cui diuino munere collatum est, vt prima inter fœminas gloriosissimum Deo virginitatis munus offerret.

Item Rupertus lib. 3. in Cantica, ad illud cap. 4. *In vno crine colli tui.* Dicunt, inquit, & verè dicunt amici quia votum egregium. Deo prima vouisti votum virginitatis.

Anselmus autem libro de excellentia virginis cap. 4. dece testatur, quòd totam intentionem suam, totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit vt corpus & animam suam Deo virginitate perpetua consecraret. Idemque rursus in eum sensum virginis interrogationem exponit homilia super euangelio, *Intrauit Iesus in quoddam castellum*, dicens quòd beata virgo meritò mirata est, & ab angelo sciscitata, *quomodo*, quia quamnis desponsatam, tamen se nunquam nupturam, neque virum cognituram certissimè sciebat. Sic ille: Sed vnde certissimè sciebat, nisi quia vouerat.

His accedit Bernardi clarissimum testimonium, qui sermone 2. super *Missus est*, affirmat quòd Deus beatæ virgini iam antè virginitatis inspirauerat votum, & sermone 4. eiusdem virginis verba ponderans, sic ait: Non dubitat de pacto sed modum requirit & ordinem. Nec enim quærit an fiet istud, sed quomodo? quasi dicat, cũ sciat Dominus meus, testis conscientiæ meæ, votum esse ancillæ suæ, non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, vt pariam talem filium, & gaudeo de filio & doleo

de proposito. Item in sermone qui incipit: Signum magnum, ex eisdem verbis virginis concludit eam illibatam Deo corporis simul & spiritus sanctimoniam vouisse. Bernardo consentit familiaris eius Arnoldus Carnotensis abbas bonæ vallis, qui in tractatu de laudibus beatæ Mariæ disertè affirmat, eam Deo virginitatem vouisse, licèt lex coniugium ab omnibus exigere videretur.

His denique accedit concors sententia Scholasticorum in præsentem distinctionem, qui omnes votum agnoscunt; tametsi nonnulli cum Magistro conditionē affingunt, sed improbabiliter, vt iam antè ostendimus.

Legitur etiam in vita Catharinæ Senēsis, reuelatum ei fuisse quod sancta Maria prima omnium nuncupauerit Deo perpetuæ virginitatis votum: nimirum conformiter cum doctrina Augustini, Bedæ, Ruperti & aliorum.

§. 5. *Quando vouerit beata virgo.*

CVm de voto virginis constet, dubitatur tamen à doctis, vtrùm votum illud desponsationem eius præcesserit, an verò subsecutum fuerit.

S.Thom. 3.par.q. 28.ar.4.

Quorundam Scholasticorum opinio est, eam vouisse post desponsationem seu susceptum coniugium, idque ex consensu coniugis, atque ipso etiam coniuge pariter vouente. Ita sentit sanctus Thomas parte 3. quæst. 28. art. 4. & post eum Dominicus, aliique S. Thomæ sequaces. Quamuis enim fateantur eam vel vouisse sub conditione, vel propositum virginitatis animo concepisse, priusquam nuberet, non tamen absolutè vouisse, nisi postquam nupsisset, existimant.

Verùm hæc sententia qua parte tenet votum post nuptias factum ex vtriusque consensu, refutari videtur his argumentis.

Primùm, quia satis liquet ex historia euangelica, Ioseph mysterij cælestis non fuisse conscium, priusquā id ab angelo didicisset: atque ita in coniugio ad illud vsque tempus, nō aliud spectasse quàm coniugium: id est, eo consilio vxorem duxisse, & ductam postea habuisse, vt ex ea prolem suscitaret; quod ita esse intellexerunt Hieronymus contra Heluidium scribens, & Augustinus libro 5. contra Iulianum capit. 11. vbi significat tunc demum spem commiscendæ carnis ablatam ei fuisse, quando vidit virginem diuina fœcunditate donatam.

Deinde ea erat virginis modestia, vt quæ ad excellentiam suæ personæ pertinerent, virum suum celaret, velut colloquium angelicum & annunciationem partus diuini. Patet enim ex Matthæi 1. Ioseph horum omnium ignarum fuisse, donec ab angelo admoneretur. Non igitur verisimile est quòd beata virgo rem istam adeo sublimem & illo tempore adeo insuetam & moribus Iudaici populi repugnantem, id est, vouendæ virginitatis consilium cum viro communicauerit, priusquam intellexisset viro suo per angelum aliquid tale innotuisse.

Præterea, si vouit absolutè demum post contractum nuptialem, videlicet expectans consensum coniugis ad vouendum; ergo de eius consensu incerta fuit, & proinde animo tunc nondum erat fixa in virginitate perpetuò seruanda. Quod si dicas eam de coniugis consensu fuisse certam ex angelica reuelatione, similiter nihil obstabat quò minus etiam ante coniugium absoluto voto se obstringeret; nisi fortè quod de matrimonio subsequente obijcitur. Cui argumento infrà respondebimus.

Est itaque longè probabiliùs quod Augustinus apertissimè affirmat libro de sancta virginitate cap. 4. beatam virginem vouisse, priusquam viro desponsata esset, cumque adhuc quid esset conceptura, nesciret, imò nunquam se concepturam crederet: vbi de absoluto voto, non autē de conditionato loqui Augustinum ex contextu clarum est. Vnde & dicit eam in exemplum sanctarum virginum nouæ legis, virginitatem suam Deo dicasse; constat autem sanctarum virginum per ecclesiam votum esse absolutum: neque debet id quod est imperfectum, cuiusmodi est votum conditionatū, eius quod perfectum & absolutum est, exemplar statui, sed potiùs cōtrà. Ac sanè mirum est in Augustini verbis ita fuisse hallucinatum Dominicum, vt semel & iterum dicat Augustinum non dixisse, vouit, sed proposuit; cùm vouendi vocabulum eo loco bis terue disertè repetatur. Sed crediderim Dominicum tantùm vidisse Gratianum non originalem locum Augustini.

Hanc sententiam confirmant etiam verba Gregorij Nysseni & Anselmi suprà citata, & quæ leguntur apud Gratianum 27. quæst. 2. cap. Sufficiat. Dicit enim ibi Nicolaus papa seu potiùs ipse Gratianus Nicolai verbis sua subijciens: Si consensit in carnalem copulam, nempe dum contraheret coniugium, facta est rea voti violati: significat ergo eam vouisse ante coniugium, idque absolutè. Sic inter Scholasticos docent Scotus in præsentem distinctionem quæst. 2. & Bonauentura similiter quæst. 2. & Albertus in libro de laudibus beatæ virginis. Scoti rationes tum apud ipsum videre est, tum à Bartholomæo Medina ordine digestas super sanctum Thomam parte 3. quæst. 28. art. 4. qui licèt à doctrina sanct. Thomæ nolit recedere, Scoti tamen rationes probat, & verum concludere affirmat, eâ saltem parte qua docēt votum præcedens non fuisse matrimonio subsequenti contrarium. Denique nullus est veterum qui votum virginis ita distinguat, vt ante coniugium sub conditione, post autem absolutè eam vouisse dicat; neque omnino apud quemquam illorum legitur virginem vouisse post nuptias, sicut expressè contrà ab Augustino dictum est, eam vouisse priusquam desponsaretur.

Porrò quod idem illud votū nulli veteris legis præcepto fuerit contrarium, patet ex ijs quæ diximus ad distinct. 26. vbi quærebatur, an matrimonium sit in præcepto, & quidem si detur cōtrarium fuisse, non minus sanè fuisset contra intentionem legis, paulò post nuptias emissum ante consummationem matrimonij, quàm ante nuptias. Nam præcepti illius intentio & scopus fuisset, procreatio filiorum, & propagatio generis.

§. 6. *Inter Beatam Mariam & Ioseph verum fuisse coniugium.*

VEritatem coniugij inter beatam virginem & Ioseph, astruunt imprimis angeli verba dicen- S.Tho. 3. par. q. 29 ar. 2.

tis ad Ioseph Matthæi 1. *Fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* A

Idem confirmant verba virginis quibus vocat Ioseph patrem Christi, Luc. 2. sic alloquens filium: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Et ipsius eiusdem euangelistæ eodem capite cùm ait, *Erant pater eius & mater mirantes, &c.* neque enim sic loqueretur, tum virgo ad filium, tum euangelista ad Theophilum, & ad omnes Christi fideles, nisi Ioseph verè fuisset coniux Mariæ. Quæ res etiam probatur opinione communi Iudæorum, qui Iesum vocabāt filium Ioseph & filium fabri, & Ioseph patrem eius Matthæi 13. Lucæ 3. & Ioan. 6. Cuius opinionis tametsi falsæ, non alia fuit causa, quàm quia sciebatur B matrimonium verè fuisse contractum inter Ioseph & Mariam: alioqui enim haud dubiè Christo obiecissent Iudæi, quòd ex fornicatione genitus fuisset, si quo modo de coniugij veritate dubitatum fuisset.

Idem constanter docent patres. Ambrosius enim libro de institutione virginis, cap. 6. remouens eam obiectionem qua dici posset ideo non fuisse coniugium inter Mariam & Ioseph, quia copula nulla intercessit, in hunc modum scribit: Nec illud C moueat, quod ait, Quia Ioseph accepit coniugem suam; cùm enim initiatur coniugium, tunc coniugij nomen asciscitur; Non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cum iungitur puella coniugium est, non cùm virili admixtione cognoscitur. Sic ille, tametsi satis ad distinctionem 26. & 27. ostēsum est ad matrimonij substantiam copulam non requiri.

Similiter Augustinus sermone 63. de diuersis cap. 10. & sequentibus veritatem huius coniugij latè probat, ex eo ostendens Ioseph verè fuisse Christi patrem non carnali generatione, sed coniugij ve- D ritate; quodque beata virgo propter eam causam (quia nimirum vir caput est vxoris, & quia debent vxores subiectæ esse viris suis) Iosephum sibi præponebat dicens: *Pater tuus & ego dolentes, &c.* Ac rursum probat ex eo quod dicitur Lucæ 2. *Et peperit ei filium,* scilicet Iosepho, tanquam patri. Sic enim ille legit, vbi nos habemus, *Et peperit filium suum primogenitum.* Inter alia quoque occurrens obiectioni supradictæ de copula, dicit ideo fuisse inter eos verum coniugium, quia fuit inter eos charitas coniugalis, quæ coniuges facit, non libido, &c. idque confirmat exemplis coniugum Christianorum, in- E ter quos multi sunt qui ex mutuo consensu ab opere carnis abstinent. Idem S. Augustinus libro 1. de nuptijs & concupisc. capite 11. recitatis angeli verbis quibus Maria vocatur coniux Ioseph, subiungit: Coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quā concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus, nec perierat nec mēdax mãserat cōiugis appellatio, vbi nec fuerat nec futura erat vlla carnis cōmixtio, &c. Quo etiam loco in illo coniugio tria bona matrimonij assignat, de quibus proxima distinctione agemus. Loca apud Augustinum similia sunt libr. 5. F contra Iulianum cap. 5. & libr. 2. de consensu euang. capit. 1. Cui per omnia consentit Beda in sermone dominicę intra octauam natiuitatis Christi verbis ex Augustino fere desumptis.

§. 7. *Quare B. Virgo matrimonio copulata.*

S. Thom. 3 p. q. 29. art. 1.

MVltæ sunt rationes propter quas oportuit eam virginem quæ Dei mater erat futura, matrimonio copulari, quas sparsim tradunt patres, vt Ambrosius in Luc. 1. Basilius in homilia de humana Christi generatione. Hieronymus & Anselmus in Matthæi 1. Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 15. sanctus Thomas 3. quæst. 29. art. 1. Bonauentura super hanc distinctionem, quæst. 2. & alij. Possunt autem omnes ad hunc septenarium numerum redigi.

Prima est, vt per viri genealogiā origo virginis & filij ci⁹ agnosceretur: quia Iudęis nō erat cōsuetudinis vt per fęminas series generationis texeretur. Potuit autē per virum etsi non carnaliter patrem, cognosci genus filij ex coniuge eius nascituri; tum quia beatam Mariam vtpote vnigenitam & fratres non habentem oportebat, secundùm legem Num. vltimo nubere viro secum eiusdē tribus; tū quia qui de domo Dauid erant tanquam de stirpe regia, propter Messiam ex ea stirpe nasciturum non facilè miscebant semen cum diuersis familijs.

Secunda ratio est, ne vel ipsa virgo, si extra matrimonium haberet filium, tā quam fornicaria infamaretur, aut etiam lapidaretur secundùm legem Deuteron. 22. vel eius filius tanquam ex fornicatione natus pro Messia minimè reciperetur. Quamuis enim beata virgo multas passa fuerit aduersitates, vt in hoc etiam filio suo conformaretur, non tamen excellentissimæ eius puritati congruebat vllo modo, vt huiusmodi infamia laboraret; vti nec dignitati & officio mediatoris qui debebat per omnia purus & immaculatus apparere. Adde quòd virginibus sua culpa infamatis non debuit hæc præberi occasio, qua se excusarent & dicerent etiam Dei matrem infamia notatam fuisse. Quam rationem obseruauit Ambrosius.

Tertia, vt & virgo solatium haberet fugiens in Ægyptū atque inde reuertens, & filius obsequium subsidiumq; paternū toto pueritię suæ tēpore. Hinc enim est quòd nutricius Christi dictus est Ioseph.

Quarta, vt partus virgineus celaretur diabolo, dum occasione matrimonij deceptus puerum illum putat non de virgine sed de vxore & mariti semine procreatum. Nam etsi facile ei sit corruptam à non corrupta discernere; attamen vel non fuit permissus id scrutari; nimirum prohibentibus cum sanctis angelis (quia vt Augustinus docet lib. 3. de Trinitate. cap. 8. multa potest diabolus virtute naturæ, à quibus diuinitus prohibetur) vel certè non ita rebus humanis intentus est, vt singula exploret. Vnde quia beata virgo virum habebat, nec integritatem eius, nec concipiendi modū scrutatus est, sed, vt ait Basilius, virgines innuptas præcipuè obseruabat, quia virginē parituram ex propheta didicerat. Quod si extra matrimonium virgo fuisset imprægnata, virgineum illum conceptum & partum cognouisset diabolus hoc argumento: Concepit extra matrimonium, non ex fornicatione, neque enim id me lateret, qui sum author fornicationis; ergo concepit de spiritusancto.

Quartam hanc rationem ex Ignatio profetunt Hieronymus, Basilius & Ambrosius, tametsi ea hodie sic expressè apud illum non inuenitur. Subindicatur autem in epistola eius ad Ephesios, & altera quæ eius nomine fertur ad Philippenses.

A Quinta, vt ex ipsius testimonio matri certiùs Christi natiuitas ex virgine comprobaretur, ac verba virginis credibiliora redderentur, quemadmodum io Lucam scribens ait Ambrosius. Nam si virum non habuisset, non fuisset ei creditum dicenti, quòd de Spiritusancto concepisset, sed de fornicatione fuisset accusata: nunc autem sponso qui præsumitur zelotypus esse pro sponsa, ne cum alio viro consuetudinem habeat, attestãte de illa quòd illæsa pudicitia filium cõcepetit, ipsi quoque virgini hoc idem affirmanti faciliùs creditum fuit.

B Sexta, vt in aliqoo matrimonio inueniretur expressa significatio coniunctionis ecclesiæ tanquam virginis fœcundæ cum sponso Christo. Nam in alijs coniugijs est quidem significatio ecclesiæ Christo coniunctæ, sed non qua ratione virgo permanet, simulque mater efficitur. At in beata virgine vtroque modo ecclesia repræsentatur, & quatenus virgo & quatenus mater; eaque significatio huic coniugio prorsus est singularis. Hac igitur in re beata Maria singulariter ecclesiæ figura est.

C Septimam indicat rationem Augustinus libro de sancta virginitate capit. 4. cùm de beata virgine ait: Desponsata est viro iusto, non violeoter ablaturo sed potiùs contra violentos custodituro qood illa iam vonerat. Nam difficile erat apud Iudæos aliqnas perpetnò virgines seruari, eò quòd tale institutum illius populi mores recusarent, quemadmodum ibidem testatur Augnstinus. Has ergo ratione Ioseph virginis custos vocatur.

§. 8. *Soluuntur ea quæ contra coniugium beatæ virginis obijciuntur.*

D *S. Thom. 3 par. q. 29 art. 2.*

ADuersus dicti coniugij veritatem hæc ferè solent obijci.

Primò, Matth. 1. & Luc. 1. & 2. beata virgo tantùm dicitur desponsata fuisse Ioseph, ergo non erat coniugata.

Secundò, Matthæi 1. *Ioseph voluit occultè eam dimittere*, quod non licuisset si fuissent iam inter se copulati coniugio. Præcipit enim lex Deuter. 24. vt vir palam dato libello repudij vxorem dimittat.

E Tertiò, si fuit verum inter eos coniugium, ergo B. Maria peccauit contra fidem coniugij, quia concepit aliunde quàm ex suo marito, idque per suum consensum dicens: *Ecce ancilla Domini, &c.*

Quartò, inter Mariam & Ioseph non fuit indissolubile vinculum, quia vt testantur Ambrosius & Chrysostomus locis citatis ad distinctionem 27. diuortium inter eos factum est, tunc cùm Christus matrem Ioanni de cruce commendaret; non fuerat ergo verum inter eos matrimonium.

F Quintò, Patres frequenter testantur beatam virginem mansisse inouptam, & negant fuisse vxorem: negant item nuptias intercessisse, vt Epiphanius hæresi 78. dicens: Desponsata fuit Maria & non nupta. Sic Gregorius homil. 26. in euangelia, Ioseph Mariæ sponsum vocat, qui tamen ad eius ouptias noo peruenerit. Nuptias excludit & vxorem oegat Hieronymus in Matthæi 1. & contra Heluidium. Chrysostomus quoque in Matth. 1. homil. 4. Item in ecclesiastico officio legitur: *Beata mater & innupta virgo*: Et Ioseph in oratione ecclesiæ sponsus Dei genitricis vocatur, non maritus. Imò Augustinus sermone 17. de tempore dicit concepisse virginem antequam sponsum haberet, & peperisse antequam nuberet: Constat autem quod non nupserit post partum, ergo iuxta Augustini sententiam nunquam oupsit.

Postremò, Rupertus scribens io illud Cantic. *Nigra sum sed formosa* sentit Iosephum tunc demum accepisse Mariam in coniugem suam, quandò reuersa est à visitatione Elizabeth: nimirum post mẽsem ab annunciatione Dominica & conceptu filij Dei tertium; ita vt ipsa post sextum deinde coniugij mensem pepererit. Ne autem propterea apud vicinos infamis haberetur, prouisum fuisse diuinitus, vt peregrè constituta pareret; videlicet in Bethleem vbi ignota erat. Quòd enim priùs impręgnata & grauida fuerit, quàm à Ioseph duceretur, probat ex verbis angeli ad Ioseph Matthæi 1. dicentis: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Hoc enim dictum est postquam inuenta esset in vtero habens, Ioseph ob hanc causam volente eam dimittere.

Verùm his obiectionibus non est difficile respondere.

Et ad primum quidem respondetur, desponsatam sicut & sponsam more scripturæ sacræ eam dici, quæ viro desponsa est pactione coniugali: nimirum per verba de præsenti, sed nondum cognita; quomodo & Latini scriptores loquuntur, quomodo etiam hodie in ipsa noptiarum celebratione, vocantur sponsi & sponsæ iam matrimonio coniuncti. Vnde Lucæ 2. dicitur Ioseph ascendisse in Bethleem cum Maria desponsata sibi vxore. Ex quo clarè patet eamdẽ desponsatam fuisse simul & vxorem. Sic Deut. 22. eadem modò despõsa seu desponsata dicitur, modò vxor vocatur.

Ad secundum respondetur, legis statutum solummodo locum habere in repudio per quod vxori dimissæ fiebat potestas alium maritum accipiendi. Ad hoc enim dabatur libellus repudij, vt mulier eo velut instrumento munita impunè ab alio viro duci posset: Ioseph autem tantùm quoad habitationem à sponsa separare se voluit, nec ipse aliam ducturus, nec eius rei potestatem virgini faciens.

Ad tertium, Beata virgo non violauit fidẽ coniugij, quia non ex alio viro concepit, sed de Spiritusancto. Qui conceptus non dehonestauit sed plurimum ornauit illud coniugium.

Ad quartum, sententia Ambrosij & Chrysostomi de diuortio quamuis proposito non repugnet, sed magis quadret (non enim diuortium fiebat nisi eorum qui verè cõiuges essent) non tamen est probanda. Nam Ioseph iam mortuus erat, quãdo Christus matrem discipulo commendabat: & quidem vt verisimile est ante eius prædicationẽm, quia euangelistæ nullum illius tanquam adhuc viuentis mentionem faciunt post illud Luc. 2. *Et erat subditus illis*; tametsi matris tum in nuptijs Ioan. 2. tum aliàs meminerint, vidua igitur mater discipulo fuit à filio commendata, virgo scilicet virgini.

Ad quintum, Patres in huiusmodi sententijs nuptias intelligunt coniugij consummationem, & nuptas siue vxores, iam viro cognitas quando videlicet sponsarum nomen amittunt. Contrà verò innuptas vocant intactas. Vnde pro eo quod in officio ecclesiæ de beata virgine canitur *innupta virgo*, secundùm aliũ vsum legitur *intacta*. Hinc etiã patet quomodo ab Augustino dictum sit beatam virginem peperisse antequam nuberet: ea videlicet phrasi qua Matthæi 1. dicitur: *Antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de Spiritusancto*; non quod postea nupserit, id est, à viro cognita fuerit, sed quòd filium pepererit, tametsi viro priùs carna-

carnaliter non copulata. Similiter intelligendum A quod dicitur, concepisse antequam sponsum haberet, id est, antequam sponso carnaliter iungeretur. Quomodo dicit apostolus 1. Corinth. 7. *Vnaquaque virum suum habeat*, loquens de vsu coniugij: quamquam non satis constat Augustinum esse illius sermonis authorem.

Quæ postremò ex Ruperto adferuntur, nõ coniugium tollunt inter Mariam & Ioseph, sed illud tantùm diuerso & alieno tempori assignant, ac sanè prorsus improbabiliter, imò non sine errore. Primùm enim eo pacto per matrimonium illud non fuisset consultum honori virginis, neque exclusum infamiæ periculum. Peperisset enim vt Rupertus B fatetur post sextum mensem contracti coniugij. Neque verò satis fuisset ad arcendam infamiam quod peperisset extra locum habitationis: nam verisimile est & alios ex eadem cognatione, ob eandem causam profectos fuisse in Bethleem, & ipsa iam domum cum filio reuersa, partum suum præmaturo tempore factum apud vicinos celare non potuisset. At neque diabolo conceptus & imprægnatio ante coniugium facta, per coniugium celari poterat. Deinde nec maritus pudicitiæ eius tantùm C potuisset perhibere testimonium, quam grauidam duxisset, atque si postea in ipso iam matrimonio fuisset imprægnata. Nec denique sententiam hanc Ruperti quicquã adiuuant verba angeli, non enim ab angelo Ioseph monetur, vt tum primùm Mariam in vxorem accipiat. Iam enim Ioseph eam habebat, quia vocatur vir eius, & volebat eam dimittere, sed monetur vt coniugem suam accipiat, id est, retineat, & dimittendi cogitationem deponat.

§. 9. *Votum beatæ virginis non repugnare eius coniugio.*

S. Thom. 3 p q. 29. art. 2. & suppl. q. 53. art. 1. & 2.

NVnc locus postulat vt quæstioni initio propositæ respondeatur; quomodo videlicet in beata virgine votum perpetuæ virginitatis priusquam viro desponderetur emissum, consistere potuerit eum subsequenti coniugio: ita nimirum vt voti violati rea non fuerit facta per hoc quod consensit in matrimonium. Ratio dubitandi manifesta est, quia matrimonij contractus consistit in eo quòd vir & mulier sibi mutuò tradant corporis sui potestatem ad actum coniugalem. Vnde in illo cõ- E tractu saltem implicitè consensus in actum ipsum coniugalem videtur contineri, qui enim dat alicui, verbi gratia, potestatem ingrediendi, quotiescumque vult in hortum suum, simul consentire videtur in ipsam ingressionem. Accedit apostoli sententia 1. Timoth. 5. dicentis eas quæ post votum nubere volunt, damnationem habere, eò quòd primam fidem irritam fecerint. Hinc Hieronymus citante Gratiano 27. quæst. 1. Vouentibus, inquit, non solũ nubere sed etiam velle nubere damnabile est, cuiusmodi sententia apud eum legitur etiam libro 1. contra F Iouinianum, nec non subinde apud alios veteres.

Præterea sic ratiocinabitur quispiam, posse est habere potestatem: atqui beata virgo impedita voto non potuit vti corpore viri; ergo non habuit potestatem vtendi, quare nec verum fuit matrimonium.

Deinde beata virgo iam antè tradiderat corpus suum Deo, non ergo sibi reseruauerat eius potestatem; ac proinde nec viro cuiquam dare potuit.

Denique frigidus ideo contrahere non potest matrimonium, quia non potest reddere debitum; ergo nec Maria, vt cui similiter ex voto iam fuerit impossibile debitum persoluere.

Hæc quæstio cùm non inueniatur à veteribus tractata, poterit ex sententia posteriorum ita breuiter explicari; si dicamus beatam virginem antequã in coniugium consentiret, ex diuina reuelatione, vel saltem inspiratione atque instinctu certam fuisse de conseruanda sua virginitate, ideoq; & certam de eo quod Ioseph accepta per coniugium corporis ipsius potestate, nunquam esset vsurus: itaque & consentire potuit in traditionem potestatis corporis sui, & tamen non consentire in actum coniugalem, certa videlicet de actu nunquam secuturo.

Hæc doctrina est Hugonis Victorini in libro de perpetua Mariæ virginitate, ex quo libro apparet quæstionem tunc fuisse recenter motam à quodam, cui primus Hugo responderit. Eodem modo respondent Albertus magnus in libro de laudibus beatæ virginis, & Bonauentura in hanc distinctionem, quæst. 2. in corpore quæstionis & ad tertium: plenissime verò eam doctrinam explicat Scotus quæst. 2. huius distinctionis. Magister quoque in textu dicit ambos se consensisse in coniugalem societatem, vt vterque de altero, reuelante Spiritusancto, intelliger et quòd virginitatem seruare vellet, sed illam, inquit, voluntatem verbis non exprefserant. Quamquam de Ioseph quod cõtrahens matrimonium perpetuam cogitauerit seruare continentiam, minùs est probabile, vt suprà ex Augustino ostendimus.

Verùm quod ad beatam virginem attinet, sicut non dubitatur vouisse priusquam nuberet, ita planè D existimandum est eam tali cum fiducia ad contrahendum coniugium accessisse, integritatis suæ securam, qua concepto iam fœtu confidebat se neque à viro suo adulterij accusandam, neque à populo lapidandam. Quamuis enim coniugij prætextu cõtra vtrumque defendi potuisse videatur, nõ tamen sine mendacio, quo diceret ex marito suo se concepisse, ideoque etiam hac in parte indigebat singulari protectione diuina.

Neque sanè improbabiliter ponitur huiusmodi diuina seu angelica reuelatio, quandoquidem verisimile est illam virginem quæ Deum erat paritura, quæque sanctitate omnibus erat excellentior, sæpius angelicis colloquijs honoratam fuisse.

Similis fiduciæ seu certitudinis exemplum habemus in beata Cæcilia virgine, quæ post votum virginitatis, Valeriano nupsisse legitur, videlicet sanctum angelum sibi promittens sui corporis custodem. Vnde intelligitur quod reuelationem ab angelo acceperat, se sine dispendio virginitatis nupturam. Quod enim angelico colloquio sæpius fruebatur, inde satis apparet; quoniam etiam sponso suo promittebat angeli visionem, quam etiam ei tandem exhibuit. Quare multò magis idem existimare conuenit de virgine Dei matre futura. Proinde si qua etiam hodie post votum continentiæ perpetuæ consilium contrahendi matrimonij diuinitus accepisset, sine voti iniuria nubere posset, neque detetrere eam debetet sententia apostoli ad Timoth. neque Hieronymi aut aliorum patrum, nuptias post votum cõdemnantium. Nam eiusmodi sententiæ solas illas respiciunt virgines & viduas, quæ nuptias propter cõcubitum expetunt, aut certè per nuptias continentiæ promissæ periculo se exponunt. Quod quidem in nuptijs ordinarium est.

Hinc

Hinc præterea sequitur, quòd si quis iurasset se aliquam ductutam in vxorem, idemque postea traheretur deuotione religionis, & apud se voueret perpetuam castitatem: eum posse vtrumque præstare, & quod iurauit homini, & quod vouit Deo; si videlicet prius ducat vxorem, & postea relinquēs eam intactam secundùm canones religionem ingrediatur, quod sanè verum esset matrimonium, tametsi inconsummatum. Sic faciendum in eo casu consulit Alexander 3. extra de sponsalibus ca. Commissum. Vtrùm autem necessariò ita faciendum sit, diximus ad distinctionem 27. cùm de sponsalibus dissoluendis ageremus.

B Ad rationem subinnctam respondetur, quòd posse est habere potestatem propinquam, quæ videlicet ab actu non impeditur; & hoc modo non poterat beata virgo vti corpore Ioseph propter voti impedimētum, quamuis ratione matrimonij potestatem corporis eius haberet, sicut non potest videre qui tenebris inclusus est, nec ambulare qui pedes habet ligatos, etiamsi nec ille cæcus sit, nec iste claudus.

Ad id quod sequitur, respōdemus, hæc duo non pugnare inter se; videlicet dare Deo corpus suum ad perpetuam cōtinentiam, & tamen eiusdem corporis potestatem dare viro quem certò scias non vsurum. Quod inde patet, quia hoc pacto, & Deo præstatur quod ei promissum est, & viro manet sua potestas ab actu remota. Nam & quando coniugati vouent ex mutuo cōsensu cōtinentiā, Deo corpora sua tradunt, & tamē ambo potestatē retinent in corpus alterius (hoc enim ad rationē matrimonij pertinet) sed vsu illius potestatis vouendo se ipsi abdicarūt. Nec id mirum cū etiam adulter potestatē illam retinear, licèt à iure vtendi exclusus. Et notandum est quòd sicut liceret mulieri iam nuptæ sine viri consensu vouere perpetuam continentiam, si certò sciret virum nunquam petiturum debitum; ita nihil prohibet tale votum tali certitudine habita fieri ab innupta saluo subsequente matrimonio.

Ad postremum, Frigidus non potest reddere debitum, quia in natura habet impotentiam: vnde nec vllo modo ratum esse potest contractum ab eo matrimonium. At beata virgo naturaliter & absolutè poterat debitum reddere, sed propter votum non licebat. Cæterùm quia antequam nuberet, certa erat virum potestate sua nunquam vsurum, idcircò non modò verum erat, sed & licitum eius matrimonium.

§. 10. *Fueritne perfectum inter beatam Mariam & Ioseph matrimonium.*

3. Tho. 3. parte q. 29. ar. 2. TRiplex potest in matrimonio perfectio considerari: nempe substantiæ, significationis & finis, ex quibus proinde iudicandum de hac quæstione, perfectumne fuerit inter Ioseph & beatā virginem matrimonium. Itaque secundum substantiam perfectum inter eos matrimonium fuisse, indubitatum est ac suprà à nobis demonstratum, ex eo, quia data & accepta vtrimque corporum potestate, verè coniuges erant. Id quod etiam ad distinctionem 26. duobus postremis capitibus, de omni inconsummato matrimonio ostendebamus.

Porrò si significationem attendamus, aliquid defuit huius matrimonij perfectioni, sicut & cuiuscumque inconsummati, quamuis enim huiusmodi coniugium significet vnionem Christi cum ecclesia, quæ est per charitatem, non tamen eam quæ est per naturam. Hanc enim naturalem vnionem tunc demum significat matrimonium, quando consummatur. At neque illic opus erat significatione coniunctionis Christi naturalis cum ecclesia, quandoquidem in illo matrimonio res ipsa erat exhibenda; scilicet Christi incarnatio per quam ecclesiæ secundùm naturam coniungitur: verumtamen hunc significationis defectum in illo sanctissimo cōiugio suppleuit, & abundè satis compensauit alia quædam significatio quæ cæteris omnibus deest coniugijs: qua nimirum ecclesia virgo & incorrupta Christi sponsa, eademque mater significetur. Denique cùm finis alius propinquus sit ac medius, alius vltimus; si propinquum finem coniugij spectes, qui est copula carnalis, hac parte non oportuit sacratissimum istud coniugium perfici seu consummari. Si verò finem spectemus vltimum, qui est procreatio prolis, seu proles ipsa; fuit hac ratione coniugium illud perfectissimum, simul & felicissimum, quia in eo ex incorrupta matre natus est fructus excellentissimus, ipse Dei filius de Spiritusancto conceptus, ita vt fine illo medio qui nō est sine libidine & corruptione carnis, opus non esset.

C Præter hæc autem tria ex quibus diximus perfectionem in matrimonio considerari, est & aliud, quod matrimonio perfectionem quandam conciliat: nimirum mutua coniugum inter se charitas, quæ quidem inter ipsos cæteris paribus eò maior est & purior, quò minùs fuerit carnali amore permixta. Excludit autem carnalem amorem propositum continentiæ perpetuæ ab eo opere propter quod carnaliter inuicem amare solent vir & mulier; sicque hac ratione ipsum etiam matrimonium quodammodo firmius propter maiorem charitatem qua tanquam vinculo quodam spirituali coniuges inter se colligantur. Vnde Augustinus in epistola 199. ad Ediciam, & libro 1. de nuptijs & conc. ca. 11. testatur sanctiora ac firmiora esse ea coniugia, in quibus pari consensu inter coniuges continentia seruatur. Hoc autem eò magis verum erit, si etiam finem matrimonij, id est, prolem tales coniuges assequantur. Quod quidem nulli coniugio præterquam huic soli de quo nunc agimus, concessum est. De quo idem Augustinus eodem loco (de nupt. & conc.) sic ait. Omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum: prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum, fidem quia nullū adulterium, sacramentum quia nullum diuortium. Sic ille.

D

E

§. 11. *Quomodo Christus fuerit bonum coniugij, & quomodo Ioseph Christi pater.*

F EX iam dictis Augustini verbis, occurrit quæstio, quomodo verè dicatur Christus fuisse bonum illius coniugij quod inter Ioseph & virginem intercessit, cùm non fuerit ex vtroque genitus.

Respondent quidam hactenus id verè dici quia in illo matrimonio coque illæso permanenti Christus conceptus & natus est. Quæ responsio veram quidem sed non plenam cōtinet rationem eius quod quæritur.

Plenior autem erit ratio, si dicamus propterea Christum rectissimè dici bonum illius coniugij quia generatio prolis in eo coniugio susceptæ qu

est Christus filius Dei, non tantùm erat matris, verùm iure coniugij spectabat etiam ad Ioseph tanquam maritum eiusdem Deiparæ virginis. Quo iure idem Ioseph verè pater Christi dictus est attestante euangelista cùm ait, *Erant pater eius & mater mirantes, &c.* & ipsa virgine ad filium dicente: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Hæc Augustini sententia est loco proximè citato: propter quod, inquit, fidele coniugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solùm illa mater, verùm etiam ille pater eius, sicut coniux matris eius, vtrumq; mente, non carne, &c. Sic idem Aug. li. 2. de consensu euangelistarum cap. 1. tractans illud Matthæi 1. *Ioseph virum Mariæ*, Hoc, inquit, exemplo magnificè insinuatur fidelibus coniugatis etiam seruata pari consensu continentia, posse permanere vocarique coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu; præsertim quia nasci eis etiā filius potuit sine vllo complexu carnali, qui propter solos gignēdos filios adhibendus est. Neq; enim propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat; quandoquidem rectè pater esset etiam eius quem non ex sua cōiuge procreatum aliunde adoptasset. Et post pauca: Cùm igitur ipse Lucas narret non ex concubitu Ioseph sed ex Maria virgine natum Christum, vnde eum patrem eius appellat, nisi quia & virum Mariæ rectè intelligimus sine commixtione carnis ipsa copulatione coniugij, & ob hoc etiam Christi patrem multò coniunctiùs qui ex eius coniuge natus sit, quàm si ei esset aliunde adoptatus. Hæc ibi, quæ eadem verba V. Beda retulit in sermonem suum de dominica intra octauam Natalis Domini. Rursum Augustinus sermone 63. de diuersis, cap. 10. & sequentibus, similiter ex veritate illius coniugij docet Ioseph verè fuisse patrem Christi, tametsi non ex eo carnaliter geniti: & ad eius rei probationem præter alia citat illud quoque Luc. 2. *Et peperit ei filium*, (sic enim ille legit) scilicet Maria Iosepho velut patri; quò videtur etiam respicere in verbis paulò antè citatis, quibus ait, quia nasci eis etiam filius potuit. Patet igitur ex Augustini doctrina iure coniugij Christum ad Ioseph tanquam patrem pertinuisse.

Porrò de hac re disserens Ioannes Gerson in sermone quodam de Natiuitate beatæ Mariæ consideratione 4. censet ex eodem fundamento dici posse, quod ex corpore & carne Ioseph natus sit Christus, quia nimirum duorum coniugum vnum corpus & vna caro est. Addit etiam Christum natum in terra seu fundo ipsius Ioseph, id est, ex ea carne cuius potestas seu dominium iure coniugali, penes ipsum erat. Vnde Maria, inquit, non confundebatur vocare Ioseph Dominum suum, &c.

De hoc argumento videat qui volet Caietanum tom. 1. opuscul. 31. responsione 2. vbi examinat aliquot propositiones huc pertinentes; videlicer rectène dicatur quod beata Virgo per contractum matrimonij dederit Iosepho corpus suum & sanguinem totius corporis, & quòd ex sanguinibus Ioseph fuerit formatum corpus Christi; vbi etiam quæri posset, vtrùm Ioseph sicut verè dicitur pater Christi, ita & verè dici posset pater Dei. Quod vt concedatur, quia Christus est verus Deus, sciendum tamen locutiones huiusmodi quæ non habent omnimodam proprietatem, non esse nimium extendendas.

Verùm obijciet hîc aliquis, Ioseph ab euangelista dici patrem Christi, tantùm putatiuè. Sic enim ait Lucas cap. 3. *Vt putabatur filius Ioseph*, seipsum

A quasi exponens. Vnde Bernardus sermone 2. super *Missus est*, dicit quod Ioseph ea appellatione, licèt dispēsatoria, meruerit honorari à Deo vt pater Dei dictus & creditus sit. Origenes autem homil. 12. in Leuitic. indicat eum dictum patrem Christi, quia nutricius erat & nutriciam illi operam præstitit. Pro fideli ministerio, inquit, patris ei vocabulum scriptura concessit. Sed respōdemus euangelistam dum secundo capite semel & iterum Ioseph vocat patrē Christi, non ad vulgi opinionem respexisse, cùm semel ex sua loquatur persona, secundo autem virgi-
B nis matris ad filium verba recitet, sed absolutè dixisse eum Christi patrem. At cap. 3. vulgi opinionem declarat, putantis Iesum ex Ioseph carnaliter procreatum. Vnde Augustinus libro 2. de consensu euangelistarum cap. 1. Putabatur, inquit, Christus etiam aliter filius Ioseph tanquam ex eius omnino carne progenitus, sed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat integritas. Et infrà: Manifestum est illud, quod ait; vt putabatur, filius Ioseph, propter illos dixisse qui eum ex Ioseph, sicut alij homines nascuntur, natum arbitrabantur. Sic ille. Alia igi-
C tur ratione verus Christi pater fuit Ioseph, alia putaticius; verus iure coniugij, putaticius generatione carnali.

Vt autem pleniùs intelligatur, quàm verè fuerit Ioseph Christi pater, notandum est non esse parem rationem de alijs quibusdam qui etiam verè patres dicuntur eorum quos carnaliter genuerant. Nam & priuigni appellantur filij coniugum posterioris matrimonij, & adoptiui iure adoptionis filij dicuntur eorum à quibus adoptati sunt. Verùm non similiter, neque tam propriè vt Christus filius Ioseph. Hi enim in diuerso matri-
D monio nati sunt, ille in eodem. Vnde Augustinus in verbis suprà citatis ex libro 2. de consensu euangelistarum, testatur Ioseph esse Christi patrem multò cōiunctiùs, quòd ex eius coniuge natus sit, quàm si esset ei aliūde adoptatus. Vbi quod ait, ex eius cōiuge, sic intelligendū, in illo ipso coniugio, & sine eius iniuria. Nam priuignus quidem ex coniuge natus est eius qui pater dicitur, sed in alio coniugio: filius autem adulteræ in coniugio quidem eodem susceptus est, non tamen sine grandi iniuria, tum alterius coniugis, tum ipsius coniugij. Hoc autem coniugium de quo agimus, per Christi generationem ex virgine diuinitus fœcundata, nullam iniuriam accepit; vtpote in quo fides coniugij prorsus illibata permanserit. Quin potiùs tam sanctæ ac diuinæ
E prolis generatione fuit magnificè cohonestatum.

Iam verò patet nec similem inueniri rationem in Ismaele respectu Saræ, tametsi illam genuerit Abraham Saræ maritus etiam absque coniugij iniuria, natus est enim Ismael ex diuerso matrimonio, siquidem duo distincta fuerunt matrimonia, Abrahæ cum Sara, & eiusdem cum Agar. Adde quòd Sara non habebat plenum dominium corporis viri sui, propter eius digamiam, sicut Ioseph suæ coniugis: & proinde maiori ratione dicitur Christus natus ex carne & corpore Ioseph quàm Ismael geni-
F tus ex carne & corpore Saræ.

Ad illud denique quod Origenes consentiente etiam Theophylacto in Lucæ 2. Iosephum existimat tātum propter fidele ministerium, quod Christo vt nutricius exhibebat, honoratum fuisse patris vocabulo; respondemus eam rationem nequaquam sufficere. Primùm, quia scripturæ consuetudo non habet vt nutricius pater, & nutrix mater dicatur, Deinde quia virgo illum etiam in patris vocabulo sibi præponit dicens: *Pater tuus & ego.* Idem facit

euangelista dicens, *Erant pater eius & mater*, ne forte putes humilitatis causa tantummodo id virginem fecisse. Tertiò quia Lucas vocat ambos parentes, Græcè γονεῖς, quasi genitores, quia vt dictum est geneatio filij etiam ad Ioseph iure coniugij pertinuit. Quartò, quia ab eodem euangelista dicitur quod *erat subditus illis*: nempe tanquam filius parentibus. Quem locum vrget Augustinus libro 1. de nuptijs & concupiscent. cap. 11. Postremò, quia tam Lucas quàm Matthæus genealogiam Christi ducût per Ioseph, quod absurdè fieret per eum, qui non alia ratione pater est, quàm quia nutricius.

IN DISTINCTIONEM TRIGESIMAMPRIMAM.

§. 1. *Quæ sint bona matrimonium excusantia.*

S. Thom. suppl. q 49.



RIA sunt matrimonij bona, proles, fides, sacramentum, per quæ matrimonium ipsum excusari dicitur, eò quòd illorum compensatione excusentur ea mala, quæ matrimonio adhærent, fit enim per illa bona vt & libido carnis sine culpa sit, & incontinentia coniugum venialis, & ea quoque mitigentur incommoda, quæ apostolus indicauit ijs verbis, *Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi*. 1. Corinth. 7. Hoc enim malum pœnæ est, medium autem malum culpæ, primum verò de vtroque participans, & ad culpam inclinans. Quæ omnia licèt per matrimonium bonis illis comitatum non desinant esse mala, beneficio tamen eius, vel tolerabiliora redduntur vel minora; tametsi Augustinus vbi ea bona commendat, potissimùm respicit ad excusationem libidinis & incontinentiæ, nam malum pœnæ non ita dicitur excusatione indigere. Enumerat autem ea bona Augustinus pluribus locis, vt libro 1. de nupt. & conc. cap. 10. 11. 17. & 21. & libr. 9. de Genes. ad litteram cap. 7.

Primum bonum est proles, id est, liberi ex legitima coniuge suscipiendi. Quod bonum ita commendauit apostolus, vt diceret, 1. Timoth. 2. *Saluabitur mulier per filiorum generationem*. Quod non de sola eorum procreatione, sed vel maximè de educatione, & religiosa ac pia institutione accipiendum est. Addit enim Apostolus, *Si permanserint in fide ac dilectione*, significans ita demum per filiorum generationem saluari parentes, si eos in pietate instituant.

Alterum bonum est fides, non illa qua credimus mysteria religionis, sed ea quæ coniugalis vocatur: qua nimirum fit vt coniuges sanctè & fideliter seruent vsque in finem pactum coniugale, quo potestatem corporû mutuò transtulerût, de quo apostolus: *Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir*, & cõtrà. Pertinent igitur ad fidem coniugalem hęc præcipuè, nô commisceri cum alio, & exigenti coniugi debitum reddere.

Tertium bonum est sacramentum. Magnum enim matrimonij bonum est, quod in eo Deus posuerit significationem rei tam eximiæ, scilicet coniunctionis indissolubilis Christi cum ecclesia. Vnde quamuis natura sua indissolubile sit matrimonium, magis tamen ac certiùs id ei competit ratione sacramenti. Hinc est quod ait sanct. Augustinus in coniugio parentum Christi fuisse sacramentum, quia nullum diuortium libr. 1. de nuptijs & concup. cap. 11.

Porrò duo priora bona non in omni coniugio reperiuntur. Nam proles non est vbi vterq; vel alter coniux sterilis est, aut vbi continenriam ambo seruant, aut denique vbi medicamentis aliisue modis conceptus vel etiam conceptæ iam prolis partus impeditur. Nam & interfectio prolis siue in vtero conceptæ, siue iam in lucem editæ hunc bono sine dubio aduersatur. Qui verò prolem susceptam non, vt oportet, instituunt, bonû quidem prolis habent, id est, illud coniugij bonum quod proles vocatur, non tamen bene habent, dum non id agunt, vt Christo regenerata in fide & pietate permaneat. Quo sensu ab Augustino dictum est libro 9. de Genes. ad litteram cap. 7. In prole quatenus coniugij bonum est, attendi, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, & religiosè educetur. Atque in hunc sensum conuenit interpretari matrimonium, dum negat eos habere bonum prolis, qui prolem quidem ex matrimonio susceperunt, sed non ad pietatem instituunt.

Fides quoque coniugio deest, quoties vel adulterium committitur, vel debitum coniugale denegatur. Nam alia quæcumque peccata, vt furta, periuria, latrocinia, hæreses, &c. licèt eiusmodi sint vt animam spiritualis adulterij quo à Deo fornicatur, ream faciant; fidei tamen coniugali non aduersantur, vti nec aliæ coniugum aduersus se inuicem iniuriæ.

Tertium verò bonum, quod est sacramentum & sacramenti ratione matrimonio competens inseparabilitas, in omni coniugio inest. Quamuis enim quoad torum separari possint coniuges multis ex causis, sine ad tempus, siue ad perpetuum atque imprimis causa adulterij alterius coniugum attamen quoad vinculum separari non possunt. Manet enim matrimonio semper sua inseparabilitas, quemadmodum ex Augustino libro 1. de nuptijs & conc. cap. 10. & 11. rectè docet Magister, tametsi inseparabilitas illa non eodem prorsus modo in matrimonio cõsummato & inconsummato, ac rursum in matrimonio fidelium & infidelium accipitur. Quæ res partim patet ex supradictis ad distinctionem 27. partim ac pleniùs ex infrà dicendis ad distinctionem 33. 35. & 39. patebit. Ex quibus etiam locis perspicuum fit, inseparabilitatis huius duplicem esse rationem: alteram quæ ex natura ac definitione matrimonij; alteram verò quæ ex sacramenti ratione redditur. Nam sacramenti rationem in omni coniugio etiam infidelium inueniri, ad distinctionem 26. ostendimus.

§. 2. *Sintne coniuges dicendi qui conceptum aut partum impediunt.*

QVæritur, an qui conceptum aut partum prolis impediunt aut etiam extinguunt, secundûm veritatem coniuges dici possint, & an eorum coniunctio si ab initio tali intentione cõiuncti fuerint, verum sit matrimoniû. Quod quidem negat videtur in textu Magister, productis ad hoc duobus ex Augustino testimonijs, videlicet libr. de bono coniug. cap. 5. & libr. 1. de nuptijs & concupisc. cap. 15. Quorum priore loco cùm dixisset non absurde

voca

vocari connubium, si inter duos vsque ad mortem seruari fidem placuerit, & prolis generationem, quamuis non ea causa coniuncti sint, non tamen vitauerint, vt vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquo malo agant, ne nascantur, ita subijcit: Cæterùm si vel vtrumque vel vnum horum desit, non inuenio quemadmodum has nuptias appellare possimus. Posteriori loco post hæc verba: Nec tamen libidinis causa propagationi prolis obsistitur: siue voto malo siue opere malo. Deinde subiungit: Nam qui hoc faciunt, quamuis vocentur coniuges, non sunt, nec vllam nuptiarum retinẽt veritatẽ, sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt &c. & infrà: Prorsus si ambo tales sunt, cõiuges non sunt, & si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potiùs conuenerunt. Si autẽ non ambo sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodammodo meretrix mariti, aut ille adulter vxoris. Hæc ibi.

Verùm absque dubitatione respondendum est, nihil obstare quò minùs inter tales verum sit matrimonium, etiamsi fortè tali proposito & intẽtione atque etiã pactione fuissent ab initio copulati. Finis enim substantiam rei non ingreditur; ac proinde ratio matrimonij consistere poterit, quacumque tandem seu recta seu praua intentione substantiam eius non destruente, contrahatur. Vnde nec in definitione matrimonij additur, causa generationis vel quicquam tale. Quod tamen si adderetur, non aliud per hoc significatum intelligi deberet, quàm talem viri & mulieris coniunctionem per se & suapte natura iuxta primæuam institutionem ordinari ad prolis generationem.

Probatur item ex eo quod taliter coniunctos, tanquam falso nomine coniuges nunquam legitur ecclesia diremisse, licèt de crimine conuictos.

Ad id igitur quod ex Augustino opponitur, respondendum est illos de quibus loquitur, hactenus negari coniuges, quia officio, affectu & intentione coniuges non sunt; vtpote primarium finem nuptiarum, id est, liberorum susceptionem, vel in ipso contractu coniugij, vel post eum quandocumque data opera excludentes, ideoque apud Deum grauiori supplicio digni, quàm si tantùm fornicati essent. Quod autem eas absolutè cõiuges esse non neget Augustinus, liquet ex verbis illis postremis: Si autem non ambo sunt tales &c. vbi dum fatetur alterũ qui innoxius est, verè coniugem esse, consequenter intelligendum relinquit, etiam alteri, videlicet nocenti, verè competere coniugis vocabulum; quia coniugium non claudicat, sed est necessario inter duos, tametsi alter indignũm se reddat coniugis appellatione. Adde quod Augustinus vult eos non esse coniuges, etiamsi non ab initio tales fuerint, certum est autem Augustino coniugium semel initum esse indissolubile: non ergo proprio sensu negat esse coniuges. Idem patet ex eo quod addit, quodammodo. Per hoc enim significat non propriè vel hanc esse meretricem, vel illum adulterum, sed tropo quodam id dici. Alludit autem Augustinus ad illud Ambrosij alibi à se citatum, nempe lib. 2. contra Iulianum cap. 7. vbi ait, Intemperans in coniugio, quid nisi quidam adulter vxoris est, & ad illud Xysti Pythagorici ab Hieronymo subinde recitatum, Adulter est vxoris propriæ amator ardentior: cuiusmodi sententiæ non coniugium negant, sed affectum damnant hominum coniugio malè vtentium.

§. 3. *De ijsdem vtrùm sint homicidæ.*

RVrsum quæritur, vtrùm & quatenus homicidij scelere se obligent, qui fœtum nasciturum impediunt, aut eius abortum procurant. Cui quæstioni responsionem suggerit locus scripturæ Exod. 21. qui secundum versionem 70. sic habet: *Si pugnauerint duo viri & percusserint grauidam* (intellige intercedere volentem) *& exierit infans eius nondum formatus, mulctam pendet, quantum indixerit vir mulieris, dabitq; cum æstimatione. At si formatus fuerit fœtus, dabit animam pro anima.* Quem locum tractans Augustinus quæst. 80. super Exod. significari dicit fœtum informem non esse hominem, ideoque nec eius oppressionem morte quæ est homicidij pœna, sed tantùm pecunia mulctandam. Secus autem de fœtu formato, quia formatus censetur iam animatus anima rationali, quæ hominem constituit; ideoque additum esse, *si formatus fuerit, dabit animam pro anima*, id est, interficietur tanquam homicidij reus. S. Thom. 2.2.q.64. art. 8. ad 2.

In eandem sententiam scribit Hieronymus in epistola ad Algasiam quæstione 4. Semina, inquit, paulatim formantur in vteris, & tãdiu non reputatur homo, donec elementa confusa suas imagines, membraque suscipiant. Sic enim apud Hieronymum legitur, licèt Magister paulò aliter eius verba recitet. Similis est locus in quæst. 23. lib. quæstionum veteris & noui testamenti, apud Augustinum. Hæc autem loca etiam à Gratiano citantur 32. quæstio. 2. Atque hinc est quod Innocentius 3. extra de homicidio voluntario, cap. Sicut ex litterarum, consultus de presbytero qui fecerat mulierem abortire, num altari ministrare posset, respondet quòd si nondum erat viuificatus conceptus, ministrare poterit, alioqui debet ab altaris officio abstinere, videlicet tanquam commissi homicidij reus. Quam rem pleniùs explicat glossa eiusdem loci.

Porrò sciendum etsi non sit homicidij reus, qui abortum procurat fœtus nondum formati, grauiter tamen eum peccare etiam contra quintum decalogi præceptum. Sicut enim is qui non quidem aliena tollit, sed tamen alium impedit ne ditescat aut lucrum faciat, quamuis propriè non furetur, peccat tamen contra septimum præceptum decalogi: ita qui futurum hominem impedit, etsi non propriè occidat, in eodem tamen genere peccat; eo nimirũ peccato quod ad homicidium reducatur, quemadmodum rectè in hunc locum docent S. Thomas & Bonauentura in expositione textus. Vnde tales hac generali ratione aliquãdo homicidæ dicuntur, de quibus Augustinus dicit libr. 1. de nuptijs & concup. cap. 15. quòd crudeli quadam libidine seu libidinosa crudelitate conceptam prolem volunt priùs interire quàm viuere. Et apud eundem in sermone incerti authoris 244. de tempore sic dicitur: Mulier quæcumque fecerit hoc per quod iam non possit concipere, quantoscunque parere poterat, tantorum homicidiorum se ream esse cognoscat.

Sed quæres, liceatne procurare abortum, si propter fœtum in vtero conceptum mulier prægnans de vita periclitetur. Respondeo cum Syluestro verbo *Medicus*, numero 4. si fœtus est animatus anima rationali, non licere, etiamsi alioqui sit periculum, ne fœtus simul cum matre vitam amittat. Ratio est, quia occidere innoxium nunquam lex Dei permittit, ne quidem pro conseruanda alterius

vita.

vita. Non enim sunt facienda mala vt eueniant bona. Itaque mulier vel medicus, vel quicunque alius talem abortum procurans peccaret, haud dubiè mortaliter. Si verò fœtus non est animatus anima rationali, licebit; imò & ad officium medici pertinebit eius abortum procurare, quando aliter matri succurri non potest, sicut amputandum est membrũ, pro salute totius hominis periclitantis. Quod si dubitatur an sit animatus, videtur, inquit Siluester, dando medicinam peccare mortaliter, quia exponit se periculo peccati mortalis, id est, homicidij.

§. 4. *Quid in matrimonio malum sit & excusatione egeat.*

S. Thom. suppl. q. 49. art. 4.

CVm matrimonium sine omni vicio primitus institutum esset à Deo, mox per transgressionem primorum hominum subintrauit in illud quiddam turpe ac pudendum, scilicet fœda carnis libido, motusque ad eam inordinatus. Nam ante peccatum de primis parentibus dictum est, *Erant ambo nudi, & non erubescebant*; statim verò post transgressionem diuini præcepti, *cognouerunt se esse nudos*, ait scriptura, id est, nuditatem membrorum cum turpitudine coniunctam percipientes erubuerunt. Comprehenditur autem hæc libido Venerea sub concupiscentia tanquam species sub genere. Quare quæcumque generatim de concupiscentia in scriptura dicuntur, etiam in eam competunt. Cuiusmodi est quod aduersetur legi mentis & legi Dei, quodque sit habitans in nobis peccatum, lex membrorum & lex peccati. Rom. 7. Quod per eam caro concupiscat aduersus spiritum, Gal. 5. Quod non sit ex patre sed ex mundo, 1. Ioan. 2. Quod ab ea quisque tentetur abstractus & illectus, quodque cùm conceperit, peccatum pariat Iacobi 1. Sed cum hæc generaliter ad omnem concupiscentiam pertineant, de qua proprius est differendi locus lib. 2. libidini Venereæ proprium est incitare & impellere hominem ad fornicationes, adulteria, omneque impudicitiæ genus. Denique etiam in vsu eius licito ita mentem hominis abripere, vt nihil sapiente homine dignum cogitare valeat. Vnde & sanctis coniugibus vsus eius hactenus nocet, quia eos ad vacandum orationi ineptos facit, teste apostolo 1. Corinth. 7. qui monet coniuges ex consensu ad tempus abstinere vt vacent orationi. Huic simile est quod Augustinus li. 4. contra Iulianum cap. 2. dicit per huius libidinis vsum, in sanctis coniugibus minui spiritualem delectationem.

Eam rem etsi satis experientia probat, multæ tamen cùm aliæ ipsius Augustini, tum aliorum sapientum etiam huius sæculi sententiæ confirmant. Testatur Augustinus lib. 5. contra Iulianum cap. 8. in impetu libidinis neminem posse sancta cogitare. & lib. 1. soliloquiorum cap. 10. quòd nihil magis ex arce deijciat animam virilem quàm blandimenta fœminea; corporumque ille contactus, sine quo vxor haberi non potest. Itaque eodem loco dubitat, sitne sapientis vxorem ducere, & liberis operam dare. Idem fragmento 4. tomo 10. ad quæstionem quare qui fornicatur, peccare in proprium corpus dicatur, respondens dicit in ipso actu libidinis, ita animam immergi corpori, vt ipso momento nihil aliud cogitare homini liceat. Quod & pluribus verbis postea repetit. Similem ex Ciceronis Hor- A tensio sententiam commemorat libr. 4. contra Iulianum cap. 14. Plenius autem de malo libidinis disputat ferè totis contra Iulianum 4. 5. & 6. libris, & libr. 14. de Ciuitate Dei, à capite 15. vsque ad cap. 21. Item Fulgentius de fide ad Petrum, cap. 2. & epist. 1. cap. 3. Tertullianus quoque in libro de anima dicit animam generantis in actu generationis, nullam habere posse operationem rationis, quamuis eius rei causam reddat non veram. Bonauentura in 4. distinctione 26. & glossator decreti super cap. coniugia 32. quæst. 2. dicunt quòd homo in illo actu totus caro, id est, totus carneus efficitur. Hippocrates B medicus coitum comparabat morbo comitiali. Aristoteles libro Ethicorum cap. 8. dicit quod in eo actu non solum impossibile est aliquid intelligere, verùm etiam post eum minùs dispositus est homo ad vsum rationis. Cicero præter locum ab Augustino citatum, etiam in libro de senectute prorsus idem affirmat.

Ex his porrò manifestè patet, non similiter esse sentiendum de ista libidine, atque de delectatione requiescendi post laborem aut edendi vel bibendi post famem & sitim, aut de voluptatibus aliorum sensuum, quemadmodum rectè docet Augu- C stinus lib. 5. contra Iulianum cap. 5. & sanctus Thomas in præsentem distinctionem, hanc adferens diuersitatis rationem: quia vis generatiua per quam originale peccatum traducitur, est infecta & corrupta, non item nutritiua. Et quamuis in vniuersum appetitus sensitiuus ex peccato primorum hominum infectus sit atque deordinatus, magis tamen id accidit in eo appetitu qui subseruit generatiuæ, per quam traducitur peccatum.

Quare non rectè videntur quidem vt Hugo lib. 4. sent. cap. 4. & hoc loco Magister §. H. adduce- D re comparationem delectationis aliorum sensuum, ac præcipuè gustus cum delectatione Venerea. Non enim aliæ delectationes ita rationem absorbent eiusque vsum impediunt vt ista. Vnde & meritò pudenda vocatur, quia homini tanquam animali diuino ac mente prædito pudori est brutalem eiusmodi delectationem pati. At de delectatione gustus tanquam honesta sic loquitur apostolus Act. 14. *Implens cibo & lætitia corda vestra.*

Rursum hanc ob causam Christus nasci voluit ex virgine, & non ex sancto coniugio, quale fuit patriarcharum; quia nimirum congressus ille con- E iugalis, quantumuis inculpatus, turpitudinis tamen malo carere non potest. Quo fit etiam vt idem saluator noster admiserit quidem in se delectatione cibi, potus, & aliorum naturæ conuenientium, vt moderati frigoris, caloris, quietis post fatigationem, & somni post vigiliam; delectationem autem Veneream nec in se, nec in castissima matre sua admittere voluerit vnquam. Itaque etsi per somnum quoque ratio conquiescit, non tamen debet hæc libido ita cum somno comparari, quasi pari modo vtrumque excusetur. Somnus enim consistit in na- F turali quadã sensuum quiete, quam sequitur quies rationis, neque habet aliquid inordinatum, propter quod veluti rationi repugnans, debeat turpis aut inhonestus censeri. Vnde nec omnino excusatione his opus est, vbi nihil mali est. Nam & Christus somnum cepit necessarium, & somni necessitas erat in innocentiæ statu futura, in quo nec culpæ malum erat nec pœnæ.

Quod si comparationem illam quam Magister & Hugo ponunt tanquam satis conuenientem reciperemus; sequeretur multis casibus etiam extra matrimonium licitum esse Veneris vsum, sicut cib-

&c.

& potus: cùm tamen solummodo in matrimonio, idque duobus tantùm casibus eum Deus hominibus concesserit, vt infrà patebit.

Vt igitur ad institutum sermo redeat, tria bona matrimonij suprà enumerata excusant imprimis ipsum matrimonium, vt non obstante hac libidine actui eius coniuncta, quæ per se semper turpis & mala est, honestum sit ac licitum. Nam matrimonium in statu innocentiæ, sicut & illud quod fuit inter beatam Virginem & Ioseph & quoscumque alios coniuges pari consensu virginitatem seruantes, quatenus ibi libido nulla interuenit, hac excusatione oon indigent.

Secundò excusare dicuntur ipsam libidinem eiusque vsum inter coniuges. Quæ excusatio partim ad hoc valet, vt coniugalis actus, ipsaque delectatio nullum sit peccatum; partim vt veniale tantùm, quemadmodum ex ijs quæ sequuntur, fiet manifestum.

Denique excusant ea bona coniuges ipsos, vt tum in contrahendo matrimonio, tum in vtendo, vel omnino non peccent, vel peccent tantùm venialiter.

Quod autem attinet ad mala pœnæ, quæ sunt in matrimonio, & ab apostolo tribulationes carnis vocantur, ea per illa bona compensari rectiùs dixeris quàm excusari, vt suprà diximus.

§. 5. *Quando sine peccato fiat actus coniugalis.*

S.Thom. suppl. q. 41 ar. 3. & q. 49. ar. 4.

CONiugium esse diuina ac naturali lege institutum, ideoque rem esse bonam ac licitam, præsertim cùm ei diuinitus etiam adiuncta sit sacramenti ratio, suprà ad distinctionem 26. ostendimus. Ex quibus manifestè consequens est proprium eius actum modò legitimè fiat, bonum ac licitum esse. Rei enim bonitas vel malicia ex fine æstimatur. Quare si proprius actus matrimonij, qui & finis eius est, per se peccatum esset, aut sine peccato fieri non posset, certè nec ipse matrimonij contractus posset absque peccato fieri. Neque id tantùm ratione finis seu actus proprij, cuius malicia in rem ipsam redundat lege dialectica, verùm etiam ratione obligationis ad actum. Haud dubiè enim peccat qui se ad actum obligat, qui vel per se peccatum est, vel sine peccato exerceri nequit. Confirmat hanc doctrinam testimonium Ecclesiastæ cap. 3. dicentis: *Tempus amplexandi & tempus longè fieri ab amplexibus.* Quod si enim amplexus coniugalis semper illicitus esset, nunquam foret tempus amplexandi. Sed & alia eodem capite enumerata ostendunt id omne cuius aliquando tempus esse testatur sapiens, esse eiusmodi vt sine peccato fieri possit.

Cæterùm quamuis non inter omnes etiam catholicos doctores conueniat, quando coniugalis actus culpa careat, aut non careat; longè tamen est probabilius, vtpote sacris literis & patrum doctrinæ conformius, duos tantum esse casus quibus sine omni peccato, imò sanctè & meritoriè fieri possit. Prior est dum fit generationis causa: posterior quãdo coniugi petendi debitum redditur.

Ratio prioris est, quia tunc refertur actus ille in eum finẽ, ad quem diuinitus atque à natura matrimoniũ cuius est actus, ordinatur. Hoc igitur pacto coniugalis actus excusatur per bonum prolis. Vnde Dominus non tantùm ante peccatum in paradiso, verùm etiam post peccatum deleto per diluuium humano genere, dixit: *Crescite & multiplicamini*, & Tobias iunior cap. 8. tanquam bonum opus commemorat apud Deum, quòd sola posteritatis dilectione vxorem acciperet, scilicet vt eo solo fine eam cogniturus. Id quod persæpe etiam in patriarchis Augustinus commendat.

Ratio posterioris, quia dum fit reddendi debiti causa, fit actus iustitiæ, quo alteri quod suum est redditur. Nam *Vir*, inquit apostolus, *non habet sui corporis potestatem sed mulier* & contrà; ideoque ex iustitia alter alteri reddere debitum tenetur, iubente eodem apostolo, vt *Vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro.* Et rursum dicente: *Nolite fraudare inuicem.* Hoc modo excusatur actus ille per bonum iustitiæ seu fidei coniugalis; & confirmatur hac ratione. Nam si hoc casu non posset actus coniugalis exerceri sine peccato, sequeretur perplexum esse coniugem à quo debitum exigitur: ita vt siue debitum recuset, mortaliter peccet; siue reddat, peccet venialiter ipso actu coniugali. Quam rationem vetus quædam glossa decreti distinctione 13. capit. 1. soluere conatur, sed prorsus ineptè, vt ibi videre est. Quod autem vtroque casu iam dicto licitè possit exerceri coniugalis actus, constans est & consentiens Augustini & aliorum patrum sententia, nec non etiam scholasticorum communis doctrina. Loca apud sanctum Augustinum sunt libr. de bono coniugali cap. 6. 10. 11. & 16. libr. 2. retract. cap. 22. libr. de bono viduitatis cap. 4. libr. 1. de nuptijs & concupiscent. cap. 14. libr. 9. de Genes. ad litteram, cap. 7. libr. 3. contra Iulianum cap. 16. homilia 50. capit. 7. sermone 8. de tempore, sermone 63. & 74. de diuersis & libr. 1. soliloq. cap. 10.

Idem docet Fulgentius epistola 1. cap. 2. 3. & 4. Gregorius libr. 32. moral. cap. 17. sanctus Thomas, Bonauentura, alijque scholastici in præsentem distinctionem. Idem sanctus Thomas in distinctionem 31. Habetur quoque in supplemento partis 3. quæstiooe 41. articulo 3. & quæstione 49. articulo quarto.

Ex his autem perspicuum est quàm à veritate fuerit remota illa Satanica Manichæorum doctrina, qua docebant omnem concubitum cum vxore esse fornicationem, quemadmodum de ijs testatur sanctus Augustinus libr. 1. de actis cum Felice Manichæo cap. 7. & 12. nec dissimilia de ijs referens in hæresi Manichæorum. Quem errorem satis refellit vna apostoli ad Hebræos sententia cap. 13. *Honorabile connubium in omnibus & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.* Quod autem solis casibus supradictis licitus sit actus coniugalis, aliàs semper illicitus, rametsi plæraque loca iam citata id clarè testentur, infrà pleniùs docebitur.

§. 6. *Solutio eorum quæ contrà obijciuntur.*

S.Thom. vt supr.

AD ea argumenta per quæ coniugium tanquam malum & illicitum oppugnatur, respondimus circa distinctionem 26. tametsi quædam ibi dicta etiam huic loco congruant. Nam propter actum qui coniugio proprius est, coniugiom ipsom damnabile seu quomodocunque culpabile quibusdam videbatur. Verùm præter illa, quæ quidem hoc loco memoria repetenda sunt, proferuntur & alia neque pauca neque contemnenda, quibus ostendi videatur actum coniugalem exerceri sine peccato saltem veniali nunquam posse; adeo vt nec defuerint inter catholicos qui in hanc sententiam fuerint

adducti.

adducti. Quorum primum & præcipuum argumentum hoc est: libido sine qua non fit complexus coniugalis, semper & sua natura culpabilis est, vtpote repugnans spiritui & legi Dei seu legi mentis, teste apostolo Rom. 7. & Gal. 5. igitur eam in se admittere, quocúq; demum fine id fiat, semper peccatú est, cùm non sint facienda mala vt eueniant bona. Neq; sufficit dicere quòd coniuges eam patiuntur inuiti, quodque ideo à peccato, quod sine consensu voluntatis non committitur, excusantur. Obijcitur enim coniuges sponte ac voluntariè matrimonium contraxisse, imò & actum matrimonij siue exigendo debitum siue reddendo, libera voluntate exercere; atq; ita consequenter in ipsam libidiné actui illi necessariò cohærentem consentire: præsertim cùm eam videantur in se per talem actú excitare, ita vt propriè sint eius authores. Quod & à simili probatur. Nam voluntariè proijcit mercator merces suas in mare vt periculo se eximat, & volútariè quis amittit manum vel pedem pro conseruatione totius corporis, licèt mallet consequi finem si posset, absque tali medio, & hac ratione facere dicatur inuitus, cùm alioqui simpliciter in illo actu sit voluntarius. Vnde nec excusatur qui idolum adorat, vt vitam seruet, aliàs minimè adoraturus. Quamuis enim hi actus sint mixti, absolutè tamen dicuntur & sunt voluntarij.

Huic argumento, quod ab alijs aliter soluitur, respondendum nobis videtur, ideo coniugalem actum etiam in statu corruptionis esse posse sine peccato, quia potest consensus voluntatis ferri in solum actum, finemq; eius qui est generatio aut debiti redditio, non autem in libidinem actui coniunctam. Non enim qui consentit in actum, continuò cósentit in id omne quod actui coniunctú est. Claudus enim in progressionem consentit, non in claudicationem: & viator in ambulationem, non autem in lassitudinem aut pluuiam: & qui peccat, in actum peccati consentit, non autem in reatum pœnæ, qui peccato necessariò cohæret. At neque fatendum videtur libidinem esse per se culpabilem, tametsi legi Dei repugnet. Culpabile enim voluntatem respicit, cui in proposito malum libidinis displicere ponimus. Cæterum nec liceret homini in se admittere aliquid turpe, inordinatum ac legi Dei repugnans (etiamsi in illud non cósentiat) nisi ex iusta & rationabili causa id faceret. Nam alioqui volútas malum illud admittens, tametsi non directè cósentiens, culpa non careret, esset enim cósensus indirectus. Quare quemadmodum princeps permittens in ciuitate vsuras aut prostibula, minimè tamen in ea consentiens, cùm iustam habeat causam permittendi, non peccat: ita nec ille peccare dicendus est, qui delectationem inordinatam in se admittit, non tamen in eá consentit, cùm id faciat seu potiùs patiatur ex iusta causa; videlicet propagandi generis humani vel debiti reddendi: quos nimirum fines vtique per se honestissimos in hac corruptione aliter consequi non potest. Ac sanè non tam ille dicendus est libidinem admittere in se, quàm in carnem suam, id est, in partem sensitiuam, quę homini est cum brutis communis, in qua delectatio esse potest sine consensu mentis; vt patet in virginibus quæ stuprum inuitæ patiuntur, iuxta id quod à Lucia ad iudicem dictum legimus: *Si inuitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Nam & apost. Rom. 7. ait. *Non habitat in me, hoc est in carne mea bonum.* Et iterum: *Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Ad húc ferè modum excusari coniuges à peccato, docet August. lib. 4. contra Iul. cap. 2. & libr. 5. cap. 10. & alibi.

Sed quæret aliquis; Quare non similiter actus

A ille excusatur extra matrimonium, si quis causa generandæ prolis vel ob alium honestum finem, velut sanitatis aut vitæ suæ vel alterius seruandæ, actum illum exercens, malum libidinis in se permittit. Respondetur hanc esse rationem, quia Deus sic ordinauit vt actus ille qui ex prima institutione non alium habet vsum quàm procreandæ prolis, nunquam licitè fiat extra matrimonium, etiamsi libidinis turpitudinem non haberet adiunctam. Cuius ratio est bonum prolis, vt alibi declaratum est. Quare nec admittere in se libidinem per eiusmodi actum quocunq; casu poterit aliquádo licitum esse

B extra matrimonium.

Secundò profertur authoritas Gregorij qui in epistola ad Augustinum Anglorum episcopum, quæ est inter epistolas vlt. ad decimam eius interrogationem sic inter alia respódet: Romanorum semper ab antiquioribus vsus fuit, post admixtionem propriæ coniugis lauacri purificationem quærere, & ab ingressu ecclesiæ paululum reuerenter abstinere. Nec hoc dicentes culpandú putamus esse coniugium, sed quia ipsa licita admixtio coniugis sine voluptate carnis fieri non potest, ideo à sacri loci ingressu abstinendum est, quia voluptas ipsa esse sine

C culpa nullatenus potest, & quę sequútur. Quæ quidem Gregorij verba à Gratiano in decretum relata sunt cap. 33. quęst. 4. cap. Vir cum propria, & à Magistro referuntur in textu. Sed respondemus sententiam Gregorij claram esse qua dicit ac disertè fatetur licitam esse admixtionem coniugis, & infrà repetit dicens legitimam esse carnis copulam; vt causa prolis sit, non voluptatis, & carnis commixtio creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio viciorum. Ac deinde subiungit: Si quis ergo sua coniuge non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratia vtitur;

D iste profectò de ingressu ecclesiæ, seu de sumendo corporis Dominici sanguinisque mysterio suo est relinquendus iudicio, quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere, &c. Idem etiam lib. 32. moral. cap. 17. ita pronunciat: Tunc solùm coniuges in admixtione sine culpa sunt, cùm non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur. Agnoscit ergo Gregorius copulam coniugalem aliquádo carere culpa. Quare in eo quod ait voluptatem ipsam sine culpa nullatenus esse posse, culpam non omnino propriè intelligere debemus, sed eo modo quo concupiscen-

E tiam motumque eius apost. Rom. 7. peccatum appellat, quia scilicet ad peccatum suapte natura inclinat, neque ad propriam peccati rationem aliud ei deest quàm vt sit voluntarium, quemadmodum ad huiusmodi obiectiones responsum est circa distinctionem 21. & 32. lib. 2. Quam respósionem propositus Gregorij locus confirmat, vbi de motibus iracundiæ aliarumque viciosarum passionum simile iudicium esse testatur.

Tertiò obijcitur illud Dauidis: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater*

F *mea*, quod de legitimo coniugio ita scriptum est, vt significetur congressum coniugalé nunquam carere iniquitate & peccato. Sic intellexisse videtur Gregorius in epist. iam citata, & similiter Bernardus in sermone qui incipit: Signum magnum, & Innocentius 3. in expositione psalmi 50. Respondetur in illo psalmi versiculo intelligi iniquitatem & peccatum non matris concipientis aut patris generantis (neque enim parentum suorum iniquitatem ibi accusare voluit propheta) sed eius qui concipitur; quemadmodum August. alijq; patres & ipsa etiam

concilia intellexerunt, dum eo loco passim vtuntur A
ad probandum traducem peccati. Quod si interdum etiam de ipsorum parentum iniquitate & peccato patres eum locum interpretantur, peccatum intelligunt eo modo quo Paulus Rom. 7. explicante Synodo Tridentina sess. 5. can. 5.

Quartò obijcitur illud apostoli 1. Corint. 7. *Hoc autem dico secundum indulgentiam.* Verùm ad id iam respondimus circa distinctionem 26. & respondet Magister in textu.

Quintò apost. 1. Cor. 12. membra generationi deputata vocat inhonesta, non ob aliud quàm quia ad actum generationis propter adiunctam libidinē inhonestè mouentur, ac proinde illicitè. Sed respon- B
detur actum illum dici posse honestum simul & inhonestum. Honestus enim est propter honestatem nuptiarum qua tegitur & excusatur turpitudo libidinis; inhonestus autem propter libidinem ipsam, quæ ab ea separari non potest. Neque tamen propterea fit illicitus, quia malum illud coniunctum non est voluntarium.

Sextò: August. lib. 2. soliloq. c. 10. dicit se nōdum comperisse, an sapientis sit operam dare liberis. Respōdeo non ideo hoc eum dicere, quòd putet opus
illud non posse fieri sine peccato (nam ibidem aper- C
tè dicit non esse peccatum si quis tantùm procreationis causa misceatur vxori) sed tū quia difficillimè peccatum vitatur, tū quia sine libidine quæ semper mala, inhonesta & viciosa est, nō potest fieri. Quam enim ratum ac difficile sit tantùm gratia prolis vti coniuge, declarat eodem loco August. itemq; lib. de bono coniug. c. 13. quemadmodū & Gregor. ijs verbis, quibus dicit eū à perceptione corporis Domini non esse prohibēdum, qui in igne positus nescit ardere. Quam tamē perfectionem sanctis patriarchis in omni concubitu tribuit August. eodem cap. 11. de
bono coniugali & serm. 63. de diuersis cap. 13. D

Septimò: Innocentius 3. super illud: *Ecce enim in iniquitatibus, &c.* Dicit frequentiùs in opere coniugali peccari mortaliter, & putat veriùs quod semper saltem venialiter. Idem sentit Hugo quidam canonista super cap. Vir cum propria, dicens nunquā sine peccato posse opus coniugale exerceri, ne tunc quidem cùm fit necessitate reddendi debiti. Respōdemus Innocent. id non prorsus affirmare, Hugonis autem opinionem eodem loco à glossatore rectè ac meritò refelli.

Octauò, Patres frequenter solam excipiunt cau- E
sam generationis, ob quā sine peccato fiat congressus coniugalis, vt infrà per eorum testimonia patebit: ergo saltem debiti reddendi causa non excusat actum illum à peccato. Verū ad id facilè respondetur patres loqui de eo qui poscit debitum, nō de eo qui reddit. Poscere enim iuxta eorū sententiā nunquam licitum est nisi generationis causa: In reddendo autē iusticia est. Vnde August. de bono coniug. c. 7. Reddere debitum nullius est criminis, exigere verò vltra generandi necessitatem, culpæ venialis. Vbi crimen intelligitur peccatum in genere, vt pa-
tet ex antithesi. F

Postremò obijciet aliquis: Coniux indebitè exigit debitum, scilicet voluptatis causa; igitur petenti reddere non licebit. Neq; enim peccato volenti subseruire licet, neq; furioso gladium reddere quo vult vel seipsum vel alium occidere. Respondetur etiam sic petenti reddendum esse debitum. Vnde Augustinus lib. de bono coniugali cap. 4. dicit in eo ipso quod sibi inuicem coniuges debitū soluunt, etiamsi id aliquantò intemperantiùs & incontinentiùs expetant, fidem tamen sibi pariter debere. Neque verò qui eo casu debitum reddit, subseruit coniugi ad peccatum, sed ad rei debitæ vsum. Quare si vtatur indebitè, culpa est vtentis, non debitum reddentis. Nec simile est de furioso gladiū repetente, quemadmodum bene explicat Dominicus ad hanc dist. q. 1. art. 3. Tunc enim licet rem alienam seu debitam ad tempus negare, quando is cui debetur, vult per eam sibi vel alteri temporale nocumentum inferre. Quod & in coniugali negocio liceret; secus autem de nocumento tantùm spirituali. Ab hoc enim quisque sibi per volūtatem suam cauere potest. Et ideò, inquit, plus obligatur homo, nisi sit prælatus, occurrere nocumētis magnis tēporalibus proximi, quàm spiritualibus.

Cæterùm quod Caietanus opinatur nullum concupiscentiæ motum esse sine peccato, quo dato sequitur actum coniugalem in quo non potest non moueri concupiscentia, nunquam sine peccato fieri; refutatum id à nobis est ad distinctionem 21. libr. secundi.

§. 7. *Quando actus coniugalis sit veniale peccatum.*

VEnialem culpam habet cōcubitus coniugalis, quandocunque fit percipiēdæ voluptatis causa, nec alia adest circunstantia mortalem culpam inducens. Quod enim talis cōcubitus culpam habeat, inde patet; quia in eo voluntas reuera obsequitur libidini, eam expetens atque in eam sponte consentiens, quemadmodum Augustinus docet lib. de bono coniug. cap. 10. Hoc autē fieri nō potest sine peccato, vt suprà ostēsum est, & eodem loco docet Augustinus. Idem declarant hæc Tobię verba cap. 8. *Tu scis quia non luxuriæ causa, sed sola posteritatis dilectione, &c.* Quòd autem ea tantùm venialis sit culpa, hinc ostenditur; quia voluptas illa etsi per se mala, inhonesta, & rationi repugnans, cohibetur tamen intra fines matrimonij, neque iustitiæ ordinem euertit, neque rationi dominatur, neq; ad damnabilia peccata hominem pertrahit.

S. Thom. suppl. q. 49. art. ultim.

Confirmatur ea doctrina authoritate apostoli, 1. Corint. 7. dicentis: *Reuertimini in idipsum (ne tentet vos satanas) propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.* Vbi non ea indulgentia seu venia accipienda est, qua minora bona maioribus omissis vt licita conceduntur, non tamen præcipiuntur, quomodo nonnulli intelligunt; omne enim bonum quātumuis exiguū laudabile est, nec venia indiget; sed ea intelligitur venia seu indulgentia, quâ vt maiora vitentur, minora mala cum facili spe veniæ permittuntur. Quæ proinde peccata quidem esse, sed venialia significatur. Sic plurimis in locis apostoli locum Augustinus intellexit, ac nominatim libr. 1. de nuptijs & concupiscent. cap. 14. de bono coniugali capit. 6. 7. & 10. enchir. 78. Similiter & Gregorius lib. 32. moral. cap. 17. & parte 3. curæ pastoralis admon. 28. dicens: Culpa quippe esse innuitur, quod indulgeri perhibetur. Item Beda dictum apostoli locum exponens.

Habet præterea venialem culpam actus coniugalis, quoties fit vitandæ fornicationis causa, seu generaliter, in remedium incontinentiæ. Cuius ratio est, quia etiam hoc casu coniux in actu illo obsequitur aliquousque voluptati carnis; sic tamen vt eam coerceat intra limites matrimonij, atq; in bonum finem referat, qui est, fornicationem vitare. Vnde hic casus à præcedenti non est omnino diuersus, sed sub eo tanquam generaliori continetur.

Addit

Addit enim ad electionem voluptatis circumstan- A
tiam boni finis.
Est proinde huius eadem probatio ex apostolo.
Quod enim ait: *Hoc autē dico secundum indulgentiā*. ad
duas precedentes sententias referendū est; illa vide-
licet priorē: *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorē
habeat, & vnaquæque suū virū*, vbi habere idē est quod
vti & hāc posteriorē: *Reuertimini in idipsum (ne tentet
vos satanas) propter incontinentiam vestram* Priori enim
loco causam indulgentię assignat fornicationis eui-
tationem: posteriori generaliter incontinentiæ re-
medium, etiamsi fortè cum finem non spectet, qui B
per incontinentiam coniuge vtitur, sed suam volu-
ptatem præ oculis habeat. Hoc modo apostolū in-
terpretati sunt Augustinus & Beda locis citatis.

Et quamuis sint inter Catholicos quidam Alti-
siodorensis, Durandus, Paludanus, Capreolus, Ca-
ietanus, Syluester, Ioaonis Maioris, Ioannes Eckius,
Fredericus Nausea & Dominicus Soto, qui in di-
uersa sint opinione, putantes eum ne venialiter
quidem peccare, qui propter vitandam fornicatio-
nem debitum exigit coniugale, locumque apostoli
exponentes de ea indulgentia, qua minus bonum C
conceditur omisso meliori, veteres tamen omnes
& Scholasticorum præcipui pro nobis faciunt, do-
centes eo casu coniuges venialiter delinquere.

Acprimùm quidem aperta est Augustini do-
ctrina multis locis. Nam in libr. de bono coniuga-
li cap. 6. dicit apostolum secundùm veniam conce-
dere coniugibus, vt etiam præter causam procrean-
di sibi misceantur, & cap. 7. Reddere, debitum, in-
quit, nullius est criminis, exigere verò vltra gene-
randi necessitatem culpæ venialis. Et apertissimè
cap. 10. Non itaque nuptias, inquit, secundùm ve-
niam concedit apostolus. Nam quis ambigat absur- D
dissimè dici, non eos peccasse quibus venia datur?
Sed illum concubitum secundùm veniam conce-
dit, qui fit per incontinentiam, non sola causa pro-
creandi, & aliquando nulla causa procreandi, quem
nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant. Et
mox: Concubitus enim necessarius causa generan-
di inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem
qui vltra istam necessitatem progreditur, cùm non
rationi sed libidini obsequitur, &c. Rursumque ca-
pit. 11. venialem esse dicit naturalem vsum in coniu-
gio, quando prolabitur vltra pacta nuptialia, id est
propagandi necessitatem, & cap. 15. venialiter con-
cedi ab apostolo, quandocumque non prolis causa
coniuges conueniunt. Et denique cap. 17. progres-
sum illum qui excedit generandi causam vel neces- E
sitatem, iterum testatur secundùm veniam ab apo-
stolo concedi.

Eiusdem hæc sententia est homil. 50. inter 50.
cap. 7. sola generandi causa est inculpabilis vtriusque
sexus commixtio, & in epist. 121. de orando Deo cap.
vlt. sola excusat nuptias procreandorum causa filio-
rum, & super Psalm. 80. Inter eos qui super funda-
mentum ædificant lignum, fœnum, stipulam, recen-
set eum qui sic miscetur suæ vxori, vt modum non
ibi teneat præscriptum tabulis, liberorum procreā-
dorum causa. Est item locus apod eundem clarus, F
& disertus serm. 63. de diuersis ca. 13. vbi sic ait: Qui
vxoris carnem ampliùs appetit, quàm præscribit li-
mes ille, liberorum procreandorum causa, contra
ipsas tabulas facit, quibus duxit eam vxorem. Re-
citantur tabulę, & recitantur in conspectu omnium
attestantium, & recitatur, liberorum procreando-
rum causa, & vocantur tabulæ matrimoniales. Nisi
ad hoc dentur, ad hoc accipiantur vxores, quis sana
fronte dat filiam suam libidini alienæ? Erubescat
maritus aliter accipere, si erubescit pater aliter dare.
Sed si non possunt exigant debitum, & si egrediun-
tur metas matrimonialis pacti, non egrediantur
metas coniugalis tori. Nunquid hoc non est pecca-
tum, ampliùs quàm liberorum procreandorum ne-
cessitas cogit, exigere à coniuge debitum? Est qui-
dem peccatum, sed veniale. Apostolus dicit: *Hoc au-
tem dico secundùm veniam*. Tanquam diceret: Non
impero, vt faciatis, sed ignosco, si feceritis. Et cap. 15.
Vsque ad eum modum, inquit, carnale opus expe-
tite, vt filios procreetis, & quia aliter non potestis
habere filios, ad illud cum dolore descendite. Pœ-
na est enim illius Adam, de quo exorti sumus. Sic il-
le, & lib. de peccato originali cap. 38. rursum aposto-
licam citans sententiam, ait: Euidenter dum tribuit
veniam, denotat culpam. Idem serm. 41. de sanctis
inter venialia peccata numerat, quoties quis excep-
to desiderio filiorum vxorem suam cognouerit.

Eiusdem doctoris hæc præterea loca notentur,
libr. 1. soliloq. cap. 10. libr. 9. de Genes. ad litterā cap.
7. 8. & 10. libr. 2. de consensu eu. cap. 1. libr. 1. de nup-
tijs & concupiscent. capit. 4. 8. 12. & 14. libr. de bono
viduitatis cap. 4. libr. 5. contra Iul. cap. 7. & 8. & libr.
4. cap. 14. In tract. de decem chordis cap. 11. & sen-
tentia eius citata in glossa ordinaria super illud 1.
Corinth. 7. *Secundùm indulgentiam*, referente etiam
Magistro in textu §. G.

August. planè subscribunt Beda in comment.
1. Corinth. 7. & Fulgentius epist. 1. cap. 3. & 4. verbis
perquam apertis. Alter quoque Fulgentij locus est
libr. de fide ad Petrum, cap. 2.

Cùm his sentiunt Hieronymus libr. 1. contra Io-
uinianum & in apol. eiusdem operis (citatur autem
à Gratiano 32. q. 4. cap. Origo quidem, & cap. libe-
rorum) Chrysostomus hom. 22. in Genes. Gregorius
lib. 32. moral cap. 17. & in responsione ad decimam
interrogationem Augustini Anglorū episcopi, ad-
ducto etiam apostoli testimonio ex 1. Corint. 7. & p.
3. curæ pastor. admon. 28. vbi similiter apostoli locū
adducit, & graues in hanc rem habet sententias. La-
ctant quoque li. 5. inst. diu. c. 7. scribere non dubita-
uit, dānari à Deo quicquid appetitur vltra generādi
cupiditatē. Neque verò aliud oēs hi dicūt dum solam
generādi causam excipiunt, quàm quod Tobias iu-
nior significauit illis verbis, cap. 8. *Quia non luxuriæ
causa, sed sola posteritatis dilectione coniugem accipio*, quasi
videlicet sola posteritatis dilectio sit inculpabilis
causa contractus, operisque coniugalis.

Veterum doctrinam sequitur in textu Magister,
sequuntur & ex scholasticis probatissimi quique, vt
sanctus Thomas, Bonauentura, Richardus & alij in
hanc distinctionem scribentes. Quamquam Scotus
ad distin. 26. in dubio rem relinquit. Sanct. Thomæ
sentent. à Syluestro malè intellectam bene assecutus
est vterque Soto. Sed Dominicus eam nō sequitur,
Petrus sequitur, explicat & defendit lectione 16. de
matrimonio.

Eiusdem sanct. Thomæ sententia est eademque
vera; quippe quę ex dictis manifestè sequitur, actum
coniugalem, si fiat sanitatis gratia, non carere culpa.
Verùm sicut venialiter tantùm peccat qui volupta-
tem quærit intra fines matrimonij, ita nō plusquam
venialiter qui illo actu quærit sanitatem, & fortè
minùs hic peccat quàm ille. Nam extra coniugium,
quod ne ea quidem causa fieri possit absque morta-
li culpa, nemini debet esse dubium.

Ex dictis porrò consequitur & illud, actum con-
iugalem culpa non carere, si partim generationis
causa, partim ob voluptatem fiat, etiamsi voluptas
non sit præcipua causa, sed tamen placeat, quod est

contra secundam conclusionem Dom. quæst.1.ar.3.

Potissimùm autem probatur apertis verbis Augustini de bono coniugali cap. 10. supracitatis, quibus ita distinguit inter non solam causam generandi, & nullam causam generandi, vt tamen in vtroque culpam ponat, & serm. 63. de diuersis, vbi vult vt coniuges ad illud opus cum dolore descendant. Multò minùs autem ijs acquiescendum qui coniugale opus si delectationis causa fiat, etiam absque proposito generationis modo vitetur excessus, volunt prorsus à peccato excusari. Quæ sententia est Ioannis Maioris & Eckij.

§. 8. *Responsio ad obiectiones in contrarium.*

S. Thom. ibidem. ADuersus iam dicta primùm objicitur illa Sapientis exhortatio, Prouerb. 5. *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. Vbera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter.* Vnde apparet licitum esse vt quis causa delectationis, imò & satiandæ voluptatis, quam significat verbum inebriandi, copuletur vxori.

Secundò: Lactantius libr. 6. diu. inst. cap. 23. ita scribit: Qui libidinem cohibet inter præscriptum legitimi tori, habet & id quod auidè expetit, & tamen in peccatum non incidit, & eiusdem libr. cap. 16. Si libido extra legitimum torum non euagetur, licèt sit vehemens, tamen culpa caret.

Tertiò: Hugo à sancto Victore homilia 15. in Ecclesiasten ad illud: *Tempus amplexandi*, dicit pactum primæ institutionis per indulgentiam confirmari non solùm pro explendo officio, sed etiam pro conferendo remedio; ne scilicet motus carnis immoderatiùs iam efferuens, turpiùs in omnem præuaricationem proflueret, si licite nusquam laxari potuisset. Deinde subijcit. Præscribitur itaque meta, vsquequo se sine pudicitiæ damno extendere possit carnis affectus, vt quod in matrimonij castimonia per concessionem agitur, etsi ad infirmitatem pertineat, ad turpitudinē tamen nō imputetur, & quæ sequuntur, vbi hæc rursus concessa vocat.

Quartò: Sanctus Thomas in 4. dist. 26. quæst. 7. dicit per matrimonium excusari actum à peccato, qui sine matrimonio peccatum esset.

Quintò: Voluptas à Deo adiuncta est actui generationis sicut sumptioni cibi & potus, quod patet tum exemplo aliorum animantium, tum authoritate Hieronymi, qui in epistola ad Furiam de seruanda viduitate, dicit libidinem illam insitam esse à Deo ob liberorum procreationem; & Lactantij qui hoc ipsum affirmat lib. 6. diu. inst. cap. 16. 19. & 23. & rursum ca. 3. epitomes; tametsi Augustinus de bono coniugali cap. 16. dicit delectationem carnalem modificatam & temperatam refrænante in vsum naturalem redactam, libidinem esse non posse. Quod & confirmat lib. 1. retract. cap. 22. Quod si per hoc libido esse definit, & si Deum illa voluptas authorem habet, nihil vetat quò minùs licitè placere possit.

Sextò: Si ne quidem vitandæ fornicationis causa licitus est actus coniugalis; igitur nec senes nec steriles coniuges, aut quorum alter talis sit, debitum petere sine peccato poterunt, quandoquidem ibi cessat spes sobolis propagandæ.

Septimò: Non est peccatū accipere coniugem causa fornicationis vitandę, ergo nec cognoscere ex eadem causa.

Octauò: Non peccat qui coniugi miscetur ad præcauendam in illa fornicationem, dum videlicet

A ei debitum reddit: ergo nec peccabit, si id fecerit ad præcauendam fornicationem in seipso. Magis enim tenetur quisque auertere peccatum proprium quàm alienum.

Postremò: Vti matrimonio ad eum finē ad quem institutum est, non est peccatū, siue finis ille sit primarius, siue secundarius. Atqui finis eius secundarius est, vt sit in remedium concupiscentię: igitur ad hunc finem vti eo licebit.

Verùm ad hæc ordine respondeamus, & ad primum quidem, sapiētis sermonem non esse propriè adhortatorium ad coniugales amplexus, sed ad vitanda adulteria & fornicationes, quæ vitantur per

B vsum propriæ coniugis. Loquitur enim Sapiens eo modo quo apostolus 1. Corint. 7. vtens quidem his vocibus: *Vnusquisq; habeat*, Et, *Reuertimini in idipsum*, sed seipsum interpretans, eùm subiungit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Hanc enim esse mentē Sapientis probant & ea præcepta quę antecedunt de vitanda muliere extranea, & hoc quod proximè sequitur: *Quare seduceris fili mi ab aliena, & foueris in sinu alterius.*

Ad secundū: Lactantius eo loco intelligit culpā

C seu peccatum damnabile. Remouet enim ab illo vsu coniugali peccatum quod foret extra cōiugium in simili vsu. Quod quidem sine dubio mortale est.

Ad tertiū: Hugo verbo concessionis vtitur pro permissione seu indulgentia, dicitque licitè laxari motum carnis in remedium incōtinentiæ, neq; hoc imputari ad turpitudinem, quia secundùm veniam indulgetur. Nam & Bonauentura, quem certum est esse in contraria sententia, ita loquitur, vt licitè fieri dicat; quia videlicet non peccatur mortaliter, & facilem impetrat veniam. Hunc esse sensum Hugonis primùm inde colligitur, quia meminit indulgentię:

D deinde, quia infirmitatis, ac tertiò, quia dicit sine pudicitiæ damno carnis affectum eò vsque se extendere. Damnum enim pudicitiæ per mortale peccatum libidinis incurritur, non per veniale.

Ad quartū: Excusatur actus ille per matrimoniū à peccato, quia potest in matrimonio sine peccato fieri, quomodo fieri nunquā potest extra matrimonium, etiamsi fiat causa generationis. Item quia per matrimonium excusatur à peccato mortali, etiamsi causa generationis nō fiat, qui extra matrimonium quacunque causa fiat, mortale peccatum est.

E Ad quintū: Voluptas sensuum secundùm se spectata bona est, vtpote à Deo insita naturæ etiam integræ; quatenus autē immoderata est, rationem obtenebrans, ideoque turpis & pudenda (quibus vicijs affecta atque infecta per peccatum vocatur libido) neque bona est, neque Deum habet authorem. Quę proinde quamuis placere possit quatenus voluptas est, non tamen absolutè, id est, quatenus libido est, sed hac ratione potiùs displicere debet; quemadmodum de concupiscentia in genere dictum est ad dist. 30. lib 2. Estque simile de dæmonibus & de actibus malis, quos simpliciter odisse debemus.

F Porrò Hieron. & Lactant. per libidinem voluptatem intelligunt, absque consideratione eius quod est inordinatū; Aug. autem delectationē carnalem, si per temperantiam refrænetur, negat esse libidinē sensu formali. Quatenus enim modificatur delectatio, libido non est, quę tamen in quātum libido est, sępe manet immoderata. Vnde subdit in retr. hoc ideo se dixisse, quia libido non est bonus & rectus vsus. Sicut enim malum est malè vti bonis, ita bonum est bene vti malis.

Quod sexto loco concluditur, concedendum est. Nam & vulgo turpe habetur, si senes aut steri-

les

les,quos aut quas tales esse constiterit,nubant,& fa- A ctunt præter tabulas matrimoniales.

Septimi argumenti negandum videtur antecedens. Sicut enim qui ducit vxorem vt delectatione fruatur Venerea,peccat;ita & ille qui id facit vitandæ fornicationis causa, cùm & hic vt suprà diximus, libidini suæ aliquatenus obsequatur. Docet hoc Petrus à Soto lect.16.de matrimonio,quum dicit ipsum contractum matrimonij, si non fiat intentione generationis prolis, esse peccatum saltem veniale; neque vllum alium finem principalem contrahendi matrimonij admittit. Quod tamen intellige de contractu in ordine ad consummationem. Nã B. Virgo neque contraxit cum intentione generandi, neque tamen peccauit, quia in actum coniugalem non consensit.

Octaui argumenti sequelam rectè negat sanctus Thomas,quia potest quisque sibi ipsi per alia remedia subuenire cõtra fornicationis periculum, & per liberum arbitrium cum Dei gratia tentationem carnis superare. Coniugis autem intemperantiæ,cui ex fide matrimoniali obuiare tenetur, aliter mederi non potest, cùm aliena voluntas non sit in nostra potestate.

Ad postremum respondetur iuxta ea quæ diximus ad distinctionem 30. finem illum secundarium matrimonij, non esse Dei instituentis sed hominis vtentis; cui videlicet talis vsus conceditur secũdùm veniam. Vnde & contractus ipse, dum fit ob talem finem,similiter secundùm veniam conceditur. Nam matrimonium siue ante, siue post lapsum,ex diuina institutione non alium habet finem quàm procreationis liberorum: ex diuina tamen benignitate & indulgentia post peccatum cessit hominibus infirmis in remedium incontinentiæ, quemadmodum Hugo Victorinus lib.2.de sacramentis parte 11.cap. 3.ex Augustino bene declarat.

§. 5. Quando in actu coniugali peccetur mortaliter.

S.Thom. art.vlt. q.49. ANnotari possunt summatim quinque aut sex casus quibus etiam cum legitima coniuge cõgressus mortali culpa non caret.

Primùm,si ita frequens fit vel intempestiuus,vt impediat tempora quæ orationi debentur. Nam & Petrus de vsu coniugali loquens 1.Petr.3. exceptionẽ adiecit: *Vt non impediantur orationes vestræ*, & Paulus 1.Corint.7. *Nolite*, inquit, *fraudare inuicem,nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, &c.* Ex quo loco intelligitur apostolum id quod secundùm indulgentiam permittit,ita demum permittere, si excipiantur tempora orationis. Nec obstat illud, *Nisi fortè,&c.* Sensum enim hoc præceptum habet huiusmodi: sed tantùm abstinete ex consensu ad tempus,vt vacetis orationi,postea reuersuri in idipsum. Non ergo secundum indulgentiam cõceditur coniugalis complexus, quo impediuntur tempora orationi debita. Quod ita esse ex apostoli verbis intellexit Augustinus de bono coniugali cap.10.cùm ait: Illum concubitum secũdùm veniam concedit apostolus qui fit per incontinentiam, si tamen non ita sit nimius, vt impediat quæ seposita esse debent tempora orandi, &c. Verũ istud intellige de eo qui exigit debitum, non de eo qui reddit. Vult enim apostolus abstineri ex consensu vtriusque; & proinde excusatur qui à coniuge non consentiente ad reddendum debitum vrgetur,quemadmodum ad proximè sequẽtem distinctionem explicabitur pleniùs.

Secundò, Si quis ita intẽperanter vtatur coniuge, vt non se contineat intra affectum coniugalem, paratus etiam cum alia nõ coniuge, aut cum eadem quamuis coniux non esset,libidinem suam explere, atque omnino voluptatem illam sic amans vt eam Dei timori anteponat. De talibus ait angelus Tob. 6. Qui coniugium ita suscipiunt,vt Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacẽt, sicut equus & mulus,quibus nõ est intellectus,habet potestatem dæmonium super eos, & Dominus in euangelio: *Qui amat vxorem suam plusquam me, non est me dignus.* In eos quoque competit illa Xysti philosophi sententia ab Hieronymo in Ezech.18.& lib. B 1.contra Iou.cap.vltim. & alibi repetita. Omnis ardentior amator propriæ vxoris, adulter est, & illud eiusdem Hieronymi lib.1.contra Iou.cap.vlt. Nihil fœdiùs quàm vxorem amare quasi adulteram. Cõtra verò si coniuges magis in sua coniunctione diligũt quod honestum,quàm quod inhonestum est,id est,quod est nuptiarũ, quàm quod nõ est nuptiarũ, hoc eis authore apostolo secundùm veniam conceditur, ait loco proximè citato Augustinus.

Tertiò quando quis vxorẽ grauidam cognoscit. C Quod tamen ita demum mortale peccatũ erit,si periculum sit fœtum conceptum, quamuis nondũ animatum perdendi. De cuius peccati grauitate in superioribus iam diximus. Peccat autẽ mortaliter, qui periculo peccati mortalis se exponit. Vnde & hunc casum expressit Hieron. libr.1.contra Iouin.cap.vlt. dicens: Imitentur saltem pecudes,& postquam vxorum venter intumuerit, non perdant filios & in historia Indorum occidentalium lib.2.cap.11.& lib.3. capit.18.legitur apud quosdam eius gentis homines quadam naturæ lege obseruatum fuisse,vt viri ab vxoribus grauidis abstinerent,& apud Bedam in lib. D pœnitentiali capit.de fornicatione, pœnitentia præscripta legitur ijs qui contra facerent, tanquam qui grauiter peccassent,idemque reperitur in ca. de abstinentia mulierum. Sciendum autem quod hoc casu non tãtùm exigere debitum sed & reddere mortale peccatum est,sicut furioso reddere gladiũ. Peccat enim mortaliter non tantùm occidens, verùm etiam cooperans in cædem aut perniciem alterius, etiamsi faciat id reddendo rem alioqui debitam.

Quartò, quando quis congreditur cum menstruata. De quo tamen casu variant doctorum sententiæ, sed de eo primùm omnium audienda est scriptura quæ Leuit. 15. 18. & 20. seuerè prohibet huiusmodi congressum annumerans eum alijs grauioribus flagitijs, constituto etiam supplicio mortis E in vtrumque, tam reddentem debitum quàm exigentem. Ex quo satis intelligi videtur peccatum vtriusque esse mortale. Similiter Ezechiel. 18. accedere ad mulierem menstruatam inter ea peccata numeratur, quæ cum iustitia non consistunt. Sic porrò de eo peccato censet Augustinus li. 3. de pec. mer.& rem. cap.12. & quæst.64.in Leuit. Quo loco rationem hanc reddit, quia talis coitus valde noxius est proli concipiendæ. Quod nocumentum pleniùs explicat Hieronymus super Ezech.18.his verbis: Per singulos menses grauia atque F torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione releuantur. Quo tempore si vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fœtus vicium seminis trahere, ita vt leprosi & elephantiaci ex hac conceptione nascantur, & fœda in vtroque sexu corpora paruitate vel enormitate membrorum sanies corrupta degeneret, &c. Similis est Hieronymi locus in Isa. 61. ad illud, tanquam *pannus menstruatæ*. De qua re etiam Haymonem videre est in eundem Isaiæ locum. Quòd autem hic casus

casus extendendus sit ad vtrumque coniugem, etiamsi debitum reddat tantummodo, præter locum A expressum Leuit. 20. suadet iam dicta ratio quæ vtrique est communis, quia cooperatur ambo ad nocendum notabiliter homini nascituro, idemque sonare videntur Augustini, Hieronymi & Haymonis verba locis memoratis. Hanc sententiam tenent sanctus Thomas, Bonauentura, Alexander Alensis, Richardus, Scotus, Syluester, Item Petrus à Soto lect. 16. de matrimonio. Cõsentit & Lyranus in Leu. 15. & 18. dicens talem coitum prohiberi non tantùm propter immundiciam corporalem seu legalem, sed eo maximè quia solent ex tali concubitu generari pueri monstrosi, defectuosi, leprosi; B Quamquam non omnes hi authores mortalem culpam ascribunt reddenti debitum. Nam sanctus Thomas quidem eam rem non determinat, Scotus vtrumque vult esse mortale, tam reddere debitum quàm petere. Idem sentiunt Richardus, Lyranus, & glossator cap. ad eius distinctione 5. & Petrus à Soto loco iam dicto. Verũ Bonauentura & Syluester in reddente debitum non nisi veniale peccatum agnoscunt. At verò alij nonnulli vt Paludanus in distinctione 32. quæst. 1. Caietanus in summula C tit. matrimonium & super Leuit. 18. Franciscus à Victoria in tractatu de sacramentis, Dominicus in eandem distinctionem quæst. 1. art. 2. Nauarrus enchir. cap. 16. num. 32. & Alphonsus à Castro lib. 1. de potestate legis pœnalis cap. vlt. vtrumque veniale tantùm esse putant. Quod quidem Alfonsus contra proceres Theologorum vt ipse fatetur, multis contendit argumentis, quæ tamen non ita difficilè sit dissoluere. Nam quod dicunt supplicium mortis in lege constitutum fuisse propter violationem legis ceremonialis, quę nunc non obligat, satis friuolum apparet & à Lirano dissolutum verbis iam citatis, & D ante eum à beato Thoma; imò & à sanct. Augustino qui in quæstione supradicta disertè dicit hoc esse inter ea peccata, quæ non figuratæ sed manifestæ iniquitatis sunt & quæ etiam tempore noui testamenti custodiri debent, tametsi pœna in lege apposita ad tempus noui testamenti non pertineat. Adde quod Beda in libro pœnitentiali seu de remedijs peccatorum cap. de fornicatione, & rursum cap. de absentia mulierum, grauem pœnitentiam præscribit non abstinentibus à menstrata. Refert etiam Indorum occidentalium historiæ lib. 3. cap. E 18. & lib. 6. cap. 10. viros in quibusdam eius gentis regionibus etsi sint quàm maximè libidini dediti, tamen à menstruatis abstinere.

Quintò peccatur mortaliter, quando quis per vsum Veneris immoderatum notabiliter suæ aut coniugis sanitati nocet. Id quod etiam ad reddentem debitum rectè Dominicus extendit, articulo 3. huius distinctionis.

Postremus casus est, quando vsus naturalis mutatur in eum qui est contra naturam, id est in eum modum, quo secundùm naturam homo concipi non potest. Cuius meminit etiam Augustinus F lib. de bono coniugali cap. 10. & alibi. Huius peccati grauitatem atque enormitatem pluribus locis cum detestatione notat scriptura sacra.

IN
DISTINCTIONEM TRIGESIMAMSECVNDAM.

§. 1. Coniuges in debito coniugali esse pares.


D fidem coniugalem hæc duo pertinere, vt ne coniux ad alteram personam præter coniugem accedat, quod adulterium vocatur: & vt exigenti coniugi debitum reddat; dictum est ad superiorem distinctionem, vbi de tribus matrimonij bonis agebatur. Ex quo manifestum est fidem coniugalẽ non modò violari adulterio, verùm etiam debiti carnalis subtractione, tametsi non æqualiter. Ac de adulterio quidem agetur dist. 35. Hoc autem loco considerandum venit quomodo & quatenus ad cõiugale debitum mutuò coniuges obligentur, & cuiusmodi peccatum sit illius debiti subtractio seu denegatio, quibusque modis hoc peccati genus committatur. *S. Thom. supra q. 64. ar. 3.*

Primùm igitur (quod ad vocabulum ipsum attinet) id quod nos debitum coniugale vocamus, id est, concubitum alteri ab altero debitum, vocat apostolus 1. Corinth. 7. non simpliciter debitum, sed, vt est in Græco, *Debitam beneuolentiam*; nimirum honestissimo vocabulo tegens cohærentem illi operi turpitudinem, quandoquidem & Petrus 1. ep. 3. & Chrysostomus super 1. Cor. 7. idem debitum honoris nomine significarunt.

In huius porrò debiti exigendi iure & soluendi atque reddendi obligatione pares omnino inter se sunt coniuges, & vterque alterius respectu dominus pariter & seruus. Docet hoc apostolus loco iam dicto, dum ait: *Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem vir sui corporis potestatem non habet sed mulier.* Seruilem autem esse hanc subiectionẽ expressiùs significat cũ postea dicit: *Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* Iam & illud quod rursum ait eodem capite: *Seruus vocatus es, non sit tibi cura, sed & si potes fieri liber, magis vtere.* De seruitute debiti coniugalis Hieronymus interpretatus est libr. 1. contra Iouinianum. De ea quoque sic Aug. lib. de bono coniug. cap. 6. Debent, inquit, sibi coniugati non solũ ipsius sexus sui commiscẽdi fidem, liberorum procreandorũ causa, verùm etiam infirmitatis inuicem excipiendæ, ad illicitos cõcubitus euitandos, mutuam quodammodo seruitutem, & quæ eodem ac proximè sequenti cap. sequuntur. Augustini verba Magister in textum & Gratianus in decretum retulit 32. quæstione 2. cap. quicquid inter. Theophylactus etiam post Chrysostomum apostoli locum exponens testatur, in hoc negocio vxorem & seruam & dominam esse mariti, similiter maritum esse seruum & dominum suæ coniugis. De eodem hoc iure & seruitute disserit Augustinus libr. 32. contra Faustum & Fulgentius epistol. 1. cap. 2. & 7. docens vtrumque coniugem in alterius corpore potestatem æquali prorsus iure habere secundùm apostolum.

Ad hanc denique iuris ac seruitutis coniugalis paritatem philosophum respexisse non immeritò videri potest, quando in fine libri Categoriarum scripsit eum habendi modum esse quàm maximè

alienum

A alienum atque improprium, quo vir vxorem habet, quippe qui pari iure ab vxore vicissim habeatur.

Verùm aduersus hanc paritatem objiciet aliquis scripturam Genes. 30. vbi legimus quod Lia conduxit maritũ suum à Rachel pro mandragoris: ex quo videtur consequens quod non habuerit ius petendi debitum, quandocunque vellet. Neque enim Iacob vir iustus debitum hoc ei exigenti negasset, aut rem iure debitam precio vendidisset. Quin & similis ratio militat in coniugio omnium patriarcharum plures vxores simul habentium, qui B singulis debitum petentibus non semper reddere potuerunt. Sed respondendum, istius iuris coniugalis esse quandam exceptionem in polygamia, quę eius est naturæ, vt hanc omnimodam paritatem non admittat, eò quòd vnus pluribus vxoribus sit copulatus, ac proinde plurium seruus effectus. In quo locum habeat illud euangelicum, *Neminem posse duobus Dominis seruire.* Vnde & polygamia aliquo modo est contra legem naturæ, nec nisi diuina dispensatione Iudaico populo concessa, quemadmodum proxima distinctione docebitur.

Ad id autem quod de mandragoris adsertur, C dicendum Iacob non vendidisse precio concubitum cum Lia vxore, sed Liam cùm iure posset debitum exigere, maluisse tamen honesto quodam prætextu, id est, oblatis dono mandragoris filij sui debitam viri sui beneuolentiam erga se prouocare.

§. 2. *In quibus coniuges non vtantur pari iure.*

S. Thom. suppl. q. 64. art. 3. in corp.

IN ijs omnibus quæ à coniugali debito diuersa sunt, constat coniuges non esse pares, neque D vtrumque alteri subiectum, sed virum esse caput mulieris, ideoque mulierem viro suo subditam esse debere, quemadmodum docet Paulus 1. Corinth. 11. Eph. 5. & Coloss. 3. & Petrus 1. ep. 3. vbi & Saræ commendatur obedientia, quæ etiam virum suum Dominum vocabat, Genes. 18. vbi tamen Dominus non seruo opponitur, sed eum significat qui caput est & rector seu gubernator alterius quocumque iure subiecti. Quare etiam hic quædam æqualitas inter virum & vxorem agnoscenda est: non illa quidem secundùm quantitatem, quam habent in iure E exigendi reddendique debiti, sed alia, quæ vocatur æqualitas secundùm proportionem. Habent enim maritus & vxor distincta & distributa inter se officia. Itaq; quo iure tenetur vxor viro obedire, & operam atque obsequium præstare in rebus domesticis, eodem tenetur maritus præcipuã habere curam totius familiæ, rerumque ad eam pertinentium. Imò & in alenda atque educanda prole alias viri, alias mulieris partes esse, manifestum est. Quæ sanè proportionis æqualitas, non hic tantùm sed & alibi locum habet; nempe vbi alter alteri quacumque ratione subiectus est, sola ea subiectione excepta, qua F seruus subijcitur domino. Quanquam etiam fieri potest, & factum est olim non rarò, vt vir aliquis duceret seruam suam vxorem, nec tamen eam libertate donaret. Quomodo Abraham & Iacob ancillas vel suas, vel vxorum suarum sibi coniugio copulauerunt, in seruili conditione interim relictas, solo iure debiti coniugalis excepto, quod illis non minùs quàm liberis vxoribus competebat.

§. 3. *Coniugale debitum negare cuiusmodi sit peccatum.*

S. Thom. suppl. q. 64. art. 1.

EX superioribus liquet, quare non liceat coniugale debitum petenti negare; quia videlicet is qui negat, subtrahendo corporis vsum, cuius potestatem per matrimonium in alterum transtulit, iure illum suo defraudat, dicente apostolo, 1. Corinth. 7. *Nolite fraudare inuicem.* Et proinde committit iniusticiæ peccatum, idque grauius quàm si alienam inuito domino detineret. Vnde sequitur debiti coniugalis negationem esse ex genere suo mortale peccatum, quia cùm sit in re graui, notabiliter iustitiam lædit. Facilè id erit perspicere, si & coniugis iniuria æstimetur, qui iure suo defraudatus, periculum damnabilis incontinentiæ incurrit, & considerentur alia mala, quæ solent inter coniuges ex huius debiti negatione suboriri, velut dissentiones, odia, rixæ, separationes, etiamsi ab ea parte quæ iniuriam patitur, sæpe aliæ causæ horum malorum propter verecundiam prætexantur.

Probari autem potest huius peccati grauitas etiam ex illo scripturæ loco, vbi dicitur: *Qui dimittit vxorem suam excepta causa fornicationis, facit eam mœchari.* Matth. 5. Quam probationem indicat Augustinus de bono coniugali cap. 7. Nam qui debitum negat similis est dimittenti, & proinde similiter vt ille, facit vxorem suam mœchari, id est, mœchandi occasionem ei præbet. Hanc causam vehementiùs vrget Augustinus eiusdem libr. cap. 6. cùm dicit coniuges debere sibi mutuam seruitutem infirmitatis inuicem excipiendæ, ad illicitos concubitus euitandos. Et iterum cùm ait, non debere coniuges sibi alterutrum negare debitum, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante eos satana propter ipsorum incontinẽtiam. Verumtamen sciendum quod ratione circunstantiarum fieri possit, ac sæpe fiat vt debiti negatio tantùm habeat culpam venialem: velut si probabile sit non subesse periculum incontinentiæ, ac negatio non sit nimiũ diuturna vel proterua; aut contrà, si petitio sit multum intempestiua, vel immoderata, aut denique satis constet coniugem non ita petere, vt grauem iniuriam æstimet si negetur, quoniam neque creditor pecuniam sibi debitam ita semper exigit, vt graui culpa obstringere velit debitorem, si non statim reddat.

Censetur autem petere debitum qui vel verbo vel alio signo desiderium suum indicat, vel denique petit ipsa rei conditione. Quod fit dum verisimile est coniugem per incontinentiam periclitari, aut diuturnam continentiam grauatim ferre. Perinde enim id est atque si debitum peteret, etiamsi nullum aliud appareat petitionis indicium. Quo casu alter coniux vt periculo coniugis occurrat, vel maximè ad reddendum debitum teneri se sciat.

Plura de hac debiti reddendi obligatione tradunt Dominicus artic. 1. & 2. huius distinctionis & summistæ tractantes de matrimonio.

Cæterùm de tempore reddendi quid sentiendum sit, & vtrùm etiam orationis tempore debitum hoc obliget, infrà dicetur.

A

§. 4. *Quando coniux coniugi reddere debitum non teneatur.*

S. Thom. art. præallegato in resp. ad 2. 3. & 4 argum.

PRæter casus circa distinctionem proximè præcedentem annotatos: videlicet de menstruata & grauida, in quibus cum periculo vel nocumento nascituri hominis reddere debitum coniugale non licet; sunt & alij quibus non est teddendum debitum etiam expresse postulanti.

Primùm si reddi non possit sine detrimento sanitatis eius à quo petitur. (B) Huius ratio est, quia ordo tam naturæ quàm charitatis exigit vt vnaquæque res priùs proprio consulat bono quàm alieno vel etiam communi, nisi fortè commune bonum periclitetur. Vnde consequens est quod suæ sanitati seu conseruationi quisque consulere priùs debet, quàm operam dare conseruandæ speciei. Atque hic casus extenditur etiam ad sanitatem coniugis petentis, quemadmodum rectè docet Dominicus ad distinctionem superiorem.

Secundò, reddere non tenetur si coniux adulterauerit. Sed de hoc casu postea latiùs, videlicet ad (C) distinctionem 36.

Tertiò, non tenetur reddere quolibet loco, velut loco publico aut quasi publico; quia verecundia & honestas id prohibet, neq; fieri posset absq; graui impudentiæ peccato, & hominum scandalo. Item nec loco sacro. Ibi enim tam reddere quàm exigere debitum, sacrilegij crimen est; quo nimirum sacer locus profanatur. Sed scito sacri loci nomine contineri tantùm ipsum corpus ecclesiæ consecratæ, non autem ecclesiæ adhærentia ædificia aut alia loca. Quamquam quæ de loco diximus, non sunt propriè dictæ exceptiones reddendi debiti, quia etiam illo tempore alter alteri reddere debitum te- (D) netur, sed non illo loco. Requirit enim omnis ferè actio locum conuenientem.

Quartò, qui priuatim contraxerunt, reddere debitum sibi inuicem non tenentur ante nuptiarum publicationem, & benedictionem sacerdotis quæ fit in ecclesia, nisi subsit legitima causa, quo minùs tamdiu sit expectandum. Causa autem esse poterit periculum vtriusque vel alterius coniugis propter incontinentiam.

Postremò nec leproso coniugi debitum reddere coniux tenetur, si sit periculum contagionis. Qua in re medicorum iudicio erit acquiescendum. (E) Nam quod Alexander tertius extra de coniugio leprosorum cap. Peruenit, & cap. Quoniam, præcipit etiam sub anathematis comminatione vt coniugi leproso debitum non negetur, id intelligendum cessante contagionis periculo. Modicus enim horror vel metus non debet à reddendo debito coniugem reuocare. Idem iudiciũm de morbo quem Galli Hispanicum, Hispani Gallicum vocant.

Cæterùm ad euitandam contagionem prolis nascituræ non oportet concubitum cum leproso vel leprosa coniuge vitari, quia vt rectè docet ad (F) hanc distinctionem sanctus Thomas, cùm lepra sit malum perpetuum, non debet ideo leprosus ab vsu coniugij simpliciter repelli, ne proles nascitura contrahat lepram, quia melius est proli sic nasci, quàm omnino non nasci. Similiter iudicandum de Hæmorrhoissa quæ perpetuum patitur fluxum immundi sanguinis, quia melius est, vt idem sanctus Thomas ait, fœtum nasci defectuosum quàm nullum. Verùm de his omnibus plura apud summistas.

§. 5. *Vouere continentiam an liceat vtrique vel alteri coniugum.*

S. Thom. suppl. q. 64. ar. 4

EX iure debiti petẽdi quod vterq; coniux æqualiter in alterum habet, & ex ea quæ inde nascitur, obligatione reddendi, consequens est neutrum coniugũ sine alterius consensu posse vouere continentiam, siue perpetuam, siue ad tempus. Nemini enim vouere licet cum iniuria alterius. Neque omnino accepta Deo esse potest iniusta promissio, quia nimirum quis offert rem non suam, sed quæ in alterius est potestate. Quare cùm vir proprij corporis potestatem non habeat sed mulier, & contrà, neutri licet per continentiæ votum corpus suum offerre Deo sine consensu alterius. Quod si fecerit, mortaliter peccauit, vt ex supradictis liquet, & præstare non debet, cùm sine iniuria non possit.

Hæc patrum constans est & certa doctrina, apud quos plurimæ extant in hanc rem sentẽtię, quas partim Gratianus 27. quæst. 2. & 33. quæst. 5. per aliquot canones, & Magister in textu, partim alij collegerunt. Hîc loca quædam duntaxat annotasse suffecerit.

Augustinus scribens in Psal. 149. & in præfatione psalm. 147. Item in epist. 45. ad Armentarium, & epistola 199. ad Ediciam. lib. 1. de adulterinis coniugijs cap. 2. & super Numeros quæst. 59.

Hieronymus in apol. libri contra Iouinianum & idem seu potiùs Paulinus in epistola ad Celantiam cap. 8. Fulgentius epist. 1. cap. 6. & sequentibus prolixè, & Gregorius lib. 5. epist. 49. ad Vrbicum abbatem. Est autem hic sermo de ijs coniugibus qui matrimonium consummauerunt. Nam de matrimonio incõsummato alia ratio est, quemadmodum ostensum est suprà ad distinctionem 27.

Vnica tamen hoc loco notanda est exceptio, si videlicet alter coniux per adulterium fidem coniugalem violauerit. Tunc enim innocenti liberum est Deo cõtinentiam vouere etiam perpetuam, imò & religionem ingredi, quamquam id fieri nõ expedit, quamdiu spes adhuc superest reuocandi adulterum à peccato, si ei consortium tori coniugalis non negetur, vti docet Augustinus li. 2. de adulterinis coniugijs cap. 6. & alibi.

Porrò cum alterius consensu vel ad tempus vel in perpetuum vouere continentiam, non modò licitum sed & sanctum est, vt rectè docent supracitati patres. Ait enim apostolus: *Nisi fortè ex consensu ad tempus*, Et iterum: *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum*, 1. Corinth. 7. Ratio quoque manifestè monstrat licitum esse, quia consentienti non fit iniuria. Potest autem hic consensus fieri duobus modis. Vno quidem modo absque voto consentientis. Sed qui hoc modo consentit, sibi non præiudicat, neque seipsum iure suo spoliat, quò minùs possit adhuc debitum à coniuge qui vel quæ sic vouit, exigere. Votum tamen eiusmodi hoc efficit, vt parti vouenti nunquam deinceps licitum sit exigere debitum, sed tantùm reddere. Altero modo fit consensus cum voto: dum videlicet vterque coniux pari consensu continentiam vouet. Post huiusmodi consensum neuter alteri etiam poscenti reddere potest debitum sine voti violatione, quia per votum vterque iuri suo renunciauit, quemadmodũ docet Augustinus in supradicta epistola 199. Quatenus autem talia perpetuæ continentiæ vota inter

A coniuges fieri expediat, personarum & rerum circumstantiæ docere debent, & semper illud Sapientis ante oculos habendum Ecclesiastæ 5. *Displicet Deo infidelis & stulta promissio. Multoq; melius est non vouere, quam post promissa non reddere.*

Solet etiam quæri, vtrùm alteri coniugi sine alterius consensu votum facere liceat de nunquam exigendo debito. Putant nōnulli licere, quia, inquiunt, potest quisque iuri suo renunciare. Tradit hanc opinionē Richardus ad præsentem distinctionem. Verùm sanctus Thomas, Durandus, Paludanus, Dominicus, Nauarrus & alij plærique negant licitum esse. Quorum ratio est, quia per eiusmodi votum
B fit alteri coniugi matrimonium onerosum, propterea quòd exigendi debiti pondus & necessitas isto casu ei soli incumbat. Hoc enim graue esse coniugi continere volenti, præsertim mulieri propter naturalem pudorem, nemo negauerit. Quocirca, inquit Nauarrus enchir. cap. 12. numero 60. non solùm episcopus huiusmodi votum potest dissoluere, verùm etiam alter coniugum potest illud omnino irritare: quippe quod in suum præiudicium vergat. At verò votum non habendi copulam, nisi quando mos gerendus sit alteri coniugi, licitum est, vimque
C habet obligandi. Quoniam qui tale vouet, sibi soli & non alteri præiudicium facit. Sic ille. Eodem ferè modo quæstionem hanc tractat Dominicus lib. 7. de iusticia & iure quæst. 3. art. 1. docens non solum virum irritare posse huiusmodi votum vxoris, sed contrà etiam vxorem viri, tametsi virum putet magis posse: sed fortè rectiùs dicatur maiorem esse rationem irritandi ex parte viri, quatenus est caput vxoris. Contrà verò maiorem esse rationem ex parte vxoris quatenus, vt iam dictum est, magis grauatur, magisque repugnare videtur fidei coniugali votum
D viri, quàm votum mulieris, idque propter naturalem muliebris sexus pudorem. Quamquam scrupulum hîc omnem tollere potest dispensatio episcopi.

§. 6. *De alijs coniugatorum votis.*

S. Thom. vt supr.

CONsideranda nobis hoc loco sunt & alia coniugatorum vota, quorum quædam ex consequenti vel indirectè torum coniugalem attingunt,
E in quibus proinde pares sunt potestate coniuges; adeoque neutri sine alterius consensu huiusmodi vota facere licet. Quare si vir voueat gestaturum se habitum monarhicum, aut religionis ergo profecturum ad terram sanctam vel ad alia loca sacra valde remota, ad quæ non satis commodè vel honestè vxor sequi virum possit, poterit vxor eum prohibere; nisi fortè publica necessitas aut iussio principis cogat virum domo abesse, etiamsi nulla accedat obligatio voti. Quo casu vel vxor virum sequi poterit, vel eius absentiam æquo & casto animo tolerare debebit, quemadmodum ferre debe-
F ret, si ille apud hostes captiuus, vel longa ægritudine pressus teneretur.

Neque his obstat quod Innocentius 3. extra de voto & voti redemptione cap. Ex multa, potestatem dat viris etiam præter vxorum voluntatem proficiscendi ad terram sanctam contra infideles: hæc enim concessio, præterquam quod de publica necessitate intelligi potest, secundùm sanct. Thomam & alios locum non habet, quando vxor neque sequi potest virum, neque continere; cùm non sit verisimile voluisse pontificem viris quibuscumque eam proficiscendi facere potestatem cum periculo salutis æternæ suarum coniugum.

Non est autem simile iudicium de fœminis, quę maritos accipiunt quos sciunt officij vel opificij ratione subiectos necessitati peregrinandi; vt quæ nautis vel mercatoribus vel tabellarijs nubunt. Hæ namque talibus scienter nubentes meritò censentur in talem suam seruitutem consentire.

Alia verò sunt coniugatorum vota, quæ ad torum nihil attinent, de quibus generalis est regula, Omnia vota quæ vxor absque consensu viri facit, irrita esse, neque obligandi vim habere viro non consentiente: eiusmodi sunt ieiunare, eleemosynas dare, loca sacra visitare, sine ornatu incedere & his similia. Neque refert vtrùm iusta ratione motus vir contradicat an secus. Ratio est, quia in omnibus ad vitam coniugalem pertinentibus, & à toro coniugali diuersis vir caput est mulieris. De his votis intelligenda est scriptura Num. 30. quæ in arbitrio viri statuit, vt vxoris suæ votum probet vel improbet, culpam omnem, si quæ est in voti cassatione, in virum reijciens. Qui quidem scripturæ locus non ceremonialem legem proponit, aut positiuam duntaxat, sed legem naturæ, quia in omnibus rebus domesticis mulierem viro subiectam esse oportet.

De hoc votorum genere tractant & præsentem doctrinam confirmant Augustinus quæstio. 59. super Num. & in epistola 199. ad Ediciam, Gratianus 33. quæst. 5. Magister in textu, & Dominicus lib. 7. de iustitia & iure quæst. 3. art. 1.

§. 7. *Quibus temporibus abstinendum ab opere coniugali.*

S. Thom. suppl. q. 64. art. 5. 6. & 7.

MOnet apostolus coniuges 1. Corinth. 7. vt ex consensu ad tempus abstineant ab opere coniugali, ad hoc nimirum, *Vt vacent orationi.* Quæ apostolica admonitio vim habet præcepti, quod etiam in lege naturæ fundatum est. Docet enim nos lex naturæ, certis temporibus vacandum esse cultui diuino, quæ quidem tempora determinantur lege positiua. Quare sicut in eiusmodi tēporibus abstinendum est ab opere seruili, per quod à cultu Dei distrahitur animus hominis; ita & ab opere coniugali, per quod ineptus ad orationem & rerum diuinarum meditationem atque earum gustum percipiendum efficitur.

Neque obstat præcepto, quod in textu apostolico additur, *Fortè*, quasi per hoc liberum relinquatur abstinere vel non abstinere; primùm quia illud, *Fortè*, non est in Græco. Deinde quia referri potest ad incertitudinem euentus, sicut alibi scriptura sacra. Cùm enim consensus à duorum voluntate pendeat, valde incertum est plærumque, an orationis causa abstinebunt, licèt alioqui teneantur ambo ad abstinendum, quantum in ipsis est. Quod præceptum apertiùs insinuauit Petrus apostolus 1. epist. 3. dùm vult coniuges ita cohabitare inuicem, *Vt non impediantur ipsorum orationes*, id est, vt orationis causa interdum sese contineant. Hoc enim & Sapiens significauit, quum dixit aliquando, *tempus esse longè fieri ab amplexibus*, Ecclesiastæ 3. Sunt autem orationis tempora, omnes dies festi à populo celebrandi; sed potissimùm præcipuæ solemnitates annuæ, vt Pascha, Pentecoste, Natalis Domini, & aliæ his secundùm dignitatem proximæ. Item dies ieiuniorum quadragesimæ, quatuor temporum & similium.

De his præter authoritates à Magistro in textu

§.C.& à Gratiano 33.quæst.4. allegatas sanctissimè admonet catechismus parochorum, vt coniuges tribus saltem diebus, antequam sacram eucharistiam percipiãt, sæpius verò cùm solennia quadragesimæ ieiuuia celebrãtur, ab officio coniugali abstineant. Nam & ieiunium orationi Græcus apostoli Pauli textus coniungit consentientibus etiam nonnullis codicibus Latinis, qui sic habent, *Vt vacetis ieiunio & orationi.*

Nec verò durum videri debet hanc in Christianis coniugibus abstinentiam requiri, quando etiam Hebræi quondam accepturi legem & celebraturi primum festum Pentecostes Exod. 19. iussi sunt toto triduo præparari & non appropinquare vxoribus, cumque præterea legamus licitum non fuisse vt de panibus propositionis quis ederet, nisi mundus aliquamdiu ab amplexu muliebri. 1. Reg. 21. Ex quo loco Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum & in apol. eiusdem libri colligit, multò minùs hominem christianum dignum fore pane illo cælesti, qui non se priùs ab vxore continuerit.

Vtrumque verò locum adducit Gregorius responsione ad decimam interrogationem Augustini Anglorum episcopi, vt præsentem hanc doctrinam comprobet.

Cæterùm pro ratione circumstantiarũ grauior aut leuior est culpa, dictis temporibus coniugalem copulam expetere: in quantum videlicet vel solennitates ipsæ maiores sunt aut minores, vel maiori minoriue affectu quis fertur in voluptatem carnis, atq; omnino prout impedimentum orationis, quod inde nascitur, maius est minusue. Vnde interdum hac in parte mortaliter peccari non est dubitandum, quemadmodum suprà ex Augustino annotauimus distinctione proximè præcedenti, inter eos casus, quibus mortale peccatum est actui coniugali vacare.

§. 8. *Debitum reddere ijsdem temporibus an liceat.*

S. Thom. suppl. q. 64. arti. vltim.

QVæ dicta sunt de temporibus abstinentiæ coniugalis, eò spectant vt debitum coniugale ijs temporibus non petatur: & proinde vterque coniux, quantum in ipso est, abstineat. Nam quod orationis tempore reddere debitum liceat, atque adeo oporteat si exigatur, ipse apostolus satis indicat, cùm dicit: *Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu.* Vnde Augustinus lib. 1. de adulterinis coniugijs cap. 2. Apostolus, inquit, nec ad tempus vt vacent orationi, nisi ex consensu, voluit coniuges carnali inuicem fraudare debito.

Neque diuersum quid ab Augustino sentit Hieronymus dum lib. 1. contra Iouinianum, & in apol. subinde significat eum qui vxori debitum reddit, vacare non posse orationi, nec carnes agni edere, id est, corpus Dominicum sumere. Non aliud enim vult Hieronymus, quàm talem minùs aptum esse ad vacandum orationi & ad participandum sacra mysteria, propter delectationem carnalem, quam vel inuitus percepit. Quod ipsum tamen excusatur per fidem coniugalem. Neque necesse est huiusmodi mentis ineptitudinem, quam quis iusta ex causa patitur, cum peccato esse coniunctam. Adde quòd talis nihil minus habet in merito apud Deũ quàm si abstinuisset, quia seruit infirmitati coniugis ex charitate & iusticia, retinens ipse nihilominus continentiam in habitu quam seruare non potuit in actu, quemadmodum exemplo Abrahæ patriarchæ docet sanctus Augustinus libr. de bono coniugal. cap. 21.

Eodem pertinet quod ait idem Augustinus scribens in Psalm. 149. Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debes vxori.

Itaque quod ad participationem corporis Dominici attinet, Gregorius respondens ad decimam obiectionem Augustini Anglorum episcopi, non vult talem ab eo mysterio repelli, sed suo iudicio relinqui; quia, inquit, à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Hoc enim de eo dicit qui procreandorum liberorum causa iungitur vxori, debitum reddens non exigens. Nam certè nec solius generationis causa debitum exigere tali tempore licet, eò quòd fieri nequeat actus ille sine carnali voluptate, quæ per se animum ad res diuinas reddit ineptiorem.

Restat vna soluenda obiectio quæ talis est: Furioso non licet reddere gladium depositum, ne malè vtatur, ergo nec coniugi licet reddere debitum orationis tempore, quia malè petit, & vtendo peccat. Sed respondendum non esse simile. Nam si furioso reddas gladium, magnum sequetur malum; nempe ipsius vel alterius interfectio: nullum autem sequetur bonũ quo illud malũm compensetur. At si debitum coniugale soluas, etiam orationis tempore, malum quidem sequitur in eo qui petiuit, seu veniale, seu mortale etiam; videlicet voluptatis carnalis expletio, & impedimentum orationis: sed malum illud bono quodam compensatur; nempe euitatione deterioris mali, quod non euitabitur sed incurretur si debitum negetur. Malum illud est fornicatio, dicente apostolo: *Propter fornicationem, &c.* sub qua aliæ quæcumque damnabiles corruptelæ comprehenduntur, etiamsi committantur sola cogitatione. Ad hoc enim, vt ait Augustinus de bono coniugali cap. 6. vxor non habet potestatem corporis sui sed vir, & contrà: vt quod infirmitatis & incontinentiæ causa alteruter expetit, non sibi alterutrum negent, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas.

§. 9. *Tempore puerperij debitum petere num liceat.*

S. Thom. dicta q. 64. supplem.

INter eas interrogationes quas Augustinus Anglorum episcopus Gregorio papæ proposuit, vna est, qua de muliere puerpera decimo loco quæritur, post quantum temporis ei vir suus possit in carnis copulatione coniungi. Respondet ad id Gregorius his verbis: Ad eius verò concubitum vir eius accedere non debet, quousque qui gignitur, ablactetur, & paulò pòst: Hæ itaque mulieres quæ filios suos ex praua consuetudine alij ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus (Gratianus legit, priùs transierit) transierint, viris suis non debent admisceri. Neque hoc dicit Gregorius quasi matribus quæ filios suos ipsæ nutriunt, licitum sit intra illud tempus viris suis admisceri, sed magis præsupponit his non licere, quum docet nec ijs licere, quæ incontinentiæ causa, ne filijs noceant, eos tradunt alijs nutriendos. Gregorij verba in suum decretum retulit Gratianus dist. 5. cap. ad eius. Vbi tamen glossator rectè admonet tempus ablactationis à Gregorio appellari tempus post partum, quando mulier minùs abundat lacte.

Porrò canon hic Gregorij nititur legi naturæ, idque multiplici ratione. Mulier enim statim post

partum minus apta est ad concipiendum. Sed et si concipiat, primùm nocetur nuuo fœtui, propter conceptum eius intempestiuum. Vnde glussator ibidem: Ideo, inquit, prohibentur illis temporibus commisceri, quia ex tali coitu nascuntur morbosi & leprosi. Quod si ita est, videtur nec petenti eo tempore reddendum esse debitum, sicut de tempore menstrui dictum est.

Deinde verò etiam nocetur proli iam natæ, cuius alimentum quod est lac maternum, per secundum conceptum viciatur, vt infantis nutritioni minus aptum sit, quàm si mater se contineret, aut saltem non conciperet.

Postremò vbi secundus partus superuenerit, cùm mulier vna pluribus pueris lactandis non bene sufficiat, necesse erit infantem priorem præmaturè ablactari non sine nocumēto sanitatis eius & incremēti, aut certè alterū è duobus nutrici lactandum cōmittere. Quam matrum quarūdam consuetudinē grauiter reprehendit eodem loco Gregorius, & ante eum Ambrosius libr. 1. de Abraham patriarcha cap. 7. & inter authores profanos A. Gellius libr. 12. noctium Att. capit. 1. vbi multis rationibus eam consuetudinem vt vehementer viciosam impugnat.

Propter has igitur causas Gregorius & ante eum author cōmētarij Ambrosio inscripti ad 1. Corinth. 7. licitum esse negant viris puerpetij tempore ad vxores suas accedere. Estq; peccatum illud quoad grauitatem æstimandum pro ratione nocumenti quod inde proli natæ vel nasciturae verisimiliter eueniet.

Obiter autem hic annotandum est, tempus purificationis, quo nimirum post partum ab ecclesiæ ingressu mulieres abstineant, nullum certum ab ecclesia præscriptum esse, quemadmodum post Gregorium loco commemorato, testatur Innocentius 3. de purificatione post partum. Qui etiam remouent obiectionem, quæ peti poterat ex lege Mosaica, vt quæ ad nos iam non pertineat. Si tamen, inquit Innocentius, ex veneratione voluerint aliquandiu abstinere (abstinentiam intelligit ab ingressu ecclesiæ) deuotionem earum non credimus improbandam. Est igitur hac in te sua quibuscunque regionibus relinquenda fidelium consuetudo, maximè cùm ea legi naturæ congruat. Monet enim naturalis pudor & honestas, ne puerperæ statim in publicum prodeant. Deinde infirmitatis ac debilitatis ex partu contractæ ratio plus minusue temporis requirit, quo se domi contineant, & aërem nociturum vitent.

§. 10. *Quibus temporibus nuptias celebrare non liceat.*

TEmpora quæ feriata dicuntur, id est, ea quibus nuptias celebrare non licet, hodie contractiora sunt quàm olim, quando præter dies nunc exceptos, etiam à Dominica septuagesimæ vsque ad feriā quartam cinerum, & à ferijs rogationum vsque ad octauam Pentecostes, à nuptiarum celebratione abstinendum erat; vt patet partim ex 33. quæst. 4. apud Gratianum, partim ex decretalibus tit. de ferijs cap. Capellanus. Antiquitatem autem huius cōstitutionis probat canōn 52. conc. Laodiceni, celebrati ante annos mille ducentos.

Hodie verò ex decreto concilij Tridentini de reformatione matrimonij cap. 10. tantùm à prima Dom. aduentus vsque in diem Epiphaniæ, & à feria 4. cinerum vsque in octauam Paschæ celebratio nuptiarū prohibetur. Prohibitionis autem hæc est ratio, ne ea tempora quæ vel recolendis redemptionis nostræ beneficijs, vel agendæ pœnitentiæ peculiariter deputata sunt, ijs actionibus occupentur, per quas constat animas hominum multum abstrahi solere, à cogitatione rerum spiritualium. Quod quidem prouenit partim ex ipsa rei conditione, partim propter multiplices excessus, qui nuptiarum celebrationem comitari solent.

Sed quæritur hîc de qua re dicta prohibitio propriè intelligatur, vtrùm de contractu matrimoniali, an de benedictione sacerdotali, an de traductione sponsæ, an verò de nuptiali conuiuio, an denique de matrimonij consūmatione. Respondetur intelligendā esse imprimis de benedictione nuptiarū, quā oportet solenniter à sacerdote fieri, item de solenni traductione sponsæ, ac tertiò de celebritate conuiuij nuptialis. Huic intellectui fauet concilij Tridentini decretum, quod meminit solennium nuptiarum, & solennis earum celebrationis. De contractu autem matrimoniali secundùm se, non videtur intelligenda: tum quia fieri potest absque solennitate; tum quia pōtifex in supradicto cap. Capellanus, testatur eam esse Romanæ ecclesiæ consuetudinē, vt matrimonium quocumque tempore contrahatur. Atque hunc prohibitionis ecclesiasticæ sensum tradont glossa dicti capituli, sanctus Thomas & Paludanus in præsentem distinctionem, Sylnester in verbo matrimonium 7. quæst. 1. Caietanus in summula verbo matrimonium & verbo nuptiæ, & Nauarrus ench. cap. 22. num. 71.

Cæterùm quibus in locis etiam ipse contractus matrimonialis fieri non debet nisi solenniter, ibidem ex consequenti prohibitus quoque censetur dictis temporibus. Sic enim comprehenditur nomine solennium nuptiarum. Consummatio verò matrimonij ad hanc prohibitionem non pertinet, sed de ea iudicandum est ex his quæ suprà diximus de temporibus abstinentiæ coniugalis.

IN DISTINCTIONEM TRIGESIMAMTERTIAM.

§. 1. *Polygamiam iure diuino ac naturali illicitam esse.*



AD eam fidem, quam sibi mutuò debent coniuges iure matrimonij, pertinet quæstio de polygamia: qua videlicet plures vxores vni viro coniunctæ sunt vno eodemque tempore. Nam ea qua successiuè vir plures vxores, vel mulier plures viros habet; alterius generis polygamia est, de qua agetur ad distinctionem 42. *S. Thom. suppl. q. 65 art. 1.*

Prioris igitur generis polygamiā, de qua nunc agitur, ostendemus esse semperque fuisse illicitam, vtpote iuri diuino ac naturali contrariam. Ac primùm dicemus de iure diuino.

Scriptura Genes. 1. de vtroque sexu in primis hominibus ad coniugium destinato sic loquitur: *Masculum & fœminam creauit eos*, quod & repetit capit. 5. videlicet per hoc significans non vnum plutibus sed vnum vni in matrimonio copulandum esse. Quam probationem innuit ipse Dominus in euangelio, Matth. 19.

Deinde,

A Deinde, Genes. 2. Vna viro costa ablata est, non plures, eademque io vnam fœminam coouersa non in plures: & rursum ait scriptura quod *Vir adhærebit vxori suæ*, non vxoribus. Et, *erunt duo in carne vna*, non tres vel plures. Hanc etiam probaoooem Dominus innuit, Matth. 19. cùm verbis illis ex Genesi repetitis addit insuper hæc verba: *Itaque iam non sunt duo sed vna caro*: nimirum significare volens matrimonij initio instituti eum esse effectum, vt qui eoniunguntur, fiant vna caro. Quod certè constat fieri non posse, si vnus multis iungatur. Vtũtur hac pro-
B bationе ex Genesi Hieronymus imprimis, deinde Chrysostomus, Beda, Theophylactus & Anselmus io suis commentarijs super Matth. 19. & post eos Innocentius 3. extra de diuortijs cap. Gaudemus, vbi de hac re ex professo disserit.

Noo est autem recipienda eorum responsio qui dicunt Deum initio cõstituisse quod optimum est, videlicet monogamiam seu coniugium vnius cum vna, noo tamen damnasse polygamiam, licèt rem minùs bonam. Hanc enim opinionem destruit Christi responsio Matth. 19. dum Pharizæorum in-
C terrogationi satisfaciens ex illa sententia: *Erunt duo in carne vna*, vult osteodere quod priore viuente nõ liceat aliam ducere. Quare non intellexit in prima coniugij institutione bonum melius, sed bonum necessarium, quo nimirum prætermisso violaretur Dei ordinatio. Atque io hunc sensum sopradicti patres Christi sententiam interpretati sunt. Sed de sensu verborum Christi peculiariter dicemus infrà suo loco, cùm docebimus ius istud diuinum à Christo renouatum & confirmatum esse in lege euangelica.

Dictæ opinioni illud quoque quàm maximè
D aduersatur, quòd initio generis humani propter paucitatem hominum & propagationis necessitatem, non tam quid optimum, quã quid necessarium esset, spectari debuit. Quare si tunc diuinæ sapientiæ non fuit visum consulere propagationi generis humani per polygamiam, qua nimirum Adæ primo parenti darentur plures vxores; planè significatum per hoc voluit vxorum pluralitatem sibi displicere. Nam vt Adam ex posteritate sua aliquas nempe filias aut neptes duceret vxores, multò magis id diuinæ ac naturali legi esse contrarium in confesso est. Ex quo certissimè ostenditur primos homines sic fuisse creatos à Deo, vt Adæ totius humani generis parenti futuro fuerit impossibile plures habere vxores.

E Porrò diuinæ huic institutioni accedunt rationes naturales, monstrantes polygamiam cõtrariam esse legi natorali.

Prima ex paritate coniugũ sumitur. Sunt enim conioges pares in ijs quæ ad coniugalem torum pertinent, vt ex supradictis patet. Atqui mulieri natura non permittit plures viros: ergo nec viro plures vxores. Et quamuis non sit vtriusque par ratio ex parte procreationis prolis, cùm vir possit eodem tempore plures vxores fœcundare, non autem mulier à pluribus viris fœcundari, vt ait sanct. Augusti-
F nus de bono coniugali cap. 17. & libr. 3. de doctrina christiana cap. 12. subsistit tamen paritas ex parte iuris matrimonialis: quia sicut corpus vxoris est in viri potestate, ita corpus viri in potestate vxoris: & proinde tam vxori quàm viro fit iniuria, quando alterius corpus alij cuicumque traditur. Indicat hanc responsionem Innocentius 3. loco sopracitato, vbi concludit pluralitatem coniugum in vtroque sexu, cùm non ad imparia iudicẽtur, circa matrimonium esse reprobandam.

Secunda ratio cum ista cohærens est huiusmodi: Vir tenetur vxori poscenti debitum reddere. Quod profectò præstare non poterit pluribus simul debitum exigentibus: ergo fidei ac iusticiæ coniugali, qua parte respicit coniugale debitum, repugnat vxorum pluralitas.

Tertia ratio sumitur ex natura eorum quæ principatum habent. Occulta enim lege naturæ, ait Augustinus de bono coniugali cap. 17. amant singularitatem quæ principantur. Nam hoc pacto accedunt ad similitudinem summi principis Dei, quemadmodom ibidem Augustinus explicat. Hinc est & illud Lucani Poëtæ:

Omnisq́ potestas
Impatiens consortis erit.

Cùm ergo mulier in his quæ torum coniugalem spectant, non minùs principetur viro, quàm vir mulieri; consequens est vt virum ita & mulierem in hoc suo principatu naturaliter respuere consortem. Vnde est illa coniugibus quadam naturæ lege insita zelotypia, qua vir aduersus virum & mulier aduersus mulierem in cõsortium tori admissam vehementi animi iodignatione mouentur.

Quarta ratio: Vxor ooo tantùm assumitur io consortium tori, verùm etiam in societatem gubernandæ familiæ, licèt non pari iure. Quamuis enim vxor in rebus domesticis viro subijciatur, oon tamen vt famula, sed vt socia & collateranea. Cuius rei significandæ gratia prima mulier noo ex pedibus, sed ex latere viri formata fuit. Hanc autem gubernationis domesticæ societatem, cùm in ea quoque sit ex parte mulieris quidam principatus, vt docet Chrysostomus hom. 20. in epistolam ad Ephesios, mirum in modum perturbaret vxorum pluralitas.

Atque hinc procedit quinta ratio: nempe quòd polygamia sua natura parit ac nutrit discordias inter vxores, neque id tamen solummodo ob communionem regiminis domestici, verùm etiam ex alijs causis: vt sunt amor & vsus coniugis, cura & educatio atque euectio filiorum, & his similia, in quibus omoibus vnaquæque vxor se & suos filios vult præferri, & alteri ne præferatur: vel quia præfertur, inuidet; præsertim cùm nec viri soleant eam seruare moderationem, vt plures vxores æqualiter diligant, aut erga eas æqualiter in omnibus se gerant; quemadmodum exempla scripturæ, & locus Deut. 21. de dilecta & odiosa demonstrant.

Sexta ratio: Quamuis initio mundi multiplicatio hominum maximè fuerit procuranda, non tamen legimus quemquam primorum progenitorum plures vxores accepisse ab Adam vsque ad Abraham, de cuius facto paulò pòst agemus, idque ex posteritate Seth seu filiorum Dei. Ex posteris autem Cain primus plures vxores, nec tamen plures duabus duxisse legitur Lamech septimus ab Adam, cuius factum nihilominus passim à patribus reprehenditur.

Septima: Natura pari ferè numero procreat masculos & fœminas: ergo naturalis est coniunctio vnius cum vna.

Postremò, quamuis apud plerasque nationes ante & post Christi aduentum polygamia more fuerit recepta, quemadmodum ex historijs omnium temporum constat (nam & impurus Mahometes in suo Alcorano permittit suis vxores vsque ad quatuor, empticias autem quot alere possunt) attamen Aristoteles naturali ductus ratiooe tum in Politicis, tum in vtroque Oecooomico monogamiam præcipit. Sed & apud Romanos qui cæteris semper habiti

biti fuerunt iustitiæ naturalis obseruantiores, ne quidem sterili vxori aliam superducere legitimum fuit, aut omnino plures habere quàm vnam vxorem viuentem, teste Augustino de bono coniugali, cap. 7. Vnde etiam in iure ciuili ab ethnicis principibus infamiæ nota alijsque pœnis afficiuntur polygami. Nam quod Iulius Cæsar, vt author est in eius vita Suetonius, quodque postea Valentinianus Christianus Imperator referente Socrate lib. 4. cap. 26. leges tulerunt, per quas liceret duas aut plures vxores legitimas habere, factum id ab eis neque naturæ legis impulsu, neque vtilitatis publicæ respectu; sed vt priuatum incontinentiæ dedecus publico tegerent exemplo, quemadmodum ijsdem locis ostenditur. Vnde nec leges illæ in vsum receptæ fuerunt, quòd facilè etiã vulgo intelligeretur eas naturæ legi atque honestati esse contrarias. Imò eo ipso quo ab illis primùm latæ sunt, satis apparet polygamiam ante eos in Romano populo minimè fuisse probatam.

His omnibus accedit argumentum ex ratione sacramenti. Significat enim matrimonium coniunctionem Christi cum ecclesia, scilicet vnius cũ vna. Quæ significatio probabiliter extenditur etiam ad infidelium matrimonia. At ea seruari non potest in polygamia, qua vnus iungitur pluribus.

Iam superioribus addenda est probatio ex authoritate ecclesiæ.

Primùm Nicolaus papa primus eius nominis apud Gratianum 24. quæst. 3. cap. An non, de polygamia Lamech sic loquitur, vt non dubitet eam vocare adulterium.

Deinde docet Innocentius tertius supradicto capit. Gaudemus, virum infidelem, si plures vxores habeat, & ad fidem conuertatur, sola ea quam primam duxit, vxore retenta, reliquas debere à se dimittere. Quod ipsum etiam ecclesiæ consuetudine obseruatur. Ex quo nimirum cõsequitur polygamiã etiam apud infideles, non modò illicitam esse, sed insuper sic repugnare naturæ matrimonij, vt cũ sola prima subsistat matrimonij veritas, non cum secunda vel alijs posterioribus. Nam Baptismus, vt ibidem dicit Innocentius, non soluit coniugia, sed crimina dimittit. Quare si ante conuersionem vera fuissent vnius cum pluribus coniugia, post baptismũ dissolui non deberent; præsertim quãdo vxores ad fidem vnà cum viro conuertuntur. Cùm autem neque lex Dei positiua, neque lex euangelica obliget infideles, eos maximè quibus euangelium non fuit annunciatum, dicente apostolo 1. Cor. 5. *Quid mihi de his qui foris sunt, iudicare?* consequi videtur talia coniugia tum illicita, tum etiam irrita esse lege naturali, quam solam habent infideles; aut certè propter ignorantiam diuinæ legis fuisse eos hac parte inculpabiles.

Cæterùm ante duos pontifices iam dictos, polygamiam lege diuina prohibitam esse, censuerunt Siricius papa ep. 1. & Innocentius 1. ep. 3. ad Exuperium cap. 6. & ep. 9. Aliorum quoque super hac re decreta leguntur apud Gratianum 32. quæst. 7. cap. Si quis, & in decretalibus toto titulo de sponsa duorum.

Eadem doctrina est patrum qui commentati sunt in Matth. 19. quorum aliquot suprà citauimus, eadem Ambrosij in fine libri de viduis, Chrysostomi homilia 26. in Genes. 30. Augustini lib. 1. de nuptijs & concupiscent. cap. 9. & li. 1. de adulterinis coniugijs cap. 8. & 11. & Bedæ in Marci 10.

Accessit his denique Tridentina synodus quæ sessione 24. canone 2. anathemate damnat eum qui

A dixerit nulla diuina lege prohibitam esse polygamiam; tametsi non liquet an de solis Christianis ibi synodus loquatur. Sic enim habent verba canonis: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum; anathema sit*, vbi incertum est an pronomen, *hoc*, referatur ad totum illud: *Christianos plures simul habere vxores*, an verò ad illud, *plures simul habere vxores*. Item an, *prohibitum*, referatur ad Christianos, an verò absolutè positum sit. Innuit tamen eadem synodus iam inde ab initio polygamiam à Deo prohibitam fuisse, cùm in capite doctrinæ de matrimonio

B post recitata verba scripturæ, Genes. 2. *Et erunt duo in carne vna*, subiungit, Christum apertiùs docuisse matrimonij vinculo duos tantummodo copulari & coniungi. Dicens enim apertiùs id Christum docuisse, significat initio quidem id etiam traditum diuinitus fuisse, sed minùs apertè.

Porrò de iure naturali nihil statuit synodus. Vnde quamuis opinio Durandi scribentis in hanc distinctionem quæstione 1. & Alphonsi episcopi Abulensis scribentis super Matth. 19. quæstione 30. in eo quod sentiunt polygamiam non repugnare iuri naturæ, non sit reijcienda tanquam

C per synodum damnata; patet tamen ex rationibus dudum allatis, cuiusmodi & à patribus & ab alijs scholasticis doctoribus ferè adferuntur, valde improbabile esse quod illi sentiunt.

§. 2. *Responsio ad obiectionem de polygamia antiquorum patrum.*

NOn parum difficultatis affert præsenti doctrinæ sanctorum patriarcharum aliorumque iustorum exemplum, de quibus sanè non est vllo modo suspicandum, quòd legem diuinam ac naturalem tam manifesto crimine violarũt, atque in huiusmodi facto vsque ad extremum permanserunt. Quo nomine olim Faustus Manichæus, & hoc nostro seculo Ioannes Caluinus sanctos illos calumniari & in grauissimum crimen vocare non sunt veriti. *S. Thom. suppl. q. 65 art. 1*

D

De hac re vt difficili & perplexa patres interdum sic loquuntur, vt etiam adulterium agnoscere videantur, sed tale quod excusationem mereatur.

Sanctus Ambrosius enim libr. 1. de Abrahami

E patriarcha capit. 4. pro defensione Abrahæ qui viuente Sara vxore ex ancilla filium quæsiuit, primùm dicit illo tempore adulterium nondum lege prohibitum fuisse. Deinde quòd amore posteritatis, non ardore libidinis id fecerit, & quidem vxore consentiente, tandemque eius facti pœnitentiam egerit à Deo sibi iniunctam: ac postremò quod id fecerit ad significandum aliquid futurum, iuxta apostolum Gal. 4.

Sanctus Augustinus etiam aliquot locis, vt libr. 2. contra aduers. legis & prophet. capit. 9. libr. 22.

F contra Faustum capit. 3. libr. 16. de ciuitate Dei capit. 25. & sermon. 63. de diuersis capit. 18. adulterij crimen Abrahæ à Manichæis obiectum excusat, quòd non impetu libidinis, sed gratia prolis, idque cogente vxore fecerit.

Item Leo 1. epist. 92. ad Rusticum Narbonensem cap. 4. distinguens inter vxorem & concubinam, negat concubinam esse veram vxorem; adeo vt si quis habens concubinam, ducat aliam mulierem in vxorem, non censeatur duplicare coniugium. Et huius rei exemplum affert de Sara & Agar. Sentit

ergo pontifex Agar noo fuiſſe veram vxorem Abrahæ.

Euthymius quoque commentans in illud Ioan. 8. *Nos ex fornicatione non ſumus nati*, dicit Iudæos ijs verbis ſignificare voluiſſe, ſe non deſcendere ex Agar concubina Abrahæ, cui nimirum per fornicationem iunctus fuerit Abraham, atque Iſmael ex ea genuerit, ſed ex legitima eius vxore Sara.

Quibus accedit, quòd ſcriptura mulieres illas, quæ præter vxorem à patriarchis in torum aſſumptæ fuerant, paſſim concubinas appellet Geneſ. 25. & alibi.

Verùm his non obſtantibus dicendum nullo modo crimen adulterij aut tranſgreſſionem diuinæ ac naturalis legis in hoc ſanctorum patriarcharum & regum facto nos agnoſcere debere, multas ob cauſas.

Primùm, quia ſcriptura vbiq; ſingulare ſanctitatis teſtimonium illis perhibet. Vnde & Matth. 8. promittitur electis quod *cum Abraham Iſaac & Iacob recumbēt in regno cælorum*. Et Luc. 16. *Lazarus ab angelis deportatus eſt in ſinum Abrahæ*, tanquam locum quendam felicitatis: cùm tamen certum ſit, apoſtolo teſte, adulteros regnum Dei non poſſeſſuros.

Deinde, ſi eſſet adulterium, Deus Dauidem toties adulterum non reliquiſſet impunitum, qui ſemel adulterum tam grauiter increpauit & puniuit.

Tertiò, non commemoraret Deus per Nathan prophetam pro magno beneficio, quòd Dauidi in ſinu dediſſet vxores Domini ſui 2. Reg. 12. ſi per adulterium aut contra Dei legem eas ſibi iunxiſſet.

Quartò, Ioiada ſummus ſacerdos, idemque laudatiſſimus non accepiſſet Ioas regi duas vxores 2. Paralip. 24. ſi alteram ſine adulterio aut crimine violatæ legis diuinæ habere non potuiſſet.

Poſtremò, Locis iam dictis & alibi ſcriptura vocat eas, quæ ſic habebantur, vxores. Nuſquam autem dat ſignificationem eas aut adulteras fuiſſe, aut contra Dei legem viris copulatas.

Ex quibus conſequens eſt, non modò ſine adulterio, verùm etiam ſine peccato ac iuſta reprehenſione, polygamiam à priſcis & ſanctis illis patribus fuiſſe vſurpatam.

Quæritur ergo, qua ratione fuerit illis hoc licitum, quod ſuprà oſtendimus legi diuinæ & naturali eſſe contrarium. Breuiter reſpondeo licitum fuiſſe diſpenſatione diuina. Quod vt rectè intelligatur, notandum eſt duo eſſe genera præceptorum legis naturæ. Quædam enim ſunt velut principia iuris naturæ. Alia verò, quæ ex principijs tanquam concluſiones deriuantur: & priora quidem illa continent ita vniuerſaliter regulam rectitudinis, vt nullus occurrere caſus poſſit, quo mutari ea conueniat; ideoque vt immutabilia prorſus, ita & indiſpenſabilia ſunt. Cuiuſmodi ſunt leges de diligendo Deo, de non mentiendo, de non concupiſcendo, & cætera decalogi præcepta. Cuiuſmodi etiam eſſe volunt legem, ne vna mulier multos viros habeat; tametſi hoc non omnino certum eſt. Poſteriora verò continent quidem regulam rectitudinis, ſed talia ſunt vt aliquando, mutatis rerum & perſonarum circumſtantijs, ipſa quoque mutari conueniat. Quamquam etiam tunc mutari non poſſunt, niſi authoritate eius à quo proceſſerunt. Hæc igitur mutabilia & diſpenſabilia ſunt, quale eſt de non occidendo inſonte. In qua lege Deus diſpenſauit, quando præcepit Abrahæ vt filium ſuū immolaret. Quale item ne quis ſororem ducat vxorem. In quo diſpenſatum fuit cum filijs primorum parentum. Huius quoque generis eſt, ne vnus vir plures habeat vxores. Quæ lex ideo diſpenſationem admittere potuit, quia polygamia non repugnat primario fini matrimonij, qui eſt procreatio liberorum, ſed ſecundariò tantùm. Expedit autem interdum negligere finem ſecundarium, vt certiùs & vberiùs obtineatur finis primarius, quemadmodum contingit in propoſito, vbi Deus in paritate iuris coniugalis diſpenſauit, minuendo ius vxoris & ampliando ius mariti, propter abundantiorem ſobolis propagationem. Hæc reſponſio habetur ex Innocentio 3. in dicto capitulo Gaudemus, vbi ſic ait: Nec vlli vnquam licuit ſimul plures vxores habere, niſi cui fuit diuina reuelatione conceſſum, per quam ſicut Iacob à mendacio, Iſraelitæ à furto, & Samſon ab homicidio, ſic & patriarchæ & alij viri iuſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe vxores, ab adulterio excuſantur. Hæc ille. Quam reſponſionem indicat etiam Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 4. cùm poſt alia dicit, coniugium Abrahæ cum Agar noo fuiſſe peccatum ſed myſterium; eò quòd Deus id fieri voluerit ad futurum aliquid ſignificandum. Indicat etiam ſatis apertè Chryſoſtomus hom. 56. in Geneſ. 30. dicens conſuetudinem plurium vxorum habendarum fuiſſe malam, & ideo à Chriſto abolitam, ſed antiquis patribus fuiſſe licitam, quia à Deo permiſſam.

Nec minùs apertè Proſper vel quiſquis author libri de prædictionibus & promiſſionibus parte 1. cap. 25. vbi legitur Deum patriarchis dediſſe licentiam accipiendi plures vxores gratia multiplicandæ prolis. Si quis autem ſcripturam poſtulet, reſpondemus huius diuinæ diſpēſationis argumentū ſumi poſſe ex eo quod Gen. 21. Dominus ait ad Abraham: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Hinc enim intelligimus, ſicut peculiari reuelatione admonitus fuit Abraham, vt ad petitionem & inſtantiam Saræ ancillam Agar cum filio ſuo Iſmael dimitteret, quamuis id ei durum ac legi naturali contrarium videretur dicente ſcriptura: *Durè accepit hoc Abraham pro filio ſuo*, ita eum iam antè diuinitus admonitum fuiſſe, vt in Agar ſibi matrimonio copulanda eiuſdem Saræ petitioni obſequeretur, quamuis & hoc alioqui naturæ legi contrarium eſſe non ignoraret.

Porrò diſpenſationis huius ratio duplex fuit. Altera manifeſtior, nempe multiplicatio populi Dei, quam paſſim Auguſtinus & loco iam citato Proſper & alij patres ſæpè aſſignant. Altera latentior, ſcilicet ſignificatio certorum myſteriorum. Erant enim primi illi polygami cum quibus diſpenſatum fuit, patres ſimul & prophetæ, qui non verbis tantùm ſed etiam factis prophetarent; & quidem myſterium per duas vxores Abrahæ ſignificatum exponit apoſtolus Gal. 4. Quid autem ſignificatum fuerit per quatuor vxores Iacob, exponit ſanctus Auguſtinus contra Fauſtum diſputans & tract. 11. in Ioan. & alibi.

Sed contra priorem rationem obijciet aliquis: Initio mundi & rurſus ſtatim à diluuio non fuit cū viris diſpenſatū vt plures ducerent vxores quando tamen maxima erat neceſſitas multiplicandi generis humani. Sicut enim Adā vnicam habuit vxorem, ſic poſt diluuium Noe & filij eius ſinguli vxo-

res habuerunt. Responsio: Deus Adæ creauit & dedit vnam tantùm vxorem, quia in eo voluit ostendere formam matrimonij perpetuam iuxta exigentiam legis naturæ, ne si in primo hominum coniugio vir vnus fuisset pluribus fœminis copulatus, putaretur semper & simpliciter licitam esse polygamiam, tanquam profectam ex prima institutione naturæ. At neque cum filijs Adæ dispensandum fuit: siue propter vicinitatem, quam habebant ad primam originem; siue quia, cùm ferè pari numero nascerentur filij & filiæ, non poterant nisi singuli singulas vxores accipere. Similiter autem Noë & filij eius plures vxores accipere non poterant, quia præter eas quas ante diluuium duxerant, nullæ alię mulieres ex diluuio restabant. Verùm vtroque illo tempore Deus tum longæuitate, tum fęcunditate monogamiam compensabat, vt citò multiplicari posset humanum genus. Potest etiam responderi, non eandem Deo fuisse rationem multiplicandi generis humani & populi Dei. Illa enim multiplicatio ad naturam pertinebat, hæc ad gratiam; ideoque propter illam non fuisse dispensandum contra naturam, sicut propter istam.

Sed iterum dicet aliquis: Per filium Agar ancillæ, sicut & per filios quos Abraham ex Cethura genuit, non fuisse multiplicatum populum Dei, quia tantùm, *In Isaac vocabitur tibi semen*, ait illi Dominus Genes. 21. Deinde non videri, quòd reges populi Israelitici in accipiendo taoto numero vxorum vel concubinarum spectauerint multiplicationem populi Dei, cùm potiùs appareat id eos consuetudine & iure quodam regio fecisse, sicut fecerunt ijsdem temporibus reges Ethnici, Balsasar, Assuerus & alij. Respondetur in filijs Abrahæ, quorum posteritas non pertinuit ad populum Dei, locum habere rationem posteriorem, quia in ijs fuit significatio certi mysterij. Vnde hoc argumento tantùm concluditur priorem rationem solam noo sufficere. De facto autem regum respondemus, bonos reges id spectasse in multitudine vxorum quod spectandum erat, malorum verò peruersam aut indebitam intentionem noo sustulisse diuinam dispensationem.

§. 3. *Obiecta contra veram polygamiam patriarcharum diluuntur.*

S.Thom. ibidem.

RESTAT nunc vt ad ea respondeamus patrum & scripturæ loca superiùs indicata, quæ quibusdam occasionem dederunt opinandi non fuisse verum coniugium patriarcharum cum pluribus fœminis, sed eos vnam tantùm vxorem legitimam habuisse, cæteras verò non vxores, sed concubinas eorum fuisse.

Primus erat locus Ambrosij: De quo respondemus Ambrosium in apologia sanctissimi patriarchæ tanquam io re perplexa ac difficili laborasse, ideoq; varias rationes quibus factum eius vel defenderet vel excusaret, adduxisse, sed in vltima responsione veram posuisse defensionem. In ea enim, vt iam diximus, apertè testatur coniugium Abrahæ cum Agar non fuisse peccatum, sed mysterium; eò quòd Deus id fieri voluerit, ad significandum aliquid futurum, authore apostolo Galat. 4. Agnoscit ergo Ambrosius diuinam dispensationem, simulque eius causam asscribit, futurorum significationem.

Ad ea quæ proferuntur ex Augustino, respondemus, nusquam apud eum legi quòd concubitus Abrahæ cum Agar adulterium fuerit, aut quòd Agar non fuerit vxor Abrahæ. Locis autem citatis ideo nullam fecit veri coniugij mentionem, quia Manichæi nuptias damnantes præcipuè obijciebant patriarchis libidinem; & proinde responsione illa de veritate coniugij cum pluribus fœminis haud fuissent contenti. Hinc satis fuit Augustino respondere pro patriarchis, quòd non impetu libidinis sed solùm amore posteritatis, & ex consensu vxoris aliam vel alias mulieres sibi copulauissent. Fuisse autem Agar veram Abrahæ coniugem, & Iacob habuisse quatuor vxores, alibi tradit sanctus Augustinus; vt libro 22. contra Faustum capit. 47. & libr. 16. de ciuitate Dei capit. 38.

Iam quod ad argumentum attinet ex Leone sumptum, putant quidam hanc reuera fuisse Leonis sententiam, quòd Agar non fuerit vera coniux Abrahæ sed tantùm concubina: secuti videlicet glossam canonis: *Non omnis*, 32. quæstio. 2. quam tamen eius sententiam velut improbabilem negant tuendam esse.

Verùm alij respondent ad exempli à Leone allati veritatem satis esse, si Agar ancilla fuerit Abrahæ, non autem oportere, vt vxor eius non fuerit, cùm hac parte Leo exemplum non accommodet; tametsi fatendum est eum obscuriùs esse locutum.

Ad quartū respondetur scripturæ locum Ioan. 8. intelligi de fornicatione spirituali, quæ est idololatria. Hanc enim constat in scriptura frequentissimè fornicationem vocari, sicque interpretatus est Augustinus. Quem sensum etiam loci circumstantia postulat. Præcedit enim illud; *Pater noster Abraham est*; Sequitur autem proximè, *Vnū patrem habemus Deum*, Quasi dicerent. Nos non descendimus ex gentibus idololatris, quæ cum multis Dijs fornicantur, sed ex patriarchis vnius Dei cultoribus.

Euthymij verò interpretatio de fornicatione carnali, non aliud conuincit, quàm Iudæos sic opinatos, nimirum Agar non vxorem Abrahæ sed concubinam fuisse. De quorum opinione non est nobis magnopere laborandum.

Ad postremum indubitata responsio est, concubinas in scriptura sacra longè alia significatione dici, quàm quæ hodie concubinæ vocantur. Nunc enim concubina dicitur mulier, quæ cum viro commoratur & concumbit extra matrimonium. In sacris autem literis, quæ concubinæ vocantur, eædem omnes, aut certè plærę que etiam vxores erant, quamuis vt Augustinus scribit quæst. 90. super Genes. non facilè appareat, quomodo scriptura inter concubinam & vxorem distinguat; nisi fortè, inquit omnis concubina appellatur vxor, non contrà. Nam Sara, Rebecca, Lia, Rachel tantùm vxores dicuntur: Hagar, Cethura, Bala & Zelpha modò vxores appellantur, modò concubinæ, Genes. 16. 25. 30 & 35. & 1. Par. 1. Idemque de concubinis Dauidis & Salomonis sentiendum est. Et Iudicum 19. coniux Leuitæ vnica, nunc vxor; nunc concubina vocatur; Imò statim initio capitis in Hebræo vtrumque coniungitur: Sic enim dicitur: *Accepit sibi vxorem concubinam de Bethlem Iuda.*

Est autem probabilis eorum sententia, qui dicunt in scripturis concubinam vocari, quæ non

omnino ac plenè participat ius vxorium, sed ab vxoris dignitate & conditione nonnihil deficit. Quales sunt quæ seruæ siue ancillæ remanent, etiam in torum coniugalem receptæ, vel quarum filij ad hæreditatem non admittuntur: cuiusmodi fuit Agar, de qua dictum est: *Eijce ancillam & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Genes. 21. & Galat. 4. Vbi nota non fuisse dictum, quod alioqui potiori iure dici poterat, si non erat vxor: Eijce concubinam & filium eius. Non enim hæres erit filius concubinæ cum filio vxoris legitimæ. Talis item Cethura de qua Genes. 25. cuius filijs Abraham tantùm largitus est munera, solidam hæreditatem relinquens filio suo Isaac. Huiusmodi etiam fuere Bala & Zelpha, quarum filij etsi ab hæreditate non legantur exclusi (quod factum est certi mysterij causa secundùm August.) ipsæ tamen etiam in coniugio non videntur à seruili conditione liberatæ. Similiter illæ quas Dauid & Salomon sibi acceperunt, & in scriptura concubinæ vocantur 2. Reg. 16. & 20. & 3. Reg. 11. ideo sic dictæ sunt, quoniam ipsæ quoque, tametsi reuera coniuges essent, ad plenum tamen ius coniugale non fuerunt admissæ, quia maiestatis regiæ non erant participes, ideoque nec reginæ vocantur; sed neque earum filij pari loco cum aliarum filijs habebantur. Veras tamen vxores fuisse præter ea quæ suprà diximus, inde manifestè ostenditur; quia quæ 2. Reg. 16. vocantur concubinæ Dauidis, eædem capit. 12. antegresso ab ipso Domino vxores vocantur semel, & iterum. Capite autem 20. de ijs refertur quod *Postquam ingressus fuit ad eas Absalon, Dauid non amplius ad eas ingredi voluit, sed in custodiam tradidit, vt clausæ manerent vsque in diem mortis suæ in viduitate degentes.* Vnde colligit Liranus, quòd verè fuerunt vxores, cùm in concubinis non vxoribus, locum non habeat viduitas.

Hæc porrò concubinæ acceptio non est prorsus ab ecclesiastica loquendi consuetudine aliena. Sic enim accipitur illud nomen in concilio Toletano primo canon. 17. in quo statuitur, vt qui vxorem non habet, sed pro vxore concubinam, à communione non repellatur. Neque enim hominem in statu fornicationis permanentem ad communionē admittit ea synodus, sed more scripturæ de vxore & concubina loquitur. Quomodo etiam loquitur Isidorus libr. de distantia noui & veteris testamenti, dicens quòd Christiano non est licitum nisi vnam tantùm habere aut vxorem, aut certè loco vxoris, si coniux deest, concubinam. Vtrumq; locū citat & dicto modo interpretatur Gratianus dist. 34. consentit & glossa eiusdem loci.

Iam verò eodem recidit aliorum distinctio, qui vxorem intelligunt, in qua ducenda solennes ceremoniæ fuerunt adhibitæ; concubinam verò quæ sine solennitate nuptiarum solo consensu assumitur in torum coniugalem. Quæ enim hoc pacto ducebantur, quòd vel seruæ, vel alioqui abiectioris essent conditionis, vix censebantur vxorum nomine, nec matresfamilias vocabantur, quia non eis committebatur socialis illa familiæ gubernatio. Sic interdum Romanæ leges de concubina loquūtur. Sic Aulus Gellius lib. 4. noct. Att. cap. 3. & lib. 18. cap. 6.

Sunt autem qui discrimen inter vxorem & concubinam paulò aliter explicent; vt concubina dicatur quæ non posteritatis sed concubitus tantùm gratia ducitur. Sic Iuo parte 8. sui decreti capit. 61. concubinam interpretatur in canone Toletano. Et sanè quæ huiusmodi est, deficit quoque à matrimonij perfectione, cuius finis primarius est liberorum procreatio. Verùm hoc modo non potest accipi nomen illud, dum sanctis patriarchis ac regibus in scriptura concubinæ tribuuntur, quos certum est ex ijs filios quæsiuisse.

§. 4. *Quid sentiendum de polygamia aliorum ante Christum.*

OPinio quorumdam est, nemini vnquam licuisse plures habere vxores, ne quidem in populo Israelitico, nisi ex speciali reuelatione Dei ipsi facta. Quod probari putant verbis Innocentij tertij cap. Gaudemus, negantis id cuiquam licuisse, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum. Hi proinde non solùm sanctos patriarchas, sed reges etiam & quoscumque alios qui in scriptura commendantur & plures vxores habuisse leguntur, specialem super hoc à Deo concessionem accepisse existimant. *S. Thom. vbi sup.*

Verùm probabilior est aliorum sententia, qui censent non modò cum sanctis patribus ac principibus illius temporis sed generaliter cum posteritate Abrahæ, id est, cum vniuerso populo Israelitico super polygamia fuisse dispensatum; non quidem facta singulis noua diuinitus reuelatione seu inspiratione, sed ita vt hæc dispensatio peculiariter fuerit indicata tantùm primis aliquot patribus, ac deinde illorum verbo vel exemplo peruenerit ad cæteros.

Quæ sententia probatur, Primùm quia nullo modo verisimile est Dauidem, Salomonem, Saulem quo tempore adhuc Deo placebant, aliosque reges & Elcana patrem Samuelis peculiares accepisse super eiusmodi facto reuelationes. Nam raræ sunt reuelationes & tantùm de rebus maioris momenti.

Deinde, quia Sara, Rachel, Lia ancillas suas viris obtulerunt, absque noua Dei reuelatione.

Tertiò, quia Esau duas duxit vxores de filiabus Heth Genes. 26. Quæ quia patri displicebant, pacare eum volens duxit tertiam; filiam Ismaelis, Genes. 28. Nec hîc credibile est nouam accessisse reuelationem.

Quartò, quia lex Deut. 21. quę ait: *Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odiosam, &c.* loquitur tanquam de re nota & passim concessa. Vnde & ambas vxores vocat, & de filijs vtriusque sic statuit tanquam de legitimis hæredibus.

Quintò, Deut. 17. de rege lex solummodo cauet, ne habeat vxores plurimas, quæ alliciant animū eius. Quem locum tractans Augustinus quæst. 27. super Deut. Permissum est, inquit, regi plures habere vxores, non plurimas.

Sexto, Leuit. 18. dicitur: *Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies.* Vbi significatur aliam aliquā adhuc duci posse, modò ne sit soror vxoris. Quod & obseruauit August. quæst. 63. in Leuit. dicens. Hic non prohibuit superducere, quod licebat antiquis propter abundantiam propagationis, sed sororem sorori noluit superduci.

Septimò, Nusquam legimus prophetas in illo populo reprehendisse, quod plures vna ducerent vxores. Quod tamen grauissimè reprehendi debuit, si, vt quidam volunt, polygamia citra specialem Dei reuelationē erat perpetuum & constās adulterium.

Postre-

Postremò, Nusquam patres de polygamia Iudæorum tanquam de adulterio loquuntur, nec omnino, vt de re illicita.

Quod ergo in diuersum obijcitur ex Innocentio, sic, vti iam diximus, accipiendum videtur: nimirum reuelationem illam seu inspirationem primis patribus factam, non ad eos tantum pertinuisse, sed etiam ad eorum posteros, eamque dispensationem quasi consuetudinem & legem à maioribus acceptam, in illo populo vsque ad Christum perdurasse. Cùm enim dixisset pontifex, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum, ita subiecit: quæ mos quandoque, interdum etiam fas censetur; videlicet indicans reuelationem initio factam in consuetudinem & legem apud illum populum abiuisse.

Porrò existimant quidam, eam generalem dispensationem fuisse concessam omnibus gentibus, nō autem solis Hebræis. Quod vt probabilibus quibusdam argumentis astruatur, illud tamen contra eam opinionem vehementer facit, quòd si ante Christi tempora fuerunt legitima gentilium coniugia cum pluribus vxoribus, consequens videbitur etiam nunc non minùs esse legitima, cùm lex Christiana in coniugijs gētilium nihil mutauerit. Quod si ita est, malè igitur ecclesia einsmodi coniugia post baptismum dissoluit iuxta decretum Innocentij 3. cap. Gaudemus.

Huic accedit, quòd nec reuelatio, quam Innocentius requirit, vlla probabilitate gentibus in vniuersum tribuitur, nec gemina illa dispensandi causa suprà ex patribus assignata, locum habere potuit in gentibus, vt in Hebræis.

Item si dispensatio fuit extensa ad totum genus humanum, non ergò dispensatio fuit, sed legis abrogatio, pro eo tempore quo vniuersalis illa extensio durauit.

Accedit illud denique quod authores ex quibus dispensatio probatur, tantùm & peculiariter de populo Israëlitico loquantur, etiam cum exclusione cæterarum gentium, vt suprà videre est.

§. 5. *Polygamiam euangelica lege prorsus esse sublatam.*

D. Thom. suppl. q. 65. art. 1.

CHristus nouæ legis author ac naturæ reparator, coniugij statum ad primæuam reuocans institutionem, polygamiam penitus sustulit, & concessionem veteri populo factam abrogauit, Matth. 19. & Marc. 10. dum inter duos tantùm voluit constare matrimonium, iuxta illud ex institutæ naturæ primordijs repetitum: *Masculum & fœminam fecit eos.* Et, *Erunt duo in carne vna.* Vnde infert: *Itaque iam non sunt duo sed vna caro.* Deinde dum iisdem locis ac præterea apud Lucam 16. tanquam nouus legislator ita statuit: *Quicunque dimiserit vxorem suam & aliam duxerit, mœchatur.* Ideo enim mœchari dicitur, quia prior licèt dimissa adhuc verè est vxor, vt ibidem Dominus docet his verbis: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Si ergo vir dimissa priori vxore ducens aliam mœchatur, multò magis mœchabitur si ducat aliam priori retenta. Ex quo certissimè conficitur posteriorem quam priori siue dimissæ siue retentæ superducit, non posse, dum prior illa vixerit, esse eiusdem viri vxorem, cùm mœchia non committatur cum vxore. Est igitur euangelica lege polygamia non tātùm illicita, verum etiam irrita prorsus, si fuerit attentata.

Aduersus hoc argumentum mouet quidē scrupulum Caietanus scribens in Marc. 10. eò quòd Dominus apud Marcum dicat, *Adulterium committit super eam.* Sed scrupulus ille nullus est. Non enim Dominus addendo, *super eam*, innuere voluit, vt Caietanus sentire videtur, virum aliam ducentem priore dimissa, impropriè tantùm & secundùm quid adulterium committere; nempe quòd aliam duxerit in iniuriam prioris vxoris quam iniustè dimiserit, sed simpliciter mœchari eum pronunciat, vt in homine vxorato eadem sint mœchari & mœchari super vxorem, quod patet ex alijs duobus euangelistis, qui absolutè locuti sunt.

Neque refert ad propositum iusta ne fuerit an iniusta dimissio, quemadmodum docebimus infrà cum de repudio agemus. Nec refert etiam vtrùm prior vxor in matrimonium posterioris consentiat, an non. Nam huiusmodi consensus neque sufficit ad polygamiam tempore euangelij, vel etiam stando in lege naturæ, neque fuit vnquam necessarius, vt facilè doceri potest exemplis polygamiæ Iacob & Dauidis, & ex locis scripturæ Leuit. 16. Deut. 21. & 1. Reg. 1.

Porrò Christi doctrinæ consonat apostolus 1. Corinth. 7. & alibi quoties de matrimonio meminit, semper de vxore loquitur numero singulari. Item dum paritatem constituit inter virum & fœminam quoad debitum coniugale. Cui paritati sicut repugnat, vnam habere plures viros; ita similiter repugnat, vnum virum habere plures fœminas.

Idem quoque postulat sacramenti ratio, quam exactiùs seruari oportet tempore noui testamenti quàm veteris, eò quòd per Christū accesserit ei promissio gratiæ, quam antè non habebat. Ratio autem sacramenti est, qua significat coniunctionem vnius Christi cum vna ecclesia.

Tradunt autem hanc doctrinam patres constanter, vt Siricius papa epist. 1. Innocentius primus epistol. 9. Augustinus libr. 1. de adulterinis coniugijs cap. 8. & 9. iisdem ferè quas iam adduximus, probationibus vtens: & passim patres in commentarijs ad Matt. 19. Quibus adde totū titulū de sponsa duorū in decretalibus. Apertissimè verò tradit eam Innocentius tertius capit. Gaudemus, extra de diuortijs, vtens similiter argumentis suprà positis. Confirmat autem perpetua Christiani populi obseruatio, nullo probato in contrarium exemplo. Quamuis enim Valentinianus Christianus Imperator secundam duxerit vxorem priore viuente & consentiente, vt suprà ex Socrate retulimus legemque tulerit, qua omnibus id facere liceret; non tamen legimus aut factum eius ab vllo scriptore probatū, aut quēquam christianum eius exemplum secutum, ac legis indulgētia vsum fuisse. Nā Constantius Imperator de quo scribit Aurelius Victor, cum plurimas coniuges sortitum fuisse, & inter eas præcipuè Eusebiam dilexisse, Arianæ hæreseos labe adeo fuit infectus, vt Catholicos episcopos grauiter vexarit. Legitur autem & postea Lotharius primus Imperator priore vxore viuente aliam sibi copulasse quam legitimæ vxoris loco habere vellet. Sed tam ipsum quàm pellicem eius Nicolaus, ob id factum anathematis vinculo innodauit; episcopos verò qui eam causam dissimulanter tractauerant, dignitate priuauit, vt patet ex canonibus aliquot apud Gratianum 31. quæstion. 3. & ex can. an non, 24. quæstion. tertia in quo pontifex adulterium vocat eam coniunctionem.

Ex quo simul & ex Innocentio tertio perspicuum fit non illicita modò sed etiam inualida esse eiusmodi matrimonia.

Denique Tridentina synodus sess. 24. tum in

doctrina, rum in canone polygamiam Christianorum damnat: & in doctrina quidem irritam eam esse significat, dum dicit matrimonij vinculo duos tantummodo copulari & coniungi, iuxta id quod Christus docuit Matth.19. In canone verò secundo illicitam ac diuina lege prohibitam esse sub anathemate pronunciat.

§. 6. *Respondetur ad eorum argumenta, qui polygamiam secundùm se licitam putant.*

S. Thom. loco prææallegato.

SVperest vt ad eorum nunc argumenta respondeamus, qui polygamiam secundùm se putant non esse illicitam, sed monogamiæ postponi atque subiungi duntaxat vt rei magis bonæ rem minùs bonam, quasi videlicet vtraque sit in genere bonorum. Sic enim sentit Durandus cum alijs nonnullis, vt suprà indicauimus. Argumenta sunt huiusmodi.

Primum hoc ex ratione sumptum: Polygamia non repugnat primario fini matrimonij, qui est procreatio liberorum, sed econtra magis eum adiuuat ac pleniùs consequitur. Secundarios autem fines, qui sunt socialis cohabitatio, domusque gubernatio, concupiscentiæ remedium & Christi cum ecclesia coniunctionis sacramentum, licèt non ita plenè ac perfectè assequatur vt monogamia, non tamen ijs repugnare videtur, neque eos excludere. Nam duos priores in polygamia obtineri posse, monstrant exempla patriarcharum aliorumque iustorum in populo Iudaico, qui & concordiam inter vxores aluerunt, & coniugale debitum ijs reddiderunt. Quod autem ad sacramentum attinet, dicit Augustinus lib. de bono coniugali cap. 18. quòd plures vxores antiquorum patrum significauerunt plures particulares ecclesias vni viro subditas Christo. Quæ plures ecclesiæ cùm vnam constituant ecclesiam Catholicam, videtur adhuc eadem sacramenti ratio in polygamia seruari quæ in alijs matrimonijs. Adde quòd etsi hîc deficeret ratio sacramenti, non ideo tamen erit polygamia contra ius naturæ; quia sacramentorum institutio non est legis naturalis sed diuinæ.

Secundum argumentum sumptum ex scriptura. Nam si sola diuina dispensatione licitum esset matrimonium vnius cum pluribus, cùm ea dispensatio vt supradictum est, non se extenderit ad nationes infidelium, nunquam Esther pia virgo passa fuisset se cõiungi Assuero regi infideli, qui aliam viuentem habebat vxorem, neque talis coniugij contrahendi Mardochæus vir Deum timens ei author fuisset, neque in eo facto tota Iudæorum natio exultasset. Vnde videtur iure naturæ licitum fuisse tale matrimonium.

Tertiò petuntur argumenta ex patribus. Hieronymus enim in epist. 83. ad Oceanum ita scribit: Sciebat apostolus lege concessum & exemplo patriarcharum ac Moysi familiare populo nouerat, in multis vxoribus liberos spargere. Sed apertius Augustinus in hanc sententiam locutus videtur. Sic enim habet lib. 22. contra Faustum cap. 47. Peccata alia sunt contra naturam; alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cùm ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus vxoribus simul habitis obijcitur sancto viro Iacob? Si naturam consulas, non lasciuiendi, sed generandi causa illis mulieribus vtebatur. Si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur. & lib. 16. de ciuit. Dei cap. 38. Eo tempore, inquit, multiplicãdæ posteritatis causa multas vxores habere lex nulla prohibebat, & l. 3. de doctrina Christiana cap. 12. Sufficiendæ prolis causa erat vxorum plurium simul vni viro habendarum inculpabilis consuetudo. Quibus adde quæ idem scribit cap. 15. de bono coniugali & ser. 63. de diuersis cap. 13. & sequentibus, vbi patriarchas ea ratione excusat, quòd pro tempore & more gentis suæ plures acceperint vxores. Non potest autem ex tempore & more quicquam vt licitum excusari, quod secundùm se sit illicitum. Idem Augustinus lib. 1. de nuptijs & concupiscent. cap. 9. magis pertinere dicit ad bonum nuptiarum, si vnus & vna, quàm si vnus & multæ coniungantur. Per quod insinuare videtur retineri adhuc nuptiarum bonum, tametsi minus, si vnus pluribus copuletur.

Postremò obijcitur authoritas Gregorij 3. qui in epistola ad Bonifacium, secundam vxorem concedit cuidam ob ægritudinem vxoris iam antè ductæ. Ex quo consequens videtur etiam tempore legis euangelicæ licitam esse aliquo casu vxorum pluralitatem, saltem ex dispensatione pontificia; & proinde non rectè Innocentium excipere solum casum dispensationis diuinæ.

Sed ad hæc argumenta probabiliter sic respondemus. Et ad primum quidem, satis constare ex ijs quæ initio dicta sunt, polygamiam repugnare legi naturæ. Quamuis enim primarium finem non impediat, sed magis promouere videatur, impedit tamen fines secundarios; quemadmodum ibi satis declaratum est. Impedit autem eos per se, licèt interdum per accidens contingat ea impedimenta minui vel etiam tolli per bonitatem coniugum sic coniunctorum, quod tamen accidit rarissimè.

Ad alteram primæ obiectionis partem respondetur, matrimonium ex Dei institutione significare coniunctionem Christi cum ecclesia, non cum ecclesijs. Quæ significatio cùm in polygamia non reperiatur, saltem ex eo capite consequens est eam diuinæ institutioni repugnare.

Ad secundum potest dupliciter responderi. Aut enim Mardochæus & Esther legem naturæ excusabiliter ignorabant propter consuetudinem per illas gentes passim obseruatam. Non enim lex ista se habet per modum principij, sed per modum conclusionis, quę non statim cuilibet ex lumine rationis naturalis innotescit. Vnde etiam varietas opinionum nata est de polygamia licita vel illicita: Aut validum reuera fuit illud matrimonium non propter Assuerum, tanquam ei licuerit plures vxores accipere, sed propter Esther quæ erat de illo populo cui priuilegium polygamiæ fuerat diuinitus concessum, non tantùm si iungerentur cum suæ gentis ac religionis hominibus, verùm etiam si assumerent sibi alienas, vt patet de Dauide & Salomone & alijs; ac præterea si mulier aliqua populi Israelitici viro iungeretur alieno. Cuius ratio reddi potest, quia omnibus his modis poterat propagari populus Dei. Mulier enim fidelis etiamsi virum habeat infidelem, filios suos sanctificat vt indicat apostolus 1. Cor. 7. Itaque licèt non fuerit verum matrimonium Assueri cum alijs fœminis post primam vxorem ductis, vtpote infidelibus, apparet tamen hac ratione verum fuisse matrimonium cum Esther Iudæa.

Ad tertium, Hieronymus non loquitur de lege naturæ sed de lege Mosaica Deut. 17. & 22. &

Leuit.

Leuit. 16. quibus locis præsupponitur vt licitum, quòd Hebræi vxores habere possint plures vna. Ea autem lex Mosaica fuit quædam declaratio dispensationis diuinæ.

Porrò Augustinum de polygamia quatenus licita fuerit, vt in re perplexa obscurius locutum fuisse non est negandum. Nusquam tamen polygamiam vt simpliciter licitam defendit, sed magis improbat, vt libr. 1. de nuptijs & concupiscent. cap. 9. & libr. 1. de adulterinis coniugijs cap. 8. & 11. Quod ergo dicit polygamiam non fuisse contra naturam; naturam intellige non legem naturæ, neque naturam matrimonij, sed fœcunditatis ac generationis: quia nimirum vt alibi idem explicat Augustinus, plures fœminæ ab vno viro fœcundari possunt, vnde copiosior fit generatio. Negat autem fuisse contra morem, quia, vt ibidem exponit, illo tempore & loco talia fiebant. Sed quod fiebat ab alijs gentibus illicitè, fiebat à patriarchis licitè & sanctè propter Dei dispensationem.

Nec obstat quod suprà eodem capite dicit: Quando mos erat, crimen non erat; & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Sensus enim est, polygamiam apud eos, vbi moribus erat recepta, non potuisse pro crimine cuiquam obijci, sicut nūc quando moribus non est recepta; tametsi videtur Innocentius 3. cap. Gaudemus, morem interpretari ipsam diuinam reuelationem cùm ait: Nemini vnquam licuisse plures simul habere vxores, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum, quæ mos quandoque, interdum etiam fas censetur. Denique negat Augustinus polygamiam esse contra præceptum, quia nulla positiua lege erat tunc à Deo prohibita, sicut nunc Christianis. Consuetudinem autem vocat inculpabilem non omnibus sed patriarchis tantùm & eorum posteritati, quos à culpa eximebat diuina concessio.

Iam in eo quod dicit magis bonum esse, si vnus vni copuletur, impropria comparatio est, qualis fieri solet inter bonum & malum: in qua tamen hoc spectasse videtur Augustinus, quòd vnius cum pluribus coniunctio bonum aliquod adferat, quod in coniunctione vnius cum vna non perinde reperitur, videlicet numerosior proles. Quæ causa fuit dispensandi cum veteri populo. Nam si nullum ibi fuisset bonum peculiare, dispensatio præter legem communem locum non habuisset.

Ad postremum variè respondetur. Communis solutio est priorem mulierem propter perpetuam & natiualem impotentiam, qua inepta erat coniugio, non fuisse veram coniugem. Sed huic responsioni aduersatur, quod videtur Gregorius iudicare verum fuisse primum matrimonium, quod tamen solui non velit, sed ei secūdum superaddit; quia dicit virum non debere priori vxori subsidium sustentationis subtrahere. Adde quòd si non fuisset verum matrimonium, id pontifex debuisset declarare, & apertè dicere posse virum sine scrupulo alteram ducere; nec diceret, hoc magnorum est. Aliter proinde respondet glossa super rescripto Gregorij apud Gratianum 32. quæst. 7. cap. quod proposuisti: nempe pōtificem non concedere aliud coniugium tanquam iustum & legitimum sed tanquam minus malum respectu fornicationis cum pluribus, quæ illi viro erat metuenda propter eius incontinentiam. Quæ responsio si non placet, fatendum erit cum Gratiano rescriptum hoc Gregorij tanquā sacris canonibus imò euangelicæ & apostolicæ doctrinæ penitus aduersum, non esse recipiendum. Pontificem autem non voluisse aliquid tanquam fidei definire, sed solùm opinionem suam de re nondum definita alijs declarasse.

§. 7. Matrimonium esse suapte natura indissolubile.

TRactationi de polygamia coniuncta est altera de repudio. Vtrumque enim fidei coniugali aduersatur: illa quidem quatenus coniuges in iure coniugali facit impares; istud autem quatenus perpetuitatem coniugij tollit. Sed priusquam de repudio agamus, de eo quod repudio opponitur, id est, de matrimonij indissolubilitate, quid sentiendum sit, præmittemus: ac primùm quidem ostendemus ex ipsa naturæ lege matrimonij vinculum esse perpetuum & indissolubile, deinde ex lege seu institutione Dei positiua, firmiorem ei nexum accessisse. S. Thom. suppl. q. 67. art. 1. vide etiam q. 62. art. 5. & q. 44. art. 3.

Quod ergo ad primum attinet; nempe matrimonium esse sua natura indissolubile, monstratur id ad hunc modum.

Finis proprius matrimonij est proles, quæ & naturaliter ex actu matrimoniali, id est, concubitu sequitur. Eam parentes eadem naturę lege nutrire, fouere, instituere & ad perfectum perducere tenentur. Quæ quidem omnia facere non possunt nisi commanentes, mutuasque ad vniuersum hoc negocium operas præstantes. Oportet ergo eos qui prolem generant certos esse de cohabitatione mutua, tantisper saltem dum proles fuerit ad eum perducta statum & ætatem, in qua parentum cura iam non egeat. Quæ certitudo mutua obligatione firmata esse debet, quia alioqui non satis esset prospectum educationi prolis. Debet quoque per totum illud tempus permanere mutua inter eosdem potestas corporum ad rem coniugalem. Nam eā si non maneret, posset alter sui corporis potestatem in aliū aliquem transferre, & inde filios suscipere. Atque ita rursum malè prospectum esset educationi prolis ex priori matrimonio susceptæ; quia ob rationem iam dictam teneretur qui ex posteriori matrimonio prolem suscepit, posteriori coniugi cohabitare.

Cæterùm dicet aliquis abunde proli consultum fore, si mutua illa parentum eius inter se obligatio duret, donec proles ad perfectum perducta fuerit; ideoque saltem post illud tempus nihil obstare, quò minùs matrimonium soluatur, si naturæ legem spectemus. Cui respondeo nequaquam id esse consequens: quia cùm durante cohabitatione ostenderimus manere mutuam corporum potestatem ad vsum coniugalem, hac autem manente non possit non vtrique remanere ius exigendi debitum; seclusis impedimētis iā naturaliter ex ijsdē coniugibus sequitur noua generatio: siquidem ex quolibet concubitu nata est sequi proles; quare & illi proli postmodū natæ vel nasciturę consimiliter de educatione & debita institutione prospectum esse oportebit. Est igitur consequens matrimonia vsque ad finem vitæ alterius coniugum indissolubili nexu ligata permanere; videlicet bono prolis id necessariò exigente.

Rursum dicet aliquis: Fieri potest vt alia conuenienti ratione ac modo prouideatur educationi & institutioni prolis, etiam separatis parentibus: igitur nihil vetabit, quò minùs separentur coniuges saluo bono prolis ex coniugio susceptæ. Item, aliquando certum est prolem ex coniugio non secuturam ob sterilitatem vel senectutem alterius coniugis,

ingis, ac nonnunquam etiam ob infirmitatem vel captiuitatem perpetuam. Quo casu nihil incommodi metuendum est proli; vtpote quæ ex tali coniugio non potest sperari: poterunt ergo innoxiè talia coniugia dissolui, imò & vtiliter si qui sanus & fœcundus est, aliud contrahat matrimnnium ex quo prolem suscitet. Respondetur in legibus naturæ ea consideráda esse, quæ per se rei coniuncta sunt, non quæ per accidens aduenire possunt. Atqui nisi inseparabile sit coniugium, semper ex ipsa rei natura consequitur iniuria prolis, non obstante eo quod reipsa non semper sequitur: dum videlicet per humanam prouidentiam aliter illi malo obuiatur, quomodo etiam obuiari posset incommodis & nocumentis eorum qui nascuntur ex fornicatione; per quod tamen nemo concubitum fornicarium rectè dixerit à culpa excusandum. Quæ cùm ita sint, firmum adhuc manet quod diximus, ex lege naturæ matrimonium habere vt dissolui non debeat. Idem de sterilitate & similibus dicendum. Coniugium enim per se institutum est ad prolis generationem atque educationem. Per accidens autem euenit, vt sterilitas vel quid simile ei coniunctum sit, per quod fiat, vt proles suscitari nequeat; & proinde talis circumstantia facere non debet exceptionem in lege naturæ.

Confirmatur hæc naturæ lex & alia ratione. Nam si coniugium non esset sua natura indissolubile, non esset constans aliquod discrimen inter coniugium & concubinatum quo quis vna muliere contentus quidem est, non tamen vult ei fidem dare perpetuæ coniunctionis. Etenim finis vtriusque siue sit prolis generatio, siue Veneris vsus intra certos terminos, vtrique potest esse communis, & concubinatus huiusmodi etiam in longum tempus ex mutuo consensu vel etiam obligatione & contractu extendi potest. Vt ergo inter hæc certum discrimen constet, fateri necesse est coniugij vinculum ex lege naturæ esse perpetuum. Quòd autem sit inter hæc duo certum aliquod idemque essentiale discrimen, ex scripturis clarum est, quæ solas nuptias commendit, omnẽ verò aliũ concubitũ ita dãnant, vt per eum excludi hominẽ dicant à regno cælorum Rom. 1. Eph. 5. 1. Cor. 6. Gal. 5. Cuius ratio est: quia per quẽcumque alium viri & mulieris concubitum ex ipsa rei natura fit notabilis iniuria proli, quemadmodum rectè docet sanct. Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 2. Quam peccati rationem etsi minuat aliquo modo, non tamen euadit is qui prolem ex fornicatione susceptam seu per se seu per alios bene educat & instituit. Quæ etiã doctrina est Augustini lib. de bono coniugali cap. 11. & 14. Vnde & Aristoteles sola rationonaturali persuasus, fornicarium concubitum damnauit tanquam legi naturæ contrarium lib. 7. polit. cap. 16.

Est & alia ratio pro matrimonij perpetuitate. Per coniugium enim constituuntur vir & mulier tanquam principium vnius certi generis, sicut Adam & Eua constituti fuerunt principium totius humani generis: ergo non debent separari vt hoc genere derelicto singuli ad aliud genus constituendum transeant, quod fieret si soluto matrimonio aliud contraherent.

Postrema ratio: Infidelibus qui solam habent naturę legem, allicitum est dissoluere matrimonia & repudium facere, vt patet per Innocentium tertium extra de diuortijs cap. Gaudemus: ergo lex naturæ id prohibet.

Et huius rei argumentum est quod apud Romanos ab vrbe condita, quingentis & eo amplius annis repudium inter vxorem & virum nullum intercesserit, teste Valerio Maximo lib. 2. cap. 1. Nam primus, inquit, Spurius Caruilius vxorem sterilitatis causa dimisit. Qui quamquam tolerabili causa motus videbatur, reprehensione tameu non caruit; quia nec cupiditatem quidem liberorum coniugali fidei præponi debuisse arbitrabantur. Sic ille. Idem referunt Dionysius lib. 2. Gellius lib. 4. cap. 3. & Plutarchus in Thesei & Romuli collatione.

§. 8. *Eiusdem probatio ex lege diuina & sacramenti ratione.*

NAturalem legem confirmat lex Dei positiua, quæ primùm spiritu Dei prolata est in paradiso his verbis: *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Vbi obseruanda est vis illius verbi, *adhærebit*, Pro quo septuaginta reddiderunt προσκολληθήσεται, id est, adglutinabitur, quomodo etiam legitur apud Matthæum & Marcum. Significatur autem eo verbo coniunctio indissolubilis. Quæ enim glutino coniuncta fuerint, ea frangas facilius quàm soluas. Sed & vox Hebræa in Genes. 2. firmissimum nexum significat, vt annotarunt eius linguæ periti.

S. Thom. vbi sup.

Deinde lex illa Dei à Christo repetita ac per eum renouata est Matth. 19. imò & explicata quum docet ijs verbis: *Relinquet homo, &c.* significari vinculum indissolubile. Hoc autem docet cùm statim infert: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Et rursum quando addit, *Eum qui dimissa vxore aliam ducit, mœchari, & qui dimissam duxerit, similiter mœchari.*

Ad hanc diuinam legem à Christo in euangelio pronunciatam respexit apostolus 1. Corinth. 7. *Ijs qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego sed Dominus* id est Christus, *Vxorem à viro non discedere.* Generaliter autem siue naturæ legem siue diuinam allegat idem apostolns Rom. 7. & 1. Corinth. 7. quum dicit: *Mulierem alligatam esse lege*, id est, per legem astringi vinculo matrimonij, *quanto tempore vir eius viuit.*

Porrò tam lex naturalis quàm lex Dei positiua magis etiam confirmata est eodem authore Deo, per hoc quod in coniugio posita sit significatio rei cuiusdam sacræ, indissolubilis ac perpetuæ, id est, vnionis Christi cum ecclesia. Voluit enim Deus per matrimonium non tantùm significari coniunctionem illam mysticam, sed & per vinculum matrimonij vinculum coniunctionis illius mysticæ. Quæ significatio apta non est, nisi sicut huius coniunctionis nexus est indissolubilis, ita sit & illius. Hanc indissolubilitatis matrimonij rationem ex Eph. 5. desumptam inuenire est apud Augustinum compluribus locis, vt lib. de bono coniugali cap. 7. lib. 5. contra Iulianum cap. 9. & lib. 1. de nuptijs & concup. cap. 10. & 21.

Manifesta est de hac re concilij Florentini sententia in decreto de sacramentis, in quo sic habetur: *Tertium matrimonij bonum est indiuisibilitas matrimonij, propter hoc quod significat indiuisibilem coniunctionem Christi & ecclesiæ, &c.* & quamuis sint qui hanc sacramenti seu mysticæ significationis rationem non agnoscant in matrimonijs infidelium, probabilius tamen apparet eam omni matrimonio inesse, ex quo dictum est: *Erunt duo in carne vna.* Qua de re tractatum est ad dist. 26.

A Cæterùm huius doctrinæ de matrimonij insolubilitate probationem pleniorem additis testimonijs patrum & conciliorum, differimus in distinctionem 35. Cuius loci propria erit quæstio, num dissoluatur matrimonium per adulterium alterius coniugum; vbi etiam ad obiectiones aduersariorum respondebitur. Hoc loco sufficiet ad extremū subiecisse patrum Tridentini concilij sententiam ijs quæ à nobis paulò antè dicta sunt, consentaneam, ea initio sessionis 24. traditur ad hunc modum: *Matrimonij perpetuum indissolubilemq́ nexum primus humani generis parens, diuini spiritus instinctu pronunciauit, cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne* B *mea. Quamobrem relinquet homo, &c.* Et paucis interpositis: *Eiusdem nexus firmitatem ab Adamo tantò antè pronunciatam, Christus his verbis confirmauit: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Et canon 5. eiusdem sess. sic habet: *Si quis dixerit propter hæresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge dissolui posse matrimonij vinculum, anathema sit.* Qui canon peculiariter editus est cōtra recentes hæreticos, apud quos causæ in canone indicatæ, aliæque plures admittuntur pro matrimonio dissoluendo. Quibus similia docuit olim Berengarius hæresiarcha, quemadmodum de eo significat Guitmundus C initio operis contra eum scripti.

Iam verò quomodo huic doctrinæ non sit contrarium, quod ecclesia docet matrimonium inconsummatum per religionis ingressum dissolui, patet ex ijs quæ diximus ad distinctionem 27. quemadmodum ex ijs quæ infrà tradentur ad distinctionem 39. patebit non esse contrarium; quòd infidelium matrimonia quodam casu possint dissolui.

Sed vna est obiectio, cuius solutionem me non memini apud quemquam legisse: Contingit mutari D sexum vt Plinius & alij authores testantur. Refert Plinius lib. 7. cap. 4. quatuor exempla huiusmodi mutationis, quorum vnum ipse se vidisse testatur. Atqui matrimonium non consistit nisi in diuerso sexu: ergo mutato sexu alterius coniugum soluitur matrimonium per se ac suapte natura, sicut soluitur per mortem.

Responderi posset esse fabulosa quæ Plinius commemorat: cuiusmodi sunt quæ de Tiresia vate & de Sciytone quodam inter fabulas poëticas narrat Ouidius lib. 3. & 4. Metamor. Neque enim naturaliter fieri posse membrorum in quibus sexus consi- E stit, tantam mutationem. Quòd si fidem Plinianis exemplis non omninò denegandam putes, respondendum erit altero horum modorum: Vel reuerà dissolui matrimonium, non tamen inter virum & mulierem, quia vel ille vir esse desinit, vel hæc mulier; Scriptores autem huius exceptionis non meminisse, quia dubium est an possibilis sit casus: Vel permanere matrimonium sicut in alijs personis quibus superuenit impotentia coeundi per quamcumque membrorum mutationem vel mutilationem. Huius signum assignari posset, quod si secundò se- F xus mutaretur, sicut fabulantur de Tiresia primùm in fœminam, deinde rursus in virum mutato, deberet ea persona sic mutata coniugi cui aliquando matrimonio coniuncta fuerat, debitum reddere, sine nouo matrimoniali contractu.

§. 9. *Repudium an fuerit aliquando quibusdam concessum.*

QVamuis hæc vocabula, repudium & diuortium ferè ab authoribus in discreta significatione vsurpentur, ac si quid sit inter ea discriminis, id sit huiusmodi, quòd diuortium inter virum & vxorem fieri, repudium verò sponsæ remitti dicatur; docendi tamen gratia sic inter ea distinguunt doctores scholastici, quòd repudium significet distractionem matrimonij quoad substātiam seu vinculum coniugale, diuortium verò eiusdem relaxationem quoad torum & cohabitationem. *S. Thom suppl. q. 67. art. 3*

Igitur de diuortio quidem postea suo loco dicemus, hic autem de repudio agendum. Quod iam ex eo illicitum esse constat, quia vt modò ostensum est, tam diuino quàm naturali iure matrimonium omne est indissolubile.

Sed eo constituto quæritur, vtrùm sicut polygamia per se illicita, vtpote legi diuinæ ac naturali contraria, aliquando tamen Dei dispensatione permissa fuit ac licita, sic etiam de repudio sentiendum sit.

Quorumdam opinio est etiam super repudio Deum dispensasse tempore veteris testamenti cum populo Israelitico, sic vt tam mulier dimissa quàm vir dimittens ad alia matrimonia licitè transire possent. Hanc opinionem vt probabiliorem tenent Durandus, Scotus & Paludanus in hanc distinctionem, & Caietanus in Matth. 19. & Burgensis in Deut. 24. contra Liranum & Iosephus Angles & Bellarminus, At Abulensis in eundem Matthæi locum scribens adeo pro ea pugnat, vt indubitanter tenendam esse existimet.

Verùm hæc sententia ex eo quàm maximè improbabilis ostenditur, quòd nec authoritate scripturæ, nec Sanctorum exemplis nitatur, sicut illa de polygamia. Quod enim Abraham Agar vxorem dimisisse legitur, non vinculi coniugalis solutio, sed tantùm tori & habitationis separatio fuit, Deo certi mysterij significandi causa sic iubente. Nam ante repudij legem factum id fuit. Proinde hac in parte retinenda potius est sententia Magistri, quam & sanctus Thomas fatetur communius sustineri, licèt ipse neutrum videatur simpliciter affirmare. Idem sentit Dominicus & alij. Quorum omnium doctrina est, repudium Iudæis nunquam fuisse licitum, sed tantummodo impunè permissum. Cùm enim permissionis diuinæ complures sint gradus, hæc permissio eius generis fuit, vt non excusaret à culpa, sed tantùm liberaret à pœna; ne videlicet illi qui rem permissam facerent, temporali supplicio subijcerentur, tanquam adulteri & coniugalis fœderis violatores, quomodo permissum illis fuit fœnerari alienis.

Confirmat hanc sententiam primùm ac potissimùm authoritas Christi in euangelio Matth. 19. Cùm enim quærentibus Pharisæis, *Liceret ne homini dimittere vxorem quacunque ex causa*, respondisset non licere, eamque responsionem comprobasset exprimsa matrimonij institutione Genes. 2. proposuerunt illi obiectionem ex lege Deut. 24. *Quid ergo*, inquiunt, *Moyses mandauit dare libellum repudij & dimittere?* Tum Christus mandandi verbo in permissionem commutato, veram legis intelligentiam aperuit, dicens: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras. Ab initio autem non fuit sic.* Quasi diceret vera & legitima institutio matri-

monij

A monij id non patitur. Vnde nec Moyses mandauit tanquam bonum, sed permisit tanquam minus malum, eatenus obsequens duriciæ cordis vestri, vt hoc malum non puniret, ne peiora consequerentur. Quo etiam consilio vsuræ tolerantur in ciuitatibus, & in populo Iudaico toleratæ sunt exercendæ in extraneos. De qua re idem Moyses in Deuteron. capit. proximè præcedente ait: *Non fænerabis fratri tuo sed alieno.* Quod similiter permissiuè, non præceptiuè dictum esse in confesso est.

Adde quod videri potest ipsos etiam Pharisæos **B** in sua interrogatione mādati vocabulum intellexisse generaliter, quia Marcus capite 10. refert eos Domino interroganti: *Quid vobis præcepit Moyses?* respondisse: *Moyses permisit libellum repudij scribere & dimittere.* Quibus respondens Dominus ait: *Ad duriciam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.* Quo loco præceptum vel ad scriptionem libelli referendum est, vel generalem habet significationem vt etiam permissionem comprehendat. Illius ergo præcepti seu mandati, id est ordinationis diuinæ sensum quærebant Pharisæi, quem & Christus eis exposuit, **C** docens significatam esse nudam permissionem; qua nimirum permittuntur minora mala ad præcauenda deteriora. Certè satis constat Pharisæos non sensisse, quòd esset præceptum dimittere vxores, quia tantummodo quærunt, an liceat.

Eodem pertinet doctrina Christi Matth. 5. *Dictum est,* inquit, *Quicunque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij: Ego autem dico vobis quia omnis qui dimiserit vxorem suam &c.* Quem locum tractans Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 14. sic ait: *Qui præcepit dari libellum repudij, non hoc præcepit vt vxor dimittatur, sed vt dimittere volens det libellum repudij, vt iracundiam temerariam projicientis vxorem libelli cogitatio temperaret.* **D** Similia habet lib. 19. contra Faustum cap. 26. & in eundem locum commentans Hieronymus: *Moyses,* inquit, *libellum repudij dari iussit, non dissidium concedens, sed auferens homicidium.* Quod idem latiùs explicat in Matth. 19. Negat autem concedi repudium tanquam licitum, nam concessio solet intelligi licitorum. Itaque dare libellum in præcepto erat volenti dimittere, dimittere verò tantùm permissum ob duriciam cordis eius qui primæuam matrimonij legem seruare non posset.

Porrò hanc esse germanam legis intelligentiā, etiam ex ipsa lege potest ostendi. Nam Deut. 24. post repudij legem sequuntur hæc verba: *Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij, & dimiserit de domo* **E** *sua, vel certè mortuus fuerit, nō poterit prior maritus recipere eam in vxorem, quia polluta est, & abominabilis facta coram Domino &c.* Ideo videlicet polluta & abominabilis, quia cùm cæteri adulteri & adulteræ secundum legem morte plecti deberent, hęc absque metu legis, vtpote repudium & subsecutum alterum coniugium non punientis, adulterium perinde atque rem licitam ac legitimam publicitus & notoriè commiserit. Vnde & Ierem. 3. tali mulieri tanquam cum alio viro fornicatæ & ob eam causam **F** pollutę & contaminatæ comparat Ierusalem peccatricem, quæ à Deo recedens fornicata fuerat cum amatoribus multis. Veram ergo fornicationem, id est, adulterium his scriptura intelligit.

Cui etiam ratio suffragatur huiusmodi: Non est credibile Deum in iure naturali pariter ac diuino dispensasse ita generaliter nisi propter honestum finem, eumque ad religionem pertinentem. Quod enim ab eo dispensatum fuit cum Israelitis, vt plures vni viro ducere liceret vxores, causa multi**A**plicationis illius populi, qui erat populus Dei, & augmentandi cultus diuini factum fuit. Atqui talis aliquis finis in permittendo repudio non reperitur, sed sola eius ratio, attestante Domino, fuit duricia cordis Iudæorum. Nulla igitur ad repudium dispensatio fuit, sed nuda permissio seu toleratio mali minoris ad cauenda deteriora. Quòd si ob sterilitatem tantùm permissum fuisset repudium, videri posset id factum per dispensationem legis, ex causa multiplicationis iam dicta. Sed tamen nec illa ratio ad dispensandum sufficiens esse potuit apud illos **B** qui etiam retenta sterili aliam poterant vxorem ducere, quemadmodum fecisse leguntur Abraham & Iacob. Neque verò ratio illa sola fuit, ac fortassis omnino nec fuit, vt ex subsequentibus patebit.

§. 10. *Quæ fuerint causæ repudij apud Iudæos.*

QVas ob causas permissum fuerit Iudæis repudium, non conuenit inter authores. S. Thom. suppl. q. 67. art. 6.

C Quidam inter quos Paulus Burgensis scribens in Deut. 24. putant solius fornicationis, id est, adulterij causa id permissum fuisse. Alij verò nonnulli inter quos Abulensis quæst. 55. in Matth. 19. propter quamcumque causam atque adeo propter solum odium, nulla alia causa allegata fieri potuisse opinantur, eò quòd dicatur Deut. 24. *& ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij & dimiserit,* & Malach. 2. *Cùm odio habueris dimitte dicit Dominus.* Sed vtraque hæc sententia velut à media veritate recedens ex sacris literis refelli potest. Quod enim solum odium non suffecerit, patet ex his verbis Deut. **D** 22. *Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones quibus dimittat eam &c.* Non ergo satis erat odio moueri aduersus vxorem (poterat enim vir improbus odisse vxorem honestissimam & amore dignissimam) sed causas legitimas vel saltem probabiles odij proferre oportebat. Vnde etiam Deuter. 24. vbi lex repudij ponitur, cùm dictum esset. *Si non inuenerit gratiam ante oculos eius,* id est, si displicuerit viro, subiungitur, *Propter aliquam fœditatem* Quod ipsum in verbis postea sequentibus repetendum est, vbi dicitur, *Et ille quoque oderit eam,* subintellige propter aliquam fœditatem. Quod similiter intelligendum in verbis ex Malachia prolatis, quippe cùm Malachias ad legem Deut. sine dubio respexerit. Quod autem non solius fornicatio**E**nis, id est, adulterij causa permissum fuerit repudium, primum satis apparet ex vtroque iam citato Deuteronomij loco. Priori enim loco nominatur virginitatis amissio ante matrimonium; posteriori fœditas aliqua in genere.

Deinde propter adulterium secundùm legem lapidari debebat mulier, & ita locus non erat repudio. Quod si crimen probari non poterat, sed sola suspicione vir moueretur, iam locum habebat lex zelotypiæ.

F Præterea satis apertè docetur hoc ex euangelio. Cùm enim Christus negat vxorem dimittendam, *nisi ob fornicationem,* manifestè significat Iudæis alias etiam causas ex lege permissas fuisse.

Media igitur sententia tenenda est: videlicet repudium certis tantùm ex causis fuisse permissum Israelitis; ex ijs nimirum quæ aliquo modo obstare matrimonio videbantur. Erant enim Israelitæ imbuti moribus gentilium, præsertim Ægyptiorum ac præterea duræ ceruicis homines, ita vt ad rectitudinem diuinæ legis eos inflectere difficile esset.

Iam

Iam vt ex antiquis Romanorum legibus constat, certæ tantùm causæ erant, ob quas apud ipsos aliósque gentiles repudium legitimum habebatur, velut adulteriũ, sterilitas, veneficij suspicio, lepra, notabilis morum improbitas vel incommoditas aliæque huiusmodi. Quocirca non est verisimile Moysen extendisse suam permissionem in populo Dei vltra morem gentium. Quamquam nec satis verisimile est sterilitatis causa permissum fuisse Iudæis repudium, tum quia sterilitas non rectè potest fœditatis nomine comprehendi; tum quia licebat illis plures habere vxores, ita vt dimittendi sterilem non haberent eam causam quam Romani alijque populi, apud quos moribus non erat receptum, vt plures acciperent vxores.

Porrò sub aduentum Christi apud Iudæos adeo multiplicabantur repudij causæ, vt in quæstionem tandem verteretur, vtrùm ex qualibet causa id liceret, vt patet ex euangelio & similiter ex Iosepho l.4.ant. cap.16. Vbi etiam idem author testatur, non aliud in libello repudij scribi solitum, quàm paucula quædam verba, quibus vir confirmaret se cum ea quam dimitteret, nunquam postea conuenturum. Et reuera cùm libellus mulieri daretur in ipsius fauorem, & hoc velut instrumento publico munita alij viro nubere posset, non est admodum probabile in eo scriptas fuisse repudij causas, ne ipsa secum suam portaret infamiam.

Cæterùm putat Augustinus lib.19. contra Faustum cap. 26. ad scribas à viro recurrendum fuisse, per quos libellus conscriberetur, vt hac mora interposita, & accedente scribarum prudenti commonitione maritus à proposito reuocaretur.

§. 11. *Solutio eorum quæ pro repudio adferuntur.*

S.Thom. tam allegato articulo 9. 67 supp.

RESpondendum nunc ad argumenta quæ pro repudio facere videntur, siue tanquam licito sub lege Moysi, siue tanquam etiamnum concesso sub lege Christi.

Primum argumentum petitur ex Malach. 2. Vbi cùm dixisset propheta: *Vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere* subiunxit: *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel.* Respondet Hieronymus in commentatio, verba hæc dicta esse ex persona Iudæorum legem proferentium, in qua permittitur vxoris odiosæ repudium ob certas causas. Quibus à propheta responderi dicit id quod sequitur, scilicet: *Operiet autem iniquitas vestimentum eius, dicit Dominus exercituum*, eius nimirum qui vxorem excepta fornicationis causa dimiserit.

Verùm coactior videtur hæc interpretatio, præsertim cùm lex pœnam repudianti etiam præter fornicationis causam non minetur, sed repudium disertè permittat. Adde quòd omnino apparet ex persona prophetæ totam sententiam proferri. Poterit ergo probabiliùs ad hunc modum exponi prophetæ sententia: Noli despicere & abijcere vxorem quam in iuuẽtute duxisti, sed si odio habueris, id est, si iustam & legitimam odij causam aduersus illam habes, *dimitte*: id est, lex permittit tibi eam dimittere, causa cognita & probata, & dato libello repudij. Hoc enim qui faciebat, etsi peccaret, tamen lege factum hoc permittente non puniebatur. Est ergo conformis sensus huius loci cum loco Deut. 24. secundùm Christi expositionem, vt videlicet permissio intelligatur, non concessio. Iam quod sequitur *Operiet iniquitas vestimentum eius*, vel referri

A potest ad vxorem merito suo odio habitam & dimissam, vel potiùs ad virum qui secus fecerit, id est, qui vxorem adolescentiæ suæ despexerit, & non legitiuè à se dimiserit.

Secundum argumentum: Apostolus 1. Corint. 7. æqualiter dicit: *Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. &, solutus es ab vxore noli quærere vxorem.* Atqui posterius hoc non est præcepti, sed tantùm consilij; nempe *non quærere vxorem*: ergo & prius illud; *non quærere solutionem*, similiter consilij erit, non præcepti; & per consequens licebit ei qui alligatus est vxori, quærere solutionem, quod fit per repudium B seu dimissionem vxoris.

Respondeo, si hoc argumentum procederet, consequens fore, vt quacumque etiam ex causa, imò nulla ex causa liceat vxorem dimittere, quia iuxta hanc ratiocinationem, semper consilij tantùm erit, non quærere solutionem. Proinde dicendum non esse illa duo similiter intelligenda, sed alterum quidem vt præceptum; alterum verò vt consilium, id quod satis indicat apostolus, cùm de posteriori mox addit: *Si autem acceperis vxorem, non peccasti.* Nihil autem tale addit de priori, sed planè contrarium affirmat, tum eodem capite, tum alibi.

C Tertium: Chrysostomus in opere imperf. hom. 32. super Matth. 19. sic ait: *Moyses hæc vobis permittendo non vobis iustitiam Dei demonstrauit, sed à peccato abstulit culpam peccandi, vt quasi secundùm legem agentibus vobis, peccatum vestrum non videatur esse peccatum.* Ex quibus verbis quidam colligunt putãt dispensatum esse à Deo super repudio; quia, inquiunt, à peccato abstulit Dominus culpam peccandi, id est, quod alioqui peccatum esset, dispensando fecit vt iam non sit peccatum, sed à culpa liberum. Ad hoc primùm respondetur authorem illius operis non esse Chrysost. sed Arianum quendã eumq; non Græcum scri- D ptorem sed Latinum. Deindè nec talem esse qui repudio faueat, vt qui eodem loco manifestè doceat Moysen Iudæis repudium tanquam malum permisisse, ne peiora facerent. *Hæc*, inquit, *ratione permisit vos dare libellum repudij, quia melius iudicauit permittente lege matrimonia solui, quam odio compellente homicidiũ fieri. Permisit vobis mala facere ne faceretis peiora.* Quod ergo subijcit, Moysen à peccato abstulisse culpam peccandi, non aliud significat quàm quod peccatum permittendo abstulerit reatum temporalis supplicij, quod illi peccato alioqui statui de- E buisset. Quem sensum etiam sequentia verba satis indicant, *Vt peccatum vestrum non videatur esse peccatum*, quia carnalibus hominibus non videtur peccatum, quod in hac vita non punitur, eoque magis si etiam lege permissum fuerit.

Quartum profertur ex epistola Gregorij 3. ad Bonifacium, & habetur apud Gratianum cap. 32. quæst. 7. cap. *quod proposuisti.* At eo loco non agitur de dimittenda priori coniuge, sed agi videtur de alia simul assumenda ob prioris infirmitatem. Ad quod argumentum responsum est suprà, cùm de F polygamia ageremus.

Quintum: Deusdedit papa in epistola quæ habetur in volumine conciliorum, permittit tanquam ratum & licitum, vt coniuges qui proprios natos susceperunt in baptismo potiùs ab inuicem separentur, & nubant alijs, quàm vt inuicem carnaliter copulentur. Sed respondetur decretum illud nunquam ab ecclesia fuisse receptum.

Sextum argumentum est tale. Vetus lex quamuis gratiam non conferret, ostendebat tamen & prohibebat peccata teste apostolo Rom. 3. Vnde prophetæ dicitur Isa. 58. *Annuncia populo meo scelera*

eorum

corum & domini Iacob peccata eorum: ergo si repudium erat illicitum ac damnabile peccatum, vtpote adulterium inuoluens, omnino in lege & prophetis ostendi & prohiberi debuisset; præsertim cùm legis obseruatio sufficeerit ad salutem, dicente Domino: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Respondetur Christum satis docuisse ex lege, id est ex Moyse Genes. 2. repudium esse illicitũ, & primæ institutioni coniugij contrarium. Idem quoque satis insinuauit Moyses, quando dixit mulierem posteriori viro coniunctam, pollutã esse & abominabilem. Quod & Ierem. proph. repetiuit c. 3. Legis autem obseruatio sufficiebat ad salutem, quia omnia peccata quæcumque ab hominibus cõmitti poterant, erant vel directè vel indirectè contra aliquod decalogi præceptum; tametsi maior pars veteris populi velamen habens positum super cor suum, ea laborabat ignorantia, vt de ijs iudicare non possent. Quod non est mirum, cùm multi etiam Christiani, nisi à doctoribus instruantur, in talium rerum iudicio cæcutiant. Notandum autem idem argumentum æquè moueri posse de vsura in externos exercenda, de qua Deut. 23. quam tamen similiter Israelitis permissam tantummodo fuisse, non etiam concessam, inter Theologos conuenit. Imò de huiusmodi vsura fortius est argumentum. Nam talem vsuram lex Moysi nunquam improbat, hoc autem repudium subsequente mulieris matrimonio cum alio viro, quantum Deo displiceat, satis [illegible]errè significat, quando dicit eam pollutam & [illegible]minabilem factam coram Domino.

Cæterùm quatenus adulterij causa licitum sit dimittere coniugem, infrà suo loco tractabitur ad distinctionem 35. additis etiam ad argumenta contraria responsionibus. Eorum verò solutionem quæ probare videntur vxorem repudiari posse propter ingressum religionis, suprà dedimus ad distinctionem 27.

§. 12. *An Iudæi post repudium ad alias nuptias transire potuerint.*

S. Thom. suppl. q. 67. art. 4

IVxta eorum opinionem qui repudium diuina dispensatione Iudæis concessum fuisse putant, vt vera apud eosdem matrimonialis vinculi dissolutio erat, ita vera & rata matrimonia, quæ coniuges sic separati cum alijs contrahebant. Sed cùm potior sit sententia, repudium non concessionis fuisse sed nudæ permissionis, per quod proinde dissolui non potuerit vinculum coniugale inter virum & repudiatã, vtpote sua natura ac Dei instituto insolubile, quod dudum ostendimus; consequens hinc est tam viro quàm mulieri, post & per repudium nihilo plus iuris ac potestatis ad capessendas secũdas nuptias accessisse, quàm habebant ante repudium. Manifestum est autem non potuisse mulieré ante repudium alij viro nubere, ergo nec post repudium potuit.

Docet hoc scriptura Deut. 24. & Ierem. 3. quando pollutam & abominabilem factam coram Domino dicit talem mulierem alij viro coniunctam. Quod non esset, si coniunctio hæc legitima esset. Pollutam ergo dicit, quia nõ legitimè coniunctam, sed adulterio contaminatam. Christus quoque tam de muliere quàm de secundo eius viro pronunciat Matth. 5. *Qui dimiserit vxorem suam facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit mœchatur.*

Cæterùm de viro dimittente non est eadem ratio. Quamuis enim viro vxorem dimittenti, per repudium nihil accedebat iuris ad aliam ducendam, quia vt dictum est, vinculum primum non soluebatur, non tamen priuabatur eo iure quod ante repudium sibi competebat ex illa generali Dei dispensatione super polygamia. Quare sicut poterat priori vxore retenta aliam superducere, sic etiam priori repudiata aliam ducere potuisse censendum est. Neque enim hoc pacto dissoluebatur vinculum prius, sed priori addebatur nouum. Vnde Deut. 24. non dicitur, virum fore pollutum, si aliam duxerit, sed mulierem tantùm.

Non obstat autem sententia Domini Matth. 19. *Quicunque dimiserit vxorem suam & aliam duxerit, mœchatur.* Nam eo loco ijs verbis Domino propositum erat matrimonium reuocare ad institutionem, sublata etiam dispensatione polygamiæ. Atqui primæuæ institutioni vtrumque repugnabat, repudium & polygamia, sic tamen vt repudium nunquam licitũ esset, polygamia verò dispensatiuè concederetur ad tempus. Christus ergo tanquam naturalis ac diuinæ legis instaurator, vna sententia & repudij permissionem sustulit, & polygamiæ dispensationem abrogauit.

IN DISTINCTIONEM TRIGESIMAMQVARTAM.

§. 1. *Annotatio de matrimonij impedimentis in genere.*

S. Thom. suppl. q. 50.

OMNIBVS quidem ecclesiæ sacramentis cõmune est, vt vel ipsa secundùm se vel quoad effectus suos impediri possint, si videlicet aliquid ijs desit quod ad substantiam eorum vel solennitatem, vel præparationem requiritur; sed tamen matrimonio præ alijs sacramentis peculiare est vt multa ac varia habeat impedimentorum genera.

Cuius vna ratio est, quia matrimonium non tantùm sacramentum est, sed etiam contractus ciuilis. Possunt autem contractus natura vel lege varijs modis impediri. Altera, quia consummatur sexuum commixtione. Qua ratione similiter obuenire ei possunt quædam impedimenta.

Duplex autem impedimentorum matrimonij notanda est diuisio.

Prima hæc: Impedimenta matrimonij alia proueniunt ex lege naturæ, alia sunt ecclesiasticis legibus constituta.

Prioris generis sunt, *error, impotentia, coactio, cognatio in primo gradu*, ac plæraque alia: Posterioris, *tempus feriatum, ordo, cognatio in gradibus remotioribus*, & pauca alia. Neque enim dubitare fas est, quin possit ac potuerit ecclesia constituere impedimenta matrimonij non tantùm prohibentia ne contrahatur, sed etiam dirimentia contractum, quodque in ijs constituendis nunquam errauerit, Quemadmodum sub anathemate declarat synodus Tridentina can. 4. sess. 24.

Probatur autem hac ratione. Præfecti ecclesiæ tanquam Dei vicarij potestatem habent ferendi leges ad ecclesiæ gubernationem pertinentes. Tales autem sunt leges de matrimonio. Vnde & Moyses eadem legislatiua potestate vsus vetuit cum Chana-

næis

næris contrahi matrimonia Deuter.7.& in Leuitico A varia constituit impedimenta.

Quod adeo non est negandum ecclesiam posse, cùm potuerint etiam principes infideles circa suorum subditorum matrimonia, atque etiam possent fideles principes seculares, quatenus ab ecclesia permitterentur, vti fatetur Dominicus, & ratio suadet.

Altera diuisio: Impedimenta matrimonij alia impediunt contrahendum sed non dirimunt contractum; alia verò & ne contrahatur prohibent, & præterea contractum dirimunt: non quidem eo B sensu, quod matrimonium semel ratum ac firmatum soluere queant, sed quod efficiant, ne si fuerit attentatum, ratum fiat. Posterioris generis sunt quæcunque repugnant aliquo modo substantiæ matrimonij, siue propter defectum consensus, siue quia personæ non sunt legitimæ, prout circa definitionem matrimonij declaratū est ad distinctionem 27. Sūt autem ista quatuordecim numero, his versibus comprehensa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, C
Amens, affinis, si clandestinus, & impos,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Ex his quædam simpliciter inhabilem faciunt contrahentem, vt *votum, ordo, ligamen, amentia & impotentia.* Cætera verò tantùm certo modo, vel certo respectu.

Prioris generis quæ non attingunt substantiam matrimonij, neque impediunt quò minùs legitimæ sint personæ contrahentes, sed tantùm contrariantur præcepto, vt si fiat matrimonium sine solennitatibus præscriptis, vt sine bannis ac sine benedictione sacerdotis quod impedimentum vocari D solet ecclesiæ interdictum. Aut si fiat eo tempore quo nuptiæ celebrari prohibentur, quod vocatur tempus feriatum. De quibus duobus impedimentis sunt hi versiculi.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Sunt quidem & alia quædam impedimenta non dirimentia, vt votum simplex continentiæ, sponsalia, catechizatio cathecumeni, & sex crimina, scilicet incestus, raptus alienæ sponsæ, coniugium sacrilegum cum sanctimoniali, cædes vxoris, cædes presbyteri, & baptismus proprij nati; sed hæc ideo duobus illis non solent connumerari, quia omnia reducuntur ad impedimenta dirimentia, & cum illis solent explicari. Nam votum simplex reducitur ad votum solenne, sponsalia ad ligamen, E catechismus ad cognationem spiritualem, sex autem crimina ad crimen.

Porrò de quibusdam impedimentis iam dictum est in superioribus, vt de clandestinis matrimonijs & de interdicto ecclesiæ ad distinctionem 28. de vi seu coactione ad distinctionem 29. de errore ad distinctionem 30. de tempore feriato ad distinctionem 32. de amentia quæ complectitur omnem carentiam vsus liberi arbitrij, quid sit dicendum, satis constat ex ijs quæ de necessitate F consensus dicta sunt ad distinctionem 27. dicetur & infrà de furioso. De reliquis autem erit nunc deinceps agendum.

§. 2. *De impotentia naturali ad opus coniugale.*

IMpotentia operis coniugalis duplex est: alia naturalis, alia per maleficium procurata. Naturalis impotentia est quæ ex causa naturali prouenit, eam canones frigiditatem nominant, & qui ea laborant, frigidos. Vnde est in libr. 4. decretalium titulus de frigidis. Ab hac autem diuersa est sterilitas. Ea enim non coeundi sed generandi impotentia est. Neque inter impedimenta matrimonij numeranda venit, quemadmodum multis exemplis sacræ scripturæ doceri potest, vt Saræ, Rebeccæ, Annæ, Elizabeth. Cuius ratio est, quia consummatio matrimonij consistit in commixtione sexuum, ad quod opus etiam steriles mutuam corporum potestatem tradere possunt. Vbi etsi locum habere non possit primarius ac proprius matrimonij finis, qui est procreatio liberorum; habet tamen locum finis secundarius, nempe remedium incontinentię. Et idem iudicium est de ijs qui seu viri seu mulieres præ senio fœcundi esse desierunt, dum tamen, vt dictum est, ad opus coniugale sint non inepti.

S.Thom. suppl. q. 58 art. 1. & 2.

Cùm autem frigiditas de qua nunc agimus, alia perpetua sit, alia non perpetua, sed tantùm temporaria, non est vtriusque eadem habenda ratio, quoad contractum matrimonij. Siquidem ea sola quæ perpetua est, impedit matrimonium ne contractum ratum esse queat, vti constanter docent canones titul. de frigidis & Gratianus 33. quæstione 1. & 32. quæst. 7. cap. Hi qui, cum glossis eorundem canonum.

Ratio manifesta est ex iure naturæ. Nam per huiusmodi impotentiam tollitur id quod ad substantiam matrimonij pertinet; nimirum vt mutuò vir & mulier dent & accipiant corporum potestatem ad actum coniugalem. Is enim qui perpetua laborat impotentia, non habet quod ad illum vsum tradere possit; & proinde necesse est irritū esse eiusmodi contractum.

At si impotentia non est perpetua, ratū est matrimonium, vel certè suo tēpore ratum fieri potest. Nam si ætas legibus præscripta non desit, continuò ratum est, etiamsi impotentia nondum sit sublata. Sin verò ætas legitima nondum impleta est, ratum quidem non est, sed postea ratum effici poterit matrimonium, accedente potentia simul & nouo consensu contrahentium.

Porrò ne semper incertum inter coniuges maneat, vtrùm perpetua sit frigiditas, an temporaria duntaxat, iure pontificio determinatum est triennij tempus, quo exspectare debeant sic coniuncti priusquam separentur. Sic enim statuisse legimus Celestinum tertium ca. Laudabilem, extra de frigidis post Gregorium 33. quæstione prima capit. Requisisti. Neque tamen existimandum est hanc triennij moram & experientiam semper sufficere. Fieri enim potest vt post elapsum trium annorum spacium impotentia tollatur. Quo comperto præcipiunt canones virum mulieri quam duxerat, tanquam vxori suæ restitui, etiamsi fortè illa interim alij viro nupsisset. Quia enim deprehensum tandem est impotentiam non esse perpetuam, patet ratum fuisse prius matrimonium. Quo stante ratum esse non potest, quod postea contractum fuit.

Quod si verò huiusmodi impotentia perpetua demum superueniat post matrimonium iam contractum, dissolui matrimonium non poterit, vtpote semel validum, nihilo magis quàm si alter coniux post contractum matrimonium vel membris mutiletur, vel ex senectute contrahat impotentiam, vel in morbum perpetuum atque incurabilem incidat, per quem ad rem vxoriam prorsus ineptus efficiatur.

Cæterùm quibus modis impotentia illa naturæ deprehendi debeat, aut in foro ecclesiastico probari seu per testimonia seu alia via ac ratione, docent canones partim extra de frigidis, partim apud Gratianum 33. q. 1. & eorundem canonum interpretes.

§. 3. *Ad quæstiones aliquot circa prædicta responsio.*

S. Thom. ibidem. EX suprà dictis emergunt quæstiones aliquot, ad quas breuiter erit respondendum.

Prima, Vtrùm hoc genus impedimenti locum habeat in vtroque sexu. Ad quod respondetur affirmatiuè. Nam de viris quidem non est dubium. At in sexu fœmineo præter illud impedimentum (de quo meminerunt canones & interpretes extra de frigidis cap. ex literis & capit. consultationi) scilicet angustiæ membrorum à qua mulieres arctæ dicuntur, videtur etiam frigiditas locum habere, & quidem talis, cum qua matrimonium non consistat, licèt nonnulli dissentiant.

Secunda: An solui possit matrimonium inconsummatum, superueniente post eius contractum impedimento naturalis impotentiæ perpetuo. Ita enim sentire videtur Gratianus 33. quæst. 1. Sed & alios ita sentientes referunt Scotus & Richardus super hac distinctione. Verior tamen atque adeo communis sententia est, non posse solui, quia matrimonium inconsummatum non aliter soluitur quàm per ingressum religionis, vt ostendimus suo loco.

Tertia: Quid si impedimentum tolli quidem possit, sed non aliter quàm per artem magicam, vel fornicationem cum alio vel alia, sitne iudicandum perpetuum? Respondetur ita iudicandum, quamdiu non est actu ablatum. Ratio est, quia non censetur in proposito tolli posse, quod licitè & sine peccato tolli non potest. Verumtamen si fortè contingeret impedimentum vel illicito modo tolli, iam tenera illud non fuisse perpetuum euentus probaret, ideoque ratum ab initio fuisse prius matrimonium post cognitum impedimenti cessationem iudicandum esset, quemadmodum capite proximo pleniùs dicetur.

Quarta: An qui propter hoc impedimenti genus separati sunt, possint ad alias nuptias transire. Qua de re sic statuere videtur Gregorius 3. capit. requisisti. 33. quæstione prima, vt si separentur, debeant ambo manere innupti. Sed respondendum ex decreto Celestini tertij capit. Laudabilem, extra de frigidis, & ibidem aliorum pontificum rescriptis, mulierem post probatam triennij spacio mariti impotentiam, non prohiberi quò minùs alteri viro nubat, cùm tenera maritum non habeat, apta tamen sit matrimonio: viro autem propter impotentiam ad matrimonium inepto, id non licere. Et contrà, viro id licere, non mulieri, si separatio facta fuerit propter mulieris impotentiam perpetuam, quemadmodum statuit Alexander tertius eodem titulo, capit. ex literis. Quod autem Gregorius vult ambos manere innuptos, non præcepti est, sed consilij: vel certè de ijs loquitur qui ambo simili impedimento tenentur, vt videri potest ex initio decreti. Nam alioqui sub finem eiusdem decreti potestatem facit mulieri, post declaratam legitimè viri impotentiam ad alias nuptias transeundi.

Quinta: An illi quorum vterque vel alter eiusmodi impedimento perpetuo laborat, idque vtroque conscio, possint mutuo consensu in coniugio permanere. Respondetur omnino inter eos coniugium coalescere non posse, quantumcunque id mutuo consensu firmare conentur. Deest enim aliquid ad matrimonij substantiam necessariò requisitum; nempe mutua corporum potestas ad opus coniugale. Consulit tamen Gregorius in dicto capit. Requisisti, vt hoc casu vir mulierem, quam vt vxorem habere non potest, habeat vt sororem: id est, solo vinculo castæ & pacificæ cohabitationis sibi coniunctam. Verùm hæc coniunctio coniugium non facit, etiamsi pacto perpetuo firmata esset; vtpote qualis etiam inter fratrem & sororem, patrem & filiam aliasque inconiungibiles personas interuenire potest. Sunt & aliæ quæstiunculæ huc pertinentes, quarum explicationem apud Dominicum aliosque commentatores requirat studiosus.

§. 7. *Quæ impotentia ex maleficio proueniens matrimonium dirimat.*

FRequens experientia probat non modò per impotentiam naturalem, verùm etiam ac potissimùm per maleficia impediri homines ab actu coniugali. Vtrùm autem naturali frigiditate an maleficio quis impediatur, inde discerni potest; quia qui natura frigidi sunt, simpliciter & ad totum sexum inhabiles sunt: qui verò maleficiati, plærumque tantùm id patiuntur certæ alicuius personæ respectu. Quod discrimen etiam ex modo impedimenti intelligitur. Nam maleficiatis dæmon repente vel corpus aliquod obijcit, vel phantasiæ ingerit horrorem, vel aliam subitam corporis mutationem adfert, quale nihil patiuntur frigidi. S. Thom. supp. q. 58. ar. 2.

Porrò huiusmodi maleficia interdum temporaria sunt, interdum perpetua. Quæ enim ratione permittuntur dæmones homini nocere ad tempus, permitti possunt & per vniuersam vitam, sicut de quibusdam energumenis constat, tametsi causa huius diuinæ permissionis homines sæpè lateat.

Igitur sicut suprà de frigiditate, ita & hìc de maleficio cum distinctione pronunciandum est. Nam si maleficium perpetuum est & matrimonij contractum antecesserit, nullus est contractus. Cuius ratio eadem est cum superiori impedimento, quia videlicet tali maleficio implicatus dare non potest corporis sui potestatem, idque vel simpliciter, vel saltem huic personæ, respectu cuius maleficium patitur. Si verò maleficium non est perpetuum, ratum est matrimonium. Si denique maleficium aduenerit post contractum matrimonium,

iudem

itidem ratum fuit matrimonium, & proinde solui non potest.

Censetur autem maleficium aliquod perpetuum esse, non ex eo quia per Dei potentiam, aut etiam dæmonis aut malefici opera tolli non potest, sed qui non tollitur adhibitis per hominem ijs remedijs quæ licitè & rectè adhibentur: cuiusmodi sunt, preces, ieiunia, eleemosynæ, puta peccatorum confessio, frequens corporis Dominici sumptio, firma fides & fiducia in Deum. Item exorcismi aliaque huius generis, quæ ab ecclesia aduersus diabolica incantamenta præscribi atque adhiberi solent. Sic præcipit Pontifex capit. Si per sortiarias, 33. quæstione prima. Quod autem non nisi ope dæmonum curari potest, id incurabile & perpetuum censetur. Proinde sciendum est perpetuum hoc pacto dici maleficium, atque ex eo matrimonij impedimentum, quantum attinet ad iudicium ecclesiæ permittentis alterum matrimonium. Nam si de facto curent coniuges maleficium alio maleficio tolli, vel etiam si post contractum secundum matrimonium maleficiatus coeat cum priori, atque ita sentiat maleficium cessasse; significant hæc maleficium reuera non fuisse perpetuum, & consequenter prius coniugium verum fuisse conuincunt, licèt eius rei cognitio peccato interueniente fuerit accepta.

Iam vt probabiliter constet de maleficij perpetuitate, idem triennium quod per Gregorium & Celestinum locis supracitatis ad experientiam concessum est frigidis, conceditur etiam maleficiatis, vt probatur ex decreto Honorij tertij capitulo Literæ vestræ. Extra de frigidis & maleficiatis, cum adiuncta glossa eiusdem capituli. Quo quidem triennio finito, nec tamen interim cessante maleficio, separatio fieri poterit authoritate ecclesiæ.

Si quis obijciat per maleficium non tolli potentiam coeundi sed impediri tantùm, ideoque non posse valere ad dirimendum matrimonium. Respondetur sufficere impedimentum potentię, dummodo tale sit quod humanis & licitis medijs nequeat amoueri; vel potiùs dummodo sit perpetuum, ita vt pro nullo tempore possit dare sic impeditus corporis sui vsum.

§. 5. *An separati propter maleficium, possint alijs coniungi.*

Them. idem. POst legitimam maleficij probationem facta coniugum separatione, fit non alteri tantùm qui à maleficio immunis est, sed vtrique potestas aliud matrimonium contrahendi. Nam qui maleficiatus est respectu vnius, potest respectu aliarum esse liber à maleficio; ideoque non est prohibendus quò minùs aliam ducat, sicut prohibetur ob frigiditatem separatus. Qui enim respectu vnius frigidus comprobatur, is respectu omniũ talis iudicatur, eò quòd frigiditas simpliciter & non respectu certæ personæ tollat potentiam naturalem, maleficium autem plærumque non tollat, sed impediat non respectu omnium, sed certæ personæ dumtaxat.

Quod si tamen constaret aliquem respectu totius sexus esse maleficiatum, non posset ille vxorem ducere, sed eodem loco esset habendus cum frigidis, & quidem eo magis si per maleficium non tantùm impedita sed prorsus ablata & extincta (quod fieri potest) esset coeundi potentia. Nam hoc casu reuera inter frigidos esset deputandus.

Sed quæritur, vtrùm maleficiatus postquam in secundo matrimonio expertus est habere se facultatem operis coniugalis, debeat reuocari ad priorem coniugem. Sunt enim qui putant reuocandum esse vel simpliciter, vel saltem eatenus vt experiatur, num fortè maleficium respectu prioris coniugis cessauerit. Ita sentiunt Magister in textu & Gratianus 33. quæstione prima post capitulum Si per sortiarias. quibus huius capituli constitutio contrarium sonans non probatur. Imò glossator ibidem manifestè reprehendit eam constitutionem Hincmari Remensis archiepiscopi, quem ob id per allusionem ignarum vocat: addens ex quorumdam sententia nullum maleficium esse perpetuum, quin saltem per ipsum authorem tolli possit. Eandem opinionem sequitur Richardus in præsentem distinctionem.

Verùm omnino probabilius est non esse reuocandum. Primò, quia sic docet canon iam dictus, *Si per sortiarias*, in quo sic dicitur: *Sed postquam alias nuptias experierint, illis in carne viuentibus quibus iuncti fuerant, prioribus quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.* Hoc enim quod dicitur, *etiamsi possibilitas, &c.* non intelligitur respectu priorum à quibus sunt separati, sed respectum aliorum, quia videlicet non constabat eis, an quoad vniuersum sexum essent maleficiati, quod non ita esse post contractum aliud matrimonium didicerunt.

Deinde quia ratio idem docet. Nam cùm maleficiati inter se inhabiles, possint ad alias personas habiles esse, si post legitimam moram temporis ecclesiastico iudicio separati fuerint, simpliciter tale matrimonium irritum censetur, ita vt postea non oporteat vlteriorem adhibere experientiam aut probationem. Est enim adhibitum iudicium sufficiens quantum honestas permittit. Nam alioqui quoad viueret is qui maleficium passus est, experiri adhuc deberet, num esset respectu prioris impedimentum ablatum, quod certè nec honestas nec ratio patitur. Si tamen vel post longum tempus cum successu experiatur, certum id argumentum erit cessasse maleficium; & proinde eo casu ad priorem coniugem erit reuocandus. Quod etiam obtinet, si per maleficium tandem procurata fuerit maleficij cessatio. Hanc sententiam tenent Scotus & Dominicus in præsentem distinctionem & Abulensis super Matth. 19. Quod autem negant quidam vllum perpetuum esse maleficium, eò quòd saltem per authorem diabolum, vel maleficium ipsum solui possit, facilè id ex superioribus refellitur. Neque enim eiusmodi possibilitas obstat dictæ perpetuitati.



§. 6. *Maleficos vtrùm consulere liceat.*

S. Tho. 2. 2. q. 95. art. 1. & 4. Occasione impedimenti quod per maleficium matrimonio præstatur, quæri solet vtrùm liceat maleficos consulere, eorumque opera vti. Vbi priùs explicandum quid hæ voces maleficium, & maleficus significent.

Igitur maleficium generaliter quidem dicitur omne nocumentum quod quis alteri per malitiam infert. At speciali modo dicitur tale nocumentum, quod quis per inuocationem dæmonis aut quamcumque cum eo societatem infert homini, vel actio ipsa qua eiusmodi nocumentum procuratur. Malefici verò vocantur, qui dæmonum ope nocumenta procurant.

Ex quibus patet in maleficio duplex peccatum contineri, nempe societatem dæmonis, & nocumentum hominis. Quod si hoc posterius desit, non ita propriè vocabitur maleficium, tametsi etiam vulgo sic loquamur, vt cùm dicimus aliquem maleficium maleficio soluisse: vbi posteriori loco maleficium non illud dici quo nocumentum infertur, sed quo quod illatum fuerat, aufertur, manifestum est. Sic maleficos scriptura generaliter appellat Exod. 22. cùm præcipit: *Maleficos non patieris viuere.* Quamquam sciendum est etiam hac generaliori acceptione maleficia non carere suo nocumento, ac fortassis etiam grauiori iuxta veram rerum æstimationem. Ideo namque dæmones per maleficos aliquando beneficia præstant hominibus in corpore vel rebus fortunis, vt in anima grauiùs vulnerent: velut dum rem amissam indicant, vel à maleficio ex pacto desistunt.

Porrò vt ad quæstionem respondeamus, maleficos vel etiam cuiuscunque generis diuinos seu ariolos non esse consulendos, cuiuscunque commodi vel necessitatis causa, in sacris literis exploratum & certissimum est. Id enim cum grauissima interminatione prohibet Dominus Leuit. 19. Deuter. 18. Isa. 8. Rationem verò addit apostolus 1. Corinth. 10. dicens: *Nolo vos socios fieri dæmoniorum.* Et 2. Corinth. 6. *Quæ societas luci ad tenebras? aut quæ conuentio Christi ad Belial?* Quæ sententiæ docent omnem prorsus societatem homini cum diabolo coniurato humani generis hoste interdictam, illicitam & fugiendam esse. Contra quod peccant non modò malefici ipsi, & quicumque alij artes magicas exercent, quemadmodum ostendimus ad distinctionem septimam libri secundi, verùm etiam quicunque maleficos, diuinos, ariolos, aruspices, incantatores & quicquid est huius generis consulunt, siue ad inferenda nocumenta, siue ad eadem auertenda vel depellenda, siue ad consequenda beneficia. Hoc enim qui faciunt, eo modo per hominem contrahunt societatem cum dæmone, quomodo fit vt homo cum homine per epistolam vel nuncium vel interpretem societatem ineat. Non enim interest quoad hoc peccati genus, vtrumne immediatè per se, an verò mediatè per hominem magum quis cum dæmone consocietur, cùm sit vtrobique vera cum dæmone societas, quæ etsi peior sit cæteris partibus immediata quàm mediata, vtrumque tamen suo genere valdè graue est, & horrendum & execrabile peccatum, vtpote religioni contrarium, & ad apostasiam, id est, defectionem à Deo ad diabolum diuini honoris æmulum pertinens, id quod plenius monstrauimus loco iam citato. Ex quibus patet in quanto salutis suæ discrimine versentur, qui cum reprobo Saul 1. Reg. 28. & cum impio Ochozia 4. Reg. 1. siue de rebus occultis, siue de futuris rerum euentibus diaboli ministros consulunt. Quo in numero sunt haud dubiè qui pro rebus amissis aut ablatis veridicos, quos vocant, accedunt, & qui maleficia maleficijs pellunt, aut pelli procurant, vt & illi qui fortunam suam vt loquuntur, manibus ad inspectandum datis per quoscumque homines explorant. De toto hoc genere apud Gratianum 26. quæst. 7. cap. Non obseruetis, legitur ad hunc modum: *Qui autem talibus credunt, aut ad eorum domum euntes aut suis domibus introducunt & interrogant, sciant se fidem Christianam & baptismum præuaricasse, & vt paganum & apostatam & Dei inimicum iram Dei grauiter in æternum incurrisse, nisi ecclesiastica pœnitentia emendatus Deo reconcilietur.* Item quæstio. 5. ex Ancyrani concilij canon. 23. sic legitur: *Qui diuinationes expetunt & morem gentilium subsequuntur, vel in domos suas huiusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte magica aut expiandi causa sub regula quinquennij iaceant secundùm gradus pœnitentiæ definitos.* Quem canonem etiam videre est apud Iuonem parte 11. decreti cap. 2. Rursum apud Gratianum quæstione proximè citata per complures canones sub grauissimis pœnis anathematis atque alijs prohibetur tam clericis quàm laicis ne damnatas artes exercentibus vllo modo credant, aut eos consulant. Peccati verò grauitatem ostendit sanctus Augustinus libro secundo de doctrina Christiana capit. 33. & in expositione psalmi 57.

§. 7. *Refutatio falsæ cuiusdam opinionis circa prædicta.*

Quorundam opinio est non esse illicitum, si quis ad tollendum maleficium vel ad consequendum quodcumque beneficium vtatur opera malefici seu diuini, seu incantatoris, dummodo sua sponte paratus sit ad tale quid præstandum, id est, si consulat eum non rogando, neque inducendo eum vt faciat, sed malo eius in suum commodum vtendo, si lubens faciat. S. Tho. 2. 2. q. 78. Quam opinionem probari putant argumento à simili, quia licet pecuniam ad vsuram accipere ab eo qui ad vsuram date paratus est. Licet quoque iusiurandum suscipere ab eo quem scimus per falsos deos iuraturum. Item licet vti opera mali sacerdotis in recipiendis sacramentis, quem tamen non dubitamus in eorum administratione grauiter peccare: licet etiam vti mercenarijs verbi diuini ministris, id est, ijs qui vel quæstû, vel inanem gloriam in eo ministerio principaliter spectant, de quibus apostolus Philip. 1. *Dum omni modo, inquit, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Ex quibus consequi videtur quod similiter incantatoris parata ad malum voluntate vti liceat ad vtilitatem nostram.

Verùm hæc opinio, quamuis authores suos habeat Aureolum super hac distinctione, & Angelum in summa verbo superstitio, sine dubio tamen falsa est, imò & periculosè erronea; id quod ex scripturis & canonibus supracitatis clarissimè patet, vbi generaliter agitur de ijs qui maleficos ac diuinos consulunt, siue inducendo inuoluntarios, siue interrogando voluntarios; præsertim cùm id genus homines plærumque sint ad hoc opus voluntarij, tum propter quæstum quem inde percipiunt, tum quia diabolo sese addixerunt, id quod canonum authores

thores ita generaliter loquentes non ignorauerunt.

Ad argumentum autem facilis est responsio; nempe ea quæ pro similibus allata sunt, non esse similia. Sunt enim quædam opera ita mala vt rectè fieri nequeant: Alia verò sunt quæ & malè & benè fieri possunt, in quo genere sunt iurare, mutuum dare, sacramenta administrare, verbum Dei prædicare. Hæc enim cùm per se bona sint, malè fiunt si iuret quis per falsos Deos, si mutuum det cum pacto recipiendi aliquid vltra sortem, si quodcumque opus per se bonum praua intentione corrumpat. In priori autem genere est maleficium & diuinatio, & horum consultatio atque omnino quæcumque societas cum dæmone, vt quam per se malam iam esse ostendimus. Licet ergo vbi iusta est necessitas, aut vtilitas, id ab alio petere, atque in id consentire, quod ab eo rectè fieri potest, nempe vt iuret, aut mutuum det &c. tametsi sciamus eum id non rectè facturum. Non licet autem petere vel consentire, vt id faciat aliquis, quod ab eo rectè fieri nequit, etiamsi sit ad id faciendum paratissimus, cuiusmodi sunt effectus maleficiorum, & prædictio futurorum; quia secundùm apostolum Roman. 1. *Digni sunt morte non solùm qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

§. 8. *Utrùm signa maleficij destruere seu remouere liceat.*

S. Thom. 2. 2. q. 95. & 96

Difficilior est quæstio & inter doctos controuersa, liceatne destruere seu remouere signa à malefico ad nocendum posita, aut maleficum rogare vt ea destruat, aut eundem pœnitentem ac peccatum suum confitentem monere vel etiam compellere vt id faciat.

Et quidem nulla quæstio est, quin in contemptum ac detestationem magicæ superstitionis ipsiusque diaboli liceat maleficij signa tollere, destruere atque abolere, cùm Dominus præcipiat Deuteron. 7. & 12. omnia idololatriæ monumenta velut aras, lucos, statuas penitus disperdi, & Iosias rex qui præceptum hoc fuit diligenter executus, multum eo nomine commendetur 4. Regum 23. vnde & Ioannes apostolus testatur 1. epistolæ 3. *In hoc apparuisse filium Dei vt dissoluat opera diaboli.* Quod etsi de peccatis propriè videatur intelligendum, iuxta illud Christi ad Iudæos Ioannis 8. *Vos facitis opera patris vestri*, scilicet diaboli; rectè tamen etiam extenditur ad externa instrumenta idololatriæ & artium magicarum.

Sed in quæstionem vertitur, an eiusmodi signa destruere vel amouere liceat hac spe & intentione, vt dæmon nocere desinat, atque omnino vt nocumentum cesset.

Affirmatiuam tenent Henricus à Gandauo quodlibet. 5. quæstione 33. quem sequitur Scotus in hanc distinctionem, asserens id non modò licitum sed & meritorium esse. Idem sentit Dominicus hoc loco & Nauarrus cap. 11. enchiridij numero 29. & ante eos Caietanus tomo secundo tractatu 12.

Verùm negatiua pars præterquam quod tu- A tior est, quibusdam etiam omnino vera videtur, ob has rationes.

Prima, Qui signum tollit ea spe vt nocumentum cesset, miscet se pacto quod malefico cum diabolo intercessit; Quod quidem est huiusmodi, vt signo posito nocere diabolus incipiat, manente nocere pergat, ablato desinat; ergo societate quadam diabolo coniungitur in pactis & sacramentis ab eo institutis. Quæ res vt pleniùs intelligatur, sciendum est diabolum, si naturali suæ potentiæ permittatur, vt dictum est ad distinctionem septimam libri secundi, plurimum B posse homini nocere, non solùm damna rerum fortuitarum, sed & morbos & mortem inferendo. Nec enim deesse ei voluntatem talia faciendi, sed eam à maiori potestate Dei & sanctorum angelorum impediri. Permittitur tamen interdum nocere tum in pecoribus & iumentis, tum in alijs rebus, adeóque in corpore & vita hominis, vt ex historia Iob est manifestum: sed quod permittitur, ideo sæpe non facit, vt homines metu quodam ad sui venerationem pertrahat, ac varijs superstitionibus implicet. Denique vt in anima grauiùs C noceat. Non enim tam quærit nocumenta nostra corporalia quàm spiritalia, & ad nocendum in spiritualibus ordinat, quicquid facit in temporalibus nocendo. Vnde Leo sermone 19. de passione Domini, de dæmonibus loquens: *Cùm*, inquit, *eis nihil in quemquam amplius liceat quàm iustitia diuina permiserit, agunt tamen versutissima arte fallacia, vt ex arbitrio propriæ potestatis aut lædere videantur aut parcere; & multis, quod dolendum est, ita per nequitiam simulationis illudunt, vt quidam illos & timeant pati infensos, & velint habere placatos cùm beneficia dæmonum D omnibus sint nocentiora vulneribus, quia tutius est homini inimicitiam diaboli meruisse quàm pacem.* Hæc ille. Porrò diabolus quò faciliùs id quod intendit, assequatur, ac pro Deo tandem honorari se faciat, ex imitatione veræ religionis etiam signa velut sacramenta quædam instituit, quorum vsu ac positione certi effectus ipso procurante proueniant, qui rursum eorundem signorum amotione cessent; non quòd signis insit vis aliqua nocendi, sed quòd diabolo satis sit se per talia signa honorari, qui posset, si vellet, etiam sine signis nocere, & manentibus signis E à nocendo desistere, & amotis in nocendo persistere.

Igitur qui huiusmodi signum amouet eo fine, vt cesset nocumentum, non aufert diabolo potestatem nocendi (non enim Deus vsque ad illum terminum tantùm ei nocere permisit; alioqui enim magis esset signum Dei quàm diaboli) sed saltem tacitè ab eius voluntate expectat nocumenti cessationem, idque ex pacto inter illum & maleficum inito. Quod qui facit, illi pacto se miscet, & per hoc societate quadam dæmoni con- F iungitur, contra illud: *Nolo vos socios fieri dæmoniorum*, Ac perinde facit atque si diabolo diceret: Pactus es amoto signo te cessaturum à nocumento, nunc igitur me signum amouente, præsta quod promisisti, & nocere desine.

Accedit ad huius confirmationem secunda ratio huiusmodi: Qui signum tollit spe nocumenti cessaturi, eum effectum non expectat à causa naturali, neque à voluntate humana, neque per miraculum à voluntate Dei aut virtutum cælestium, igitur expectat eum à diabolo, & proinde opus illud su-

perstitiosum est, quod probatur ex generali ratione superstitionis.

Accedit & tertia ratio quæ talis est: Non tantùm res quæ ponitur, vel amouetur, est signum diaboli, sed & actio circa rem, vt ponere ad nocendum, relinquere ad nocumenti perseuerantiam, amouere ad nocumenti cessationem, sicut non tantùm aqua est sacramentum Christi, sed etiam ablutio per aquam facta: ergo sicut qui ponit signum, exercet sacramentum diaboli, sic & qui amouet. Exercet enim vterque actionem ad eum effectum consequendum, ad quem non aliter valet quàm ex diaboli instituto seu voluntate.

Quarta ratio: Diabolus nunquam spõte cessabit à nocumento corporali, nisi vt grauiùs noceat in anima, cùm sit hostis noster capitalis semper cupiens quàm maximè nocere, ideoque iuxta Leonis sententiam suprà citatam *beneficia eius omnibus sunt nocentiora vulneribus*: ergo per cessationem nocumenti quæ fit amoto signo, grauius infert nocumentum vel amouenti vel maleficiato, vel vtrique.

Quinta ratio: Si licet signa maleficij amouere, vel ad eam rem implorare opem malefici, igitur quoties quis maleficium patitur, nec aliud succurrit remedium quo adiuuetur, tenebitur procurare signi amotionem, sicut tenetur homo ægrotus licito ac possibili modo curare, vt sanitati restituatur. Peccaret enim, si sic à Deo sanitatem expectaret, vt interim medici consilia negligeret. Vnde S. Thomas in commentario 2. epistolæ B. Pauli ad Corinth. super illud capitis 11. *Et per fenestram in sporta demissus sum per murum & sic euasi manus eius*, docet apostolum id facere debuisse his verbis: *Quamdiu adest humanum auxilium, homo non debet confugere ad auxilium diuinum; quia hoc esset tentare Deum, sed debet vti illo auxilio quantum potest; apostolo autem nondum deerat humanum auxilium*: Sic ille doctor. Atqui nemo quod sciam eorum, qui in aduersa sententia sunt, docet hominem aliquando ad destruendum vel mouendum maleficij signum ex conscientia obligari, sed tantùm disputant, an licitè fieri possit.

Sexto: Si id licet, ergo illi rectè faciunt, qui maleficis ad quæstionem adductis abradunt omnes pilos corporis, ne quo maleficij signo corpori inhærente reddantur insensibiles, ideoque ad confessionem per tormenta cogi non possint: quod tamen videtur satis manifestè superstitiosum. Vnde Franciscus à Victoria in relectione 12. de arte magica: *Si*, inquit, *ad expulsionem dæmonum radunt pilos aut capillos aut aliquid huiusmodi, est magia manifesta. Nam veri sancti qui gratiam Dei habent nunquam vtuntur talibus ritibus & obseruationibus, &c.* Vbi etiam nota rationem additam; ea namque locum habet in proposito. Sancti enim nunquam leguntur amouisse signa maleficij pro cessatione mali, sed magis vetuerunt, vt mox dicemus.

Septimò probari posse videtur ex eo, quod Dominus dicit in euangelio: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & ieiunio.* Sensus enim est, non aliter rectè ejici: ergo si quis dæmon illius generis intrasset in aliquem per maleficium, non liceret egressum eius procurare per signi ablationem.

Octauò probatur ex eo, quod commemorat Hieronymus in vita sancti Hilarionis, ad quem cùm adducta fuisset puella à dæmone obsessa, & dæmon clamaret se inuitum ad puellam obsidendam venisse, vtpote vi maleficiorum coactum, nec se posse eam relinquere, nisi priùs ablatis signis sub limine positis, vetuit vir sanctus signa perquiri, & orationis virtute dæmonem expulit, *Ne*, inquit Hieronymus, *aut solutis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem*: igitur tam ex beati Hilarionis quàm Hieronymi sententia, perquirere & tollere signum, vt cesset nocumentum, ad incantationem pertinet. Et certè alioqui non ad miraculum diuinum rectè confugisset Hilarion, sed remedium facile ac promptum de signis amouendis, si licitum erat, præscribere debuisset, ne Deum tentare videretur; præsertim cùm signa iam sponte indicata essent. Nam vt ait Augustinus libro 22. contra Faustum capit. 36. *Pertinet ad sanam doctrinam, non tentare Deum quando habet homo quod faciat*

Postremò apud Gratianum 33. quæst. 1. cap. Si per sortiarias, vbi enumerantur legitima remedia maleficij, nulla fit mentio requirendi ac destruendi signi, nec quisquam alius veterum ecclesiæ patrum inuenitur, qui de remedio hoc tanquam licito loquatur.

§. 9. *Ad argumenta diuersæ opinionis responsio.*

QVæ pro contraria opinione adferuntur argumenta, huiusmodi ferè sunt. *S. Thom. vbi sup.*

Primum, *Christus venit in mundum vt destruat opera diaboli* 1. Ioann. 3. ergo Christi imitator est, qui maleficiorum signa, quæ diaboli sunt opera, destruit. Respondetur non ita destruenda externa diaboli opera, vt construantur interna, quæ sunt in animo hominis, vt superstitio & societas cum diabolo. Nam neque peccatum quod propriè diaboli opus est, destruere licet per aliud peccatum.

Secundum: Licet tollere maleficos è medio, ne per illos diabolus ampliùs noceat; ergo & signa tollere licet, ne per ea noceat. Responsio. Malefici non occiduntur quasi ipsi sint signa diaboli, quibus manentibus noceat, sublatis nocere desinat, aut quasi illorum occisio sit instituta ex pacto quodam cum diabolo, vt ea facta diabolus desinat nocere, sed occiduntur sicut alij facinorosi, propter crimina commissa, & cauetur ne deinceps libera voluntate similia pacta ineant cum diabolo.

Tertium: Si malefico non licet amouere signum, ergo videtur esse perplexus; quia nec ei licet relinquere, quamdiu enim relinquit, causa est nocumenti quod proximo infertur. Respondeo relinquendo non peccat, modò resipiscat. At neque relinquendo causa est nocumenti, sed eius causa fuit inuocando dæmonem & paciscendo cum eo, de quo pacto pœnitere debet & Deum orare, vt diaboli potestatem reprimat.

Quartum: Saltem tollere signum licebit, si Deus dederit diabolo potestatem nocendi, vsque ad amotionem signi, & non vltrà. Sic enim expectabitur effectus à Deo. Respondetur id putare esse opinionem superstitiosam, quia Deus non paciscitur cum diabolo; quod si faceret, iam signum illud non minùs Dei quàm diaboli sacramentum esset, vt suprà diximus.

Quintum: Non fallitur opinione, qui putat diabolum accepisse à Deo potestatem nocendi, nec is qui putat eum nocere posito & manente signo. Denique nec is qui putat eum à nocendo desistere signo ablato: nulla ergo superstitiosa opinione ducitur qui signum tollit. Responsio. Non est ne-

cesse vt qui peccat, fallatur opinione, saltem in principijs, sed sufficit vt id quod malū est, amplectatur, siue sciat esse malum siue non, vt in alijs peccatorum generibus patet: adeo vt nec ipse maleficus signa componens necessariò fallatur opinione, quem tamen peccare certum est. Peccat autem iste in eo quod cum diabolo init societatem, vtens eius sacramento ad quod ab eo institutum est, id est, ablatione signi ad tollendum nocumentum.

Sextum: Signi amotio per se non est mala, nec finis per se malus, nempe nocumenti cessatio: ergo nihil vetat tale medium ad talem finem ordinari. Hoc argumentum est Henrici à Gandauo: Sed respondetur simili prorsus argumento etiam ipsam signi positionem si fiat ad præstandum beneficium, vel maleficium repellendum, imò omne ferè superstitionis genus, si innoxium habeat effectum, excusari ac defendi posse.

Itaque dicendum quod sit superstitiosum aliquid referre ad finem ad quem neque naturaliter, neque ex Dei institutione valeat. Licèt enim medium & finis in se bona sint, mala tamen esse potest & indebita applicatio medij ad finem, vnde etiam huius patet argumenti solutio: Si fornicatio vel ebrietas non esset per se mala, liceret ea vti ad sanitatem: ergo cùm amotio signi non sit per se mala, licebit ea vti ad noxam depellendam. Respondetur enim ebrietatem & fornicationem, si quo casu ad sanitatem conducunt, vt quidam medici volunt, naturaliter ad eam conducere: constat autem amotionem signi non habere ordinem naturalem ad cessationem nocumenti.

Septimum: Si duo reges sic inter se paciscantur, vt stāte domo vel arce aliquā alter alteri præbiturus sit auxilium cōtra tertium, liceret tertio cum intentione dissoluendæ illius conspirationis & tollendæ sententiæ impugnationis arcem vel domum illam destruere, neque per hoc contraheret societatem cum alterutro rege: ergo neque in proposito periculum est alicuius cum dæmone societatis, illi qui signum maleficij euertit, vt dæmon cum quo ad nocendum maleficus pactus est, nocere desinat. Respondetur etiam in exemplo contineri societatem aliquam illius tertij cū altero vel vtroque rege, quia ab alicuius voluntate ex pacta conditione obseruata, expectare beneficium vel maleficij cessationem quæ in proposito parta sunt, ad aliqualem cum eo societatem pertinet. Sed ea societas cum homine quantumuis malo non est toto genere illicita, sicut cum diabolo & angelis eius, vt suprà probatum est.

Si dicas, signo ablato tolli ac finiri pactū maleficij cum dæmone, sicut arce destructa finitur & expirat fœdus illud duorum regum. Respondetur hoc etiam concesso adhuc illicitam esse signi ablationem. Sicut enim signi positio etiamsi talis fortè sit, vt per eam dissoluatur pactum quod erat inter maleficum & dæmonem, illicita est & ad societatem cum dæmone pertinet: ita & signi ablatio. Nihil interest enim siue vsque ad signi alicuius positionem velint dæmon & maleficus pactum valere & nocumentum durare, siue vsque ad ablationem, vnde sicut ponere non licet vt pactum destruas, ita nec auferre.

Octauum: Licet declinare à loco vbi positum est signum per quod omnes transeuntes afficiuntur maleficio, ergo & auferre signum licet. Respondetur longè aliud esse de fuga loci in quo diabolus sine per signum siue sine signo pertranseuntibus infestus est, aliud de signi amotione. Nam fuga & declinatio loci in quo homines malè tractantur à quocumque seu dæmone seu homine, naturaliter ordinata est ad euitationem mali, in quod quis incideret, si eum locum pertransiret: signi autem amotio naturaliter ad hoc nullo modo est ordinata, nihilo magis quàm signi positio ad hoc ipsum vel eius contrarium. Videtur autem ad fugam simplicem pertinere, & proinde excusari posse, quod quidam, ne maleficio aliquo impediantur ab ope[...] [...]gali, dant operam vt matrimonium contraha[...] à quibus maleficium metuunt, ignorantibus [...] sicut fugere locum, vbi diabolus nocet, ita fug[...] personas per quas nocet, & hoc agere vt factum nostrum cui insidiantur, eas lateat, non videtur esse superstitionis, sed cautelæ. Cauendum tamen ne per hoc fiat quicquam inordinatè atque indebitè circa matrimonij sacramentum, sed tam huius sacramenti quàm sacrificij missæ solennitates & ceremoniæ quoad locum & tempus & cætera, ab ecclesia præscriptæ seruentur.

Obijcitur denique sententia communis in contrarium. Sed respondetur nullam hîc esse cōmunem sententiā nisi modernorum, eò quòd antiquiores & celebriores scholastici, vt S. Thomas, Bonauentura, Durandus & alij hanc quæstionem non attigerunt. Authores autem suprà nominati attigerunt tantùm, non etiam excusserunt. A quorum proinde sententia discedere cum alijs quibusdam doctis ob rationes suprà positas non est inconueniens. Nam & communes sententiæ re meliùs examinata interdum corriguntur, vt verbi gratia, quod episcopatus non est ordo.

§. 10. *An cum furioso verum fiat matrimonium.*

De furiosis breuiter annotandum nullum cum ijs sic affectis, id est in furia constitutis contrahi matrimoniū, vnde Fabianus papa apud Gratian. 32. quæst. 7. *Neque furiosus*, inquit, *neque furiosa matrimonium contrahere possunt.* Nam quod continuò subiungit, *Sed si contractum fuerit, non separentur*, intelligi debet de eo quod ante furiam contractum fuit. Sensus enim est: Sed si iam antè contractum fuit, non separentur. Huius autem doctrinæ ratio est, quia furia vsum rationis adimit; & proinde consensum, qui ad substantiam matrimonij requiritur, tollit. Quare si furia seu amentia perpetua sit & sine intermissione, nunquam contrahere matrimonium poterit qui ea laborat, sicut nec vllum alium ciuilem actum facere. Si verò non sit perpetua & continua, contrahere poterit eo tempore quo rationis habet interualla; tametsi huiusmodi matrimonia quantum per incontinentiam vtriusque vel alterius licet, dissuadenda sunt, propterea quòd furiosi & quicumque amentes inepti sunt ad prolem educandam. Cuius tamen rei defectus suppleri poterit aliquo modo per coniugem sanū, aut certè per propinquos, vti fit vtroque parente mortuo. *S. Thom. suppl. q. 58. ar. 3.*

Quòd si denique furia perpetua accesserit post contractum matrimonium, efficere non poterit quò minùs illud ratum, vt iam antè erat, permaneat, quemadmodum de hoc casu & alijs similibus docet Nicolaus papa apud Gratianum 32. quæst. 7. capit. Hi qui matrimonium, & Fabianus modò citatus. Vnde rectè Timotheus Alexandrinus Græcus scriptor interrogatione 15 si vxor in furiam conuersa sit, censet non licere marito dicenti se continere non posse, aliam ducere; *Quia*, inquit, *esset adulterium.*

Vbi tamen Balſamon (qui fuit ex poſterioribus Gręcis de matrimonij vinculo nó recte ſentiétibus) annotat quod ex nouella Leonis Imperatoris conceſſum ſit, ſi inſania vxoris perpetua fuerit, aliã ducere ſoluto prioris matrimonio, verùm ea lex Imperatoris non eſt legi Chriſti de matrimonij inſolubilitate conſentanea, vti nec doctrina poſteriorum Græcorum.

Ad id autem quod quæritur, an furioſo coniugale debitum ſit reddendum; Reſpondetur hominem in mentis alienatione poſitum, propriè debitum non exigere. Eſt enim debitum exigere actus rationalis voluntatis. Reddendum tamen eſt debitum petenti eo modo quo amentes petere poſſunt, id eſt, qualecumque ſignum dantí naturalis illius inclinationis, idque ad occurrendum eius incontinentiæ, ſi modò alter coniux ſine ſuo periculo ei commiſceri poteſt.

§. 11. *De impedimento matrimonij propter inceſtum.*

S. Thom. ſuppl. q. 58. art. 4.

AD impedimenta matrimonij quæ proueniunt cauſa criminis commiſſi, pertinet imprimis illud quod oritur ex inceſtu.

Vocatur autem inceſtus generaliter apud Latinos authores omne ſtuprum quod committitur cum ea, cum qua alioqui non erat futurum legitimum matrimonium, vt cum matre, ſorore, ſacris virginibus, ac ſimilibus.

Cæterùm vſu eccleſiaſtico ſtrictiùs accipitur pro ſtupro *Quod quis cum ſua vel vxoris conſanguinea committit in gradu prohibito*, id eſt, intra quartum gradum.

Circa hoc impedimentum primò ſciendum eſt ſecundum antiqua iura ſtuprum cum aliqua commiſſum impedire matrimonium poſtea contrahendum cum quacunque eiuſdem mulieris conſanguinea, & ſi de facto contractum poſtea fuerit, irritum facere, etiamſi forte ſponſalia ante eiuſmodi concubitum contracta fuiſſent. Sic reſcripſerunt Innocentius 3. & Alexander 3. vt habetur extra de eo qui cognouit conſanguineam vxoris cap. 2. 7. 8. & 9.

Idem quoque ſignificat canon 45. concilij Triburienſis. Eodem pertinere videtur decretum Zachariæ papæ à Magiſtro citatum in textu & à Gratiano 32. quæſt. 7. tametſi ab illis intelligatur de inceſtu tempore matrimonij commiſſo. Nouiſſimè verò ſynodus Trident. cap. 4. de reformatione matrimonij rigorem antiqui iuris relaxans ſtatuit impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium contractum dirimit, ad eos tantùm extendi, qui in primo & ſecundo gradu coniunguntur.

Eſt autem hoc loco notandum, quod etſi fornicatio cum conſanguinea futuræ vxoris, non ſit propriè inceſtus, cum nondum contracta ſit affinitas, quia tamen poſtmodum ducta vxore quandam inceſtus ſpeciem acciperet fornicatio præcedens, meritò tale ſtuprum reſpectu futuri matrimonij, quod ad impedimenti cauſam attinet, inceſtum interpretatur eccleſia.

Iam ſi quæratur huius impedimenti ratio, ſatis conſtat eam non ſumi ex natura rei ſicut rationem eius impedimenti quod oritur ex vera affinitate. Eſt enim legi naturæ contrarium vt affines ſeu cognati inter ſe coniugio copulentur, non item vt copulentur inter ſe, quorum alter alterius conſanguineam per fornicationem antea cognouerit: ſed pendet hoc ex ſolo poſitiuo iure eccleſiæ, quæ pro maiori dignitate & honeſtate matrimonij decreuit per talem concubitum in ordine ad matrimonium contrahendum, quandam affinitatem oriri, ex qua videlicet impedimentum matrimonij naſcatur, ſimili quodam modo atque ex vera & propriè dicta affinitate.

Porrò quod attinet ad inceſtum propriè dictum, qui videlicet committitur cum conſanguinea vel affini vxoris, quæ iam in matrimonio habetur, diſſoluere quidem eiuſmodi fornicatio non poteſt vinculum matrimonij iam contracti, ſiue etiam non conſummari, cùm ſit vinculum illud indiſſolubile, vt ex ſuperioribus patet; impedit tamen inceſtuoſum ab vſu matrimonij eatenus, vt ei non liceat debitum exigere, quemadmodum apertiſſimè ſtatuunt canones decretales titulo ſupradicto & apud Gratianum 32. quæſt. 7. Idem tamen inceſtuoſus reddere debitum coniugi innocenti non prohibetur, imò lege coniugij ad reddendum tenetur, vt habetur eodem titulo cap. Tuæ fraternitatis.

Quod autem habet canon ex Aurelianẽſi concilio tam à Magiſtro citatus in textu, quàm à Gratiano 27. quæſt. 2. cap. Qui dormierit, quod nec propriæ vxori liceat ei debitum reddere qui cum eius ſorore dormierit; ſiquidem ſignificat vt prima facie videtur, quod vxori innocenti non liceat vllo modo commiſceri viro ſuo qui cum ſorore eius inceſtum commiſit: dicendum erit eum canonem ab eccleſia non recipi, quia ſic continebit manifeſtam iniuriam coniugis innocentis; tametſi nec reperiri dicitur canon ille in vllo concilio Aurelianenſi eorum quæ hodie extant. At verò quidam non malè ſic eum canonem intelligunt, ſcilicet prohiberi vxori, ne viro petenti debitum reddat, tanquam debitum; ita tamen vt ipſa non prohibeatur debitum ſuum ab eo exigere. Hic enim ſenſus verbis canonis ſatis aptè congruit, quæ ſic habent: *Nec propria vxori licet ſibi reddere debitum, quam ſibi reddidit illicitam, ſororem eius cognoſcendo.*

Notandum præterea circa hoc impedimentum non referre ſiue inceſtus vtriuſque modi iam dicti ſit occultus, ſiue manifeſtus & notorius, quantum videlicet attinet ad matrimonium, vel eius vſum impediendum, tametſi à iudice ſeparari coniuges, vel alter ab altera diſcedere non debent, niſi inceſtu legitimè probato, vt eſt eodem titulo, capit. De illo.

Porrò canones illi qui inceſtuoſum coniugem priuant iure petendi debitum, quia pœnales ſunt, diſpenſationem haud ægrè admittunt, quam propter incontinentiam vtriuſque vel alterius coniugis, & grauamen innocentis, cui ſoli neceſſitas petendi debiti hoc caſu incumberet, conſultum eſt vt nunc ſe habet hominum infirmitas, primo quoque tempore petere, & petentibus non denegare. Quam diſpenſandi poteſtatem penes epiſcopos eſſe concors eſt doctorum ſententia.

Poſtremò notandum, quæ dicta ſunt de viro inceſtum committente, eadem planè & conformiter intelligenda de muliere, ſi ſimile crimen commiſerit.

IN DISTINCTIONEM TRIGESIMAMQVINTAM.

§. 1. *Coniugem dimitti posse causa fornicationis.*

S. Thom. suppl. q. 62. ar. 1.



GIT hac distinctione Magister de diuortio, id est, de ea coniugum separatione quæ fit saluo vinculo coniugali.

Pro cuius rei pleniore intellectu primùm distinguenda est triplex separatio coniugum. Prima quoad vinculum, secunda quoad torum seu concubitum, tertia quoad habitationem.

Deinde circa duas posteriores separationes notandum est eas interdum fieri ad tempus, interdum verò de iure perpetuas esse. Quæ res in progressu per exempla fiet manifestior. Et prima quidem separatio iuxta morem scholarum repudium vocatur: at reliquæ duę, siue perpetuæ sint, siue non perpetuæ, diuortij nomine designari solent: vt iam suprà dictum est, ad distinctionem 33. vbi de repudio agebatur.

Quamuis autem huius temporis sectarij ferè non aliam agnoscant matrimonij solutionem, quàm quoad vinculum, certissimè tamen cum ecclesia catholica tenendum est, pluribus ex causis posse matrimonium consummatum inter fideles solui quoad torum & cohabitationem vinculo manente insoluto, siue id fiat ex consensu mutuo ipsorum coniugum, velut dum continentiam voueant perpetuam, & ad religionem transeunt; siue sine consensu, dum alter alteram ob crimen aliquod à se dimittit.

Quæ doctrina ex perpetuo ecclesiæ vsu, & sacris canonibus manifesta est, vt videre licet in decretalibus, titulo de diuortijs. De quo etiam Trid. concilij patres ita statuerunt sessione 24 can. 8. *Si quis dixerit ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter coniuges quoad torum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumue tempus fieri posse decernit; anathema sit.* Quod autem huiusmodi separatione vinculum coniugij non soluatur, partim ex ijs quæ de matrimonij insolubilitate dicta sunt ad distinctionem 33. manifestum est, partim ex infrà dicendis manifestiùs euadet.

Vt igitur primùm de diuortio quod fit ob crimen fornicationis cum Magistro disseramus, certum est & indubitatum ex Christi verbis in euangelio, quòd licitum sit homini coniugem dimittere causa fornicationis, id est causa adulterij perpetrati. Sic enim ait Dominus Matth. 5. *Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Quod etiam apostolus significauit 1. Corinth. 7. *Præcipio vxorem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*; tametsi causam fornicationis ibi non exprimat. Quod enim iusta discessus causa ijs verbis significata sit, monstrat Augustinus initio libri primi de adult. con. per aliquot capita. Sed tamen apertiùs est in hanc sententiam quod Sapiens ait Prouerb. 18. *Qui tenet adulteram, stultus est & insipiens.* Vnde patet non tantùm licitum esse huiusmodi diuortium, sed & præceptum certo casu, de quo postea suo loco.

A Porrò separationem hanc qua coniuges propter adulterium separantur, eam oportet intelligi quæ perpetua sit: hoc nimirum sensu vt coniux qui adulterium commisit, iure potestatis quam in corpus alterius habebat, maneat simpliciter & in perpetuum priuatus, nec deinceps etiamsi pœnitétiam egerit, repetere coniugé iure possit, exceptis casibus post explicandis. Atque id est coniugem simpliciter à carnibus suis abscindere.

Huius autem euangelicæ simul & naturalis legis ratio & æquitas vt intelligatur, considerandum est coniuges sic pares esse in re coniugali, vt vter-B que sit altero superior potestate exigendi debitum, ac vicissim vterque altero inferior obligatione reddendi. Sicut ergo grauissimum crimen in Deum vel regem committit, qui Deo vel regi non solùm subtrahit debitam subiectionem, verùm insuper ab eo deficit ad aduersarium, atque eius se subijcit potestati: ita in negocio coniugali grauissimum crimen meritò habetur, si coniux coniugi non modò debitum deneget, sed ab eo ad alium tanquam aduersarium deficiat, eique se submittat. Aduersarium dico, quia fieri non potest, vt alius quispiam cum vero coniuge communem habeat hanc potestatem; C & proinde quicumque eam vsurpat aut affectat, aut omnino sibi patitur deferri, meritò aduersarius æstimatur.

Cęterùm vt à Deo apostatis & à rege profugis grauissima supplicia decernuntur; ita coniux læsus qua ratione superior est, iure permittitur delinquenti grauissimam pœnam infligere, quæ quidem in ipsius sit potestate. Quare cùm adulterum à se separare non possit diruptione vinculi coniugalis, quod Deus esse voluit perpetuum & insolubile; proximum est vt eum à suo corpore in æternum separet, sic vt deinceps ei nunquam faciat sui corpo-D ris potestatem.

§. 2. *Responsio ad duas quæstiones huc pertinentes.*

PRo declaratione dictorum quæritur, quid nomine fornicationis seu adulterij hîc intelligatur. Deinde, num Christi sententia etiam in occulta fornicatione locũ habeat. Ac prioris quidem quæstionis sensus est, vtrùm fornicationis seu adul-E terij nomine solum intelligatur adulterium propriè dictum, vt à peccatis quæ contra naturam fiunt, distinguitur; an verò ea quoque adulterij nomine comprehendi debeant. — S. Thom. suppl. q. 62. ar. 2 & 3.

Quidem canonum interpretes super capitulum Mariti, extra de adulterijs & glossa super cap. Omnes 32. quæst. 7. negant huiusmodi peccata sub fornicatione comprehendi in verbis Christi. At Aquinatis in hanc distinctionem scribentis & aliorum quorundam Scholasticorum, vt Paludani, Siluestri, Dominici, astipulante etiam Panormitano, F probabilior est & communior sententia, cætera libidinum flagitia etiam quæ contra naturam committuntur, nomine fornicationis contineri, & ad diuortium faciendum sufficere. Siquidem fornicationis vocabulum, vt constat hoc euangelij loco, adulterium significare, ita & aliàs ad omnem illicitum coitum extendi solet, vt patet ex verbis Augustini & Isidori, quorum illa citantur à Gratiano 32. quæst. 4. cap. Meretrices, hæc autem quæst. 7. cap. Non solum.

Hanc sententiam confirmant verba Hieronymi in epistola 147. ad Amandum presbyterum, So-

doniæ peccatum & cætera flagitia inter iustas diuortij causas annumerantis.

Quod autem nonnulli putant procurationem sterilitatis, & fœtus interfectionem etiam comprehendi nomine fornicationis in sententia Domini, & sufficientem præbere causam diuortij perinde atque adulterium, non est probabile. Hæc enim ad homicidium pertinent, à quo toto genere distant peccata carnis, ad quæ sola extenditur fornicationis nomen.

Ad alteram quæstionem breuiter respondendum, si coniugis fornicatio alteri coniugi certò nota & comperta sit, sed adhuc ita occulta vt eam in iudicio probare non possit, poterit quidem innocens fornicantem à toro repellere, & petenti debitum negare, quæ est separatio quoad torum. Cuius ratio est, quia scit iam se ex Dei lege & proinde coram Deo solutum esse ab obligatione reddendi debiti.

Cæterùm non poterit eum è domo sua dimittere, id est, diuortium facere quoad habitationem, donec crimen fuerit sufficienter probatum, nisi fortè etiam præter sententiam iudicis sit ita publicè notum, vt iudiciario processu non sit opus. Ratio est, tum quia occultum peccatorem infamare non licet: tum quia publicam pœnam nemo nisi iudex publicus inferre debet, nec id nisi pro crimine legitimè probato, præterquam si sit notorium, vt diximus. Sic docet Alexander tertius capit. Porro, extra diuortijs.

Pertinet ergo sententia Christi etiam ad occultam fornicationem, quantum ad tori diuortium attinet, sed non quantum ad diuortium cohabitationis.

His autem non repugnat, quod Hieronymus in Matth. 19. scribens ait: *Vbicumque est fornicatio & fornicationis suspicio, liberè vxor dimittitur*, quæ verba citat etiam Grat. 32. q. 1. ca. Dixit Dominus. Non enim vult Hieronym. duas esse causas dimittẽdi vxorem, scilicet fornicationem, & suspicionem fornicationis, sed illam quidem nominat vt causam dimittendi, hanc autem vt modum probandi causam, quia vt apud Gratianum annotat glossator, per suspicionem probatur fornicatio, adeo quod vxor dimittitur propter suspicionem fornicationis, quod tamen ibidem rectè exponitur non de suspicione temeraria, neque etiam de probabili duntaxat, sed de ea quam violentam vocant, id est, sumptam ex coniectura vel coniecturis quæ cogant ad assentiendum. Quanquã etiam probabilis suspicio intelligi potest, non tanquam causa dimittendi, neq; tanquã causam sufficienter probans, sed vt causa inquirendi certiorem ac sufficiẽtem probationem, qua apud iudicem facta, liberè possit vxor dimitti.

Porrò quinque dubia quæ circa hanc eandem quæstionem monet Dominicus distinctione 36. art. 3. apud ipsum authorem breuiter & clarè explicata legat studiosus.

§. 3. *Quænam esse possint aliæ causæ dimittendi coniugem.*

S. Thom. suppl. q. 62. PRæter causam fornicationis alias esse causas ob quas coniux à coniuge dimitti possit, ipsumque coniugium solui quoad torum & habitationẽ, certissime nos docet perpetua traditio & praxis ecclesiæ, partim sacris canonibus comprehẽsa, partim decreto concilij Trid. confirmata can. 8. de matrimonio nuper citato.

A Sunt autem generatim duæ causæ propter quas possint coniuges fideles post consummatum matrimonium separari, modo iam dicto. Vna est continentia perpetua, altera crimen. Et propter illam quidem ex consensu separantur coniuges, si videlicet ambo continentiam perpetuam voueant, siue ad religionem vterque transeat, siue etiam vterque vel alter in seculari habitu remaneat iuxta canones. Huius autem separationis plurima extant in historijs exempla. Quæ omnia fundantur in hac Christi sententia Matt. 19. *Omnis qui reliquerit domum* B *aut patrem aut matrem aut vxorem* &c. *propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Loquitur enim ibi Dominus de dimissione vxoris non causa fornicationis, de qua locutus fuerat initio cap. sed quæ fiat vt ait, *propter nomen ipsius*, quomodo fecerant apostoli; nimirum causa sequendi Dominum.

Cæterùm ob crimen dimittitur coniux etiam non consentiens. Ac de crimine quidem fornicationis iam diximus, & infrà plura dicemus. De alijs autem criminibus cuiusmodi sunt impietas, apostasia, C hæresis, latrocinium, sacrilegium & similia, generaliter annotandum, non esse licitum cuiquam propter has causas dimittere à se coniugem eo modo quo dimittitur causa fornicationis, id est, perpetuum cum eo diuortium facere, ac iure petendi debiti simpliciter priuare; cùm Christus de hac re præcipiens, solam exceperit fornicationem: quia per hoc solum crimen iuxta significationem eius suprà expositam, amittitur ius potestatis coniugalis, sic vt innocenti liberũ sit facto diuortio vouere Deo perpetuam continentiam, imò & ad religionem transire, quod facere ei non licet facta dimissione propter D alia crimina.

Veruntamen licebit dimittere coniugem hæreticum, vel aliàs impium, aut facinorosum aut sæuum, si ab eo vel ipsi coniugi, vel liberis immineat periculum aliquod animæ aut corporis, vt si sit periculum ne eius hæresi aut impietate, aut sceleratis moribus inquinentur, & ad peccatum pertrahantur, vel ne ab eo interficiantur. Sed hæc separatio fit tantùm iure ac via defensionis, non autem iure matrimoniali ob violatam coniugij fidem. Vnde si periculum huiusmodi non subsit, locum habere debet quod dicit Hieronymus in Matt. 19. ad illud: *Si ita est causa hominis* &c. *Graue pondus vxorũ est*, inquit, *si excepta causa fornicationis, eas dimittere non licet. Quid enim si temulẽta fuerit, si iracũda, si malis moribus, si luxuriosa, si gu-* E *losa, si vaga, si iurgatrix, si maledica, tenenda erit istiusmodi? volumus, nolumus, sustinenda est. Cùm enim essemus liberi, voluntariè nos subiecimus seruituti*, &c.

Quoniam autem, vt iam diximus, dimissio quæ fit propter crimina à fornicatione diuersa, habet se per modum defensionis; hinc sciendum est, quòd coniux taliter dimissus, vel dimissa, recipi debet mox vt constiterit eum conuersum & correctum esse, quemadmodum præcipit Vrbanus tertius, *Extra de diuortijs*, capit. De illa. ratio patet, quia cessante crimine, cessat contagionis & homicidij F periculum.

Quamquã si coniux hæreticus iudicio ecclesiæ separatus fuerit, in foro externo non tenetur eum coniux recipere, etiam pœnitentem, vt eodem cap. declaratur. Cuius ratio adhuc eadem permanet, nempe periculi euitatio, & propriæ salutis ac liberorum cura. Cùm enim multæ sint fraudes & simulationes hæreticorum, meritò sibi suisque adhuc metuet coniux ab hæretico reconciliato, ne fortè non syncerè conuersus sit. Si tamen

tamen ex animo conuersus ac verè correctus videatur, ad eum recipiendum tenebitur in foro conscientiæ.

Porrò de modo dimissionis iam explicato, loquitur Hieronymus, quando eum etiam qui nobis sit coniunctissimus, dimitti vult ac separari, & iuxta euangeliū abscindi, si nos scandalizet, id est, ad ruinam impellat. Scribens enim super Matth. 18. ad illud: *Si manus tua scandalizat te*, &c. sententiam illam Domini etiam ad vxorem dimittendam extendit, atque ita demum illius loci explicationem concludit: *Melius est vitam solitariam ducere, quàm ob vitæ præsentis necessaria æternam vitam perdere*. Huc quidem etiam refert Magister distinctione 39. verba quædam Augustini ex capit. 16. de fide & op. vbi sic legitur: *Rectissimè dimitti vxorem si viro suo dicat: non ero vxor tua, nisi mihi de latrocinio diuitias congeras, aut nisi solita lenocinia exercetas, aut si quid aliud vel facinorosum vel flagitiosum in viro nouerat. Tunc enim ille cui hoc vxor dicit, si veraciter egit pœnitentiam ab operibus mortuis, membrum quod eum scandalizat, fortiter amputat, &c.* Sed loquitur ibi Augustinus non de vtroque coniuge fideli, sed de iis quorum alter ad fidem conuersus est, altera in infidelitate permanente, & cum viro remanere nolente nisi flagitia facinora aut flagitia exerceat: quo casu significat ita dimitti vxorem, vt cóiugij vinculum soluatur. Qua de re agemus infrà ad dictam distinctionem.

§. 4. An dimitti possit propter coniugalis debiti negationem.

S. Thom. in. 4. sent. q. 1. ar. 1. vide etiam q. 4. art. 1. & q. 67.

POstremò quæri potest, an coniugi liceat coniugem dimittere obstinatè negantem debitum coniugale, si sit eius rei in iudicio conuictus, vel vltrò confessus. Ita enim videri potest ex eo, quod sicut fornicatio ita debiti coniugalis negatio, fidei coniugali aduersetur. Sed respondendum generalem esse Christi sententiam dicentis: *Omnis qui dimiserit vxorem excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Constat autem debiti negationem non esse fornicationem, neque generali fornicationis nomine comprehendi, ac proinde nec causam esse dimittendi, eo modo quo coniux ob fornicationem dimittitur. Sensit hoc Augustinus quando libro 2. de adulter. con. cap. 19. coniugem annoositate illicita continentem, ponit inter eos, qui extra casum fornicationis tolerandi sunt.

Nec obstat ratio in contrarium allata. Quamuis enim qui debitum negat, contra fidem coniugalem delinquat, parte tamen aliqua eaque potiori fidem seruat. Non enim alteri cuiquam sui corporis potestatem facit. Quocirca non pari animaduersione puniri debet cum adultero: sic videlicet vt in perpetuum à suo coniugis separetur. An autem iustitia permittat, vt vicissim ad tempus coniugali debito fraudetur, si postea fortè debitum repetat, non liquet. Ac magis apparet non permittere, cùm generaliter scriptum sit 1. Corint. 7. *Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro*, Et iterum: *Nolite fraudare inuicem.* Quæ sententiæ quod in præsenti casu exceptionem patiantur, nec scriptura docet, nec ratio cogit. Quicquid tamen sit de lege iustitiæ, certè lex charitatis id non admittit, si coniugi propter negatum debitum immineat ab incontinentia periculum.

Si quæras, an debitum pertinaciter negans saltem eo modo dimitti possit, quo iam ostendimus dimitti posse coniugem, ob crimina à fornicatione diuersa. Respondeo non videri, si modò coniux cohabitare cū eo possit sine periculo suæ salutis. Quod periculum sola erat causa dimittendi, ob alia crimina. Nam si tale periculum hîc adsit, ex eo videlicet quod concupiscentia exardescit ex præsentia coniugis, non videtur innocenti deneganda potestas dimittendi.

§. 5. Quibus casibus adulterum dimittere non liceat.

EXcipiuntur aliquot casus quibus non est permissum vt coniux coniugem ob causam fornicationis dimittat: partim quod alter coniux particeps eiusdem criminis reperiatur; partim quod alter culpa vacet. Qui omnes casus iure naturali ac diuino censentur excepti, non iure ecclesiastico, nisi quatenus ecclesia est iuris diuini ac naturalis interpres. S. Thom. suppl. q. 62.

Primus est, si vterque adulterium commisit, vt habetur in decreto Innoc. 3. extra de adulterijs ca. Tua fraternitas, & Alexand. 3. extra de diuortijs ca. Significasti. Rationem addit Innoc. ex regula iuris, quia *Paria crimina mutua compensatione delentur*. Vnde Augustinus libro 2. de adulter. coniug. cap. 8. commemorat, legem Antonini Imperatoris ethnici, qua voluit ne maritus adulter, vxorem adulterij crimine accusaret. Ex quo ostendit multò magis eandem æquitatem legis inter Christianos coniuges seruari debere. Et libro primo de sermone Domini in monte cap. 28. Nihil iniquius esse affirmat, quàm causa fornicationis dimittere vxorem, si & ipse maritus conuincitur fornicari. Hoc quoque obseruandum, si quis coniugem iustè dimiserit adulterij causa, & ipse post diuortium fornicari ceperit, mox teneri ad coniugem recipiendam, cessante nimirum iure puniendi coniugem propter admissi criminis paritatem. Ita censuit Alexander 3. extra de diuortijs cap. Ex litteris & cap. Significasti; tametsi Dominicus post sanctum Thomam articulo 6. ad tertium, cum certa moderatione diuersum teneat.

Quod si tamen post commissum vtrimque adulterium alter vitam correxerit, altera in adulterio permanente, aut si post mutuam reconciliationem alter ad vomitum reuertatur, vel si denique adulter innocenti reconcilietur, innocens verò solus postea adulterio se polluat; tum licebit coniugi correcto ac reconciliato & non relapso vti iure suo aduersus alterum, quia pro non facto habetur, quod commissum est ante reconciliationem.

Secundus casus est, si vir vxorem prostituerit. Qui casus expressus habetur extra de eo qui cognouit consanguineam vxoris cap. Discretionem. Ratio est, quia tale vxoris adulterium viro magis vel æquè imputari debet atque mulieri. Quò etiam pertinet si alter consens criminis alterius vel approbet illud, vel ad id conniueat.

Tertius casus, si alter alteri diu negauit debitū, ita enim censebitur coniugem in periculum fornicationis adduxisse. Non est autem eadem ratio, si vxori data fuerit occasio fornicandi, ex eo quod vir noluerit ei victum necessarium suppeditare, aut eam domo expulerit, nisi propterea id fecisset, vt eam hac occasione ad fornicandum impelleret. Sic tradunt suprà citata capitula, *Significasti*, & *ex litteris*.

& ha-

& ratio est, quia hæc per se non inducunt ad fornicandum.

Quartus, si vxor post diuturnam viri absentiam probabilibus coniecturis adducta, vt eum mortuum crederet, alteri nupserit. Talis enim absentia vel omnino, vel magna ex parte mulierem à culpa liberat, ac sæpenumero magis virum grauat. Qua de re videre est Leonem epistola 79. verbis à Gratiano citatis 34. quęst. 2. capit. Cùm per bellicam.

Quintus, si pro vero coniuge per fraudem vel errorem alius in torum se ingesserit. Excusatur enim coniux fraude vel errore deceptus seu vir seu mulier: velut Iacob patriarcha quando pro Rachele quã duxerat, Liã cognouit. Patet hic casus ex decr. 34. quæst. 2. cap. Si virgo & ca. In lectum, desumptis ex Augustino & concilio Triburiensi.

Sextus, si mulier vim passa fuerit; vbi vim intelligere oportet absolutam, non voluntario permixtam. Nam si mulier ob metum vel horrorem illatum consentiat in stuprum, neque à culpa immunis erit, neque actionem diuortij auertere poterit. Indicat hoc Hieronymus epist. 147. ad Amandum & habetur 32. quæst. 7. cap. Omnes.

Septimus, si coniux coniugem post cognitum eius adulterium ad torum receperit. Hoc enim vim habet reconciliationis. Probatur autem ex vtroque cap. Si quis, & cap. Quod autem 32. quæst. 1. Pari quoque ratione si quis post factum diuortium coniugi commiscetur, tenebitur eam tanquam reconciliatam ad se recipere.

Octauus, si in infidelitate vxor à marito præter causam adulterij repudiata, alij viro nupserit, ac postea fuerint ambo ad fidem conuersi & baptizati, maritus vxorem recipere tenebitur, quemadmodum definit Innoc. 3. extra de diuortijs cap. Gaudemus in fine. Ratio autem est, quia non debet vt adultera à viro puniri, quæ legum publicarum permissione nupsit alteri.

§. 6. *Quatenus teneatur quis adulteram dimittere.*

S. Thom. suppl. q. 62. art. 2

CVm Christus in euangelio Matth. 19. permittat, non præcipiat vxorem causa fornicationis dimitti, & Hieronymus in eum locum scribens dicat, vbi fornicatio est, liberè vxorem dimitti; quæstioni locus relinquitur, vtrùm, vel quatenus vir ad dimittendam vxorem, si fuerit fornicata, sit obligatus. Ad quod cum distinctione respondendum. Si enim vxor certa aut verisimilia pœnitentiæ signa ostendit, non tenetur eam vir dimittere, imò potiùs lege charitatis tenebitur non dimittere.

Quorum prius probatur, tum ex eo quod Dominus interrogatus, an liceat homini dimittere vxorem, respondit non licere, nisi causa fornicationis: vbi tam interrogatio quàm responsio licitum complectuntur, non præceptum. Si quis autem casus est quo non erit præceptum, is maximè erit, cùm fornicaria coniux per pœnitentiam se correxerit. Tum quia monet apostolus mulierem quæ à viro discesserit, vt innupta maneat aut viro suo reconcilietur, 1. Corinth. 7. Quod si autem reconciliationi locus est post diuortium, multò magis antè locus erit. Atque in hanc sententiam multa apud Augustinum leguntur libr. 2. de adult. coniug. cap. 6. & 9. ratio autem manifesta est, quia nulla lege prohibetur qui læsus est, iuri suo quo vti poterat aduersus nocentem, renunciare, & pœnam remittere, eo qui peccauit, ad pœnitentiam conuerso.

A Posterius probatur, quia tenetur maritus vxoris saluti consulere. Quare si sit ei periculum ne propter infamiam incidat in desperationẽ, aut per incontinentiam in lubricum carnis præceps ruat, vel ob egestatem se prostituat, omnino charitatis lege tenebitur maritus eam retinere. Quod etiam satis indicant Augustini verba loco commemorato, & lib. 1. retractationum cap. 19. & apertius docetur cap. *Si vir sciens.* extra de diuortijs, ex concilio Arelatensi.

Quòd si verò adultera in peccato perseuerat, B & crimen ita manifestum est vt iudicio probari possit, tenetur eam vir ordine iuris seruato dimittere, ne in eius turpitudinem consentire videatur, vt docent canones apud Grat. 32. quæst. 1. capit. Apud misericordem, & extra de adulterijs capit. iam citato & de tali adultera intelligendum est illud Prouerb. 18. *Qui tenet adulteram stultus est & insipiens.* Vnde Hieronymus in Matth. 19. *Cùm vxor*, inquit, *vnam carnem in aliam diuiserit, & se fornicatione separauerit à marito, non debet teneri ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente scriptura, Qui adulteram tenet &c.*

Talem quoque adulteram intelligit Augustinus libro 1. retractationum cap. 19. dum locum re-
C tractat ex libro 1. de sermone Domini in monte, vbi dixerat permissum esse non iussum vt ob fornicationem vir vxorem dimittat. Nec ab his diuersa sunt, quæ in dictum Matth. locum scribit author operis imperfecti apud Chrysostomum.

At verò si occultum est vxoris crimen, tenebitur eam maritus, si certò nouerit, saltem à toro repellere; quia ad hoc faciendum non opus habet sententia iudicis, vt suprà ostendimus.

Sunt autem qui putent, vt Dominicus, excipi casum incontinentiæ aut paupertatis viri; si videlicet dimissa vxore videatur sibi non posse continere,
D aut inopiam passurus.

Sed probabilius est reuera nullum huiusmodi casum excipi, tum quia deterius est mulierem commisceri pluribus viris, quàm cum solo adultero rem habere, idque maximè propter iniuriam prolis, cuius pater priori modo incertus fit, non posteriori. Deinde quia quacumque causa vxorem retineat notoriè adulteram, neque scandalum aliorum tollet, neque propriam infamiam effugiet. Denique quia non minus hoc casu continenter viuere tenetur, & continere poterit, quàm si vxorem haberet perpetua corporis infirmitate laborantem
E ideoque ad opus coniugale inhabilem.

Cæterùm de muliere quoad dimittendi obligationẽ non eadem quę de viro ratio est: cùm enim vxor non sit viri caput, sed cõtrà, atque ob id virum cum authoritate corripere non possit, non continuò censeri debet in eius crimen consentire, si ab eo adulterante non recedat; dummodo certis indicijs satis declaret sibi eius factum displicere, qua ratione sufficienter occurret scandali & infamiæ periculo quoad suam personam. Adde quòd iniuria prolis non augetur, si mulier cum viro suo adultero re-
F maneat, eique commisceatur. Non enim per hoc pater incertus redditur, aut mater.

Quod si tamen per diuortiũ sperari probabiliter potest viri correctio, lege charitatis omnino tenebitur mulier ad virum dimittendum, neque prætextu suæ incontinentiæ poterit cum eo remanere. Cuius ratio est, quia si interdum à licitis abstinendum nobis est, vt proximi salus procuretur, multò magis à re illicita (cuiusmodi est concubitus in remedium incontinentiæ,) abstinere debebit mulier, vt virum suum lucrifaciat, alioqui periturum.

§. 7. *Ius diuortij æqualiter ad vtrumque coniugem pertinere.*

S.Thom. suppl. q. 62. ar. 4.

QVamuis, vt diximus, non semper teneatur vxor virum adulterum dimittere, quoties vir vxorem, ius tamen diuortij ad vtrumque coniugem æqualiter pertinet; ita vt pari iure mulier virum atque vir mulierem dimittere possit.

Quod patet imprimis ex ijs quæ probant coniuges in re coniugali pares esse, quemadmodum ostendimus ad distinctionem 32. cap. 1. Nam ius dimittendi coniugem causa fornicationis, maximè spectat ad rem coniugalem, & ex ea dependet. Si enim tam habet mulier potestatem in corpus viri quàm vir in corpus mulieris, consequens est, vt sicut viro propter iniuriam huius potestatis licet dimittere vxorem, ita & vxori liceat dimittere virum.

Deinde probatur ex apostolo 1. Corinth. 7. vbi quod Dominus Matt. 5. de viro dicit: *Quicumque dimiserit vxorem nisi ob fornicationem, facit eam mœchari*, id de muliere similiter intelligendum ostendit his verbis: *Ijs autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere. Quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Cùm enim Dominus in euangelio solius viri mentionem expressè fecisset, declarat apostolus domini præceptum ac sententiam etiam ad mulierem pertinere, eique par ius diuortij tribuere. Hoc enim volunt illa apostoli verba, *Non ego præcipio, sed Dominus*, vt sensus apostoli sit, nō suum sed Domini præceptum esse, ne mulier à viro per diuortium discedat, nisi sola ea causa quā dominus excepit, & ob quam solam diuortium cōcessum esse voluit. Quod enim loquatur apostolus de concesso ac licito discessu mulieris, ex eo satis intelligitur, quia relinquit in eius potestate, vt vel innupta maneat, vel viro reconcilietur. Quod si non iure discessisset, non ei optio vtriusque partis danda fuerat, sed simpliciter præcipiendum vt ad virum rediret. Atqui non alia est causa qua licitè per diuortiū discedat, sic vt sola deinceps remanere possit, nisi ob fornicationem viri, sicut non alia est propter quam simpliciter dimitti possit nisi ob fornicationem suam. Sentit ergo apostolus adulterij causa posse mulierem dimittere virum suum, idque ex constitutione Dominica. Hoc modo locum apostoli explicat Augustinus libr. 1. de adulte. coniug. cap. 1. & sequentibus, & libro de bono coniugali cap. 21. & 22.

Nec obstat huic intellectui recōciliandi vocabulum, quod Erasmus obijcit in annotat. 1. Corint. 7. quasi ex eo consequēs sit loqui apostolum de muliere, quæ sua, non viri culpa discessit, quæque proinde viro suo tanquam offenso & læso reconciliari debeat, quia, inquit reconciliatur quæ offendit non quæ offensa est: id, inquam, non obstat, Nam reconciliatio mutua est & Latino loquendi more, non tantùm qui offendit, sed etiam qui læsus est, dicitur alteri reconciliari, id est redire cum eo in gratiam. Qua significatione vsus est eo vocabulo Cicero in epistola quadam ad Lentulum quæ est 2. libri 1. & Liuius. Quomodo etiam 2. Machab. 1. & 7. dicitur Deus reconciliari hominibus, imò quod ad rem præsentem Iud. 19. Leuita cuius vxor secundum textum Heb. fornicata fuerat ab eo, legitur secutus fuisse eam volens ei reconciliari &c. Sed & alibi sæpe reconciliari dicuntur partes dissidentes quarum altera offendit, altera offensa est. Eadem quoque omnino vis est Græcæ dictionis qua apostolus fuit vsus.

Iam verò Caluini commentarius qui apostolum sic exponit, *si discesserit*, id est, si dimissa fuerit, ex ipso apostolo manifestè refellitur: Nam verba proximè præcedentia *Vxorem a viro non discedere*, hunc sensum planè respuunt. Ridiculum enim est mulieri præcipere vt à viro suo nō dimittatur, cùm hoc in eius non sit potestate, sed viro magis præcipiendum fuerit, quemadmodum statim facit apostolus dicens: *Et vir vxorem non dimittat.* Quod ergo præcessit de muliere, similem sensum habet, vt videlicet mulier prohibeatur virum dimittere; vtrumque tamen intelligendo cum exceptione dominica, *Nisi ob fornicationem*, Vtitur autem apostolus vocabulo discedendi potiùs quàm dimittendi, quia de muliere loquebatur quæ diuortium faciens, discedit à viro, cùm vir contrà per diuortium vxorem eijciat.

Porrò in eandem sententiam concurrit canonum ac totius ecclesiæ authoritas. Canones habentur apud Gratianum 32. quæst. 5. cap. Præcepit & cap. Christiana, sumptis ex epistola Hieronymi ad Oceanum de morte Fabiolæ, & ex epist. Innoc. 1. ad Exuperium ca. 4. rursum ibidem q. 7. ca. Apostolus, & cap. Vxor à viro. & cap. Placuit, Quod postremum acceptum est ex can. 17. concilij Mileuitani. Idem docent canones decretalium, titulo de adulterijs, & titulo de diuortijs. Alius item Hieronymi locus est in epistula 147. ad Amandum presbyterum.

His addere licet exemplum quod Eusebius ex Iustino martyre commemorat, libro 4. histo. ecclesiast. cap. 17. de pia & pudica muliere christiana quæ miserit libellum repudij marito, quòd is impudicè & turpiter viueret.

Huc denique pertinet primus casus suprà memoratus inter eos quibus fit, vt vir vxorem adulteram dimittere non possit, si videlicet ipse quoque in eodem crimine hæreat, Cuius causam diximus ex Innocent. 3. quia paria crimina mutua compensatione dissoluuntur. Ex quo sequitur mulieri cum viro par esse ius ad diuortium, tanquam ad pœnam eiusdem criminis.

§. 8. *Vter coniux adulterando grauius peccet.*

PEccatum adulterij quadam ratione in vtroque coniuge est æquale, quadam autem ratione grauius est in viro, & quadam grauius in fœmina.

S.Thom. vbi supr. 62. ar. 4. in corp. & ad 2. 3. 5. & 6.

Quod enim ad fidem coniugalem attinet, par vtriusque coniugis est peccatum, quia ex parte contractus matrimonialis & fidei vtrimque datæ, obligatio vtriusque est æqualis: at verò si spectetur dignitas viri, qui ratione præstat, & caput est mulieris, quique proinde, vt ait Augustinus libro 2. de adulte. coniug. cap. 8. *Et virtute vincere, & exemplo regere fœminam debet*, hac consideratione grauius est viri peccatum. Qua ratione sine dubio grauius etiam fuit peccatū viri quàm mulieris in prima transgressione, cùm tamen in quæstione, Vter primorum hominum absolutè grauius peccauerit, variant Doctorum sententiæ, vt videre est ad distinct. 22. lib. 2.

Ac generaliter sciendum, quod quoad hanc virilis sexus circumstantiam, omne peccatum viri grauius est peccato fœminæ, quod tamen absoluta comparatione frequenter secus se habere con-

A ſtat. Sunt autem aliæ circumſtantiæ quæ mulieris adulterium magis grauant, vt naturalis illi ſexui verecundia & ſubiectio & ſolitudo, per quæ meritò deberet à peccato retrahi, cùm in viro quæ ſunt his contraria, maiorem ei ſuggerant & facultatem & libertatem peccandi. Sed præcipua circunſtantia quam hîc ſpectare oportet, eſt iniuria prolis quæ per adulterium matris incertum habet patrem, non item per adulterium patris: quia etiam fit vt marito falſus hæres ſubſtituatur, non ſine magna mariti iniuria, ac publica pacis perturbatione. Vnde hac ratione dubium non eſt, quin grauiùs peccet vxor adultera. Et quia hæc conſi- B deratio tangit primarium matrimonij finem, ideo abſoluta comparatione grauius eſt adulterium vxoris quàm mariti. Cuius rei argumentum eſt, quòd leges ciuiles de hoc crimine quoad virum & mulierem valde inæqualiter ſtatuunt. Concedunt enim viro vt vxorem adulteram capitis accerſere poſſit, imò etſi in flagranti crimine deprehenſam interficiat, non eum puniunt, ſed iuſto eius dolori cædem indulgent, vxori verò nihil tale permittunt in virum. Commemorat eas leges Dominicus diſtinctione trigeſimaſeptima articulo 3. C

Quod autem ſanctus Auguſtinus loco ſuprà dicto dicere videtur abſolutè tantò grauiùs viros puniri oportere, quantò magis ad eos pertinet & virtute vincere & exemplo regere fœminas, ijs quæ diximus non aduerſatur, conſiderat enim eo loco ſanctus Auguſtinus adulterij crimen in genere impudicitiæ cum circunſtantia ſexus, non autem genere iniuſtitiæ, qua proli aut coniugi nocetur, de quo vide Dominicum diſtinctione trigeſimaſexta, articulo quarto ſub finem, & eodem referendum videtur reſcriptum Antonini Imperatoris D quod Auguſtinus in ſuæ ſententiæ confirmationem adducit.

Porrò in viro & muliere ſolutis & adulterium comittentibus cum coniugatis planè contraria conſideratio eſt: vir enim ſolutus adulterans cum muliere coniugata, ideo grauius peccat muliere ſoluta adulterante cum viro coniugato, quia ille prolem adulteræ reddit incertum, & viro eius falſum ſubſtituit hæredem, quod iſta non facit.

At ſi coniugatus cum coniugata in adulterio miſceatur, congeminatur peccatum, fitque duplex E adulterium, ita vt & ille ſit bis adulter, & iſta bis adultera.

Quod autem attinet ad iniuriam commemoratam prolis & viri, æqualiter, non tamen dupliciter ab vtroque peccatur. Quoniam autem ſicut dictum eſt iniuria prolis præcipuè ſpectatur in ponderanda culpa adulterij, hinc conſequitur non æquè peccare eum qui per adulterium miſcetur cum muliere ſterili, atque eum qui cum fœcunda. Ceſſat enim euentus aut periculum eiuſmodi iniuriæ, eſtque eadem ratio de eo qui ſimplici fornicatione cōiungitur cum muliere ſterili. F

§. 9. *Facto diuortio quatenus ſit locus reconciliationi.*

S. Thom. ſuppl. q. 62. ar. 6. POſſe coniugem coniugi reconciliari poſt diuortium, ex apoſtolo manifeſtum eſt, 1. Corinth. 7. vbi mulierem quæ propter viri adulterium ab eo receſſit, vult ex præcepto Domini manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.

Deinde qua ratione poteſt innocens adulterum non dimittere, vt ſuprà oſtenſum eſt, eadem poteſt & dimiſſum reuocare. Nam & ius ſuum ſeruat integrum, & alteri ius amiſſum reſtituere poteſt. Quatenus autem id licitè fiat, breuiter explicandum eſt.

Quòd ſi poſt diuortium adultera reſipiſcat, poteſt eam reuocare maritus, vel etiam tenetur, qua ratione poterat vel tenebatur eam pœnitentem ante diuortium retinere, vt ſuprà explicatum eſt. Eam rem latè docet ſanctus Auguſtinus libro ſecundo de adulterin. coniugijs per aliquot capita.

At ſi in turpitudine ſua perſiſtit, non licet eam reuocare, & quidem multò minùs, quàm liceat nondum facto diuortio retinere; quia & ſcandalum maius eſt & infamia viri grauior, ſi reuocet vxorem adulterij pertinacem poſt diuortium, quàm ſi retineat diuortio nondum facto.

Quod autem ad adulterum attinet, omnino probabilis eſt ſanct. Thomæ ſententia, eum purgato adulterij crimine teneri ad reconciliationem, quandocumque hoc innocenti viſum fuerit, neque voto caſtitatis alligare ſe poſſe, niſi de conſenſu innocentis. Cuius rationem reddit, quia cum diuortium fiat in fauorem innocentis, non per hoc ille ius ſuum amittit, ſed tantùm ab eius vſu impeditur per maliciam alterius, qua correcta libertimè ſui iuris vſum repetere poterit.

Nec obſtat ratio Dominici diuerſum ſentientis articulo ſexto, vbi dicit, quòd poſtquam vir noluit vxori adulteræ parcere, ſed perſiſtit vſque ad ſententiam, reuera per talem ſententiam vxor liberatur, vt ſaltem antequam à viro repetatur, poſſit eo inconſulto vouere caſtitatem. Negandum enim eſt adulteram id facere poſſe virtute ſententiæ pro diuortio latæ, cùm ea ſententia non in fauorem adulteræ, ſed innocentis tantùm lata ſit, ideoque innocens omne ius ſuum integrum ſeruet

His porrò addendum, quòd ſi mulier dimiſſa alteri viro nupſerit, & pœnitentia ducta ad priorem maritum redire cupiat, ſic quoque eam recipi poſſe. Quod enim lex vetus id prohibet Deuter. 24. pro tempore in pœnam mulieris conſtitutū fuit, & chriſtianos non obligat.

Proinde quod ait Hieronymus ad Amandum preſbyterum ſcribens, *Si reliquerit ſecundum virum mulier, & reconciliari voluerit priori, non poteſt*, non ita intelligendum, quaſi viro recipere eam non liceat, ſed quia talis mulier digna eſt, cui propter ſecundi coniugij, id eſt manifeſti adulterij deteſtationem, reditus ad priorem virum negetur, & ad eam rem accommodat Hieronymus legem Deuteronomij.

§. 10. *Coniuges ob fornicationem facto diuortio non poſſe aliud matrimonium inire ex ſcriptura probatur.*

MAtrimonij vinculum non diſſolui per diuortium fornicationis cauſa factum, & proinde neutri coniugi fieri poteſtatem ad alias nuptias tranſeundi, probandum nunc eſt paulò pleniùs, S. Thom. ſuppl. q. 62. ar. 5.

prop-

propterea quod non modò cum sectarijs sit nobis super hac re controuersia, verùm etiam catholicorum quorundam quibus ecclesiæ sententia nondum satis erat perspecta, fuerit hæc opinio, facto ob fornicationẽ diuortio, saltem innocenti non esse diuina lege prohibitum, quò minùs aliud matrimonium appetat. Sic enim Caietanus in Matth. 19. & 1. Corinth. 7. scribens, & iterum articulis sibi impositis 1. & 2. & Catharinus libro 5. annota. in commentaria Caietani sentire se significant. Quod ante eos Erasmus in annot. super 1. Corinth. 7. probare conatus fuit. Veruntamen hi suam opinionem ecclesiæ iudicio disertis verbis submiserunt, & duo quidem priores de sola loquũtur causa fornicationis. Nam quod ad sectarios attinet, à quorum sententia non abhorret Erasmus, multò longiùs illorũ plęriq; progressi sunt, vtpote non tantùm adulterij causa, sed & propter hæresim ac molestam cohabitationem & affectatam à coniuge absentiam, coniugia dissoluentes facta potestate noui coniugij contrahendi. Quod & consistoriales eorum passim in suis iudicijs vsu probant atque confirmant, contra quos editus est canon 5. sess. 24. concilij Trid. Sed nos hîc de fornicatione præcipuè loquimur, per quam si docuerimus non posse solui coniugij vinculum, multò magis idem erit consequens de alijs causis, cùm fornicationem, si non solam, saltem præcipuam esse dimittendi causam, nec ab ipsis sectarijs negari possit.

Igitur præter ea quæ ad distinction. 33. adduximus, vt matrimonij vinculum ostenderemus esse insolubile, propria argumenta & probationes quibus id ne fornicationis quidem causa fieri posse doceatur, hoc loco proferemus.

Sit autem prima probatio ex scriptura sacra, secunda ex patribus & concilijs, tertia ex ratione.

Scripturæ loca sunt ista. Primus Matth. 5. *Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Quæ posteriora verba vniuersaliter accipienda sunt, vt sensus sit. Quicumque dimissam duxerit, etiamsi ob fornicationem dimissa fuerit, mœchatur. Ideo enim dominus in posteriori sententia non repetiuit illud, *excepta fornicationis causa*, quod in priori dixerat vt ostenderet, dimitti quidem posse coniugem ob fornicationem, non tamen si ob eam causam dimissa fuerit, posse illam alteri viro nubere. Nam si hîc etiam exceptio sit intelligenda, ita vt non mœchetur qui mulierem causa fornicationis dimissam duxerit, iam melior erit conditio fornicatricis mulieris quàm innocentis, quippe cùm fornicaria dimissa nubere possit alteri, non ea quæ iniustè à viro licèt irreuocabiliter dimissa fuerit. Quod est perabsurdum.

Eadem posterior sententia repetitur Matthęi 19.

Alia loca sunt Marci 10. & Lucæ 16. Nam apud Marcum sic legitur: *Quicumque dimiserit vxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si vxor dimiserit virum suum & alij nupserit, mœchatur.* Apud Lucam verò sic: *Omnis qui dimittit vxorem suam & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Quæ sententiæ generales sunt, nullam facientes exceptionem. Quod enim dicunt aduersarij hæc loca exponenda esse ex capit. 19. Matth. vbi habetur exceptio fornicationis, ad id respondebimus in solutione obiectionum; videlicet ostensuri exceptionem illam quæ apud Matth. legitur, non interimere vniuersalem propositionem quam

A alij euangelistæ & ipse quoq; Matthęus simpliciter ac sine exceptione pronuntiauerunt, sed alió retendam esse. Quare sanctus Augustinus libro primo de adulterinis coniugijs cap. 9. grauiter resistens ijs, qui sententias euangelistarum vniuersales exceptionibus quibusdam restringere volunt, & non ita generaliter accipere vt sonant, ait: *Quid sumus nos vt dicamus: Est qui mœchatur vxore dimissa alteram ducens, & est qui hoc faciens non mœchatur, cum euangelium dicat omnem mœchari, qui hoc facit?* Sic ille.

B Rursum alia loca sunt apud apostolum Rom. 7. & 1. Corinth. 7. Prior locus sic habet. *Quæ sub viro est mulier viuente viro, alligata est legi: Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, &c.* Posterior autem sic: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit, quod si dormierit vir eius liberata est.* Quæ verba clarè significant vinculum coniugale, inter fideles nunquam solui nisi per mortem alterius coniugis, ex quo manifestè sequitus ipsum manere etiam post diuortium quacunque ex causa factum, quemadmodum apertissimis verbis docet & inculcat eum apostoli lo-

C cum tractans sanct. Augustinus libro 2. de adult. coniug. cap. 4.

Alius prætereà locus est eiusdem apostoli in eadem ad Corinthios epistola eodem capite vbi dicit: *His qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego sed Dominus, vxorẽ à viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* In qua sententia intelligi debere discessum mulieris ob iustam ex ipsius parte diuortij causam, suprà ostendimus, cùm de iure diuortij ageremus. Cùm ergo ei mulie-

D ri quæ sic discesserit, non permittat apostolus vt alteri nubat, sed aut innuptam manere valit, aut viro suo reconciliari, vel hinc etiam patet ex iusta diuortij causa propter quam innupta remanere possit mulier à viro seiuncta, non tamen solui coniugij vinculum. Verbum autem reconciliandi quod pro diuersa interpretatione vrget Erasmus, nihil obstare huic sensui, similiter ostensum est suprà.

Notandum est autem ex prolatis iam scripturæ testimonijs, eandem esse vtriusque coniugis rationem, vt siue vir vxorem, siue virum vxor ob fornicationem dimiserit, neque viro, neque mulieri, ac rursum neque nocenti neque innocenti, fas sit ad aliud matrimonium transire. Quod enim

E alijs locis viro negatur, id apud Marcum & nouissimè allegato apostoli loco negatur mulieri: & rursum nocenti pariter & innocenti, omnes sanè sententiæ sunt communes. Et sanè quamuis alterius tantùm coniugis seu viri seu mulieris superiores sententiæ meminissent, de reliquo tamen idem esset iudicium, quod ad vinculum attinet coniugale. Nam coniugium claudicare non potest, sed vtrimque soluitur, & ita neuter mœchabitur, si aliud matrimonium contraxerit vel vtrimque firmum

F permanet, atque ita ambo æquè adulteri erunt, si se alijs coniunxerint. Quod enim fatentur quidam sententiam domini de adultera dimissa generalem esse, sed ideo illam non posse nubere alteri, quia in pœnam adulterij Christus hoc ei voluit esse inhibitum, non autem ideo quod non verè solutum sit vinculum matrimonij, vanum est effugium. Non enim dicit Dominus: *Qui dimissam duxerit* peccat, sed *mœchatur*. Per quod euidenter ostenditur prioris matrimonij vinculum non esse solutum.

His denique accedat illa generalis Christi sententia, quam colligit ex prima matrimonij institutione, qua dictum fuit Genes. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ: Et erunt duo in carne vna.* Hinc enim infert Matth. 19. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Itaque licebit similiter inferre: Quod ergo Deus coniunxit, fornicatio non separet, ne videlicet in eo quod Deus coniunxit, dissoluēdo plus valeat crimen alterius coniugis, quàm vlla humana authoritas.

§. 15. *Eiusdem probatio ex patribus & concilijs.*

S. Thom. loco proxime allegato. Item q. 67 art. 1.

PRoxima post scripturam superioris doctrinæ probatio sumitur ex patribus & concilijs, quorum in hac re consensus patebit, si præcipua duntaxat ex illis testimonia protulerimus.

Primum, Iustinus & Athenagoras vetustissimi scriptores, ijdemque martyres vterque in apologia pro Christianis inter dogmata Christiana ponunt, adulterium esse si quis dimissam ab alio ducat. Addit etiam Athenagoras si quis priore dimissa aliam ducat, non esse coniugium, sed adulterium.

Clemens Alexandrinus in fine libri 2. stromatum affirmat secundùm scripturam adulterium esse, post separationem matrimonio coniungi, viuo altero ex separatis, cùm tamen paulò antè dixisset separationem fieri non posse, nisi ob fornicationem.

Tertullianus libro 4. contra Marcionem testatur Christum non simpliciter prohibuisse diuortium, sed ita demum, si quis ideo dimittat vxorem, vt aliam ducat.

Origenes homilia septima in Matth. 19. referens quosdam episcopos permisisse mulieri, vt priore viro viuente nuberet alteri, dicit id eos contra præceptum Domini & apostoli fecisse.

Basilius in regula morali 73. capite secundo, annotat quòd nec viro qui vxorem dimiserit, nec vxori dimissæ liceat aliud matrimonium contrahere.

Sanctus Ambrosius scribens in Lucæ 16. multis agit contra eos qui vxore dimissa aliam ducunt, ac tale coniugium non semel adulterium vocat, neque vllius meminit exceptionis. Eandem sententiam indicat libro 1. de Abraham cap. 4. in exhortatione ad virgines.

Sanctus Hieronymus in epitaphio Fabiolæ ad Oceanum, refert quemadmodum Fabiola, quæ dimisso viro non solùm adultero, sed omnibus flagitijs cōtaminato, alteri nupserat, post mortem secundi mariti publicam pœnitentiam ab episcopo Romano impositam, humiliter subierit, eiusque factum non aliter excusat, quàm quod euangelij rigorem ignorauerit. Hinc discimus illo tempore publicum crimen habitum fuisse in ecclesia, si quis viuente coniuge etiam ob fornicationem dimissa, aliud coniugium iniret.

Idem in epistola ad Amandum super hac quæstione consultus, simpliciter respondet non licere mulieri alium virum accipere, etiamsi à priore propter eius adulterium discesserit. Sed & in commentario super Matth. 19. eandem doctrinam perspicuè tradit.

Eadem est sententia Ioan. Chrysostomi homilia 17. in Matth. 5.

Innocentius primus in epistola 3. ad Exuperium cap. 6. de eadem quæstione interrogatus, respondit prorsus non licere post diuortium aliam vxorem ducere sed tam virum quàm mulierem adulteros fieri, si alijs se coniungant.

Sanctus Augustinus hanc doctrinam ex professo tradit in vtroque libro de adulterinis coniugijs ferè per totum, sed præcipuè libro primo capite primo & aliquot sequentibus, & cap. 24. Item libro de bono coniugali capit. 7. 21. & 22. libro de sancta virginitate capit. 15. libro primo de nuptijs & concupiscentia capit. 10. libro primo de sermone Domini in monte capit. 26. sermone 11. de diuersis, & quæstione vltima inter 83. vbi id probat ex apostolo 1. Corinth. 7. & homilia 47. inter 50. vbi inter alia sic ad plebem loquitur: *Solius fornicationis causa licet vxorem dimittere, sed illa viuente non licet aliam ducere, & vobis fœminæ nec illos viros, à quibus per repudium recesserunt vxores eorum, maritos habere conceditur, non licet, adulteria sunt ista, non coniugia.* Sic ille, Qui tamen libro de fide & operibus capit. 19. fatetur eos venialiter falli, qui propter scripturæ obscuritatem existimant non esse eum adulterum, qui vxore causa fornicationis dimissa, aliam ducit: nondum enim tunc ea res erat aliquo generali concilio explicata.

Idem porrò cum patribus iam enumeratis, sentiunt Primasius scribens in 1. Corinth. 7. Isidorus libro 2. de diuinis officijs cap. 19. Beda in eundem ad Corinth. locum, & in Marci 10. Theophylactus in Matth. 19. & 1. Corinth. 7. Anselmus in Matth. 5. & 19. Gratianus in decreto 32. quæst. 7. vbi in hanc rem patrum aliquot testimonia congerit, & inter alia adfert ex Gregorio sententiam valde claram. Quædam autem in speciem contraria dissoluit. Item Magister in præsenti distinctione §. C. quem sequuntur omnes scholastici in hunc eundem locum scribentes, & præterea sanctus Thomas commentans in 1. Corinth. 7.

Tradunt eandem sententiam in suis decretis Alexander tertius extra de sponsalibus & matrimonijs cap. Ex parte, & Innocentius 3. extra de diuortijs cap. Gaudemus & cap. Quanto, ac rursum eodem titulo Alexander 3. cap. Quæsiuit, & cap. Significasti, & cap. Ex litteris.

Denique maximum huic doctrinæ firmamentum addunt canones conciliorum quorum alia particularia fuerunt, alia generalia. Ac primum quidem inter canones apostolorum extat canon numero 48. quo iubetur excommunicari qui vxore dimissa aliam duxerit nulla addita exceptione.

Deinde concilium Elibertinum can. 9. prohibet à communione mulierem, quæ ob viri adulterium alteri nupserit.

Concilium Mileuitanum can. 17. declarat secundùm euangelicam & apostolicam doctrinam nulli licere viuente coniuge ad alias nuptias transire. Quod etiam habetur in Africano concilio canon. 69. vtrique autem interfuit beatus Augustinus.

Synodus quædam Anglicana sub Theodoro episcopo habita anno 663. ita statuit canone 10. *Si quisquam propriam expulerit coniugem legitimo sibi matrimonio coniunctam, si christianus esse rectè voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur coniugi.* Intelligit autem canon expulsionem tan-

tummodo causa fornicationis, vt patet ex verbis eius proximè præcedentibus. Legitur apud Bedam libro 4. histor æ Anglorum cap.5.

Concilium Florouiliense canon. 10. eandem rem apertè definit, similiter & Nannetense canon. 12.

Ac postremò duo generalia concilia idem statuerunt, Florentinum in decreto synodico Armenis tradito, vbi sic legitur: *Quamuis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cùm matrimonij vinculum legitimè contracti perpetuum sit.* Et nouissimè Trident. sessione 24. canon. 7. his apertissimis verbis: *Si quis dixerit ecclesiam errare, cùm docuit & docet iuxta euangelicam & apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonij vinculum non posse dissolui, & vtrumque vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere, mœchariq; eum qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam quæ dimisso adultero alij nupserit, anathema sit.*

§. 12. *Eadem doctrina ratione confirmata.*

S. Thom. Bedam.

TErtia restat huius doctrinæ probatio ex ratione, quæ quidem præter ea quæ ad distinctionē 33. de insolubilitate matrimonij dicta sunt, multiplex adferri potest.

Prima: Si soluitur vinculum matrimonij propter adulterium, aut id contingit mox vt fornicatio commissa fuerit, aut statim facto diuortio, aut denique per secundum matrimonium. At horum nihil dici posse videtur: non primum, quia innocens adulteram pœnitentem retinere potest absque nouo contractu. Non secundum, quia similiter poterit innocens adulteram dimissam & correctam sine nouo contractu reuocare vel inuitam, imò etiam ad eam recipiendam compelli poterit, si & ipse fuerit fornicatus. Adde quòd iuxta apostolum reconciliari tales dicuntur, non nouum matrimonium facere. Non tertium, quia absurdum est, vt quis alienam vxorem ducendo faciat suam, & re vera non plus potest ad dirimendum coniugium vir posterior ducendo mulierem, quàm poterat prior dimittendo. Nam ad soluendum contractum plus debet valere consensus eorum qui contraxerunt, quàm superuenlens contractus alterius. Si ergo vir prior vxorem dimittendo non soluit coniugium, nec posterior eam accipiendo.

Dices fortè tunc solui, quando innocens aliam ducit, sicut de coniugio infidelium altero ad fidem conuerso probabiliter dicitur. Verùm hinc quoque incommodum accidit, sic enim sequeretur, quòd si innocens nunquam ad aliam copulam transiret, sed perpetuam continentiam eligeret, nunquam posse dimissam, licèt incontinentissima esset, alteri nubere, quod apud aduersarios, & præsertim huius seculi hæreticos, valde habetur absurdum.

Secunda ratio: Ea quæ iniustè aut certè ob culpam fornicatione minorem dimittitur, alteri nubere non potest, nec vir eam dimittens aliam ducere: ergo nec ea quæ propter fornicationem dimittitur, poterit alteri nubere, nec vir aliam ducere. Nam alioqui potioris esset conditionis adultera, si dimissa alium virum accipere potest, quàm quæ minùs aut omnino non deliquit; vtpote cui necesse sit vel sine spe coniugij reliquam vitam ducere, vel marito sæuo atque improbo reconciliari. Itemque melior esset conditio viri habentis adulteram vxorem, quàm aliàs improbam aut malè moratam vel etiam perpetua infirmitate & impotentia post initum matrimonium contracta laborantem, & idem iudicium si coniux perpetua captiuitate detentus impediatur à debito alteri reddendo.

Tertia: Ex hac vinculi solutione sequentur & alia absurda nihilo minora. Quando enim coniuges animis & moribus dissiderent, aut ad alienos amores aspirarent, cuperentque se vinculis prioris coniugij eximere, quod sine adulterio scirent fieri non posse, facilè ac libenter adulterandi facultatem sibi mutuo permitterent & indulgerent, atque etiam occasionem præberent, aut certè vero crimine deficiente, alter alteri quoquo modo de adulterio calumniam strueret, vt hac via prioribus vinculis expeditus, ad secundas easque optatas nuptias aduolaret.

Hanc rationem indicat sanctus Hieronymus in Matth. 19. cùm ait: *Et quia poterat accidere vt aliquis calumniam faceret innocenti & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere iubetur vxorem, vt secundam prima viuente non habeat.*

Quarta: Quantumlibet vxor delinquat, viro innocenti ius quod in ipsam habet, adimere nunquam potest: igitur nec alteri nubendo, maximè si vir suo iuri renunciare nolit. Sed nec renunciatio iuris eam vim habet, cùm possit eadem fieri extra casum adulterij.

Quinta: Viri Christiani dimittunt vxores adulteras vt corrigantur, & vt eas correctas aliquando recipiant, licèt ad hoc lege coniugij non teneantur: ergo vinculum non soluitur. Nam si solueretur, non retineret vir facultatem reuocandi coniugem correctam.

Postrema: Matrimonium significat coniunctionem Christi cum ecclesia: atqui fideles qui sunt ecclesiæ membra, quamuis interdum spiritualiter fornicentur à Deo & diuortium faciant, non tamen alienum possunt assumere Deum; neque Deus ita illos abijcit, vt nolit reconciliari, sed potiùs ad reconciliationem eos semper inuitat: ergo similiter habere se debet matrimonium carnale, vt quamuis diuortium interdum fiat ob fornicationem, nunquam tamen diremptione vinculi spes præcidatur reconciliationis.

Hanc rationem à sacramẽto ductam vrget sanctus Augustinus libro de bono coniug. capit. 7. 15. 18. & 24.

§. 13. *Respondetur ad argumenta in contrarium.*

S. Thom. vbi supr.

NVnc ad ea respondendum quæ contra catholicam hanc doctrinam ab aduersarijs proferuntur, quorum primum ac præcipuum tale est.

Dominus Matt. 19. quæstione repudij sibi proposita respondet: *Quicunque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur:* igitur, inquiunt qui dimiserit ob fornicationem & aliam

duxerit non mœchatur. Quam consequẽtiam probant à natura exceptionis quæ postulat vt diuersa sit ratio eius quod excipitur, ab eo vnde sit exceptio, velut si dicam: quicumque peccauerit, nisi pœnitentiam egerit, peribit, consequens esse volo, eum qui pœnitentiam egerit, non esse periturum. Et rursum ex eodem loco sic argumentantur, contradicentia sunt ista: Omnis qui dimiserit vxorem suam & aliam duxerit mœchatur, & non omnis qui dimiserit vxorem suam & aliam duxerit mœchatur: At posterior vera est, habetur enim ex Matthæo adiungente exceptionem vniuersali propositioni, ergo prior quę habetur apud Marcum & Lucam non est vera, nisi cum eadem exceptione, quę apud Matthæum est, intelligatur.

Huic argumento à catholicis variè respondetur.

Durandus & alij dicunt ideo fornicationis causam excipi, quia cùm secundùm legem Mosaicam debuerit adultera lapidari, licitum erat marito post supplicium & mortem vxoris aliam ducere, sed hęc solutio multis modis improbatur. Primò quia sermo erat in euãgelio de dãdo libello repudij, At mulieri lapidandæ libellus repudij non dabatur. Deinde dimitti non dicitur quæ ad suppliciũ trahitur, sed quę iubetur discedere & separatim à viro habitare. Tertiò nõ solam fornicationem hoc pacto excipere debuisset Dominus, sed omne crimen capitale vt idololatriam, blasphemiam, &c. Postremò non voluit Christus solis Iudæis hanc de matrimonio legem præscribere, sed toti suę ecclesiæ. In qua tamen sciebat supplicium mortis non vbique fœminis adulteris decretum iri.

Sunt & aliæ responsiones minùs probabiles, quas videre est apud Abulensem in Matth. 19. & Alphonsum de Castro libro contra hæreses verbo matrimonium, & apud alios. Præter quas duæ reperiuntur verborum Domini expositiones apud veteres ac nominatim apud Augustinum. Vna est quam tradit Augustinus libro 1. de adulterinis coniug. capit. 9. vbi exceptionem negatiuè exponit hoc sensu: *Quicumque dimittit vxorem non fornicantem & aliam ducit, mœchatur.* Itaque iuxta hanc explicationem non negat Dominus eum quoque mœchari, qui fornicaria vxore dimissa aliam duxerit, sed id tantùm quod maius & certius erat, & reprehensioni Pharisæorum minùs obnoxium, exprimere & commemorare voluit. Quomodo dixit Iacobus in epistola, *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi*, non negans interim etiam à nescientibus multa peccata committi. Verùm nec iste intellectus satis conuenit proposito euangelico. Quętebatur enim an dimittere liceret vxorem quacumque ex causa, cui quęstioni secundùm hunc intellectum propriè nihil erit responsum.

Quare altera eiusdem Augustini expositio quã & alij veteres ferè sequuntur, cæteris præponenda videtur, vt exceptio illa, (*Nisi ob fornicationem*) ad id quod pręcedit, tantùm referatur, totaque oratio ecliptica sit, hoc pacto supplenda atque intelligenda: *Quicumque dimiserit vxorem suam* (quod non licet nisi ob fornicationem) *& aliam duxerit mœchatur.* Simile est si dicam, quicumque mulierem cognouerit, nisi in coniugio, & libidini suæ obsecutus fuerit, peccat. Constat autem eclipticum loquendi genus Hebræis admodum fuisse familiare, & huius rei exempla plurima reperiri in sacris litteris, quale illud est, 1. Timoth. 4. *Prohibentium nubere, abstinere à cibis &c* subauditur enim vocabulum contrariæ significationis, nempe iubentium.

Hanc expositionem alijs verbis, sed eodem pene sensu reddunt alij, quum dicunt vocabulum, *mœchatur*, referendum esse diuisim ad vtramq; partem sententiæ hoc modo: *Quicumq; dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, mœchatur, & qui aliam duxerit mœchatur*, Vt significetur eum bis mœchari, qui vxorem ducit priore dimissa extra casum fornicationis; semel quidem adulterio vxoris, cui causam dedit per iniustam dimissionem, & iterum adulterio proprio, dum illa viuente aliam ducit.

Indicat hunc sensum Augustinus libro de sancta virginitate cap. 23. tractatu 9. in Ioannem & contra Adimantum cap. 3. Conueniunt autem in eundem sensum Ambrosius, in exhortatione ad virgines, Hieronymus in Matth. 19. Theophylactus & Euthymius in eundem locum, & his omnibus antiquior Basilius in regulis moralibus regula 79. Eadem videtur esse sententia sancti Thomæ scribentis in hanc distinctionem articulo 5. ad vltimum.

Et sanè congruit ista expositio quàm aptissimè proposito euangelico. Primùm enim significatur non licere dimitti vxorem, nisi ob fornicationem; Atque ita satisfit quæstioni Pharisæorum: deinde verò plenioris doctrinæ gratia, & ad excludendum latentem errorem Iudæorum quo putabant diuortium legitimum sufficere ad contrahendas nouas nuptias addit & alterum, Quod quicumque vxore dimissa aliam duxerit, mœchatur.

Congruit etiam optimè cum simili sententia Domini apud eundem euangelistam cap. 5. vbi dicitur: *Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit mœchatur.* Quo loco manifestum est exceptionem tantùm pertinere ad dimissionem, quam Dominus docet illicitam esse excepta causa fornicationis, quia per hoc vir facit vxorem mœchari. Igitur si sententiam ex sententia interpreteris, planè similis erit huius loci sensus.

Denique hunc sensum satis arguit, quod exceptio non secundo membro sed primo adiuncta sit. Si enim hoc significare voluisse Dominus, quod volunt aduersarij, dicendum potius erat. Quicumque dimiserit vxorem & aliam duxerit, nisi ob fornicationem, mœchatur, est enim ea natura exceptionis vt excipiat ab eo quod præcessit, non ab eo quod sequitur.

Aliud argumentum: Pharisæi Christum interrogantes de diuortio, loquebantur de dimissione quoad vinculum, non quoad torum vel habitationem tantùm. Neque enim Iudæi ex lege aliud diuortium didicerant. Neque apud Romanos aliasq; gentes aliud diuortium in vsu erat, ergo & Christus Pharisæis respondens de eadem dimissione locutus fuit. Nam alioqui non ad rem propositam respondisset. Respondemus Christum quamuis de alia dimissione responderet, quàm de qua interrogatus fuerat, bene ad rem præsentem respondisse, quia docere voluit in illo Iudæorum diuortio quid illicitè, quid verò illicitè fieret. Cùm enim in perfecta dimissione de qua quærebant Pharisæi, duo contineantur, nempe dimissio coniugis à toro, & potestas aliam sibi copulandi, Christus sua responsione hæc duo separauit, & illud quidem concessit, tametsi cum restrictione ad causam fornicationis, istud autem omnino negauit & sustulit. Itaque non tam diuersum ab eo quod propositum erat, respondit, quàm distinguendo quæstionem explicauit. Vnde etiam ferè alibi semper illa duo di-

stinctè

ftinctè posuit. *Quicunque dimiserit, & qui aliam duxerit*, nimirum vt ostenderet non esse vtrusque eandem rationem, cùm dimittere aliquo casu liceat, non item aliam ducere.

Tertium argumentum: Ambrosius in commentario 1. Cor. 7. ad illa verba: *Quod si discesserit, manere innuptam*, ex sententia apostoli viro tribuit ius ducendi aliam post diuortium, licèt id mulieri neget. Verba eius hæc sunt: *Non enim permittitur mulieri vt nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit, quia inferior non omnino hac lege vtitur, qua potior.* Deinde exponens illud, *Et vir vxorem non dimittat* ait: *subaudiitur autem excepta fornicationis causa, & ideo non subiecit dicens, sicut de muliere: Quod si discesserit, manere sic: quia viro licet ducere vxorem, si dimiserit vxorem peccantem, quia non ita constringitur vir sicut mulier, caput enim mulieris vir est*, Hæc ille. Respondet Gratianus 32. quæst. 7. & Magister in textu & S. Thomas super 1. Corinth. 7. ea verba commentario à falsarijs esse inserta. Sed quia difficile est id probare, præsertim reclamantibus omnibus exemplaribus, ideo quidam neoterici facientes ea esse Ambrosij verba, respondent quæstionem illam de alia post diuortium ducenda, temporibus Ambrosij nondum satis fuisse inter Christianos explicatam; ideoque nihil mirandum si in re obscura nonnihil aberrauerit. Quæ solutio probari posset, si non multorum veterum patrum quos suprà citauimus, aperta esset & concors in contrarium sententia, inter quos & ipse Ambrosius similiter se sentire non vno loco declarat, etiam cum expressa teptobatione legis Romanæ, quæ viro plus permittit ac tribuit in hoc negocio quàm mulieri. Vnde nec illorum satis probanda est responsio, qui dicunt Ambrosium hîc loqui de lege Romana quæ viris alterum connubium post diuortium permittit, non fœminis, cùm eam legem alibi, vt dixi, Ambrosius apertè reprehendat.

Vera igitur responsio est, totum illum in epistolas Paulinas commentarium non esse Ambrosij, quemadmodum satis inter eruditos conuenit, eoque omnino alicuius ex patribus insignioribus. Quæ res & ex styli diuersitate & doctrinæ dissonantia, & multis alijs argumentis doceri potest. Quædā huius commentarij verba quæ habentur super Rom. 5. citat quidem Augustinus libro 4. contra duas epistolas Pelag. cap. 4. tanquam à sancto Hilario scripta, sed nec huius authoris stylo & eruditioni opus illud cōgruit. Vnde quidam suspicantur authorem eius esse Hilarium non episcopum, sed diaconum illum Romanum factionis Luciferianæ quem in dialogo suo notauit Hieronymus, qui cùm Romanus fuerit, videri posset ad legem Romanam respexisse & ad eius normam traxisse verba apostoli. Quamquam idem commentarius cuiuscumque tandem sit, non omnino fecuit aduersarijs: Nam illud, *Quod si discesserit*, de muliere intelligit, quæ à viro adultero discessit, eamque etsi innocentem negat habere potestatem alteri nubendi, quod isti affirmant, volentes vtriusq; coniugis parem esse in hac re libertatem.

Quartum argumentum: Lactantius libro 6. diuin. insti. cap. 23. ponit inter diuina præcepta: adulterum esse qui à marito dimissam duxerit, & eum qui præter crimen adulterij vxorem dimiserit vt aliam ducat, & in epitome cap. 6. *Nunquam*, inquit, *coniugalis fœderis vinculum, nisi quod perfidia ruperit, resoluatur*: Vbi perfidiæ nomine crimen adulterij intelligi patet ex verbis proximè præcedentibus. Respondeo Lactantium priori loco addidisse ex-

A ceptionem adulterij, non quod putaret in casu adulterij licere aliā ducere, sed quia vtrùm liceret, fortè dubitabat, propter obscuritatem verborum Christi, quæ sunt apud Matth. 19. quæque paulùm mutata ab ipso referuntur. Nam alioqui cum absolutè dicit adulterum esse qui dimissam duxerit, cumque statim subiungat hæc verba: *effectus enim corpus & diuidit Deus nomine*, magis videtur nullam prorsus exceptionem agnouisse. Posterior locus sic potest accipi, vt vinculum coniugalis fœderis resolui dicatur, quando diuortium fit & coniunctio tollitur quoad torum, quod non licet nisi propter

B adulterium. Nam vinculi nomen per se latè patet, tametsi apud Scholasticos solutio vinculi significet diremptionem ipsius secundùm se matrimonij.

Quintum: Leo epistola 87. ad episcopos Africanos cap. 1. sacerdotem qui vxore dimissa alteram duxerat, tantùm ab ordine remouet, tanquam digamum, non autem significat irritum fuisse matrimonium, sed tacendo magis probare videtur. Respondetur imprimis loqui Leonem de coniugijs factis ante ordinationem, ne quis hinc suspicetur sacerdotibus aliquando permissum ab ecclesia fuisse

C matrimonium. Deinde non eum affirmare, ratumne an irritum fuerit posterius illud matrimonium priore vxore dimissa contractum, quia non hoc ibi quærebatur sed de ordinatione tantùm quæstio erat proposita. Nam & de eo quæsitum fuerat qui duarum simul esset maritus vxorum, de cuius similiter ordinatione non autem de coniugio respondet pontifex, nec per hoc tamen significans, eiusmodi coniugium ratum fuisse.

Sextum: Apud Gratianum 32. quæst. 7. extat canon cuiusdam concilij in hæc verba: *Quidam cum*

D *fratre viri sui dormiuit, decretum est vt adulteri nunquam coniugio copulentur: illi verò cuius vxor stuprata est, licita coniugia non negentur.* Sed respondetur vt canoni detur authoritas, qui tamen cuius concilij fuerit, ignoratur, quādoquidem nec hodie in vllo extat concilio, sensum eius hunc esse, adulteros incestuosos (talis enim est casus in canone propositus) nunquam posse coniugio copulari, ne quidem post mortem coniugum: At eorum coniuges non prohiberi quò minùs adulteris mortuis ad alia coniugia transeant. Qui sensus canonis colligitur tum ex antithesi partium, tum ex simili canone Gregorij

E qui habetur eadem quæst. cap. Hi verò, quem similiter de adultera incestuosa exponunt. In eo enim expressè post mortem coniugis adulteri conceditur, quod in vita negatur & similiter respondendum est ad duos alios canones alterum Zachariæ papæ, & alterum concilij Triburiensis quos ibidem Gratianus recitat. Hoc enim dumtaxat conceduntur innocenti quod prohibetur nocenti, nempe aliud coniugium post mortem prioris.

Septimum: Lex Christi neminem cogit esse cælibē, neq; inuito cuiquā imponit perpetuā conti-

F nentiā, dicēte Christo: *Non omnes capiunt verbum hoc, &, qui potest capere, capiat.* Ergo si adultera in peccato perseuerat (quo casu reuocari non debet vt ex supradictis patet) poterit innocens ad aliud matrimonium transire. Respondetur legem Christi absolutè neminem cogere ad cælibatum seu perpetuam continentiam, cùm eam inter consilia reponat, non inter præcepta: sed tamen cogit vnumquemque ad seruandum promissa. Qua ratione qui perpetuam continentiam Deo vouerunt, eam præstare tenentur, & similiter qui duxit vxorem, eo ipso tenetur seruare leges coniugij ad quas se sponte

altrinxit. Ad eas autem pertinet, vt coniux coniuge viuente nunquam alteri coniungatur; nimirum hoc postulante vinculo coniugij quod est prorsus insolubile. Vnde si à sua coniuge ex aliqua causa continere se debet, vt est casus adulterij permanentis, consequenter cogitur ad cælibatum. Neque hoc argumentum magis euincit de eo qui adulteram abijcere & ab ea abstinere cogitur, quã de eo cuius vxor incurabili morbo atque impotentia laborat, aut de ea cuius maritus apud barbaros perpetuis est vinculis mancipatus. In quibus omnibus oritur obligatio seu diuturnæ seu perpetuæ continentiæ, non directè ex præcepto Dei vel ecclesiæ, sed indirectè; nimirum concurrente rerum euentu & conditione. Quam rem Augustinus luculentè declarat libro 2. de adulterinis coniug. cap. 1. 18. 19. & 20.

Solent & alia huc adferri argumenta, sed quorum solutio partim ex nunc dictis, partim ex ijs quæ ad distinctionem 33. dicta sunt, facilè colligi potest.

§. 13. Sitne ratum matrimonium cum ea quam quis polluit adulterio.

S. Thom. suppl. q. 55. art. 3.

NOn obstat lex naturalis neque diuina, quò minùs ratum, imò & licitum esse queat matrimonium, quod quis cum ea contrahit, cum qua priùs adulteratus fuit; si videlicet postea mortuus fuerit vir eius, quemadmodum patet exemplo Dauidis qui duxit eam quæ fuerat Vriæ. 2. Regum 12. Vnde Augustinus libro 1. de nuptijs & concup. cap. 10. *Mortuo*, inquit, *viro cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo priùs adulterium fuit.*

Cæterùm pro dignitate & honestate matrimonij atque in detestationem adulterij, canones ab ecclesia conditi sunt, quibus eiusmodi matrimonium irritum esse decernitur, sed certis dumtaxat casibus; qui proinde canones, quoniam pœnales sunt, ad alios casus in ipsis non expressos extendi non debent. Sunt autem casus expressi quatuor.

Primus: Si quis seu vir seu mulier procurauit mortem coniugis per tertium aliquem, ita vt mors inde fuerit subsecuta, nunquam poterit matrimonium intercedere inter homicidam & coniugem superstitem siue spe matrimonij patrata sit cædes, siue non: itemque, siue prius per adulterium commixti fuerint, siue non. Patet istud ex rescripto Celestini tertij extra de conuersione infidelium cap. Laudabilem, in quo etiã allegatur canon concilij Triburiensis qui habetur apud Gratianum 31. quæst. 1. cap. Si quis viuente. Quòd si verò vel casu vel in bello alius alium occiderit, non prohiberi interfectorẽ quò minùs interfecti vxorem ducat, eodem loco pontifex declarat. Et ratio est, quia talis interfectio non censetur procurata seu malitiosè machinata, vt ibidem pontifex loquitur. Opinatur autẽ Caietanus in summula, verbo matrimonium, impedimẽto 5. si quis alterũ occidat spe matrimonij cum vxore eius contrahendi, ipsa tamen in cædem viri sui minimè consentiente, nec interueniente priùs adulterio, non repugnare canones, quò minùs cum ea ratum contrahat matrimonium; quippe cũ hunc casum canones non expresserint. Quæ opinio verane sit an falsa, pendet ex vera intelligẽtia postremæ partis iam dicti canonis, *Laudabilem*, vbi sic dicitur: *In his igitur respondemus, quòd cum tales non procurauerint virorum interitum defunctorum; matrimonium inter huiusmodi personas licitè potest contrahi & taliter copulati diuortium nequeunt postulare.* In quibus verbis, si id quod dicitur, *tales*, ad solos viros interfectores referatur, vt prima facie videtur, faciet contra Caietanum. Consequens enim erit, si quis etiam inscia muliere viri mortem procurauerit, eum postea non posse mulierem illam ducere: sin autem complectatur etiam mulieres, vt significetur commune consilium procurandi seu machinandi cædem virorum, id quod penitius mentem pontificis inspicienti magis videtur, pro Caietano faciet.

Secundus casus: Si alter coniugum adulterium commiserit cum aliquo, & adulterorum alter mortem fuerit machinatus innocenti cum effectu, coniux superstes non poterit in matrimonium accipere eum cum quo commisit adulterium. Decretum est cap. Super hoc & cap. Significasti, extra de eo qui duxit in matrimonium eam quam polluit per adulterium, & consentit canon cõcilij Triburiensis paulò antè citatus.

Tertius: Si adulter fidẽ dederit adulteræ, se eam accepturum in coniugem legitima coniuge defuncta, nullum cum ea poterit illi esse matrimonium. Nec interest vtrùm ea sponsio præcedat adulterium an sequatur. Hunc casum habemus titulo eodem cap. Si quis, & cap. Significasti. Si tamen adulterium non intercesserit, licèt talis promissio peccato non careat, matrimonium futurum non impedit, vt docetur eodem cap. Si quis.

Quartus: Si alter coniugum cum alio vel alia contraxerit per verba de præsenti, & adulterium intercesserit vel ante vel post huiusmodi contractum, nunquam inter eos coire poterit matrimonium. Patet ex eodem cap. Si quis. Sed hoc intellige, dummodo alter sciat alterum vel alteram coniugatam esse aut saltem postea id cognoscat, nec tamen ab adulterio desistat, quemadmodum declaratur eodem titulo ca. Sicut & ca. Ex literarum. Nam si non sciat nisi post mortem alterius coniugis, aut si ante mortem cognoscens statim ab adulterio destiterit, ratũ fieri poterit matrimonium, vt ibidem habetur cap. Propositum & cap. Veniens. Imò qui fraudem fecit, compelli poterit priore defuncta ad eam ducendam quam deceperat, vt in fine eiusdem cap. Propositum, significatur.

Alijs porrò quibuscunque casibus ratum fieri poterit inter adulteros matrimonium, dummodo nullum aliunde proueniat impedimentum. Nec obstãt verba ex Leone & concilio Triburiensi can. 51. citata tum à Magistro, tum etiam à Gratiano 31. quæst. 1. quibus generaliter cauetur, ne quis in matrimonium ducat, quam priùs adulterio polluit: Nam aliud est prohiberi matrimonium cũ aliquo, quod generaliter fit propter adulterium præcedẽs, aliud irritari ipsum ac dirimi, si contractum fuerit, quod tantùm fit in casibus iam explicatis.



IN DISTINCTIONEM TRIGESIMAMSEXTAM.

§. 1. *Quis error conditionis matrimonium impediat.*

S. Thom. suppl. q. 5. & 52. art. 1.

DE multiplici errore contractum matrimonij impediente vel non impediente dictum est ad initium distinctionis 30. vbi inter alios erat error conditionis, de quo cũ Magistro tractandum est hoc loco.

Conditionem autem intelligere oportet eam solam qua alij liberi, alij serui dicuntur. Ac seruorum quidem nomine intelliguntur, qui sic in dominorum sunt potestate, vt eorum sint propria possessio, & ab ijs etiam iure vendi possint: liberi verò sunt, quicumque tali seruituti non sunt obnoxij.

Cæterùm accidere potest circa conditionem in contrahendo matrimonio quadruplex error. Aut enim liber liberum esse putat, qui seruus est. Aut liber seruum putat, qui liber est, aut seruus liberum, qui seruus est: aut denique seruus seruum qui liber est. Inter quos modos solus primus impedit matrimonium & contractum dirimit, quemadmodum liquet ex decretis apud Gratianum 29. quæstione secunda quæ etiam à Magistro citantur in textu, & ex decretalibus titulo de coniugio seruorum per complures canones. Huius impedimenti ratio est, quia talis error accidit circa id quod aliquo modo attingit substãtiam matrimonij. Ad eam enim pertinet vt coniuges mutuò dent corporis potestatem: seruus autem cùm sui corporis non sit dominus nisi imperfectè, nec eius potestatem plenè ac perfectè in alium transferre potest; sicque hoc pacto inter tales personas, id est, liberum & seruum iniqua commutatio, non consentiente in hanc iniquitatem eo qui liber cùm sit, seruilem alterius conditionem ignorat. Quod in reliquis tribus modis non accidit.

Non est tamen improbabilis quorundã opinio, vt Paludani & Dominici, existimantium hoc impedimentum non prouenire ex solo iure naturali, sed constitutum esse lege ecclesiastica, cuius tamen æquitas in lege naturæ fundata sit. Cùm enim seruus simpliciter aptus sit coniugio etiam manente seruitute, & error cõditionis seruilis non sit personæ sed qualitatis, non videtur naturæ lege irritum esse matrimonium liberi cum serua, vel liberæ cum seruo, seruitutis cõditione ab eo qui liber est, ignorata. Nam licèt qualitas illa quæ ignoratur, coniugijs fortè magna ex parte impediat, non tamen omnino tollit. Vnde & verum contrahitur matrimonium dum liber vel libera in seruilem personam sciens consentit; quia seruus reuera corpus suum ad vsum coniugalem donare & tradere potest; quod si non posset, iam nullum esset inter eiusmodi personas matrimonium, etiam conditione nõ ignorata; quin imò nec inter ambos seruos contractum matrimonium ratum esset, cùm inter eos matrimonij vsus multò magis impediatur quàm inter liberum & seruum. Est enim impedimentum illis ex vtraque parte, maximè si sint serui diuersorum dominorum. Atque hinc facilè respondebitur ad obiectiones de matrimonio, quod contrahitur cum persona quæ

A propter morbum aut officium siue negocium difficulter aut tardè potest reddere debitum, etiamsi tale impedimentum ignoretur: & rursum de matrimonio quod cõtrahitur cum eo qui ad nutũ imperatoris mancipatus est militiæ, à qua obligatione expedire se nõ possit, præsertim si sit obstrictus sacramẽto, idque ignorante muliere quæ illi nubit. Cùm enim hi casus sint rariores, non fuit visum ecclesiæ de ijs irritantem canonem edere, sicut fecit de errore conditionis seruilis.

B

§. 2. *Seruorum matrimonia non pendere à voluntate dominorum.*

NOn ita serui dominis subiecti sũt, quin possint ijs ignorantibus atque inconsultis, vel etiam inuitis ratum contrahere matrimonium, siue cum liberis, siue etiam cum seruis alijs quamquam alienæ potestati subiectis. Ita enim statuunt canones 29. q. 2. cap. Omnibus & extra de coniugio seruorum cap. 1. Quæ constitutiones legi naturæ consentaneæ C sunt, atque ab ea deriuatæ. Cùm enim seruitus humano iure sit introducta, non debet homini præscribere in ijs quæ sunt officij naturalis; eiusmodi sũt, edere, bibere, somnum capere, generationi operam dare, quò minùs hæc ab eo iuxta exigentiam naturæ possint exerceri. Neque in his nisi aliquo modo per accidens seruus subijcitur domino, per se verò tantùm subiectus est ei in actionibus atque operis externis quatenus illæ Domino vtiles esse possunt. *S. Thom. suppl. q. 52. ar. 2.*

Sed hic obijcitur canon 30. secundi concilij D Cabilonensis, quem & Gratianus citat 29. quæst. 2. & Magister in textu. In quo canone post hæc verba, *Visum est vt coniugia seruoru non dirimantur, etiãsi diuersos dominos habeant, sed in vno coniugio permanentes dominis seruiant suis*, ita subiungitur: *Et hoc in illis obseruandum est, vbi legalis coniunctio fuit & per voluntatem dominorum.*

Similis est canon apud Basilium numero 40. sic enim loquitur: *Quæ præter domini sententiam se viro tradidit, fornicata est; Quæ autem postea libero matrimonio vsa est, nupsit. Quare illud quidem fornicatio, hoc verò matrimonium est. Eorum enim qui sunt in alterius pote-* E *state, pacta conuenta firmi nihil habent.* Sic ibi: Cuius canonis doctrinam explicat & confirmat suo commentario Balsamon, allegata etiam ad eam rem lege Imperatoria; & quidem Magister propter canonem Cabilonẽsem in casu coniugij duorum seruorum dubius hæret & nihil audet affirmare. Videntur tamen dicendum canonem illum ideo legalis, id est, legitimæ coniunctionis meminisse, quia sæpe contingebat seruos à contrahendo matrimonio prohibitos austeritate dominorum, illicitos concubinis sectari. Addit autem *Per voluntatem dominorum*, quia F ferè non erat legalis seu legitima seruorum coniunctio, nisi per voluntatem dominorum, quibus inuitis ob metum malæ tractationis, verum matrimonium attentare non audebant.

Posset similiter responderi ad canonem Basilij, nisi obstaret ratio canonis; nempe quod eorum qui in aliena sunt potestate, pacta conuenta nihil firmi habent. Hoc enim in pacto coniugali non obtinere iam ostendimus. Quare potiùs dicendum canones illos nec Basilij esse, nec tantæ authoritatis vt decretis Romanorum pontificum possint præiudicare. Quod idem de lege Imperatoria respondendum

el.

est. Quamquam etiam dici potest ecclesiam aliquamdio approbasse, vel rolerasse leges ciuiles quæ iam antè fuerant in vsu, præsertim quibusdam locis, vbi leges contrarias introducere difficile erat; postea verò multiplicato fidelium populo, eas tulisse leges per quas animarum saluti certiùs esset consultum. A

§. 3. *Tres quæstiones eodem pertinentes explicantur.*

S.Thom. ibidem.

B QVæritur, Vtri magis obsequi debeat seruus coniugatus domino aliquid præcipienti, an vxori debitum petenti. Respondet sanctus Thomas hac io re prudentia opus esse, & vtriusque partis ponderandam necessitatem, atque illi obsequendum, cui opera seu serui seu mariti magis io præsenti appareat necessaria, hinc pensando vtilitatem domini, & illinc vxoris periculum ab incontinentia.

Hoc quoque obseruandum, si dominus in matrimonium serui consensit, eum ex actione operarum nullũ facere debere præiudiciũ operi coniugali, ex quo si detrimẽtum patitur, censetur in illud ex cõsequenti consensisse: sed si in matrimonium serui non consensit, debebit seruus cæteris paribus potiùs vacare domino suo quàm vxori. Volunt hoc Alexandri tertij verba cap. 1. extra de coniugio seruorum cũm ait: *Et si contradicentibus dominis & inuitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissoluenda, debita tamen & consueta seruitia non minùs debent proprijs dominis exhiberi.* C

Iterum quæritur, liceatne domino seruũ coniugatum vendere ijs à quibus in longinquam regionem procul ab vxore sit abducendus, præsertim si & vxor serua sit alium habens dominum, ideoque maritum sequi non possit. Hic quoque cum sanct. Thoma respondendum talem venditionem nisi ad eam necessitas aliqua dominum cogat, prorsus iniquam esse ac naturali iuri matrimonij contrariam; quia per eam violentè separantur coniuges qui sibi mutuò sunt sui corporis debitores. Quare talem venditionem etiam lege publica prohiberi conuenit, cùm ea non tantùm charitati verùm etiam iustitiæ repugnet; nimirum priuans vtrumque coniugem re sibi debita. Ita sentit glossator ad capitulum suprà dictum. D

Tertiò quæritur, possitne maritus liber existens licitè se in seruum vendere etiam inuita vxore. Cùm enim duobus modis accidere possit seruitus homini libero etiam coniugato, nempe si vel in bello captus in seruitutem redigatur, vel ipse se alteri vendat in seruum; de priori quidem modo non est quærendum, quia contingit illa seruitus homini inuito, sed de solo posteriori qui procedit ab ipsius viri voluntate, quæstio hæc mouetur. Ad quam respondendum posse virum id facere etiam non exspectata voluntate vxoris, si modò iusta subsit necessitas. Et ratio est, quia saluo iure vxoris, quod videlicet ipsi ad petendum debitum saluum manere potest & debet, in alijs omnibus liberam habet vir suarum actionum dispositionem. Vnde per huiusmodi accessoriam seruitutem, neque matrimonium semel legitimè contractum dissolui potest, etiamsi fortè maritus in fraudem vxoris se seruum fecisset, neque vxor in similem seruitutem se tradere tenetur, quemadmodum in concilio Triburiensi decretum est, & habetur apud Gratianum 29. quæst. 2. cap. Perlatum. E F

§. 4. *Quæ sit contrahendis matrimonijs ætas legitima.*

S.Thom. suppl. q. 58. art. 5.

QVamuis ad contrahenda sponsalia sufficiat ætas septem annorum, vt habetur in decreto Gratiani 30. quæst. 2. cap. sponsalia & extra de desponsatione impuberum, per plura capita, ad matrimonium tamen contrahendum maior ætas requiritur, nempe in masculo 14. annorum, & in fœmina 12. vt habent pontificum decreta titulo iam dicto.

Huius autem ratio est, quia matrimonium præter consensum mutuum requirit in vtroque contrahentium facultatem operis coniugalis, quam ante finem secundi septennij mares ordinariè non habent, vti nec fœminæ ante finem anni duodecimi. Qua etiam ætate vtcumque de seipsis ac statu vitæ suæ disponere possunt, non promittendo tantùm vt fit in sponsalibus, sed & transigendo quod fit in matrimonijs, vtpote iudicio rationis iam nonnihil confirmato. Quare matrimonio secundum duplicem considerationem, & quatenus est contractus humanus, & quatenus ad generationem destinatur, rectè præfigitur terminus ætatis supradictæ. Ea verò propterea in masculo maior requiritur quàm in fœmina, quia cùm mas naturâ fœmina sit præstantior, plus temporis requirit vt tam animo quàm corpore perficiatur. Nam imperfectiora citiùs adolescunt.

Quod si prædicta ætas desit, ratum non est matrimonium, nisi fortè malicia vel prudentia, (nam vtroque modo canones loquuntur) suppleat ætatem, vt est titulo eodem cap. De illis, & cap. Tuæ. Cuius exceptionis sensus est, nisi experientia compertum sit aut comperiatur ambos ad carnalem commixtionem iam idoneos esse, Quo casu pro matrimonio iudicandum erit.

Sciendum tamen matrimonium ante ætatem legitimam contractum, dummodo præsente parocho & duobus testibus iuxta Trid. decretum fuerit contractum, vim habere sponsalium, si tamen tempus illud septennio sponsalibus præscripto non sit minus, vt statuitur in sexto decretalium cap. Vnico de desponsatione impuberum. Addo autem, dummodo præsentè parocho &c. quia si aliter attentatum fuerit, cõtractus omnino nullus & irritus erit, ita vt nec in sponsalia resolui possit, quemadmodum ostendimus ad distinctionem 27. in annotatione de clandestinis sponsalibus.

Porrò tametsi ætas iam dicta ita sit canonibus definita, vt ante eam contracta matrimonia inualida censeantur, ordinariè tamen peccant, qui non expectata maturiori ætate ad matrimonia conuolant. Nam præmatura illa generatio facit plærumque, vt etiam coniuges ipsi viribus extenuentur, atque ad virile robur non perueniant: & præterea quod præcipuum est, vt proles susceptæ infirmiores atque imperfectiores sint, nec ad iustam vel ætatem, vel corporis integritatem attingere possint. Canones autem qui de ætate agunt, non quid liceat aut expediat, sed in qua ætate vera & rata sint matrimonia, declarant.

IN DISTINCTIONEM TRIGESIMAMSEPTIMAM.

§. 1. *Ordinibus sacris initiato nunquam licuisse vxorem ducere.*

S. Thom. suppl. q. 53. art. 3. & 4.



GENDVM nunc est de impedimento nuptiarum quod prouenit ex ordine sacro. Circa quod primò monstrabimus nũquã in ecclesia Christi licuisse presbyteris, sed nec diaconis neque subdiaconis post ordinem susceptum vxorem ducere. Deinde & alias quæstiones huic themati connexas explicabimus.

Quod autem dicimus nunquam licuisse, generaliter intelligi volumus tam de Græcorum ecclesia quàm de Latina, quemadmodum ex subiunctis canonibus alijsque testimonijs parebit.

Ac primò quidem non desunt scripturæ quibus hanc continentiæ legem ab ipsis apostolis manasse, & proinde apostolicam esse valde probabiliter doceatur. Vult enim apostolus Paulus Tit. 1. *Episcopum sobrium & continentem esse.* Quo loco notandum vocem Græcam quam interpres vertit *sobrium*, vt Hieronymus in commentario testatur, ambiguam esse, & hoc loco castum significare; sed quia castitas etiam in coniugio est, ideo apostolum addidisse continentem, videlicet ab amplexibus vxorijs, vt ibidem Hieronymus interpretatur. Idem apostolus Timotheum 1. Timoth. 4. admonet, *Vt exemplum se prabeat fidelibus in castitate.* Id autẽ quomodo præstabit episcopus, si in eo hoc tãtùm commendetur, quòd præter vxorem non cognoscat aliam, sed vnius mulieris complexibus contentus viuat, cùm id etiam ab infimo quoque fidelium omnino requiratur. Exigitur ergo ab eo castitas qua absolutè contineat, & per quam etiam alijs continentibus ac Deo dicatis virginibus exemplo esse possit.

Eodem spectat quod proximo capite ad Timotheum dicit: *Teipsum castum custodi.* Neque enim de coniugali castitate loquitur, quasi metuens ne adulterijs inquinaret se Timotheus, quem tantę ciuitati ac prouinciæ episcopum præfecerat, & tam multorum testimonio comprobatum, vt est Actor. 16. ordinauerat: sed quia cælibem vitam agebat, & iuuenis erat, ab apostolo fuit ad castitatem exhortandus. Vbi interim nota, quòd non eum remittit apostolus ad matrimonium tanquam remedium incontinentiæ. Nam neque vlla historia prodidit Timotheum habuisse vxorem, quod tamen alioqui maximè oportebat propter iuuenilem eius adhuc ætatem. Vnde & ipse Timotheus vt carnis lasciuiam refrænaret, aquæ potu corpus macerabat non sine læsione stomachi & valetudinis, quod indicant verba sequentia. Id enim sequitur: *Noli adhuc aquam bibere, &c.*

Eundem Timotheum admonens apostolus secundæ epistolæ 2. *Vt laboret, sicut bonus miles Christi Iesu* subiungit: *Nemo militans implicat se negocijs secularibus!* Atqui nuptias ad negocia secularia pertinere & res ipsa loquitur & Basilius testatur in procemio constitutionum monasticarum.

A Hæc igitur satis probant episcopo non licere, nec apostolorum tempore licuisse vxorem ducere, & proinde nec presbyterorum quia de presbyteris ideo tacuit apostolus teste Chrysostomo in commentario 1. Timot. 3. quòd ferè eadem de illis atque de episcopis constituta vellet; tum maximè secundùm aduersarios, qui inter episcopum & presbyterum non distinguunt.

Præterea tam Petrus apostolus 1. epistolæ 3. quàm Paulus 1. Corinth. 7. volunt coniugatos *ad tempus abstinere ab opere coniugali vt vacare possint orationi*, sub qua & aliæ res diuinæ comprehenduntur.
B Ex qua apostolica doctrina colligunt Origenes homilia 23. in Num. Epiphanius in hæresi Catharorum & Hiero. libro 1. contra Iouinianum, & super Tit. 1. episcopis alijsque altaris ministris perpetuò à re coniugali abstinendum esse, cùm perpetuò debeant vacare orationi.

His accedit, quòd tempore veteris testamenti quotquot erãt vel appropinquaturi Deo, vel sancta tractaturi, iussi sunt ab vxoribus suis continere, vt patet Exodi. 12. 19. 28. & 1. Regum 21. Quibus locis & exemplis ad statuendam ministrorum noui testamenti continentiam, vtuntur Ambrosius lib. 1.
C officiorum capite vltimo, sanctus Hieronymus super Tit. 1. & Beda libro tertio de tabernaculo capite 9.

Adde quòd sacerdotes veteris testamenti toto tempore ministerij sui in tabernaculo (neque enim ijdem continuò sed vicibus tantùm ministrabant) debebant abesse à domo & vxoribus, vt satis colligitur ex 1. Paralip. 24. & Lucæ 1. Vnde sumunt argumentum pontifices, Siricius in epistola ad Himerium, & Innoc. 1. ad Victricium, & post eos Beda in Lucæ 1. debere sacerdotes noui testamenti, qui
D semper ministrant, semper à re vxoria continere: ex quo deinde manifestè consequens est eis non licere vxores ducere.

Verùm idipsum multò apertiùs probant canones & decreta tam pontificum quàm conciliorum.

Ac primùm quidem inter canones apostolorum vnus extat numero 27. qui sic habet: *In nuptijs qui ad clerum prouecti sunt, præcipimus vt si voluerint vxores accipiant sed lectores cantoresque tantummodo.* Nec refert siue legatur In nuptijs, siue vt quidem legunt, vna composita voce innuptis, id est non coniugatis;
E & rursum siue vxorem accipere sit vxorem ducere siue vxore priùs habita vti. Nam vtcolibet modo canon ille confirmat apertè quod volumus; nempe ijs qui sunt in maioribus ordinibus constituti, non esse licitum vxores ducere. Nam si vti non licet, nec ducere licet.

Deinde concilium Ancyranum antiquissimum can. 10. statuit diaconos qui in ipsa ordinatione non protestantur se velle vxorẽ habere, non posse post ordinationem eam ducere. Si autem protestentur & nihilominus ab episcopo ordinentur, posse du-
F cere quia nimirum tunc episcopus censetur cum eis dispensasse. Iam verò quod diaconis negatur, constat multò minùs id presbyteris permitti.

Concilium Neocæsariense eiusdem ferè ætatis can. 1. *Presbyter*, inquit, *si vxorem duxerit, ordine suo moueatur.* Hæc autem duo concilia apud Græcos habita fuerunt, ex quo satis intelligitur quàm hæc vetus sit etiam apud Græcos constitutio.

Sequitur Nicænum primum generale concilium etiam in Græcia celebratum, quod can. 3. prohibet, ne cum episcopis, presbyteris & diaconis vlla mulier habitet præter matrem, sororem & ami-

tam.

tam. Igitur iuxta decretum Nicenum vxorem secum morantem habere illis non licet. Neque verò ratio sinit vt cohabitatio mulierum ijs interdicatur, quibus licet vxores habere, præsertim cùm vxores clericorum maximè episcoporum & presbyterorum ministerio ancillarum carere nec possint, nec debeant.

Romanum concilium sub Silvestro primo can. 8. prohibet subdiaconis ne vxores vllo modo ducere audeant.

Cyprianus vel quisquis author libri de singularitate clericorum scribit ibi à domino reuelatum non debere clericos domi suæ habere mulieres, idque latè probat.

B Origenes homilia 23. in Numer. vult eos solos offerre sacrificium qui indesinenti & perpetuæ se deuouerint castitati.

Epiphanius in fine operis contra hæreses. *Sanctum*, inquit, *sacerdotium ex virginibus vt plurimum, aut ex solitarijs, aut si hi ad ministerium non sufficerint, de his qui se a proprijs vxoribus continent: & si quis ab initio continens viduus factus, habere potest locum episcopi, presbyteri, diaconi, hypodiaconi.* Alter Epiphanij locus est in hæresi Catharorum.

C Hieronymus contra Vigilantium scribens: *Quid facient*, inquit, *orientis ecclesiæ quid Ægypti & sedis apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?* Et in fine apologiæ contra Iouinianum: *Episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur aut vidui, aut certè post sacerdotium pudici.* Hic autem rursum notandum est nominatim adduci ab Hieronymo exemplum ecclesiarum orientis, id est, Græcorum.

D Augustinus libro 2. de adulter. coniug. cap. 20. de viris abiecta adultera alias nuptias propter infirmitatem carnis expetentibus loquens: *Solemus*, inquit, *eis proponere continentiam clericorum qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam rapiuntur inuiti, eamque susceptam vsque ad debitum finem, Domino adiuuante, perducunt.* & quæ sequuntur.

Leo primus in epistola 84. ad Anastasiū Thessalonicæ in Græcia episcopum capit. 4. *Cùm*, inquit, *extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, vt & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in ordine qui quartus est à capite, dignum est custodiri, quanto magis in primo vel secundo, vel tertio seruandum est, ne aut Leuitico ministerio, aut presbyteriali honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate vxoria nedum frænasse detegitur?* sic ille apud quem similis est locus in epistola 90. ad Rusticum cap. 3.

E Callistus secundus, quem alij minùs rectè primum illius nominis faciunt, apud Gratianum distinctione 27. ita statuit: *Presbyteris, diaconis, subdiaconis, & monachis concubinas habere seu matrimonia contrahere penitus interdicimus.*

F Sed ne in recitandis sententijs æquo prolixiores simus, alia tam cōciliorum quàm patrum in eandem sententiam loca duntaxat indicabimus.

Carthaginense concilium 2. can. 2. ad apostolicam doctrinam refert ministrorum altaris continentiam. Eandem exigunt Carthaginense concilium 5. can. 3. & concilium Africanum can. 37. quibus Augustinus interfuit. Concilium Arelatense 2. can. 2. Turonense 1. can. 1. & 2. & Turonense 2. can. 20. Agathense concilium cap. 9. Aurelianense 3. canon. 2. Toletanum. 1. capit. 4. Toletanum 2. cap. 1. Toletanum 4. canon 26. & Toletanum 8. cap. 6. concilium Aquisgranense cap. 6. Wormaciense cap. 9. Moguntinum capit. 10. & his omnibus antiquius Elibertinum concilium cap. 33. in quo vt in plærisque superioribus etiam subdiaconi nominantur. Nam quod quidam canones antiquiores de subdiaconis tacent, non ideo factum quasi non eos communi lege continentiæ cum presbyteris & diaconis astrictos velint, neque enim vllus est canon qui subdiaconos ab illa lege exceptos esse dicat, sicut canon apostolicus excipit cantores & lectores, sed subdiaconi generali nomine diaconorum sæpe apud veteres comprehenduntur, tanquam diaconi inferiores velut ipsum nomen sonat. Vnde quod à diaconis exigitur sine exceptione subdiaconorum, idem à subdiaconis quoque exigi censetur, præsertim cùm alij multi canones subdiaconos in hac causa etiam expressè nominent ac diaconis adiungant. His adde Viennense concilium generale sub Clemente 5. in quo grauibus appositis censuris idem statuitur.

Patrum quoque loca sunt ista: Siricius Papa in epistola ad Himerium cap. 7. & 11. Innocentius primus in epistola ad Victricium cap. 9. & ad Exuperium cap. 1. Gregorius primus libro 1. epistola 42. & libro 3. epistola 34. & libro 6. in libros Regum capit. 1. Zacharias papa in epistola vltima ad Bonifacium Germaniæ episcopum, & Leo 9. in libro contra epistolam Nicetæ abbatis, & alia Romanorum pontificum decreta quæ leguntur apud Gratianum distinctione 27. 28. 31. & 32. & in decretalibus titulo de clericis coniugatis. Item Eusebius libro primo demonstrat. euang. cap. 9. Epiphanius in hæresi Catharorum. Ambrosius libro primo officiorum cap. vltimo & in epistola 82. ad ecclesiam Vercellensem & eius titulo commentarius in 1 Timoth. 1. Chrysostomus homilia 2. de patientia Iob, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 12. Gregorius Nyssenus libro de virginitate cap. vltimo. Isidorus libro secundo de diuinis officijs capit. 5. 8. & 10. Anselmus epist. 8. Beda libro 3. de tabernaculo cap. 9. Oecumenius in illud 1. Timoth. 3. *Vnius vxoris virum.* Arator in Acta cap. 30. & alij quos recensere longum esset.

Huc denique pertinent omnes canones & decreta, quibus ordinat iubentur ab vxoribus ante ordinationem ductis abstinere, de quibus paulò pòst. Qui enim contingere non permittitur vxorem quā habet, multò minùs ducere permittitur quam non habet.

Porrò decretis & sententijs patrum, etiam exempla omnium temporum consentiunt. Quotquot enim probatæ vitæ extiterunt à temporibus apostolorum episcopi & presbyteri, à coniugio abstinuerunt; adeo vt ne vnum quidem exemplum in contrarium produci possit. Nam quæ à sectarijs exempla commemorantur, aut de vxoribus ante ordinationem ductis ac nihilominus à toro separatis intelligi debent, aut de minoribus clericis, aut exempla sunt eorum qui reprehenduntur, aut sunt conficta hæreticorum mendacia.

Quoniam autem morem Græcorum imperiti quidā nobis obijcere solent, scire oportet non modò primis ecclesiæ temporibus, vt iam ex orientalis ecclesiæ concilijs & authoribus ostensum est, sed & posteaquam à Romana ecclesia desciuerunt, hanc eandem cum cæteris ecclesijs legem, & consuetudinem Græcos retinuisse, qua videlicet initiatos à contrahendo matrimonio prohibent. Id enim statuit synodus in Trullo post sextam synodum Oecumenicam authoritate schismaticorum aliquot episcoporum circa annum Domini 700. coacta, & fal-

so no-

A so nonne sexta synodus appellata. Nam canon 6. post allegatum canonem apostolicum, præcipit obseruandum vt nulli penitus hypodiacono, diacono, presbytero, sub depositionis pœna post sui ordinationem coniugium contrahere liceat. Atque hunc canonem vsque in hodiernum diem seruant etiam schismaticæ Græcorum & eorum qui Græcis adhærent ecclesiæ.

B

§. 2. *An irritum sit matrimonium ab ordinatis contractum.*

S. Thom. quæst. iā citatar. 3. & 4.

CAnones antiquiores ita prohibent initiatis matrimonia contrahere, vt tamen non significent inualida esse, si quæ ab illis fuerint attentata, sed tantùm puniunt eos honoris priuatione. Vnde canon primus concilij Neocæsariensis leuiùs punit presbyterum qui vxorem duxerit, quàm qui fornicatus fuerit. C Sic enim statuit: *Presbyter si vxorem duxerit ab ordine suo illum deponi debere: Quod si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra ecclesiam abijci & ad pœnitentiam inter laicos redigi.* Refert Gratianus distinctione vigesimaquinta capit. presbyter. Cur autem presbyter vxore ducta non inter laicos stare iussus fuerit causa est, quòd locus ei concedi potuit inter clericos subdiaconis inferiores quos à coniugio non arcet lex ecclesiæ. Quem locum ob criminis grauitatem fornicatione vel adulterio pollutis presbyteris canon negat.

D Cæterùm posteriores canones & decreta põtificum eiusmodi omnia matrimonia rescindunt, & separari præcipiunt eos qui sic fuerint copulati, constituta etiam excommunicationis pœna sic contrahentibus donec agnito errore separentur ab inuicem. Ita constituit concilium Viennense sub Clemente quinto. Idemque præcepit Callistus secundus & Alexander tertius. Quorum Callistus reliquis duobus prior, fuit enim anno Domini 1100. significat se non primum hoc statuere, vt quidam falsò autumant, sed sacrorum canonum definitionem sequi. Nam & apud Bedam illis multò antiquiorem in libro pœnitentiali legitur: *Si presbyter vel diaconus, vel monachus vxorem duxerit, in conscientia populi deponendum esse.* Qui- E bus verbis dum presbyteri & diaconi coniugium comparatur cum eo quod monachus contrahit, videtur similiter irritum haberi. Quod & in decreto Callisti de vtrisque expressum est.

Ex his igitur constat matrimonia initiatorum etsi non statim ab initio irrita fuerint, temporis tamen progressu canones ab ecclesia conditos esse, quibus præter prohibitionem quæ apostolica est, etiam irrita fierent, eosque iam ante Callisti tempora extitisse. Quam quidem ecclesiæ constitutionem confirmat synodus Tridentin. session. F 24. canon. 9. dum eum qui dicit clericos in sacris ordinibus constitutos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, anathemate condemnat.

Habuit autem hoc irritans seu annullans decretum manifestam ac necessariam rationem. Nam si prohibitum tantùm esset non etiam inualidum tale matrimonium, nondum spes contingi penitus ablata esset ordinatis. Itaque contingeret vt plurimi ordinati pudore postposito & contemptis vel neglectis censuris ecclesiasticis, non sine ingenti ordinis dedecore ac fidelium scandalo ad desideratas nuptias conuolarent, quòd scirent eas quamuis sibi illicitas, attamẽ ratas fore, ac postea rescindi nõ posse, qui nunc matrimonio per legem ecclesiasticam irritato & proinde desperato, ad sanctiora suæ incontinentiæ remedia felici quadam necessitate confugere compelluntur.

§. 3. *An vxore ante ordinationem ducta vti liceat.*

S. Thom. ibidem.

EX antiquis rerum ecclesiasticarum historijs, imò & ex ipsis canonibus sacris satis constat primis illis ecclesiæ temporibus assumptos fuisse non rarò ad sacrum altaris ministerium viros coniugatos, id quod nec hodie penitus extra vsum est. Veruntamen prouidè semper actum vt tales assumerentur qui & ipsi parati essent continentiam deinceps colere, & vxores haberent eiusdem propositi sequaces, quia nunquam placuit alicui inuito, vel viro, vel mulieri continendi necessitatem imponere. Quod si vel maritus, vel vxor hanc continentiæ legem detractaret, non fiebat ordinatio. Quod vt de omnibus sacris ordinibus fuit iam inde ab initio constitutum: ita diligenter in omnibus, sed maximè in episcopo & presbytero fuit obseruatum. Hoc igitur intelligendum in omnibus canonibus & decretis quibus prohibentur initiati commisceri suis vxoribus; videlicet virumque coniugem ante ordinationem sponte se subiecisse legi continentiæ, aut certè in ipsa ordinatione verbo vel etiam solò silentio in eam consensisse. Nam silentium pro consensu haberi in hac parte propter publicam & omnibus notam continentiæ legem sacris ordinibus annexam docet nos can. 10. Ancyranus, vbi solo silentio professi dicuntur continentiam qui manus impositionem susciperent.

Canones autem quibus id quod diximus, prohibetur hi ferè sunt, can. 27. apostolicus canon 29. concilij 2. Carthaginensis testatur esse antiquæ obseruationis & apostolicæ constitutionis, vt ordinati ab vxoribus sese abstineant.

Eandem legem præscribunt & renouant concilium Carthaginense 5. canon. 3. & Africanum canon 37. quibus sanctus Augustinus interfuit: Item concilium Elibertinum canon. 33. Arelatense 2. canon. 2. & 3. Synodus Romana sub Siluestro 1. canon. 19. Quem canonem de coniugis vsu magis quàm de nouo coniugio accipiendum esse doceri potest ex canone 8. eiusdem synodi. His adde concilium Arausicanum sub Leone 1. canon. 20. & 21. Turonense canone 1. & 2. Moguntinum canon. 10. Toletanum 1. canon. 1. secundum canon. 1. tertium canon. 5. quartum canon. 26. & octauum canon. 7. Denique Agathense concilium can. 12. legem hanc continentiæ ita ab ordinandis exigit, vt etiam vxorum voluntatem velit requiri, priusquam mariti ordinentur.

Pontificum porrò decreta non pauca extant in eandem sententiam, vt Lucij papæ & martyris apud Gratianum distinctione 31. capit. Ministri, & Siricij papæ in epistola ad Himerium Tarraconensem episcopum. Huius pontificis tempore Iouiniani

ab illis non sine schismatis specie aduersus ecclesiam Romanam. Quod apertè declarant verba canonis 13. synodi in Trullo habitæ, vbi etiam malè & perperam allegatur canon 2. secundi concilij Carthaginensis, cùm ille planè contra eos faciat. Eiusdem tamen Trullani concilij canon 12. & 48. cum Latinis sentit de continentia episcoporum. Quoniam & Epiphanij tempore de episcopis non fuit vllo modo toleratum quod de alijs, vt patet ex verbis paulò antè recitatis. At verò postea Romani pontifices pacis & concordiæ studio eam libertatem Græcis permiserunt, vt coniugibus ante ordinationem ductis copulari possent, quemadmodum patet ex rescripto Innocentij tertij extra de clericis coniugatis capit. Cum olim. Estque ea permissio similis illi quæ habetur ex decreto eiusdem Innocentij extra de diuortijs capit. Finali. Qua quibusdam recenter ad fidem conuersis indulgetur matrimonium in gradu affinitatis aliàs prohibito.

§. 5. *Qua lege & ob quas rationes continentia ab ordinatis exigatur.*

S. Thom. superius allegato vide etiã quæst. 36 eiusdem suppl.

SVnt quædam ad mores actionesque hominum pertinentia, quæ principium quidem habent ex lege naturæ, dictante videlicet ea vel honesta esse vel inhonesta quæ sunt ijs contraria, ita vt horum indecentiam quandam ipsa per se ratio naturalis ostendat sine adminiculo legis positiuæ, quæ tamen accedente & legem naturæ perficiente simpliciter illicita fiunt: cuiusmodi est cum ijs qui sanguine vel affinitate iuncti sunt, matrimonia contrahere. Hoc enim tanquam legi naturæ dissentaneum notatur in Chananæis Leuit. 18. & 20. Sed quia certo casu & gradu licitè fieri potest, accessit determinatio legis positiuæ, primùm diuinæ per Moysen, deinde ecclesiæ quæ in sacris canonibus extat, qua lex illa naturalis perficeretur. Tale quid est hominem sacro altaris ministerio deputatum, vxorem ducere vel cum vxore priùs ducta commisceri. Ostendit enim lex naturæ id indecorum esse nec bene congruere cum officio & dignitate sacri ordinis. Verùm quia nõ ita malum est, quin ex iusta causa possit aliquibus concedi, ideirco ne vel simpliciter causæ rationabilis prætextu passim & promiscuè à quibuslibet idem vsurparetur, opus fuit positiua lege quæ legem naturæ perficeret, & instinctum eius confirmaret.

Itaque dicere possumus quæ huiusmodi sunt, inchoatiuè quidem prohiberi lege naturæ, perfectè autè & absolutè non nisi lege positiua; maximè si de singulis hominibus loquamur. Nam communiter talia fieri procul dubio plus habet indecentiæ ac deformitatis, sicut illud de matrimonijs propinquorum apud Chananæos. Vnde nec videtur negandum quin ea quatenus ita communiter & promiscuè fiunt, quãdo ratio cur fiat, non est communis, simpliciter contraria sint legi naturæ, ideoque non tam concedẽda quàm permittenda seu toleranda interdum abrogatione legis positiuæ, sine præiudicio legis naturalis. Et hoc sanè modo iudicandum videtur de consuetudine Græcorum matrimonium ante ordinationem contracto passim vtentium.

Quod autem legi naturæ dissentaneum sit vtrumque, & ordinatos matrimonium contrahere, & eo priùs contracto vti, multis rationibus ostendi

A potest, quæ tamen omnes ferè hac vna generali ratione comprehenduntur.

Dictat lex naturæ abstinendum esse vnicuique ab ijs rebus atque actionibus quæ cum officio eius pugnant, aut certè ipsum impediunt ac dehonestant: atqui coniugij vinculum & coniugalis complexus vehementer impediunt officium episcoporum, presbyterorum, diaconorum & subdiaconorum, ipsosque sacros ordines non parum dehonestant; ergo ordinati ab ijs abstinere debent. Assumptio probatur enumeratione officiorum, B quæ ad ordinatos, præsertim sacerdotes pertinent: Ea sunt sacrificare, sacris altaribus assistere, ac ministrare, orare, in lege Dei iugiter meditari, verbum Dei prędicare, deniq; verbo & exemplo salutem fidelis populi promouere.

Primùm igitur præcipua illa sacerdotalis functio quæ in sacrificando consistit, magnam requirit animi & corporis puritatem, vti testantur Ioan. Chrysostomus libro sexto de sacerdotio, & sanctus Hieronymus libr. primo contra Iouinianum. Nam si sacerdos veteris testamenti sacrificium tempore C vicis suæ oblaturus ab vxore & domo sua secedebat, Lucæ primo, & si panes propositionis edere non poterant, nisi mundi à mulieribus 1. Regum 21. quantò maior exigenda est mundicia ab ijs quorum munus est sacrificare verum agnum immaculatum, vel sacrificanti assistere, & edere panem illum qui de cælo descendit, ipsam videlicet carnem filij Dei cuius vetera illa sacrificia & propositionis panes figuræ tantùm & vmbræ fuerunt, cum ea re quam præfigurabant, nequaquam conferendæ.

At, inquiunt, satis est si ab vxoribus abstineant D sacerdotes tantisper, dum sacrificandi vices præterierint, sicut faciebant Leuitici sacerdotes. Hoc enim & orientales hodie obseruant. Quibus respondendum ecclesiæ sacerdotes ad hoc ordinari vt totos se velut Nazaræos quosdam totumq; vitæ suæ tempus intelligant consecratum esse Domino, quod proinde totum impẽdant ad salutem populi, orando, sacrificando, alijsque diuinis rebus vacando, non autem certa temporum interualla rebus aut actionibus secularibus attribuant. Leuitis autem necessariò tempus aliquod vtẽdi coniugij concessum fuisse propter generis propagationem, eò quòd in vna illa tribu eiusque vna stirpe Aaronica sacerdotium illud vetus contineretur. Hanc rationem simul & responsionem suggerunt Siricius & Innocentius 1. pontifices in epistolis dudum citatis, E Hieronymus in commentario epistolæ ad Tit. 1. ad illud *sobrium*. Ambrosij titulo commentarius in 1. Tim. 3. & Beda in Lucæ 1.

Secundum igitur officium est orare, coniuges autem, vt significant Petrus & Paulus 1. Pet. 3. & 1. Corinth. 7. *Quo vacent orationi ex consensu ad tempus abstinere debent*: ergo ministris altaris, quibus semper orandum est, semper & omnino à coniugio abstinendum erit. Hoc argumento vtitur Hieronymus vbi suprà.

F Huic coniunctum est tertium, id est assidua meditatio legis diuinæ, quam res coniugalis mirum in modũ impedit, & interturbat, vt tam hîc quàm in cæteris officijs diligenter considerandum sit illud apostoli 1. Corinth. 7. *Qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.*

Quartũ est (etsi non omnibus ordinatis cõmune) prædicandi verbi Dei officium: Cuius & dignitatem minuit & efficaciam impedit coniugij status

Ambrosio teste libro primo officiorum cap. vltimo. Neque enim audietur cohortans fideles ad perpetuam continentiam qui ipse non continet. Neque is cum apostolo dicere poterit, *Volo autem vos omnes esse sicut meipsum.* Hinc idem apostolus monet Timotheum 1. epistolæ capit. 4. *Exemplum esto fidelium in castitate.*

Quintum est cura pastoralis cui totum se, vt oportet, dare non potest, quem vxoris & filiorum cura distrahit.

Sextum est singularis pauperum cura, cum qua non facilè consistit sollicitudo alēdę vxoris & liberorum, quibus ex præcepto legis naturæ debet pater thesaurizare.

Postremò notandum quod Epiphanius dicit in hæresi Catharorũ propter ipsum honorē sacerdotij necessariam sacerdotibus esse continentiam? Nam nisi vulgus in ordine sacerdotali conspiciat aliquid eximium, quale maximè est abstinentia operis carnalis, nunquam sacerdotibus eum honorem deferet, quem ordo tam diuinus meretur.

§. 6. *Refelluntur argumenta aduersariorum.*

S. Thom. vbi sup.

MVlta sunt quæ contra legem continentiæ sacerdotalis ab aduersarijs objiciuntur: quorum nos præcipua proferemus, eademque breuiter dissoluemus, sunt autem partim ex scriptura, partim ex canonibus & patribus desumpta, partim ex ratione.

Primum ex scriptura, vult enim apostolus 1. Timoth. 3. & Tit. 1. episcopum, presbyterum & diaconum esse *vnius vxoris virum*, quod non præciperet, si eum vel omnino vxore carere vel ab ea abstinere vellet.

Secundum. Idem apostolus 1. Timoth. 4. prædicit in nouissimus diebus venturos quosdam prohibentes nubere, idque annumerat doctrinis dæmoniorum.

Tertium. Hebr. 13. dicit: *Honorabile connubium in omnibus & torus immaculatus*; nemini ergo interdicendum est connubium.

Quartum, 1. Corinth. 7. *Si acceperis vxorem, non peccasti.*

Quintum, 1. Corinth. 9. *Nunquid non habemus potestatem*, ait apostolus, *mulierem sororem*, vel vt in Græco sororem mulierem. Id est, vxorem, *circumducendi, sicut cæteri apostoli & fratres Domini & Cephas?* Nam Græca vox non minùs vxorem quàm mulierem significat, nec posse mulierem intelligi hoc loco, probatur, quia ineptè adderetur mulierem, cùm omnis soror sit mulier. Certè de vxore intellexit Clemens Alexandrinus libr. 3. stromatum circa medium, vbi etiam Paulum asserit vxorem habuisse, ex eo quia dicit Phil. 4. *Rogo & te germane compar*, quod ex Græco verti potest germana coniux.

Sequuntur deinde argumenta ex canonibus.

Sextum: Canon 6. apostolorum sic habet: *Episcopus aut presbyter vxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat, si verò reiecerit, excommunicetur, & si perseuerauerit, deijciatur*: ergo saltem vxorē priùs ductam possunt, imò tenentur retinere.

Septimum: Gangrense concilium in præfatione inter errores quorundam hæreticorum numerat, quòd presbyteros qui matrimonia contraxerunt, sperni debere dicant, nec sacramenta quæ ab ijs conficiantur, attingi.

Octauum: Ancyranum concilium canon. 10. *Diaconi*, inquit, *si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes velle se habere vxores, nec posse se continere, hi postea si ad nuptias venerint, maneant in ministerio*: ergo saltem diaconis præmissa hac protestatione ordinatis saluo ministerio licebit contrahere matrimonium.

Nonum: Conciliũ Carthaginense 5. cui Augustinus interfuit can. 3. statuit, vt episcopi, presbyteri, diaconi se abstineant ab vxoribus in proprijs terminis, id est in ordine vicis suæ, vt patres sextæ synodi can. 13. interpretantur.

Decimum: Sextæ synodi patres iam dicto canone statuunt, primùm vt hypodiaconi, diaconi & presbyteri à prioribus suis vxoribus non separentur, ita tamen vt vicis suæ tempore eas non contingant, iuxta canonem Carthaginensem: deinde vt si qui audeant ordinatos priuare consuetudine vxorum priùs ductarum, aut ipsi ordinati pietatis prætextu vxores suas eijciant, excommunicentur.

Vndecimum: Leo epistola 87. cap. 1. de episcopo scribit in hunc modum: *Dicente apostolo vt inter alias Christianismi regulas is episcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuisse aut esse constaret, tam sacra semper est habita ista præceptio, vt etiam de muliere sacerdotis eligenda eadem intelligatur seruanda conditio, ne fortè illa, priusquam in matrimonium eius veniret, qui aliam non habuisset vxorem, alterius viri esset experta coniugium.* Ex quibus verbis apparet episcopum non tãtùm posse habere vxorem sed etiam posse ducere, si non habeat.

Duodecimum: Stephanus papa apud Gratianum distinction. 13. *Aliter*, inquit, *orientalium se habet traditio ecclesiarum, aliter huius sanctæ Romanæ ecclesiæ. Nam earum sacerdotes, diaconi, aut subdiaconi matrimonio copulantur; istius autem ecclesiæ vel orientalium nullus sacerdotum à subdiacono vsque ad episcopum licentiam habet coniugium sortiendi.* Quę verba clarè testãtur apud orientales non tantùm licitum esse ordinatis vt vxores, quas habebant, retineant, verùm etiam vt matrimonio copulentur, & coniugium de nouo sortiantur qui coniugati non erant.

Decimumtertium: Referunt Platina in vita Pij secundi & Sabellicus in historia, & Fulgosius in memorabilibus titul. de sapienter dictis, Pium secundum pontificem dicere solitum: *Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, maiori restituendas videri.*

Decimumquartum: Referunt Socrates libr. 1. cap. 8. Sozomenus libr. 1. cap. 22. Suidas in Paphnutio & Nicephorus lib. 8. cap. 19. cùm patres concilij Niceni legem ferre vellent, ne liceret clericos cum suis vxoribus consuetudinem habere, surrexisse in medio concilij Paphnutium confessorem & cõtradixisse, synodum verò vniuersam eius rationibus permotam eius sententiæ subscripsisse, & continentiam in arbitrio cuiusque reliquisse.

Decimumquintum: Referunt Sozomenus lib. 1. cap. 11. & Nicephorus lib. 8. cap. 42. Spiridionem episcopum sanctum & miraculis clarum, quamuis coniugem in matrimonio & liberos ex ea susceptos haberet, non propterea tamen in rebus diuinis aliquo deteriorem fuisse. Et apud Victorem lib. 2. persec. Vand. quædam pia mulier filiam se profitetur quondam Quititanæ ciuitatis episcopi, & Gregorius hom. 38. super euangelia testatur Felicem pontificem Romanum proauum suum fuisse: Duxerat ergo vxorem.

Postremò objiciunt legem hanc cœlibatus, etsi fortè aliquando vtilem, nunc tamen inutilem ordini sacerdotali, totique ecclesiæ, imò verò noxiam esse, vt quam adeo multi cum magno ordinis dede-

core,

core, & populi fidelis scandalo impudicè viuentes præuaricâtur, pauci illibatam seruaut, ideoque omnino tollendam esse contendunt.

Sunt & alia quæ objici solent, sed quæ magis votum quàm legem cōtinentiæ oppugnaut; ad quæ proinde suo loco respondebimus circa distinctionem proximè sequentem.

Nunc ad proposita respondeamus.

Ad primum igitur respondetur, quod si præceptum apostolicum sic accipitur, vt omnis episcopus, presbyter & diaconus iubeatur vxorem habere, fieri coosequens vt oec Paulus ipse, nec alij apostoli qui vel vxores non habuerunt, vel eas propter Christum reliquerunt; imò nec Christus ipse virgo virginis filius, digni fuerint episcopali munere. Vult ergo apostolus episcopum, presbyterum & diaconum esse vnius vxotis virum, id est, (quemadmodum ad distinctionem vicesimamseptimam exposuimus) qui non plures vxures habuerit, siue simul, siue aliam post aliam, sed vel vnicam vel nullam: ita tamen vt ab vnica si eam adhuc habet, sese contineat, iuxta id quod ibidem additur, *sobrium seu continentem*. Hunc sensum primò manifestè probat quod idem apostolus 1. Timoth. 5. de viduis sic statuit: *Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor*, id est, quæ non plures habuerit maritos quàm vnum. Probat deinde patrum authoritas. Sic enim intellexerunt Tertullianus libr. 1. ad vxorem, Epiphanius hæresi 59. Ambrosius libr. 1. de officijs cap. vltim. & epistol. 82. Hieronymus in Tit. 1. & in epistola ad Oceanum, Augustinus libr. de bono coniugali capit. 18. Chrysostomus homilia 2. in epistol. ad Tit. & quotquot in epistolas ad Timotheum & ad Titum tam Græci quàm Latini commentati sunt. Confirmant idem suis decretis pontifices. Siritius epist. 1. cap. 11. Innocentius 1. epist. 22. capit. 1. Leo epist. 88. cap. 1. Gelasius epistol. 1. cap. 5. Hilarius in concilio Romano. Certissimè verò confirmat perpetuus vsus vniuersalis ecclesiæ, quæ propter hanc apostolicam legem digamos à sacris ordinibus repellit, semperque repulit, vt testantur Innocentius & Leo locis modò citatis, & satis patet ex canonibus apud Gratianum distinct. 26. & ex decretalibus titul. de digamis. Noo est autem prætereundum, quod ex ijsdem apostoli verbis statui potest, quibusdam saltem ordinatis non esse concessum vxorem ducete. Nam si apostolus digamum ad sacrum ordinem non admittit, multò minùs permittit iam ordinato vt mortua vxore secundam ducat atque ita digamus fiat. Constat ergo ex hac scriptura quosdam ordinatos apostolica lege à coniugio prohiberi.

Ad secundum. Ecclesia nemini simpliciter prohibet coniugium, imò docet non esse cuiquam inuito imponendam continentiæ legem; sed vult neminem ad sacros ordines assumi, qui noo cōtinentiæ iugum, priusquam ordinetur, vltro suscipiat. Quamquam illud, *prohibentes nubere*, dictum est de ijs tantùm qui nuptias etant damnaturi, tanquam per se malas, quales erant Encratitæ, Marcionitę & Manichæi. De quibus apostoli locum exponunt, Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, Augustinus li. 30 contra Faustum Man. cap. 5. & 6. Chrysostom. & alij in commentario huius loci. Non autem de ijs qui nuptias fortè quibusdam ex legitima causa prohiberent, sicut Ionadab filius Rechab posteris suis interdixit vinum. Ierem. 35. ac multò minùs de ijs qui ad ministerium altaris non admitterent nisi continentes.

Ad tertium respoodemus apostolum eo loco tradere præcepta ad mores pertinentia, quibus admonet quid fieri debeat. Sensus igitur est: Coniugium in omnibus legitimè coniunctis sit honorabile & immaculatum, sic vt illud non dehonestēt stupris & adulterijs. Vnde sequitur: *Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus*. Alij alias adferunt interpretationes, sed hæc quam diximus, maximè congruit textui, ac sanè germana est.

Ad quartum. Loquitur ibi apostolus de eo qui non est alligatus voto. Nam de ijs qui vel quæ vouendo iugum continentiæ spoote susceperunt, dicit 1. Timoth. 5. *Eas si nubere volunt, damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Ad quintum respondetur eo loco mulierem vt interpres noster vertit, non vxorem intelligi, noo obstante authoritate Clementis Alexandrini, qui in ea opinione singularis est. Loquitur enim apostolus de pijs fœminis, quæ, vt mos habebat Hebræorum, sequebantur apostolos, eisque ministrabant, sicut & Dominum secutæ legūtur Luc. 8. Atque hæc est communis omnium commentatorum interpretatio, quibus adde Tertullianum libr. de monogamia cap. 8. Hieronymum lib. 1. contra Iouin cap. 14. & Augustinum libr. de opere moo. cap. 4. & 5. Nec obstat postpositum nomen mulieris, quia secūdùm sensum præcedit. Dictum est enim ea phrasi qua in Actis aliquoties dicitur: *Viri fratres*. Denique notaodum quod Clemens quamuis vxores intellexit, addit tamen apostolos eas habuisse vt sorores, non vt vxores, id quod præsenti loco sufficit. Paulum verò longè est probabilius vxorem nunquam habuisse. Certè ipse 1. Corinth. 7. se inter eos numerat qui vxores non habent, cùm dicit: *Innuptis & viduis dico: bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego*, & rursum: *Volo autem vos omnes esse sicut meipsum*. Quare improbanda est eorum sententia qui locum Phil. 4. de vxore Pauli accipiunt.

Ad sextum respondetur sensum canonis esse, oe clerici vxores ante ordinationem ductas abijciant à cura sua. Tenentur enim eas alere ac de necessarijs prouidere, iuxta illud: *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*, 1. Tim. 5. Quem sensum suggerit ipsa synod. Trullana cap. 48. vbi dicitur, *Episcopi uxorem debere in monasterio aliquo degere, sub prouidentia episcopi viri sui.* Quod idem præcipit concilium Turonense 2. can. 8. cùm dicit episcopum cōiugatum debere vxorem habere vt sororem, & eius curam gerere, verùm id absque vlla suspicione carnalis commercij. Quibus accedit quod Græca vox εὐλαβείας, pro qua interpres vetus religionem, propriè cautionem significat, vt sensus sit episcopum aut presbyterum noo debere curam vxoris abijcere prætextu cautelæ qua sibi vult cauere à periculo vel suspicione incontinentiæ & carnalis consuetudinis.

Ad septimum. Gangrensis synodus contra eos agit qui nuptias tanquam malas damnabant, ideoque & presbyteros qui aliquando coniugati fuissent vel adhuc essent, vitabant vt immundos, nec sacrificijs eorum interesse, nec eucharistiam de manibus eorum accipere volentes. Id patet tum ex tota præfatione tum ex canone 1. & 4. tum etiam ex Nicephoro, qui lib. 9. cap. 45. aperit occasionem decretorum huius concilij. Adde quòd in præfatione synodi non dicitur, qui matrimonijs vtuntur, sed qui matrimonia contraxerunt; videlicet ante ordinationem. Et in can. 4. non dicitur qui vxorem habet aut ea vtitur, sed qui vxorem habuit, per quod satis insinuatur synodū non voluisse suffragari presbyteris vxores habentibus quoad vsum.

Ad octauum: Ancyranus canon, quod apud Græcos à quibus editus est, permissum aliquando fuerit, monstrat, idque in diaconis duntaxat; ex quo satis intelligitur in presbyteris id haudquaquam fuisse permissum. At apud Latinos nihil tale constitutum vnquam legitur, ne quidem de subdiaconis. Imò nec apud Græcos ipsos præter hunc canonem alius reperitur similis, quo videlicet diaconis libertas ista protestandi in sua ordinatione indulgeatur. Vnde synodi illius temporariam tantùm & particularem fuisse permissionem patet, qua diaconis præmissa protestatione ordinatis permittebatur manere in ministerio, etiamsi postea vxores accepissent, propterea quod ijs episcopus licentiam dedisset. Nec tamen additur vtrumne rectè an secus episcopi quidam illam licentiam darent, ordinando videlicet protestantes. Non desunt autem qui hunc canonem non de ducenda vxore, sed de vtenda ea quæ ante ordinationem ducta esset, interpretantur.

Ad nonum respondetur canonem illum Carthaginensem malè ex Latino in Græcum versum fuisse. Nam Latina nō habent in proprijs terminis, sed secundùm priorum statuta, vel secundùm propria statuta, id est, secundùm canones priores in ecclesia Carthaginensi editos. Respexerunt enim illius concilij patres ad canonem secundum secundi cōcilij Carthaginensis, qui simpliciter prohibet ordinatis vsum vxorum, idque iuxta doctrinam apostolorum & antiquam obseruationem.

Ad decimum respōdetur sextam synodum nullos canones edidisse, vti nec quintam synodum. Quod ita esse testatur septima synodus actione 4. & 5. Cæterùm post annos ferè 27. ab ea synodo, quidam Græcorū episcopi schismatici in palatium Cōstantinopolit. quod Trullū vocabatur, cōuenerunt, inibique multos canones sub nomine sextæ synodi ediderunt, in quibus quædam reperiuntur schismatico spiritu atque ex odio Romanę ecclesię constituta, cuiusmodi esse hunc decimumtertium canonem non est dubium, cùm in eo apertè & nominatim mos ecclesiæ Romanæ reprehendatur. Reprobauit autem eam synodum tāquam erroneam Sergius papa, vt refert Beda in libro de sex ætatibus, & Paulus diaconus rerum Romanarum libr. 8. cap. 9. Sed interim notandum hanc synodum nullo modo permittere ordinatis, vt vxores ducant, id quod huius ætatis sectarij volunt, sed tantùm vt ijs ante ordinationem ductis vtantur, à qua tamen indulgentia episcopos excipit, vt patet legenti canones 6. 12. & 48.

Ad vndecimum, Leo non loquitur de muliere sacerdotis eligenda, vt malè habent quædam exemplaria, sed de muliere sacerdotis eligendi; ea nimirū quam habuit ante ordinationem, à qua tamen deinceps abstineat, vt clarum est ex eiusdem epistola 84. cap. 3. & 4.

Ad duodecimum, Vtcumque recipiatur authoritas illius decreti, quod tamen in volumine conciliorum inter decreta pontificum nusquam extat, respondendum est intelligi debere ad hunc modum, Græcos vxoribus suis copulari in matrimonio (sic enim legendum, non autem copulari matrimonio, emendatiores codices probant) videlicet ante ordinationem contracto. Nam priusquam ordinarentur, vxores ducebant, eò quòd ordine suscepto id facere prohiberentur. Latinos autem non habere licentiam sortiendi coniugium, ne quidem ante ordinationem, sic vt eo postea vti possent in ordine constituti. Significatur enim cōsuetudo Græcorum posteriorum, quam etiam Romana sedes pacis & concordiæ causa eis indulsit. Nam vt ordinati apud eos vxores ducerent, neque canone permissum, neque consuetudine introductum apud eos est vsque in hodiernum diem. Vel sensus est, matrimonio copulātur, id est, copulati seu coniuncti sunt, vel matrimonij copulam exercent; quomodo contrà dicimus aliquos misceri stupro, copulari fornicatione vel adulterio. Et hic sensus est maximè probabilis. Sic enim & Hieronymus loquitur libr. 2. contra Iouin. cap. 10. de primo homine, cui constat ante peccatum datam fuisse à Deo Euam coniugem. Verba sunt: *Electus è paradiso statim duxit vxorem. Qui ieiunus in paradiso virgo fuerat, satur in terra, matrimonio copulatur*, id est, copulam matrimonialem exercet, & vt scriptura loquitur Genes. 4. *Vxorem suam cognouit.* Itaque non videtur negandum, in decreto scriptum fuisse, *matrimonio copulantur*, cum id nihil obstet proposito.

Ad decimumtertium, Si vera est narratio, respondetur Pium ita sensisse ante pontificatum, & proinde non esse sententiam magnæ authoritatis. Nam si in pontificatu ita sensisset, qua erat potestate & authoritate summa in ecclesia præditus, aut poterat legem continentiæ abrogare, aut de ea abroganda in concilio episcoporum vel cœtu cardinalium agere. Quorum neutrum fecisse legitur.

Ad decimumquartum primò respondetur historiam illam, cuius ante Socratem nemo meminit, posteriores autem vt Sozomenus, Suidus & Nicephorus ex illo acceperunt, meritò quibusdam haberi suspectam, cùm probabile sit Paphnutium fuisse Meletianum, & proinde nullius in concilio authoritatis. Nam de Paphnutio Meletianæ factionis episcopo meminit Epiphanius hæresi 68. quæ est Meletianorum, quem etiam scribit Arium in societatem suscepisse. Quin & dubitari potest, quomodo cum ea narratione consentiat canon tertius eiusdem concilij, quo prohibentur episcopi, presbyteri & diaconi mulierem secum vllam habere præter matrem, sororem & amitam. Item Epiphanius hæresi 59. dicens fieri contra canones quòd ordinati liberos gignant, & Hieronymus contra Vig. negans in oriente & Ægypto licitum esse ordinatis matrimonij vsum. Deinde vt vera sit narratio, manifestum est de ijs illic tantùm agi qui ante ordinationem vxores duxerant, & continentiæ legem spontanea professione non susceperant. Quamuis enim canones prohiberent ordinatis vsum coniugij prioris, fieri tamen potuit vt apud quosdam consuetudine in contrarium præualente (sicut de subdiaconis factum est in Sicilia Gregorij tempore) multos coniugatos non requisita ab ipsis aut eorum vxoribus continentia passim episcopi ordinarent, quos inuitos postea ad continētiam cogi meritò durum & iniquum videri potuit. Itaque dici potest talibus ex sententia patrum, liberum fuisse abstinere vel non abstinere, dum tamen qui in posterum ordinarentur, scirent iuxta canonem 3. sibi abstinendum esse. De vxoribus autem post ordinationem ducendis nulla ibi mentio. Sed contrarium ex ipsius Paphnutij sententia disertè à dictis authoribus astruitur.

Ad decimumquintum, Spiridion vt alij primis ecclesiæ seculis multi, ante episcopatum ex vxore liberos susceperat. Vt enim post episcopatum id fiat, nec hodie Græcorū mores patiuntur. Idem dicendum de Felice papa, & de patre mulieris cuius meminit Victor.

Ad rationem postremo loco positam, respon-

detur

detur legem cœlibatus etiã hodie vtilem ac salutarem esse, vt per quam dignitas & maiestas ordinis sacerdotalis conseruatur. Quod eo magis futurum est, si & canones de qualitate ordinandorum exactè seruentur, & excessus delinquentium secundùm eosdem canones seuerè puniantur.

§. 7. *Utrùm lex continentiæ sacerdotalis tolli vel in ea dispensari possit.*

S.Thom. suppl. q. 53. art. 3. & 4.

Legem continentiæ initiatorum insolubilem esse, id est, solui & abrogari sine iniuria sacrorum ordinum & ecclesiasticę dignitatis nõ posse testantur pontifices Siricius epistola 1. cap. 7. & Innocentius primus epistola 3. cap. 1. Quod etiam conuincunt rationes ab illis pro ea lege doctè & copiosè expositæ. Quare non rectè sentire videntur, qui dicunt ecclesiam vel Romanum pontificẽ hanc legem tollere, ac generali permissione potestatem facere ordinatis, pręsertim sacerdotibus, vxores ducendi. Quod perinde est ac si dicat aliquis, posse ecclesiam abrogare canones quibus prohibentur matrimonia consanguineorum vel affinium. Multò minùs illi audiendi qui rectè & consultè facturam ecclesiam putant, si legem illam semel tollat. Vnde nec Græci qui plurimum licentiæ hac in parte sibi vsurparunt, eò progressi sunt, vt vxores ducerent iam ordinati, sed tantùm vt quas accepissent ante ordinationem, apud se retinerent. Quod ipsum tamen ijs generaliter, non quia bonum est, sed propter duritiam cordis eorum ab ecclesia permissum fuisse iam suprà docuimus. Sed cùm aliud sit tollere legem, aliud in ea dispensare, non est negandum quin ex causa rationabili possit aliquando dispensari, vt quis ordinatus vxorem ducat, quemadmodum & constat à summo pontifice cum quibusdam dispensatum fuisse post diaconatum vel subdiaconatum susceptum. Cuius etiam dispẽsationis exemplum aliquod apparet in canon. decimo Ancyrano, vbi diaconis in ordinatione protestantibus se continere non posse: dari dicitur ab episcopis illos ordinantibus licentia matrimonij contrahendi. Item apud Gregorium qui diaconos Siciliæ vxoribus vtentes non vult ob officio repelli.

Ratio huius doctrinæ est, quia vt sanctus Thomas ait 2.2. quæst. 88. art. 2. continentia sacris ordinibus annexa est solùm ex decreto ecclesiæ. Vnde & patres Tridentini concilij sess. 24. canon. 9. vocant hanc legem ecclesiasticam. Potest autem ecclesia vel pontifex in legibus seu statutis ecclesiæ etiam vniuersalis dispensare. Cuius contrarium in Petro Oxomensi ante centum annos damnatum est. Sanè Caietanus in respons. 11. ad articulos sibi impositos, affirmat pontificem id posse, etiam cessante causa publicæ vtilitatis.

Potest autem hoc etiam à simili probari. Nam saluo sacerdotis officio dispensari cum eo potest, vt vtatur coniugio ante ordinationem contracto id quod qui in diuersa sententia sunt, non negant, & factum aliquando fatentur, & Græcis ab ecclesia permissum est; ergo & dispensari poterit vt ordinatus contrahat. Siue enim vxor ducta fuerit ante ordinem siue post, æqualiter eius vsus impedit, perturbat ac dehonestat officium & dignitatem sacerdotis; ideoque neutrum concedi debet, nisi ex iusta causa fiat horum incommodorum compensatio.

Quod autem ordo presbyterij per se non repugnet matrimonio, vel ex eo patet, quia si quis presbyter olim duxisset vxorem, non ab ea separabatur tanquam irrito coniugio, sed amouebatur à ministerio. Ratum ergo matrimonium erat ecclesia prohibente quidẽ talem coniunctionem, sed nondum irritante.

Ex his igitur ostenditur quàm sit improbabile quod nonnulli docent, vt Ioannes Maioris in 4. distinct. 24. quæst. 2 & Clichthouæus in lib. de continentia sacerdotum, legem continentiæ sacerdotum esse ex iure diuino, & proinde in ea non posse dispensari. Quorum rationes reuera non aliud probant, quàm decere quàm maximè vt sacerdotes perpetuam continentiam colant, nec posse sine magno dignitatis ecclesiasticæ detrimento, & sacerdotalis officij impedimento eam legem tolli, non autem vt ex causa rationabili dispensari in ea non possit.

Sed neque dispensationi huic obstat solenne votum in ordinis susceptione expressè vel tacitè factum. Cùm enim continentia non pertineat ad substantiam ordinis sacri, tametsi cum eo valde congruat, poterit salua ordinatione tolli authoritate ecclesiæ ea obligatio quæ ex voto continentiæ nascitur. Nam de voto religiosorum alia ratio est. Nam statui religioso ad quem per votum quis consecratur, continentia essentialiter est annexa, vt proinde super eius voto dispensari nequeat. Itaque solennitas voti continentiæ in ordinatione per se respicit ipsam ordinationem, qua quis consecratur ad ministerium sacrum; per accidẽs autem votum continentiæ, quatenus non sine tali voto tacito vel expresso quis ordinatur. Vnde si propriè loquamur, non est hoc votum solenne sed simplex, annexum tamen solenni consecrationi, id est, ordinationi sacræ, non ex natura rei sed ex lege ecclesiæ, & ita annexum vt eiusdem ecclesiæ constitutione sit impedimentũ matrimonij dirimens. Fauet huic declarationi canon nonus sess. 24. Tridentini concilij, quo damnantur anathemate, *Qui dicunt clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solenniter professos posse matrimonium contrahere, contractumq́ validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto*. In quibus verbis solennis professio castitatis videtur solis regularibus tribui. Hoc enim quod sequitur, *Non obstante lege ecclesiastica vel voto*, ita additum est, vt singula singulis reddenda sint. Nam lex ecclesiastica nominatur propter clericos in sacris ordinibus constitutos, votum propter regulares.

Quæ cùm ita sint, multò magis effici poterit ecclesiastica dispensatione, vt quis ordinetur non facto priùs continentiæ voto. Nam hîc in sola lege ecclesiæ dispensatur, ibi in lege simul & in voto.

Nota etiã ex ijs verbis quod non est necesse dicere votum continentiæ esse annexum ordini sacro, sed legem continentiæ. Nullus enim canon est, quod sciam, qui votum exigat; sed multi qui legem statuant. Vnde & in quibusdam ecclesijs non exigitur votum in ordinatione, ad obligationem lex sufficit. Et sanctus Thomas non dicit votum continentiæ sacris ordinibus annexum esse ex decreto ecclesiæ, sed continentiæ. Rectè tamen in multis ecclesijs promissio exigitur, vt qui ordinantur, sciant suam ordinationem.

§. 8. *Vxoricidium an licitum, & quatenus impediat matrimonium.*

S. Thom. suppl. q. 60. tota,

AD ea impedimenta quæ ex crimine proueniunt, pertinet vxoris interfectio, vno vocabulo vxoricidium. Contingit autem vxorem à viro interfici, vel propter adulterium vel aliam ob causam.

Ac primò quidem satis constat viro non esse licitum vxorem etiam in flagranti crimine adulterij deprehensam priuata authoritate interficere, multò minùs vel extra flagitium, vel ob aliam causam quamcunque. Peccat enim qui id facit, contra præceptum: *Non occides*, & contra illud: *Mihi vindictam & ego retribuam* Idem docent canones apud Gratianum 33. quæst. 2. cap. Interfectores, & cap. Quicunque, & cap. Admonere.

Probat & ratio, quia cùm vir & mulier in negocio coniugali pari iure versentur, si viro licet interficere vxorem adulteram, licebit & vxori virum, quod absurdum est & à nullis conceditur.

Verumtamen fatendum est leges ciuiles non punire virum, si id fecerit, in ipsa duntaxat adulterij perpetratione; idque ob iustissimum & maximum animi dolorem, quem in viro zelotypia suscitat; tametsi in conscientia à peccato homicidij non excusanit, licèt per circumstantias multum extenuato: Docet hoc Nicolaus papa capit. Inter hæc, apud Gratianum vbi suprà.

Quod si verò publica authoritate maritus vxorem adulteram occiderit, vt quarumdam regionum habet consuetudo, nullo crimine per hoc in conscientia tenebitur.

Iam quod ad impedimentum attinet futuri matrimonij eius qui coniugem interfecit, si publica authoritate vxor à marito interfecta fuerit, nihil est quod virum à matrimonio contrahendo impediat. Sin authoritate priuata eam occiderit, quamtumuis in flagranti crimine, impedit ea cædes matrimonium contrahendum, sed contractum non dirimit. Et de eo loquútur duo canones supracitati, *interfectores & admonere.* Oriturque simile impedimentum si ex odio vel rixa vel alia simili causa vel occasione vir vxorem interfecerit. Quamuis enim interfectio vxoris adulteræ in ipso flagitio deprehensæ propter iustum viri dolorem veniam mereri videatur, quam proinde illi culpę tribuunt iura ciuilia; ecclesia tamen quæ in suis constitutionibus propriè spectat salutem animarum, non plus indulget viro, quoad præsens impedimentum, si adulteram interfecerit in ipso crimine, quàm si multò pòst, aut ob aliam causam occiderit. Qui enim in ipso actu adulterij coniugem occidit, salutem eius reddit desperatam, non relinquens spacium pœnitentiæ.

Cæterùm si quis perpetrato cum alia muliere adulterio postea suam occiderit vxorem aut alia conscia & consentiente, licèt adulterium non intercessetit, mortem vxori attulerit; nunquam cum illa vel adultera vel conscia cædis muliere poterit is ratum contrahere matrimonium iuxta ea quæ ad distinctionem 35. in fine dicta sunt.

Quod autem de vxoricidio diximus, idé conformiter de mariticidio ab vxore perpetrato dicendum esse, repugnante licèt Siluestro, rectè post Paludanum in 4. dist. 34. & Dominicum in distinctionem 37. sentit Nauarrus ench. cap. 22. num. 74. Quamuis enim de hac re iura taceant propter casus raritatem, ratio tamen vel eadem prorsus est, vel etiam maior, quantò nimirum absurdius habetur à muliere virum, quàm à viro mulierem occidi. Nam & mulier quę grauiùs peccat adulterádo, magis occidi meretur, quàm vir qui minùs peccat. Quin imò casus secundùm iuris interpretationem idem est, quia quæ de vno coniuge dicuntur, consimiliter de altera intelliguntur, maximè vbi de impedimentis agitur.

IN DISTINCTIONEM TRIGESIMAMOCTAVAM.

§. 1. *Quid votum & quomodo fiat.*

S. Th. 2. 2. q. 88. art. 1.



CVM matrimonio sæpe impedimentum objiciatur ex voto, videndum quale sit hoc impedimentum. Quod vt melius intelligatur, priùs dicédum quid sit votum & quæ eius materia, & quæ sit votorum varietas. Non enim omne votum pari ratione matrimonium impedit.

Est igitur votum, *Promissio deliberata boni cuiuspiam melioris Deo facta.* Promissio quidem, quia non sufficit ad voti rationem, proponere in animo suo se aliquid facturum, nisi accedat promissio. Propositum enim est cùm quis dicit in animo suo se hoc aut illud facturum, vbi tantùm nascitur obligatio veritatis: Promissio verò est cum quis alteri se obligat ad faciendum, vnde nascitur obligatio fidelitatis. Itaque promissio non est sine proposito & voluntate saltem promittendi: propositum autem est sæpenumero sine promissione; vnde nec sancta proposita semper cum voto coniuncta sunt, neque par est obligatio propositi & promissi, quemadmodum monstrauimus ad distinctionem 30. cùm de voto beatæ virginis ageremus.

Additum est, *Deliberata*, quia votum est lex quædam priuata, quam videlicet homo sibi ipsi imponit; ac proinde non obligat nisi eum qui sponte ac deliberatè votum fecerit. Vnde rata non habentur ea vota, quę vel ante plenum vsum rationis fiũt, vel ob metum aut ignorantiam meritò iudicantur inuoluntaria.

Debet præterea votum fieri *de bono meliori*, non quidem simpliciter vt sit votum secundum generalem voti rationem, sed vt est actus religionis. Vouendum est enim quod Deo gratum est, quodque melius est facere quàm omittere. Quò fit vt à materia voti quatuor aut quinque rerum genera excludantur. Primùm impossibilia, vt si quis voueat se victurum sine peccatis venialibus. Secundò necessaria, ita vt non sint in nostra potestate: vt si quis Deo promittat se moriturum quãdo ei placuerit. Tertiò peccata, quomodo Act. 23. Iudæi vouerũt se Paulum occisuros, quod simile est promissioni qua quispromittit patri se occisurum filium eius. Hoc enim non tam est vouere aut promittere quàm minari. Quartò opera inutilia, vana aut indifferentia, quale est parietem aspicere, festucam leuare. Quintò bona quidem, sed quæ maioris boni sint impedimenta, vt vxorem ducere; tametsi hoc quoque interdum, vt homini valde incontinenti legitima voti materia esse possit.

Iam

Iam verò per hoc quod additum est, *Deo facta*, distinguitur votũ à promissione quæ fit homini etiamsi cum iuramento fiat. Nam vota quidem Deo fiunt, iuramenta autẽ hominibus per Deum. Quod si tamen quis Deo iuret se aliquid facturum, erit ea promissio votum iuramento firmatum.

Porrò ad voti substantiam nihil interest, siue fiat sola cogitatione, siue etiam verbis aut alijs signis exprimatur. His enim opus est tantùm vt promissionem nostram hominibus notam testatamque faciamus, non vt verè subsistat aut obligatos nos teneat promissio quam Deo facimus.

Postremò notandum est contra Lutherum, quòd cùm duplex intelligi possit voluntatis propositum in eo qui vouet: alterum vouendi, alterum implendi id quod vouet; prius tantùm necessarium est ad hoc vt votum & voti obligatio subsistant. Vnde non excusantur ab hac obligatione, qui fatentur quidem se habuisse voluntatem vouendi sed non voluntatem implendi ea quæ vouerunt. Imò hi grauiter reprehendendi sunt, tanquam in voto suo fallaces & infideles. Quod ita esse patet ex promissionibus quæ hominibus fiunt.

§. 2. *De necessarijs ad salutem qua ratione votum fiat.*

S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2.

SIcut promissio hominibus, ita votum Deo fieri solet tantùm de rebus indebitis. Vnde & vota quorum scriptura meminit, ferè de ijs sunt rebus quæ prætermitti poterant sine peccato, iuxta illud Deut. 23. *Si nolueris polliceri absque peccato eris.* Contingit tamen interdum vt & promissio homini & votum Deo fiat de eo quod debetur; velut de reddendo mutuo, de vitanda fornicatione, de nunquam mentiendo.

Porrò huiusmodi vota de rebus ad salutem necessarijs, aut ex præcepto debitis, duobus modis fieri intelliguntur.

Vno modo si homini non sit satis simpliciter obligatum esse ad præceptum Dei seruandum, sed insuper velit etiam voto, tanquam secundo vinculo seipsum constringere, vt eò minùs sibi liceat ab obseruatione præcepti recedere. Sic Iacob vouisse videtur Gen. 28. *Si fuerit Dominus mecum &c. erit mihi Dominus in Deum.* Sic & psalmista secundum quosdam voto iurato tanquam altero vinculo ad iustitiam custodiendam se Deo obstrinxit dicens: *Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ*, Psal. 118.

Altero modo, si vouendo non intendat nouũ sibi vinculum inijcere, sed tantùm declarare ac recognoscere debitum quo iam antè tenebatur: velut si quis creditor debitori promittat solutionem debiti, quod dudum malè negauerat, is non intendit noua & à priori diuersa obligatione se obstringere, sed promittendo solutionem, verus debitum fatetur, veteremque obligationem agnoscit.

Fit hoc posteriori modo votum ab omnibus Christianis in baptismo, dum per se vel per suos receptores renunciant Satanæ & omnibus pompis eius. Ad quod cùm simpliciter obligati sint omnes homines ex lege naturæ, infideles tamen eam obligationem non agnoscunt. Itaque ab ecclesia iam inde ab initio fuit institutum, vt qui ad baptismum accedunt, veterem obligationem recognoscentes ei se satisfacturos spondeant. Cuius sponsionis meminerunt Dionysius hierar. ecclesiasticæ capit. vlt. Tertullianus lib. de corona militis, Cyprianus libr. 1. epist. 5. Basilius de spiritusancto capit. 27. Ambrosius in illud Luc. 20. *Cuius habet imaginem & inscriptionem*, Hieronymus in fine apol. 1. contra Ruffinum, Augustinus epist. 23. ad Bonifacium & 59. ad Paulinum lib. de peccatorum meritis cap. 35. lib. 4. de symbolo cap. 1. & super Psalm. 75. Gregorius hom. 29. de ascensione Domini, & Beda lib. 3. histor. Anglorum, cap. 19. Talis etiam fuit sponsio filiorum Israel ferientium fœdus cum Domino atque dicentiũ: *Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus*, Exod. 19. & 24. & quotiescunque post præuaricationem ad Deum conuersi leguntur fœdus illud renouasse, vt 4. Reg. 11. & 23. Nehemiæ 9. & 10.

Cùm ergo promissiones eiusmodi non nouam aliquam & à priori diuersam obligationem inducant, sed priorem tantùm renouent & confirment: sequitur etiam eorum violatione non nouam peccati speciem constitui, sed peccatum in eadem speciè relictum aggrauari. Sicut enim grauius est peccatum scientis quàm ignorantis, ita grauius est eius, qui debitorem se recognouit, & recognoscendo soluturum promisit, nec tamen soluit, quàm qui non recognouit nec promisit. Vnde nec verum est bis peccare Christianum quoties peccat; nempe contra Dei legem & cõtra votum de seruanda Dei lege in baptismo factum; sed hæc promissio tantùm est circumstantia quædam aggrauans peccata baptizatorum, sicut & veritatis cognitio, iuxta illud 2. Pet. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum reuerti &c.* Atque hęc communis est & bonis rationibus nixa doctorum in hanc distinctionem scribentium de baptismali voto sententia, licèt Lutherus & Caluinus contrà obstrepant sine ratione.

Patet etiam ex dictis, quemadmodum conciliari possint sententiæ doctorum, quorum alij docent ea quę præcepta sunt, non cadere sub voto, vt sanct. Thomas & Bonauentura in hanc distinctionem; alij verò id affirmant, vt Alfonsus à Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 10. & Dominicus Soto lib. 7. de iusticia & iure quæst. 1. articulo 3. Nam de priori modo suprà explicato loquuntur authores posteriores; de posteriori priores. Nisi enim, qui vouet rẽ præceptam, intendat noua se obligatione ad eam astringere, non propriè vouet sed solùm agnoscit & acceptat obligationem qua iam tenebatur.

§. 3. *Quotuplex votum & quod inter simplex & solenne discrimen.*

S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 6. & 11.

DIuisio votorum ex parte materiæ multiplex assignari potest. Aliud est enim paupertatis votum, aliud obedientiæ, aliud continentiæ, alia aliarum virtutum vel bonarum actionum. Item aliud fit de rebus indebitis, aliud de præceptis. Verùm ex parte formæ vel modi gemina est diuisio. Nam votum aliud est simplex aliud solenne. Ac rursum aliud priuatum, aliud publicum. Non enim idem est simplex cum priuato, nec idem solenne cum publico. Publicum enim est quod fit coram testibus, per quos probari ac publicè notum fieri possit: Priuatum autem quod secretè fit & sine testibus. Quorum vtrumque & simplex esse contingit & solenne. Itaque diligentiùs explicandum, quomodo inter se hæc duo, simplex & solenne differant.

Nonnulli

Nonnulli vt Scotus & Paludanus in hanc distinctionem & Caietanus in 2.2. quæst. 88. art. 7. opinantur non aliud inter ea esse discrimẽ, quàm quod solenne votum fiat cum ceremonijs ab ecclesia præscriptis, sine quibus fit votum simplex. Idque probare nituntur authoritate Bonifacij 8. in sexto decretalium capit. vnico de voto & voti redemptione vbi dicit quod, *Voti solennitas ex sola constitutione ecclesiæ est inuenta.*

Cæterùm probabilior est sanct. Thomæ sententia scribentis in hanc distinctionem & in 2. 2. quæst. 88. ar. 7 vbi priorem illam opinionem apertè reijciens essentiale discrimen constituit inter votum simplex & solenne. Ac simplex quidẽ votum docet esse nudam promissionem Deo factam absque sui traditione; solẽne verò promissionem coniunctam cum traditione sui aut eius quæ promittuntur; quando nimirum homo seipsum tradit Deo ad obedientiam, paupertatem, & continentiam perpetuam.

Cùm sanct. Thoma sentiunt Alexander, Richardus, Bonauentura & alij antiquiores scholastici, quibus astipulantur Siluester, Dominicus, alijq; S. Thomæ sequaces.

Iuxta hanc igitur sententiam, qui simplex faciunt votum, promittunt quidem, verbi gratia, continentiam, paupertatem, &c. non tamen seipsos cum effectu tradunt ad cõtinentiam &c. Qui verò solenne votum faciunt, seipsos abdicant atque in Dei possessionem & obsequium tradunt. Et illi quidem similes sunt contrahentibus sponsalia, hi verò similes contrahentibus matrimonium, quod ipsum etiã vocari solet sponsalia de præsenti. In hoc enim traditio fit hinc inde potestatis corporum, in illis promissio tantùm id faciendi. Indicat hoc discrimen Innocentius primus epist. 2. cap. 13. dum votum simplex sponsionis nomine designat.

Quod autem ex Bonifacij rescripto obijciunt, hoc sensu accipiendum est. Cum solenne votum sit personæ traditio, quæ fieri non potest nisi eiusdem personæ fiat acceptio seu acceptatio, ea ceremonia, qua ecclesia hominem se Deo tradentem vice Dei acceptat, inuenta est ex sola ecclesiæ constitutione. Vnde & ceremonia quæ circa hanc solennitatem obseruatur, mutari potest eiusdem ecclesiæ authoritate; sic tamen vt per eam, quæcunque ea sit, ecclesia declaret se Dei vice ac nomine oblationem seu traditionem, quam homo facit, suscipere. Nec aliud voluisse pontificem satis ex eo apparet, quia non dicit solenne votum sed solennitatem, id est, modum illum tradendi, qui consistit in certa ceremonia, esse ex constitutione ecclesiæ.

Sciendum autem est duos esse modos voti solennis in genere, videlicet per professionẽ expressam vel tacitam alicuius religionis à sede apostolica approbatæ, & per susceptionem sacri ordinis, vt loco supracitato Bonifacius testatur. Sed quomodo votum dicatur solenne per susceptionem sacri ordinis, alibi dictum.

Erat olim & tertius modus, scilicet per veli vel habitus virginalis aut vidualis aut monastici susceptionem, etiamsi non accederet approbatæ religionis professio, de quibus frequens est apud antiquos & medios scriptores mentio. Verùm postea ad auertenda animarum pericula consultò placuit ecclesiæ, vt huiusmodi assumptio veli vel habitus votum solenne nõ efficeret, nisi in religione approbata. Quapropter & hodie non velantur virgines, nisi profitentes religionem approbatam.

Quod si nunc aliquis quærat, quid de eo sentiendum qui secretè vel etiam coram testibus, non tamen modo ab ecclesia probato, asseruet se non tantùm promittere continentiam perpetuam, sed reipsa iam tradere Deo corpus suum ad perpetuam continentiam, cùm enim ibi sit traditio, videbitur & votum esse solenne. Respondetur hominem ita facientem, quantum quidem in ipso est, tradere corpus suum Deo; cæterùm eius donationem à Deo nondum acceptari. Neque enim traditio seu donatio rei perficitur aut rata est, nisi eam rẽ is cui donatur, accipiat. Nam & matrimonium ratum non erit, nisi vtrumque quod traditur, acceptetur. At verò donationem quę fit in voto, Deus acceptat per ecclesiam suam, dum fit eo modo quo ecclesia Dei nomine se acceptare declarat. Declarat autem ecclesia, quo modo societati fidelium expedire nouit. Non enim expedit aut insolubili vinculo ligari fideles aut eorum matrimonia, ne rata quoquo pacto fieri possint, impediri per promissiones aut traditiones sui qualescunque in Dei obsequium, aut etiam per professionem religionis sanctæ quidem sed non approbatę. Quare certum modum fidelium saluti conuenientem hîc præscribi oportuit, eumque externũ & visibilem. Sicut enim non fit matrimonium carnale nisi per verba vel æquiualentia signa consensum tam viri quàm mulieris exprimentia; ita nondum fiet matrimonium spirituale licèt virgo dicat Christo: *Accipio te in meũ & do tibi fidem meam*, nisi Christus & respondeat similiter. Non respondet autem verbo, vel signo, nisi per ecclesiam suam. Et ita licèt aliquousque vera dici possit traditio corporis, qua Christo dicitur à virgine: Do tibi ex nũc corpus meum ad perpetuã castitatem, nam & Christus acceptat tacitè & quasi sola cogitatione & cõsensu mentis: quia tamen non acceptatur verbo vel signo externo à Christo vel ab ecclesia pro Christo loquente (est enim ecclesia corpus Christi) nondum est perfecta traditio, neque vim habet mystici illius vinculi coniugalis.

§. 4. *Simplex continentiæ votum quomodo matrimonium impediat.*

Licitum ac Deo gratum esse perpetuæ continentiæ votum, de quo controuersiam mouent hæretici, ex sacris literis & ex omni antiquitate certissimè tenendum est. Quam doctrinam cum sit alterius loci, propriàque tractationem requirat, hoc loco supponentes explicabimus quomodo huiusmodi vota matrimonium impediant. S. Thom. suppl. q. 53. ar. 1.

Qua in re discrimen est inter votum simplex & solenne. Simplex enim votum impedit matrimonium contrahendum, non tamen dirimit si contrahatur. Impedit, inquam, matrimonium contrahendum, ita vt sine graui ac damnabili peccato cõtrahi non possit ab eo qui continentiam vouit.

Quod primum ex eo probatur, quia votum perpetuæ continentiæ non modò licitum est, sed sanctum & Deo comprimis acceptum, vt hîc præsupponitur. Seruandum igitur est, iubente scriptura: *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere. quia requiret illud Dominus Deus tuus* Deut. 23. & alibi, *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim illi stulta & infidelis promissio sed quodcunque voueris redde*, Ecclesiastæ 5. Reddi autem non potest

con-

continentiæ perpetuæ votum ab eo qui ducit vxorem, cum teneatur vxori petenti debitum reddere: non licet ergo ei qui tale votum fecit, vxorem ducere. Imò si facit, damnabiliter peccat, quia in graui materia promissionem Deo factam violat. Quod apertiùs probatur ex apostolo 1. Tim. 5. vbi de quibusdam viduis quę continentiā vouerant, ita loquitur: *Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt*, id est, quia fidem prius Deo datam de seruāda cōtinentia ipsa nubēdi voluntate violauerunt, certè multò magis violaturæ, si de facto nubant. De hac enim fide locum hunc intellexerunt omnes qui in eum commentati sunt tam Græci quàm Latini. Quibus adde Tertullianum in libro de monogamia, Basilium libro de virginitate, Epiphanium hæresi 48. & 61. quæ est Apostolicorum, Hieronymum lib. 1. contra Iouin. Augustinum de sancta virginitate cap. 33. & de bono viduit. cap. 8. & 9. Fulgentium epist. 1. Innocentium primum epist. 2. cap. 13. Gelasium epist. 1. cap. 23. Item concilia Carthaginense quartum canon 104. & Toletanum 4. can. 55.

Porrò si attentatum fuerit matrimonium post votum, simplex solui non debet, sed ratum firmumque permanet. Ita enim docent Bonifacius 8. loco dudum citato, & Alexander tertius ac Celestinus 3. cap. Meminimus. & seqq. extra. *Qui clerici, vel vouentes matrimonium contrahere possint*. Idem habetur cap. Si vir dist. 27. apud Gratianum. Idque iam olim declaratum fuit ab Innocentio primo in epistola ad Victricium cap. 12. & 13. & à Gregorio secundo repetitum in epistola ad Bonifacium episcopū. Quorum decreta leguntur apud Gratianum 27. quæst. 1. cap. Viduas & cap. Hæ verò. Idem ex professo docet Augustinus lib. de bono viduitatis capit. 9. & 10.

Ratio autem huius doctrinæ secundum ea quę suprà diximus, ex natura voti simplicis sumitur. Qui enim rem suam promittit, non continuò eius dominio se abdicat. Atqui votum simplex tantùm promissionis seu sponsionis rationem habet, vt ostensum est supra. Quamuis ergo qui votum simplex fecit continentiæ perpetuæ, sit obligatus ad reddendum Deo quod promisit, si tamen in alium reipsa postmodum transferat sui corporis potestatem, rata est donatio, perinde vt si quis post sponsalia cum quadam inita, postea matrimonium contrahat cum alia. Ratum est enim hoc matrimonium, & illa sponsalia soluuntur. Cæterùm is qui post simplex continentiæ votum contraxit matrimonium, non ita à voti sui obligatione soluitur, quin, quantum est in potestate ipsius, adhuc continentiam seruare debeat. Vnde quamuis coniugi reddere teneatur debitum, quia *Vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier*, & contrà, vicissim tamen exigere debitum ei nunquam licet. Tenetur enim adhuc voto, quantum permittit debitum coniugale. Itaque si postea vxore viduetur, aliam ei ducere non licebit, scilicet propter obligationem voti qua adhuc tenetur. Decretum est Alexandri tertij cap. Quidam, & Celestini 3. cap. Placet extra de conuersione coniugatorum, estque eadem omnium Scholasticorum sententia. Poterit tamen hæc obligatio ex simplici voto contracta, solui per dispensationem superioris, qui est papa, vel in casu episcopus.

Quid autem sentiendum sit de voto continentiæ post contractum matrimonium emisso, dictum est ad distinctionem 32.

§ 5. *Votum solenne quomodo matrimonium impediat.*

SOlenne votum continentię non modò impedit ne contrahi debeat matrimonium, verùm insuper obstat ne ratum esse queat, si quis attentauerit. Huius autem ratio potest ex superioribus accipi. Nam votum solenne non est nuda promissio, sicut votum simplex, sed vera traditio & translatio hominis in ius & mancipatum Dei. Igitur traditione ea semel facta non est homo deinceps sui iuris, vt se alteri cuipiam in potestatem tradere possit. Etenim donatio prior impedit atque irritam & inanem reddit donationem posteriorem, sicut & promissio prior posteriorem. Quæ res & in sponsalibus & in matrimonio declarari potest, cùm tam in illis quàm in isto videamus id quod posterius est, à priori euacuari. S. Thom. suppl. q. 53. ar. 2.

Probatur item hæc doctrina ex eo, quia solenne votum religionis est spirituale quoddam matrimonium hominis cum Deo, per quod nimirum peculiari & excellentiori modo quàm fideles alij, Deo desponsatur & coniungitur is, qui huiusmodi voto se astringit; & proinde amittit omnem potestatem tradendi se alteri in matrimonium.

Tertiò probatur, quia religionis status perfectior est, longeque sublimior statu coniugali, adeo vt per eum homo mortem subeat ciuilem & dissolui possit matrimonium non consummatum. Quare fieri non potest vt per subsequens matrimonium status ille vicissim soluatur, & homo semel mundo mortuus, iterum ad vitam status secularis reuocetur. Alioqui quòd nimis absurdum est, posset sæpius vltro citroque fieri inter hos status commigratio.

Verùm his rationibus etsi bonis, firmior multò est ea probatio quæ ex authoritate sanctorum patrum & conciliorum atque ex praxi totius ecclesiæ sumitur, à quibus proinde testimonia petamus

Primùm Cyprianus lib. 1. epist. 11. ad Pomponium dicit virgines sacras quæ cum viris dormierant, adulteras Christi esse, & à viris illis omnino separari vult, incestam appellans eiusmodi coniunctionem; ergo secundùm Cyprianum huiusmodi coniunctio matrimonium fieri non poterat.

Basilius in lib. de virginitate sic ait: *Cùm virginitatem Domino professa sint, carnali postmodum voluptate malè blanda delinita ac deuicta, stupri scelus honesto coniugij nomine obtegere cupiunt. Non ignorant huiusmodi, quamuis ignorantiam simulent quia sponsi dexteram & fœdera prævaricata sit, eam nec illius vltra esse sponsam, quem dereliquit, nec eius vxorem per vllas leges dici posse, cui se deserto sponso libidine incitata coniunxit*. Et in sequentibus idem pleniùs ostendit. Similis est locus in epistola eius ad Amphilochium, vbi de ijs agit quos Canonicos vocat, id est, regulam monasticam professos.

Siricius papa epist. 1. cap. 6. monachos & sanctimoniales, si matrimonia contrahant, non solùm excommunicari præcipit, sed etiam in ergastulis vsque ad finem vitæ pœnitentiam agere. Ex quo satis apparet ea non vera fuisse matrimonia.

Amb. ad virginem lapsam cap. 5. ita scribit: *Quæ se spopondit Christo & sacrum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro, & iam si voluerit nubere communi lege coniugij adulterium perpetrat*. Idem lib. 3. de virginibus docet sic non licere tale coniugium, quomodo Herodi non licuit habere vxorem

fratris.

fratris: *Si hoc de vxore hominis*, inquit, *quanto magis de* A *virgine Deo consecrata?* Irritum ergo est hoc coniugium, sicut illud erat.

Innocentius 1. epist. 2. ad Victricium cap. 12. & 13. clarè distinguẽs inter votum simplex & solenne, dicit eam quæ sacrum velum accepit & proinde solenniter vouit, si fortè nupserit, non posse admitti ad pœnitentiam, donec vixerit is cui se coniunxit, quomodo non admittitur, quæ viuente viro sese alij viro copulauerit. Secus autem de ea quæ sacrum velum non accepit.

Hieron. lib. 1. contra Iouin. affirmat non posse B esse episcopum qui liberos gignat. *Alioqui*, inquit, *si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur sed quasi adulter damnabitur*, ergo multò magis id diceret Hieronymus de ijs qui continentiam in religione solenniter professi sunt. Idem lib. 2. contra Iouin. cap. vlt. de virginibus Christo desponsis quæ ex doctrina Iouiniani docentis virtutum ac præmiorum paritatem, se ad nuptias se contulerunt, sic ipsum Iouinianum alloquitur: *Virgines tuæ occultos adulteros in apertos verterunt maritos*, Vergilianum consilium est:

Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.

Quod autem de sponsis Christi loquatur, pro- C bat nomen adulteri. Non esse autem verum coniugium probat versus, *Coniugium vocat*, quasi dicat esse coniugia nomine tantùm & prætextu.

Chrysostomus hom. 6. ad Theodorum monachum. *Honorabiles*, inquit, *nuptiæ, sed te iam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum, quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen adulterio illud peius existimo.*

Gelasius primus epist. 1. cap. 22. & 23. similiter cum Innocentio distinguit ac virginum sacrarum nuptias vocat incesta fœdera.

Gregorius lib. 1. epist. 40. ad Anthemium mo- D nachos qui vxores duxissent, separari ab ijs vult, & ad monasteria remitti.

Iam concilia quoque audiamus.

Carthaginense concilium quartum cui Augustinus interfuit & subscripsit can. vlt. viduas quæ assumpto religioso habitu se Domino deuouerant, si postea ad nuptias seculares transierint, adulterij crimine notari dicit & quidem magis quàm mulieres coniugatas quæ à viris suis adulteratæ fuerint.

Toletanum primum can. 16. vetat mulierem deuotam si nupserit, recipi in ecclesiam, nisi viuẽte illo cui se coniunxerat, castè viuat, aut certè non nisi E post mortem eius. Videatur etiam cõstitutio quarti Toletani cap. 51. & octaui can. 6.

Cõcilium Chalcedonense can. 14. diaconissam, si se nuptijs tradiderit, anathemati subijcit cum eo qui in nuptijs illius cõuenerit. Et can. 15. sic statuit: *Si qua virgo se dedicauerit Deo, similiter monachus, non licet eis nuptijs iungi. Si vero inuenti fuerint hoc fecisse, maneant excommunicati.* Quod autem hi canones significent irritas esse huiusmodi nuptias, patet ex concilio Triburiensi, quod authoritati canonis Chalcedonensis nitens can. 23. apertè præcipit vt separentur F qui post votum solenne matrimonio se coniunxerint. Nec sanè dubitatum aliquando fuit in ecclesia, an monacho & sãctimoniali sine peccato liceat matrimonium contrahere, sed dubitatio fortè suborta fuerat, num rata essent huiusmodi matrimonia. Quare quod dicitur, *non licet*, ita accipiendum, vt significetur eos omnino non posse iungi matrimonio.

Concilium Turonense 2. can. 16. iubet monachum, si vxorem duxerit excõmunicari, & de vxoris malæ societatis consortio etiam implorato iudicis auxilio separari. At simile quid de sacris virginibus si nupserint, statuit synodus Forouiliensis can. 11.

Denique post generale concilium Viennense sub Clemente quinto habitum definit synodus Tridentina sess. 14. can. 9. sub anathemate, *Inualida esse matrimonia ab ijs contracta qui castitatem solenniter professi fuerint.* Extant autem de hac re canones variè congesti partim apud Gratian. dist. 27. ac rursum causa 27. quæst. 1. partim in decret. tit. de voto & voti redempt. & tit. qui clerici vel vouentes matrimonia B contrahere possint. Quibus omnibus si addideris cõsentientem omnium scholasticorum doctrinam, & perpetuam praxim ecclesiæ tam orientalis quàm occidentalis in hodiernum vsque diem, nihil est quod ad probationem ampliùs desideretur. Neque enim necesse est omnia ex scripturis probari, tametsi videri potest apostolum Paulum 1. Timoth. 5. de viduis quæ post fidem continentiæ Christo datam ad nuptias se conferebant, ideo non dixisse, nubunt, sed *Nubere volunt*, quod reuera nullæ & inualidæ essent eiusmodi nuptiæ.

Quod si quis rationes suprà positas minùs effi- C caces existimat ad docendũ, quòd post votũ solẽne continentiæ non possint rata contrahi matrimonia (quamquam rationes illæ patrum sententijs iam citatis, præsertim Basilij magni dicentis sanctimonialem per nullas leges vxorem alterius viri esse posse, sunt admodum consentaneæ) restat ei nihilominus probatio præsentis doctrinæ authoritate ecclesiæ, quæ suo decreto potuit illa matrimonia quamuis aliàs rata essent, irritare. Cùm ergo tot testibus ipsoq; perpetuo vsu probatum sit ea irrita esse, alterutrum concedendum est, aut iure naturali vel etiam diuino esse irrita, aut saltem ecclesiæ con- D stitutione.

Priorem sententiam tenent sanctus Thomas, Bonauentura, Albertus, Ioannes de turrecremata, Siluester, Dominicus: Posteriorem Scotus Paludanus, Caietanus, & canonistæ ferè omnes.

§. 6. *Vtrùm in voto solenni cadat dispensatio.*

QVi putant votum simplex à solenni non es- E sentialiter sed solo accidente differre, quòd videlicet absque ijs ceremonijs fiat, quæ solenni voto adhibentur, eiusque solennitatem constituunt; consequenter opinantur ecclesiam super voto solenni dispensare posse, sicut super simplici: quia secundum eos non natura sua, neque etiam iure diuino, sed solùm iure ecclesiastico votum solenne matrimonio repugnat. *S. Thom. 2.2.q.88 art. 11.*

Sed cùm suprà monstratum sit inter simplex & solenne votum esse discrimen essentiale, quale nimirum est inter promissionem & donationem; F consequens est solenne votum suapte natura id habere vt matrimonium postea contractum ratum esse non sinat perinde atque matrimonium cum vna contractum impedit ne contrahi possit cum alia, & donatio vni facta cassat donationem alteri postea factam.

Ex quo colligitur ecclesiam non posse dispensare, vt quis solenni continentiæ voto obstrictus matrimonium contrahat. Atque hæc doctrina est sanct. Thomæ in secunda secundæ quæst. 88. art. 11. vbi etiam addit quosdam irritas ignoranter con-

trarium dicere, quum docent quod papa ex monacho possit facere non monachum.

Confirmatur autem decreto Innocentij tertij, cuius in capit. Cùm ad monasterium, extra de statu monachorum, hæc sunt verba: *Abdicatio proprietatis sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec etiam summus pontifex possit licentiam indulgere.* Rationem verò huiusmodi adducit sanctus Thomas, quia quicquid semel Deo consecratum est, id perpetuò debet consecratum manere, sine vlla cuiusquam retractatione, idque etiam in rebus inanimatis, quemadmodum Leuitici vltimo scriptura docet, & pluribus ostendit de consecratione non iteranda agens Cyprianus vel quisquis author sermonis de ablutione pedum. Qua de re plura diximus cum de sacramentorum charactere ageremus. Igitur multò magis homo per religionis professionem Deo consecratus, nunquam seculo reddi poterit, sic vt monachus seu religiosus esse desinat.

Addi potest & alia ratio non contenenda. Constat enim matrimonium ratum non consummatum solui per religionis ingressum, si ergo votum solenne religionis vicissim per dispensationem ecclesiæ solueretur, fieri posset vt religiosus ab inconsummato matrimonio solutus, cuius iam vxor alteri nupsisset, seculari vitæ redditus cum alia matrimonium contraheret priore viuente, cum qua semel verum contraxerat matrimonium. Quod cùm sit absurdum, consequens est nulla dispensatione monachum seculo reddi posse.

Sed cùm non desint qui absurdum illud esse negant, videlicet opinantes dispensatione papæ matrimonium non consummatum solui posse, ita vt qui contraxerant & verè coniuges fuerant soluto inter ipsos coniugio alijs coniungi possint; pressiùs vrgenda est absurditas consequens ex eo, si in voto solenni detur dispensatio.

Primùm enim si potest Romanus pontifex ex monacho facere non monachum, fieri poterit vt quis per huiusmodi dispensationem iterum & tertiò ac sæpius ex monacho fiat non monachus, & ita sæpius vnus idemque per religionis professionem consecrabitur Deo; & vbi erit quod res semel Deo consecrata, eademque manens nec consecrationem amittere possit, nec sæpius consecrari? Ad hoc autem probandum rectè citat S. Thomas scripturam Leuit. vltimo.

Item si Romanus pontifex id potest, poterunt & alij episcopi præueniendo reseruationem quæ nulla legitur.

Præterea sequetur matrimonium semel dissolutum posse iterum inter eosdem coalescere, & proinde matrimonij sacramentum inter easdem personas iterari, quod nimis videtur absurdum; præsertim cùm, vt in alijs omnibus sacramentis repetitur aliquid non iterabile, quemadmodum docet Magister distinctione vicesimatertia, ita & in matrimonio. Id autem non aliud esse videtur quàm quòd contractus matrimonialis non cadit secundò super easdem personas. Quare sicut dispensari non potest vt quicquam iteretur eorum quæ in alijs sacramentis iterationem non recipiunt, vt eiusdem panis, vini, chrismatis, olei consecratio, eiusdem infirmi in eodem morbi statu vnctio, eorundem peccatorum quoad culpam absolutio; ita nec in matrimonij sacramento, vt ab ijsdem personis repetatur.

Aliud porrò argumentum sumi potest ex institutione religionis monasticæ. Christus enim A statum religionis instituit, tanquam statum quendam immobilem, non minùs quàm matrimonium consummatum. Vnde qui statum hunc professi sunt, comparantur castratis Matth. 19. & nefas ijs esse dicitur retro respicere Luc. 9.

Postremò quod ad causas dispensandi attinet, nullæ tam graues hic allegari possunt, quin eædem occurrere possint in impedimento ligaminis seu matrimonij consummati, tollendo, ad hoc vt cum alio contrahatur. Qui enim ligati sunt coniugio, neque continentiam vouerunt, neque statum vitæ B perfectioris professi, neque assueti sunt continentiæ, imò plærique eorum pro remedio incontinentiæ statum illum sunt amplexi. Certum est autem ibi ecclesiam dispensare non posse, etiamsi alter coniux perpetua laboret impotentia reddendi debiti post coniugium contracta, vel maior etiam causa occurrat, velut salus alienius regni; cur ergo durum videatur in voto solenni negari dispensationem?

Hanc sententiam præter sanctum Thomam astruunt Alexander, Albertus Altisiodorensis, Io- C annes de turrecremata & Siluester, qui eam titulo de voto numero 4. doctè explicat, & Dominicus tam in Magistrum scribens quàm libro 7. de iustitia & iure quæstione 2. articulo quinto. Sed & Bonauentura quamuis nihil hic asserere velle se dicat, hanc tamen partem vt probabiliorem sustinet soluens argumenta in contrarium. Consentit glossator super cap. cùm ad monasterium, extra de statu monachorum, & cap. Super eo, extra de bigamis & cap. 1. *De voto & voti redemptione.*

Contrariam verò tenent plærique omnes canonistæ quos ex Theologis sequuntur Richardus, D Durandus, Scotus, Paludanus & alij non pauci, quorum tamen argumenta non conuincunt. Nam in primis exempla dispensationis factæ, quæ proferuntur non adeo certa sunt ex historijs, nec satis verisimile est quod Celestinum 3. dicunt dispensasse cum sanctimoniali quadam nomine Constantia, vt Henrico sexto Imperatori nuberet, cùm Innocentius tertius qui Celestino proximè successit, apertè declaret id fieri non posse.

Quod autem de monacho ad regnum Aragoniæ & coniugium assumpto adfertur, negat Dominicus in annalibus Aragoniæ reperiri. Quin etsi vera essent exempla, non planè conuincerent; quia pontifices in dispensationibus, vt & in alijs quibusdam, non semper sequuntur opiniones certò veras, sed eas quæ vel simpliciter vel apud eos quotum E vtuntur consilio sunt magis probabiles; vel pro tempore magis ad praxim vtiles ecclesiæ.

Quod deinde obijcitur frequens esse vt pontifex cum religiosis dispenset in voto paupertatis & obedientiæ, velut cùm ad episcopatum assumuntur, facilè soluitur. Nam tenera, vt ait sanctus Thomas loco suprà citato, religiosus qui fit episcopus, sicut non absoluitur à voto continentiæ, ita nec à voto paupertatis, quia nihil debet habere tanquam proprium, sed sicut dispensator communium bono- F rum ecclesiæ. Similiter etiam, inquit, non absoluitur à voto obedientiæ, sed per accidens obedire non tenetur, si superiorem non habeat, sicut nec abbas monasterij qui tamen non est obedientiæ voto absolutus.

Addit autem Bonauentura, quando monachus desinit habere superiorem, ex eo quia fit abbas aut episcopus, hanc non dispensationem sed exemptionem potiùs dici debere. Nam dispensationem non esse vel ex eo patet, quia pro religioso vt

abbas aut episcopus fiat, nunquam petitur dispensatio.

Quod postremò de continentiæ voto per susceptionem ordinum sacrorum solennizato solet obijci (nam in eo dispensari posse ad distinctionem superiorem ostendimus) ex his quæ ibidem dicta sunt, diluendum est. Nam votum illud solenne dicitur à solennitate ordinationis, qua quis Deo consecratur ad ministerium sacrum. Quæ ordinationis solennitas consistit sine voto ac debito continentiæ, quod proinde non est illi solennitati essentialiter annexum, sicut annexum est statui religionis. Vnde & votum illud in susceptione sacri ordinis factum, magis dicitur solennizatum quàm solenne, quasi solennitatem forinsecus accipiens, quia, vt diximus, solennitas ibi propriè non est voti sed ordinationis, cui votum seu potius lex continentiæ ecclesiastico iure connectitur, ideoque externa tantùm denominatione solenne dicitur, idque sensisse videntur patres Tridentin. canon. 9. sessione 24. Legimus quidem in decreto Bonifacij octaui suprà allegato, tam in professione religionis quàm in ordinis sacri susceptione votum solennizari, sed non similiter vtrumque est intelligendum. Nam votum quod solennizatur professione religionis, est de substantia religionis: quod autem solennizatur susceptione ordinis, non est de substantia ordinis. Hinc igitur fit vt non perinde dispensare possit ecclesia in voto eius qui religionem solenniter professus est, atque in voto eius qui solenniter est ordinatus.

§. 7. *Responsio ad ea quibus impedimentum ex voto oppugnatur.*

S. Thom. suppl. q. 53 art. 1. & 2.

DOctrina Catholica de matrimonij impedimento quod ex voto continentiæ nascitur, siue simplex illud sit siue solenne, multis argumentis ab aduersarijs impetitur, quæ huiusmodi ferè sunt.

Primum: Dominus Matthæi 19. de continentia dixit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*, Et iterum: *Qui potest capere capiat*. Et apostolus 1. Corinth. 7. de eadem re disserens ait: *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic*. Ex quibus sequi videtur eos qui capere non possunt, & quibus datum nõ est hoc donum, etiamsi vouerint ad præstandum non teneri, maximè cùm ad impossibile nemo teneatur.

Secundum: Dicit eodem loco apostolus, *Quod si non se continent, nubant*. Et rationem addit hanc: *Melius est enim nubere quàm vri*: ergo etiam is qui vouit, si non se continet, nubat, ne vratur.

Tertium: Apostolus ibidem, *Bonum est*, inquit, *homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum*: ergo etiam si quis vouerit, vxorem accipere poterit, propter fornicationem vitandam.

Quartum: 1. Timoth. 5. incontinentibus imperat matrimonium, dicens: *Volo iuniores nubere, matresfamilias esse, filios procreare*. Quod autem de ijs quæ vouerant, loquatur, apparet ex

A verbis proximè præcedentibus.

Quintum: Iacobi 4. reprehenduntur, qui dicunt se aliquid facturos, nec addunt, *Si Dominus voluerit*, ergo multò minùs vouere debet homo rem tam arduam, vt est perpetua continentia, non addendo conditionem, si Deus voluerit, aut si Deus dederit gratiam & perseuerantiam, vel certè in omni voto ea conditio intelligi debet; ac proinde cui non fuerit datum continere, poterit à voto deflectere, deficiente videlicet voti conditione.

B Sextum: Cyprianus libro primo epistola vndecima ad Pomponium de quibusdam sacris virginibus suspectæ pudicitiæ ita scribit: *Quod si ex fide se Christo dicauerant, pudicè & castè sine vlla fabula perseuerent, ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent: si autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est vt nubant, quàm in ignem delicijs suis cadant.*

Septimum: Epiphanius hæresi 61. quæ est Apostolicorum, agens de ijs qui cùm se Deo deuouissent, incontinenter viuebant: *Melius est*, inquit, *lapsum à cursu palam sibi vxorem sumere secundùm legem, & à virginitate multo tempore pœnitentiam agere, & non quotidie occultis iaculis*

C *sauciari.*

Octauum, Sanctus Hieronymus in epistola octaua ad Demetriadem: *Sanctum*, inquit, *virginum propositum, & cælestis angelorumque familiæ gloriam, quarundam non bene se agentium nomen infamat, quibus apertè dicendum, vt aut nubant, si se non possunt continere, aut contineant, si nolunt nubere*. Et in epistola quadracesimaseptima ad virginem sacram: *Si virgo es quid times diligentem custodiam? si corrupta, cur non palam nu-*

D *bis* Loqui autem sanctum Hieronymum de virgine consecrata, testantur hæc verba eiusdem epistolæ: *Non tibi displiceat eius conuersatio, qua te sponso tuo virginem consecrauit.*

Idem in catalogo scriptorum ecclesiasticorum de Tiberino scribit, quod filiam deuotam Christo virginem matrimonio copulauerit.

Nonum: Sanctus Augustinus libro de sancta virginitate capit. 34. de quibusdam sacris virginibus sic loquitur, *Ha nubere volunt, & ideo non nubunt, quia impunè non possunt, quæ melius nuberent*

E *quàm vrerentur*. Idem libro de bono viduali capit. 9. & 10. negat sibi probari eorum sententiam qui dicunt nuptias post votum castitatis initas non esse veras nuptias sed adulteria, contendit autem veras ac ratas esse, nec debere dissolui. Idem docet epistola 70. ad Bonifacium. Quin & libro 17. de ciuitate Dei cap. 4. negat rata esse quæ vouentur nisi Deus dederit. Verba hæc sunt. *Neque enim Domino quisquam quicquam ratum voueret, nisi ab illo acciperet quod voueret.*

Decimum, Gregorius homilia 38. in euangelia dicit Gordianam sanctimonialem oblitam conse-

F crationis marito nupsisse, vult ergo ratum esse tale matrimonium.

Vndecimò sic argumentãtur: Propensio ad generandom naturalis est & bona, vt quæ etiam in natura integra fuisset, ergo votum impediens illam propensionem ab actu suo, cuiusmodi est votum continentiæ, non obligat, perinde vt votum non edendi aut bibendi.

Postremò obijciet aliquis, matrimonium & continentiam perpetuam inter se non pugnare, vt patet exemplo beatæ Mariæ & Ioseph, nec non aliorum qui in matrimonio continenter vixerunt; &

proinde

proinde causam non esse cur votum continentiæ statuatur matrimonij impedimentum.

His argumentis ita ordine respondemus.

Ad primum quidem absolutè loquendo omnes homines posse continere, sicut omnes possunt iustitiam & temperantiam colere, etiamsi multi iustitiæ aut temperantiæ donum à Deo nondum acceperint. Possunt, inquam, quia voluntatis humanæ est continere, iuste & temperanter viuere, à quibus nulla necessitate homo impeditur, tametsi ea agere & velle non potest, vt nec vllum aliud bonum, nisi Deus dederit, Sapientiæ & Iacobi 1. At in illa sententia: *Qui potest capere, capiat*, posse dicitur homo, non quod absolutè agere aut velle potest, sed ad quod agẽdum vires ac promptitudinem animi habet, vt sensus sit: Qui sentit in se vires ac promptitudinem voluntatis ad perpetuò continendum, contineat, & ad id etiam voto se astringat. Hoc est enim semetipsum castrare propter regnum cælorum. Sic posse accipitur cum Petro dicitur, *Non potes me sequi modo*. Quamuis enim tunc absolutè posset sequi dominum vsque ad mortem cum eo & pro eo tolerandam, nondum tamen eam animi fortitudinem habebat, qua id præstaret. Sicut autem hæc dicta sunt de eo quod est consilij, ita alibi de eo quod est præcepti, vt eodem loco Matthæi cùm impossibile dicitur diuitem intrare in regnum cœlorum, & Lucæ 14. vbi Dominus ad se sequendum hortatur exemplo proposito de homine ædificante turrim, deque rege proficiscente ad bellum, quos tamen nisi facti sui rationem prius expenderint, negat perficere posse quod inceperunt. Item Ioannis 6. dum ait: *Nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum à patre*. Et apostolus 2. Thessal. 3. *Non omnium est fides*. Quæ sententiæ non significant rem voluntati humanæ simpliciter impossibilem, sed rem arduam ac difficilem, & ad quam assequendam, singulari Dei gratia & magno voluntatis conatu sit opus. Vnde patres ita difficultatem continentiæ agnoscunt, vt tamen humanæ voluntati per gratiam Dei possibilem doceant. Ita Tertullianus sub finem libri de monogamia, Origenes, Chrysostomus & Hieronymus in commentario Matth. 19. Basilius libro de virginitate Gregorius Nazianzenus oratione 31. Ambrosius in exhortatione ad virgines, & libro 3. de virginibus & libro de viduis. Augustinus in psalmum 134. libro 6. confessionum capit. 11. & libro secundo de adulter. coniug. cap. 10. 13. & 20. Quocirca nec ij qui vouerunt castitatem & donum continentiæ non habent, excusantur aut à voto liberantur, tum quia absolutè possunt continere, tum quia vt donum quo promptè id faciant, consequantur, eis dicitur: *Petite & accipietis*.

Illud autem: *Non omnes capiunt verbum hoc*, quamuis de potentia rectè possit accipi, secundum ea quæ diximus, potiùs tamen de actu videtur intelligendum, vt sensus sit: Non omnes intelligunt practicè, id, non adijciunt animum, neque facto approbant, id quod dictum est: *Non expedit nubere*.

Denique illud apostoli: *Vnusquisque proprium donum, &c.* non solum virginalis aut vidualis continentiæ donum comprehendit, sed etiam continentiæ coniugalis, quæ tamen coniugibus est ad salutem simpliciter necessaria. Quare sicut non sequitur, quidam coniugati non habent donum continentiæ coniugalis, ergo eam non tenentur seruare, ita nec sequitur de ijs qui voto virginalis aut vidualis continentiæ sunt alligati.

Ad secundum respondetur apostolum non sibi aduersari, qui alibi dicit quasdam nubere volentes, *habere damnationem eò quòd primam fidem irritam fecerint*, Sed loquitur de ijs qui nondum vouerunt. Cùm enim superioribus verbis ad continentiam perpetuam hortaretur, statim propter eos qui consilium illud non audiunt, adiecit: *Quod si non se continent, nubant*: id est, si ita manent affecti vt continere nolint, nubant. Quia melius illis est nubere, quod adhuc possunt, quàm vri, id est, in ignem concupiscentiæ cadere. Nam vri non est à concupiscentia tentari, vt volunt aduersarij, sed à flamma concupiscentiæ lædi per actum vel consensum peccati. Illis autem qui iam vouerunt, neque nubere bonum est, neque vri, sed vtrumque malum & damnabile; qui proinde alijs remedijs quàm nuptiarum, flammas concupiscentiæ extinguere debent. Ita docent Ambrosius ad virginem lapsam cap. 5. Epiphanius hæresi 61. Chrysostomus de virginitate capit. 39. & in commentario 1. Corinth. 7. tam ipse quàm alij Græci Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius. Cùm his planè sentiunt Hieronymus libro primo contra Iouinianum, Augustinus de bono vidual. cap. 8. & libro primo de adulter. coniug. capit. 15. & Gregorius in pastorali parte 3. admonitione 28. Quod si crudè verbum apostoli intelligas quo dicit: *Si non continent, nubant*, quomodo si dicatur, qui non potest esuriem pati, comedat: ergo statim ac sine mora ducenda erit vxor, etiam adolescentulis ac pene pueris quando sunt 12. 13. 14. 15. annorum: ergo viduatus vxore statim aliam ducat, & vidua virum: ergo si ægrotat vxor, veniat ancilla: ergo qui negocij causa peregrè versatur, adeat scorta. Et quid vxor absente vel ægrotante viro, præsertim si longa sit absentia vel infirmitas? Quid si vir captiuus teneatur apud Turcas aut vxor abducta? quid faciet ille, quid ista? nunquid quia scriptum est: *Si non se continent, nubant*, quærendi illis erunt alij coniuges, & quidem statim? Quis vel aduersarius hæc dixerit? facessat igitur tam absurdus intellectus, & quod ecclesia sentit, sequamur.

Ad tertium de solis coniugatis loquitur apostolus, & habere positum est pro vti, vt sit sensus: Propter fornicationem vitandam vnusquisque maritus suæ coniugatur vxori, & vxor suo viro. Vnde sequitur: *Vxori vir debitum reddat, &c.* Similiter accipitur verbum habere capit. 5. eiusdem epistolæ cùm dicitur, *Ita vt vxorem patris sui aliquis habeat*. Et Ezechielis 23. *Et habui eas*, id est, copulatus sum eis. Vnde sequitur, *Et pepererunt filios & filias*. Sic & Matth. 25. *Habenti dabitur*, id est, vtenti donis acceptis, & tantùm hæc loquitur apostolus, *secundum indulgentiam, non secundum imperium*.

Ad quartum: Non pugnat secum apostolus qui alibi optando dicit: *Volo omnes esse sicut meipsum*, sed verba hæc sunt permittentis, & cedentis infirmitati quarundam, quibus propter suam incontinentiam magis expediebat nubere, quàm vouere, ne fortè post votum nubere volẽtes damnationem incurrerent. Loquitur enim de ijs quæ votum nondum fecerant.

Ad quintum respondetur, quod à Deo sine nostra culpa impediri potest, hoc cum conditione voluntatis diuinæ expressa vel subintellecta, secundùm Iacobum promittendum esse, quale est, proficisci ad hunc aut illum locum, quomodo & Paulus apostolus promisit 1. Corinth. 16. *Se apud illos mansurum* addendo *si Dominus permiserit* Nam rerum

& actionum euentus non sunt in nostra potestate. Quod autem simul totum depēdet ex Deo & voluntate nostra, cùm sit totum nostri arbitrij, licèt non sine Deo, rectè id promittimus sine conditione voluntatis Dei, confidentes interim in eius adiutorio: cuiusmodi sunt votum continentiæ seruare, fidem homini præstitam non violare, ab iniurijs abstinere & similia, quæ dum promittimus non est addendum, si Deus voluerit, sed debet homo dicere: spero per Dei gratiam me facturum.

Ad sextum respondent quidam loqui Cyprianum de virginibus nondum velatis, sed simplex continentiæ votum habentibus, quibus melius, id est, minus malum nubere, quàm in ignem fornicationis cadere. Vnde non dicit quæ consecratæ sunt, scilicet ab episcopo, sed quæ se Christo dicauerunt, nimirum voto simplici. Alij tamen malunt locum de consecratis & velatis accipere, sed hoc sensu: Quod si se ex fide Christo dicauerunt, castè perseuerent, vt fides data postulat. Si autem perseuerare nolunt, aut non possunt; non se Christo dicent, id est, non voueant, sed nubant potiùs quàm in ignem delictis suis cadant. Hunc sensum arguit primò quod disiunctiuè dicit Cyprianus, *si perseuerare nolunt, aut non possunt*. Nam quæ possunt & nolunt, nec ab ipsis aduersarijs permittuntur nubere post votum. Deinde quod ibidem virgines Christo dicatas grauissimè peccare dicit & Christi adulteras fieri si viro alicui misceantur. Ac tertiò quod eas quæ iam lapsæ fuerant, separari iubet à masculis, negans aliter eas admitti posse in ecclesiam.

Ad septimum respondetur Epiphanium seipsum exponere, cùm statim subijcit: *Melius est vnum peccatum habere & non plura.* Quod si de velatis dictum accipias, sensus erit. Minus malum est palam nubere atque aliquam continentiæ coniugalis speciem seruare, quàm occultè in perpetua fornicatione alijsque libidinum sordibus volutari. Verùm alij probabile putant Epiphanium eo loco non de ijs loqui qui vel quę vouerant, sed de quibusdam qui quod prouecti essent ætate, non interposito voto cælibes permanere decreuerant interim occultè fornicantes, quos hortatur vt pœnitentiam agant & ad matrimonium confugiant. Iuxta quorum sententiam hic sensus est: Melius est illis post vnam fornicationem transire ad nuptias, quàm in cęlibatu manendo exponere se periculo assiduè scortandi.

Ad octauum, Hieronymus non loquitur de velatis virginibus, quæ sub cura erant episcoporum, sed de virginibus propositum castitatis domi seruantibus, ac simplici tantùm voto astrictis: quamquam alij malunt sanctum Hieronymum intelligere locutum de sacrarum ac nobilium virginum ancillis, quę cùm nullum haberent votum, parum pudicè viuendo Dominas infamabant. Nam earum mores verbis subsequentibus Hieronymus insectatur.

Alter locus ad eam dirigitur, quę non solĕniter vouerat, cui suadet Hieronymus tanquam minus malum vt palam nubat potiùs quàm incontinenter aut scandalosè viuere pergat.

Tertius autem locus factum quidem refert hominis hęretici, qui filiam sanctimonialem matrimonio copulauerat, id est, nubere coëgerat, vt habet Sophronius in Græco; sed factum nec laudat sanctus Hieronymus sed reprehendit, nec ratum fuisse coniugium docet. Eademque prorsus est solutio decimi argumenti, quod ex Gregorio fuerat allatum. Et quod ibidem de Gordiana dicitur: *Quod inter laicos deputabitur*, id dicitur priusquam marito nupsisset. Alioqui postea sub finem homiliç significat sanctus Gregorius eam esse damnatam.

Alius adhuc ex sancto Hieronymo locus obijci potest, qui de sancto Malcho in vita eius refert, quòd posteaquam multos annos monachus fuerat, vxorem duxit, & cum ea vsque ad finem vitę permansit. Sed dicendum coniugium illud prorsus nullum fuisse, licèt Malchus à Domino suo coactus fingeret se mulierem illam pro vxore habere. Id vel inde patet, quia mulier, vt ibidem narratur, alium habebat virum viuentem. Igitur vir sanctus societatem cum ea muliere colebat castam & spiritualem, tanquam frater cum sorore.

Ad nonum loquitur sanctus Augustinus primo loco de virginibus non velatis, id est, nondum solenniter professis quibus melius, hoc est, minus malum esse dicit nubere quàm vri, id est, occulta flamma concupiscentiæ vastari. Possent tamen sancti Augustini verba sic intelligi, melius nuberent, id est, melius nupsissent; tunc scilicet quando adhuc liberæ erant, quàm voto facto vrerentur. Nam apud sanctum Augustinum frequens est vt præsens optatiuum pro præterito ponatur.

Secundo & tertio loco agit in genere de ijs quæ voto castitatis se astrinxerant, negatque generalem rationem voti, quo efficiuntur sponsæ Christi, repugnare, quò minùs veras nuptias postea contrahant. Nam alioqui par esset ratio omnium, quæ quomodocumque vouissent, vt sentiebant illi, quorum opinionem improbat sanctus Augustinus. Peccare autem eas damnabilitet, quæ post votum qualecumque nuptias contrahant, eisdem locis apertissimè docet. At quarto loco ratum intelligit, non quod obligat, sed quod non violatur. Nisi enim Deus dederit continentiam, non poterit votum seruari, quo quis continenter se victurum promisit.

Cæterùm quid de velatis tam viduis quàm virginibus, earumque matrimonio senserit sanctus Augustinus, suprà ostendimus ex quarto concilio Carthaginensi cui ipse interfuit.

Ad vndecimum, nihil prohibet bonam propensionem ab actu suo impediri per aliquid præstantius, quia minora bona semper cedere debent melioribus. Præstantius est autem & melius perpetuam seruare continentiam propter regnum cælorum, quàm generationi operam dare teste apostolo 1. Corinth. 7. Notandum quoque propensionem aliquam genere suo bonam sæpe in particulari malam & viciosam esse propter certas circunstantias, & huiusmodi est inclinatio ad Venerem in eo qui vouit castitatem, sicut & qua quis mouetur ad alienum torum, & sicut inclinatio ad edendum cibos noxios, vel tempore indicti ieiunij. Hæc enim pertinent ad rebellionem carnis contra spiritum.

Ad postremum respondetur, idcirco votum continentiæ perpetuæ rectissimè statui pec canones matrimonij impedimentum, quia matrimonium per se proximè ordinatur ad copulam, quæ continentiæ illi repugnat. Si quis tamen habens simplex votum continentiæ contraheret matrimonium cum intentione intrandi religionem priusquam matrimonium consummaret, sicut beata Virgo nupsit post votum seruata intentione non cognoscen-

gnoſcendi virum, is fortaſſe non peccaret in canones, vt ſentit ſumma angelica & alij nonnulli, quia canones cõformiter loquuntur cum apoſtolo 1. Timoth. 5. videlicet de matrimonio cum intentione conſummandi, quod ipſa lege naturæ voto continentiæ repugnat.

§. 8. De impedimento matrimonij quod ligamen appellant.

S Thom. ſuppl. q. 65. ar. 1

Ligamen, id eſt, vinculum matrimonij quo quis alligatus eſt, impedit quò minùs eo vinculo durante, id eſt, coniuge ſuperſtite poſſit cum alia contrahere, ſiue prius matrimonium fuerit conſummatum ſiue non. Quod ſi contrahat, non modò non erit verum matrimonium, ſed erit ſi conſummetur, verum adulterium.

Circa hoc impedimentum præter ea quæ de polygamia & perpetuitate matrimonij ſuprà dicta ſunt, quæque paſſim alibi indicata, ex quibus clarum eſt in lege Christiana non poſſe virum vxore viuente aliam ducere, multoque minùs mulierem viuente viro alteri nubere) ad præſentem locum hæc tria breuiter annotaſſe ſufficiet.

Primum, Matrimonium viuente coniuge qui mortuus putabatur, poſt quantamcumque eius abſentiam, & quantumuis bona fide contractum, inualidum eſt, & ſtatim vt de vita prioris coniugis conſtiterit, dirimendum. Decretum eſt Leonis primi epiſtola 79. ad Nicetam, & de eo ſunt expreſſi canones apud Gratianum 34. quæſt. 1. & 2. & in decretalibus, titulo de ſecundis nuptijs capit. Dominus. Idemque neceſſariò colligitur ex diuina & naturali lege, quæ nec polygamiam admittit, nec patitur diſſolui matrimonium, quamdiu ambo qui contraxerunt, viuunt. Cenſetur autem ſecundum matrimonium bona fide contrahi primo non obſtante, quando coniux de morte coniugis moralem habet certitudinem; quæ pendet ex arbitrio prudentum: qualis videlicet haberi ſolet per nuncium, vel literas, vel aliud ſimile teſtimonium, de cuius fide dubitandi cauſas non habeamus. Nam ſola temporis longitudo quo nihil de coniuge auditur, ad bonam fidem non ſufficit. Sic docet Clemens tertius extra de ſponſalibus, capit. In præſentia.

Secundum, Qui dicto modo ſecundum matrimonium contraxit, à culpa tamdiu excuſatur in reddendo & exigendo debito, quamdiu manet bona fides ſiue moralis illa certitudo de morte coniugis, vt loco citato teſtatur Leo pontifex. Ea verò certitudine deficiente propter coniecturas quaſdam quę dubitationem gignant vel probabilitatem moralem in contrarium, non tamen certitudinem; poterit coniux reddere debitum, ſed non exigere. Quod ſi grauiores ſint coniecturæ, ita vt non tantùm probabile fiat moraliter, ſed etiam certum quod coniux viuat, ne quidem reddere debitum tunc licebit; quia cùm in moralibus id pro vero tenendum ſit, quod moraliter certum habetur, coniux hoc caſu debitum reddendo ſciens ac prudens in adulterij crimen ſe coniiceret. Hæc doctrina continetur duobus canonibus, quorum alter eſt Lucij tertij, cap. Dominus, ſuprà citato: alter Innocentij tertij cap. Inquiſitioni, extra de ſententia excommunicationis. Quorum canonum concordiam vide apud Nauarrum in Enchiridio capit. 16. numero 40. & 41. & capit. 22. numero 54. Debet enim coniux debitum reddens opinionem vitæ prioris coniugis, quam fortè ex cauſis probabilibus concepit, deponere, ad hoc vt ſine peccato debitum teddat. Quod idem tamen non ſufficit ad debitum ſine peccato petendum.

Tertium, Si quis mala fide ſecundam coniugem priore viuente acceperit, eamque pœnitentia ductus relinquere velit, atque is ab eccleſia cui de priore coniuge probare non poteſt, ad retinendam ſecundam eique debitum reddendum etiam per ſententiam excommunicationis compellatur, obedire non tenebitur, imò debebit non obedire eccleſiæ ſic præcipienti. Et idem iudicium eſt ſi mala fides poſtea ſuperuenerit. Ita docet Innocentius tertius cap. iam dicto. Cuius rei manifeſta eſt ratio, quia ſicut non licet inferiori iudici præcipere quod ſit contra legem ſuperioris, præſertim Dei; ita nec obedire licet ſi præcipiatur, ſed conſtanter tenendum illud Petri Act. 5. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Conſtat autem legi Dei contrarium eſſe adulterium. Excuſatur tamen eccleſia ſeu iudex eccleſiaſticus per ignorãtiam inuincibilem, dum deficiente probatione prioris matrimonij, pronunciat pro poſteriore quod probatur de facto eſſe contractum.

Quæ cùm ita ſint, non eſt hac in parte recipienda Magiſtri ſententia putantis talem coniugem in reddendo debitum excuſari per obedientiam & timorem. A qua ſententia non admodum abhorrere videtur Hugo Victorinus libro ſecundo de ſacramentis parte 11. capit. 6. vbi cùm prolixè & ambiguè quæſtionem hanc verſaſſet, ad extremum in eandem cum Magiſtro opinionem declinat; tametſi idem in ſumma ſententiarum tractatu 7. cap. 9. diuerſum inouere videtur.

Poſtremò quæri poteſt, an ſicut matrimonium, ita ſponſalia ſint impedimentum quo dirimatur matrimonium ſequens. Ita enim eſſe dogmatizauit Lutherus in libro de captiuitate Babylonica capit. de matrimonio: ſed ſine dubitatione tenendum non eſſe. Certum eſt enim validum eſſe matrimonium cum aliqua non obſtante ſponſione priùs alteri facta, licèt grauiter peccet is qui ſine cauſa legitima ſponſionem factam violat. Valet inquam ad eum prorſus modum quo valet donatio rei quæ fuerat alteri promiſſa. Nam in ſponſalibus promiſſio tantùm eſt, in matrimonio verò donatio. Et hanc doctrinam clariſſimè tradunt canones aliquot pontificum, qui habētur extra de ſponſalibus & canon 1. de ſponſa duorum, qui aſſeribitur Auguſtino.

Quæ verò in contrarium à Luthero adferuntur, leuia ſunt & facilè ex ijs quæ ſuprà de impedimento voti, & quæ ſuo loco de ſponſalibus dicta ſunt, diſſolui poſſunt.



IN DISTINCTIONEM TRIGESIMAMNONAM.

§. 1. *Illicitum esse coniugium fidelis cum infideli.*

S. Thom. suppl. q. 59 art. 1.



EX disparitate cultus seu religionis inter virum & fœminam nascitur impedimētum matrimonij. Quod quale sit, deinceps explicandum.

Ac primò notandum est cultus disparitatem hîc attendi inter eos dumtaxat quorum alter veram, alter falsam aut nullam profitetur religionem; non inter eos qui ambo falsam, tametsi diuersam religionem sectantur.

De hoc igitur impedimento prima quæstio est, an illicitum sit eiusmodi coniugium: secunda, an irritum: deinde & alia hac pertinentia quærentur.

Quod ad primam attinet quęstionem, indubiè statuendū est illicitum esse matrimonium hominis fidelis cum infideli, quod probatur ex lege naturali diuina & ecclesiastica.

Pro lege naturali sunt hæ rationes.

Prima: Lege naturæ tenetur quisque vitare suum periculum, non tantùm corporis, sed etiam animæ, idque tantò magis quantò anima præstantior est corpore. Est autem homini fideli periculum salutis animæ non exiguum ex conuersatione cum infideli. Quæ quidem conuersatio arctissima est inter coniuges: Igitur à tali coniugio prorsus abstinendum & cauendum est. Rationem confirmant scripturæ: *Qui tangit picem inquinabitur ab ea.* Ecclesiastici 13. *Amicus stultorum similis efficietur* Prouerb. 13. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* 1. Corinth. 15. & similes

Secunda, Etsi nullum coniugi periculum esset, magnum tamen erit proli nascituræ, quæ sicut ab vtroque parente ali debet & educari, ita ad vtriusque curam pertinet eam instituere in his quæ sunt religionis. Qua in re meritò metuendum, ne procliuiùs sequatur falsam religionem quàm veram, cùm *sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sint ab adolescentia sua.* Genes. 8.

Tertia. Nihil ęquè perturbare solet pacem domesticam atque religionis disparitas inter coniuges. Inde enim fit vt toto vitę suæ instituto sibi contrarientur; vnde contentiones & rixæ perpetuæ & grauiora etiam mala solent exoriri: fugiendum igitur est homini fideli tale coniugium.

Quarta ratio affinis primæ. Quod si maritus sit infidelis, facilè impediet quò minùs vxor Christiana frequentet exercitia suæ religionis, iuxta leges Christi & ecclesiæ: *Vir enim caput est mulieris.* 1. Cor. 11. & dictum est mulieri: *Sub viri potestate eris.* Genes. 3. Hanc rationem diligenter inculcat Tertullianus lib. 2. ad vxorem.

Porrò lege diuina prohiberi istiusmodi matrimonia, potest ex varijs scripturæ locis ostendi, primùm veteris, deinde noui testamenti.

Veteris quidem: Nam Exodi 34. & Deuter. 7. seuerè prohibet Dominus populo suo ne connubia misceant cum gentibus quarum terram erant possessuri. Quod præceptum non tantùm iudiciale fuit, solos obligans Israëlitas, verùm etiam morale, ideoque ad omnes pertinens, si causa eius expendatur. Subiungitur enim causa planè moralis & ex fonte legis naturæ deprompta, quæ proinde etiam hodie locum habet: *Filiam tuam*, inquit, *non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum ne sequatur me & vt magis seruiat dijs alienis.* Et quamquam ijs locis expressa tantùm mentio fiat earum gentium quæ incolebant terram Chanaan, extendi tamen debere diuinum illud præceptum ad alias infidelium nationes ostenditur partim ex adiuncta causa præcepti, quam nunc diximus, partim ex alijs locis, vbi præceptum hoc allegatur. Nam 3. Regum 11. nominantur etiam aliæ gentes, imò & extenditur præceptum ad Idumæos Israëlitis genere proximos. Quo etiam loco ratio legis repetita est his verbis: *Certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* Vbi & sequitur de Salomone quod contra hoc pręceptum egerit Ammonitidas & Moabitidas ducendo, & idcirco ei acciderit quod Deus per Moysen prædixerat: *Deprauatum est enim cor eius per mulieres, ita vt sequeretur deos earum, &c.* Quod si viro sapientissimo accidit, quantò magis id alijs metuendum erit?

Eodem pertinet quod 2. Paralip. 21. & 22. Ioram regem Iuda legimus malum fecisse coram Domino, rationem hanc addente scriptura, *Quia Athalia filia Achab*, mulier videlicet infidelis & exemplo parentū idolorū cultui dedita, *erat vxor eius.* Itemq; de eius filio Ochozia 4. Reg. 8. legimus ideo eum ambulasse in vijs domus Achab, quod gener esset eius familiæ.

Denique Esdræ 9. & Nehemiæ vltimo præceptum legis repetitur, & ad Ægyptios extenditur.

Eandem Dei legem scriptura noui testamenti declarat per apostolum 1. Corinth. 7 dicentem: *Cui vult nubat, tantùm in Domino*: id est, tantùm viro christiano, Quomodo eum locum interpretantur Tertullianus libro 2. ad vxorem sub initium, Cyprianus sermone de lapsis & libro 3. ad Quirinum cap. 62. Hieronymus libro 1. contra Iouinianum in epistola ad Ageruchiam de monogamia, & commentator Ambrosianus in eundem scripturæ locum. Item in suis commentarijs Theodoretus, Anselmus, Sedulius & alij, sed & Augustinus libro 1. de adulter. coniug. cap. 25. hanc expositionem vt probabilem adfert, subiuncto etiam grauissimo de ea re Cypriani testimonio.

Alter apostoli locus est 2. Corinth. 6. vbi sic præcipit: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? &c.* Quo loco iugum ducere cum aliquo non est aliud, quàm arcta societate cum eo coniunctum esse. Arctior autem & coniunctior societas inter homines esse non potest, quàm ea qua vir & mulier sic sibi inuicem adhærent, vt iam non sint duo sed vna caro. Vnde Hieronymus in duobus locis iam citatis exponit peculiariter hunc locum de matrimonio cum infidelibus non iungendo.

Iam verò lege ecclesiastica prohiberi eadem matrimonia, clarum est ex canonibus conciliorum: cuiusmodi sunt vniuersalis concilij Calcedonensis canon 13. Elibertini concilij canon 15. Laodiceni canonibus 10. & 31. Arelatensis 1. canon 11. Aurelianēsis 2. canon 18. Toletani 3. canon 14. Toletani 4. canon 61. Imò & canon 67. & 68. magni concilij Niceni inter eos qui versi habentur ex Arabico: alijque canones ac decreta quæ sunt apud Gratianum 28.

quæst.

quæst.1. His enim prohibentur fideles cum paganis, Iudæis, hæreticis matrimonia copulare.

Nec obstat, quod interdum canones vnam tantùm infidelitatis speciem nominent; satis enim insinuant in specie genus esse intelligendum, sicut in veteri lege quod de Chananæis tantùm expressum erat, ad alias etiam infidelium nationes pertinere interpretatus est Esdras & scriptura 3. Regum 11.

His adde duas leges ex iure ciuili, alteram Valentiniani & Theodosij cod. *De Iudæ.* l. *Ne quis christianam*: Alteram in cod. Theodosiano lib.3. titul.14. quarum illa cum Iudæis, hæc cum gentilibus vetat iniri coniugia.

Nec desunt priuata patrum testimonia. Nam Tertullianus libro 2. ad vxorem prolixè docet non oportere Christianos cum infidelibus iungi matrimonio.

Cyprianus in sermone de lapsis, loco ab Augustino non semel citato, commemorat inter alia grauiora peccata fidelium, quod matrimonia iungerent cum infidelibus, idque esse dicit prostituere gentilibus membra Christi. Alterum quoque Cypriani locum suprà designauimus.

Ambrosius epistola 70. ad Vigilium, monet nouum episcopum, vt plebem suam doceat cauéda prorsus esse einsmodi matrimonia: & libro 1. de Abraham cap. 9. de gentili, Iudæo & hæretico illud ipsum admonet vnumquemque Christianum.

Hieronymus libro 1. contra Iouinianum dicit Christianas quæ gentilibus iunguntur, apostoli iussionem contemnentes, idolis prostituere templa Christi. Alter locus est in epistola ad Ageruchiam.

Augustinus epistola 234. Christianam non nisi Christiano tradi posse in matrimonium affirmat, & libro de fide & op. capit. 19. *Omni modo conandum est*, inquit, *ne fiant tales coniunctiones. Quid enim opus est in tantùm discrimen ambiguitatis caput mittere?*

Postremò legem hanc confirmant exempla eorum quos per vxores alienigenas & infideles testatur scriptura ad idola declinasse, atque in alia grauia peccata incidisse, vt Salumonem, Achab, Ioram, Ochoziam de quibus suprà. Item Iudæos de quibus libro 1. & 2. Esdræ. Cuiusmodi & Ambrosius nonnulla refert in epistula modò citata.

§. 2. *Quædam in contrarium obiectiones diluuntur.*

S. Thom. vbi sup.

PRo matrimonijs in cultu dispari primùm omnium proferri solent exempla sanctorum tam veteris quàm noui testamenti. Nam Isaac Rebeccam, & Iacob filias Laban ex populo & parentibus idolorum cultui deditis vxores acceperunt. Ioseph Ægyptiam, Moyses Æthiopissam, Salmon Raab Chananæam, Booz Ruth Moabitidem, Samson Philisthæam, Dauid filiam regis Gessur, Salumon adhuc Deo carus filiam Pharaonis, & Esther nupsit Assuero regi infideli. Et tempore noui testamenti Eunice Mater Timothei à Paulo laudata 2. Timothei 1. virum habuit gentilem Actui. 16. & sancta Monica B. Augustini mater virum accepit infidelem ipso Augustino teste libro 9. confessionum cap. 9. & Clotildis Christiana nupsit Clodouæo regi Francorum ethnico, vt testatur Gregorius Turonensis libro 2. histor. cap. 28. Sed & sanctæ virgines Cæcilia & Vrsula consenserunt vt viris infidelibus despunderentur.

Alia puttò exempla huiusmodi coniugiorum videre licet apud Bedam libro 1. historiæ Anglorum cap. 25. & libro 2. cap. 9.

Secundò obijcitur locus Deuter. 21. vbi permittuntur filij Israel ducere mulieres quas ex hostibus ceperint captiuas. Hostes autem haud dubiè infideles intelliguntur.

Tertiò dicit apostolus 1. Corinth. 7. *Sanctificari virum infidelem per mulierem fidelem, & mulierem infidelem per virum fidelem*, ergo non sunt improbanda huiusmodi matrimonia.

B Quartò concilium Laodicenum canon. 31. etsi prohibeat filios vel filias elocare hæreticis in matrimonium, non tamen prohibet accipere, sed potius suadere videtur.

Quintò: Augustinus libro 1. de adulter. coniug. ad Pollentium cum in cap. 21. retulisset sententiam Pollentij, quod in vtroque testamento prohibitum sit fidelibus matrimonio iungi cum infidelibus, (Quæ verba Magister in hac distinctione malè recitat, tanquam ex Augustini sententia) postea ca. 25. ex propria sentētia loquens dicit non inueniri, nec C in euangelio nec in apostolicis literis, id est, in tota scriptura noui testamenti, vbi sine ambiguitate coniugia cum infidelibus prohibeantur. Quod idem repetit libro de fide & op. cap. 19. Lex autem vetus qua id prohiberi videtur, ad Christianos non pertinet.

Postremò testantur Hieronymus libro primo contra Iouinianum, & sanctus Augustinus capit. 19. de fide & op. matrimonia fidelium cum infidelibus suo tempore in ecclesia fuisse frequentissima. Quod certè non permisisset ecclesia, si ea iudicasset esse illicita.

D Pro solutione horum argumentorum notandum est quod ad legem naturæ attinet, eam hactenus prohibere matrimonia fidelium cum infidelibus, quatenus rationes suprà positæ in ijs locum habent. Vnde si nec coniugi nec proli periculum esset à religione falsa, nec verissimile esset turbatum iri pacem domesticam, sed magis sperari posset ipsius infidelis coniugis conuersio; non obstaret lex naturę, quò minùs fidelis infidelem in matrimonium acciperet.

Igitur ad exempla sanctorum veteris testa- E menti respondemus, ea nobis non aduersari, quia mulieres illæ vel iam conuersæ erant ad fidem, vel meritò sperabantur conuertendæ; & vel ante legem Mosaicam ductæ fuerunt, quando sola spectabatur lex naturæ: vel etiam tempore legis Moysi ex peculiari instinctu Spiritussancti: vel non ad eas gentes pertinebant, à quarum matrimonijs nominatim lex abstineri iusserat. Quamquam ex his ipsis vxores priùs ad veri Dei cultum conuersas accipere non erat vetitum, quales erant Raab meretrix & Ruth Moabitis. Esther autem ideo nupsit potentissimo F regi Assuero, vt eius fauore ac potentia freta populum suum ab oppressione vindicaret. Monicam verò B. Augustini matrem ignorantia legis diuinæ (de qua & Augustinus ipse dubitauit) simul & illius temporis consuetudo excusauit, præsertim cessante ipsius periculo. Nam contrà potiùs ipsa virū suum Patricium, quem ethnicum accepit, tandem Christo lucrifecit. Idem fecit & Clotildis regina, & aliæ atque alij quorum exempla referuntur, coniuges suos ad Christi fidem adduxerunt; tametsi non est nobis necesse omnia sanctorum matrimonia à peccato excusare.

Ad secundum respondetur id non aliter permitti, quàm vt priùs mulier illa captiua radat cæsariem & circuncidat vngues &c. vt eodem loco dicitur, per quod iuxta Liranum significatur dimissio gentilitatis & ad Iudaismum conuersio.

Ad tertium, loquitur apostolus de ijs coniugibus qui ambo in infidelitate coniuncti fuerant, quorum si alter postea conuersus fuerit ad fidem, non debet infidelem relinquere, sed operam dare, etiam eius conuersioni, propter quam spem dicitur infidelis sanctificari per coniugem fidelem, quia per eum quodammodo ad fidem præparatur. Hæc enim præparatio, sanctificatio quædam est.

Ad quartum, Canon Laodicenus addit hanc conditionem, si tamen illi profiteantur Christianos se futuros & Catholicos.

Ad quintum, Non est negandum aliquãdo dubitasse Augustinum, an in scriptura noui testamenti talis extaret aperta prohibitio. Nã illud 1. Cor. 7. *Cui vult nubat, tantùm in Domino*, putauit etiam sic rectè intelligi posse, *in Domino*, id est Christiana permanens, vt habet libro 1. de adulter. coniug. cap. 25. Veruntamen hic intellectus non perinde probabilis est, vt is quem ex eodem loco alijsque patribus suprà dedimus. Neque enim dubitari poterat quin grauissimè peccaret illa, quæ nubendo apostataret à fide Christi, sed id admonere voluit apostolus de quo poterat esse dubitatio, scilicet ne nuberet alij quàm Christiano.

Fatetur tamen idem Augustinus Cyprianum inter grauissima crimina fidelium numerasse, quòd coniugia miscerent cum infidelibus, ac tandem concludit eiusmodi coniunctiones saltem propter discrimen ambiguitatis omnino cauendas esse, quia in dubijs tutiora sequenda sunt.

D Ad postremum respondetur ecclesiam eiusmodi matrimonia tolerasse, propter spem conuersionis infidelium; maximè quod fideles tunc adhuc plurimis in locis inter infideles habitarent. Quamquam non ita tolerauit, vt nõ etiam grauiter reprehenderit, vt patet ex Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Hieronymo & canonibus conciliorum suprà citatis.

§. 3. *Vtrùm irrita sint fidelium cum infidelibus coniugia?*

S. Thom. ibidem.

Quamuis illicita sint, semperq́ue fuerint in dispari cultu coniugia, non tamen ex lege naturæ sunt irrita. Non enim cultus disparitas tollit omnino finem matrimonij, licet eum aliquo modo impediat. Nam in tali matrimonio potest nasci proles, potest etiam educari, & in Christiana religione institui, licet plærumque difficiliùs quàm si ambo coniuges Christiani essent; faciliùs tamen quàm si ambo sint infideles, quorum tamen ratum esse matrimonium, infrà docebimus.

Quin & exempla sanctorum suprà commemorata satis apertè probant disparis cultus matrimonia non esse lege naturæ irrita. Nam alioqui sequeretur eos in perpetua fornicatione vixisse, proinde sanctos minimè fuisse. Ex quo etiam consequens est nec diuino iure eadem illa matrimonia irrita fuisse. Nam diuinum ius ad illos vtiq; sanctos pertinebat pro ratione temporum quibus vixerunt. Ratum quoque fuit matrimonium Ismaëlis cum Ægyptia Genes. 21. & Esau cum Chananæis

A mulieribus Genes. 26. qui tamen sancti non fuerunt.

Quod si ea matrimonia iure diuino irrita essent, extaret præceptum aliquod in scriptura veteris aut noui testamenti, quod ea tanquam irrita dirimeret. Tale autem præceptum non legitur. Nam duo loca quæ ex nouo testamento suprà allata fuerunt, tantùm probant illicita esse, non etiam irrita.

At neque in veteri testamento præceptum inuenitur quo in vniuersum talia matrimonia decernantur irrita, ac fortasse ne in parte quidem aliqua. Nam Deuter. 7. prohibet quidem Dominus

B filijs Israel, ne matrimonia contrahant cum infidelibus habitantibus in terra Chanaan, sed non addit ea fore nulla, si contrahantur.

Quod si dicas Esdram sacerdotem cap. 9. & 10. sic interpretatum fuisse legem Deuteronomij, vt irrita censeret eiusmodi matrimonia, quia de facto separauit filios Israel ab vxoribus alienigenis quas duxerant; respondere possumus id non esse planè consequens, quia potest intelligi separatio quoad torum & habitationem manente vinculo, quandoquidem viri vxoribus sic dimissis poterant sui generis alias vxores accipere iure polygamiæ illi gen-

C ti diuinitus concesso. Neque enim legimus Esdram mulieres Israëlitidas à viris alienigenis separasse. Quod tamen si factum fuisset, intelligi posset eas mulieres debuisse viuere continentes vsque ad conuersionem vel mortem virorum à quibus fuerant separatæ.

Idẽ probabile fit ex eo, quòd illa separatio non tantùm fuit Iudæorum à mulieribus terræ Chanaan, verùm etiam ab Ægyptijs alijsque nonnullis aliarum gentium, quæ cap. 9. enumerantur.

Adde quod constanter tam ibi quàm alibi tales coniunctiones matrimonia vocantur,

D nusquam autem fornicationes: ipsæ quoque mulieres vxores vocantur, non fornicariæ, vt obseruauit Dominicus articulo 1. in hanc distinctionem; ideoque dicit hanc sententiam probabilitate non carere. Nam & tertij Regum 11. vbi manifestè scriptura respicit ad locum Deuter. aliarum quoque gentium mulieres enumerantur inter vxores Salomonis, quasi lex Deuter. etiam ad alias pertineat.

Quin & Augustinus libro 1. de adulte. coniug. cap. 18. de coniugijs eorum quos Esdras separauit, loquitur tanquam de veris coniugijs, licèt contra-

E ctis contra præceptum Dei. Quamquam etsi detur, vt multi sentiunt, matrimonia Iudæorum cum Chananæis diuino iure fuisse irrita, non tamen idem erit consequens de matrimonijs Christianorum cum infidelibus; tam quia lex Moysi nihil ad Christianos, tum quia lex illa de vna tantùm natione infidelium iuxta eosdem authores loquebatur, quæ natio hodie non subsistit.

At neque lex vlla ecclesiastica reperitur in decretis pontificum & conciliorum, qua cultus imparitas in vniuersum statuatur impedimentum ma-

F trimonij dirimens. Nam canones suprà citati prohibitorij tantummodo sunt non etiam irritantes. Quod vel inde constat, quia quidam eorum infidelibus annumerant hæreticos, cum quibus tamen tatum contrahi matrimonium mox docebimus. Deinde nec significant se comprehendere matrimonia contracta cum catechumenis, aut alijs ad fidem suscipiendum paratis, vbi tamen cultus disparitas est in proposito. Imò canon 13. Chalcedonensis permittit cum Iudæo & pagano matrimonium, si spondeant se venturos ad fidem.

Si quis

Si quis obijciat canones Nicænos 67. 68. & 69. quibus præcipitur vt infidelis dimittatur à fideli, & Codicis Theodosiani legem 3. titulo 14. qua matrimonia Romanorum cum gentilibus puniuntur vt adulteria, Et canonem 61. Toletani concilij 4. quo dirimi iubentur coniugia cum Iudæis contracta, cui consentit canon 18. concilij 2. Aurelianensis eorundem separationē præcipiens, Et lex Valentiniani, ne quis Christianam, codice de Iudæis, coniugia Iudæorum cum Christianis vt adulteria puniens; Respondeo canones illos Nicænos ex Arabica lingua nuper translatos non tam certæ authoritatis esse, vt multum mouere nos debeant, tametsi intelligi possunt, de dimissione quoad torum propter periculum seductionis: Leges autem Imperatorias dicta matrimonia vt adulteria punire propter grauitatem peccati, non propter nullitatem matrimonij; tametsi leges illæ quomodocumque intellectæ non possunt præscribere ecclesiæ. Toletanus quoque canon & Aurelianensis, quia particularium sunt ecclesiarum, & de solis loquuntur Iudæis, non possunt constituere legem vniuersalis ecclesiæ de omnibus infidelibus intelligendam. Et quidem de Iudæis vt id statueretur, peculiaris fuit ratio, quòd hi post euangelium promulgatum semper in sua perfidia fuerint cæteris pertinaciores. *Peruenit enim super illos ira Dei vsque in finem* 1. Thessal. 2. quorum proinde conuersio multò minùs quàm aliorum sperari potuerit.

Quæ quāuis ita se habeant, nō tamen dubitandū est matrimonia inter fidelem & infidelē hodie irrita esse ac diu irrita fuisse in ecclesia Dei, verùm id non tam ex canone aliquo ecclesiastico, quàm ex more populi Christiani & praxi totius ecclesiæ, vim legis habente; tametsi consuetudo & praxis illa & originem incertam habeat, & sensim fuerit introducta; sed quæ tandem ita obtinuit, vt ab annis minimum 400. creditū sit in ecclesia Christi hæc matrimonia esse nulla. Nam & Gratianus 28. quæst. 1. & Magister hac distinctione & deinceps omnes tam Theologi quàm canonum interpretes istud tanquam rem certam tradiderūt, non ad canonem aliquem respicientes sed ad doctrinam maiorum & consuetudinem Christianorum iuxta vel inter fideles habitantiū, qui ea matrimonia, si quando facta essent, diremerunt vel per se, vel interposito ecclesiæ iudicio. Quæ quidem consuetudo suum ex lege naturæ principium habet, sed obligandi vim accepit ex tacito consensu populi Dei.

Putant sanè quidam hanc consuetudinem obtinuisse iam olim ab ipsis apostolorum temporibus; sed huius rei nullum certum argumentum proferri potest. Imò ex Cypriano sermone de lapsis & ex Augustino duobus locis dudum citatis Cypriani sententiam referente, & ex Hieronymo libro 1. contra Iouinianum alijsque patrum testimonijs atque exemplis suprà memoratis, magis apparet contrarium. Quorum Augustinus testatur talia coniugia ita frequentata suo tempore fuisse vt vix putarentur illicita. Vnde satis intelligitur multò minùs fuisse persuasum ea esse irrita, quando nec in quæstionem ab Augostino vocatum est; præsertim cum Augostini mater aliæque multum laudatæ mulieres in eiusmodi nuptijs permanserint, non vtique permansuræ, si vel suspicionem habuissent inualidi contractus. Quod ipsum etiam colligitur satis ex canone 13. concilij Chalcedonensis. Verùm sequentibus temporibus eliminata magis ac magis infidelitate mos fidelium increuit atque inualuit, vt istiusmodi matrimonia tāquā inualida soluerētur, etiāsi fortè cum cathecumeno aut alioqui ad religionem suscipiendam parato contracta essent. Agnouerunt enim solum baptismum id esse à quo stabile discrimen accipi posset fidelium ab infidelibus quoad præsens impedimentum. Nam cùm de interiori fide hominis ecclesia non iudicet, sed per externum fidei signaculum quod est baptismus, suos ab alienis discernat; hinc fit vt in proposito fideles dicantur qui baptizati sunt, infidelium autem nomine comprehendantur omnes, qui fidei sacramento nondum sunt initiati, etiamsi sint cathecumeni atque in fidei cognitione multum profecerint; quia nimirum oportuit hac in re certum & stabile aliquid esse, quod ecclesia in iudicando sequeretur. Tale autem nihil conuenientius designari potuit, quàm baptismus, per quem homines in regnum ecclesię quę fidelium societas est, cooptantur, eiusque iurisdictioni subijciuntur, sicut olim per circuncisionem inferebantur populo Iudaico, vt Achior de quo Iudith 14. alijque proselyti. Vnde filij Iacob Genes. 34. illicitum & nefarium esse dicebant sororem suam dari homini incircunciso, videlicet eo circuncisionis signaculo fidelem ab infideli distinguentes. Nam & alioqui facilè homines leues & inconstantes modò aiunt, modò negant se huius aut illius esse religionis. Vnde nec professio fidei verbo tenus facta hac in re sufficere debuit.

Quod autem iam dicto modo fideles rectè intelligantur, ex ipsis etiam canonibus ostenditur. Nam in 4. concilio Toletano canon. 55. & aliquot sequentibus ijdem modò fideles, modò baptizati appellantur. Et Innocentius 3. cap. Gaudemus, extra de diuortijs testatur apud apostolum 1. Corinth. 7. fideles ab infidelibus baptismo distingui.

Porrò ratio irritandi istiusmodi coniugia fuit quàm iustissima; tum quod prorsus indignum videretur membra Christi commisceri cum profanis idolorum cultoribus. Quam rationem exaggerant Tertullianus, Cyprianus & Hieronymus; tum quod matrimonium à Christianis non aliter suscipi debeat quàm vt est nouæ legis sacramentum, cuius capaces non sunt qui baptismum nondum perceperunt: tum denique vt fidelium matrimonia perfectè reuocarentur ad tribunal ecclesiasticum. Quod fieri non poterat altero coniuge existente infideli. Nam ecclesia de ijs qui foris sunt, & intus nunquam fuerunt, potestatem iudicandi non habet.

Postremò consequens est ex dictis, Ecclesiam posse dispensare vt fidelis cum infideli validè simul & licite contrahat. Quod enim iure ecclesiastico constitutum est, eiusdem ecclesiæ authoritate relaxari potest. At neque lege naturæ erit illicitum, vbi cessant rationes propter quas probatum fuit non licere. Quod autem dicit apostolus, *Tantùm in Domino*, vel apostolicum præceptum est, non diuinum, sicut illud, *Vnius vxoris virum*, in quo proinde dispensare potest ecclesia: vel si diuinum est, eatenus tantùm extendendum erit, quatenus cum naturali coincidit.

§. 4. *Coniugia cum hæreticis illicita, non tamen inualida.*

NOn esse licitum catholicis matrimonia iungere cū hæreticis, satis ostendunt rationes & testimonia scripturæ quibus id generaliter demon- S. Thom. suppl. q. 42 art. 1.

stratum

stratum est de infidelibus, cum hæresis pessimum sit infidelitatis genus, coqu[illegible] minus coniugia cum ijs permitti debeāt, quo & periculosior est cum illis conuersatio, & difficilior eorum conuersio. Quibus adde quod qua ratione exco[illegible]municati sunt omnes hæretici, non tantùm contrahere cum eis matrimonia non licet, quod est arctissimum societatis genus, verùm & alia quæuis humana & familiari cum eis societate & conuersatione fidelibus interdictum est.

Nominatim autem hæc coniugia prohibent concilium Chalcedonense canon. 13. Laodicenum canon. 31. Agathense can. 67. & Ambrosius libro 1. de Abraham cap. 9.

B

Quod idem probatur ex euangelica & apostolica doctrina. Nam si hæreticus tanquam ecclesiam non audiens haberi debet *Sicut ethnicus & publicanus* Matth. 18. si iuxta apostolum *deuitandus est* Tit. 3. si iuxta alium apostolum *nec in domum recipiendus, nec aue ei dicendum*. 2. Ioannis, certè consequens est nec contrahendum cum eo matrimonium.

Sed vtrùm rata sint an irrita eiusmodi coniugia, quæritur. Nam canon. 72. sextæ synodi pronunciat irritas esse nuptias, quas vel orthodoxus cum hæretica vel orthodoxa cum hæretico contraxerit, ac præcipit nefarium coniugium dissolui.

C

Probari quoque videtur ex eo quod non minus inter huiusmodi personas consistere videtur cultus disparitas, quàm inter fidelem & paganum, magis autem quàm inter baptizatum & catechumenum. Sed & periculum subuersionis ab hæretico maius est multò quàm ab alijs infidelibus, vt paulò antè dictum est, & latè experientia docet.

Veruntamen respondendum longè diuersam esse de hæreticis atque de alijs infidelibus rationem. Nam hæretici, siquidem baptizati sunt (de ijs enim solis hic sermo) sacramenti ratione inter fideles computantur, & sacramento tenus fideles sunt, & tenent ad iurisdictionem ecclesiæ pertinent, sicut & illi qui post baptismum apostatarunt, ac proinde nec dispar cultus est inter illus aliosque fideles, quantum ad professionem Christianismi, eius signaculum & character est baptismus. Quæ causa est cur inter huiusmodi personas matrimonium subsistat, non obstante periculo, quod per se ad dirimenda matrimonia non sufficit. Quod si talia matrimonia decernerentur irrita, iam incertissima essent, hoc præsertim seculo, Christianorum matrimonia, cùm multi vacillent in fide Catholica, multi lateant atque in animo sint hæretici, multi denique aliud hodie, cras rursum aliud sentiant & profiteantur.

D

E

Ad canonem Trullanæ synodi, quæ falsò sexta nominatur, non aliud dicendū, quàm eam synodum fuisse schismaticam, & proinde nullius esse authoritatis. Quamquam non negamus ecclesiam posse si velit, irritare eiusmodi coniugia; sed ideo non facit, quia videt non expedire.

F

Porrò si post contractum matrimonium contingat alterum coniugem in hæresim vel aliam quamcumque infidelitatem labi, certum est tale coniugium quoad vinculum non dissolui, vt definitum est sess. 24. canon. 5. concilij Trid. tametsi separatio quoad torum fieri possit, aut etiam debeat pro ratione periculi. Neque id tamen nisi ad tempus, durante videlicet periculo; quia separatio illa non fit lege matrimonij, vt in casu fornicationis, sed tantùm iure defensionis. Sic canones docent extra

A

de diuortijs cap. Quæsiuit, & cap. De illa, & cap. Quando, & de restitutione spoliatorum cap. Ex transmissa, & cap. Literas.

Quod ergo dicit Magister in sententia Domini qua dicitur: *Nisi ob fornicationem*, intelligi fornicationem tam spiritualem quàm carnalem ita vt propter infidelitatem, imò & quamlibet concupiscentiam quæ perniciosè turpiterque corrumpit, tanquam ob fornicationem spiritualem liceat coniugem dimittere, sicut ob fornicationem carnalem, merito velut falsum & erroneum reijcitur. Cuius rei declaratio petenda est ex ijs quæ diximus ad distinctionem 35.

Cæterùm Augustinus eum locum ex quo Magister suam sententiam deprompsit, qui est libro 1. de sermone Domini in monte cap. 27. & 28. ita retractat libro 1. retractationum, cap. 19. vt fateatur in difficili quæstione se nec sibi nec lectori satisfecisse.

Alter verò locus Augustini, quem adfert Magister, ex libro de fide & operibus, intelligitur de dimissione tēporaria, quę fit causa vitandi sui periculi, per modum defensionis, vt iam diximus.

§ 5. *Inter infideles vera contrahi matrimonia.*

INfideles non posse sacramentorum nouæ legis esse participes, ex eo constat, quia baptismus est ianua sacramentorum. Quocirca matrimonium qua ratione nouæ legis sacramentum est, & à Christo institutum, apud infideles nō habetur. Sed quia quæ naturalis sunt institutionis, infidelibus pariter & fidelibus communia esse nihil prohibet; hinc negari non debet, quin sit ac semper fuerit apud infideles verum matrimonium, quatenus est contractus siue contractum consequens nexus insolubilis inter virum & mulierem ex lege naturæ institutionem habens, iuxta ea quæ circa definitionem matrimonij ad distinctionem 27. dicta sunt. *S. Thom. suppl. q. 59. ar. 1.*

Manifestum quoque id est ex scriptura sacra vtriusque testamenti, quæ passim infidelibus non minus quàm fidelibus tribuit vxores habere ac ducere, viris nubere coniuges esse, vt Esther 1. 5. & 6. Dan. 5. & 14. & alibi, item Matth. 24. & Luc. 17. dicente Domino: *Sicut in diebus Noë vxores ducebant & dabantur ad nuptias, &c.* Et 1. Corinth. 7. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam, &c.* Quibus certè verbis apostolus agnoscit, & confirmat vera esse matrimonia quæ apud infideles contrahuntur. Nam alioqui mulier in infidelitate ducta tanquam non vera vxor, aut dimittenda esset, aut iterato ac nono contractu ducenda. Et ex eo apostoli loco Innocentius tertius cap. Gaudemus, docet sacramentum coniugij apud fideles & infideles existere: addens per baptismi sacramentum non solui coniugia, sed crimina dimitti.

Idem latè probat Gratianus 28. quæst. 1. & 2. multis ad eam rem tum scripturæ testimonijs, tum patrum & conciliorum prolatis sententijs, vbi quæst. 1. cap. Si quis, ex concilio Meldensi canon. 1. rursus illud legitur: *Crimina in baptismo solui non coniugia.* Tandem & Magistri in textu & omnium doctorum indubitata doctrina est.

Sacramentum autem vocat Innocentius etiam illud coniugium quod est apud infideles, quia sacræ rei signum est non quia vim habet sanctificandi. Hac enim ratione non modò infidelium sed &

fidelium

A fidelium& iustorum ante Christi aduentum matrimonia non fuerunt sacramenta. Quo sensu interdum Doctores simpliciter negant matrimonium infidelium esse sacramentum. Quod & in Romano catechismo ad parochos eodem sensu legitur. Nam generali ratione omne matrimonium esse sacramentum ad distinctionem 26. ostendimus.

Cæterùm quod sub finem præsentis distinctionis dicit Magister, inter infideles coniugium esse legitimum, sed non ratum, quod & à Gratiano totidem verbis annotatum legitur 28. quæst. 1. in fine non quidem reperitur apud Augustinum, quamuis ei Gratianus tribuat hanc sententiam: *Non est ratum* B *coniugium quod sine Deo est*, sed sumptum est ex commentario Ambrosiano super 1. Corinth. 7. vbi ad illa verba: *Non enim seruituti subiectus est frater, &c.* sic author ille commentatur. *Non enim ratum est matrimonium quod sine Dei deuotione est, ac per hoc non est peccatum ei qui dimittitur, propter Deum, si alij se iunxerit. &c.*

Simile quid habet ipse Ambrosius scribens in Lucæ 16. cùm dicit infidelium coniugium non esse à Deo, & solui posse secundùm illud: *Quod si infidelis discedit, &c.* Quos omnes secutus Innocentius C tertius extra de diuortijs cap. Quanto, de eadem re ita scribit: N*am etsi matrimonium verum inter infideles existat non tamen est ratum*; inter fideles autem verum & ratum existit, quia sacramentum fidei quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugij sacramentum, vt ipsum in coniugibus illo durante perduret.

Ex quibus Innocentij verbis patet in dictis sententijs ratum non id dici quod verum est, neque quod firmum & validum. Nam idem ille commentator apud quem primum legitur infidelium ma- D trimonium non esse ratum, eodem tamen loco testatur adulterum esse, qui infideli coniuge volente cohabitare relicta, alteri se copulat: sed id ratum dici quod casu dissolui potest.

Ratum itaque negatur infidelium coniugium, quia non ita firmum ac stabile est, vt nullo casu dissolui queat, etiamsi sit consummatum sicut coniugium fidelium. Nam aliquo casu dissolui posse mox docebimus. Atque hunc sensum facile est colligere ex Innocentij verbis modò recitatis; tametsi etiam dici potest ideo ratum non esse, quia nondum est positiua Christianorum lege confir- E matum.

Ad id verò quod tam Gratianus quàm Magister sibi opponunt ex apostolo Roman. 14: *Omne quod non est ex fide peccatum est*; breuiter respondemus apostolum loqui de ijs operibus, in quibus est aliquid dictamini fidei nostræ contrarium, quale erat manducare cum hac persuasione quod cibus esset immundus & proinde illicitus.

Deinde etsi detur coniugium infidelium peccatum esse, quale reuera est quoad contractum non infidelium tantùm sed & fidelium coniugium, quoties contrahitur carnali aut aliàs praua inten- F tione, vti rectè docet Petrus à Soto: nondum tamen consequens erit non esse verum coniugium. Quam multi enim contractus cum peccato fiunt, vel ob finem vel aliam circunstantiam non bonam, quos tamen ratos esse nemo negauerit? Quomodo & actiones illas in quibus sacramenta consistunt, viciari contingit. Nam verbi gratia baptizandi actus, si fiat in mortali peccato, vel malo fine, peccatum est.

§. 6. *Quatenus liceat coniugi ad finem conuerso infidelem dimittere.*

QVæstionis huius explicatio qua quæritur, Vtrùm si duorum coniugum in infidelitate coniunctorum alter vel altera ad Christianam religionem transierit, altero vel altera in infidelitate permanente, liceat fideli infidelem dimittere, & quo casu; pendet ex vera interpretatione verborum apostoli 1. Corinth. 7. quibus ait. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, &c.* Et eius sequitur. *Quod si infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* Et quidem ex verbis apostoli certum est posse aliquo casu infidelem à fideli dimitti, atque in eo consentiunt omnes interpretes; sed dubium relinquitur quo casu id possit. Nam Augustinus libro 1. de adulter. coniug. cap. 13. 17. 18. 21. & 25. item libro 1. de sermone Domini in monte cap. 16. ita sentire videtur, vt etiamsi infidelis consentiat habitare cum fideli citra contumeliam creatoris, id est absque religionis iniuria, fideli tamen liberum sit infidelem dimittere vel non dimittere. Idem sentit Sedulius in commentario 1. Cor. 7. Putant enim hi id quod apostolus ait, *Non dimittat eam*, esse consilij non præcepti. Verùm Augustinus suam de matrimonio disputationem agnoscit non satis exactam & absolutam esse libro 1. retractationum cap. 17. & libro 2. cap. 57. ingenuè confitens se ad intellectum difficillimæ quæstionis nondum peruenisse. Quò fit vt tanquam in re dubia interdum aliter sentire videatur. Nam in libro contra Adimantum cap. 3. generaliter negat vxorem dimitti posse si nec fornicata fuerit, nec virum à regno cælorum impediat: vbi fornicationem tantùm carnalem intelligi satis arguit alterum membrum adiunctum. Et libro de fide & op. capit. 16. fatetur ita demum vxorem infidelem posse relinqui, si cum viro Christiano propter hoc quod Christianus est, permanere noluerit. Immo & libro 1. de adulter. coniug. ca. 18. & 25. vbi dicit licere Christiano coniugem infidelem dimittere, etiamsi cohabitare consentiat, negat tamen id expedire propter adulterij periculum & blasphemiæ nominis Christi apud infideles.

Alia igitur sententia vt communior apud veteres, ita multò probabilior est; nempe apostoli verba prohibentis esse, non consulentis; prohibentis, inquam, ne fidelis dimittat infidelem consentientem secum habitare citra religionis iniuriam.

Ita intellexerunt apostolum Tertullianus in principio libri 2. ad vxorem. Hieronymus libro 1. contra Iouinianum, & commentario epistolæ ad Ephes. super illud cap. 6. *Serui obedite dominis.* Ambrosius in Luc. 16. & Ambrosij titulo commentarius in 1. Corinth. 7. Consentiunt Theophylactus, Oecumenius, & ab eo citatus Photius & Haymo scribentes in eundem apostoli locum. Atque hic sensus ex ipso apostolico textu confirmatur. Primùm quia apostolus satis seipsum declarat hac posteriori sententia: *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater &c.* Hæc enim verba non significant quouis casu posse fidelem relinquere infidelem, sed ita demum si infidelis discedat, id est, cohabitare non consentiat nisi coniux redeat ad

infide-

infidelitatem, sub quo comprehenditur etiam cohabitatio cum iniuria Christianæ religionis, quæ discessu illo deterior est. Hoc enim casu negat apostolus fidelem esse subiectum seruituti, quia ita sit alligatus matrimonio, vt non possit infidelem relinquere videlicet ex consequenti significans, quòd si infidelis non discedat, sed cohabitare consentiat, fidelem manere seruituti subiectum, ita vt infidelem dimittere non possit. Deinde quia paulò pòst affirmat se ita in omnibus ecclesijs docere. Sanè si per omnes ecclesias docuisset apostolus posse à fidelibus dimitti coniuges infideles etiam pacificè cohabitare volentes, vehementer exosam reddidisset doctrinam Christianam inter gentes; data scilicet Christianis plena libertate discedendi quocunq; casu à cõiugibus non Christianis. Nullo igitur modo verisimile est hoc apostolum vel sensisse vel docuisse, quem constat alibi diligentissimè cauisse ne quod offendiculum daretur euangelio.

Adde quod idem alibi *Seruis qui sub iugo sunt; præcipit vt dominis obediant, etiam infidelibus*; ne videlicet. *Nomen Domini & doctrina blasphemetur* 1. Timothei 6. Tit. 2. non autem facit eis potestatem iugum seruitutis excutiendi.

Quare cùm firmior sit nexus coniugum inter se quàm obligatio serui ad dominũ, si seruitus non soluitur per religionem, ratio non apparet, cur coniugium soluatur.

Petrus quoque apostolus 1. epistolæ 3. dum vult mulieres viris etiam infidelibus subditas esse, vt illi saltem per earum conuersionem Christo lucrifiant; neutiquam eis permittere videtur discedendi potestatem viris ab iniuria Christianę religionis abstinentibus.

Denique si eo ipso quo alter coniugum fidem & baptismum suscipit altera manente in infidelitate, liberum sit fideli infidelem dimittere, & quidem eo modo vt coniugium soluatur, (hunc enim modum intelligi infrà docebimus) iam veritatem non habebit illa concilij Meldensis & Innocentij 3. sententia dudum citata, *Baptismo crimina soluit non coniugia.*

Verùm cum Augustino instabit aliquis & dicet priorem expositionem confirmari ex apostolo qui huic sententiæ: *Si quis frater vxorem habet infidelem* proximè præmisit hæc verba: *Cæteris ego dico, non Dominus*, id est (vt ipse postea de virginibus loquens exponit) *præceptum Domini non habeo, sed consilium do*; Respondemus hæc apostoli verba non eodẽ referri ab omnibus interpretibus: & quidem si referantur ad proximè sequentia, sicut referunt Augustinus & Sedulius, & multi alij, renera consequens erit id quod illi docent, consilij esse, non præcepti, ne dimittatur coniux infidelis.

Cæterùm multò aptiùs ea verba referuntur ad superiora; nimirum ad eum locũ vbi dictum erat, *Dico non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant &c.* Nam & post eodem sensu verbis paulum mutatis, de virginibus repetit: *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Sensus igitur apostoli est: His qui in matrimonio sunt, Dominus præcipit non separari, virginibus autem & viduis ego consulo sic permanere: Post quæ verba nouum ac diuersum argumentum subijcit dicens: *Si quis frater vxorem &c.* & tandem velut post longum hyperbaton ad institutum redit, vbi ait: *De virginibus præceptum &c.* Hæc expositio est apud Tertullianum libro de exhortatione castitatis, & libro de monogamia, quam & tradit in suo commentario Primasius, & indicat Theophylactus eademque valde conformis est textui.

Sed iam meritò quæret aliquis, quæ, & quanta cõtumelia seu iniuria religionis sufficiat, vt dimitti possit infidelis.

Ad hoc à diuersis diuersimodè respondetur. Maximè probabile est vnam & quamcumque leuem contumeliam non sufficere, sed ex apostoli sententia requiri vt sine contumelia Christianæ religionis nolit infidelis fideli commanere. Id autem nolle censetur quando in ipso est permanens studium Christo & religioni eius obtrectandi vel coniugem à fide reuocandi, vel quando religionis odio ipse à coniuge discedit.

§. 7. *An fidelis infideli dimissa aliam ducere possit.*

QVod fideli non tantùm licitum sit dimittere coniugem infidelem, cum quo sine religionis iniuria cohabitare nequit, verùm etiam eo dimisso ac viuente aliud matrimonium contrahere; constans est Theologorum & Canonistarum doctrina. Qui ea in re secuti sunt sacros canones, & totius ecclesiæ traditionem & praxim, *S. Thom. suppl. q. 59. a. 6.*

Primus canon est Gregorij apud Gratianum 28. q. 2. *Si infidelis*, inquit, *discedit odio Christianæ fidei, discedat. Non enim est frater aut soror subiectus seruituti in huiusmodi. Non est enim dimisso peccatum propter Deum si alij se copulauerit. Contumelia quippe creatoris soluit ius matrimonij circa eum qui relinquitur &c.*

Alij duo canones sunt Innocentij 3. extra de diuortijs canon. *Quanto*, & canon. *Gaudemus.*

Eadem doctrina est apud Ambrosium super Luc. 16. & in commentatio super 1. Corinth. 7. estque huius rei quædam significatio in concilij Elibertini canone 10.

Porrò primum huius doctrinæ fundamentum est in sententia apostoli 1. Corinth. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* Quibus verbis significare vult apostolus fratrem aut sororem, id est, Christianum aut Christianam non esse subiectum seruituti, qua teneatur abstinere ab vsu coniugij si coniux infidelis odio Christiani nominis sponte discesserit & coniugẽ reliquerit: aut si dimissus fuerit eò quòd sine Christi contumelia non consentiat cohabitare. Nam hunc posteriorem casum etiam comprehendi ab apostolo, declarat superior sententia, *Si quis frater vxorem habet infidelem & hæc consentit habitare cum illo &c.* Cùm igitur ad talem coniugem in contumelia perseuerantem redire plærumque periculosum sit, & proinde illicitum; poterit fidelis alium coniugem accipere. Alioquin enim subiectus esset seruituti, id est, necessitari continendi se ab vsu coniugij, quod negat apostolus. Hanc autem esse mentem apostoli præter supradictos authores, etiam senserunt Græci commentatores & Latini.

Hîc si quæras, an qui dimittit coniugem causa fornicationis, sit seruituti subiectus ad sensum apostoli, præsertim si coniux in fornicationis crimine perseueraret: omnino fatendum est, quia prorsus ei aliam ducere non licet. Vnde rectè discipuli auditis verbis Christi, quod *qui aliam duxerit mœchatur*, intulerunt difficilem esse causam hominis cum vxore Matth. 19.

Iam verò pro plenioti intelligentia huius doctrinæ, cùm ea non parum aduersari videatur rationi ac definitioni matrimonij quæ requirit coniun-

ctionem

ctionem inter coniuges indissolubilem, fieri autem nequeat vt ad aliud matrimonium transeat fidelis in soluto vinculo, quo alligatus erat coniugi infideli; breuiter explicandum qua ratione fieri possit, vt coniugium in infidelitate cōtractum & consummatum casu iam dicto dissoluatur, inter fideles autē contractum idemque consummatum, nullo casu nec fornicationis, nec apostasiæ nec cuiuscumque alterius criminis dissolutionem admittat.

Eam rem sanctus Thomas & qui eum sequuntur, declarant hoc ferè modo: quia per baptismum tanquam Christianismi susceptionem homo moritur priori vitę & resurgit in nouam, est enim baptismus regeneratio quędam, & proinde per eum liberatur homo à seruitute prioris vitæ, ad quam præcedens matrimonium pertinebat, sicut, inquiunt, qui statum religionis profitentur, per eum tanquam per mortem ciuilem liberatur à votis prioribus atque etiam à vinculo matrimonij inconsummati quod in priori vita contraxerat.

Sed hæc declaratio non satis solida videtur, quia cùm mors illa prioris infidelitatis vt ipsi fatentur, fiat in baptismo, oportet per baptismum statim tale matrimonium dissolui, quod non ita est, cùm dicant canones per baptismum non solui coniugia sed crimina. Imò nec postea fit dissolutio si coniux infidelis consentiat cohabitare, nec si non consentiat secundùm ipsum sanctum Thomam, quamdiu fidelis non transit ad alias nuptias: At in ingressu religionis mors agnoscitur ciuilis qua statim & priora vota soluuntur, & matrimonium inconsummatum. Vnde & Durando hæc explicandi ratio non placuit.

Sit igitur ista declaratio: Cōtingit sæpenumero hominem teneri ad aliquid lege positiua, ad quod lege naturæ non tenetur. Quandoquidem lex positiua cùm propriam habeat legis rationem, semper aliquid obligationis addit supra eam quæ nascitur ex lege naturę. Quare etsi vtraque lege coniugium sit indissolubile, naturali scilicet & positiua, maior tamē obligatio nascitur ex lege positiua naturalem confirmante, quàm ex sola naturali.

Deinde illud quoque certum est legem positiuam eos tantùm obligare, quibus est promulgata. Ex quo consequens est hanc legem: *Relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ. Et erunt duo in carne vna,* qua ratione positiua est, eos non obligare, quibus non fuit promulgata, id est infideles, & quotquot nec sunt, nec aliquando fuerunt de familia Dei, sicut nec ad eosdem pertinent leges ecclesiasticæ. Verùm quia baptizati omnes ad familiam Christi pertinent, fit vt eadem illa lege omnes hi teneantur, qualescumque postea fiant, hæretici, Mahometistæ, athei; vnde sequitur eorū matrimonia, vt qui semel per baptismum Christo nomen dederunt, nulla deinceps ipsorum mutatione dissolui posse. Atque hoc est quod Augustinus libro de bono coniug. cap. 7. & 15. & libro de fide & operibus cap. 7. & libro 1. de nuptijs & concupis. cap. 10. dicit *Talem esse causam hominis cum vxore in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius,* id est, in ecclesia Christi, vt vinculū cōiugale inter eos quoad viuunt, solui omnino nō possit. Quibus verbis significatur coniugij extra ecclesiam in infidelitate contracti non eandem prorsus esse rationem quoad firmitatem & indissolubilitatem. Hoc ipsum voluit commentator ille Paulinus apud Ambrosium, quando ratum negauit esse matrimonium quod sine deuotione Dei est: & Innocentius pontifex quando inter infideles dicit verum sed non ratum esse matrimonium, eò quòd sacramentum fidei, id est, baptismus qui nunquam amittitur, ratum efficiat coniugij sacramentum, vt ipsum in coniugibus illo durante perduret: loca superiùs annotata sunt.

Quando igitur contingit, vt eorum qui in infidelitate coniuncti sunt, alter ad fidem conuertatur altero in infidelitate remanēte, cùm matrimonium sit duorum, & neuter altero magis obligatus esse debeat; nondum potest tale matrimonium legi Christianæ subijci quoad obligationem: ac proinde nondum habere potest eam firmitatem quam habent Christianorum connubia. Ex quo iam vlteriùs infertur posse aliquo casu matrimonium in infidelitate contractum, quo casu solui non possunt coniugia Christianorum. Nam si nullo casu solui posset, par esset vtriusque firmitas.

Porrò alium casum non agnoscit ecclesia quàm eum quem accepit ex apostolica doctrina: dum videlicet post fidē & baptismū alterius alter in infidelitate remanens cum fideli non vult commanere sine Christianæ religionis iniuria, sed vel spōnte discedit, vel propter Christum dimittitur. Hoc enim vnico casu solubile est matrimonium ex sola lege naturæ insolubilitatem habēs, quale est infidelium, cùm matrimonia Christianorum (de consummatis loquimur) quia etiam subijciuntur legi Dei positiuæ, nullo casu solutionem admittant.

§. 7. *Duarum quæstionum circa prædicta breuis explicatio.*

Circa ea quæ modò dicta sunt, duæ occurrunt quæstiones. Vna, vtrū casus iam dictus etiā eò extendatur, si coniux infidelis nolit cohabitare fideli nisi pergat sceleratè & flagitiosè viuere, etiamsi fortè Christum non blasphemet, nec ab eius religione coniugem tentet auertere. *S. Thom. vbi sup.*

Altera, quando prioris matrimonij vinculum solui censeatur.

Ad primam cum Durando respondemus affirmatiuè. Nam Augustinus libro de fide & operibus cap. 16. hunc casum expressit, quum ait mulierem infidelem si viro suo iam fideli dicat: Non ero vxor tua nisi mihi de latrocinio diuitias congeras, aut nisi solita lenocinia quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas, &c. eo modo rectissimè dimitti quā propter fidem Christi dimittitur, si cum viro Christiano propter hoc quod Christianus est, permanere noluerit, & quamuis non addat Augustinus eo casu virum fidelem posse ducere aliam, id tamen ex comparatione colligitur. Apertiùs autem de hac re loquitur Innocentius 3. cap. Quando, extra de diuortijs cùm dicit fidelem posse ad secunda vota transire, quando infidelis vel nullo modo vel non sine blasphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum, vult fideli cohabitare. Quod & repetit eodem ordine in cap. Gaudemus.

Ratio autem est, quia censetur non sine iniuria Christianæ religionis velle cohabitare qui impellit ad vitam Christianæ professioni contrariam. Non erit tamen eadem ratio, si ipse infidelis perditè viuat vel etiam adulteretur, quia sic dimitti quidem poterit aut debebit coniux sceleratus sine adulter, non tamen innocenti licebit ad aliud coniugium transire.

& actionum euentus non sunt in nostra potestate. Quod autem simul totum dependet ex Deo & voluntate nostra, cùm sit totum nostri arbitrij, licèt non sine Deo, rectè id promittimus sine conditione voluntatis Dei, confidentes interim in eius adiutorio: cuiusmodi sunt votum continentiæ seruare, fidem homini præstitam non violare, ab iniurijs abstinere & similia, quæ dum promittimus non est addendum, si Deus voluerit, sed debet homo dicere: spero per Dei gratiam me facturum.

Ad sextum respondent quidam loqui Cyprianum de virginibus nondum velatis, sed simplex continentiæ votum habentibus, quibus melius, id est, minus malum nubere, quàm in ignem fornicationis cadere. Vnde non dicit quæ consecratæ sunt, scilicet ab episcopo, sed quæ se Christo dicauerunt, nimirum voto simplici. Alij tamen malunt locum de consecratis & velatis accipere, sed hoc sensu: Quod si se ex fide Christo dicauerunt, castè perseuerent, vt fides data postulat. Si autem perseuerare nolunt, aut non possunt; non se Christo dicent, id est, non voueant, sed nubant potiùs quàm in ignem delictis suis cadant. Hunc sensum arguit primò quod disiunctiuè dicit Cyprianus, *Si perseuerare nolunt, aut non possunt*. Nam quæ possunt & nolunt, nec ab ipsis aduersarijs permittuntur nubere post votum. Deinde quod ibidem virgines Christo dicatas grauissimè peccare dicit & Christi adulteras fieri si viro alicui misceantur. Ac tertiò quod eas quæ iam lapsæ fuerant, separari iubet à masculis, negans aliter eas admitti posse in ecclesiam.

Ad septimum respondetur Epiphanium seipsum exponere, cùm statim subijcit: *Melius est vnum peccatum habere & non plura*. Quod si de velatis dictum accipias, sensus erit. Minus malum est palam nubere atque aliquam continentiæ coniugalis speciem seruare, quàm occultè in perpetua fornicatione alijsque libidinum sordibus volutari. Verùm alij probabile putant Epiphanium eo loco non de ijs loqui qui vel quę vouerant, sed de quibusdam qui quod prouecti essent ætate, non interposito voto cælibes permanere decreuerant interim occultè fornicantes, quos hortatur vt pœnitentiam agant & ad matrimonium confugiant. Iuxta quorum sententiam hic sensus est: Melius est illis post vnam fornicationem transire ad nuptias, quàm in cęlibatu manendo exponere se periculo assiduè scortandi.

Ad octauum, Hieronymus non loquitur de velatis virginibus, quæ sub cura erant episcoporum, sed de virginibus propositum castitatis domi seruantibus, ac simplici tantùm voto astrictis: quamquam alij malunt sanctum Hieronymum intelligere locutum de sacrarum ac nobilium virginum ancillis, quę cùm nullum haberent votum, parum pudicè viuendo Dominas infamabant. Nam earum mores verbis subsequentibus Hieronymus insectatur.

Alter locus ad eam dirigitur, quę non solėniter vouerat, cui suadet Hieronymus tanquam minus malum vt palam nubat potiùs quàm incontinenter aut scandalosè viuere pergat.

Tertius autem locus factum quidem refert hominis hęretici, qui filiam sanctimonialem matrimonio copulauerat, id est, nubere coëgerat, vt habet Sophronius in Gręco; sed factum nec laudat sanctus Hieronymus sed reprehendit, nec ratum fuisse coniugium docet. Eademque prorsus est solutio decimi argumenti, quod ex Gregorio fuerat allatum. Et quod ibidem de Gordiana dicitur: *Quod inter laicas deputabitur*, id dicitur priusquam marito nupsisset. Alioqui postea sub finem homilię significat sanctus Gregorius eam esse damnatam.

Alius adhuc ex sancto Hieronymo locus obijci potest, qui de sancto Malcho in vita eius refert, quòd posteaquam multos annos monachus fuerat, vxorem duxit, & cum ea vsque ad finem vitę permansit. Sed dicendum coniugium illud prorsus nullum fuisse, licèt Malchus à Domino suo coactus fingeret se mulierem illam pro vxore habere. Id vel inde patet, quia mulier, vt ibidem narratur, alium habebat virum viuentem. Igitur vir sanctus societatem cum ea muliere colebat castam & spiritualem, tanquam frater cum sorore.

Ad nonum loquitur sanctus Augustinus primo loco de virginibus non velatis, id est, nondum solenniter professis quibus melius, hoc est, minus malum esse dicit nubere quàm vri, id est, occulta flamma concupiscentiæ vastari. Possent tamen sancti Augustini verba sic intelligi, melius nuberent, id est, melius nupsissent; tunc scilicet quando adhuc liberæ erant, quàm voto facto vterentur. Nam apud sanctum Augustinum frequens est vt præsens optatiuum pro præterito ponatur.

Secundo & tertio loco agit in genere de ijs quæ voto castitatis se astrinxerant, negatque generalem rationem voti, quo efficiuntur sponsæ Christi, repugnare, quò minùs veras nuptias postea contrahant. Nam alioqui par esset ratio omnium, quæ quomodocumque vouissent, vt sentiebant illi, quorum opinionem improbat sanctus Augustinus. Peccare autem eas damnabiliter, quæ post votum qualecumque nuptias contrahant, eisdem locis apertissimè docet. At quarto loco ratum intelligit, non quod obligat, sed quod non violatur. Nisi enim Deus dederit continentiam, non poterit votum seruari, quo quis continenter se victurum promisit.

Cæterùm quid de velatis tam viduis quàm virginibus, earumque matrimonio senserit sanctus Augustinus, suprà ostendimus ex quarto concilio Carthaginensi cui ipse interfuit.

Ad vndecimum, nihil prohibet bonam propensionem ab actu suo impediri per aliquid præstantius, quia minora bona semper cedere debent melioribus. Præstantius est autem & melius perpetuam seruare continentiam propter regnum cælorum, quàm generationi operam dare teste apostolo 1. Corinth. 7. Notandum quoque propensionem aliquam genere suo bonam sæpe in particulari malam & viciosam esse propter certas circunstantias, & huiusmodi est inclinatio ad Venerem in eo qui vouit castitatem, sicut & qua quis mouetur ad alienum torum, & sicut inclinatio ad edendum cibos noxios, vel tempore indicti ieiunij. Hæc enim pertinent ad rebellionem carnis contra spiritum.

Ad postremum respondetur, idcirco votum continentiæ perpetuæ rectissimè statui per canones matrimonij impedimentum, quia matrimonium per se proximè ordinatur ad copulam, quæ continentiæ illi repugnat. Si quis tamen habens simplex votum continentiæ contraheret matrimonium cum intentione intrandi religionem priusquam matrimonium consummaret, sicut beata Virgo nupsit post votum seruata intentione non co-

gnoscen-

gnoscendi virum, is fortasse non peccaret in canones, vt sentit summa angelica & alij nonnulli, quia canones cõformiter loquuntur cum apostolo 1. Timoth. 5. videlicet de matrimonio cum intentione consummandi, quod ipsa lege naturæ voto continentiæ repugnat.

§. 8. De impedimento matrimonij quod ligamen appellant.

S. Thom. suppl. q. 65 ar. 1

Ligamen, id est, vinculum matrimonij quo quis alligatus est, impedit quò minùs eo vinculo durante, id est, coniuge superstite possit cum alia contrahere, siue prius matrimonium fuerit consummatum siue non. Quod si contrahat, non modò non erit verum matrimonium, sed erit si consummetur, verum adulterium.

Circa hoc impedimentum præter ea quæ de polygamia & perpetuitate matrimonij suprà dicta sunt, quæque passim alibi indicata, ex quibus clarum est in lege Christiana non posse virum vxore viuente aliam ducere, multoque minùs mulierem viuente viro alteri nubere) ad præsentem locum hæc tria breuiter annotasse sufficiet.

Primum, Matrimonium viuente coniuge qui mortuus putabatur, post quantamcumque eius absentiam, & quantumuis bona fide contractum, inualidum est, & statim vt de vita prioris coniugis constiterit, dirimendum. Decretum est Leonis primi epistola 79. ad Nicetam, & de eo sunt expressi canones apud Gratianum 34. quæst. 1. & 2. & in decretalibus, titulo de secundis nuptijs capit. Dominus. Idemque necessariò colligitur ex diuina & naturali lege, quæ nec polygamiam admittit, nec patitur dissolui matrimonium, quamdiu ambo qui contraxerunt, viuunt. Censetur autem secundum matrimonium bona fide contrahi primo non obstante, quando coniux de morte coniugis moralem habet certitudinem, quæ pendet ex arbitrio prudentum: qualis videlicet haberi solet per nuncium, vel literas, vel aliud simile testimonium, de cuius fide dubitandi causas non habeamus. Nam sola temporis longitudo quo nihil de coniuge auditur, ad bonam fidem non sufficit. Sic docet Clemens tertius extra de sponsalibus, capit. In præsentia.

Secundum, Qui dicto modo secundum matrimonium contraxit, à culpa tamdiu excusatur in reddendo & exigendo debito, quamdiu manet bona fides siue moralis illa certitudo de morte coniugis, vt loco citato testatur Leo pontifex. Ea verò certitudine deficiente propter coniecturas quasdam quę dubitationem gignant vel probabilitatem moralem in contrarium, non tamen certitudinem; poterit coniux reddere debitum, sed non exigere. Quod si grauiores sint coniecturæ, ita vt non tantùm probabile fiat moraliter, sed etiam certum quod coniux viuat, ne quidem reddere debitum tunc licebit; quia cùm in moralibus id pro vero tenendum sit, quod moraliter certum habetur, coniux hoc casu debitum reddendo sciens ac prudens in adulterij crimen se conijceret. Hæc doctrina continetur duobus canonibus, quorum alter est Lucij tertij, cap. Dominus, suprà citato; alter Innocentij tertij cap. Inquisitioni, extra de sententia excommunicationis. Quorum canonum concordiam vide apud Nauarrum in Enchiridio capit. 16. numero 40. & 41. & capit. 22. numero 54. Debet enim coniux debitum reddens opinionem vitæ prioris coniugis, quam fortè ex causis probabilibus conceperat, deponere, ad hoc vt sine peccato debitum reddat. Quod idem tamen non sufficit ad debitum sine peccato petendum.

Tertium, Si quis mala fide secundam coniugem priore viuente acceperit, eamque pœnitentia ductus relinquere velit, atque is ab ecclesia cui de priore coniuge probare non potest, ad retinendam secundam eique debitum reddendum etiam per sententiam excommunicationis compellatur, obedire non tenebitur, imò debebit non obedire ecclesiæ sic præcipienti. Et idem iudicium est si mala fides postea superuenerit. Ita docet Innocentius tertius cap. iam dicto. Cuius rei manifesta est ratio, quia sicut non licet inferiori iudici præcipere quod sit contra legem superioris, præsertim Dei; ita nec obedire licet si præcipiatur, sed constanter tenendum illud Petri Act. 5. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Constat autem legi Dei contrarium esse adulterium. Excusatur tamen ecclesia seu iudex ecclesiasticus per ignorãtiam inuincibilem, dum deficiente probatione prioris matrimonij, pronunciat pro posteriore quod probatur de facto esse contractum.

Quæ cùm ita sint, non est hac in parte recipienda Magistri sententia putantis talem coniugem in reddendo debitum excusari per obedientiam & timorem. A qua sententia non admodum abhorrere videtur Hugo Victorinus libro secundo de sacramentis parte 11. capit. 6. vbi cùm prolixè & ambiguè quæstionem hanc versasset, ad extremum in eandem cum Magistro opinionem declinat; tametsi idem in summa sententiarum tractatu 7. cap. 9. diuersum innuere videtur.

Postremò quæri potest, an sicut matrimonium, ita sponsalia sint impedimentum quo dirimatur matrimonium sequens. Ita enim esse dogmatizauit Lutherus in libro de captiuitate Babylonica capit. de matrimonio: sed sine dubitatione tenendum non esse. Certum est enim validum esse matrimonium cum aliqua non obstante sponsione prius alteri facta, licèt grauiter peccet is qui sine causa legitima sponsionem factam violat. Valet inquam ad eum prorsus modum quo valet donatio rei quæ fuerat alteri promissa. Nam in sponsalibus promissio tantum est, in matrimonio verò donatio. Et hanc doctrinam clarissimè tradunt canones aliquot pontificum, qui habentur extra de sponsalibus & canon 1. de sponsa duorum, qui asscribitur Augustino.

Quæ verò in contrarium à Luthero adferuntur, leuia sunt & facilè ex ijs quæ suprà de impedimento voti, & quæ suo loco de sponsalibus dicta sunt, dissolui possunt.



IN DISTINCTIONEM TRIGESIMAMNONAM.

§. 1. *Illicitum esse coniugium fidelis cum infideli.*

S.Thom. suppl. q. 59 art. 1.

X disparitate cultus seu religionis inter virum & fœminam nascitur impedimĉtum matrimonij. Quod quale sit, deinceps explicandum.

Ac primò notandum est cultus disparitatem hîc attendi inter eos dumtaxat quorum alter veram, alter falsam aut nullam profitetur religionem; non inter eos qui ambo falsam, tametsi diuersam religionem sectantur.

De hoc igitur impedimento prima quæstio est, an illicitum sit eiusmodi coniugium: secundò, an irritum: deinde & alia hac pertinentia quærentur.

Quod ad primam attinet quæstionem, indubiè statuendũ est illicitum esse matrimonium hominis fidelis cum infideli, quod probatur ex lege naturali diuina & ecclesiastica.

Pro lege naturali sunt hæ rationes.

Prima: Lege naturæ tenetur quisque vitare suum periculum, non tantùm corporis, sed etiam animæ, idque tantò magis quantò anima præstantior est corpore. Est autem homini fideli periculum salutis animæ non exiguum ex conuersatione cum infideli. Quæ quidem conuersatio arctissima est inter coniuges: Igitur à tali coniugio prorsus abstinendum & cauendum est. Rationem confirmant scripturæ: *Qui tangit picem inquinabitur ab ea.* Ecclesiastici 13. *Amicus stultorum similis efficietur.* Prouerb. 13. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* 1. Corinth. 15. & similes.

Secunda, Etsi nullum coniugi periculum esset, magnum tamen erit proli nascituræ, quæ sicut ab vtroque parente ali debet & educari, ita ad vtriusque curam pertinet eam instituere in his quæ sunt religionis. Qua in re meritò metuendum, ne procliuiùs sequatur falsam religionem quàm veram, cùm *sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sint ab adolescentia sua.* Genes. 8.

Tertia. Nihil æquè perturbare solet pacem domesticam atque religionis disparitas inter coniuges. Inde enim fit vt toto vitę suæ instituto sibi contrarientur; vnde contentiones & rixæ perpetuæ & grauiora etiam mala solent exoriri: fugiendum igitur est homini fideli tale coniugium.

Quarta ratio affinis primæ. Quod si maritus sit infidelis, facilè impediet quò minùs vxor Christiana frequentet exercitia suæ religionis, iuxta leges Christi & ecclesiæ: *Vir enim caput est mulieris.* 1. Cor. 11. & dictum est mulieri: *Sub viri potestate eris.* Genes. 3. Hanc rationem diligenter inculcat Tertullianus lib. 2. ad vxorem.

Porrò lege diuina prohiberi istiusmodi matrimonia, potest ex varijs scripturæ locis ostendi, primùm veteris, deinde noui testamenti.

Veteris quidem: Nam Exodi 34. & Deuter. 7. seuerè prohibet Dominus populo suo ne connubia misceant cum gentibus quarum terram erant pos-
A sessuri. Quod præceptum non tantùm iudiciale fuit, solos obligans Israëlitas, verùm etiam morale, ideoque ad omnes pertinens, si causa eius expendatur. Subiungitur enim causa planè moralis & ex fonte legis naturæ deprompta, quæ proinde etiam hodie locum habet: *Filiam tuam*, inquit, *non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum ne sequatur me & vt magis seruiat dijs alienis.* Et quamquam ijs locis expressa tantùm mentio fiat earum gentium quæ incolebant terram Chanaan, extendi tamen debere diuinum illud præceptum ad alias infidelium nationes ostenditur partim ex
B adiuncta causa præcepti, quam nunc diximus; partim ex alijs locis, vbi præceptum hoc allegatur. Nam 3. Regum 11. nominantur etiam aliæ gentes, imò & extenditur præceptum ad Idumæos Israëlitis genere proximos. Quo etiam loco ratio legis repetita est his verbis: *Certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* Vbi & sequitur de Salomone quod contra hoc pręceptum egerit Ammonitidas & Moabitidas ducendo, & idcirco ei acciderit quod Deus per Moysen prædixerat: *Deprauatum est enim cor eius per mulieres, ita vt sequeretur deos earum, &c.* Quod si viro sapientissimo accidit,
C quantò magis id alijs metuendum erit?

Eodem pertinet quod 2. Paralip. 21. & 22. Ioram regem Iuda legimus malum fecisse coram Domino, rationem hanc addente scriptura, *Quia Athalia filia Achab*, mulier videlicet infidelis & exemplo parentũ idolorũ cultui dedita, *erat vxor eius.* Itemq; de eius filio Ochozia 4. Reg. 8. legimus ideo eum ambulasse in vijs domus Achab, quod gener esset eius familiæ.

Denique Esdræ 9. & Nehemiæ vltimo præceptum legis repetitur, & ad Ægyptios extenditur.

D Eandem Dei legem scriptura noui testamenti declarat per apostolum 1. Corinth. 7 dicentem: *Cui vult nubat, tantum in Domino*: id est, tantùm viro christiano, Quomodo eum locum interpretantur Tertullianus libro 2. ad vxorem sub initium, Cyprianus sermone de lapsis & libro 3. ad Quirinum cap. 62. Hieronymus libro 1. contra Iouinianum in epistola ad Ageruchiam de monogamia, & commentator Ambrosianus in eundem scripturæ locum. Item in suis commentarijs Theodoretus, Anselmus, Sedulius & alij, sed & Augustinus libro 1. de adul-
E ter. coniug. cap. 25. hanc expositionem vt probabilem adfert, subiuncto etiam grauissimo de ea re Cypriani testimonio.

Alter apostoli locus est 2. Corinth. 6. vbi sic præcipit: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? &c.* Quo loco iugum ducere cum aliquo non est aliud, quàm arcta societate cum eo coniunctum esse. Arctior autem & coniunctior societas inter homines esse non potest, quàm ea qua vir & mulier sic sibi inuicem adhærent, vt iam non sint duo sed vna caro. Vnde
F Hieronymus in duobus locis iam citatis exponit peculiariter hunc locum de matrimonio cum infidelibus non iungendo.

Iam verò lege ecclesiastica prohiberi eadem matrimonia, clarum est ex canonibus conciliorum: cuiusmodi sunt vniuersalis concilij Calcedonensis canon 13. Elibertini concilij canon 15. Laodicens. canon 10. & 31. Arelatensis 1. canon 11. Aurelianẽsis 2. canon 18. Toletani 3. canon 14. Toletani 4. canon 61. Imò & canon 67. & 68. magni concilij Niceni inter eos qui versi habentur ex Arabico: alijque canones ac decreta quæ sunt apud Gratianum 28.

quæst.

quæst.1. His enim prohibentur fideles cum paganis, Iudæis, hæreticis matrimonia copulare.

Nec obstat, quod interdum canones vnam tantùm infidelitatis speciem nominent; satis enim insinuant in specie genus esse intelligendum, sicut in veteri lege quod de Chananæis tantùm expressum erat, ad alias etiam infidelium nationes pertinere interpretatus est Esdras & scriptura 3. Regum 11.

His adde duas leges ex iure ciuili, alteram Valentiniani & Theodosij cod. *De Iudæ.* l. *Ne quis christianam*: Alteram in cod. Theodosiano lib.3. titul.14. quarum illa cum Iudæis, hæc cum gentilibus vetat iniri coniugia.

Nec desunt priuata patrum testimonia. Nam Tertullianus libro 2. ad vxorem prolixè docet non oportere Christianos cum infidelibus iungi matrimonio.

Cyprianus in sermone de lapsis, loco ab Augustino non semel citato, commemorat inter alia grauiora peccata fidelium, quod matrimonia iungerent cum infidelibus, idque esse dicit prostituere gentilibus membra Christi. Alterum quoque Cypriani locum suprà designauimus.

Ambrosius epistola 70. ad Vigilium, monet nouum episcopum, vt plebem suam doceat cauẽda prorsus esse einsmodi matrimonia: & libro 1. de Abraham cap. 9. de gentili, Iudæo & hæretico illud ipsum admonet vnumquemque Christianum.

Hieronymus libro 1. contra Iouinianum dicit Christianas quæ gentilibus iunguntur, apostoli iussionem contemnentes, idolis prostituere templa Christi. Alter locus est in epistola ad Ageruchiam.

Augustinus epistola 234. Christianam non nisi Christiano tradi posse in matrimonium affirmat, & libro de fide & op. capit. 19. *Omni modo conandum est*, inquit, *ne fiant tales coniunctiones. Quid enim opus est in tantùm discrimen ambiguitatis caput mittere?*

Postremò legem hanc confirmant exempla eorum quos per vxores alienigenas & infideles testatur scriptura ad idola declinasse, atque in alia grauia peccata incidisse, vt Salomonem, Achab, Ioram, Ochoziam de quibus suprà. Item Iudæos de quibus libro 1. & 2. Esdræ. Cuiusmodi & Ambrosius nonnulla refert in epistola modò citata.

§. 2 *Quædam in contrarium obiectiones diluuntur.*

S. Thom. vbi sup.

PRo matrimonijs in cultu dispari primùm omnium proferri solent exempla sanctorum tam veteris quàm noui testamenti. Nam Isaac Rebeccam, & Iacob filias Laban ex populo & parentibus idolorum cultui deditis vxores acceperunt. Ioseph Ægyptiam, Moyses Æthiopissam, Salmon Raab Chananæam, Booz Ruth Moabitidem, Samson Philisthæam, Dauid filiam regis Gessur, Salomon adhuc Deo carus filiam Pharaonis, & Esther nupsit Assuero regi infideli. Et tempore noui testamenti Eunice Mater Timothei à Paulo laudata 2. Timothei 1. virum habuit gentilem Actor. 16. & sancta Monica B. Augustini mater virum accepit infidelem ipso Augustino teste libro 9. confessionum cap. 9. & Clotildis Christiana nupsit Clodouæo regi Francorum ethnico, vt testatur Gregorius Turonensis libro 2. histor. cap. 28. Sed & sanctæ vir- A gines Cæcilia & Vrsula consenserunt vt viris infidelibus desponderentur.

Alia porrò exempla huiusmodi coniugiorum videre licet apud Bedam libro 1. historiæ Anglorum cap.25. & libro 2. cap. 9.

Secundò obijcitur locus Deuter. 21. vbi permittuntur filij Israel ducere mulieres quas ex hostibus ceperint captiuas. Hostes autem haud dubiè infideles intelliguntur.

Tertiò dicit apostolus 1. Corinth. 7. *Sanctificari virum infidelem per mulierem fidelem, & mulierem infidelem per virum fidelem*, ergo non sunt improbanda huiusmodi matrimonia.

B Quartò concilium Laodicenum canon. 31. etsi prohibeat filios vel filias elocare hæreticis in matrimonium, non tamen prohibet accipere, sed potius suadere videtur.

Quintò: Augustinus libro 1. de adulter. coniug. ad Pollentium cum in cap. 21. retulisset sententiam Pollentij, quod in vtroque testamento prohibitum sit fidelibus matrimonio iungi cum infidelibus, (Quæ verba Magister in hac distinctione malè recitat, tanquam ex Augustini sententia) postea ca. 25. ex propria sentẽtia loquens dicit non inueniri, nec C in euangelio nec in apostolicis literis, id est, in tota scriptura noui testamenti, vbi sine ambiguitate coniugia cum infidelibus prohibeantur. Quod idem repetit libro de fide & op. cap. 19. Lex autem vetus qua id prohiberi videtur, ad Christianos non pertinet.

Postremò testantur Hieronymus libro primo contra Iouinianum, & sanctus Augustinus capit. 19. de fide & op. matrimonia fidelium cum infidelibus suo tempore in ecclesia fuisse frequentissima. Quod certè non permisisset ecclesia, si ea iudicasset esse illicita.

D Pro solutione horum argumentorum notandum est quod ad legem naturæ attinet, eam hactenus prohibere matrimonia fidelium cum infidelibus, quatenus rationes suprà positæ in ijs locum habent. Vnde si nec coniugi nec proli periculum esset à religione falsa, nec verisimile esset turbatum iri pacem domesticam, sed magis sperari posset ipsius infidelis coniugis conuersio; non obstaret lex naturę, quò minùs fidelis infidelem in matrimonium acciperet.

Igitur ad exempla sanctorum veteris testa- E menti respondemus, ea nobis non aduersari, quia mulieres illæ vel iam conuersæ erant ad fidem, vel meritò sperabantur conuertendæ; & vel ante legem Mosaicam ductæ fuerunt, quando sola spectabatur lex naturæ: vel etiam tempore legis Moysi ex peculiari instinctu Spiritussancti: vel non ad eas gentes pertinebant, à quarum matrimonijs nominatim lex abstineri iusserat. Quamquam ex his ipsis vxores priùs ad veri Dei cultum conuersas accipere non erat vetitum, quales erant Raab meretrix & Ruth Moabitis. Esther autem ideo nupsit potentissimo regi Assuero, vt eius fauore ac potentia freta popu- F lum suum ab oppressione vindicaret. Monicam verò B. Augustini matrem ignorantia legis diuinæ (de qua & Augustinus ipse dubitauit) simul & illius temporis consuetudo excusauit, præsertim cessante ipsius periculo. Nam contrà potiùs ipsa virũ suum Patricium, quem ethnicum accepit, tandem Christo lucrifecit. Idem fecit & Clotildis regina, & aliæ atque alij quorum exempla referuntur, coniuges suos ad Christi fidem adduxerunt; tametsi non est nobis necesse omnia sanctorum matrimonia à peccato excusare.

Ad secundum respondetur id non aliter permitti, quàm vt priùs mulier illa captiua radat cæsariem & circumcidat vngues &c. vt eodem loco dicitur, per quod iuxta Liranum significatur dimissio gentilitatis & ad Iudaismum conuersio.

Ad tertium, loquitur apostolus de ijs coniugibus qui ambo in infidelitate coniuncti fuerant, quorum si alter postea conuersus fuerit ad fidem, non debet infidelem relinquere, sed operam dare etiam eius conuersioni, propter quam spem dicitur infidelis sanctificari per coniugem fidelem, quia per eum quodammodo ad fidem præparatur. Hæc enim præparatio, sanctificatio quædam est.

Ad quartum, Canon Laodicenus addit hanc conditionem, si tamen illi profiteantur Christianos se futuros & Catholicos.

Ad quintum, Non est negandum aliquãdo dubitasse Augustinum, an in scriptura noui testamenti talis extaret aperta prohibitio. Nã illud 1. Cor. 7. *Cui vult nubat, tantùm in Domino*, putauit etiam sic rectè intelligi posse, *In Domino*, id est Christiana permanens, vt habet libro 1. de adulter. coniug. cap. 25. Veruntamen hic intellectus non perinde probabilis est, vt is quem ex eodem loco alijsque patribus suprà dedimus. Neque enim dubitari poterat quin grauissimè peccaret illa, quæ nubendo apostataret à fide Christi, sed id admonere voluit apostolus de quo poterat esse dubitatio, scilicet ne nuberet alij quàm Christiano.

Fatetur tamen idem Augustinus Cyprianum inter grauissima crimina fidelium numerasse, quòd coniugia miscerent cum infidelibus, ac tandem concludit eiusmodi coniunctiones saltem propter discrimen ambiguitatis omnino cauendas esse, quia in dubijs tutiora sequenda sunt.

Ad postremum respondetur ecclesiam eiusmodi matrimonia tolerasse, propter spem conuersionis infidelium; maximè quod fideles tunc adhuc plurimis in locis inter infideles habitarent. Quamquam non ita tolerauit, vt nõ etiam grauiter reprehenderit, vt patet ex Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Hieronymo & canonibus conciliorum suprà citatis.

§. 3. *Vtrùm irrita sint fidelium cum infidelibus coniugia?*

S. Thom. ibidem.

QVamuis illicita sint, semperque fuerint in dispari cultu coniugia, non tamen ex lege naturæ sunt irrita. Non enim cultus disparitas tollit omnino finem matrimonij, licet eum aliquo modo impediat. Nam in tali matrimonio potest nasci proles, potest etiam educari, & in Christiana religione institui, licet plærumque difficiliùs quàm si ambo coniuges Christiani essent; faciliùs tamen quàm si ambo sint infideles, quorum tamen ratum esse matrimonium, infrà docebimus.

Quin & exempla sanctorum suprà commemorata satis apertè probant disparis cultus matrimonia non esse lege naturæ irrita. Nam alioqui sequeretur eos in perpetua fornicatione vixisse, proinde sanctos minimè fuisse. Ex quo etiam consequens est nec diuino iure eadem illa matrimonia irrita fuisse. Nam diuinum ius ad illos vtiq; sanctos pertinebat pro ratione temporum quibus vixerunt. Ratum quoque fuit matrimonium Ismaëlis cum Ægyptia Genes. 21. & Esau cum Chananæis

A mulieribus Genes. 26. qui tamen sancti non fuerunt.

Quod si ea matrimonia iure diuino irrita essent, extaret præceptum aliquod in scriptura veteris aut noui testamenti, quod ea tanquam irrita dirimeret. Tale autem præceptum non legitur. Nam duo loca quæ ex nouo testamento suprà allata fuerunt, tantùm probant illicita esse, non etiam irrita.

At neque in veteri testamento præceptum inuenitur quo in vniuersum talia matrimonia decernantur irrita, ac fortasse ne in parte quidem aliqua. Nam Deuter. 7. prohibet quidem Dominus

B filijs Israel, ne matrimonia contrahant cum infidelibus habitantibus in terra Chanaan, sed non addit ea fore nulla, si contrahantur.

Quod si dicas Esdram sacerdotem cap. 9. & 10. sic interpretatum fuisse legem Deuteronomij, vt irrita censeret eiusmodi matrimonia, quia de facto separauit filios Israel ab vxoribus alienigenis quas duxerant; respondere possumus id non esse planè consequens, quia potest intelligi separatio quoad torum & habitationem manente vinculo, quandoquidem viri vxoribus sic dimissis poterant sui generis alias vxores accipere iure polygamiæ illi gen-

C ti diuinitus concesso. Neque enim legimus Esdram mulieres Israëlitidas à viris alienigenis separasse. Quod tamen si factum fuisset, intelligi posset eas mulieres debuisse viuere continentes vsque ad conuersionem vel mortem virorum à quibus fuerant separatæ.

Idẽ probabile fit ex eo, quòd illa separatio non tantùm fuit Iudæorum à mulieribus terræ Chanaan, verùm etiam ab Ægyptijs alijsque nonnullis aliarum gentium, quæ cap. 9. enumerantur.

Adde quod constanter tam ibi quàm alibi tales coniunctiones matrimonia vocantur,

D nusquam autem fornicationes: ipsæ quoque mulieres vxores vocantur, non fornicariæ, vt obseruauit Dominicus articulo 1. in hanc distinctionem; ideoque dicit hanc sententiam probabilitate non carere. Nam & tertij Regum 11. vbi manifestè scriptura respicit ad locum Deuter. aliarum quoque gentium mulieres enumerantur inter vxores Salomonis, quasi lex Deuter. etiam ad alias pertineat.

Quin & Augustinus libro 1. de adulte. coniug. cap. 18. de coniugijs eorum quos Esdras separauit, loquitur tanquam de veris coniugijs, licèt contra-

E ctis contra præceptum Dei. Quamquam etsi detur, vt multi sentiunt, matrimonia Iudęorum cum Chananæis diuino iure fuisse irrita, non tamen idem erit consequens de matrimonijs Christianorum cum infidelibus; tum quia lex Moysi nihil ad Christianos, tum quia lex illa de vna tantùm natione infidelium iuxta eosdem authores loquebatur, quæ natio hodie non subsistit.

At neque lex vlla ecclesiastica reperitur in decretis pontificum & conciliorum, qua cultus imparitas in vniuersum statuatur impedimentum ma-

F trimonij dirimens. Nam canones suprà citati prohibitorij tantummodo sunt non etiam irritantes. Quod vel inde constat, quia quidam eorum infidelibus annumerant hæreticos, cum quibus tamen ratum contrahi matrimonium mox docebimus. Deinde nec significant se comprehendere matrimonia contracta cum catechumenis, aut alijs ad fidem suscipiendum paratis, vbi tamen cultus disparitas est in proposito. Imò canon 13. Chalcedonensis permittit cum Iudæo & pagano matrimonium, si spoponderint se venturos ad fidem.

Si quis

Si quis objiciat canones Nicænos 67. 68. & 69. quibus præcipitur vt infidelis dimittatur à fideli, & Codicis Theodosiani legem 3. titulo 14. qua matrimonia Romanorum cum gentilibus puniuntur vt adulteria, Et canonem 61. Toletani concilij 4. quo dirimi iubentur coniugia cum Iudæis contracta, cui consentit canon 18. concilij 2. Aurelianensis eorundem separationẽ præcipiens, Et lex Valentiniani, ne quis Christianam, codice de Iudæis, coniugia Iudæorum cum Christianis vt adulteria puniens; Respondeo canones illos Nicænos ex Arabica lingua nuper translatos non tam certæ authoritatis esse, vt multum mouere nos debeant, tametsi intelligi possunt, de dimissione quoad torum propter periculum seductionis: Leges autem Imperatorias dicta matrimonia vt adulteria punire propter grauitatem peccati, non propter nullitatem matrimonij; tametsi leges illæ quomodocumque intellectæ non possunt præscribere ecclesiæ. Toletanus quoque canon & Aurelianensis, quia particularium sunt ecclesiarum, & de solis loquuntur Iudæis, non possunt constituere legem vniuersalis ecclesiæ de omnibus infidelibus intelligendam. Et quidem de Iudæis vt id statueretur, peculiaris fuit ratio, quòd hi post euangelium promulgatum semper in sua perfidia fuerint cæteris pertinaciores. *Peruenit enim super illos ira Dei vsque in finem* 1. Thessal. 2. quorum proinde conuersio multò minùs quàm aliorum sperari potuerit.

Quæ quãuis ita se habeant, nõ tamen dubitandũ est matrimonia inter fidelem & infidelẽ hodie irrita esse ac diu irrita fuisse in ecclesia Dei; verùm id non tam ex canone aliquo ecclesiastico, quàm ex more populi Christiani & praxi totius ecclesiæ, vim legis habente; tametsi consuetudo & praxis illa & originem incertam habeat, & sensim fuerit introducta; sed quæ tandem ita obtinuit, vt ab annis minimum 400. creditũ sit in ecclesia Christi hæc matrimonia esse nulla. Nam & Gratianus 28. quæst. 1. & Magister hac distinctione & deinceps omnes tam Theologi quàm canonum interpretes istud tanquam rem certam tradiderũt, non ad canonem aliquem respicientes sed ad doctrinam maiorum & consuetudinem Christianorum iuxta vel inter fideles habitantiũ, qui ea matrimonia, si quando facta essent, diremerunt vel per se, vel interposito ecclesiæ iudicio. Quæ quidem consuetudo suum ex lege naturæ principium habet, sed obligandi vim accepit ex tacito consensu populi Dei.

Putant sanè quidam hanc consuetudinem obtinuisse iam olim ab ipsis apostolorum temporibus; sed huius rei nullum certum argumentum proferri potest. Imò ex Cypriano sermone de lapsis & ex Augustino duobus locis dudum citatis Cypriani sententiam repetente, & ex Hieronymo libro 1. contra Iouinianum alijsque patrum testimonijs atque exemplis suprà memoratis, magis apparet contrarium. Quorum Augustinus testatur talia coniugia ita frequentata suo tempore fuisse vt vix putarentur illicita. Vnde satis intelligitur multò minùs fuisse persuasum ea esse irrita, quando nec in quæstionem ab Augustino vocatum est; præsertim cum Augustini mater aliæque multum laudatæ mulieres in eiusmodi nuptijs permanserint, non vtique permansuræ, si vel suspicionem habuissent inualidi contractus. Quod ipsum etiam colligitur satis ex canone 13. concilij Chalcedonensis. Verùm sequentibus temporibus eliminata magis ac magis infidelitate mos fidelium increuit atque inualuit, vt istiusmodi matrimonia tãquã inualida soluerẽtur, etiãsi fortè cum cathecumeno aut alioqui ad religionem suscipiendam parato contracta essent. Agnouerunt enim solum baptismum id esse à quo stabile discrimen accipi posset fidelium ab infidelibus quoad præsens impedimentum. Nam cùm de interiori fide hominis ecclesia non iudicet, sed per externum fidei signaculum quod est baptismus, suos ab alienis discernat; hinc fit vt in proposito fideles dicantur qui baptizati sunt, infidelium autem nomine comprehendantur omnes, qui fidei sacramento nondum sunt initiati, etiamsi sint cathecumeni atque in fidei cognitione multum profecerint; quia nimirum oportuit hac in re certum & stabile aliquid esse, quod ecclesia in iudicando sequeretur. Tale autem nihil conuenientius designari potuit, quàm baptismus, per quem homines in regnum ecclesię quę fidelium societas est, cooptantur, eiusque iurisdictioni subijciuntur, sicut olim per circuncisionem inserebantur populo Iudaico, vt Achior de quo Iudith 14. alijque proselyti. Vnde filij Iacob Genes. 34. illicitum & nefarium esse dicebant sororem suam dari homini incircunciso, videlicet eo circuncisionis signaculo fidelem ab infideli distinguentes. Nam & alioqui facilè homines leues & inconstantes modò aiunt, modò negant se huius aut illius esse religionis. Vnde nec professio fidei verbo tenus facta hac in re sufficere debuit.

Quod autem iam dicto modo fideles rectè intelligantur, ex ipsis etiam canonibus ostenditur. Nam in 4. concilio Toletano canon. 55. & aliquot sequentibus ijdem modò fideles, modò baptizati appellantur. Et Innocentius 3. cap. Gaudemus, extra de diuortijs testatur apud apostolum 1. Corinth. 7. fideles ab infidelibus baptismo distingui.

Porrò ratio irritandi istiusmodi coniugia fuit quàm iustissima; tum quod prorsus indignum videretur membra Christi commisceri cum profanis idolorum cultoribus. Quam rationem exaggerant Tertullianus, Cyprianus & Hieronymus; tum quod matrimonium à Christianis non aliter suscipi debeat quàm vt est nouæ legis sacramentum, cuius capaces non sunt qui baptismum nondum perceperunt: tum denique vt fidelium matrimonia perfectè reuocarentur ad tribunal ecclesiasticum. Quod fieri non poterat altero coniuge existente infideli. Nam ecclesia de iis qui foris sunt, & intus nunquam fuerunt, potestatem iudicandi non habet.

Postremò consequens est ex dictis, Ecclesiam posse dispensare vt fidelis cum infideli validè simul & licitè contrahat. Quod enim iure ecclesiastico constitutum est, eiusdem ecclesiæ authoritate relaxari potest. At neque lege naturæ erit illicitum, vbi cessant rationes propter quas probatum fuit non licere. Quod autem dicit apostolus, *Tantum in Domino*, vel apostolicum præceptum est, non diuinum, sicut illud, *Vnius vxoris virum*, in quo proinde dispensare potest ecclesia: vel si diuinum est, eatenus tantùm extendendum erit, quatenus cum naturali coincidit.

§. 4. *Coniugia cum hæreticis illicita, non tamen inualida.*

NOn esse licitum catholicis matrimonia iungere cũ hæreticis, satis ostendunt rationes & testimonia scripturæ quibus id generaliter demon- S. Thom. suppl. q. 47 art. 1.

stratum

ſtratum eſt de infidelibus, cu... eſis peſſimum ſit infidelitatis genus, coqu... m... is coniugia cum ijs permitti debeat, quo & periculoſior eſt cum illis conuerſatio, & difficilior eorum conuerſio. Quibus adde quod qua ratione excommunicati ſunt omnes hæretici, non tantùm contrahere cum eis matrimonia non licet, quod eſt arctiſſimum ſocietatis genus, verùm & alia quamis humana & familiari cum eis ſocietate & conuerſatione fidelibus interdictum eſt.

Nominatim autem hæc coniugia prohibent concilium Chalcedonenſe canon. 13. Laodicenum canon. 31. Agathenſe cau. 67. & Ambroſius libro 1. de Abraham cap. 9.

Quod idem probatur ex euangelica & apoſtolica doctrina. Nam ſi hæreticus tanquam eccleſiam non audiens haberi debet *Sicut ethnicus & publicanus* Matth. 18. ſi iuxta apoſtolum *deuitandus eſt* Tit. 3. ſi iuxta alium apoſtolum *nec in domum recipiendus, nec aue ei dicendum*. 2. Ioannis, certè conſequens eſt nec contrahendum cum eo matrimonium.

Sed vtrùm rata ſint an irrita eiuſmodi coniugia, quæritur. Nam canon. 72. ſextæ ſynodi pronunciat irritas eſſe nuptias, quas vel orthodoxus cum hæretica vel orthodoxa cum hæretico contraxerit, ac præcipit neſarium coniugium diſſolui.

Probari quoque videtur ex eo quod non minus inter huiuſmodi perſonas conſiſtere videtur cultus diſparitas, quàm inter fidelem & paganum, magis autem quàm inter baptizatum & catechumenum. Sed & periculum ſubuerſionis ab hæretico maius eſt multò quàm ab alijs infidelibus, vt paulò antè dictum eſt, & latè experientia docet.

Veruntamen reſpondendum longè diuerſam eſſe de hæreticis atque de alijs infidelibus rationem. Nam hæretici, ſiquidem baptizati ſunt (de ijs enim ſolis hic ſermo) ſacramenti ratione inter fideles computantur, & ſacramento tenus fideles ſunt, & reuera ad iuriſdictionem eccleſiæ pertinent, ſicut & illi qui poſt baptiſmum apoſtatarunt, ac proinde nec diſpar cultus eſt inter illos alioſque fideles, quantum ad profeſſionem Chriſtianiſmi, cuius ſignaculum & character eſt baptiſmus. Quæ cauſa eſt cur inter huiuſmodi perſonas matrimonium ſubſiſtat, non obſtante periculo, quod per ſe ad dirimenda matrimonia non ſufficit. Quod ſi talia matrimonia decernerentur irrita, iam incertiſſima eſſent, hoc præſertim ſeculo, Chriſtianorum matrimonia, cùm multi vacillent in fide Catholica, multi latenter atque in animo ſint hæretici, multi denique aliud hodie, cras rurſum aliud ſentiant & profiteantur.

Ad canonem Trullanæ ſynodi, quæ falsò ſexta nominatur, non aliud dicendũ, quàm eam ſynodum fuiſſe ſchiſmaticam, & proinde nullius eſſe authoritatis. Quamquam non negamus eccleſiam poſſe ſi velit, irritare eiuſmodi coniugia; ſed ideo non facit, quia videt non expedire.

Porrò ſi poſt contractum matrimonium contingat alterum coniugem in hæreſim vel aliam quamcumque infidelitatem labi, certum eſt tale coniugium quoad vinculum non diſſolui, vt definitum eſt ſeſſ. 24. canon. 5. concilij Trid. tametſi ſeparatio quoad torum fieri poſſit, aut etiam debeat pro ratione periculi. Neque id tamen niſi ad tempus, durante videlicet periculo; quia ſeparatio illa non fit lege matrimonij, vt in caſu fornicationis, ſed tantùm iure defenſionis. Sic canones docent extra de diuortijs cap. Quæſiuit, & cap. De illa, & cap. Quando, & de reſtitutione ſpoliatorum cap. Ex tranſmiſſa, & cap. Literas.

Quod ergo dicit Magiſter in ſententia Domini qua dicitur: *Niſi ob fornicationem*, intelligi fornicationem tam ſpiritualem quàm carnalem ita vt propter infidelitatem, imò & quamlibet concupiſcentiam quæ pernicioſè turpiterque corrumpit, tanquam ob fornicationem ſpiritualem liceat coniugem dimittere, ſicut ob fornicationem carnalem, merito velut falſum & erroneum reijcitur. Cuius rei declaratio petenda eſt ex ijs quæ diximus ad diſtinctionem 35.

Cæterùm Auguſtinus eum locum ex quo Magiſter ſuam ſententiam deprompſit, qui eſt libro 1. de ſermone Domini in monte cap. 27. & 28. ita retractat libro 1. retractationum, cap. 19. vt fateatur in difficili quæſtione ſe nec ſibi nec lectori ſatisfeciſſe.

Alter verò locus Auguſtini, quem adfert Magiſter, ex libro de fide & operibus, intelligitur de dimiſſione temporaria, quę fit cauſa vitandi ſui periculi, per modum defenſionis, vt iam diximus.

§ 5. *Inter infideles vera contrahi matrimonia.*

INfideles non poſſe ſacramentorum nouæ legis eſſe participes, ex eo conſtat, quia baptiſmus eſt ianua ſacramentorum. Quocirca matrimonium qua ratione nouæ legis ſacramentum eſt, & à Chriſto inſtitutum, apud infideles nõ habetur. Sed quia quæ naturalis ſunt inſtitutionis, infidelibus pariter & fidelibus communia eſſe nihil prohibet; hinc negari non debet, quin ſit ac ſemper fuerit apud infideles verum matrimonium, quatenus eſt contractus ſiue contractum conſequens nexus inſolubilis inter virum & mulierem ex lege naturæ inſtitutionem habens, iuxta ea quæ circa definitionem matrimonij ad diſtinctionem 27. dicta ſunt. *S. Thom. ſuppl. q. 59. ar. 2.*

Manifeſtum quoque id eſt ex ſcriptura ſacra vtriuſque teſtamenti, quæ paſſim infidelibus non minus quàm fidelibus tribuit vxores habere ac ducere, viris nubere coniuges eſſe, vt Eſther 1. 5. & 6. Dan. 5. & 14. & alibi, item Matth. 24. & Luc. 17. dicente Domino: *Sicut in diebus Noë vxores ducebant & dabantur ad nuptias, &c.* Et 1. Corinth. 7. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat eam, &c.* Quibus certè verbis apoſtolus agnoſcit, & confirmat vera eſſe matrimonia quæ apud infideles contrahuntur. Nam alioqui mulier in infidelitate ducta tanquam non vera vxor, aut dimittenda eſſet, aut iterato ac nouo contractu ducenda. Et ex eo apoſtoli loco Innocentius tertius cap. Gaudemus, docet ſacramentum coniugij apud fideles & infideles exiſtere: addens per baptiſmi ſacramentum non ſolui coniugia, ſed crimina dimitti.

Idem latè probat Gratianus 28. quæſt. 1. & 2. multis ad eam rem tum ſcripturæ teſtimonijs, tum patrum & conciliorum prolatis ſententijs, vbi quæſt. 2. cap. Si quis, ex concilio Meldenſi canon. 1. rurſus illud legitur: *Crimina in baptiſmo ſolui non coniugia.* Tandem & Magiſtri in textu & omnium doctorum indubitata doctrina eſt.

Sacramentum autem vocat Innocentius etiam illud coniugium quod eſt apud infideles, quia ſacræ rei ſignum eſt non quia vim habet ſanctificandi. Hac enim ratione non modò infidelium ſed &

fidelium

fidelium & iustorum ante Christi aduentum matrimonia non fuerunt sacramenta. Quo sensu interdum Doctores simpliciter negant matrimonium infidelium esse sacramentum. Quod & in Romano catechismo ad parochos eodem sensu legitur. Nam generali ratione omne matrimonium esse sacramentum ad distinctionem 26. ostendimus.

Cæterùm quod sub finem præsentis distinctionis dicit Magister, inter infideles coniugium esse legitimum, sed non ratum, quod & à Gratiano totidem verbis annotatum legitur 28. quæst. 1. in fine non quidem reperitur apud Augustinum, quamuis ei Gratianus tribuat hanc sententiam: *Non est ratum coniugium quod sine Deo est*, sed sumptum est ex commentario Ambrosiano super 1. Corinth. 7. vbi ad illa verba: *Non enim seruituti subiectus est frater, &c.* sic author ille commentatur. *Non enim ratum est matrimonium quod sine Dei deuotione est, ac per hoc non est peccatum ei qui dimittitur, propter Deum, si alij se iunxerit, &c.*

Simile quid habet ipse Ambrosius scribens in Lucæ 16. cùm dicit infidelium coniugium non esse à Deo, & solui posse secundùm illud: *Quod si infidelis discedit, &c.* Quos omnes secutus Innocentius tertius extra de diuortijs cap. Quanto, de eadem re ita scribit: *Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum*; inter fideles autem verum & ratum existit, quia sacramentum fidei quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugij sacramentum, vt ipsum in coniugibus illo durante perduret.

Ex quibus Innocentij verbis patet in dictis sententijs ratum non id dici quod verum est, neque quod firmum & validum. Nam idem ille commentator apud quem primum legitur infidelium matrimonium non esse ratum, eodem tamen loco testatur adulterum esse, qui infideli coniuge volente cohabitare relicta, alteri se copulat: sed id ratum dici quod casu dissolui potest.

Ratum itaque negatur infidelium coniugium, quia non ita firmum ac stabile est, vt nullo casu dissolui queat, etiamsi sit consummatum sicut coniugium fidelium. Nam aliquo casu dissolui posse mox docebimus. Atque hunc sensum facile est colligere ex Innocentij verbis modò recitatis; tametsi etiam dici potest ideo ratum non esse, quia nondum est positiua Christianorum lege confirmatum.

Ad id verò quod tam Gratianus quàm Magister sibi opponunt ex apostolo Roman. 14: *Omne quod non est ex fide peccatum est*; breuiter respondemus apostolum loqui de ijs operibus, in quibus est aliquid dictamini fidei nostræ contrarium, quale erat manducare cum hac persuasione quod cibus esset immundus & proinde illicitus.

Deinde etsi detur coniugium infidelium peccatum esse, quale reuera est quoad contractum non infidelium tantùm sed & fidelium coniugium, quoties contrahitur carnali aut aliàs praua intentione, vti rectè docet Petrus à Soto: nondum tamen consequens erit non esse verum coniugium. Quam multi enim contractus cum peccato fiunt, vel ob finem vel aliam circumstantiam non bonam, quos tamen ratos esse nemo negauerit? Quomodo & actiones illas in quibus sacramenta consistunt, viciari contingit. Nam verbi gratia baptizandi actus, si fiat in mortali peccato, vel malo fine, peccatum est.

§. 6. *Quatenus liceat coniugi ad finem conuerso infidelem dimittere.*

QVæstionis huius explicatio qua quæritur, Vtrùm si duorum coniugum in infidelitate coniunctorum alter vel altera ad Christianam religionem transierit, altero vel altera in infidelitate permanente, liceat fideli infidelem dimittere, & quo casu; pendet ex vera interpretatione verborum apostoli 1. Corinth. 7. quibus ait, *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, &c.* Et eius sequitur. *Quod si infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* Et quidem ex verbis apostoli certum est posse aliquo casu infidelem à fideli dimitti, atque in eo consentiunt omnes interpretes; sed dubium relinquitur quo casu id possit. Nam Augustinus libro 1. de adulter. coniug. cap. 13. 17. 18. 21. & 25. item libro 1. de sermone Domini in monte cap. 16. ita sentire videtur, vt etiamsi infidelis consentiat habitare cum fideli citra contumeliam creatoris, id est absque religionis iniuria, fideli tamen liberum sit infidelem dimittere vel non dimittere. Idem sentit Sedulius in commentario 1. Cor. 7. Putant enim hi id quod apostulus ait, *Non dimittat eam*, esse consilij non præcepti. Verùm Augustinus suam de matrimonio disputationem agnoscit non satis exactam & absolutam esse libro 1. retractationum cap. 17. & libro 2. cap. 57. ingenuè confitens se ad intellectum difficillimæ quæstionis nondum peruenisse. Quò fit vt tanquam in re dubia interdum aliter sentire videatur. Nam in libro contra Adimantum cap. 3. generaliter negat vxorem dimitti posse si nec fornicata fuerit, nec virum à regno cælorum impediat: vbi fornicationem tantùm carnalem intelligi satis arguit alterum membrum adiunctum. Et libro de fide & op. capit. 16. fatetur ita demum vxorem infidelem posse relinqui, si cum viro Christiano propter hoc quod Christianus est, permanere noluerit. Immo & libro 1. de adulter. coniug. ca. 18. & 25. vbi dicit licere Christiano coniugem infidelem dimittere, etiamsi cohabitare consentiat, negat tamen id expedire propter adulterij periculum & blasphemiæ nominis Christi apud infideles.

Alia igitur sententia vt communior apud veteres, ita multò probabilior est; nempe apostoli verba prohibentis esse, non consulentis; prohibentis, inquam, ne fidelis dimittat infidelem consentientem secum habitare citra religionis iniuriam.

Ita intellexerunt apostolum Tertullianus in principio libri 2. ad vxorem. Hieronymus libro 1. contra Iouinianum, & commentario epistolæ ad Ephes. super illud cap. 6. *Serui obedite dominis.* Ambrosius in Luc. 16. & Ambrosij titulo commentarius in 1. Corinth. 7. Consentiunt Theophylactus, Oecumenius, & ab eo citatus Photius & Haymo scribentes in eundem apostoli locum. Atque hic sensus ex ipso apostolico textu confirmatur. Primùm quia apostolus satis seipsum declarat hac posteriori sententia: *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater &c.* Hæc enim verba non significant quouis casu posse fidelem relinquere infidelem, sed ita demum si infidelis discedat, id est, cohabitare non consentiat nisi coniux redeat ad

ctionem inter coniuges indissolubilem, fieri autem nequeat vt ad aliud matrimonium transeat fidelis n[on] dissoluto vinculo, quo alligatus erat coniugi infideli; breuiter explicandum qua ratione fieri possit, vt coniugium in infidelitate cõtractum & consummatum casu iam dicto dissoluatur, inter fideles autẽ contractum idemque consummatum, nullo casu nec fornicationis, nec apostasiæ nec cuiuscumque alterius criminis dissolutionem admittat.

Eam rem sanctus Thomas & qui eum sequuntur, declarant hoc ferè modò: quia per baptismum tanquam Christianismi susceptionem homo moritur priori vitę & resurgit in nouam, est enim baptismus regeneratio quędam, & proinde per eum liberatur homo à seruitute prioris vitæ, ad quam præcedens matrimonium pertinebat, sicut, inquiunt, qui statum religionis profitetur, per eum tanquam per mortem ciuilem liberatur à votis prioribus atque etiam à vinculo matrimonij inconsummati quod in priori vita contraxerat.

Sed hæc declaratio non satis solida videtur, quia cùm mors illa prioris infidelitatis vt ipsi fatentur, fiat in baptismo, oportet per baptismum statim tale matrimonium dissolui, quod non ita est, cùm dicant canones per baptismum non solui coniugia sed crimina. Imò nec postea fit dissolutio si coniux infidelis consentiat cohabitare, nec si non consentiat secundùm ipsum sanctum Thomam, quamdiu fidelis non transit ad alias nuptias: At in ingressu religionis mors agnoscitur ciuilis qua statim & priora vota soluuntur, & matrimonium inconsummatum. Vnde & Durando hæc explicandi ratio non placuit.

Sit igitur ista declaratio: Cõtingit sæpenumero hominem teneri ad aliquid lege positiua, ad quod lege naturæ non tenetur. Quandoquidem lex positiua cùm propriam habeat legis rationem, semper aliquid obligationis addit supra eam quæ nascitur ex lege naturę. Quare etsi vtraque lege coniugium sit indissolubile, naturali scilicet & positiua, maior tamẽ obligatio nascitur ex lege positiua naturalem confirmante, quàm ex sola naturali.

Deinde illud quoque certum est legem positiuam eos tantùm obligare, quibus est promulgata. Ex quo consequens est hanc legem: *Relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ. Et erunt duo in carne vna*, quæ ratione positiua est, eos non obligare, quibus non fuit promulgata, id est infideles, & quotquot nec sunt, nec aliquando fuerunt de familia Dei, sicut nec ad eosdem pertinent leges ecclesiasticæ. Verùm quia baptizati omnes ad familiam Christi pertinent, fit vt eadem illa lege omnes hi teneantur, qualescumque postea fiant, hæretici, Mahometistæ, athei; vnde sequitur eorũ matrimonia, vt qui semel per baptismum Christo nomen dederunt, nulla deinceps ipsorum mutatione dissolui posse. Atque hoc est quod Augustinus libro de bono coniug. cap. 7. & 15. & libro de fide & operibus cap. 7. & libro 1. de nuptijs & concupis. cap. 10. dicit *Talem esse causam hominis cum vxore in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius*, id est, in ecclesia Christi, vt vinculũ cõiugale inter eos quoad viuunt, solui omnino nõ possit. Quibus verbis significatur coniugij extra ecclesiam in infidelitate contracti non eandem prorsus esse rationem quoad firmitatem & indissolubilitatem. Hoc ipsum voluit commentator ille Paulinus apud Ambrosium, quando ratum negauit esse matrimonium quod sine deuotione Dei est: & Innocentius pontifex quando inter infideles dicit verum sed non ratum esse matrimonium, eò quòd sacramentum fidei, id est, baptismus qui nunquam amittitur, ratum efficiat coniugij sacramentum, vt ipsum in coniugibus illo durante perduret, loca superiùs annotata sunt.

Quando igitur contingit, vt eorum qui in infidelitate coniuncti sunt, alter ad fidem conuertatur altero in infidelitate remanẽte, cùm matrimonium sit duorum, & neuter altero magis obligatus esse debeat; nondum potest tale matrimonium legi Christianæ subijci quoad obligationem: ac proinde nondum habere potest eam firmitatem quam habent Christianorum coniugia. Ex quo iam vlteriùs infertur posse solui aliquo casu matrimonium in infidelitate contractum, quo casu solui non possunt coniugia Christianorum. Nam si nullo casu solui posset, par esset vtriusque firmitas.

Porrò alium casum non agnoscit ecclesia quàm eum quem accepit ex apostolica doctrina: dum videlicet post fidẽ & baptismũ alterius alter in infidelitate remanens cum fideli non vult commanere sine Christianæ religionis iniuria, sed vel sponte discedit, vel propter Christum dimittitur. Hoc enim vnico casu solubile est matrimonium ex sola lege naturæ insolubilitatem habẽs, quale est infidelium, cùm matrimonia Christianorum (de consummatis loquimur) quia etiam subijciuntur legi Dei positiuæ, nullo casu solutionem admittant.

§. 7. *Duarum quæstionum circa prædicta breuis explicatio.*

CIrca ea quæ modò dicta sunt, duæ occurrunt quæstiones. Vna, vtrũ casus iam dictus etiã eò extendatur, si coniux infidelis nolit cohabitare fideli nisi pergat scelerarè & flagitiosè viuere, etiamsi fortè Christum non blasphemet, nec ab eius religione coniugem tentet auertere. *S. Thom. vbi sup.*

Altera, quando prioris matrimonij vinculum solui censeatur.

Ad primam cum Durando respondemus affirmatiuè. Nam Augustinus libro de fide & operibus cap. 16. hunc casum expressit, quum ait mulierem infidelem si viro suo iam fideli dicat: Non ero vxor tua nisi mihi de latrocinio diuitias congeras, aut nisi solita lenocinia quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas, &c. eo modo rectissimè dimitti quo propter fidem Christi dimittitur, si cum viro Christiano propter hoc quod Christianus est, permanere noluerit, & quamuis non addat Augustinus eo casu virum fidelem posse ducere aliam, id tamen ex comparatione colligitur. Apertiùs autem de hac re loquitur Innocentius 3. cap. Quando, extra de diuortijs cùm dicit fidelem posse ad secunda vota transire, quando infidelis vel nullo modo vel non sine blasphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum, vult fideli cohabitare. Quod & repetit eodem ordine in cap. Gaudemus.

Ratio autem est, quia censetur non sine iniuria Christianæ religionis velle cohabitare qui impellit ad vitam Christianæ professioni contrariam. Non erit tamen eadem ratio, si ipse infidelis perditè viuat vel etiam adulteretur, quia sic dimitti quidem poterit aut debebit coniux sceleratus siue adulter, non tamen innocenti licebit ad aliud coniugium transire.

dit deferendi authoritatem, sed culpam abstulit destituto. Respicit autem Ambrosius ad illud apostoli, *si infidelis discedit, &c.*

Respondetur eodem ipso loco docere sanctum Ambrosium quod tali casu coniugium soluatur, idque ex apostolo. Negat autem apostolum præcepisse vel dedisse deferendi authoritatem, quia non vult apostolus id fieri nisi causam diuortio dederit infidelis. Quo casu culpam abstulit destituto fideli, etiam dum transit ad aliud coniugium. Destituitur autem non tantùm ille à quo infidelis sponte recedit, sed etiam is cum quo infidelis non vult cohabitare sine contumelia creatoris.

Postremum: Propter hæresim non soluitur matrimonij vinculum, cùm tamen hæresis sit pessima infidelitatis species: ergo nec propter communem infidelitatem.

Respondent quidam discrimen esse inter coniugia contracta ante baptismum & contracta post baptismum. Priora enim etsi rata sint, quia tamen sacramenta non sunt, carere potissima ratione insolubilitatis, quam posteriora habeant, quia sacramenta. Atque hinc nasci diuersitatem inter casum hæresis & casum infidelitatis.

Sed hæc responsio non videtur vsquequaque solida, quia coniugia etiam contracta ante baptismum si ambo coniuges Christiani fiant, iam solui non possunt, etiamsi alter ad infidelitatem relapsus nolit sine veri Dei contumelia alteri commorari: nec tamen per baptismum fit vt coniugium quod ante baptismum contractum fuerat, sit sacramentum nouæ legis; quia contractus nec iteratur per baptismum nec iterari debet, nec sacerdotis benedictio adhibetur.

Vera igitur responsio petenda est ex suprà dictis; nempe quod matrimonium siue post baptismum siue antè contractum, ex quo subiacet legi Christianæ, est prorsus insolubile, non item quando legi Christianæ nondum subiacet. Propter hæresim ergo non soluitur matrimonij vinculum, quia ambo coniuges sunt baptizati, & proinde legi Christianæ subiecti etiam quoad matrimonium. Propter infidelitatem autem non soluitur, qui non sunt ambo baptizati; si tamen baptizati sint, vt iam diximus, nec propter infidelitatem solui poterit.

IN DISTINCTIONEM QVADRAGESIMAM.

§. 1. *Quid cognatio & quid consanguinitas.*

S. Thom. ... 54 ... 55 56.57

SVPEREST postremum matrimonij impedimentum, quod videlicet ex cognatione prouenit. Cognationis autem nomine canones etiam agnationem comprehendunt; tametsi inter illa duo ius ciuile distinguat. Quam distinctionem secutus sanctus Ambrosius in fine epistolæ 66. ad Paternum, negat agnatos dici posse qui per patrem non descendunt: nam secundùm leges ciuiles cognati dicuntur qui per matrem ab eodem parente descendunt, agnati qui per patrem. Quod tamen discrimen non perpetuò obseruant, sed interdum omnes coniunctos sanguine vocant cognatos.

At ecclesiastici iuris interpretes quos hic sequimur, cognationis nomen multò etiam latius extendunt, vt ex subiuncta diuisione planum fit.

Est enim secundùm eos cognatio generaliter accepta triplex; nempe carnalis, spiritualis & legalis. Carnalis cognatio est quæ oritur ex generatione seu coniunctione carnali: spiritualis quæ ex coniunctione spirituali; nimirum per baptismum vel confirmationem. Legalis quæ per adoptionem acquiritur.

Rursum cognatio carnalis diuiditur in consanguinitatem quæ sequitur coniunctionem sanguinis, & affinitatem quæ sequitur ex coniugio vel copula carnali.

Consanguinitas igitur de qua priùs agendum, *est vinculum eorum qui ab vno aliquo per sanguinis propagationem descendunt, vel quorum alter descendit ab altero, sic vt virtus stipitis in genito vel genitis perseueret.* Et qui hoc modo coniuncti sunt, consanguinei dicuntur. Addendum autem fuit *Sic vt virtus stipitis, &c.* quia dum longius fit interuallum vnius ab altero, & virtus stipitis mouens ad ea quæ sunt indiuidui, tandem euanescit, & nomen consanguinitatis simul cum affectione quæ peculiaris inter consanguineos esse solet, extinguitur. Neque enim omnes homines quamuis à communi parente Adam & sequentibus vsque ad Noë descenderint, cognati aut consanguinei inter se rectè dicuntur.

Cæterùm ea persona à qua descendunt, vel in qua conueniunt plures illi, qui inter se consanguinei dicuntur, modò stipes, vt iam indicauimus; modò truncus, modò radix vocari solet, vt pater respectu duorum filiorum, auus respectu duorum nepotum, siue solus accipiatur, siue simul cum coniuge. Nam vir & vxor cum sint vna caro vnum eundemque stipitem constituunt.

§. 2. *Gradus consanguinitatis quemadmodum sint computandi.*

VT modum supputandorum graduum consanguinitatis rectè teneamus; explicandum quid linea & quid gradus. *S. Thom. suppl. q. 54. ar. 2.*

Lineam definiunt Doctores *ordinatam collationem consanguineorum ab eodem stipite descendentium diuersos continentem gradus.*

Ea triplex est, alia descendentium, alia ascendentium, alia transuersa seu collateralis.

Linea descendentium & ascendentium velut scala, sola ratione & inuerso supputandi modo differt. Qui enim primus in linea vt in scala gradus est descendenti, vltimus erit ascendenti & contrà.

Transuersa verò ea dicitur, in qua non descendit alter ab altero sed ab eodem stipite ambo, vt frater & soror, vt item patrueles inter se & consobrini, & quotquot sese mutuò ex latere respiciunt.

Porrò gradus ea cognatorum habitudo dicitur, qua cognoſcitur quantum à ſe mutuò diſtent, vel quàm ſibi mutuò ſint propinqui. Gradū ergo vnus qui ipſa per ſe conſtituere nō poteſt, ſed plures quia gradus eſſe non poteſt, vbi non eſt progreſſus ab vno ad alterum.

Iam quod ad ſupputationem graduum attinet, non eandem rationem ac modum omnes tradiderunt. Nam Iſidorus libro 9. etymolo. cap. 5 & 6. primum gradum deſcendentium facit à filio ad nepotem, ſecundum à nepote ad pronepotem & ita deinceps, ſtipitis loco conſtituens filium tanquam vnum cum patre. Alexander verò ſecundus apud Gratianum 35. quæſtione quarta capit. Ad ſedem apoſtolicam, quatuor diuerſos commemorat modos ſupputandi gradus cognationis, partim in linea recta, partim in tranſuerſa: oſtendens inter cætera quæ ſit ratio, cur alia ſecundum leges, alia ſecundùm canones fiat computatio; quia nimirum ad diuerſos fines reſpexerant; leges quidem ad ſucceſſionem hæreditatis, canones verò ad cauſas matrimoniales.

Ad extremum autem hanc ſupputationem præ alijs probat & canonicam eſſe docet, vt pater ſtipitis loco conſtituatur, à quo filius diſtet vno gradu, nepos duobus, pronepos tribus, & ita deinceps. Et hoc quidem pacto gradus accipiendi ſunt in linea deſcendente; in aſcendente verò contraria vtendum eſt ratione: vt ſi filium primò loco accipias, & ab eo ſurſum tendas, pater ab eo diſtabit vno gradu, auus duobus, proauus tribus, & ſic conſequenter.

Hæc autem vt certiùs percipiantur, generalis regula ſit, in linea aſcendente vel deſcendente tot gradibus duos aliquos diſtare, quot ſunt in ea linea perſonæ ordine ſanguinis collocatæ, vna dempta: velut ſi quatuor ſint perſonæ, pater, filius, nepos, pronepos, diſtabit à patre, id eſt à trunco pronepos tertio gradu.

At verò in linea tranſuerſa diligentior adhibenda eſt conſideratio. Cùm enim eorū conſanguinitas, qui ex latere ſe mutuò contingunt, non ex eo contracta ſit, quod alter ab altero ſit ortus, ſed quòd ab eodem ambo; oportebit in hac linea gradus conſiderare, ſecundùm quod referuntur ad communem originem. Quod vt rectè fiat, tenendæ ſunt hæ duæ regulæ: Si qui æqualiter diſtant à communi ſtipite, quoto gradu ab eo diſtant, eodem diſtant inter ſe; Si verò diſtant inæqualiter, quoto gradu remotior diſtat à ſtipite, eo diſtabunt inter ſe: vt exempli cauſa, Frater & ſoror inter ſe diſtant vno gradu. Sic enim diſtant à communi parente. Frater autem & ſororis filius ſecundo inter ſe gradu diſtant, quia ſecundo gradu à communi parente diſtat ſororis filius, qui eſt à ſtipite remotior.

Hanc ſupputandi rationem tradidit Zacharias papa 35. quæſtione quinta capit. Parentelæ, quam deinde in concilio Lateranenſi probauit ac retinendam eſſe decreuit Alexander 2. Vnde meritò Gregorius nonus, eam vocat regulam approbatam, extra de conſanguinitate & affinitate, capit. Finali.

§ . 3. *Coniugia quibus gradibus olim licita vel illicita fuerint.*

NOn ſemper iiſdem legibus vſi ſunt veri Dei cultores in vitandis conſanguineorum coniugijs, ſed pro ratione temporum ac perſonarum varia fuit huius rei obſeruatio.

S. Thom. su. pl. q. 54. ar. 4. in cor. & in reſp. 1. & 7. arg.

Ac principio quidem humani generis neceſſarium omnino fuit fratres cum ſororibus copulari, idque quamdiu alij homines non erant per quos humanum genus propagaretur. At poſtquam ex illis alij procreati ſunt inter conſobrinos, id eſt, fratrum vel ſororum filios facta ſunt coniugia, inter fratres autē & ſorores, ceſſante iam illa prima neceſſitate tanquam naturæ lege ſimpliciter illicita, fieri deſierunt. Morem verò coniugiorum inter conſobrinos ac patrueles, diutius in humano genere perduraſſe, maximè ſi non vtrumque haberent parentem communem, ſed alterum tantùm ex eo ſatis intelligitur, quia multò poſt diluuium Abraham duxit Saram ſororem ſuam, id eſt, filiam fratris ſui Aram; ſed qui duo, ſcilicet Abraham & Aram ex eodem patre videlicet Thare, non item ex eadem matre nati eſſent. Hoc enim eſt quod ait Abraham Geneſ. 20. *Verè ſoror mea eſt filia patris mei, & non filia matris meæ*, filiæ nomine more ſcripturæ etiam filiam filij comprehendens, ſicut & ſororis nomine generaliter conſanguineam ſignificans, quomodo etiam Tobias iunior dixit ſe accipere ſororem ſuam in coniugem Tob. 8. De illo igitur tempore ſanctus Hieronymus in tradit. ſuper Geneſim, *Necdum*, inquit, *inter patruos & fratrum filias nuptiæ fuerant lege prohibitæ quæ in primis hominibus etiam inter fratres & ſorores initæ ſunt*. Conſtat interim ex eadem hiſtoria Geneſ. 20. per id tempus illicitum fuiſſe coniugium cum ea quæ propriè & ex vtroque parente ſoror eſſet. Ideo enim ex verbis Abrahæ dicentis Saram ſororem ſuam eſſe, colligebant alij non eſſe eam ipſius vxorem, quòd eo tempore nefas haberetur fratrem cum ſorore coniugio copulari; id quod etiam obſeruatum eſt à ſancto Auguſtino libro viceſimoſecundo contra Fauſtum cap. 35.

Porrò Abraham filio ſuo Iſaac accepit vxorem Rebeccam tertio gradu diſtantem Geneſ. 24. Qui enim fuit auus Iſaac, idem proauus fuit Rebeccæ in diuerſa linea. Poſtea verò Iacob filius Iſaac vxores accepit filias Laban fratris Rebeccæ, diſtantes à ſe quarto gradu. Deinde quod his amplius eſt, Amram nepos Leui idemque pater Moyſi & Aaron vxorem habuit Iochabed patruelem ſuam, vt vertit ſanctus Hieronymus, id eſt, amitam (Hoc enim vox Hebræa ſignificat) videlicet filiam Leui quæ nata eſt ei in Ægypto, vt dicitur Numer. 26. inter quos proinde duorum tantùm graduum erat diſtantia. Quin & Numer. 27. lege ſtatutum eſt, vt mulieres ex ſua tribu viros acciperent, quando alioqui futurum erat vt poſſeſſiones tribuum confunderentur: ita tamen vt à certis quibuſdam propter nimiam ſanguinis propinquitatem abſtinendum ſibi eſſe ſcirent tam viri quàm mulieres. De qua re leges extant Moſaicæ. Leuitic. 18. & 20. vbi etiam quædam perſonæ copulari prohibentur, quæ ante legem non erant prohibitæ, vt amita vel matertera cum fratris vel ſororis filio, & iuxta Hieronymum ſuprà citatum, patruus vel auunculus cum fratris vel ſororis filia; tametſi hoc in Leuitico expreſsè non habeatur. Hinc etiam patet non omnes gradus in Leuitico prohibitos fuiſſe ſimpliciter illicitos lege naturæ, quod contendunt ſectarij.

Denique quamuis apud infideles circa matrimonia fuerit multipliciter peccatum, ea tamen

coniugia

coniugia quæ ab illis in secundo atque vlteriori gradu consanguinitatis fuerunt contracta, licèt illicita lege naturæ, rata tamen fuerunt, atque etiamnum sunt, vt patet ex decreto Innocentij tertij capit. Gaudemus, extra de diuortijs, vbi talia eorum coniugia non vult rescindi, si ad fidem veniant.

§. 4. *Quibus gradibus prohibita tempore Christianæ legis matrimonia.*

S. Thom. sup. q. 54 art. 4.

MAior est semperque fuit honestatis matrimonialis obseruantia tempore legis euangelicæ, quàm fuerit olim sub lege Mosaica; propterea quòd Iudaico populo vtpote carnali, & in certas tribus distributo, plus aliquid indulgendum fuerit circa gradus propinquitatis in contrahendis matrimonijs.

Constat autem ex Gratiano & Magistro impedimentum consanguinitatis iam olim in ecclesia obseruatum fuisse in septem gradibus. De qua re decreta extant Gregorij primi epistola 31. lib. duodecimo, & Nicolai primi 35. quæst. 3. ca. De consanguinitate. Item cap. Nulli, ibidem ex concilio Lugdunensi. Et alia quædam apud Gratianum eodem loco leguntur.

Postmodum verò Innocentius tertius in concilio Lateranensi capit. 50. reuocauit eas prohibitiones quæ erant vltra quartum gradum, ac denuò robur addidit ijs quæ quartum gradum non excederent, idque consultò factum à patribus, eò quòd vlteriores illæ prohibitiones & perplexitates innumeras gignerent, & periculum animabus adferrent. Habetur hæc constitutio extra de consanguinitate & affinitate, capit. Non debet; Estque postea confirmata decreto Gregorij noni quod habetur capit. proximè sequenti. Quam legem canonicam in hodiernum vsque diem seruat ecclesia. Quam etiam ita intelligit atque interpretatur, vt si contra eam attentatum fuerit matrimonium, pro nullo habeatur. Separari enim canones præcipiunt eos omnes qui in prædictis gradibus fuerint copulati, vt patet ex epistola Gregorij primi citata, & ex verbis concilij Cabilonensis, quæ sunt apud Gratianum capit. Contradicimus, ac denique ex vniuersali & perpetua praxi ecclesiæ.

§. 5. *Quo iure consanguinitas matrimonium impediat.*

S. Thom. suppl. q. 54 ar. 3.

COnsanguinitas impedit matrimonium partim lege naturæ, partim lege positiua; eaque vel diuina, vt tempore veteris testamenti; vel ecclesiastica, vt tempore noui. Idemque iudicium est de affinitate.

Quæ res vt plenius intelligatur, sciendum est tribus modis præceptum aliquod prohibens dici posse naturale.

Primùm, quia res quæ prohibetur, intrinsecam habet malitiam, nec per vllam circunstantiarum mutationem potest fieri bona, qualia sunt mentiri, Deum odisse, Deo rebellare, idola colere, & alia huiusmodi. Vnde præcepta quibus hæc prohibentur, sunt omnino indispensabilia.

Secundò, quia res quæ prohibetur, non quidem intrinsecè mala est, semper tamen & vbique mala, nisi occurrat extrema necessitas; quale est auferre alienum inuito Domino. Hoc enim in sola necessitate extrema, in qua quod alienum erat, fit commune, licitum est. Et huiusmodi præcepta sunt indispensabilia apud homines.

Tertiò, quia res quæ prohibetur, si nudè & absolutè sumatur, mala est; quæ tamen mutatis circumstantijs possit honestari ac bona fieri etiam extra necessitatem extremam: cuiusmodi sunt occidere hominem, iurare, plura possidere beneficia ecclesiastica.

Quod ergo dicimus quandam consanguinitatem lege naturæ matrimonium impedire, id neque de primo modo præcepti naturalis iam explicato intelligendum est, quia nulla est consanguineorum coniunctio ita per se mala, vt Deus in ea dispensare non possit. Neque de tertio modo, quamuis enim consanguineorum coniunctio, in quocumque gradu si nudè consideretur, deformis ac mala sit, ac proinde quodammodo prohibita lege naturæ, quo sensu concedi potest omnia præcepta Leuitici de gradibus propinquitatis esse naturalia, vt concedunt Bonauentura, Richardus, Paludanus & alij; non tamen absolutè dicendum est omnem eiusmodi coniunctionem esse lege naturæ prohibitam, eò quòd neque res ipsæ quatum hæc dicatur prohibitio, habeantur illicitæ apud omnes recta ratione vtentes, & varijs adhibitis circumstantijs mutari possint; ideoque necesse sit de ijs constitui speciales leges positiuas, præsertim si non tantùm debeant matrimonium impedire tanquam illicitum, sed etiam dirimere tanquam nullum. Ad hoc enim posterius omnino speciali lege opus fuit in quibusdam gradibus, cùm sint multa quæ malè quidem fiunt, sed tamen facta tenent; maximè in contractibus, nisi speciali lege irritentur.

Restat igitur vt præcipuè de secundo modo intelligatur, quo dicitur in quibusdam gradibus consanguinitatis impediri matrimonia lege naturæ; & quidem sic, vt non tantùm illicita sint, sed etiam nulla.

Sed quænam illa sint, variè opinantur Doctores.

Probabile est ea esse quæ sequuntur atque hoc ordine disposita, vt primum sit, idemque omnium turpissimum coniugium filij cum matre.

Secundum, patris cum filia. Hæc enim duo semper & apud omnes detestanda habita sunt, etiam eo tempore quo maxima fuit hominum raritas. Cuius rei ratio est, quia pudor & reuerentia quæ naturaliter insita est natis respectu parentum, facit vt huiusmodi concubitum & coniugium natura refugiat atque exhorrescat. Et huius naturalis prohibitionis significatio quædam hominibus in paradiso facta fuit à Deo in mundi initio, quando dictum fuit: *Relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ*, quemadmodum id ab Hugone super Genesim scribente annotatum est. Vnde & de his duobus apud doctores nulla est dubitatio, quin sint iure naturæ prohibita.

Tertium, fratris cum sorore germana, id est, ex vtroque parente.

Quartum, fratris cum sorore ex altero tantùm parente.

Quintum, priuigni cum nouerca. Qualem coniunctionem nec inter gentes esse testatur apostolus1. Corinth.5. Et idem iudicium de genero & socru.

Sextum, vitrici cum priuigna. Et idem iudicium de socero & nuru. Quamquam hæ coniunctiones quinti & sexti ordinis, non sunt consanguineorum sed affinium.

De his quatuor postremis gradibus opinantur quidam, inter quos Caietanus in secunda secundæ quæst. 154. art. 9. non esse eos prohibitos iure naturæ; verùm communior est sententia quam diximus. Quæ vel inde probatur, quòd nullum prorsus extet exemplum eiusmodi coniunctionis licitum aut probatum ab initio generis humani vsque in præsentem diem, exceptis coniugijs filiorum Adæ, quos cum sororibus in coniugio copulari cogebat eiusdem humani generis conseruandi necessitas.

Ac sanè videtur idem esse sentiendum de omnibus qui se mutuò recta linea contingunt, quocũque gradu, vt de auo & nepte, proauo & pronepte, &c. vt habet eadem communis opinio; tametsi dissentiat Caietanus loco iam dicto, existimans ecclesiam in recta linea post primum gradum posse dispensare. Ratio communis doctrinæ paulò antè indicata est; desumpta nimirum ex generali pudore ac reuerentia natorum erga suos progenitores. Nam & hi patres illorum dicuntur more scripturæ, & illi horum filij. Quo fit vt etiam leges ciuiles omnem eiusmodi copulam damnent, quemadmodum patet ex institut. Iustiniani titulo de nuptijs §. inter eas.

Porrò cæteræ pohibitiones, velut coniunctionis amitæ cum fratris filio, vel patrui cum fratris filia aliarumque similium, vel posteriorum quamuis ex lege naturæ quandam habeant inchoationem & de ijs sint rebus quæ sine circunstantijs considerate turpitudinem habeant (vnde de illis quoque dicitur in Leuitico, *Turpitudinem huius vel illius non discooperies*) perfectam tamen obligationem accipiunt ex lege positiua, siue ipsius Dei vt in populo Israëlitico, siue ecclesiæ vt in populo Christiano.

Quæ verò sint harum prohibitionum rationes, videre est apud sanctum Thomam secunda secundæ, quæst. 154. artic. 9. vbi rationes aliquot enumerat, partim ex Augustino libro 15. de ciuitate cap. 16. partim aliunde petitas.

§. 6. *Ecclesiam posse disponere ac dispensare circa impedimentum cognationis.*

S Thom. suppl. q. 54. art. vltimo

CVm lege naturæ non omnia consanguineorum & affinium matrimonia sint illicita, ac multò minùs irrita, sed ea tantũ quæ suprà enumerauimus; cumque prohibitiones graduum in Leuitico scriptæ vt tales, id est, quatenus sunt præcepta legis Mosaicæ, Christianos non obligent: cùm denique Christus in noua lege super hac re nihil præceperit; consequens est nec naturali nec diuino iure præter gradus suprà memoratos vllũ esse Christianis ad matrimonia contrahenda prohibitum. Quare totam huius rei dispositionem permisit & commisit Deus ecclesiæ suę; vt de coniugijs extra dictos gradus contrahendis, vel non contrahendis atque etiam irritandis, ipsa statueret & leges con-

A deret, mutaret, abrogaret, prout iudicaret expedire vel ad honestatem matrimonij, vel ad propagandam inter homines amicitiam, vel ad euitanda animarum pericula.

Nam Deus quidem materiam, id est, subiectum susceptiuum sacramẽti matrimonij in genere esse voluit legitimas personas, vt alibi dictũ est. Quę verò legitimæ essent, magna ex parte depẽdere voluit ex iam dicta dispositione ecclesiæ, quæ potestatem haberet certa quædam impedimenta constituendi, tollendi, eademque astringendi ac relaxandi; idque magis in hoc sacramento, quàm in alijs,
B eò quòd matrimonium non tantùm sit sacramentũ, verùm etiam contractus ciuilis. Cõstat autem contractus huiusmodi variabiles esse, prout homines & tempora, alięque rerum circunstantiæ variantur; & proinde legibus humanis, nec quibuscumque sed ecclesiasticis decernendum est, qui contractus matrimoniales liciti sint, qui illiciti: item qui rati, quiue irriti. De qua ecclesiæ potestate plura diximus ad distinctionem 28. in solutione argumentorum de clandestinis coniugijs irritatis, & distinct. 34. in initio.

Ex his porrò consequens est ad eandem eccle-
C siæ potestatem pertinere dispensationem in ijs gradibus intra quos coniugia non iure naturali sed tantùm ecclesiastico sunt prohibita; quandoquidem eiusdem est potestatis legem ferre, & in ea dispensare, dum rationabilis occurrit causa, quamuis virtute illius ecclesiasticæ potestatis, dispensationes etiam sine legitima causa obtentæ in matrimonijs valeant, quantum ad firmitatem contractus.

Confirmat autem hanc rem praxis ecclesiæ. Certum est enim pontifices sæpe in his dispensasse,
D non tantùm postremis seculis, verùm etiam prioribus, vt probatur vel vnius Gregorij primi exemplo, qui in epistola ad Augustinum Anglorum episcopum indulget Anglis coniugia in tertio & quarto gradu consanguinitatis. Cuius facti sui rationem reddit in epistola 31. lib. 12. ne videlicet gens in Christo neophyta, à bono quod ceperat, metuendo austeriora recederet. Vnde nec vult eius dispensationis exemplum trahi ad alias nationes, cùm specialiter & non generaliter id se concessisse testetur.

Oportet autem huiusmodi dispensationes ra-
E ras, & valde rationabiles esse. Vnde patres concilij Trid. sess. 24. c. 5. de reformatione matrimonij sic statuunt: *In secundo gradu nunquam dispenseur nisi inter magnos principes & ob publicam causam.* Vbi patres primum gradum ideo non nominant, quia vel prorsus ab homine indispensabilis est, vt in linea recta: vel potiùs (quoniam de linea transuersa loqui patres non est dubium,) quia an dispensabilis sit, controuertitur; velut inter fratrem & sororem. In quo tamen non posse dispensari probabilius est, ex ijs quæ proximo capite diximus.

F Quibus addimus Innocentium tertium cap. Gaudemus cùm ageret de coniugijs eorum qui ab infidelitate ad fidem veniebant non dirimendis, primum gradum similiter non nominasse sed tantùm secundum & vlteriores.

Sed & Pius quintus in quadam declaratione quæ incipit *Attendens*, declarat summum pontificem nunquam intendere in primo gradu dispensare.

Ex dictis patet quàm grauiter errent sectarij, docentes eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus qui in Leuitico exprimũtur, posse impedire

matri-

matrimonium contrahendum & dirimere contractum, nec posse ecclesiam in nonnullis ipsorum dispensare, aut constituere vt plures impediant & dirimant. Cuiusmodi assertoribus anathema dicit Trid. synodus sess. 24. can. 3. & 4. Et hæc de ecclesiæ potestate. Nam quod ad diuinam authoritatem attinet, rectè dixit loco dudum citato Caietanus, in quocumque gradu & inter quoscumque dispensabile esse coniugium ab authore naturæ.

IN DISTINCTIONEM QVADRAGESIMAMPRIMAM.

§. 1. *Quid affinitas & quomodo supputanda.*



S. Thom. suppl. q. 55 art. 4. & 7.

AFFINITAS dicitur ea propinquitas, quam maritus contrahit cum consanguineis vxoris suæ, & è diuerso vxor cum consanguineis mariti. Huius propinquitatis rationem assignat Gregorius apud Gratianum 35. quæst. 5. cap. Porrò, alijque pontifices ibidem, quia secundùm diuinam sententiam vir & vxor sunt vna caro. Quo fit vt quicunque sunt consanguinei vnius, affines fiant alterius, idque eodem prorsus gradu affinitatis quoto consanguinitatis gradu alterum contingunt. Exempli gratia mater vel soror vel filia vxoris, quia vxorem contingit primo gradu consanguinitatis, maritum eius continget eodem gradu affinitatis: Sororis autem filia, quia ab vxore distat secundo gradu consanguinitatis, eodem affinitatis gradu distabit ab eius viro, & ita de alijs.

Iam ex his etiam intelligitur hoc in affinitate esse peculiare, quod nulla contrahitur inter consanguineos viri & vxoris hinc inde, sed tantùm vri diximus, inter virũ & vxoris cõsanguineos, atque è diuerso inter vxorem & consanguineos viri. Vnde nullum ex affinitate impedimentum est, quò minùs pater & filius ducant matrem & filiam: itemque duo fratres duas sorores: & frater & soror sororem & fratrem: item filius vxoris filiam viri.

§. 2. *In quibus gradibus affinitatis, prohibita sint coniugia.*

S. Thom. suppl. q. 55. art. 8. & 9.

SIcut in gradibus consanguinitatis, ita & in gradibus affinitatis non eadem semper fuit obseruatio contrahendi matrimonij apud veteres Dei cultores. Si quidem in lege Mosaica quamuis generaliter prohibitum esset Leuit. 18. ne quis turpitudinem vxoris fratris sui reuelaret, in Deuter. tamen cap. 25. non modò permissum sed præceptum etiam fuit, vt frater suscitaret semen fratri suo sine liberis defuncto, accipiendo eius vxorem. Quæ coniunctio erat in primo gradu affinitatis, eoque magis dicto casu licita in secundo vel tertio gradu, quemadmodum factum videtur inter Ruth viduam & Booz, propinquum mariti eius demortui. Idem & ante legem Moysi iure quodam obseruatum fuit. Nam Iudas patriarcha Genes. 38. præcepit Onam filio suo vt accepta Thamar vxore fratris mortui, suscitaret ei semen, quo etiam mortuo promisit & tertium filium, quem cum non dedisset, iniustè se cum ea egisse ipse postea confessus est. Sed illud præceptum peculiarem rationem habuit eo tempore, quo & carnali propagatione multiplicandus erat Dei populus, & pro magna maledictione reputabatur mori non relicto semine. Vnde naturalis turpitudo tali matrimonio coniuncta compensabatur honore illo, quem frater fratri tribuebat, procurando ei posteritatem ex vxore relicta. Præterea non videtur illicitum apud Israëlitas fuisse, vt quis vxoris suæ mortuæ sororem acciperet in matrimonium, qui similiter erat primus affinitatis gradus. Id enim licitum fuisse significant hæc Leuitici verba: *Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente.* Hîc enim significatur vxore mortua id licere. Nec mirum, cùm ante legem simul duas sorores in matrimonio habere licitum fuerit, vt patet exemplo Iacob patriarchæ.

Cæterùm Christianis ecclesiastica lege nihil tale est permissum, sed absolutè in ijsdem gradibus prohibentur coniungi affines, (affinitate suprà dicto modo copulata) quibus consanguinei; olim quidem vsque ad septimum gradum, vt liquet ex varijs pontificum & conciliorum decretis, quæ collegit Gratianus 35. quæst. 2. 3. & 5. postea verò duntaxat vsque ad quartum gradum, iuxta decretum Lateranense sub Innocentio 3. vt suprà de consanguinitate dictum est. Vnde & quæcumque in affinitatis gradibus prohibitis contrahuntur, similiter irrita sunt coniugia. Nam concilium Neocæsariense can. 2. solui vult matrimonium mulieris cum fratre mariti mortui, & de alijs alij canones idem statuunt; tametsi ad id probandum sufficere debet perpetua praxis ecclesiæ. Obiter quoque notandum est, quod eiusdem concilij Lateranensis authoritate sublatum est impedimentum quoddam antiquis canonibus cõstitutum, quod proueniebat ex affinitate secundi vel tertij generis quę nimirum contrahebatur ex secundo vel tertio matrimonio. Quamquam ea non erat proprij nominis affinitas sed potius quędam publicę honestatis iustitia, per quam fiebat, vt non tantùm mulier fratri viri sui affinis esset, sed & si ipsa post viri mortem alteri nuberet, & post ipsius mortem vir posterior aliam acciperet vxorem, hęc postrema vxor marito mortuo, fratri primi viri nubere non posset propter affinitatem tertij generis. Sed hoc secundo & tertio genere sublato placuit solum primum retineri. Sicut & placuit eodem decreto abrogari illam veterum canonum constitutionem, qua proles nata ex secundis nuptijs mulieris prohibebatur coniugio copulari cum consanguineis viri prioris.

§. 3. *Quatenus ecclesia dispensare possit in gradibus affinitatis.*

S. Thom. suppl. q. 55 art. 8.

QVod negant aduersarij posse ecclesiam dispensare in gradibus consanguinitatis, idem & de affinitate negant, eodem nitentes fundamento; quia nimirum intra certos gradus iure naturali prohibita sunt matrimonia, ad quos gradus pertinere volunt, quoscumque Moyses in Leuitico expressit, imò & alios præterea quosdam in quibus proinde dispensare humanę non sit potestatis.

Est autem huius loci præcipua controuersia de primo gradu in linea transuersa; nempe de eo,

verùm vir vxoris defunctæ fororem aut fratris sui relictam accipere possit in matrimonium per ecclesiæ dispensationem, & de muliere similiter. Nam de primo gradu ascendentium & descendentiũ alia ratio est. Quamuis enim sint inter catholicos scriptores qui putent ecclesiam posse dispensare in hoc gradu, velut inter vitricũ & priuignã, inter nouercã & priuignum, inter nurum & socerum, denique inter generum & socrum; multò tamen est probabilius vt ad superiorem distinctionem ostendimus, non posse, propterea quòd inter istos iure naturali sit illicitum coniugium. Vnde nec huiusmodi dispensationis vlla reperiuntur exempla.

Sed de linea transuersa longè aliter res se habet, id quod vel ex sacris literis facilè monstratur.

Primùm enim quod ad locum Leuitici 18. attinet, tantùm ibi prohibetur ne quis vxorem fratris sui ducat, non autem ne qua mulier nubat viro sororis. Imò licitum hoc fuisse ex eodem loco superiori capite ostendimus. Et tamen, si legem naturæ spectes, eadem est propinquitas vtrobique, eademque apparet ex coniunctione turpitudo. Vnde nũc ecclesia vtrumque pari iure prohibet & in vtroque pari iure dispensat. Quòd ergo in veteri lege alterum prohibitum fuit præ altero, arguit non prorsus morale, sed ex parte iudiciale illud præceptum fuisse, eoque nomine per nouam legem abrogatum.

Deinde lex illa Leuitici, *Ne frater vxorem fratris ducat*, non erat vniuersaliter intelligenda. Nam vt suprà diximus, alibi præceptum fuit vt frater fratri sine liberis defuncto semen suscitaret Deuteron. 25. Patiebatur ergo notabilem & necessariam exceptionem lex in Leuitico lata. Nam exceptionem alteram alterius fuisse docent Augustin. quæst. 61. suprà Leuit. Liranus in eundem locum & alij, tametsi Caietanus in eiusdem loci commentario probabiliter sentit non tam exceptionem esse quàm declarationem, qua doceatur priorem legem in hoc casu non obligasse, seu potiùs priorem legem ad hũc casum se non extendisse. Quod ex eo probatur, quia etiam ante Moysen erat in obseruatione, vt hoc casu frater vxorem fratris ducere posset ac deberet, quemadmodum ex Genes. 38. superiùs ostendimus.

Quod autem aduersarij quidam respondent Dominum in Deuteronomio dispensasse super ius naturale expositum in Leuitico; non rectè dicitur. Nam dispensatio non est lex, neque qui in lege dispensat, iubet secus fieri, quàm lex præcipiat, sed tantùm permittit; tollendo videlicet obligationem legis in certo casu. At in Deuteronomio lex statuitur, apposita etiam infamiæ pœna in eum qui legi non obtemperaret. Quare plus aliquid quàm dispensationem ibi agnoscere debemus; nimirum præceptum quod in illo populo tanquam legitimum obseruari necesse fuerit. Iam igitur si ob eam causam, vt fratri semen suscitaretur, lege præceptum fuit matrimonium fratris cum vxore defuncti; multò magis id dispensatiuè permitti poterit ob causam aliquam vtilitatis publicæ, velut amicitiæ conseruandæ, vel conciliandæ inter magnos principes, ex qua re pax & fœlicitas regnorum consequitur.

His accedunt exempla sanctorum & dispensationes põtificum. Nam Iacob sanctissimus patriarcha sine vllius reprehensione duas sorores germanas simul habuit in coniugio. Quantò magis alteram post alteram accipere licebit dispensante ecclesia?

Quid autem Iudas eius filius & præceperit & promiserit, & iustum esse agnouerit, secutus nimirum ius illo tempore receptum, suprà diximus ex Genes. 38.

Pontifices verò qui in hoc gradu dispensarunt, fuere Innocentius 3. extra de diuortijs, cap. Finali, concedens neophytis ecclesiæ Linoniensis vt in matrimonijs quæ cum relictis vxoribus fratrum suorum contraxerant, permanerent. Quamquam hęc non tam sint dispensatio quã declaratio validitatis huiusmodi matrimonij apud infideles contracti. Nam etiam apud gentiles huiusmodi fuisse legem, suprà ex Terentij vno & altero loco ostensum est.

Alexand. 6. quo dispẽsante Emmanuel rex Lusitanię duas sorores, Ferdinandi regis Hispaniarum filias, Elizabetham & Mariam successiuè sibi coniugio copulauit.

Iulius 2. eius dispẽsatione Henricus 8. Angliæ rex Arturi fratris sui relictam Catherinam eiusdem Ferdinandi filiam in vxorem duxit; tametsi eam postea matrimonium causatus illegitimum, priuata authoritate repudiauerit. Ex quo incẽdium suscitatum est schismatis Anglicani.

Clemens 7. quo dispensante Petrus Aluaradus quarundam occidentalis Indiæ prouinciarum gubernator duxit Beatricem sororẽ vxoris suę demortuę nomine Franciscę.

Portò quæ in contrarium ab aduersarijs proferuntur, ex ijs ferè quæ de consanguinitate dicta sunt ad superiorem distinct. soluere non est difficilè. De quibus vide Dominicum in præsentem distinctionem, & Alfonsum de Castro libro 1. de lege pœnali capit. vltimo, vbi contra Petrum de Palude probat hanc de qua agimus, dispensandi potestatem.

§. 4. *Iusticia publicæ honestatis quale sit matrimonij impedimentum.*

AFfinitati simile est impedimentum, quod vocatur iusticia publicæ honestatis. Prouenit enim non ex copula coniugali, ex qua nascitur affinitas, sed ex causa aliqua simili, & quandam imperfecti rationem habẽte respectu copulæ coniugalis. Vnde & publica honestas non propriè affinitas est, sed propinquitas, seu vt vocant, attinentia quædam affinitate minor & imperfectior, propter quam tamen publicè reputetur inhonestum si qui ad hunc modum se mutuò contingunt, inter se matrimonio iungantur.

S. Thom. suppl. q. 55. ar. 3. & 4.

Contrahitur autem hoc genus propinquitatis pluribus modis.

Primò per fornicationem; quamuis alij malunt ex fornicatione contractam propinquitatem esse affinitatem proprij nominis, eò quòd ex carnali copula contrahatur. Sed quo nomine censeatur, parum refert. Sanè Innocentius 3. cap. Discretionẽ, extra de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ, nominat publica honestatem. Et reuera cõsentaneum non est affinitatem propriè dictam contraht extra coniugium & per iniuriam stupri, quando nec aliter quàm ex coniugio affines aliquos inter se vocare solemus. Item consanguinitas, affinitas &c. apud Aristotelem causant amicitiam, at ex fornicatione non causatur amicitia cum alterius consanguineis, sed potiùs inimicitia propter iniuriam stupri.

De

A De hoc impedimento antiquatis senetioribus pontificum decretis, sic statuit synodus Trid. sess. 24. cap. 4. de reformatione matrimonij: *Impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum qui in primo & secundo gradu coniunguntur, restringit synodus: In vlterioribus verò gradibus statuit huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.* Hæc ibi.

Sciendum verò, quòd si coniugatus quispiam hanc affinitatem incurrat, carnaliter cognoscendo sororem vxoris, matrimonium quidem non soluitur sed qui hoc flagitium commisit, eo ipso amisit B ius petendi debiti coniugalis, vt pótifex declarat titulo iam dicto cap. 1. & 3. vxor verò cùm sit innocens, non videtur excidere à iure quod sibi priùs lege naturæ debebatur & contrà, si mulier fratrem viri cognouit, in eandem incidit pœnam, viro innocente libero. Quemadmodum etiam ab hac pœna liber erit, si quis per errorem inculpabilem commisceatur sorori vxoris, putans suam esse vxorem aut mulier fratri mariti, putans suum esse maritum. Non enim sine sua culpa videtur quis priuandus eo iure quod sibi lege naturæ competit.

C Secundò prouenit impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus matrimonio non consequente. Et olim extendebatur hoc impedimentum ad sponsalia etiam ob quamcunque causam inualida, quemadmodum patet ex sexto decretalium titulo, *De sponsalibus & matrimonijs*, & protendebatur vsque ad quartum gradum haud secus atque impedimentum affinitatis. Sed tandem in concilio Trident. cap. 3. de reformatione matrimonij, etiam hoc impedimenti genus moderata est ecclesia, dum ita statuit: *Iustitia publica honestatis impedimentum, vbi sponsalia quacumque ratione valida non erant, sancta* D *synodus prorsus tollit: vbi autem valida fuerint primum gradum non excedant, quoniam in vlterioribus gradibus iam non potest huiusmodi prohibitio absque dispendio obseruari.*

Tertiò, prouenit hoc impedimentum ex matrimonio contracto quidem sed vel non consummato, vel ob aliquam causam inualido. Quod si ratum sit, sed non consummatum, habebit locum iuxta antiquos canones impedimentum hoc in iisdem gradibus, ad quos extenditur affinitatis impedimentum. Quorum canonum constitutio non est E posteriori aliquo decreto restricta nec reuocata; idque proterea fortassis, quia sæpe incertum est nec sciri potest an matrimonium consummatum fuerit nec ne. Vnde & consultus super hac re Pius quintus declarauit restrictionem in concilio Trid. factam iusticiæ publicæ honestatis ad primum gradum, non habere locum nisi in sponsalibus de futuro.

Porrò idem iudicium esse videtur de matrimonio contracto sed ob aliquam causam inualido, siue consummatum fuerit siue non. De qua re extat decretum Bonifacij 8. in sexto de sponsalibus F impube. capit. 1. §. *Idem quoque*. Quamuis hoc impedimentum restringendum videtur ad contractum matrimonij celebratum iuxta formam à Trid. concilio præscriptam. Nam aliter celebrata matrimonia nec sponsaliorum vim habent, vt alibi dictum est.

Postremo loco notandum, quemadmodum de impedimento consanguinitatis & affinitatis suprà dictum est, ita & istud honestatis publicæ impedimentum (idem iudicium de cognatione spirituali & legali, de quibus proxima distinctione agetur) sic esse intelligendum, vt matrimonium postea con-A tractum inualidum sit, etiamsi [illegible] contrahentes ignorauerint inter ipsos tale impedimentum extitisse. Vnde & vbi primùm constiterit de impedimento, separandi sunt; vel priuata authoritate à se mutuò discedendo, si videlicet impedimentú sit notorium; vel expectato ecclesiæ iudicio, si non sit satis liquidum & certum impedimentum.

Neque hoc loco audienda est Hugonis Victorini sententia, opinantis talia esse vera coniugia, donec ecclesiæ iudicio fuerint separata, præsertim si sint eiusmodi vt probari apud homines non possint vt videre est apud eum libro 2. de sacramentis parte 11. cap. 11. Quam etiam quæstionem Magister B mouet, & insolutam relinquit. Sed res nullam habet dubitationem. Nam si vera coniugia essent, nulla ecclesiastica potestate dirimi possent, vt patet ex ijs quæ de insolubilitate matrimonij circa distinctionem 33. & 35. dicta sunt.

IN
DISTINCTIONEM QVADRAGESIMAMSECVNDAM.

C

§. 1. *Cognatio spiritualis quæ sit & quos gradus habeat.*

SEQVITVR impedimentum cognationis spiritualis, quæ cognatio [S. Thom. suppl. q. 56.] *Propinquitas quædam est personarum proueniens ex collatione sacramenti baptismi vel confirmationis, aut ex eo quod quis alium in sacramento baptismi vel confirma-* D *tionis tenet ac suscipit.* Ratio huius cognationis est, quia in his sacramentis est quædam spiritualis generatio; propriè quidem in baptismo, quod & regenerationis sacramentum vocatur, iuxta illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua. &c.* sed in confirmatione hactenus, quia per eam spiritualis illa generatio perficitur. Tribuit enim robur & perfectionem quamdam vitæ spiritualis per baptismum acceptæ. Quam rationem præ oculis habuit ecclesia, quando voluit hac cognationem esse matrimonij impedimentum dirimens: sicut enim inter eos qui carnali cognatione iuncti sunt naturalis est reue- E rentia, qua naturaliter prohibentur à mutuo complexu corporum, qui sine turpitudine esse non potest, ita & inter eos qui dicto modo iunguntur spiritualiter, similis reuerentia propter spiritualem illam generationem, id est, esse quoddam spirituale quod alter alteri communicat, intercedere debet.

Ex his liquet in hac cognatione spirituali stipitis rationem habere eum qui baptizauit aut confirmauit; sunt enim hi velut principes generationis spiritualis. Inuenitur quidem etiam in sacramento F pœnitentiæ quædam spiritualis coniunctio: nimirum inter presbyterum & pœnitentem: itemque in catechismo inter catechizantem & cathecumenú dum ad baptismum instruitur, sed ea non tanti momenti visa est, vt rigore legis ecclesiasticæ matrimonium dirimeret; tametsi posterior secundum canones matrimonium impediat contrahendum. Quod de priori non erat opus constituere, quandoquidem presbytero simpliciter vxorem ducere non licet. De hac re videatur cap. *Contracto*, extra de cognatione spirituali, & glossa eiusdem loci, vbi de catechismi impedimento agitur, & quale sit, explicatur.

plicatur. At verò multò minùs ea spiritualis fraternitas quæ est inter omnes Christianos, debuit impedimentum matrimonij constitui; tum quia ratio suprà dicta non habet in ea locum; tum quia per eiusmodi legem Christiani non possent matrimonia contrahere nisi cum infidelibus, quod foret absurdissimum.

Porrò cognationis spiritualis, de qua nunc agimus, tres veluti gradus constitui solent; nempe paternitas, compaternitas, & confraternitas. Paternitas ad filium spiritualem terminatur, comprehenso etiam matris ac filiæ nomine. Et consideratur inter baptizantem, confirmantem, leuantem ex sacro fonte, tenentem in confirmatione, eorumque coniuges ex vna parte; & baptizatum vel confirmatum ex altera. Compaternitas autem inter baptizati seu confirmati parentes spirituales iam dictos ex vna parte, & parentes carnales ex altera. Confraternitas denique inter dictos filios spirituales, videlicet baptizatum vel confirmatum ex vna parte, & filios carnales eisdem spiritualibus parentibus genitos ex altera.

§. 2. *Quousque protendatur huius cognationis impedimentum.*

S. Thom. vbi sup. IVxta canones antiquos nascebatur impedimentum spiritualis cognationis inter omnes personas suprà dictas, eo quo dictum est, modo, inter se cōparatas, vt videre est apud Gratianum 30. quæst. 1. 3. & 4. & in decretalibus sub proprio titulo de cognatione spirituali. Sed quoniam propter huiusmodi prohibitionum multitudinem fiebat sæpenumero, vt vel scienter vel ignoranter in casus prohibitos multi inciderent ex quo & scandala & animarum pericula oriebantur; ideo ad medendum his malis visum fuit patribus Trid. concilij sess. 24. cap. 2. reformationis matrimonij, primum minui numerum eorum qui de sacro fonte baptizatum susciperent: sic videlicet vt vnus tantùm seu vir seu mulier, idque iuxta sacrorum canonum instituta, sed diu malè obseruata, vel ad summum vnus & vna suscipiant eum qui baptizatur. Deinde statuerunt tantùm inter baptizantem & suscipientem vel suscipientes ex vna parte, & baptizatum eiusque patrem & matrem ex altera parte contrahi spiritualem cognationem, quæ videlicet matrimonium & contrahendum impediat & contractum dirimat.

Quod si etiam alij, præter eos qui designati fuerint ab ijs ad quos spectabit, baptizatum tetigerint; nullam exinde spiritualem cognationem contrahi declarant.

De confirmatione quoque ab ijsdem patribus eodem loco constitutum, vt quæ ex ea cognatio contrahitur, tantùm consistat inter confirmantem & tenentem ex vna parte, & confirmatum eiusque patrem ac matrem ex altera.

Itaque cognatio confraternitatis, nec non ea quam coniux ratione coniugis tantùm ex his sacramentis contrahebat, quoad impedimentum matrimonij prorsus sublata est.

Iam quod ad modū huius impedimenti, quod ex spirituali cognatione prouenit, attinet: eadem ratio est cum superioribus. Nam si hæc cognatio matrimonium antecesserit, non finit ipsum ratum fieri: sin autem postea accesserit, soluere quidem non potest matrimoniū semel validum, sed is cuius culpa contracta fuerit ea cognatio, amittit ius petendi debitum: secus si vel ob necessitatem aliquam, vel ex errore inculpabili in talem cognationem incidisset.

Denique sciēdum omnia impedimenta iam dicta, ipsamque cognationem ex qua proueniunt, non ita habere fundamentum in natura, sicut habet impedimentum cognationis carnalis; sic videlicet vt lege naturæ sit illicita vel etiam irrita personarum sic cognatarum matrimonialis coniunctio, sed vim impediendi ac dirimendi tātùm habent ex positiua constitutione ecclesiæ, quæ sicut in his impedimentis potest immutare aliquid ac dispensare, ita & posset, si iusta aliqua ratio vrgeret, ea in vniuersum tollere.

§. 3. *Legalis cognatio quomodo matrimonium impediat.*

COgnatio legalis ea dicitur, quæ per adoptionem contrahitur. Definitur autem adoptio, *Extraneæ personæ in filium vel nepotem vel deinceps legitima assumptio.* Hæc ideo introducta est, vt qui naturales filios non habent, orbitatem suam seu sterilitatem adoptione velut voluntaria quadam filiorum generatione solarentur; tametsi etiam ab ijs qui liberos habent, ob certas causas hoc paternitatis genus interdum suscipitur. S. Thom. supp. q. 57.

Extraneam personam intelligimus, non quæ à genere adoptantis omnino aliena sit. Nam Mardochæus Esther filiam fratris in suam filiam adoptasse legitur Esther 2. & apud Terentiū Mitio Demeæ fratris filium pro suo per adoptionem habet, exemplo quidem ficto, sed ex hominum consuetudine sūpto. Et quod amplius est, Iacob patriarcha suos ex Ioseph filio nepotes Ephraim & Manasse, in filios adoptat Gen. 48. sed intelligimus eam quæ non erat in adoptantis potestate.

Porrò ex adoptione nasci cognationem quæ matrimonium impediat, docent canones apud Gratianum 30. quæst. 3. & in decretalibus titulo de cognatione legali.

Inter quas autem personas & quatenus hoc impedimentum interueniat, breuiter explicemus.

In cognatione legali triplex consideranda est habitudo.

Prima ascendentium & descendentium, quæ nimirum est inter adoptantem & adoptatum, eiusque filios ac deinceps vsque ad quartum gradum.

Secunda lateralis inter adoptatum & naturalem filium adoptantis.

Tertia affinitati respondens, oritur inter adoptantem & vxorem adoptati, velut inter socerum & nurum, itemque inter adoptatum, & vxorem adoptantis velut inter generum & socrum. Vbi quæ de vno sexu dicimus, de alio pariformiter sunt accipienda.

In his igitur omnibus ita vt dictum est, comparatis impedimentum est matrimonij, non omnino tamen similiter. Nam inter tres modos enumeratos prima quidem & tertia cognatio perpetuum impedimentum adferunt; secunda verò non perpetuum. Ratio est, quia illæ cognationes semel contractæ dissolui nequeunt, hæc autem tantisper solum durat, dum filius adoptantis in potestate patris permanserit; dissoluitur autem vel patre mortuo vel filio naturali emancipato. Quo casu poterit inter filium adoptiuum & filiam naturalem vel contra constare matrimonium, quemadmodum

nos

nos docent rescripta pontificum Paschalis & Nicolai locis iam indicatis, & ibidem apud Gratianum cap. Per adoptionem.

Ex quibus etiam valde probabiliter colligitur (quamuis alijs quibusdam aliud videatur) impedimentum hoc non solùm obstare matrimonio contrahendo, verùm etiam dirimere contractum. Id enim conuincere videntur verba Nicolai quibus ait. *Si qua per adoptionem mihi soror esse ceperit, quamdiu durat adoptio inter me & ipsam, nuptia consistere non possunt.*

Ratio autem huius impedimenti similis est cum superioribus; nimirum reuerentia quam filius & filia qui adoptantur, debent adoptanti seu patri seu matri, & consequenter eorum coniugibus ac naturalibus filijs.

§. 4. *Secundas & vlteriores nuptias licitas esse.*

Thom. opl. q. ar. 8

POlygamiam plurium vxorum aut virorum successiuè, id est, secundas à morte prioris coniugis nuptias olim damnarunt hæretici Montanistæ, vt Augustinus refert hæresi 26. & post eos Nouatiani teste Theodoreto libro 3. de fabulis hæreticorum; Imò & Tertullianus in hęresim Montani prolapsus hunc etiam errorem apertè docuit libro de monogamia & alibi.

Verùm catholica doctrina est secundas nuptias & tertias ac quotocunque numero vlteriores & veras esse nuptias, & secundùm se licitas atque honestas.

Ad quod probandum produci possent imprimis exempla sanctorum veteris testamenti, velut Abrahæ qui Sara mortua aliã duxit vxorẽ Gen. 25. Sed quia illis etiam simul plures vxores habere cõcessum fuit, ideo petita ab illorũ exemplo probatio minùs fortasse roboris habere videbitur, quia quibus per dispensationem fuit datum vt plures simul haberent, denegari non potuit vt plures haberent successiuè; præsertim cùm hoc ex illo sequatur, dum vxores quæ simul habentur, non tamen simul accipiuntur, neque simul moriuntur.

Qua propter hanc rem scripturis noui testamenti confirmemus. Scribit apostolus 1. Corinth. 7. generaliter de non nuptis & viduis. *Quod si non se continent nubant*, & sub finem capitis peculiariter de vidua: *Quod si dormierit vir eius, liberata est. Qui vult nubat tantùm in Domino.* Quod ne tantùm vt permittens rem minùs malam scribere videatur, sicut interpretatur Tertullianus, addit: *Beatior autem erit, si sic permanserit secundùm meum consilium.* Hinc enim patet consilij esse non præcepti à secundis nuptijs abstinere, & proinde secundas nuptias non prohiberi, sic Rom. 7. dicit mulierem viro suo mortuo non fore adulteram, si alij viro nupserit. Imò veras esse has nuptias & honestas postulat applicatio similitudinis subiuncta qua dicit: *Itaque & vos mortificati estis legi, vt sitis alterius qui ex mortuis resurrexit.*

Idem apostolus 1. Timoth. 5. de viduis loquens: *Volo*, inquit, *iuniores nubere, filios procreare, &c.*

His accedit ecclesiæ perpetuæ traditio; quippe quæ semper secundas & vlteriores nuptias absque numeri præscriptione admisit, vt secundum se licitas & honestas.

Ecclesiæ sententiam exponunt Epiphanius in hæresi Cataphrygum & Catharorum, id est Montanistarum & Nouatianorum, Ambrosius libro de viduis, Gregorius Nazianzenus oratione in sancta lumina, Hieronymus in apologia pro libris contra Iouinianum & in præfatione commentarij in Ieremiam, & in epistola ad Ageruchiam de monogamia Augustinus libro de bono viduitatis potissimùm cap. 10. & 11. vbi locum apostoli 1. Cor. 7. diligenter expendit, docens ex apostoli verbis non modò post primum virum mortuum, sed etiam post secundum & tertium ac deinceps mulierem nubere posse; quia absolutè dictum est: *Quod si dormierit vir eius, &c.* Idem libro de hæresibus hæresi 26. 38. & 86. & libro secundo contra aduers. legis & prophetarum. Chrysostomus homilia 20. super epistolam ad Eph. Theodoretus loco suprà citato. Theophylactus in 1. Corinth. 7. & alij qui in eundem locum commentati sunt.

Extat etiam Niceni concilij canon 8. prohibens recipi Nouatianos pœnitentes nisi polliceantur se communicaturos etiam cum ijs qui secundas nuptias fuerint experti.

Præterea synodus Florentina in decreto Armenis tradito, contra errorem quorundam qui quartas nuptias tanquam condemnatas respuebant, declarat & ex apostolo probat non solùm secundas & tertias nuptias, sed & quartas atque vlteriores licitè contrahi posse; tametsi laudabilius sit in viduitate permanere.

Denique & perspicua ratione probatur hæc doctrina. Nam propter easdem omnino causas poterit quis secundam vel tertiam & deinceps vxorem ducere, propter quas duxerat primam; nimirum ad procreandos liberos, præsertim si ex priore matrimonio nullos susceperit. Deinde in remedium incontinentiæ. Quæ causa plærumque non minùs ac fortè etiam magis locum habet in viduis ætate adhuc iuuenili, quàm in ijs qui coniugium nondum sunt experti. Non enim de virginibus sed de viduis dixit apostolus, *Volo iuniores nubere, &c.*

§. 5. *Quædam in contrarium argumenta soluuntur.*

S. Thom. ubi sup.

REspondendum nunc ad ea quæ superiori doctrinæ videri possunt in patrum scriptis contraria.

Primùm Origenes homilia 17. in Luc. de secundis nuptijs agens dicit tale coniugium ejcere hominem de regno Dei, & postea: *De cætu*, inquit, *primitiuorum immaculatorumq́ ecclesia ejcietur digamus, non quo in æternum mittatur incendium, sed quo partem non habeat in regno Dei* Et quibusdam interpositis dicit digamum non esse de ecclesia licèt bonam habeat conuersationem, & cæteris virtutibus polleat.

Respondetur Origenem distinguere (tametsi non rectè) inter vitam æternam & regnum Dei, nomine regni Dei intelligens ecclesiam triumphantem & gloriosam, quam vocat cœtũ primitiuorum. Non aliud ergo vult, quàm digamos nõ habituros inter eos qui saluantur, locum sublimem sed inferiorem. Subiungit enim digamos esse de secundo gradu, & de his qui saluantur quidem in nomine Christi, non tamen ab eo coronantur videlicet corona excellentioris gloriæ.

Secundum. Canon 3. concilij Neocæsariẽsis ijs qui sæpius nubunt, pœnitentiam constituit, & can. 7. ob eandem causam vetat presbyterum interesse conuiuio secundarum nuptiarum, Verba recitan-

tur à

tur à Gratiano 31. quæstio. 1. capit. De his. Constat autem pœnitentiam publicam (quæ ibi videtur intelligi,) non nisi ob grandiora peccata imponi solere.

Sed responderur, quorundam locorum episcopos olim hac in parte seueriores fuisse, ita vt propter suspicionem magnæ & notabilis incontinentiæ qui sæpius matrimonia contraherent, aliqua pœnitentia notandos putarint, quæ tamen non esset publica sed priuata: quales pœnitentiæ complures etiam pro minoribus peccatis fuerunt à canonibus præscriptæ. Hoc autem ita esse probatur ex canone 1. concilij Laodiceni, quo secundæ nuptiæ agnoscuntur legitimæ, & tamen pro ijs certi temporis pœnitentia iniungitur.

Adde quod synod. Neocæsariensis præiudicare non potuit magno conc. Nicæno paulò pòst celebrato, cuius canon 8. vt diximus, secundas nuptias approbat. Vnde nec confirmati leguntur Neocæsariensis synodi canones nisi in synodo Trullana quę schismatica fuit.

Tertium. Basilius in epistola ad Amphilochium canon. 4. pœnitentiam decernit digamis, eamque auget trigamis; addens trigamiam non amplius coniugium sed polygamiam appellari, vel potiùs castigatam fornicationem, & ideo Dominum Samaritanæ quæ quinque maritos habuerat, dixisse, *Quē nunc habes nō est maritus &c.* Sed & interpres eius Balsamon huius canonis sentētiam comprobat, adductis legibus imperatorum. Interpretatur autem polygamiam vocari castigatam fornicationem, quia contracta est & circumscripta in vna muliere non ad plures effusa.

Respondetur authoritatem illorum canonum non esse vsquequaque certam, posse tamen allegatum canonem intelligi eodem modo quo canonem Neocæsariensem: fornicationem autem appellari polygamiam hyperbolicè, quomodo ardētior vxoris amator adulter à philosopho vocatur; nimirum propter affectum hominis vxorem nimis inordinatè amantis; scripturam autem non ad propositum canon allegat, cùm ibi Christus non de viro per coniugium accepto, sed de concubinario loquatur. Vnde & mulier ipsa dicebat, *Virum non habeo*, quia videlicet illum quem occultè habebat, non pro viro, id est, coniuge agnoscebat. Quæ autem de quarti matrimonij condemnatione ac nullitate Balsamon ibidem adfert ex legibus imperatorum, ea disertè per decretum Florent. Græcis etiam consentientibus reiecta sunt & improbata.

Quartum, Gregorius Nazianzenus oratione 31. tractans verba apostoli Ephes. 5. scribit: *Hac enim oratione secundas nuptias deprecari mihi videtur. Si enim duo Christi sunt, duo quoque viri sint & duæ vxores: si autem vnus Christus, vnum ecclesiæ caput, vna etiam caro sit, secunda autem respuatur. Quòd si secundam prohibeat de tertia quid dicendum? Primum lex est, secundum venia & indulgentia, tertium iniquitas: qui autem hunc numerum excedit, porcinus planè est, &c.*

Respondetur Gregorium etsi vehementiùs locutū, non aliud tamen velle, quàm apostolum deprecari, id est, dissuadere secundas & vlteriores nuptias tanquam intemperantis cuiusdam libidinis argumentum, & eò magis quòd in ijs non satis expressa retineatur significatio coniunctionis Christi cum ecclesia, scilicet vnius cum vna, & hanc dissuasionem impropriè vocat prohibitionem. Est autem in secundo matrimonio venia, & in tertio iniquitas, non ratione ipsius matrimonij secundò & tertiò repetiti, sed ratione personarum quas ferè non desiderium sobolis, sed explendæ libidinis affectus ad iterandas nuptias impellit. Quod autem Gregorius eas non simpliciter damnet; patet ex loco quem supra citauimus, vbi Nouatum eo nomine insectatur, quòd contra Pauli doctrinam adolescentioribus viduis nuptias non permittat.

Quintum, Hieronymus libro 1. contra Iouinianum cap. 8. quem locum etiam citat Gratianus 31. quæst. 1. cap. Quomodo, sic ait: *Melius est licet alterum & tertium, vnum virum nosse, quàm plurimos, id est, tolerabilius est, vni homini prostitutam esse quàm multis. Siquidem & illa Samaritana sextum se maritum habere dicens arguitur à Domino quòd non sit vir eius. Vbi enim numerus maritorum est, ibi vir qui propriè vnus est, esse desijt.* Et paulò pòst: *Quæ duos habuit viros, etiamsi anus est, & decrepita & egens, ecclesiæ stipes non meretur accipere: si autem panis illi tollitur eleemosynæ, quantò magis ille panis qui de cælo descendit, quem qui indignè comederit, reus erit violati corporis & sanguinis Christi?* & alia quę sequuntur in eandem sententiam.

Sed ad hæc à quibusdam sibi obiecta respondit ipse Hieronymus, in apologia ad Pammachium, vbi inter multa disertè protestatur ac dicit, *Non damno digamos, imò nec trigamos, etiam si dici potest octogamos: &c.* Quæ tamen verba scripserat eodem illo loco contra Iouin. non longè post obiecta, quæ & repetiuit in præfatione commentarij in Ieremiam & in epistola ad Ageruchiam. Scribens autem in Tit. 1. affirmat librum Tertulliani de monogamia in quo secundæ nuptiæ damnantur, hæreticum esse. Quare quæ ab eo dicta videntur vehementiùs, & cum exaggeratione Rethorica ab eo dicta sunt, tum ad laudem continentiæ, tum ad reprehensionem impotentis libidinis eorum qui post primum torum alias & iterum alias atque alias nuptias appetebant. Et simpliciter accipienda sunt quæ idem author scribit super caput 16. Ieremiæ dicens digamiam & trigamiam non ex lege descendere, sed ex indulgentia, ideoque concedi ne peiora fiant, & eas esse miseriarum solatia & extremam tabulam naufragorum. Huiusmodi enim verbis taxatur intemperans libido sæpe nubentium. Nam & talibus reuera nuptiæ conceduntur secundùm veniam, non secundùm legem.

Sextum, Chrysostomus homilia 32. in Matth. 19. citante etiam Gratiano, vbi suprà cap. Hac ratione, dicit secundas nuptias concedi ob incontinentiam hominum, reuera autem fornicationem esse sed honestam propter apostolicum præceptum.

Responderi posset ea per hyperbolen esse dicta, sed non opus est eò confugere, cùm facilis sit responsio, ea verba haberi in opere imperfecto quod nō est Chrysostomi, neque omnino authoris Catholici.

Septimum, verus Chrysostomus homilia 2. super illud Tit. 1. *Vnius vxoris virum*: *Nam qui*, inquit, *defunctæ vxori beneuolentiam nullam seruasse deprehenditur, quo pacto hic ecclesiæ præceptor esse optimus poterit?*

Respondeo intelligi beneuolentiam indebitam. Non enim hoc debetur coniugi, vt post eius mortem qui superstes est, aliam non ducat. Vnde nec dixit fidem vel pactum, vel aliquid tale, sed beneuolentiam.

Octauum argumentum ex eo sumitur, quod antiquo ecclesiæ ritu secundæ nuptiæ non benedicuntur. Imò prohibentur benedici, extra de secundis nuptijs, capit. Capellanum, & capit. Vir autem.

Respon-

Respondetur causam negatæ benedictionis in secundis nuptijs, non esse quod non sint veræ nuptiæ, neque quod sint illicitæ. Nam ecclesia quæ benedictionem negat, vtrumque tamen palam agnoscit, nempe nuptias esse & licitas; sed ratio est, quia benedictio cùm sit instar consecrationis, semel in primis nuptijs data non amittitur, & proinde non debet iterari, vt pontifex iam citato capit. Vir autem, declarat. Qua in re tamen notandum benedictionem hanc potissimùm respicere fœminam, vt matrimonio fœcundandam. Nam secundæ nuptiæ quibus negatur benedictio, intelliguntur ex parte fœminæ, non ex parte viri.

Postremum, digamus defectu sacramenti non potest ad sacros ordines promoueri, ergo secũdum coniugium vt verum sit coniugium, non tamen videtur esse sacramentum.

Respondetur ex ijs quæ dicta sunt ad distinctionem 27. quod quamuis multiplicatio coniugiorum non sit apta ad significationem Christi cum ecclesia, sed magis ei repugnet, quæ etiam causa est cur digami à sacris ordinibus repellantur; vnumquodque tamen coniugium seorsim sumptum, cùm sit vnius cum vna tantùm, aptè repræsentat spirituale illud connubium Christi & ecclesiæ, sicut & per vnumquodque piè susceptum gratia confertur, tanquam per verum nouæ legis sacramentum.

IN DISTINCTIONEM QVADRAGESIMAMTERTIAM.

§. 1. *Fidem resurrectionis mortuorum & propriam Christianis & cum primis difficilem esse.*

S. Thom. suppl. q. 75.

PROPRIA fides Christianorum est resurrectio mortuorum ait Augustinus sermone 4. in feria 2. paschæ. Huius ratio ex apóstolo manifesta est, 1. Corinth. 15. vbi docet sublata hac fide tanquam fundamento labefactato, inanem reddi omnem prædicationem & fidem Christianæ religionis. Christiani enim sumus non propter præsentis vitæ bona, sed futuræ: *Quod si*, inquit, *in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*. Cùm ergo omnis spes Christianorum in futurum sæculum protendatur, sanè consequens est resurrectionem mortuorum in præcipuis fidei nostræ dogmatibus habendam esse; vtpote per quam bonorum futuri seculi participes efficimur.

Sed hæc fides vt est in primis necessaria, ita difficillima semper habita fuit, quod ab humanæ rationis intelligentia quàm maximè videretur esse remota. Quis enim nisi fidei lumine diuinitus illustratus, in animum inducat fore, vt corpus mortuum in cineres redactum, atque in auras vel aquas dispersum, vel à feris laniatum, interdum etiam ab hominibus comestum: denique in alia subinde & alia eaque diuersissima corpora succedentibus alijs post alias per tot sæcula generationibus & corruptionibus transmutatum; tandem sic recolligatur, vt omnibus suis membris & partibus restitutum, pristina redeunte anima reuiuiscat, fiatque idem numero homo qui olim fuerat?

Hinc factum vt non modò philosophis ethnicis qui nihil nisi humana ratione comprehensum recipiebant, absurda & irrisione digna visa fuerit huius fidei prædicatio, quemadmodum de ijs Lucas testatur Actor. 17. sed & in populo Iudaico Sadducæorum hæresis exorta fuerit diuque permanserit quorum hunc fuisse præcipuum errorem quod resurrectionem mortuorum negarent, euangelia & apostolorum acta testantur.

Nec parum grassatus fuit hic error inter ipsa populi Christiani initia. Hinc est enim quod apóstolus 1. Corinth. 15. grauiter expostular de quibusdam, qui apud Corinthios disseminabant resurrectionem mortuorum non esse. Hinc 2. Tim. 2. queritur Hymenæum & Philætum subuertisse quorundam fidem, quod docerent *resurrectionem esse iam factam*, solam videlicet agnoscentes animorum resurrectionem à peccatis ad iustitiam. Hinc quoque Heb. 6. resurrectionem mortuorum inter ea ponit à quorum fide nonnihil deflexisse videbantur Hebræi, cùm tamen hunc articulum etiam ante Christi aduentum sibi à maioribus traditum firmiter tenere debuissent.

In hoc eodem errore versati fuisse videntur amici Iob, viri alioqui in Deum religiosi, qui ex præsenti afflictione de eius vita & meritis sic iudicabant, quasi nullum aliud esset expectandum tempus retributionis.

Manifestiùs autem in hunc errorem impegerunt cognati Tobiæ, his verbis ei plaga cæcitatis affecto improperantes. *Vbi est spes tua pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas*? Tob. 2.

Denique vix alius error æquè frequens fuit apud hæreticos, qui ecclesiam post apostolorum tẽpora primi oppugnarunt, vt videre est apud Augustinum libro de hæresibus ab hæresi septima vsque ad quadragesimamseptimam, vbi hic error negatæ resurrectionis octies aut eo ampliùs occurrit.

Eandem huius fidei difficultatem etiam hoc abunde declarat, quòd discipuli Christi resurrectionem eius & ab ipso prædictam intelligere, & factam credere difficillimè potuerunt; adeo vt quæ à mulieribus dicebantur de Christo rediuiuo & angelorum testimonio, *Visa fuerint illis deliramenta*: cumque ipsum præsentem viderent, spiritum aut phantasma potiùs quàm verum hominem esse id quod oculis obijciebatur, persuasum haberent, & sanctus Thomas crediturum se negaret, priusquam oculis & manibus suis Dominici corporis explorasset veritatẽ. Vnde & post varias apparitiones, *Incredulitatem illorum & cordis duritiem*, ascensurus in cælum Dominus *increpauit, eò quòd his qui viderant ipsum, resurrexisse non credidissent.*

Quibus postremò accedit, quod ad minuendam huius articuli difficultatem, animosque fidelium in certam spem resurrectionis erigendos noluit Deus Christi filij sui resurrectionem differri vsque in finem seculi, sicut cæterorum hominum, sed tertio post mortem die eum resuscitauit, vt & mortis eius veritas in tertium diem dilata resuscitatione probaretur, & resurrectio eius dubitantibus discipulis cõfirmata, & per illos nobis prædicata & à nobis credita, nostræ quoque futuræ resurrectionis fidem astrueret, vt infrà dicetur.

§. 2. *Animas hominum esse immortales.*

S. Thom. 1 p q. 75 art 6 & q 118 ar. 2.

PRo confirmatione fidei resurrectionis mortuorum primò omnium statui debet vt certum & firma fide tenendum, animas hominum non interire cum corporibus sed incorruptibiles atque immortales esse.

Ac primùm naturali ratione potest id multipliciter demonstrari.

Vna ratio est, quia anima humana si corrumpi potest, aut per se corrumpetur aut per accidens. Non per se, quia simplex est, nec forma constat vt parte, cuius separatione à materia sequatur eius corruptio; sed ipsa est forma quæ à seipsa separari non potest. At neque per accidens, quia anima humana est quiddam subsistens sicut angelus, & proinde non potest corrumpi tantùm ad corruptionem alterius sicut formæ aliarum rerum per se corruptibilium. Omnino ergo corrumpi non potest, vti nec angelus, sed per solam annihilationem virtute diuina deficere potest. Imò nec si composita esset, naturaliter corrumpi posset, quia corruptio non fit nisi à contrario: atqui animæ contrarium nihil est. Quo fit vt nec cælestia corpora licet composita sint, naturaliter corrumpi possint. Hanc rationem tradit sanctus Thomas 1. quæst. 75. art. 6. eamque pleniùs explicat Dominicus in hanc distinctionem art. 1.

Alia ratio: Anima immaterialis est, non eatenus tantùm quòd ex materia non constet. Nam nec aliæ formæ substantiales ex materia compositæ sunt, nec ob id tamen incorruptibiles sunt; quippe quæ per accidens corrumpuntur, vt iam diximus; sed quia non necessariò materiæ coniuncta est. Quod ex eo probatur, quia operatio eius ad percipiendas res spirituales atque immaterialea extenditur, nihil autem materiale ad intelligenda quæ ab omni materialitate remota sunt, cuiusmodi maximè est ipse Deus, pertingere potest.

Rursum alia ratio sumitur à desiderio animæ humanæ quod in perpetuum extenditur. Ex quo colligitur ipsam suapte natura perpetuam & immortalem esse. Desiderium enim sequitur cognitionem, cognitio autem perpetuitatis propria est intellectui. Vnde fit vt quidquid intellectu præditum est, naturaliter desideret semper esse. Quod naturale desiderium non potest esse inane. Hanc quoque rationem sanctus Thomas adducit.

Item alia ratio sumitur ex Dei prouidentia. Si enim aliqua est Dei circa actus humanos prouidentia, qua nimirum præmia iustis, supplicia decernantur impijs, idque constat non fieri in hac vita in qua sæpe mali prosperantur & boni affliguntur, ergo post mortem corporum supersunt animæ circa quas opus illud prouidentiæ diuinę exerceatur.

Sunt & alię rationes non contemnendæ, quas vt ab alijs copiosè tractatas & vt in re confessa & apud omnes Christianos indubitata studio breuitatis omittimus.

In hac porrò sententia tanquam rectæ rationi admodum consentanea, semper fuere philosophi saniores, præcipuè Stoici & Academici, & ante eos Pythagorici. Quod & Cicero testatum reliquit in Hortensio, dicens antiquis philosophis hisque maximis longèque clarissimis placuisse, quòd æternos

A animos ac diuinos habeamus, vt refert Augustinus libro 14 de trinit. cap. vltimo. Nec verò ab ijs dissensisse Aristotelem, quamuis aliquando dubitanter locutum, probare nituntur sanctus Thomas & alij nonnulli in scriptis Aristotelicis non indiligenter versati. Quamquam ijdem philosophi de modo quo animam putarent post mortem corporis existere, variè errauerunt, vt homines, ijque lumine fidei Christianæ destituti.

At Epicuræi quibus in voluptate corporis situm est summum bonum, vt Dei prouidentiam sustulerunt, ita animas humanas simul cum corpori-

B bus interire opinati sunt. Quorum vox est Sapientiæ 2. *Ex nihilo nati sumus & post hoc erimus, tanquam non fuerimus.* Et alia quæ sequitur. Epicuræi apud Iudæos persimiles fuere Sadducæi, qui non modò corporum resurrectionem, vt suprà dictum est, sed & animarum immortalitatem negarunt, id quod satis indicat Lucas Actor. 23. dicens eos negasse angelú, negasse quoque spiritum, id est, animam post corporis mortem superesse.

Contra hunc errorem differit Christus Matth. 22. ex Moyse, proferens illud Exod. 3. *Ego sum Deus Abraham, &c.* Per hoc enim vel immediatè proba-

C tur animarum immortalitas, quia *Deus non est mortuorum Deus sed viuentium*, vt ibidem Christus tanquam manifestum assumit: non esset autem viuentium sed mortuorum Deus, si sancti illi patriarchæ quorum se Deum vocat, non tantùm corpore sed etiam spiritu perijssent. Vel vt alij malunt, immediatè probatur hominum mortuorum resurrectio. Nam licèt Abraham, Isaac & Iacob iam non sint, quia homines esse desierunt, non tamen Deus qui viuorum Deus est, non mortuorum, se illorum Deum vocaret, nisi essent iterum victuri, & quidem

D in perpetuum cùm dicat: *Hoc mihi nomen est in æternum.* Vnde consequenter infertur animas manere, quia si resurgent ijdem homines, ergo eædem animæ suis iterum corporibus vnientur. Permanent ergo post mortem corporum, nisi quis dicat eas perire iterum producendas in esse, id est, denuò creandas easdem numero, quod est creditu difficilius, quàm si permanere dicantur.

Item apostolus 1. Corinth. 15. contra eos qui resurrectionem corporum in dubium reuocabant, non ea tantùm profert quibus ostendat homines mortuos aliquando resurrecturos, sed & ea quæ

E probent hominem saltem secūdùm animam superesse post mortem, quale est illud: *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, &c.* Et illud: *Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt.* Eodem pertinent quæ de fide antiquorum patrum differit in epistola ad Heb. cap. 11. Et manifesta est Christi sententia Matth. 10. *Non timendos eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Nam quòd nec Deus animam occidat, id est, non esse faciat, (licèt id sine dubio possit) ostendit quod sequitur: *Timere eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*, id est,

F æternis cruciatibus addicere.

Ioannes quoque in Apoc. cap. 6. *Vidit subtus altare animas interfectorum, quibus datæ sunt stolæ albæ, donec compleantur conserui eorum*; Et ca. 20. *regnare eas* dicit *cum Christo mille annis*, id est, toto decursu seculi, ante communem omnium resurrectionem.

Et Ecclesiastes vltimo capit. de morte hominis loquens: *Antequam*, inquit, *reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

His adde historias sacras de Samuele 1. Regum 28. & Ecclesiastici 46. de Onia & Ieremia, 2. Ma-

chab.

A cuo vltimo, de Moyse Matth. 17. & euangelicam Christi narrationem de Abraham, diuite epulone & Lazaro, Luc. 16. & exempla resuscitationis mortuorum tam in veteri testamento quàm in nouo, quorum animæ non dicuntur resuscitatæ vel iterum productæ, sed è locis Deo cognitis ad sua corpora reuocatæ. Sic enim orat Elias 3. Regum 17. *Reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius.* Quam & statim reuersam esse scriptura subiungit.

B Præterea fidem hanc immortalitatis animarum nobis insinuat symbolum apostolicum in illo articulo: *carnis resurrectionem.* Nam ideo caro nominatur, vt significetur non totum hominem mori aliquando resurrecturum, sed carnem seu corpus solum, animam verò, quod morti non sit obnoxia, nõ morituram, sed permanere ac viuere, & ad animandum corpus reuersuram esse.

Denique fidem hanc astruunt quæcunque probant iudicium particulare animę è corpore egressę siue in bonum, siue in malum; quale est quod de diuite & mendico modò diximus. Et illud Ecclesiastici 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas*, Et illud Philipp. 1. *Cupio dissolui & esse cum Christo*, Et 2. Corinth. 5. *Voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum*, Et alia huiusmodi multa, tum in Apocal. tum alibi.

C Est autem tanti momenti hæc fides de animæ vita post corporis mortem, vt dicat sanctus Augustinus libro de vtilitate credendi cap. 7. animæ causa omnem religionem esse; scilicet vt per eam anima vitam beatam consequatur. Vnde iam olim inter philosophos ijdem religionem è medio sustulerunt, qui animas mortales esse dixerunt. Et vt religio aliqua sine fide immortalitatis animarum cogitetur, certe religio Christiana nulla sine ea fide fingi potest, cùm scopus vniuersæ scripturæ sacræ & aduentus Christi & totius religionis nostræ sit, hominem ad statum perpetuæ beatitudinis perducere, qui status esse non potest sine perpetua vita animæ.

D Ex his autem quæ diximus, non modò refutatur illorum error qui animas humanas prorsus & in perpetuum perire putauerunt, verùm eorum quoque qui eas interire ad tempus, videlicet vnà cum corporibus in die iudicij resuscitandas opinati fuere. Quem errorem tradidit Tatianus vetustus scriptor Iustini martyris discipulus, sed idem hæreticus in oratione contra Græcos quę adhuc hodie extat. E Eum postea secuti sunt Arabici quidam, vt eos vocat sanctus Augustinus hæresi 83. quibus eundem errorem authore Eusebio ascribit. Quos tamen doctissima Origenis disputatione celerrimè correctos fuisse refert idem Eusebius libr. 6. cap. 30. suę historiæ. Quanquam & Mahometus Arabs eundẽ errorem postea suo inseruit Alcorano, docens non tantùm corpora sed & animas ad extremum iudicium esse resurrecturas, Azoara 88. nec vsquam alibi meminit status animarum separatarum, videlicet F toto suo Alcorano nihil nisi corporeas sensibilesque voluptates ac pœnas somnians. Et quid mirum, cùm alibi dicat omnia peritura præter vnum Deum, etiam angelos, & tandem omnia resuscitanda.

Huic autem non dissimilem errorem innexerunt hodiè Anabaptistę, docentes animas mortuorum nullam omnino retributionem percipere ante diem vniuersalis iudicij, sed quodam velut sopore oppressas in tumo sepultas quiescere vsque ad illud tempus quo suis rursum corporibus vnietur. Quod illi hausisse videntur ex Aristotelica philosophia, quæ tradere videtur animæ separatę nullam esse operationem. Sed hanc licèt nouam hęresim omnia ferè supradicta refellunt, præcipuè tamen ea quæ probãt particulare iudicium animę, sicut & ea quæ de varijs animarum post mortem receptaculis ad dist. 45. dicturi sumus.

§. 5. *Respondetur ad argumenta quædam in contrarium.*

AD ea nunc respondendum quæ contra solent obijci. *S. Thom. locus superius allegatus*

Sunt autem huiusmodi.

Primum: Solus Deus habet immortalitatem, teste apostolo 1. Timoth. 6. ergo non est animæ tribuenda.

Secundum: Ecclesiastes 3. cap. *Vnus*, inquit, *interitus est hominum & iumentorum, & æqua vtriusque conditio*, Et iterum: *Nihil habet homo iumento amplius.* C Et ne quis suspicetur de sola conditione corporum Sapientem loqui, subiungit expressè de anima. *Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum?* quasi dicat, nec secundùm spiritum, id est, animam plus aliquid tribuendum esse homini quàm bestijs.

Tertium: Naturale est animæ sicut cæteris formis substantialibus, vt vnum cum corpore constituat; cõtra naturam verò, vt separata à corpore substat: ergo naturale ei est extincto corpore non subsistere, sed pariter extingui.

Quartũ: Anima est patibilis, ergo mortalis, passio D enim ad corruptionem disponit.

Quintum: Sensus crescit in pueris, vigor in viris, in senibus minuitur ac deficit: ergo similiter se videtur anima habere quæ est sentiendi principiũ.

Sextum: In sexta synodo vniuersali, quæ est tertia Constantinopolitana, lecta & probata fuit epistola Sophronij patriarchę Hierosolymitani, in qua dicitur quòd intellectualia & inuisibilia licèt sensibilibus sint meliora, non tamen sunt immortalia per naturam, neq; in essentiam incorruptibilẽ transeunt, sed quod gratiam eis largitus est Deus, à corruptione ea & à morte coërcentem. Sic, inquit, hominem animæ permanent incorruptæ, sic angeli immortales perseuerant, non naturam reuera incorruptam proptièque immortalem habẽtes essen- E tiam, sed gratiam à Deo sortiti sunt, quę immortalitatem largitur & incorruptionem eis prouidet. Ex quibus verbis saltem ostenditur animas humanas non esse per naturam immortales.

Postremum: Anima à corpore separata nullam habet operationem: Non enim intelligit sine phantasmate, phantasma autem non est sine corpore; ergo à corpore separata anima non subsistit, frustrà enim res ponitur esse sine operatione.

His ita breuiter respõdemus. Ac de primo qui- F dem, immortalitatis nomine quę soli Deo tribuitur, intelligi omnimodam incommutabilitatem, quomodo eam exponunt Augustinus sermone 13. inter Parisienses cap. 3. & 4. & Bernardus sermone 81. super Cant. ambo disserentes de animæ immortalitate, & hanc ex apostolo obiectionem soluentes. Rectè enim mutabilitas omnis vocatur mortalitas, quia omnis mutatio mors quędam est; pręsertim si sit mutatio in deterius, est enim formæ alicuius amissio. At hîc animam immortalem dicimus, quia secundùm essentiam suam corrumpi non potest.

Alij respondent solum Deum habere immortalitatem ex se, qua essentialiter vita est, quomodo solus Deus bonus est.

Ad secundum, Priora verba Ecclesiastæ referenda sunt ad conditionem corporum. Sequitur enim: *De terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur*. Nec aliud vult Salomon quàm quod pater eius psalmo 48. dicens: *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*; nimirum per peccatum incurrendo mortem corporis. Verbis autem sequentibus: *Quis nouit, &c.* non negat immortalitatem spirituum, sed significat [B] adeo infœlicem esse hominis statum, vt ferè nesciant homines sintne ipsorum animæ post hanc vitam superstites, an verò quemadmodum spiritus iumentorum decidant cum corpore in terram, id est intereant, vt hic sit verborum sensus: Quotusquisque est hominum qui nouerit an spiritus filiorum Adam supersint post hanc vitā &c. Atque hūc sensum tradit Hieronymus in commentario. Quid autem ipse Sapiens senserit, aperit perspicuè capit. vltimo cùm dicit, *Spiritum hominis redire ad Deum*, id est, sursum ascendere; videlicet à Deo iudicandum, eiusque tribunali sistendum. Vnde & retributionis post hanc vitam futuræ ibidem in fine capitis meminit. [C]

Ad tertium, est quidem contra naturam animæ intellectualis sicut & aliarum formarū, vt à corpore separentur. Quod autem separata non intereat, sed subsistat, id habet ex sua natura, inquantum est substantia intellectualis, immaterialis, & incorporea. Non igitur naturæ eius repugnat subsistentia, etiam præsupposita separatione, sed repugnat ipsa separatio.

Ad quartum: Anima non est patibilis passione corruptiua, qualis est passio quæ per sensus accipitur, sed ea tantùm passione quæ in intellectum vel [D] voluntatem recipitur, siue bona sit siue mala. Neutra enim corruptiua est, licèt altera bene, altera malè animam afficiat. Paulo aliter soluit hoc argumentum Lactantius libro 7. diuinar. institut. capit. 21.

Quintum argumentum rectè concluderet, si anima humana esset materialis instar aliarum formarum, aut si præter sensum non haberet alias potentias. Cùm autem intellectiua sit anima, intellectus autem non sit potentia organica sicut sensus, rectè quidem ostenditur illo argumento sensum [E] tandem interire, non tamen ipsam animam, vt cui integra maneat vis intellectiua. Vnde & Aristoteles libro 3. de anima capite 4 solutionem indicat huius argumenti cùm dicit, intellectum ad vehemens intelligibile non corrumpi, sed etiam meliùs se habere, contrà quàm sensus, qui à vehementi sensibili corrumpitur.

Ad sextum, Non aliud eo loco significari videtur, quàm animas humanas & angelos non ita esse per natura immortales & incorruptibiles quomodo Deus, sed tales esse per gratiam, id est, ex benefi- [F] cio Dei à quo naturam immortalem & incorruptibilem acceperunt. Quod si gratiam author ille reuera opponit principijs naturæ eiusque; tum ea parte non est recipienda eius epistolæ authoritas, vti nec per omnia à synodo approbata legitur, sed tantùm qua parte differit contra quosdam errores Origenis.

Ad postremum respondetur cum sanct. Thoma 1. quæst. 75. art. 6. ad tertium quod intelligere cum phantasmate est propria operatio animæ secundum quod corpori est vnita. Nam separata à corpore habet alium intelligendi modum similem alijs substantijs à corpore separatis. De quo modo videatur ibidem sanctus Thomas quæst. 89. art. 1. & sequentibus.

§. 4. *Futuram esse aliquando mortuorum resurrectionem.*

Resurrectio mortuorum quam fides Christiana confitetur, ideo carnis aut corporum resurrectio interdum appellatur, quia cùm homines secundùm animam sint immortales, ac proinde non moriantur nisi secundùm corpus, quod synecdochicè etiam caro vocatur; similiter nec resurgere dicuntur nisi secundùm corpus, quod nimirum ceciderat & vita, id est, anima priuatum fuerat. *S. Thom. suppl. q. 75. ar. 1.*

Vocatur etiam regeneratio Matth. 19. quia qui semel per naturalem generationem acceperat esse humanū, idque per mortem amiserat, idem esse recipit per resurrectionem tanquam per alteram generationem sed supernaturalem. Vnde nec naturali ratione, id est, ex physicis principijs ducta probari potest mortuorum resurrectio, neque quòd futura sit, neque quòd possibilis, cùm facultatem naturæ longè superet. Præsupposita tamen Dei omnipotentia facile ostenditur eius possibilitas.

Ostendit autem eam Durandus hoc modo: Post mortem hominis superest quæ potest vtrumque vnire, anima, superest etiam materia, & præterea causa, scilicet Deus; ergo poterit fieri reunitio earundem partium, scilicet animæ & materiæ ad idem totum constituendū. Quæ ratio licèt vera assumat & validè cōcludat, non tamen probat resurrectionem possibilem fore, si anima & materia post mortem hominis interirent. Id autem rectè & sufficienter probatur ex sola Dei potentia; quæ cùm sit infinitæ virtutis, ideoque in agendo ex nulla alia causa dependeat, potest animam & materiam ad eundem hominem constituendum ita reproducere, sicut vtramque antea de nihilo produxerat. Neque enim ea res vllam implicat contradictionem ac multò minùs, si (quod rei veritas habet, & Durandi argumentum assumit,) partes substantiales hominis, anima & materia non pereant, sed in rerum natura permaneant, sic enim ad resurrectionem iam non aliud requiritur, quàm vt tota materia quæ huius fuerat hominis, recolligatur & compingatur in eandem figuram membrorum quam aliquando habuit, eique anima pristina vt forma reuniatur; quod totum Deo possibile esse non est difficile creditu ijs qui Dei omnipotentiam attendunt.

Quod autē id etiam futurum sit, fieriq; debeat, ex ipsius animæ conditione & beatitudine ratiocinando colligere licet. Rationalis enim anima actus est corporis organici, qui proinde naturaliter est in corpore, & præter naturā extra corpus, vtpote naturalem semper inclinationem habens ad corpus cuius est actus. Vnde Augustinus lib. 12. de Gen. de lit. cap. 35. dicit animæ inesse naturalem appetitum corporis administrandi &c. Ex quo consequens est non omni modo bene esse animæ quamdiu est à corpore separata. Atqui religionis finis est consummata beatitudo animæ; Quare vt eam anima aliquando assequatur, oportet vt rursum corpori à quo per mortem diuulsa est, societur.

Idem postulat ratio retributionis præmiorum & suppliciorum. Si enim anima non sine corpore sustinuit dolores, & persecutiones pro iustitia, alia-

que bona opera fecit, iustum est vt nec sine corpore perfectam accipiat remunerationem: & si non sine corpore peccauit, iustum est vt nec sine corpore in æternum puniatur: & si totus homo meruit vel gloriam vel pœnam, iniquum videtur si non totus quod meruit, accipiat. Atque huc respexisse videtur apostolus Hebr. 11. quando dixit antiquos patres mortuos fuisse nondum acceptis repromissionibus, *Vt non sine nobis consummarentur*; quia videlicet consummatio non fit sine corpore.

Sciendum autem has duas rationes non esse merè naturales, sed ambas ductas ex principijs Christianæ religionis, quarum prior tamen physicam propositionem assumit, sicut & posterior iustitiæ æ morali congruit.

Porrò certissima huius doctrinæ probatio ex authoritate diuina petenda est, primùm veteris, deinde noui testamenti.

Ex veteri testamento illud est quod ait Dominus ad Moysen Exod. 3. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*, quod ibidem infrà repetit addens: *Hoc nomen mihi est in æternum*. Qua sententia Christus in euangelio Matth. 22. Marc. 12. & Luc. 20. Sadducæos conuincit erroris, & syllogisticè concludit resurrectionem mortuorum, simul assumpta hac propositione. *Non est Deus mortuorum sed viuentium*. Inde enim sequitur Abraham, Isaac & Iacob adhuc viuere, non quidem in præsenti, quia reuera iam mortui sunt, sed saltem in futuro, videlicet aliquando ad vitam resuscitandos. Hoc est enim quod addit Lucas, *Omnes enim viuunt ei*, quasi dicat, quamuis mortui sint, Deo facilè est eos ad vitam reuocare.

Neque verò sufficit sententiam intelligere de vita secundùm animam à morte superstitem, tum quia eo modo non probaretur directè mortuorum resurrectio, sed tantùm animarum immortalitas, vt suprà diximus, cùm tamen apud tres euangelistas testetur Dominus illud dictū esse de resurrectione mortuorum; tum quia nō ait, ego sum Deus animę Abraham, &c. sed ipsorum hominum qui ex anima & corpore constant, tum denique quia perfecta vita victuros eos aliquando vult ijs verbis Dominus ostendere, sicut olim perfecta vita vixerunt; viuorum igitur Deus est, id est, perfecta vita viuentium vel in re vel certa expectatione. Non autem mortuorum nisi quatenus & illi perfecta vita aliquando victuri sunt. Nam alioqui vsque in æternum maneret aliquo modo Deus mortuorum, id est, eorum quorum adhuc corpora essent in morte.

Expressius autem de resurrectione testimonium habemus apud Iob. 19. dicentem: *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, &c.* Et Dan. 12. *Multi de his qui dormiunt in terra puluere euigilabunt, &c.*

Hanc eandem fuisse suam fidem declarauit Tobias dicens: *Filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, &c.* Tob. 2. Et quia non multò post reditum è captiuitate Babylonica pullulare cepit apud Iudæos hæresis Sadducæorum, inde sit vt libri per ea tempora scripti, ad eam hæresim redarguendam, apertiùs omnino ac frequentiùs meminerint resurrectionis mortuorum. Vnde sicut error impiorum Sadducæorum introducitur à Sapiente cap. 2. ita è contrario 3. & 5. capitibus describitur piorum post resurrectionem felicitas. Item libr. 2. Machab. cap. 6. Eleazarus martyr hanc suam fidem moriturus indicauit, quādo dixit manum omnipotentis nec viuum nec defunctum effugere posse. Effugeret enim homo defunctus, si nunquam esset resuscitandus. Et capit. 7. inter septem illos fratres martyres hi qui secundo, tertio, quarto & septimo loco interfecti sunt, vt & ipsa eorum mater disertè admodum fidem resurrectionis mortuorum professi sunt, & capit. 14. Razias Iudæorum pater appellatus in ea fide se mori similiter profitetur. In capit. autem 12. vbi factum Iudæ commemoratur iubentis sacrificium offerri pro mortuis, scribit author bene & religiosè de resurrectione Iudam cogitasse: *Nisi enim, inquit, eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis.*

His adde loca Psal. 1. Ecclesiastæ 12. Ecclesiastici 11. Ezech. 37. & Isa. 26. vbi secundùm 70. sic legitur: *Surgent mortui, & resurgent qui sunt in monumentis*, vbi nos legimus ex Hebræo: *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent.*

Ex scriptura verò noui testamenti sententias colligere superfluum est, cùm sint passim obuiæ, & imprimis notissima illa & tribus euangelijs consignata disputatio Christi contra Sadducæos de resurrectione.

Præter eam verò præcipua sunt hæc loca, Matthæi 25. Ioan. 5. 1. Corinth. 15. 1. Thess. 4. Apocal. 20. & 2. Timoth. 2. vbi: *Hymenæus & Philætus dicentes resurrectionem esse iam factam*, id est, corporum resurrectionem in fine seculi futuram negantes, *dicuntur à veritate excidisse, & quorundam fidem subuertisse*. Quibus omnibus accedit expressus articulus symboli apostolici, *Carnis resurrectionem*, & symboli Constantinopolitani: *Expecto resurrectionem mortuorum.*

Denique fidem hanc planè exigit reparationis nostræ mysterium. Si enim Adam immortalis à Deo creatus vtramque mortem tam animæ quàm corporis per suam præuaricationē inuexit in genus humanum; consequens est per Christum nostri generis instauratorem vtramque mortem abolitum iri, quod non fit nisi beata iustorum resurrectione. Quo argumento Paulus vtitur 1. Corinth. 15. dicens: *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Vnde & Christus vt totum hominem repararet, totum hominem assumpsit, & totum hominem in seipso per resurrectionem glorificauit.

Ex qua eius resurrectione tanquam exemplari nostræ resurrectionis argumentum sumit ibidem apostolus, dicens: *Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit*, Et infrà: *Nunc autem Christus resurrexit, primitiæ dormientium. Nam quò præcessit caput*, vt ait Leo sermon. 1. de ascensione Domini, *illuc spes vocatur & corporis.* Eandem ob causam, *primogenitus ex mortuis*, Christus vocatur Apocal. 1. & Coloss. 1. Quam vtramque scripturam accuratè tractans sanctus Ambrosius in libro de fide resurrectionis ostendit præcipuam ac pene solam resurgendi causam Christo fuisse, vt nobis certam spem resurrectionis ostenderet.

Quin & huius fidei confirmandæ causa tempore vtriusque legis à Christo & apostolis & prophetis mortui resuscitati fuerunt, qui quamuis redierint ad vitam mortalem, per eos tamen euidenter ostensum est neque animas post mortem interire, & eas Dei virtute suis corporibus iterum posse coniungi. In quibus proinde veræ ac propriè dictæ resurrectionis exempla præcesserunt.

competit illis qui in vteris matris, priusquam prodeant, extinguuntur. Nam regenerari seu renasci non possunt qui non priùs nati fuerint.

At verò his non obstantibus indubitata fide tenendum est omnes mortuos tam malos quàm bonos, & quidem nemine mortuorum excepto, resuscitandos ad vitam corporis; nisi qui iam resuscitati sunt ad vitam beatam, vt illi de quibus Matthæi 27. & beata Deipara, vt communis est fidelium opinio, & secundum quosdam Ioannes euangelista. Sic enim sentiunt sanctus Thomas in hanc distinctionem 4. articul. & in eandem alij nonnulli, & Thomæ synchronos Cantipratensis lib. de apibus cap. 53. part. 1. & ante hos [illegible] author sermonis de assumptione beatæ Mariæ apud Hieronymum, & narrat Nicephorus lib. 2. hist. eccles. cap. 42. Vide etiam sermonem Ambrosij de sanctis martyribus, & Baroniũ in martyrologio Decemb. 27. & in annal. tom. 2. anno 101. vide etiam [illegible] ad distinctionem 47. de Ioanne. Ratio doctrinæ [illegible] secundum sacras literas, quia ad hoc futura [illegible] surrectio, vt omnes iudicentur, & *[illegible] prout gessit in corpore siue bonum siue malum* 2. Corinth. 5. Quare cùm iudicium & retributio sit omnium, erit & omnium resurrectio.

Quam doctrinam scriptura apertissimè tradit. Nam Matth. 25. *Omnes gentes congregabuntur ante filium hominis venientem ad iudicium & [illegible] separabuntur boni à malis, sicut pastor segregat oues ab hœdis.* Sic Iuan. 5. *Venit hora*, ait Dominus, *in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt &c.* Similiter Apoc. 20. omnium mortuorum tam malorum quàm bonorum resurrectio & iudicium & retributio futura describitur.

Et Paulus 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*; tametsi dubitari potest num locus ille etiam ad malos pertineat. De qua re infrà dicemus. Sed idẽ manifestè de bonis & malis loquitur Rom. 14. & 2. Corinth. 5. dicens quod *Omnes stabimus ante tribunal Christi, quisque pro se rationem ei redditurus*, & Act. 24. in defensione sua apud præsidem Felicem: *Spem habens*, inquit, *quam & hi ipsi exspectant resurrectionem futuram iustorum & iniquorum.* Vbi nota Paulis tempore etiam Iudæos, quamuis in Christum non credentes habuisse fidem resurrectionis non tantum iustorum sed etiam iniquorum.

Manifestum est etiam de bonis & malis testimonium Danielis cap. 12. cùm dicit: *Ex ijs qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alios in vitam æternam, alios in opprobrium.* Et Sap. 5. vbi tam impiorum infelicitas quàm iustorum felicitas post resurrectionem futura describitur.

Hanc fidem profitetur ecclesia in symbolo Athanasij, in quo de Christo iudicaturo viuos & mortuos dicitur. *Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de proprijs factis rationem &c.* Quæ cùm perpetua sit & constantissima totius ecclesiæ fides, omnium patrum scriptis consignata omniumque fidelium consensu comprobata, nihil est opus ad eius confirmationem plura testimonia coacernare.

Rectar igitur vt ad ea quæ in contrarium allata fuerunt, respondeatur.

Vbi primũ generaliter pro responsione notãdum est, quod sicut vita, licet vocabulum sit mediũ atque indifferẽs ad bonam vitã & malã, ad beatam & miserã, aliquando tamen in bono tantùm accipitur, vt solam bonam, beatam & optabilem vitam significet, quomodo dictum est à Poëta: *Non est viuere sed valere vita*, & ab alio: *Viuamus mea lesbia*, quomodo etiam in symbolo confitemur nos credere *Vitam æternam*, sic & resurrectio apud authores sacros sæpe tantùm in bono intelligitur, vt eam significet resurrectionem, qua resurgitur ad vitam beatam. Igitur quo sensu fatemur impios non habituros vitam æternam, eodem fatendum est eos non resurrecturos, cùm resurrectio non sit nisi ad vitam; hoc inquam sensu, quia resurrectio impiorum non erit ad vitam beatam sed miseram, quæ mors potiùs dicenda sit quàm vita, quam & scriptura Apocal. 20. *Mortem secundam* appellat.

Adde quòd resurrectio ad vitam ea propriè dicitur, qua mors reuera superatur, succedente nimirum vita quæ sit morte optabilior, qualis non est impiorum resurrectio, quorum animæ ad hoc recipient sua corpora, vt grauiùs puniantur, meliusque illis esset omnino, non resurgere quàm ad eiusmodi statum resurgere. Hinc igitur fit vt scriptura de impijs sic loquatur, quasi non sint vnquam reuocandi ad vitam; videlicet beatam & optabilem vitam intelligens, quamque meritò tanquam magnum bonum homines sperare debeant. Quomodo intelligenda sunt ferè omnia quæ ex scripturis in contrarium sunt allata, id quod ipsæ locorum circumstantiæ satis indicant: Vnde & martyr ille Machabæus non absolutè dixit impium tyrannum non resurrecturum, sed addidit *Ad vitam*, quasi sit quædam resurrectio ad mortem impijs propria.

Ad tertium respondetur hunc esse illius versiculi sensum iuxta Hebraicam veritatem: Impij non stabunt nec se erigere poterunt in iudicio Dei, sed causa cadent & condemnabuntur.

Circa septimum quoque & octauum sciendum est Christum & apostolum ideo vsos fuisse argumentis quæ solam probare viderentur iustorum resurrectionem, quia quæstio potissimùm vertebatur de beata resurrectione, in qua iusti exspectabunt suorum laborum mercedem, & participationem regni in Christo, & talem resurrectionem prophetæ & apostoli alijque sancti, vt Tobias & Machabæi sibi spetabant atque alijs fidelibus promittebant, vt eos in mortalitate & miserijs huius vitę tali exspectatione consolarentur. Nam spes & promissio non nisi bonorum est.

Ad nonum respondetur, sicut qui è carcere ducitur ad mortem, non dicitur liberari è carcere, quia liberatio beneficium sonat; ita qui à morte suscitatur ad vitam vt sic in corpore & anima puniatur, non cẽsetur à morte liberari, sed manet in morte, imò de morte transit ad mortem, eamque priori morte deteriorem. Quamquam sententia dicta primo parenti non hoc habebat, quòd homo in morte esset perpetuò mansurus, sed quòd morte moriturus, quod quidem impletur per mortem corporis, siue resurrectio sequatur siue non.

Ad decimum: Lactantius negat impios resurrecturos (quomodo scriptura loquitur) ad beatam immortalitatem; vel certè resurrecturos resurrectione prima, de qua ibi loquitur. Quod enim absolutè resurrecturos non neget, clarum est ex præcedentibus, vbi dixit eos resumpturos corpora, quæ igne nunquam absumentur.

Ad vndecimum respondet Augustinus lib. 20. de ciuit. Dei cap. 23. more scripturæ multos poni pro omnibus, idque exemplo ex Genesi sumpto probat. Aliud exemplum est Roman. 5. vbi apostolus modò multos, modò omnes dicit ex vnius delicto constitui peccatores.

Si quæras quare multos dixerit & non omnes,

 respon-

A respondere potest prophetam ea voce voluisse significare immensam multitudinem resurgentium, vt quæ comprehensura sit omnes homines, quotquot vnquam fuerunt aut futuri sunt.

Ad vltimum respondetur duplicem esse natiuitatem, scilicet in vtero, & ex vtero. De illa dictum est Matthæi 1. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*: De ista Lucæ 1. *Quod nascetur ex te sanctum, &c.* Quamuis ergo infantes qui in vteris matrum moriuntur, non fuerint nati ex vtero, nati tamen sunt in vtero, ita vt per veram generationem acceperint esse humanum; & sic competere eis potest regeneratio, vt generaliter pro resurrectione sumatur, tametsi fortè B regenerationis nomen Christus Matth. 19. tantùm in bonam partem acceperit.

§. 7. *An omnes omnino homines morituri.*

S. Thom. suppl. q. 78. ar. 1.

IAm probatum quidem est omnes omnino mortuos esse resurrecturos, sed nondum liquet an omnes homines resurrecturi sint. Cùm enim resurrectio non sit nisi mortuorum, dicere non possumus omnes homines resurrecturos, nisi etiam constiterit omnes morituros.

Quæritur ergo, Vtrùm hi soli qui ante iudicis aduentum mortui fuerint, sint resuscitandi, cæteri verò quos dies ille viuos repperiet, sine morte sint ad immortalitatem trãsituri; an verò & isti sub aduentum iudicis subitò morientes, subitò vitam sint recepturi. Quæ quæstio nõ parum habet difficultatis, siue scripturas siue patrum sententias consulamus.

Quod enim non omnes morituri sint, doceri posse videtur his argumentis.

Primò, quia 1. Corinth. 15. vbi nos legimus: *Omnes quidẽ resurgemus, sed nõ omnes immutabimur*, Græci codices sic habent: *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur*, Cuius lectionis authoritatem secuti Græci interpretes, Origenes contra Celsum lib. 2. Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius & alij in commentarijs sentiunt & docent eos qui tunc viui reperientur non morituros, sed sine morte de vita mortali ad immortalem transituros. Testatur hoc idem apertis verbis Hieronymus in epistola ad Marcellam numero 148. de quatuor quæstionibus. Dicit enim quod sancti qui in aduentu saluatoris fuerint deprehensi in corpore, in ijsdem corporibus occurrent ei, ita tamen vt inglorium & corruptiuũ & mortale gloria & incorruptione & immortalitate mutetur, vt qualia corpora mortuorũ surrectura sint, in talem substantiam etiam viuorũ corpora trãsformentur & interposito apostoli testimonio 2. Cor. 5. addit. *Ne scilicet corpus ab anima deseratur, sed anima habitans in corpore fiat inclytum quod antè inclorium fuit.* Sic ille: Quã sententiã etiam sequi videtur commentator Paulinus apud Ambrosium super eundem apostoli locum. Quod autem Græca lectio sit amplectenda vt vera ac germana, probabile fit ex eo, quia toto illo capite solùm de beata resurrectione agit apostolus, ea nimirum quam iusti pro præmio iustitiæ & laborum exspectant. Quare magis consentaneum fuerit legendum esse, quomodo Græci legunt: *Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur*, quàm quomodo Latini: *Omnes resurgemus sed non omnes immutabimur*. Quia Latinorum hæc lectio malos necessariò comprehenderet, qui resurgent quidem sed non immutabuntur. Vt interim omittam quod in prima persona loquens apostolus non videtur malos sed tantùm bonos comprehendere voluisse.

Neque obstat illud: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*, quasi malorum etiam resurrectio fuerit his verbis comprehensa. Nam responderi potest ea sententia tantùm significatum esse, quòd sicut omnes homines qui pertinẽt ad Adam, per eum moriuntur, ita omnes qui pertinent ad Christum, per ipsum viuificabuntur, Qui quidem soli sunt boni.

Magis autem confirmat hanc lectionem quod ibidem subiungitur: *Mortui resurgent incorrupti & nos immutabimur*. B Vbi de beata incorruptione loqui apostolum patet ex sequentibus, & sensus hic esse videtur: Qui antè mortui fuerint, resurgent ad beatam incorruptionem. At nos qui viui reperiemur, non resurgemus quidem, quia resurrectio est mortuorum, sed tamen immutabimur in eundem statum cum ijs qui resurrexerint; quia oportet etiam in nobis quamuis non morituris, *Corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem; vt sic quod mortale est, absorbeatur à vita*, quemadmodum dicitur 2. Cor. 5.

C Secundus locus est apud eundem apostolum 1. Thess. 4. vbi cùm dixisset: *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi*, adiecit: *Deinde nos qui viuimus: qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra*. Quibus verbis significare videtur in aduentu iudicis, mortuos qui in Christo obdormierint, primũ resurrecturos, deinde eos iustos qui viui reperientur simul cum illis à morte resuscitatis assumendos in gloriosam societatem & regnum Christi. Loquitur autem ipse in persona eorum qui tunc viui reperientur, idque propter incertitudinẽ temporis futuri iudicij: vel quia conueniens erat vt viuens in viuentium persona loqueretur. Et D hunc etiam illius loci sensum in Græcorum commentarijs videre est.

Tertiò. Scripturæ testantur Christum iudicaturum viuos & mortuos Act. 10. 2. Tim. 4. & 1. Petri 4. Idem habetur in symbolo apostolico, Constantinopolitano & Athanasij. Quam locutionem rursus in eandem sententiam Græci interpretãtur.

Quartò. Heb. 11. dicitur *Enoch translatus esse ne videret mortem*, & idem iudicium de Elia. Vnde Hieronymus in epistola ad Mineruium & Al. dicit nos credere Enoch & Eliam sine morte raptos in vitam futuram mutatis & glorificatis corporibus, & lib. 2. E contra Iouin. dicit Eliam immortalem factum priusquam moreretur.

Quintò, Quod etiam de malis qui viui reperientur, simile quid futurum sit, argumentum peti potest ex Num. 16. vbi Dathan & Abiron cum suis viui in infernum descendisse perhibentur, & ex Apoc. 19. vbi de bestia & pseudoprophetа, id est, de Antichristo & prophetis eius dicitur: *Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis*: Cæteri autem dicuntur occisi. Sic & Dauid quibusdam imprecatur Psal. 54. *Vt descendant in infernum viuentes.*

F Sextò Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis ca. 31. *Hoc*, inquit, *quibusdam in fine largietur, vt mortem istam repentina commutatione non sentiant, sed simul cum resurgentibus rapiantur in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino viuant, & rectè illis, quia non erunt sine morte, &c.* Idem li. 20. de ciuit. c. 15. tractans locum Apoc. 20. per mortuos quos exhibuit mare, intelligit homines huius seculi qui nondum obierunt: *Hos*, inquit, *mare exhibuit, quia sicut inuenti sunt, affuerunt: Mors verò & infernus reddiderunt quos in se habebant quoniam vita de qua iam exierant, reuocauerunt.*

ntenti, & libr. ad Dulcitium q. 3. fatetur se aliquando ita sensisse, quòd illi de quibus Paulus 1. Cor. 15. A & 1. Thess. 4. non sint morituri. Eadem sententia est Victorini antiqui scriptoris super Apoc.

Porrò diuersam sententiam nihilom nus probabilem faciunt alia non pauca scripturæ testimonia, quæ à mortis necessitate nem nem mortalium excipiunt, vt non eam aliquando sit obiturus, vt Psalm. 88. *Quis est homo qui viuet & non videbit mortem*, 3. Reg. 14. *Omnes morimur & quasi aqua dilabimur in terram*. Ecclesiastici 8. *Sciens quoniam omnes morimur & in gaudium nolumus venire*. Iob 30. *Scio quia mortis trades me, vbi constituta est domus omni viuenti*. Hebr. 9. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium*. Eiusmodi sententiæ generales passim B quoque leguntur apud patres, vt Hilarium in Psalm. 68. & 69. Theophylactum in vltim. Ioannis, &c.

Secundò id probant scripturæ, quæ mortis necessitatem peccato originali asscribunt. Quod cùm sit omnibus commune, mortem etiam omnibus communem fore conuincitur. Vnde est illa vniuersalis maledictio, Genes. 3. *Terra es & in terram ibis*. Cuius maledictionis generalitatem exponit apostolus Roman. 5. dicens: *Per vnum hominem peccatum* C *intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*. Et 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, &c.*

Tertiò peculiariter de ijs qui viui reperientur in aduentu iudicis, quod morituri sint, probatur ex vulgata Latina lectione 1. Corinth. 15. *Omnes quidem resurgemus sed non omnes immutabimur*. Cùm enim resurrectio non fit nisi eius quod cecidit per mortem, si omnes resurrecturi sunt, consequens est omnes morituros. Hanc autem lectionem *dormiemus* etiam in multis Græcis haberi testis est Hieronymus D in epistola ad Minerium & Alexand. vbi quæstionem præsentem ex professo tractat. Sed & hodie in quibusdam Græcis codicibus non priori sed posteriori loco posita est negatio sicut in Latinis. Quamquam de veritate lectionis non est vsquequaque contendendum, cùm id, vt mox dicetur, non officiat huic affirmatiuæ sententiæ.

Quartò id docetur ex vocabulo viuificandi, quod tribuitur etiam ijs qui viui tunc reperientur. Sic enim apostolus eodem loco: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*. Quod siue de omnibus hominibus, siue de solis electis intelligas, saltem ex mente apostoli eos comprehendit electos qui tunc erunt in vita residui. E Morientur ergo vt viuificari possint, iuxta illud quod ibidem dic tur: *Quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur*.

Quintò probatur exemplo Christi qui mortuus est propter Adæ peccatum, multò igitur magis nemo aliorum à morte immunis esse debet. Vnde Ioannes Damascenus in sermone de dormitione beatæ virginis tradit ideo beatam virginem mortuam fuisse, quia nec ipse Christus à communi lege ob Adæ peccatum posita, exceptus esse voluit. F

Sextò: Nemo dixerit impios qui viui reperientur, non morituros. Nimis enim absurdum esset impios à maledictione quæ propter peccatum primi hominis in vniuersum genus humanum transfusa est, liberos fore, cùm omnes iusti superiorum temporum eam pertulerint, ne ipsa quidem matre Domini excepta. Igitur non repugnat etiam electos tunc viuos reperiri, eosdemque per mortem subitò ad immortalitatem transire.

Septimò: Si illi quos ille dies viuos inueniet, sine morte consequerentur beatam immortalitatem, iam quantum ad hoc adæquarentur hominibus quales erant futuri in statu innocentiæ. Hi enim sine morte tandem erant transferendi ad vitam prorsus immortalem. Atqui nullo modo fit verisimile, quod qui tunc reperientur in viuis, præ cæteris omnibus qui ante se fuissent, habituri sint hæc duo priuilegia: alterum quod sine morte; alterum quod sine purgatorio transirent ad beatam vitam, etiamsi in ijs esset aliquid purgandum.

Octauò videtur quod omnes semel debeant experiri statum animæ separatæ, eiusque vel felicitatem vel miseriam.

Denique huic sententiæ fauet symbolum Athanasij in quo legitur quod *ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent, &c.*

Hanc sententiam ferè sequuntur Latini expositores tractantes locum iam dictum 1. Corinth. 15. excepto commentario Ambrosiano, qui tamen ad 1. Thess. 4. Latinorum sententiæ palam adhæret, excepto etiam commentario qui habetur in operibus Hieronymi, sed cuius author est Pelagius. Qui commentarius præfert quidem Græcorum lectionem 1. Corinth. 15. sed neque ibi, neque ad 1. Thessal. 4. expressè dicit eos qui viui reperientur, non morituros.

Eadem doctrina est Augustini libr. 10. de ciuit. Dei, cap. 20. & epist. 80. ad Hesychium. Item in epistola quadam ad Mercatorem in qua latiùs hoc argumentum tractauit. Quæ quidem epistola hodie non extat, sed inde verba huc pertinentia repetit sanctus Augustinus in libro ad Dulcitium quæstione tertia.

Hieronymus quoque scribens ad Minerium & Alexand. in hanc partem propensior est, citans eiusdem sententiæ Græcos authores Didymum & Acacium.

Quibus addimus Cyrillum Græcum ijs verbis quę ex eius in Pauli locum expositione recitat Gagnæus, in qua Latinorum lectionem sequitur, & Oecumenium Græcæ lectionis duos sensus adferentem, quorum alter cum Latinorum sententia congruit.

Tradit eandem sententiam Fulgentius libr de fide ad Petrum capit. 3. & Gennadius libr. de ecclesiasticis dogmatibus cap. 7. Sed hic cum hanc commemorasset sententiam tanquam communem, ita subiecit: *Verùm quia sunt & alij æquè Catholici & eruditi viri, qui credunt anima in corpore manente, immutandos ad incorruptionem & immortalitatem eos qui in aduentu Domini viui inueniendi sunt, & hoc eis imputari pro resurrectione ex mortuis, quod mortalitatem immutatione deponant, non morte; quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticus, nisi ex contentione hæreticus fiat*. Sic ille. Ex quo loco sumpsisse videtur sanctus Thomas quod in commentario 1. Corinth. 15. cùm vulgatam lectionem prætulisset, dicit tamen Græcorum lectionem non esse contra fidem, neque sensum quem reddunt, esse hæreticum. Et similiter in hanc distinctionem scribens, Latinorum opinionem amplectitur tanquam securiorem & communiorem, vt ipse loquitur. Idem in summa 1. 2. quęst. 81. art. 3. ad primum, dicit probabilius & conuenientius teneri quod omnes morientur. Deinde addit: *Si tamen hoc verum sit quod alij dicunt, quod illi qui in aduentu reperientur, nunquam morientur; dicendum est, &c.*

Cùm his porrò sentiunt omnes scholastici, nisi quod Dominicus tam lectionem quam sententiam Græcorum si quis eam hodie sustinere velit,

teme-

temetitatis arguit. Quod tamen præsertim de lectione malè probat, cùm ea non modò non sit reprobata, sed nec profectò desint probabiles ad eam statuendam rationes, vt ex suprà dictis intelligi potest. Quibus accedit etiam Syriacus textus cũ Græco contentiens.

Cęterùm ad ea quę pto Gręcorum opinione ex ipsorum lectione concepta proferebantur, ad hunc modum responderi potest.

Ad primum: Scriptura 1. Cor. 15. etiamsi Græcam lectionem admittamus, facilè sic accipi potest, vt dormiendi vocabulo somnus seu quies aliquanti temporis significata intelligatur, qualis est eorum qui sunt in sepulcris. Neque enim dormiuisse dicitur, qui ad momentum sensuum vsu priuatus mox euigilauit. quod enim dormire phrasi scripturę morã & continuationẽ somni per modum quietis significet, ostendit illud Psalmi 120. *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.* Quo quidem loco minus est dormitare quàm dormire, vt rectè eius loci commentatores annotarunt. Quocirca dicere possumus quod qui in iudicis aduentu viui reperientur, subita morte occupati, moxque resuscitandi, dormitabunt quidem seu leuiter obdormiscent, non tamen dormient, id est, quietem mortis non accipient. Hunc sensum refert etiam ex Græcorum scholijs Oecumenius. Et sanè, si negare vellet apostolus morituros omnes eos qui tunc in vita reperientur, cõsequens foret ex apostoli sententia, nec impios, quorum tunc erit maximus numerus, mortem passuros; quod vt ostẽsum est, absurdè dicitur, quamuis à Gręcis & Caietano conceditur.

Ad secundum respondet Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 20. non negare apostolum morituros esse quos viuos dies ille deprehendet, quosque dicit subitò rapiendos in aëra. Fieri enim posse vt vel in ipso raptu, vel ante raptum repente moriantur, continuò pòst vitam immortalem recepturi. Quem subitaneum morte media transitum ad immortalitatem videtur apostolus 1. Corinth. 15. immutationis nomine significasse. Cæterùm nobis longè verisimilius est quod morientur ante raptum per ignem conflagrationis. Vide infrà ad distinctionem 47. & annotationes in 1. Thess. 4. Item si iusti morientur in raptu, quando morientur impij?

Ad tertium, Quomodo sit accipiendum quod dicitur Christus iudicaturus viuos & mortuos, exponit Augustinus ench. 55. & ex Augustino Magister sub finem huius distinctionis duas adferens expositiones. Earum verò vtra sit probabilior, pendet ex interpretatione loci 1. Pet. 4. vbi cùm dixisset apostolus: *Qui paratus est iudicare viuos & mortuos*, subiunxit: *Propter hoc enim & mortuis euangelizatum est &c.* Videntur autem intelligi tam viui quam mortui secundùm corpus, iuxta aliam scripturam Rom. 14. quæ dicit: *In hoc Christum mortuum esse & resurrexisse vt & viuorum & mortuorum dominetur.* Quod de morte & vita corporis accipiendum esse declarat contextus. Iuxta quem sensum respondetur à Christo iudicandos omnes omnino homines, tam eos qui ante tempus iudicij mortui fuerint, quàm qui tunc reperientur viui, subitò tamen, vt diximus, per mortem ad immortalitatem transituri.

Ad quartum respondetur Enoch & Eliam non esse translatos ad vitam immortalem, sed morituros aliquando iuxta ea quæ habentur in Apoc. Ioannis. Cæterùm Hieronymi verba referri posse ad raptum ex hominum cõuersatione in locum ab hominibus semotum, idque sine morte media, qua in re quædam fuit glorificatio, quatenus illi duo

A morti ac moriendi necessitati alijsque huius seculi miserijs sunt ad tempus exempti.

Ad quintum, Dathan & Abiron viui in infernum, id est, in imas terræ partes descenderunt, sed ita vt terra obruti suffocati & mortui fuerint. Si cui placet intelligi infernum damnatorum; respondere poterimus quod viui descenderunt, sed non viui peruenerunt, quia descendendo mortui sunt. Simili modo locus psalmi intelligendus, præcedit enim: *Veniet mors super eos*, Sed & postea sequitur: *Tu verò deduces eos in puteum interitus.*

Ad sextum Retractat eum locum Augustinus
B lib. 2. retract. cap. 33. his verbis: *Aut enim*, inquit, *non morientur, aut de vita ista in mortem, & de morte in æternam vitam celerrima commutatione, tanquam in ictu oculi transeundo mortem non sentient.* Sic ille: Qua moderatione & alter Augustini locus accipiendus est. Idque etiam patet ex cap. 20. eiusdem libri loco videlicet suprà à nobis citato pro hac sententia.

§. 8. *Resurrectio mortuorum futura in fine seculi.*

C
GEneralem mortuorum resurrectionem futuram esse in fine seu consummatione seculi, S. Thom. suppl. q. 77. ar. 1.
certum est ex scripturis; eaque semper fuit fidelium constans & certa persuasio. Vnde beatus Iob, *Scio*, inquit, *quod in nouissimo die de terra surrecturus sum* cap. 19. Quod idem significasse videtur cap. 14 cùm ait: *hominem non resurrecturum, donec atteratur cælum*, id est, donec *cæli magno impetu transeant, & ardentes soluantur*, vt Petrus loquitur 2. ep. 3. quod non erit nisi in fine seculi.

Sic Dominus Ioannis 6 quater promittit se in
D nouissimo die resuscitaturum credentes in se. Et alibi passim euangelicæ atque apostolicæ scripturæ nobis significant in consummatione seculi, id est, in fine præsentis status seu potiùs mutabilitatis huius mundi futuram omnium resurrectionem & iudicium vniuersale, vt Matth. 13. 24. & 25. Item 1. Cor. 15 1. Thess. 4 2. Thess. 2. Apoc. 20. & alibi. Quã etiam fidẽ apertè apud Dominum cõfessa est Martha dicens de fratre suo: *Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die.*

Denique quæcunque probant aduentum Christi ad iudicium in fine seculi futurum, eadem
E valent ad probandum idem tempus resurrectionis mortuorum. Ad hoc enim resurgent vt à Christo omnium iudice recipiant statũ perpetuò deinceps duraturum vel beatitudinis vel miseriæ. Christum autem in fine seculi venturum ad iudicium probat ipsa iudicij ratio, quod videlicet instituendum est de omnibus omnium hominum factis bonis & malis; Quod proinde necesse est vt sequatur vniuersum huius seculi cursum.

Deinde id ostendit illa discipulorum Christi interrogatio Matth. 24. *Quod signum aduentus tui &*
F *consummationis seculi?* Hoc enim ita quæritur quasi vtrumque simul futurum sit. Quod etiam confirmat subiuncta Christi responsio. Atque omnino scripturę nos docent hęc quatuor in vnum tempus conuenire, consummationem seculi, mortuorum resurrectionem, Christi aduentum, & vniuersale iudicium.

Rationes autem quibus id vel necessarium vel vt congruum probetur, videre licet apud Dominicum in hanc distinctionem quęstione 2. articulo 1.

Portò sciendum est huic generali doctrinę nihil obstare, quò minùs aliqui speciali Dei priuilegio ad beatam immortalitatem iam olim resurrexerint; qui proinde vt nun amplius morituri, ita nec cum cęteris mortuis in fine seculi resurrecturi sint, sed cum corporibus suis gloriosis dudum receptis in iudicio cóparaturi. Nam imprimis Christus Dominus cómune tépus resurrectionis exspectare non debuit, qui propterea statim tertio post morté suã die resurrexit, vt exemplo suo fidem resurrectionis nostræ in fine seculi futurę confirmaret. Deinde de beata Deipara virgine piè creditur à multis, quòd quamuis mortua fuisse nó dubitetur, postea tamen resuscitato ad vitam sempiternam corpore fuerit assumpta in cælum.

Tale quid etiam de Ioanne euangelista opinati sunt nonnulli, vt sanct. Thomas & alij in hanc distinctionem, sed nullum ex historijs ecclesiasticis, imò ex tota vetustate testimonium extat quo id probetur. Nam mortuum fuisse Ioannem Eusebius, Hieronymus, Augustinus, alijque complures referunt: at à morte eum resurrexisse nemo est qui testetur, sed magis ijdem illi authores contrarium sentiunt, dum sepulchrum eius Ephesi extare dicunt Eusebius in historia ecclesiastica, Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, Augustinus tract. vltimo in Ioannem, non vtique vacuum intelligentes sepulchrum, sed in quo corpus eius mortuum requiescat.

Cæterùm quæri solet de ijs quorum meminit Matth. 27. cùm ait: *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierunt, surrexerunt*, vtrumne illi ad vitam mortalem, sicut Lazarus & alij multi à Christo alijsque sanctis resuscitati, an ad immortalem surrexerint sicut Christus.

Quod ad mortalem vitam reuocati fuerint, sentiunt Augustinus epistola 99. & tract. vltimo in Ioannem, & post eum Beda in Matth. 27. Contrà verò alij, vt Ambrosius serm. 74. & Hieronymus, vel quisquis aothor sermonis de assumptione virginis, putant eos per resurrectionem immortalitate donatos fuisse, tum ob alias rationes, tum ob hanc maximè, quia alioqui testes minùs idonei fuissent beatæ resurrectionis, si resurrexissent iterum morituri. Quæ sententia sanct. Thomæ visa fuit probabilior scribenti in hunc locũ; tametsi idem in summa par. 3. quæst. 53. art. 3. Augustini sententiæ accedere malit. Quòd si posterior hæc sententia vera est, vt certè verisimilior apparet; iam in his quoque agnoscenda erit exceptio à lege communi resurrectionis in fine seculi futuræ.

§. 9. *Post quantum tempus futura sit resurrectio mortuorum.*

S. Thom. suppl. q. 77 art. 2

QVo determinato tempore, id est, post quantum annorum vel seculorum spatium futura sit mundi consummatio, & simul cum ea mortuorum resurrectio, Christiq; aduentus & iudicium extremum (Hæc enim quatuor in idem tempus concurrere suprà diximus) id vsque adeo nobis ignótum esse voluit filius Dei, vt dixerit Marc. 13. *De die illo & hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque filius, nisi pater* Est autẽ familiare scripturis diem & horam generaliter pro tempore ponere, ne quis hîc suspicetur diem quidem & horam incertam esse, tempus autem vt annum vel lustrum, vel seculum vel hebdomadem annorum, post quod futurũm sit iudicium, posse à nobis cognosci, vt rectè monuit Augustinus epistola 80. ad Hesychium. Negat autem Dominus etiam filium scire, id est, seipsum secundùm humanam naturam; nó quod prorsus nesciat, cùm ei etiam vt homini verè dictum sit à Petro: *Domine tu omnia nosti*. Ioan. vltimo. Sed quia non ita hoc acceperat à patre vt alijs notum faceret, iuxta id quod alibi ait: *Omnia quaecunque audiui à patre*, intellige vobis notificanda, *nota feci vobis*, Ioan. 15. Pater autem scite dicitur, quià notificat filio, notificat & spiritui sancto. Nam sicut naturam ita scientiam habent filius & spiritussanctus à patre. Vsus est autem tali sermone filius Dei, vt ab huius mysterij inquisitione discipulos suos & omnes fideles arceret longissimè, tanquam à re cognitu impossibili. Vnde & Actor. 1. interrogatus, *quando restituendum esset regnum Israel*, respondit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate*. Vbi rursus nominando solum patrem videtur se excludere, scilicet ob causam iam dictam.

Sunt & aliæ scripturæ idem significantes vt 1. Thess. 5. *De temporibus & momentis non indigetis vt scribamus vobis; ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte ita veniet*. Et 2. Petr. 3. dicentibus: *Vbi est promißio aut aduentus, &c.* respondet, *quia vnus dies apud Dominum, sicut mille anni, & mille anni sicut vnus dies*. Et infrà: *Adueniet autem dies Domini, vt fur*. Vbi Petrus ipse tacitè fatetur se ignorare illud tempus. Quod si apostoli & Petrus ignorarunt, quis alius mortalium præsumat se scire? Ex his ergo patet non esse audiendos qui prædicta Christi verba & alias scripturas non satis attendentes certum aliquod futuri iudicij tempus apud se definierunt. Inter quos fuere Irenæus libr. 5. contra hæreses sub finem, Lactantius lib. 7. diuinarum institutionum cap. 14. & in epitome cap. 7. Hilarius in Matt. 17. & alij nonnulli qui sex millibus annorum totius mũdi impletis putauerũt finẽ seculi futurũ; tũ propter sex mundi ætates, quibus singulis annos millenos assignãt; tũ hoc argumẽto moti, quia sex diebus mũdus creatus est. Dies autem pro mille annis computatur iuxta illud Psalm. 89. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præterijt*. Et illud 2. Petr. 3. *Vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut vnus dies*. Quæ probationes prorsus infirmæ sunt ad id quod quæritur, ostendendum. Neque enim ad dies creationis mundi respexerunt psalmista & apostolus, quando illa scripserunt, neque omnino certum aliquod tempus designare voluerunt, sed metonymicè more scripturæ certum tempus pro incerto posuerunt.

Porrò alij quidam ex incertis imò apocryphis & Thadmudicis quibusdam vaticinijs, alij ex veris quidem oraculis quæ apud Danielem vel in Apocalypsi leguntur, sed ijs perperam intellectis: alij ex certa quam præuiderunt, coniunctione astrorum, alij alijs rationibus persuasi æstimauerunt determinatum tempus consummationis mundi, quorum alij 400. alij 500. post Christum annos; alij alias temporum mensuras, futuro Dei iudicio præfinierunt. De quibus differit B. Mantuanus libr. 3. de patientia cap. 29. Prodijt nuper tractatus cuiusdam Galli Varini cũ approbatione quorundam Theologorũ, in quo author ille conatur probare dominum venturum ad iudicium anno 1666. sed futilia sunt argumenta quibus id probat, & quædam ex apocryphis sumpta.

At horum omnium vanitatem magna ex parte iam res ipsa coarguit. In vniuersum autem ex

apertissimis Christi verbis, quibus docet mysterium illud etiam angelis Dei occultum esse ac soli Deo cognitum doctè refutat Augustinus epist. 78. & 80. ad Hesychium: Item lib. 18. de ciuit. cap. 53. & super Psalm. 89. & serm. 23. de verbis Domini.

Quin etiam illos qui licèt certum tempus iudicij non definiant, existimant tamen diem iudicij non longè abesse, verbi gratia, opinantes inter centum vel ducentos vel trecentos vel mille annos Christum venturum ad iudicium, sua opinione falli iam olim contigit, sicut opinatos fuisse apparet Ambrosium initio libri 10. super Lucam, Leonem serm. 8. de ieiunio decimi mensis, Gregorium hom. 1. & 15. super euangelia, & lib. 9. epist. 60. ad regem Anglorum. Nam & huiusmodi suspiciones iudicij in proximo futuri cohibēt apostolorum epistolæ, Petri 2. epist. 2. & Pauli 2. Thess. 2. tametsi nostro hoc tempore maior est suspicādi ratio quàm fuit, quia fieri potest vt interea temporis multa sint impleta quæ prædicta sunt ante iudicij diem futura, tunc autem impleta nondum fuerint.

Iam verò vtrum nocte an die venturus sit ad iudicium dominus, & qua diei vel noctis parte, æquè incognitum est; etsi à varijs variæ in hanc vel illam sententiam adferuntur coniecturæ, sed quæ reuera nihil conuincunt. Nam scripturæ certam temporis differentiam exprimentes, tantùm certi mysterij nos admonere voluerunt. Quoties enim tempus iudicij *dies* vocatur, imò *dies magnus & manifestus*, Ioel. 3. Actor. 2. 1. Corinth. 3. & alibi, per hoc significatur, quod in eo *Dominus illuminabit absondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, 1. Corinth. 4. quando & *ipsa Dei iudicia manifesta fient*: Apocal. 15. & quidem omnia quęcunque toto mundi decursu iudicata fuerint, vti docet Augustinus libr. 20. de ciuitate Dei, cap. 1. Quò pertinet etiam *librorum apertio*, de qua Dan. 7. & Apocal. 20. per quam significata est conscientiarum manifestatio, iuxta illud Rom. 2. *Testimonium illis reddente conscientia ipsorum, & cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus in die cùm iudicabit Deus occulta hominum.*

Ideo autem nocti comparatur interdum dies iudicij, quia vt ait apostolus 1. Thess. 5. *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cū enim dixerint, pax & securitas, tunc repētinus eis superueniet interitus*: quod & Christus declarat Matt. 24. exemplo diluuij, *in diebus Noe: Ita erit*, inquit, *& aduentus filij hominis*, & alib: *Qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Hoc modo noctem interpretatur Augustinus epist. 120. ad Honoratum. Quare non rectè ex ijs scripturæ locis quæ noctem nominant, colligit Lactantius libr. 7. diuinarum institutionum cap. 19. & in epitome capit. 8. Christum in media nocte venturum ad iudicium. Quamuis & Chrysostomus homil. 79. in Matth. 25. tale quid indicat, dum exponit illud parabolæ vbi dicitur, *media nocte clamor factus est. Hoc* inquit, *vt in parabola immoretur, dixit, aut in nocte futuram resurrectionem ostendere voluit.*

Denique ne certam aliquam diei vel noctis horam, qua ad iudicium venturus sit Dominus, sibi definiret humana temeritas, dictum est à Domino Marci 13. *Vigilate. Nescitis enim, quando Dominus domus veniat. serò, an media nocte, an gallicantu, an mane.* Qua sentētia omnimodam ignorantiam illius temporis omnibus propositam esse voluit.

§. 10. *Quæ sit resurrectionis mortuorum causa.*

DVplex in genere consideranda est resurrectionis mortuorum causa, finalis & efficiens. Finalis eius causa est, perfecta meritorum retributio, de qua in superioribus dictum est

Efficiens autem causa rursum multiplex hîc consideranda venit; nempe principaliter agens, meritoria, exemplaris & instrumentalis. Itaque causa principaliter efficiens resurrectionem Deus est, cuius proprium est opus animas indendo vel reddendo corporibus ea viuificare.

Christus quoque qua ratione Deus est, resurrectionem mortuorum propria virtute operabitur, qua & suam ipsius resurrectionem operatus est. *Quæcunque enim pater facit, hæc & filius similiter facit, & sicut pater quos vult viuificat, ita & filius quos vult viuificat* Ioan. 5. & generale certissimumque axioma est: Opera trinitatis esse indiuisa. Vnde & de sua resurrectione testatur ipse filius. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Ioan. 10.

Idem verò Christus quatenus est redemptor ac mediator noster, per mortem & passionem suam, sicut sibi qui est ecclesiæ caput, ita omnibus membris suis meruit gloriam resurrectionis & immortalitatis; sibi quidem iuxta illud apostoli Philip. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Nobis autem iuxta illud eiusdem 1. Corinth. 15. *In Christo omnes viuificabuntur.* Quod & Christus ipse nos docet Ioan. 11. dicens ad Martham: *Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me etiam si mortuus fuerit, viuet.* Nec resurrectionem tantùm sed omne beneficium gratiæ quo ad salutem perducimur, merito passionis Christi acceptum ferre debemus, quemadmodum docetur ad distinctionem 18. libri 3. Vtrùm verò Christus meruerit nobis resurrectionem simpliciter quæ etiam reprobis est communis, an verò tantùm resurrectionem talem, id est, beatam & gloriosam, quæ propria est electorum, proximo capite explicabitur.

Est præterea Christus etiam resurrectione sua causa resurrectionis nostrę, non quidem meritoria. Nam omne meritum eius in morte consummatum fuit, sed causa exemplaris. Ipse enim est *primitiæ dormientium*, 1. Corinth. 15. *Ipse primogenitus mortuorum.* Apocal. 1. Col. 1. Vnde & apostolus inter alia futuræ nostræ resurrectionis argumenta, 1. Corinth. 15. ex resurrectione Christi tanquam exemplari colligit, deducitque omnium Christi fidelium futuram resurrectionem, *quia primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi*. Neque enim membra separanda sunt à capite, & inconueniens admodum foret sub capite viuo, reliquum corpus manere mortuum. Si ergo caput resurrexit, resurrectura sunt & membra, & vt ait Leo serm. 1. de ascensione Domini, *quò præcessit gloria capitis, eò spes vocatur & corporis.* Hac causandi ratione sæpe aliàs resurrectioni Christi nostra resurrectio tribuitur, vt dum ecclesia canit in præfatione canonis missæ tempore paschæ: *Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit.* Et in oratione quadam qua petimus, *vt per salutiferæ resurrectionis Christi potentiam ad æternam mereamur peruenire lætitiam.*

Eodem sensu iustificatio nostra tanquam resurrectio quædam spiritualis à morte peccatorum, asscribitur interdum resurrectioni Christi tanquam

causæ

[Margin note: 1. hom. appl. q. 76.]

A causæ cuidam exemplari seu potiùs figuratiuæ, vt Rom. 4. dicente apostulo: *Qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Sic Petrus 1. epist. 1. *Qui regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, &c.* Et hoc modo intelligendi sunt patres quando dicunt Christum resurrexisse vt nos iustificaret & peccato mortuos vitæ redderet. Hoc enim legitur apud Augustinum super Psalm. 56. & Hilarium super Psalm. 68.

Porrò instrumentalis causa resurrectionis omnium mortuorum erit vox Christi, de qua Ioan. 5. B *omnes qui in monumentis sunt audient vocem eius*, id est, filij hominis (Hoc enim præcesserat) *& procedent, &c.* Quò referri potest illud Psalmi 67. *Dabit voci suæ vocem virtutis.* Quæ vox etiam *vox magna* vocatur Matth. 24. & *clamor media nocte futurus*. Matthæi 25. Vocatur & *tuba*, Apocal. 10. & Matth. 24. & *tuba nouissima*, 1. Cor. 15. & *tuba Dei*, 1. Thess. 4. & *vox archangeli*, ibidem.

Quibus omnibus significatur futurum signum aliquod euidens ac manifestum aduentus Christi ad iudicium, per quod velut instrumentum quoddam diuinæ virtutis sint excitandi mortui & ad iu- C dicium vocandi, vt docet sanctus Augustinus epist. 120. Hoc autem signum quod & quale sit futurum, melius ignoratur quàm curiosè inquiritur; nisi quod non dubitatur quin erit sonus ingens & horribilis, qui quaqua versum diffundetur ad excitandos mortuos, quique ad eum effectum ita valebit instrumentaliter, sicut voces illæ, *Lazare veni foras Adolescens tibi dico surge*, & similes instrumentaliter valuerunt ad mortuos suscitandos. Vide ad dist. 48.

Traditur & alia instrumentalis causa resurrectionis mortuorum, nempe angelicum ministeriũ, de quo Matth. 24. quòd *mittet Dominus angelos suos qui congregent electos eius a quatuor ventis à summis cæ-* D *lorum vsque ad terminos eorum.* Horum ergo ministerio colligendi putantur mira celeritate pulueres dispersi & in corpus ac membra aptandi, vt sic animæ diuina virtute operante suis corporibus restituantur, ipsique mortui resuscitati eorumdem angelorum ministerio congregẽtur ante tribunal Christi; tametsi locus ille de huiusmodi ministerio non planè conuincit. Videtur enim rectè accipi posse de solo ministerio quoad sonitum tubæ ad excitãdum mortuos, per omnes totius mundi partes.

Vtrùm autem etiam humana Christi natura rationem habitura sit causæ instrumẽtalis respectu E resurrectionis mortuorum, nõ est omnino certum. De qua re alibi accuratiùs agendum est.

§. II. *An Christus sit causa resurrectionis reproborum.*

S. Thom. suppl. q. 76. ar. 1.

CHristus quidem vt Deus non tantùm electorum sed etiam reproborum resurrectionem operabitur, cùm hæc non minùs quàm illa sit opus supernaturale, ac Deo proprium: verùm an Christus vt homo sicut resurrectionis electorum, quod nõ dubitatur & iam probatũ est, ita etiã reproborũ F sit causa meritoria per suam passionẽ, & exemplaris per suam resurrectionem, non immeritò quæritur.

Parti affirmanti fauere videtur doctrina Pauli 1. Corinth. 15. in quo capite generaliter Christum proponere videtur vt causam exemplarem simul & meritoriam resurrectionis omnium omnino hominum, idque his maximè verbis: *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Ex quibus apparet quod quàm latè A patet mors per Adam, tam latè pateat & resurrectio per Christum; videlicet vtraque extensa ad omnes homines tam malos quàm bonos, tam reprobos quàm electos. Et videtur hoc argumentum confirmari authoritate Ambrosij, qui in oratione de fide resurrectionis post medium cùm dixisset: *Primitiæ quiescentium Christus*, interrogat, *sed vtrum suorum an omnium?* Deinde respondet: *Sed sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur; manifestè significans etiam eos qui sunt Christi, per Christum tamen viuificandos.* Vnde & subijcit: *Omnes resurgent,* B *sed nemo desperet, neque iustus doleat commune consortium resurgendi. Communis est diuinæ fructus clementiæ, sed distinctus ordo meritorum.* Sic ille.

Apud Faustum quoque Galliarum episcopum libr. 1. de libero arbitrio capit. 16. leguntur hæ sententię: *Impij per virtutem resurrectionis Christi resuscitandi esse creduntur*: Item, *Resurrectio generalis ad virtutem pertinet redemptionis.*

Partem verò negantem omnino persuadere videntur hæ rationes.

Prima: Oportet effectum assimilari suæ causæ C exemplari. At reprobi Christi similes non erunt, nisi generali quadam ratione quæ huic proposito non sufficit. Vnde & apostolus solis prædestinatis tribuit: *conformes fieri imaginis filij Dei, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Rom. 8.

Secunda: Nemo fit particeps meritorum Christi in futuro seculo, nisi eorundem particeps factus fuerit in hoc seculo. Cùm igitur multi impij nunquam de Christi merito per fidem vel bonum animi motum in hoc seculo partem acceperint; cæteri verò si quod habuerunt meritum, illud totum peccando amiserint, fieri nequit vt participes eius fiant per resurrectionem in seculo futuro.

D Tertia: Christus non promeruit alicui damnationem neque damnationis augmentum. Pertinet autem ad cumulum dãnationis impiorum resurrectio, quia ad hoc resurgent, vt qui puniebantur in anima sola, etiã secundũ corpus puniãtur; non ergo Christi merito venit asscribenda eorũ resurrectio.

Quarta: Christus non meruit ea quæ ex prima naturæ institutione etiamsi Christus non veniret, omnino futura erant: Atqui prima institutio hoc habebat, vt si homines peccarent, morerentur quidem peccati merito, resurgerent tamen aliquando à mortuis, videlicet accepturi supplicia pro meritis E suorũ peccatorum, non in anima tantũ, sed etiam in corpore; quia etiã tũc iustũ fuisset totũ hominem in æternũ puniri, qui totus peccauerat, & iustũ fuisset corpus in ęternũ puniri propter peccata in corpore & per corpus admissa. Totũ ergo hoc sine Christo futurum erat. Quare ad eam rem nihil opus est eius merito. Vnde etiam consequitur quod nec electis meruit Christus resurrectionem simpliciter, quia, vt iam dictũ est, etiã sine Christo futura erat omnium mortuorum resurrectio propter perfectam operũ retributionẽ, sed meruit electis resurrectionem talem, id est, beatam & gloriosam.

F Hanc autem doctrinam planè confirmant ea quæ sunt apud apostolum 1. Corinth. 15. si diligentiùs expendantur. Non enim ibi Christum facit exemplar omnium omnino resurgentium, sed tantùm electorum. Nam post ea verba quæ è contrario obiecta sunt, ita sequitur: *Vnusquisque autem in suo ordine. Primitiæ Christus, Deinde ij qui sunt Christi.* Ac post multa comparat eos qui resuscitati fuerint, cum corporibus cælestibus: *Alia,* inquit, *claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate. Sic &*

resurrectio mortuorum. Vbi palam est apostolum de electis tantùm loqui, vt & verbis sequentibus: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate surget in gloria*, &c. Certiùs autem id docetur ex eo quod paulò pòst sequitur: *Secundus homo de cœlo cælestis. Qualis cælestis, tales & cælestes*. His enim verbis ostendit Christum qui est secundus homo, idemque cælestis, per suam gloriosam resurrectionem esse exemplar quoddam non omnium qui resurgent, sed eorum tantùm qui cęlestes erunt, sicut ipse cælestis est. Quod etiam indicat illa Græcorum lectio: *Non omnes quidem dormiemus, sed omnes immutabimur*; ea scilicet immutatione quæ est ad gloriam, incorruptionem & immortalitatem. In quibusdam *fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria*, &c.

Quod autem è diuerso obiectum est ex eodem capite, id conformiter accipiendum de resurrectione & viuificatione quę est ad vitam beatā & gloriosam, hoc sensu: *Per hominem* Adamum *mors*, & *per hominem* Christum *resurrectio mortuorum* ad vitam ęternam: *& sicut in Adam omnes moriuntur*, quotquot ex Adam nascuntur, *ita & in Christo omnes viuificabuntur*, quotquot in Christo renascuntur, modò ne regenerationis gratiam amittant: id est, quotquot sunt Christi & ad Christum pertinent.

Similis est enim sententia cum illa ad Roman. 5. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ita per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*. Vbi omnes intelliguntur posteriori loco, qui ad natiuitatem ex Christo pertinent, sicut priori, qui pertinent ad natiuitatem ex Adam. Hi ergo soli ex mente apostoli in Christo viuificabuntur, qui in Christo iustificati fuerint.

Hanc expositionem ea quæ sequuntur, confirmant, imò requirunt, vt ex iam dictis intelligi potest.

Et præterea argumentum sumitur ex verbo primitiarum quo apostolus vtitur dicens, Christum esse primitias resurgentium. Non enim impiorum comparatione Christus vocatur, *primitiæ resurgentium* vel *primogenitus mortuorum*, Apocal. 1. sed tantùm comparatione electorum. Nam primitiæ fructuum dicuntur: mali autem non fructus sunt, sed zizania & paleæ; fructus enim quorum offeruntur primitiæ, non nisi in bono intelliguntur. Vnde cùm dixisset apostolus: *Primitiæ Christus*, non addidit, deinde cæteri homines, sed, *Deinde ij qui sunt Christi*, qui in aduentum eius crediderunt.

Hoc & alter locus manifestiùs declarat, vbi Christus dicitur: *primogenitus in multis fratribus*. Roman. 8.

Denique in eo quod dicit apostolus: *Per vnum hominem resurrectio mortuorum*, quænam sit intelligenda mortuorum resurrectio, ex ipsius Christi sententia discendum est, qua dicit Ioan. 11. *Ego sum resurrectio & vita: Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit viuet, & omnis qui viuit & credit in me non morietur in æternum*. Vbi manifestum est eum loqui duntaxat de beata resurrectione; tum quia vocat eam vitam æternam; tum quia eam ad solos credentes restringit.

Ad sanctum Ambrosium respondetur Christum posse aliquo sensu vocari primitias omnium resurgentium, quia resurrectio omnium etiam malorum secundùm se bonum quoddam est. Non tamen id voluisse apostolum satis apparet ex dictis. Faustum verò qui Pelagiano errore imbutus fuit, & cuius libros inter apocrypha recenset Gelasius, dicimus in ecclęsia nullius esse authoritatis.

IN DISTINCTIONEM QVADRAGESIMAMQVARTAM.

§. 1. *In qua ætate & statura resurrecturi sint mortui.*

De ætate & statura resurgentium nihil extat ab ecclesia definitum, etiamsi de solis loquamur electis. Quamuis enim certum est in electis post resurrectionem nihil deformitatis atque imbecillitatis seu mentis seu corporis futurum, vt infrà ostendemus; non tamen ex eo consequens videtur etiam de eorum ætate & statura perinde certum aliquid statui posse. Nam & in statu innocentiæ, in quo conditus est homo, fuissent infantes ac pueri, corpore quidem parui, sed exclusa omni miseria habentes motum corporis & vsum mentis ætati congruentem, sicut dictum est in secundum distinctione vicesima. Quare multò magis fieri posset, vt per beatam resurrectionem, qui ætate pueri & statura pusilli essent, plenam tamen atque perfectam possiderent mentis & corporis habitudinem. *Nam si parua ætas resurgit*, ait sanctus Augustinus sermone 4. feriæ tertiæ post pascha, *non propterea infirmitas reuocatur*. S. Thom. suppl. q. 81. art. 1. & 2.

Longè tamen probabiliùs ac penè certum est plena ętate omnes resurrecturos. Quod & de statura similiter est accipiendum. Ita sentiunt Augustinus serm. iam dicto & libr. 22. de ciuit. cap. 14. & sequentibus & enchir. cap. 90. Hieronymus in epitaph. Paulę, Prudētius in apotheosi sub finem, Hugo Victorinus tract. de resurrectione cap. 15. in quo ipsa transscripsit Augustini verba, & post eos communiter scholastici doctores; nemine quod sciam vel antiquiorum vel recentiorum doctorum contrarium sentiente.

Plenam ętatem & staturam eam intelligimus, quę solet esse hominibus circa annum 33. 34. aut 35. exclusis morbis, monstruosis defectibus alijsque impedimentis. Hoc enim tempus est in ętate hominis pręstantissima, id est, iuuenili medium. Nam iuuentus tenditur ab anno 25. vsque ad quadragesimum. Cuius medium Christus Dominus attigit quando pro nobis mortuus est, tanquam ętatem in qua & ipse deinde post triduum resurrexerit, & omnes electi per ipsum resurrecturi sint. Qua ętate etiam primus homo creatus fuisse rectissimè existimatur; non quidem iuxta annorum numerum, sed secundum corporis perfectionem. Ad quam proinde ętatem nos per resurrectionem reformari oportet.

Quidam autem ad hoc probandum adferunt illud apostoli Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Super quem locum scribens sanctus Anselmus dicit quod nec vltra nec infra iuuenilem formam resurgemus, sed in ætate ac robore ad quæ Christum hic peruenisse cognouimus, id est, in ea meta ætatis, vsque ad quam naturaliter crescit homo, &c. Deinde subiungit hæc verba: *Non ad mensuram corporis vel men-*

surarm

A *suram statura, sed mensuram ætatis plenitudinis Christi. Neque enim fas est dicere, cùm resurrectionis omnium tempus aduenerit, accessuram corpori alicuius eam magnitudinem quam non habuit. Si autem dixerimus ad Dominici corporis modum etiam quorumcunque maiora corpora redigenda, peribit de multorum corporibus plurimum, cùm ipse nec capillum periturum esse promiserit. Restat ergo vt suam recipiat quisque mensuram, quam vel habuit in iuuentute etiamsi senex obijt, vel fuerat habiturus, si est ante defunctus.* Sic ille, velut ex apostoli loco docens quod quisque in plena seu virili ætate & statura sit resurrecturus. B Qui tamen an germanus sit illius loci sensus, meritò ambigitur. Nam sanctus Augustinus sermone suprà citato negat istud in scripturis definitum esse: idemque libro vicesimosecundo de ciuitate Dei, capit. 15. & 18. quamuis huius expositionis meminerit, aliam tamen præfert; qua nimirum accipiatur locus ille de profectu & plenitudine totius Christi corporis, id est, ecclesiæ quoad fidem & fidei vnitatem: ita vt euadat in virum perfectum, id est, virile robur & constantiam fidei assequatur, tanquam mensuram plenæ & perfectæ ætatis. C Hunc sensum de spirituali perfectione ecclesiæ tradunt sanctus Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, alijque Græci. Item sanctus Hieronymus, Haymo, & commentarius sanct. Ambrosio inscriptus alijque Latini. Nam & puero ætatem infantilem habenti ac nondum nato tribuit apostoli verba ipse Ambrosius libro secundo in Lucam dicens Ioannem in vtero matris cepisse à mensura perfectæ ætatis plenitudinis Christi; videlicet propter vsum rationis in infante anticipatum, vt ille existimauit. Adde quod hunc intellectum ipsa apostoli verba exigunt. Dicit enim: *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei*, D quod non impletur in futuro seculo, vbi fides cessat, sed in præsenti. Nec dicit, in viros perfectos, sed *in virum perfectum*, significans ad hoc in ecclesia institutum esse hierarchicum ordinem, vt tota ecclesia sit tanquam vir perfectus, id est, vt sit robusta & constans in fide. Vnde sequitur, *vt iam non simus paruuli fluctuantes*, &c. Quæ cùm ita sint, magis ratione quàm scriptura probari videtur hæc doctrina.

Ratio autem hæc est, quod ætas & statura congruere debeant operationibus tam animi quàm corporis. E Cùm ergo omnes operationes in illa beatitudine futuræ sint perfectæ, conuenit vt & ætas & statura perfecta sit, hoc est virilis seu iuuenilis. Et quamuis dici possit etiam puerilem ætatem & staturam ibi perfectam fore, ea tamen ex prima hominis institutione non habet absolutam hominis perfectionem, sed tantùm perfectionem quandam illi ætati conuenientem, vt alibi dictum est. Vnde & in statu innocentiæ pueri incrementum corporis accepissent vsque ad ætatem & staturam virilem tanquam perfectam, omnesque tunc homines in eadem illa ætate & statura translati demum fuissent ad beatam immortalitatem, non quidem annorum habita ratione, quia nul- F la fuisset ibi senectus, nullus ætatis defectus, sed staturam à magnitudine, ætatem à robore & perfecta corporis constitutione æstimando. Quare omnino credibile est idem nunc in electis futurum, cùm per Christum homo perfectè restituatur primę felicitati.

An autem idem sentiendum sit de reprobis, non est ęquè certum, cùm in ijs ratio iam dicta locum non habeat, & patres de electis potissimùm locuti sint, tametsi nec de reprobis id negent. Attamen in affirmatiuam partem propensiores sunt doctores scholastici.

Quid autem de ijs qui vel senes vel pueri mortui sunt, dicendum sit; iam patet ex recitatis sanct. Anselmi verbis, quę eadem ferè apud sanctum Augustinum & Hugonem locis allegatis est reperire. Quę tamen sic intellige: dummodo in hac vita non fuerit statura cuiusquam monstruosè magna vel parua. Sic enim redigenda erit ad modum naturalem saltem in electis. Quocirca gigantes & nani atque Pygmæi (si tamen vlla est aut fuit gens Pygmæorum, nam quorum mentio est Ezechiel. 27. videntur alij esse) cùm resurgent, accipient staturam congruentem viris exclusa monstrositate. Quamuis enim verbi causa, Pygmæus in sua gente Pygmæorum non sit monstrosus, quomodo nec claudus difformis est inter claudos, nec gibbosus inter gibbosos; est tamen monstrosus comparatione generis humani, cui in virili ætate multò maior statura naturaliter atque communiter conuenit. Hoc autem quomodo non repugnet identitati corporis resuscitati cum eo quod priùs fuit, infrà declarabitur.

§. 2. *Unumquemque in suo sexu resurrecturum esse.*

QVidam opinati fuerunt omnes homines in sexu virili resurrecturos esse. Quæ opinio Armenijs attribuitur. *S. Tho. suppl. 81. ar.*

Nititur autem his ferè argumentis.

Primò, quia dicit apostolus Ephes. 4. *Nos omnes Christo obuiam ituros in virum perfectum.*

Secundò, quia in futuro seculo cessabit omnis inter homines præfectura, iuxta illud eiusdem apostoli 1. Corinth. 15. *Cùm euacuauerit omnem principatum & potestatem & virtutem.* Cessabit igi- & illa potestas quam vir habet in mulierem, quæ cùm naturalis sit, oportebit & ipsum sexum muliebrem aboleri.

Tertiò, quia muliebris sexus imperfectus est. Imperfectum autem omne repugnat illi felicitati. Qua ratione etiam suprà ostendimus ætatem & staturam puerilem ibi non futuram, quod necesse sit eos qui resurgent, in ętatem & staturam perfectam resurgere.

Quartò, id necessarium videtur ne sexuum diuersitas oculis obiecta indecenti pudore felicem illum statum dehonestet, in quo vestium vsus non erit.

Quintò probari videtur ex Athanasio, qui in libro de virginitate dicit quod in regno cælorum non est mas & fœmina sed omnes fœminę virorum ordinem accipiant.

Sed his non obstantibus dicendum est Catholicam & indubitatam esse doctrinam, vtrumque sexum esse resurrecturum, id est, vnumquemque hominem in suo sexu. Ita docent patres, sanctus Augustinus libr. 22 de ciuitate Dei, capit. 17. Hieronymus in epist. ad Pammachium contra errores Ioannis Hierosolymitani capit. 3. & 11. vbi vult hoc ad fidem pertinere, & in epitaph. Paulæ, vbi ex scripturis id confirmat. Hilarius canon. 23. in Matth. Fulgentius de fide ad Petrum capit. 3. Iustinus quæstio. 53. ad Orthodoxos, Athanasius vel quisquis author libri quæstionum quæst. 24. vbi id etiam nominatim affirmat de Deipara Virgine, & alij illis posteriores. In quam sententiam omnes sine exceptione conueniunt scholæ doctores.

Præcipua autem probatio ex ratione sumpta hæc videtur, quia resurgent omnes integre secundum omnia sua membra. Quare & ea membra resurgentibus restituentur quæ sexuum diuersitatem faciunt. Non videtur autem petenda probatio ex eo principio, quia resurgent homines ijdem numero. Nam sexuum discretio accidentaria tantùm est, & fatentur Naturales posse fieri naturaliter, vt è sexu in sexum fiat transformatio vnius eiusdemque hominis. Quod & Plinius alijque historici aliquando contigisse suis scriptis prodiderunt. Sed de his fides sit penes authores.

Alia ratio est, quia Deus humanam naturam instituens vtrumque in ea sexum condidit. Quare & in restauratione naturæ vtrumque sexum restituet.

Rursum alia ratio, quia quædam sunt sanctorum merita ratione sexus: Velut quod mulieres infirmitate sexus non obstante acerbissima supplicia pro fide & castitate fortiter vsq; ad mortem certando subierunt. Ita & beata virgo dignitatem illam quod sit mater Dei, ratione sexus obtinet. Quem proinde sexum restituendum illis esse, non est cur dubitetur.

Scripturam porrò si quis requirat, ea proferri potest quam sanctus Hieronymus adfert in epitaph. Paulæ cap. 11. ex Matth. 22. dicente Domino ad Sadducæos: *In resurrectione mortuorum non nubent neque nubentur.* Nam vbi dicitur, inquit, *Non nubent neque nubentur, sexuum diuersitas demonstratur. Nemo enim de lapide & ligno dicit: Non nubent neque nubentur, quæ naturam nubendi non habent, sed de ijs qui possint nubere & gratia Christi ac virtute non nubant*: Sic ille.

Ad ea verò quæ in contrarium obiecta sunt, non est difficile respondere. Quod enim ad primum attinet, etiamsi quàm maximè loqueretur apostolus eo loco de corporali assimilatione resurgentium cum capite Christo (quod non ita videri suprà ostendimus) non tamen sentiret in virilem sexum fœminas esse transformandas, sed vt ibi dictum est, omnes electos ad ætatem virilem seu iuuenilem reducendos. Ætates autem omnes vtrique sexui communes sunt.

Ad secundum respondetur scripturas quæ de subiectione fœminei sexus loquuntur, non aliud velle, quàm vt mulieres coniugatæ subiectæ sint viris suis. Hoc autem in futuro seculo locum non habet, vbi neque nubent neque nubentur. Quamquam quod de euacuando principatu dicit apostolus, non videtur intelligendum de præfectura hominum inter se, sed de aduersarijs potestatibus per Christum penitus opprimendis. Sequitur enim: *oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.*

Ad tertium, sicut non omnes habebunt eundem felicitatis gradum, ita nec parem corporis perfectionem. Omnia tamen simpliciter perfecta erunt, vnumquodque in ordine suo. Nec simile est de ætate puerili. Nam sexus muliebris non ita ordinatur ad sexum virilem, sicut ætas puerilis ad ætatem virilem; sic videlicet vt eam aliquando assequatur. Ob quam causam diximus pueros non resurrecturos in ætate puerili, sed virili, quia conuenit omnino vt resurgentibus ea donetur perfectio, quam erant, si superuixissent, in hac vita accepturi. Sexus autem in hac vita permanens est, nec alter in alterum mutatur, quem proinde nec per resurrectionem mutari oportet.

Ad quartum responsio facilis est ex primo innocentiæ statu, in quo de primo viro & fœmina dicitur quod *Nudi erant & non erubescebant*. Nihil enim erat in toto hominis corpore pudendum, vbi nulla erat carnis rebellio contra spiritum. Quod sanè multò magis de statu futuræ felicitatis sentiendum est, quando non animale vt primorum parentum in paradiso, sed spirituale corpus erit, quod nec alimentis sustentandum erit, nec ad opus generationis adhibebitur. Cur autem non frustrà futurum ibi sit sexuum discrimen, infrà dicetur, vbi de vsu membrorum & sensuum post resurrectionem, agemus.

Ad postremum respondetur sanctum Athanasium fœminis tribuere virorum ordinem quantum ad animi perfectionem, & quantum ad communia dona immortalitatis, sicut in hac vita quoad dona gratiæ gratificantis, *In Christo* IESV, secundùm apostolum, *non est mas & fœmina.*

§. 3. *Eadem numero corpora mortuis restituenda.*

QVod non aliud sed idem numero corpus secundum substantiam sit per resurrectionem animandum & viuificandum ab eadem numero anima rationali, imprimis ipsum resurrectionis nomen arguit. *S. Thom. suppl. q. 79. art. 1.* Si enim non hoc corpus quod cecidit, sed eius loco aliud surgit aut suscitatur, non erit corporum resurrectio & resuscitatio, sed tantùm suscitatio & surrectio, ac noua animatio, nec erit regeneratio, sed quædam generatio. Atqui scriptura passim eam resurrectionem & regenerationem vocat: qui ergo credimus corporum resurrectionem, etiam fide tenemus eadem numero corpora mortuis omnibus per resurrectionem esse restituenda. Hanc fidem professus est sanctus Iob dicens capit. 19. *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum, ego ipse & non alius*; id est, hoc corpus & hæc anima, neutrum in aliud commutatum sed vtrumque numero idem, & ex vtroque conflatus idem numero homo.

Christus quoque post resurrectionem idem numero corpus discipulis vidēdum exhibuit, quod crucifixum & vulneratum & in sepulchro positum fuerat. In cuius rei argumentum etiam vulnerum aperturas reseruare atque ijsdem suis discipulis eas ostendere voluit.

His accedunt exempla resurrectionis eorum qui resuscitati sunt ad vitam mortalem. Hi enim omnes non alia sed eadem illa quæ mortua fuerant corpora, receperunt, vt ex scripturis est manifestum. Quin & illi de quibus dicitur Matthæi 27. *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt, & exeuntes de monumentis, &c.* sine dubio cum ijsdem corporibus in quibus vixerant, redierunt. Hoc enim conuincit monumentorum apertio, & exitus mortuorum de monumentis. Fuerunt autem hi iuxta probabiliorem opinionem resuscitari non ad vitam hanc mortalem, sed ad immortalem, tanquam gloriosæ resurrectionis Christi testes ac socij.

Denique quæcunque simpliciter probant corporum resurrectionem, eadem valent ad probandum quod corpora resurgent eadem, quia vt diximus, resurrectio non est nisi eius quod cecidit.

Sunt autem de hac re patrum sententiæ frequentissimæ, quibus docent corpora nostra post resurrectionem fore eiusdem substantiæ atque naturæ licèt alterius gloriæ, idque iuxta doctrinam Pauli 1. Corinth. 15. Sic docet latè sanctus Hieronymus contra errores Ioannis Ierosolymitani ad Pammachium, & in epitaph. Paulæ capit. 11. & super cap. 17. Matth. sanctus Gregorius homil. 26. super euangelia & libr. 14. Moral. capit. 31. sanctus Augustinus sermonibus in paschate habitis & sermone 4. de verbis Domini, Prudentius in fine apotheosis & alij.

Est autem sciendum quod ad fidem identitatis corporum resurgentium non sufficit, si dicamus animam redituram ad eandem numero materiam, sed agnoscere & confiteri debemus resurrecturum idem numero corpus humanum atque organicum constans carne, neruis, ossibus, capite, ventre, brachijs, manibus, pedibus, alijsque humani corporis membris & partibus. Talem enim nobis resurrectionem promittit scriptura & patrum traditio. Contra quam veritatem extitit olim error quorundam aëreum quoddam aut æthereum corpus in resurrectione nobis promittentium, ac nominatim Eutychij patriarchæ Constantinopolitani, negantis in vera carne & corpore palpabili resurrecturos mortuos. Dicebat enim in illa resurrectione corpus nostrum impalpabile & ventis aëreque subtilius futurum. Quem suum errorem etiam libro edito confirmarat. Sed eum erroris conuicit Gregorius primus tunc Romanæ ecclesiæ diaconus. De quo scribit idem Gregorius & in vita eius Ioannes Diaconus, quod erroris pœnitentia ductus morte instante pellem manus suæ tenebat multis præsentibus dicens: *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus*. Disputationem verò sanct. Gregorij cum eo habitam simul & eius recantationem videre est apud sanctum Gregorium libr. 14. Moral. cap. 31. & 32. & in vita ipsius scripta per Ioannem diaconum libr. 1. cap. 28. 29. & 30.

Contra hunc errorem præter illustrem confessionem Sanct. Iob profitentis se in eadem pelle & carne resurrecturum, nec non præter alia quæ iam dicta sunt, apertissimè pugnant Christi verba dicentis ad discipulos post resurrectionem Luc. 24. *Palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Quo etiam testimonio ad conuincendum Eutychium præcipuè vsus fuit Gregorius.

Repugnat item expressus apostolici symboli articulus. *Carnis resurrectionem*. Nam vt patres symbolum explicantes obseruarunt, ideo dictum est: *Carnis resurrectionem*, & non corporis vt per hoc significaretur non corpus qualecunque, velut elementaris aut cælestis naturæ nobis in resurrectione restituendum, sed idipsum quod nunc gerimus ex carne & ossibus compactum.

Cæterùm hic error, vt refert loco memorato Gregorius, cum suo authore extinctus est, nec postea à quoquam defensus.

Postremò cauenda est hoc loco Durandi quædam singularis & erronea opinio. Putat enim ad resurrectionem eiusdem hominis sufficere identitatem formæ in quacunque materia, quia ex identitate formæ consequi dicit identitatem materiæ, cùm materia per se nullam habeat actualitatem, sed esse suum accipiat à forma. Itaque licèt anima Petri resumeret corpus quod fuerat Pauli, & contrà; nihilominus, inquit, idem Petrus resurgeret, idemque Paulus, quia ab eadem anima corpus sortitur vt sit idem.

Contra hanc Durandi opinionem differit Dominicus super hac distinctione, eamque satis idoneis argumentis ostendit esse falsam & omnino reijciendam.

Quod autem ibidem Dominicus asscribit Durando, eum dicere quod non resurget idem numero corpus; id apud Durandum non legitur, sed magis contrarium in terminis. Quin & ipse Dominicus postea fatetur Durandum ponere, quod erit idem numero corpus in resurrectione, per hoc quod materia, quæ secundum se tantùm est potentia, vnietur eidem numero formæ; tametsi ille modus ad identitatem corporis statuendam reuera non sufficit, vt bene probat Dominicus.

Præter ea verò quæ Dominicus adfert contra illam Durandi opinionem, etiam hoc adduci potest, quod ex ea sequeretur eandem esse numero materiam in capite & in pedibus eiusdem hominis, quia videlicet informatur ab eadem numero anima, eaque indiuisibili. Deinde fatendum esset quod non sit Deo possibile, vt eadem anima vel quæcunque forma eodem tempore vel etiam diuerso informaret diuersa corpora, quia nimirum secundum Durandum, eo ipso est vnum idemque numero corpus, quo informatur ab eadem numero forma.

Quid autem censendum sit de eiusdem Durandi opinione, qua asserit non esse Deo possibile, vt rem aliquam cuius essentia totaliter perijt, siue ea successiua sit, siue permanens, eandem numero reproducat; videat studiosus apud eundem Dominicum, qui secutus opinionem sanct. Thomæ, Paludani & aliorum de successiuis id concedit, & rationibus probat, pernegat autem de permanentibus. Quæ sententia nobis quoque probabilior videtur. Et sanè nisi res permanens postquam corrupta est, eadem numero posset à Deo reproduci, quamuis de ipso homine respondere posset eum non totaliter perire, quia manet anima quæ est essentiæ eius potior pars; non tamen videretur quomodo resurrecturum esset idem numero corpus, quandoquidem & ipsum corpus secundum quandam formam suam propriam corrumpitur, & in cineres vel aliud quodcunque corpus varijs alterationibus transmutatur. Quare vt illud homini in resurrectione restituatur idem numero, videtur omnino confitendum Dei omnipotentiam ad hoc extendi, neque in eo vllam implicari cōtradictionem, quod res aliqua permanens semel corrupta ad pristinum esse reuocetur.

§. 4. *Responsio ad quædam in contrarium argumenta.*

S. Thom. vbi sup.

PRo maiori doctrinæ superioris explicatione proferemus argumenta quibus ea soleat impugnari, vt ijs discussis Catholica veritas elucescat magis.

Ac primùm quidem aduersus eam veritatem Eutychius Gregorio obiecit dicens: Cùm scriptum sit, *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, 1. Corinth. 15. Qua ratione credendum est resurgere veraciter carnem?

Secundò obiecit quod eodem capite dicitur: *Tu quod seminas non quod corpus futurum est seminas, sed nudum granum.* Ex quo colligebat non idem sed diuersum fore corpus quod resurget. Neque enim idem numero granum renascitur.

Tertiò obijci potest quod ibidem dicitur: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*, Et iterum: *Secundus homo de cælo cælestis, qualis cælestis tales & cælestes.* Vbi significari videtur spiritalis & cælestis naturæ fore corpora resurgentium.

Quartò Christus Luc. 20. dicit eos qui resurgēt, fore *æquales angelis Dei*: hoc autem fieri non poterit, nisi angelicam induant naturam: cùm natura humana quantumuis glorificata, semper sit inferior angelica.

Quintò, Lactantius libr. 8. epitomes dicit quod Deus reformabit iustos in figuram angelorum.

Sextò, Cyrillus Hierosolymitanus catech. 14. illuminatorum: *Iustus*, inquit, *accipiet corpus cæleste, vt possit cum angelis dignè conuersari.*

Septimò: Hieronymus super illud Eph. 5. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit*, dicit quod corpora redigentur in animas, & super Isa. 1. quod homines in angelos proficient.

Octauò: Augustinus super Psalm. 56. dicit quod Deus in resurrectione homines angelos faciet, & super Psal. 85. dicit nos habituros angelica corpora, quod & habetur apud eum libro octoginta trium quæstionum quæst. 47. Rursum idem lib. de fide & symbolo cap 10. & libr. de agone Christiano capit. 32. dicit carnem nostram in corpus cæleste conuertendam esse. In epistola verò 111. de spiritali corpore quod nobis in resurrectione promittitur disserens: *Vtrum*, inquit, *in simplicitatem spiritus cedat, vt totus homo iam spiritus sit, an ita spiritale vt propter ineffabilem facilitatem spiritale dicatur, fateor me nondum alicubi legisse, quod mihi sufficere existimarem*, &c.

Nonum argumentum tale est: Diuersorum motuum sunt diuersi numero termini ad quos. Atqui diuersi sunt motus generatio & resurrectio: erit igitur alius homo per resurrectionem ab eo qui fuit per generationem.

Decimum: Quamuis anima rationalis permaneat, perit tamen anima sensitiua quæ animal constituit; non ergo resurget idem numero animal sed specie tantùm. Nam & sensitiuę potentiæ quæ tunc reddentur corporibus, vt visus, auditus, tactus, &c. non eædem erunt numero cum istis, sed diuersæ; propterea quòd in morte exstinguantur & pereant, sicut interueniente morbi diuersa numero sanitas est ea quæ præcessit. Potest autem & simile argumentum fieri de ea forma quæ ipsum corpus constituit, iuxta eorum opinionem qui propriam

A quandam & ab anima diuersam ipsi corpori humano formā tribuunt, siue corporeitatis vt Scotus, siue eam quam vocant mixti corporis, vt alij.

Sunt & alia quæ solent obijci, sed quæ infrà proprijs locis commodiùs tractabuntur.

Ad primum igitur cum Gregorio respondetur, carnem & sanguinem apud apostolum intelligi non secundùm substantiam sed secundùm infirmitatem & corruptionem, quomodo idem apostolus ait ad Galat. 4. *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu*; videlicet carnis nomine vicia carnis intelligens. Et hunc sensum arguit manifestè quod sequitur: *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* B

Ad secundum cum eodem respondemus apostoli verba hunc habere sensum. Non corpus quale futurum est seminas. Seminatur enim nudum granum, nascitur autem granum vestitum & paleatum. Eodem modo seminatur corpus mortale, resurget vestitum immortalitate. Vnde 2. Corinth. 5. dicit, quod *habitationem nostram quæ de cælo est superindui cupimus.* Non ergo considerat apostolus in hac similitudine diuersitatem rei, nempe quod diuersum sit numero granum renascens ex eo quod seminatum est, sed diuersitatem qualitatis & conditionis. Quod & quæstio ab ipso mota requirebat: C *Quali*, inquit, *in corpore venient?*

Ad tertium: Spiritale corpus resurgentium vocatur, non quia corpus non erit, aut quia corpus erit aëreæ vel æthereæ naturæ, non habens carnem & ossa, sed ad distinctionem corporis animalis quod necessariò debet alimentis sustentari, quale etiam habuit Adam in paradiso. Spiritale ergo dicitur quia nullo egebit alimento, sed ad vitam ei sufficiet præsentia spiritus; tum etiam propter alias qualitates & dotes gloriosi corporis. Nam corpora damnatorum non omnino sic spiritalia erunt, D vt electorum, quamuis nec illa alimentis egebunt. Cælestes autem fore dicuntur ijdem electi, quia secundùm gloriam & beatam immortalitatem Christo qui propriè cælestis dicitur, quia filius Dei, conformes erunt.

Ad quartum: Christus filios resurrectionis dicit æquales fore angelis Dei, non per naturam sed per similitudinem; quia sicut angeli non egent cibo nec potu, & neque nubunt neque nubentur; ita & homines post resurrectionem.

E Ad quintum: Per figuram angelorum potest intelligi ea spiritalis angelorum conditio quæ iam explicata est, secundùm quam homines erunt angelis similes, vt nomine figurę pro similitudine sit vsus Lactantius.

Ad sextum: Cæleste corpus non secundùm naturam intelligit Cyrillus, sed secundùm qualitates, quia erit æternum, splendidum, impassibile, &c. vel vt suprà cæleste corpus, quia Christo conforme qui cęlestis est.

Ad septimum: Hieronymus priori loco non vult corpora conuertenda esse in animas propriè F dictas. Hoc enim absurdissimum est imaginari. Nam sic anima non corpus sed animam assumeret & animaret, quod nemo sensit, sed de statu huius seculi loquitur, figuratè admonens, vt qui similes angelis aliquando futuri sumus, iam nunc incipiamus esse quod nobis in cælestibus repromissum est. *Vt*, inquit, *vxores in viros, corpora redigantur in animas, & nequaquam sit sexuum vlla diuersitas*: id est, vt refrænatis concupiscentijs carnis toti spiritales simus. Quid autem ad alterum locum respondendum sit, patet ex supradictis.

Ad octauum: sanctus Augustinus eiusmodi loca retractauit exponens quomodo ea intelligi debeant; nempe quoad similitudinem angelorum nobis promissam, non quoad naturam. Retractat autem lib. 1. capit. 17. & 26. & libro secundo capit. 3.

Quod verò de dubitatione eius obijcitur, soluitur ex libris eius posterioribus, maximè ex enchiridio & libro vicesimosecundo de ciuitate Dei, in quibus quæstionem hanc remota omni dubitatione dissoluit, ac veram & propriam carnis resurrectionem tradit, & contra infidelium argumenta defendit.

B Ad nonum respondetur in resurrectione hominis id esse peculiare, quod eadem numero forma quæ non perierat sed permanserat, id est, anima rationalis redeat ad eandem numero materiam, quo fit vt totum compositum reddatur idem numero. Quamquam & si anima perijsset, posset eam Deus per omnipotentiam suam reproducere & pristino corpori restituere.

Ad decimum: Anima sensitiua in homine iuxta magis receptam opinionem ab anima rationali non re sed sola ratione distinguitur; ac proinde nõ C tantùm idem homo secundùm numerum, sed & idem animal resurget.

Nec obstat quod sensitiuæ potentiæ erunt à prioribus numero diuersæ; quia cùm sint accidentia, tantùm accidentalem quandam adferunt diuersitatem, non substantialem; tametsi Deo non est impossibile reddere homini omnes animi vires easdem secundùm numerum. Atque id etiam facturum forrasse probabilius. De corpore quoque communior est opinio quòd dum est in homine, non aliam habeat formam quàm ipsam animam. Quod si cum Scoto tribuamus corpori propriam quandam formam corporeitatis qua corpus constituitur, ea non perit; quia corpus quantumcunque mutetur, non desinit esse corpus. Si verò insuper detur ei propria quædam forma huius mixti corporis eademque ab anima diuersa, quæque temperie mixti dissoluta pereat; iterum respondebimus omnipotenti Deo non esse difficile eiusmodi quoque formam eandem numero reuocare, qui & animam rationalem si perijsset, imò & angelum in esse reuocare posset.

§. 5. *An omne & solum id resurget quod fuit de veritate humanæ naturæ.*

S. Thom. suppl. q. 80. art. 4. INter varias opiniones quæ apud naturales philosophos atque etiam Theologos de nutritione humani corporis extiterunt, vt videre licet ad distinctionem tricesimam libri secundi & apud sanctum Thomam part. 1. quæstione vltima; ea pro vera retinenda est quæ tradit nutrimentum verè conuerti in substantiam aliti eiusque forma informari, idque tam in hominibus quàm in cæteris animantibus, & proinde non solum illud præcisè quod fuit ex semine genitum, esse aut fuisse quoad corpus de veritate humanæ naturæ, sed prætereà quicquid postea corpori per nutritionem accessit.

Iam ergo si quæritur, an omne illud & solum quod de veritate fuit humanæ naturæ, restituendum sit homini in resurrectione; respondendum quod neque omne illud vniuersaliter & in omnibus, neque solum restituetur, sed hoc in vnoquoque resurget quod ad naturæ veritatem & integritatem tam in indiuiduo quàm in specie secundùm illum resurrectionis statum pertinebit.

Cùm igitur resurgentium corpora quacunque ætate mortua, sint habitura plenam & perfectam atque indiuiduo congruentem staturam seu quantitatem, vt supradictum est, si quibus plus fuit materiæ in corpore vel vno eodemque tempore vel diuersis temporibus, videlicet propter continuam accessionem vel decessionem materiæ, dum aliæ particulæ corpori per nutritionem accedunt, aliæ per internam contrariarum qualitatum pugnam recedunt; in ijs tantum resurget quantum ad conuenientem ipsis quantitatem sufficit. Quibus autem deerit, & totum quod fuit materiæ, resurget, & quod deest, aliunde supplebitur. Igitur qui vel monstrosam habuerunt staturæ proceritatem, vel nimium crassi vel obesi fuerunt, non totam illam corporis molem resument, sed quantum sufficiet corporis integritati pro illo statu. Nam reliquum materiæ quod in corpore fuit, tanquam superfluum relinquetur. In ijs autem qui vel infantes vel pueri mortui sunt, quique licèt ætatem assecuti, tamen ex alio quopiam naturæ defectu iustam staturam non attigerunt, supplebit virtus diuina quod deerit, vndecumque Deo placebit, ac primùm, vt maximè probabile est, ex particulis illis quæ actione primarum qualitatum continuò defluxerant, tales enim particulæ fuerunt de veritate humanæ naturæ. Deinde si minùs illæ sufficiunt, etiam ex alijs quibuseunque corporis superfluitatibus, aut vndecunque. In quibus autem ad perfectam quantitatem productis pro ætate illa neque defectus fuit materiæ neque excessus, ijs omnibus illa corporis materia præcisè restituetur, quam illo tempore atque ætate habuerunt. Nam particulæ quæ vel ante illam mediam ætatem defluxerunt, vel post accesserunt similiter vt superfluæ reputabuntur, neque in resurrectione resumentur. Quod mirum videri non debet, quandoquidem & in primo statu innocentiæ futurus erat continuus quidem partium defluxus licèt non ad corruptionem ducens, vt suo loco docetur, quæ partes nullo vnquam tempore erant homini restituendæ.

Ex his igitur responsio patet ad quæstionem, an omnes humani corporis partes resurgent. Dicendum est enim non minimas quasque particulas, scilicet eas quas materiales physici vocant, restituendas esse, sed eas omnes quas vocant formales, vt sunt caput, oculi, aures, manus, pedes, digiti, articuli, ossa, nerui, venæ & cætera, item horum singulorum partes notabiles. De partibus autem materialibus, tantum vel restituetur vel subtrahetur, quantum opus erit ad hoc vt iustam & statui illi conuenientem sine excessu vel defectu quantitatem corpus habeat.



§. 6. *An resurg'ntibus omnia membra & humores restituentur.*

S. Thom. [illegible]

PLeniùs explicandum quod de resurrectione partium formalium modò diximus. Et quia inter illas partes imprimis ea numeranda sunt quæ vocantur membra humani corporis; hinc nulla ratione dubitandum est, quin electis omnibus omnia membra quæ ad naturæ integritatem spectant, sint restituenda, non tantùm ea cum quibus mortui sint, sed etiam si quæ fortè ijs vel à natiuitate defuerint, vel postea quocunque casu fuerint ablata. Si quæ verò superflua fuerint, ea quoniam deformitatem adferunt, non decorem, non restituentur.

Ratio huius doctrinæ multiplex est.

Primò, quia omnes electi resurgent perfecti, sine defectu & superfluitate. Hoc enim requirit status beatę resurrectionis.

Deinde, quia natura ad sui perfectionem exigit omnia membra & organa. Est autem resurrectio ipsius naturæ in melius restitutio; & proinde si fortè natura errasset, etiam hoc ipsum in resurrectione corrigendum veniet.

Tertiò, quia appetitui naturali quo ad corpus suum inclinatur anima, non perfectè fieret satis, si non vniuersa corporis sui membra reciperet.

Quartò, quia cùm resurrectio sit opus supernaturale Dei, non poterit defectus illic prouenire ex parte virtutis agentis, sicut in naturalibus contingit.

Quintò probatur ex Christi beneficio, per quem omnis defectus & imperfectio tandem plenè auferenda est ab omnibus ijs qui sunt Christi, & mors atque corruptio penitus exterminanda. Quod non fieret, si aliqua eorum membra in morte aut corruptione remanerent. Vnde apostolus 1. Corinth. 15. de electis loquens, ait: *Surget in incorruptione*. Et iterum: *Mortui resurgent incorrupti*. Item: *Absorpta est mors in victoria, &c.*

Postremò probatur ex Christi conformitate. Promittitur enim electis resurrectio, qua Christo fiant conformes, vt *qualis cælestis, tales sint & cælestes*, secundùm apostolum ibidem. Non esset autem perfecta consorminitas, si quod membrum deesset. Hinc est quod electis suis ac potissimùm martyribus quorum multi membrorum suorum mutilationem erant passuri propter Christum, ipse promittit dicens Luc. 21. *Capillus de capite vestro non peribit*. Vnde sanctus Augustinus sermone 4. de verbis Domini. *Deus*, inquit, *carnem tuam vsque ad numerum capillorum reddet tibi*, & idem plura ench. 91. Et sanctus Anselmus super Ephes. 4. *Siue claudus modò sit aliquis, siue cæcus, siue quolibet membro careat, in resurrectione perfectionem omnium membrorum habebit, &c.* Hanc sanè perfectionem resurrectionis expectare se profitebantur martyres Machabæi 2. Machab. 7. Quorum tertius linguam & manus abscindendas proferens ait: *E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* Sic Razias cap. 14. intestina sua projiciēs inuocabat dominatorem vitæ & spiritus, vt ea illi iterum redderet. Hanc eandem sententiam eleganti carmine explicat Prudentius in apotheosi cap. vlt. quod est de resurrectione carnis humanæ, vbi canit inter alia.

Et totus veniam, nec enim minor aut alius quàm
Nunc sum, restituar nec me vel dente vel vngue
Fraudatum reuomet patefacti fossa sepulchri. Et infrà.
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit, &c.

Verùm hic objiciet aliquis de costa primi hominis, ex qua formatum fuit corpus mulieris, quæ si cum corpore suo resurrectura est, consequens videtur Adamum non cum omnibus suis membris resurrecturum; sed facilè respondetur costam illam etsi de veritate substantiæ esset corporis Adæ, non tamen ad integritatem eius pertinuisse.

Quæres, quomodo igitur non fuit superflua, & quomodo ipse Adam non fuit creatus deformis ac monstrosus? Respondeo non fuisse superfluam. Habebat enim eum vsum vt ex illa formaretur mulier, cuius consortium viro necessarium erat ad multiplicandum genus. Nec per hoc deformis fuit Adam, quia corporis eius forma seu figura exterior eadem mansit priùs & posteriùs. Nam ablata costa Deus repleuit carnem pro ea vt est Genes. 2. Hæc communis est solutio. Alij tamen aliter de quo vide ad distinctionem decimamoctauam libri secundi.

Et hæc quidem de electis. Nam de reprobis res non perinde certa est, neque rationes supradictæ de ijs conueniunt, quia neque beatam resurrectionem sortientur, neque beneficiorum Christi tunc erunt participes. Vnde & Augustinus ench. 92. de ijs nihil putat pro certo asserendum.

Durandus autem negatiuè respondet, existimās reprobos in resurrectione omnibus illis membris carituros quibus caruerunt quando mortui sunt, siue absque ijs nati fuerint, siue quocunque casu ea postea amiserint.

Probat eam sententiam hoc modo, sicut sancti resurgent ad vltimam felicitatem, sic damnati ad vltimam miseriam: sed sanctis nihil auferetur quod pertineat ad eorum felicitatem, sed potiùs superaddetur: ergo damnatis similiter nihil auferetur de his quę pertinent ad eorum miseriam, sed potiùs superaddetur; & per consequens defectus aliquorum membrorum quia pertinet ad miseriam, in damnatis manebit & non reparabitur.

Altera eius ratio est, quia quod sanctis auferentur defectus membrorum si quos habuerint, id erit ex diuina gratia: sed damnatis nulla fiet gratia, non ergo talis defectus ab eis tolletur.

At verò sanctus Thomas, Bonauentura, Richardus, Dominicus & alij simpliciter affirmant reprobos omnes cum omnibus membris resurrecturos, neque hac in parte discrimen agnoscunt inter reprobos & electos.

Ratio horum præcipua est, quia resurrectio est quædam naturæ reparatio per virtutem supernaturalem Dei tanquam authoris naturæ. Cùm ergo Dei perfecta sint opera, naturam quam integram creauit, integram reparabit sine respectu ad culpam; & proinde restituet omnia membra.

Addi potest & hæc ratio: Sicut constabit veritas resurrectionis in toto homine, ita & constare debet in omnibus membris: ergo sicut resurget totus homo, ita & omnia membra. Sed hæc ratio tantùm probat de membris quocunque casu amissis, siue per mutilationem, siue per morbum, siue aliter,

non

non autem de membris quę quis nunquam habuit, vt in monstris.

Similiter probat hæc ratio: Iustum est vt quisque puniatur in ijs membris per quæ peccauit, iuxta illud Sapient. 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*: vt ergo reprobi puniantur in omnibus membris per quæ peccarunt, erunt ijs omnia illa restituenda, etiamsi fuerint ante mortem amissa. Hanc rationem extendit Bonauentura etiam ad ea membra, sine quibus fortè nati fuerunt, quia, inquit, quod auferenda sit deformitas quæ est per diminutionem, hoc est, propter perfectam punitionem voluntatis. Quæ quoniam omnium membrorum fuit rectrix, & omnia habere voluit, licet non habuit; ideo in omnibus puniri debet & torqueri.

Denique accedit hæc ratio: Omnes impij videbunt Christum in humana forma iudicantem, iuxta illud Apocal. 1. *Et videbit eum omnis oculus*, & illud Luc. 3. *Videbit omnis caro salutare Dei*: ergo qui cæci fuerant, vt iudicem suum videant, oculos & visum recipient. Quod si ita est, consequens videtur vt & alia membra restitui debeant, cum de omnibus eadem sit ratio.

Addunt quidam ideo cæcis reddendos oculos, vt videant dæmones quod erit valde horrendum, & ad maiorem pœnam pertinebit: Item vt videant teterrimum ignem & homines damnationis socios. Sed hæc ratio parum concludit, quia dæmones cum sint incorporei, corporeis oculis per se non videntur. Ignem autem & socios damnationis videri ab ijs qui cæci nati fuerint, idque ad maiorem eorum pœnam, iustitia non videtur exigere, cùm tales visu nunquam peccauerint, licèt peccauerint mala videndi cupiditate, sed quæ cupiditas etiam sine visu sufficienter ibi punietur. Sed nec ideo necesse est omnibus linguam quibus defuit, restitui, quia Deum sunt blasphematuri; blasphemia enim per se non est pœna sed peccatum, cui non est necesse vt per resurrectionem instrumentum procuretur, si antea defuit; præsertim cum sufficiat permissio malę voluntatis reproborum Deum blasphemare volentium.

Harum autem opinionum quæ sit maximè probanda, difficile est æstimare. Neque enim rationes hinc inde allatæ ita concludunt, vt solui posse non videantur.

Verumtamen non videbitur abertare, si quis distinguendo respondeat hoc modo: Quod si defectus membrorum fuerint à natiuitate, vt si quis natus sine manu vel pede, &c. non apparet satis magna ratio, quare huiusmodi sint reprobis restituenda, quæ nunquam ijs adfuerunt, quoniam nec per ea peccauerunt, nec in ijs resurrectionis proprietas locum habet. Sed si defectus illi post natiuitatem acciderint, quoniam eiusmodi membra in natura fuerunt, postulat ratio vt cum natura per resurrectionem reparentur. Neque enim interest, quoad membra corporis, siue cadant simul cum toto corpore, ad hoc vt in corpore resurgant; siue quædam eorum cadant ante casum corporis. Nam casus eorum quandocunque fiat, mors quædam partialis est, cui sua resurrectio respondet. Magis autem confirmatur hæc responsio in ijs qui per huiusmodi membra peccarunt, aut qui ea ob facinus aliquod amiserunt: velut quibus lingua, manus, auricula fuit amputata. Nam in huiusmodi membris per quæ peccarunt, maximè debent puniri, exemplo epulonis euangelici, cuius lingua præ alijs membris cruciatur.

Postremo loco quæri solet de intestinis & humoribus, num & ea sint in corporibus resurgentium futura.

Sed de vtrisque respondendum affirmatiue. Nam intestina veræ sunt partes humani corporis, & de ijs expressum habemus testimonium Raziæ senioris 2. Machab. 14. qui intestina proijciens Dominum precatus est, vt ea in resurrectione sibi redderet. Nec quidem vacua restituentur, sed vt aiunt sanct. Bonauentura & Dominicus plena nobilibus ac subtilibus atque illum statum decentibus spiritibus seu humiditatibus. Quod de electis intellige; nam reproborum viscera materia sordida quæ ijs congruat, replebitur.

Humores quoque qui quatuor numerantur, sanguis, atra, & flaua bilis & phlegma, quoniam ad vitæ huius mortalis necessitatem & integritatem pertinuerunt, licèt non propriè sint partes, restituentur resurgentibus: electis quidem in ea mensura, quæ ad optimam corporum constitutionem pertineat; reprobis autem prout iusto iudici Deo videbitur, & meritis eorum congruet.

Nec obstat illud 1. Corinth. 15. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*: Nam ea sententia sicut veritas carnis non negatur ibi futura, ita nec sanguinis, sed vicium & corruptio carnis & sanguinis, id est, ipsius hominis à beata resurrectione remouetur, vt alibi diximus.

Aliæ porrò humiditates quales nunc in corpore sunt & de corpore exeunt, non resurgent: vt sudor, vrina, lac, semen & huiusmodi, quia corporis quædam sunt superfluitates, nec futuro seculo seruiunt, vbi nec nutritio nec generatio locum habebit.

§. 7. *Quatenus eadem omnino membra restituenda.*

QVod dictum est de identitate totius corporis resurgentis cum eo quod moriendo cecidit, vtrumne similiter accipiendum sit de singulis corporis membris; quæri potest. Nam sanctus Augustinus enchir. 89. dicere videtur non necessariò sic astruendam eorumdem corporum resurrectionem, vt ea quæ dilapsa sunt atque in alias species conuersa, ad easdem quoque corporis partes, vbi fuerunt, redire debeant. Quam rem declarat similitudine statuæ transfusæ. S. Thom. suppl. 80. art.

Sed reuera cùm non sit Deo difficile materiam dilapsam suis partibus ac membris exactè restituere, nihilo magis, quàm promiscuè reponere in quacunque corporis parte; credibile prorsus est non modò corpori toti, sed & singulis membris propriam suam materiam esse restituendam: sic vt quæ fuerat materia oculi, redeat ad oculum; quæ fuerat manuum reddatur manibus, & ita de alijs seruata etiam eadem partium materiæ positione.

Quod & certiùs ex eo probatur, quia cùm fide teneamus eadem numero corpora resurre-

ctura esse, idque propter eandem omnino corporis materiam quam animæ sunt receptutæ, multò perfectiùs hæc identitas obtinebitur si partes etiam & membra singula suam recipiant materiam, eo quo diximus modo, quàm si materiæ identitas in corpore quidem toto retineatur, non autem in partibus. Siquidem nec idem omnino totum esse poterit, cuius non sint eædem omnino partes. Sicut enim totum est quod ex partibus constat, ita idem totum quod ex iisdem constat partibus. Vnde & sacræ literæ sicut corpora, sic & membra nos eadem in resurrectione recepturos esse tradunt. Sic enim Iob confitetur capit. 19. *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: Quem & oculi mei conspecturi sunt.* Sic Christus discipulis suis post resurrectionem ostendit *manus suas & pedes & latus*, videlicet eadem quæ ante habuerat Luc. 24. & Ioan. 20. Sic etiam tertius inter Machabæos martyres linguam & manus abscindendas proferens sperare se dixit eadem illa membra se recepturum 2. Machab. 7. quod & Razias de intestinis profitetur cap. 14. Quò pertinet etiam vox illa Eutychij Constatinopolitani: *Credo quia omnes in hac carne resurgemus*, id est, quisque in sua. Quæ nimirum confessio nititur articulo fidei, quo credimus carnis resurrectionem. Cùm enim resurrectio sit eius quod cecidit, consequens inde est quod resurget eadem numero caro; & proinde similiter eadē numero ossa, eędem manus, iidē pedes & ita de cæteris. Quę quidem identitas partium non consistit in sola identitate formæ substantialis & accidentium, sed materiæ quoque tanquam partis essentialis identitatem postulat; adeo vt si manui vel pedi vel oculo non eadem restituatur materia, consequens appareat non fore eandem manum vel pedem vel oculum, nihilo magis quàm si alicui pro manu abscissa & combusta, miraculosè ex nihilo vel ex diuersa quapiam materia alia manus substituatur, licèt eandem numero formam habitura.

Denique probatur hæc identitas ab exemplo resurrectionis eorum quos ad vitam hanc mortalem legimus fuisse reuocatos. Omnibus enim illis eadem omnia membra fuerunt restituta. Quare cum perfectior esse debeat resurrectio quæ erit ad vitam immortalem, magis credendum est per illam restituenda esse eadem numero omnia corporis membra. Atque hæc est doctrina sancti Thomæ & aliorum in hanc distinctionem scribentium.

At neque sanctus Augustinus contrarium sentit. Nam enchir. 89. non aliud vult quàm non esse necesse, vt quæcunque superflua velut capilli & vngues toties detonsi redeant ad easdem partes, sed quatenus opus erit secundum sapientissimam summi artificis prouidentiam, alijs partibus accessura esse: & eatenus tantùm proferr massæ & staturæ similitudinem, vt clarius patet ex alio loco, nempe libr. 22. de ciuitate Dei, capit. 19. Quod enim non omnino simile sit illud quod adfertur de statua metalli fusilis liquefacta, & in priorem figuram ab artifice transfusa, quæ eadem statua cum priori vocabitur, licet eędem materiæ partes ad eadem statuæ membra non redeant, facilè docetur. Primum enim non erit eadem numero figura sed specie tantùm. Nam prior figura colliquatione periit. Atqui figura est ipsius statuæ forma essentialis. Deinde cùm partes statuæ sint homogeneæ sola figura differentes non admodum refert, vt iisdem membris an diuersis materia reponatur. At in homine membra inter se heterogenea sunt, id est, diuersæ rationis, si non secundum substantiam, saltem secundum proprias functiones & alia multa accidentia. Quare ex materiæ confusione multò maior in homine diuersitas nascetur quàm in statua.

Cæterùm quod ad illam attinet Domini sententiam: *Capillus de capite vestro non peribit*, Lucæ 21. ex qua consequens videtur quod vnius partis materia alij parti vel membro sit apponenda, cùm plane sit indecens ac desorme si omnes capilli qui per omnem vitam vel defluxerunt vel detonsi sunt, suo loco reponantur. Quo sanè argumento motus videtur sanctus Augustinus libro vicesimosecundo de ciuitate Dei, cap. decimoquinto, decimonono & vicesimo, & ench. 89. vt putaret nihil materiæ decessurum corporibus, sed materiam vnius partis si superflua ibi fuerit, transituram ad aliam partem, vbi decentem habitura sit locum: Respondemus eâ sententiâ hyperbolicè significatum, Deo præcipuam & summam esse curam electorum suorum, ita vt nihil prorsus quod ad integritatem & perfectionem eorum pertineat, etiam secundum corpus, iis defuturum sit, quibuscunque tandem modis in hoc sæculo vel viuentibus vel mortuis ablatum fuerit ac deperditum.

Quanquam ipse sanctus Augustinus idem argumentum etiam aliter solui posse fatetur cap. 19. Dicit enim ea Domini verba non de longitudine sed de numero capillorum dicta multò aptiùs posse intelligi, iuxta id quod alibi dicitur: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt.*

§. 8. *Quid de iis qui carnibus humanis nutriti fuerint.*

Peculiarem difficultatem habere videtur quæstio quæ moueri solet de iis qui carnibus humanis vescentes, eas in sui corporis substantiam transmiserunt. Fieri enim non potest vt eadem materia simul diuersis restituatur corporibus. Sed hanc quæstionem compendio absoluit sanctus Augustinus libro vicesimosecundo de ciuitate Dei, capit. vicesimo, & enchir. 88. *Reddetur*, inquit, *caro illa illi homini, in quo esse caro humana primitus cœpit. Ab illo quippe altero tanquam mutuò sumpta deputanda est, quæ sicut æs alienum, ei reddenda est, vnde sumpta est.* Hæc sanctus Augustinus. Vnde intelligendum vlterius relinquitur, prioribus quod suum est repetentibus, supplendum vndecunque in posterioribus quod deest, sicut & supplebitur in aliis, quibus aliquid vel integritatis vel quantitatis defuerit. S. Thom. suppl. q. 80. ar. 4. tract. ad 5. & 6.

Quod si verò quempiam fingamus tota vita sua solis humanis carnibus nutritum fuisse, saltem resurget in eo tota materia quam nascendo accepit: Reliquum autem eodē supplebitur modo, quo in iis qui statim vt nati sunt, moriuntur, quos in ætate & statura virili resurrecturos suprà ostendimus. Quanquam revera fieri non potest, vt quis tantùm humanis carnibus alatur tota vita. Nam infantia lac & teneros cibos necessariò requirit. Deinde sine potu viuere non potest homo. Potus autem cibo permixtus etiam transit in substantiam. Item carnes solæ non comeduntur sine

pane,

pane, vel alio cibo supplente locum panis. Vnde etiamsi aliquem anthropophagum ponamus natum ex parentibus anthropophagis, non tamen consequens erit eum non aliam habere corporis sui materiam, quàm quæ ab alijs hominibus accepta sit. Quocirca nullo modo cogimur fateri, quod vel eadem in diuersis hominibus materia resurget, vel alicui propria defutura sit, in qua resurgat.

Iam ex dicta sanct. Augustini responsione illud quoque perspicuum est, ex ipsius etiam Augustini sententia, non simpliciter vnicuique totum id restituendum, quod aliquando de substantia corporis eius fuit, cùm non possit eadem caro simul in diuersis resurgere, licèt in diuersis diuerso tempore fuerit; ac proinde etiam hoc rectè dici, quod tantum singulis restituetur, quantum modus corporis cuiusque secundum illum resurrectionis statum requiret, quemadmodum suprà declaratum est.

§. 9. *Quid de fœtibus abortiuis ac monstrosis.*

S. Thom. ibi sup.

QVæri potest. Vtrùm fœtus abortiui seu qualitercunque in vteris matrum extincti vel præmaturè effusi per resurrectionem ad vitam sint reuocandi? & similis mouetur quæstio de monstris partu humano editis; maximè si non per omnia figuram habuerint humanam.

De vtroque genere breuis & aperta est responsio, dubitandum non esse quin omne illud quod anima rationali aliquando informatum fuit, sit ad vitam reuocandum. Ratio est, quia illud qualecunque sit, si animam rationalem habet aut habuit, hominem esse aut fuisse constat; quia rationalis anima solius est hominis: Atqui hominem aliquem qui mortuus fuerit, à resurrectione excludi fides Catholica non patitur.

Nec minùs efficax probatio sumitur ex parte ipsius animæ. Nulla enim rationalis anima peritura est aliquando sic vt in nihilum redigatur. Illud quoque certum nullam animam perpetuò futuram sine corpore. Consequens igitur est vt corpus suum resurgendo recipiat, sed in eam membrorum speciem & proportionem restitutum, qualem status eius & conditio requiret.

Si quæras vlterius: Qui fœtus ac monstra habuerint aut non habuerint animam rationalem; respondeo iuxta ea quæ dicta sunt ad dist. 31. si formatus fuit fœtus, animatum fuisse anima rationali, & proinde resurrecturum esse. Forma enim humana indicat hominem esse aut fuisse id in quo naturaliter est aut fuit. Addo *Naturaliter*, propter ea quæ arte fiunt. Sin autem informis adhuc erat fœtus quando extinctus est, in eo anima rationalis non fuit, ideoque nec resurrectionis consortium habebit. Nam etsi demus in eiusmodi fœtu vitam aliquam fuisse, qua vel vegetaretur vel etiam sentiret, non tamen resurget, quod vitam non habuit humanam, id est homini propriam, quæ non est nisi per animam rationalem.

De his autem plura videat qui volet apud Augustinum lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 13. & ench. 85. 86. & 87.

Ad monstra verò quod attinet, id est, eos fœtus qui ab humana natura sunt aliquantulum diuersi, si tanta diuersitas est vt magis alterius cuiuspiam animalis quàm hominis figuram habeant, non ad

A humanam sed animalis illius naturam & speciem cuius magis figuram refert monstrum tale, pertinere putandum est. & ita quoniam non hominis animam habet sed bestiæ, nec resurrectionis particeps erit. Sin magis in eo apparet humana figura; argumento est verè hominem esse aut fuisse, ac proinde vitæ in resurrectione recepturum esse.

Si denique dubia est figura, iudicium præcipuè sumendum erit ex capite quod rationis ac sensuum sedes est. Hoc enim si humanum est aut humano propius, pro homine iudicatur. Et in vniuersum quoties vel dubium est an sit homo, vel probabilius est hominem esse, pro homine iudicandum erit; &

B si viuit, baptizari debet, ne per nostram dubitationem anima, quæ fortassis humana est, in æternum pereat.

Porrò de homine bimembri seu bicorpore rectè docet idem Augustinus ench. 87. non vnum hominem duplicem sed duos seiunctos resurrecturos esse; quod tamen intellige si duplex fuerit secundum partes principales, maximè secundum caput & cor. Id enim argumento est duas animas esse quæ proinde singulæ singula recipient corpora.

C Nam si tantùm exempli causa, manus aut brachia aut pedes fuerint duplices, argumentum est vnum fuisse hominem & vnam animam. Quare & corpus vnum ei in resurrectione restituetur.

§. 10. *Vtrùm deformitates & vicia corporum reditura sint.*

S. Thom. suppl. q. 86. art. 1.

PRæter membrorum orbitates & corporum monstrositates de quibus iam dictum est, existunt & aliæ deformitates & vicia corporum, ac priuationes sensuum quæ inesse possunt etiam membris integris, vt claudicatio, cæcitas, surditas distortio, inæqualitas & inepta compositio mēbrorum: item lepra, febris alijque morbi, læsiones & vulnera corporum. De quibus omnibus quæri potest, an & quatenus reditura sint in ijs qui resurgēt.

Primò respondetur electorum corporibus nihil restituendum esse quod vitiosum sit aut deformitatem vel infirmitatem aliquam adducat, sed eorum corpora fore sine omni vicio pulchra,

E sana, firma, optimeque disposita. Cuius ratio patet ex eorum perfecta felicitate; Idque docet sanct. Augustinus enchir. 91. Neque de ea re vllo modo dubitandum est.

Secundò, quamuis in Christo & martyribus non erunt vulnera quę in hac vita passi sunt, hoc enim ad miseriam pertineret, certum tamen est ex euangelio Christum cum cicatricibus seu potiùs fixuris & apertuis vulnerum suorum quę in latere, manibus & pedibus acceperat, resurrexisse.

F Valde etiam probabile est ac penè certum quod eadem signa cęlo intulerit, quodque cum ijsdem sit ad iudicium venturus, eademque in cælesti gloria perpetuò seruaturus. Nam quòd ea sit in iudicio exhibiturus, significat illa scriptura: *Videbunt in quem transfixerunt* Zachar. 12. & Ioan. 20. Quo testimonio sic vsus est Chrysostomus homilia de cruce & latrone tom. 3. vt doceret Christū vulnera sua, id est, vulnerum signa in iudicio omnibus ostensurum. Similiter sentiunt Ignatius in epist. ad Smyrnenses, Cyprianus vel quisquis author ser. de baptismo Christi, Leo ser. 2. de ascensione Domini, Rupertus lib. 13. in Matth. & alij.

Deinde

Deinde nec improbabile est etiam in martyrum corporibus aliquid tale futurum, quod eorum passiones & vulnera, quę pro Christo tulerunt, quasi ad oculum monstret ac repræsentet. De qua re disserens sanctus Augustinus libro vicesimosecundo de ciuitate Dei, capit. 20. *Nescio*, inquit, *quo modo sit affectus amare beatorum martyrum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices quæ pro Christi nomine pertulerunt: & fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis sed dignitas erit: & quædam quamuis in corpore non corporis sed virtutis pulchritudo fulgebit: nec ideo tamen si aliqua martyribus amputata & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est: Capillus capitis vestri non peribit. Sed si hoc decebit in illo nouo seculo, vt indicia gloriosorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, vbi membra, vt præciderentur, percussa vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen eisdem membris redditis non perditis apparebunt. Quamuis itaque omnia quæ acciderunt corpori vicia, tunc non erunt, non sunt tamen deputanda vel appellanda vicia virtutis indicia*. Sic ille: Quæ sententia placet etiam sancto Ambrosio scribenti in Luc. 24. Dicit enim tales martyres nobis in cœlo monstrandos, qualis Christus in cœlum ascendit & ad dexteram patris sedet; nempe cum insignibus suorum vulnerum.

Tertiò dicimus quod ad reprobos attinet, incertum esse nec magnopere laborandum, vtrum & quatenus cum supradictis vicijs & deformitatibus sint resurrecturi. *Neque enim*, inquit Augustinus enhir. 92. *fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio.*

Disputant tamen hac de re scholastici; & sanct. Thomas quidem in hanc distinctionem scribens putat reproborum corpora resuscitanda absque omni deformitate & vicijs supradictis, argumento sumpto ex perfectione humanæ naturæ quoad corpus, quam habuit in prima sui conditione, ad quam per resurrectionem homo reparatur. Ob quam etiam causam conceditur reprobos omnes in ætate perfecta resurrecturos non minùs quàm electos. Igitur iuxta hanc sententiam ea corporum habitudo reprobis restituetur, quam erant habituri ex primæua institutione: sic vt non solùm nullum in eis membrum desideretur, sed etiam vt nullam vndecunque contractam deformitatem seu quodcunque vicium in corpore sint habituri.

Verùm ea ratio non concludit vt rectè probat Bonauentura, qui proinde censet probabilius, quod omnia corporis vicia & deformitates, exceptis ijs quæ sunt per diminutionem, sint in reprobis ipsa resurrectione renascitura. Idem sentit Durandus, ijs etiam vicijs quæ per diminutionem sunt comprehensis, vt suprà dictum est.

Horum sententia quoad deformitates & ineptas membrorum compositiones videtur hac maxime ratione probari; quia quamuis resurrectio sit reparatio naturę, nō tamen iuxta perfectionem primæ institutionis, sed tam electis quàm reprobis iuxta ipsorum merita. Quare quod electorum corpora ab omni vicio ac deformitate immunia erunt, id non videtur referendum in statum resurrectionis secundum se, sed quatenus est electorum, qui talem resurrectionem meruerunt, imò quibus talem resurrectionem Christus meruit. Non ergo beneficium illud commune futurum est reprobis; vt qui non hoc meruerunt, & proinde relinquenda sunt in ijs mala naturæ accessoria, quæ habuerunt in hac vita. Vnde de ijs dicit Augustinus tract. de vrbis excidio capit. 4. quod *carnem recipient non ad beneficium sed ad supplicium.*

At dices, vt obijcit Dominicus: Continget hoc modo eos qui æqualiter peccauerunt, non æqualiter puniri, si videlicet illorum alter deformis, alter formosus fuerit. Respondeo id non esse inconueniens in pœna accidentaria; sicut & contra fit in præmio accidentario.

Præterea probatur ista sententia hoc argumento: Nam si omnia corporum vicia tollerentur à reprobis, sequeretur mulieres omnes corpore incorruptas, id est, virgines resurrecturas esse. Quod profectò non videtur dicendum. Nam electi quidē licèt non omnes habituri sint aureolā virginitatis, omnes tamen vtriusque sexus virgines erunt; sublato videlicet omnis corruptionis vicio, quod in hoc seculo contraxerant: sed ad reprobos id nulla ratione videtur extendi.

De sensibus autem quoniam per eos maximè corpora puniuntur, probabiliter dici potest, quod qui per eos peccarunt, etiamsi postea ijs orbati fuerint, nihilominus cum ijs resurgent, quia hoc illis cedet ad grauiorem punitionem, quam peccando per sensus meruerunt. Si qui autem sensu aliquo semper caruerint, non videtur exigere ratio, vt cum eo resurgant.

Nam quod obijcitur omnes impios Christum iudicem visuros in humana forma, non planè conuincit de sensu oculorum omnibus cæcis restituendo. Solet enim visus comprehendere & alios sensus quibus aliquid percipitur præsens: imò extenditur ad sensum cōmunem & ad ipsum intellectum, quo solo à dæmonibus & à beatis spiritibus iudex ille videbitur.

§. 11. *Corpora damnatorum nullo cruciatu consumenda.*

QValiscunque futura sit habitudo corporum damnatorum; illud certum est, ea nunquam vlla pęnarum seu cruciatuū magnitudine consumēda esse, sed sic incorruptibilia fore atq; immortalia, vt nulla contrarij actione corrumpi aliquando aut emori possint; sed neque ad corruptionem aut mortem alteratione aliqua disponi. Nam dispositio est accessus quidam & appropinquatio ad terminum. Quare vbi terminus haberi non potest, nec dispositio ad terminum poterit locum habere. *S. Thom. suppl. q. 86. ar. 2.*

Hanc doctrinam probant ea scripturæ testimonia, quæ docent pœnas reproborum fore perpetuas. De qua re postea suo loco dicetur. Inde enim consequens est & ea quæ pœnas subeunt, sempiternum duratura. Quin hoc ipsum ad eorum pœnam pertinebit quod mori cupient & non poterunt, iuxta illud Apoc. 9. *Quærent homines mortē & non inuenient eam, desiderabūt mori & fugiet mors ab eis.*

Sed quæritur causa dictæ incorruptibilitatis, respondet sanctus Thomas lib. 4. contra gentiles capit. 89. quod propterea corrumpi non poterunt corpora post resurrectionem, quia eorum materia non erit amplius transmutabilis de forma in formam. Ex quo sequitur sicut generationem ibi nullam fore, ita nec corruptionem. An autem huius plena & sufficiens causa rectè referatur in cessationem motus corporum cælestium, id magis Physicæ quam Theologicæ cōsiderationis est. Videatur autem de hac re idem sanctus Thomas opusculo 10. art. 25. & 26. & opusc. 11. art. 21.

Porrò

Porrò corpora reproborum fore passibilia, certum est ex pœnis & supplicijs quibus erunt subiecta. Qua ratione quædam ijs corruptio rectè tribuitur; videlicet afflictionis, doloris & miseriæ. Vnde Augustinus ench. 92. *Nec moueat*, inquit, *quomodo in eis erit corpus incorruptibile, si dolere poterit, aut quomodo corruptibile si mori non poterit. Non est enim vera vita, nisi vbi feliciter viuitur, nec vera incorruptio, nisi vbi salus nullo dolore corrumpitur. Vbi autem infelix mori non sinitur, vt ita dicam, mors ipsa non moritur:* &, *Vbi dolor perpetuus non interimit sed affligit, ipsa corruptio non finitur: Hæc in sanctis scripturis secunda mors dicitur.* Idem in psalm. 57. *Habebunt*, inquit, *corruptionem carnis in qua doleant, non in qua moriantur: alioqui & illi dolores finirentur.* Similia scribit lib. 21. de ciuit. Dei capit. 5. & ante eum Lactantius lib. 7. diuinarum institutionum capit. 21. Nam corruptionem ibi aliquam fore, satis etiam apostolus indicat dum electis proprium facit, quod *surgent in incorruptione*, quodque eorum *corruptibile corpus induet incorruptionem*, 1. Corinth. 15. & idem indicium de morte. Non enim in reprobis impletur illud: *Absorpta est mors in victoria &c.* sed in solis electis, quemadmodum & illud ibidem quod *oporteat mortale hoc induere immortalitatem.* Ea enim immortalitas est impassibilitas, quæ inter dotes corporum beatorum numeratur, de quibus infrà. Hac igitur ratione reprobi adeo non erunt immortales, vt semper futuri sint in morte. Sicut enim electi fruentur vita æterna, sic reprobi patientur mortem æternam.

Vtrùm verò damnatorum corpora passura sint ob realem susceptionem contrariæ qualitatis ab agente impressæ, an sola sensus immutatione per formas sensibiles, quomodo patitur oculus à colore; problematicè apud scholasticos disputatur, tametsi pars posterior probabilius statui videtur ex ijs rationibus quas adfert Dominicus super vltima distinctione art. 3. Quod autem non debeat videri incredibile, vt semper ab igne patiantur damnatorum corpora, nec tamen aliquando consumantur, multis exemplis ostendere conatur Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 1. 2. 3. & 4. Inter quę exempla illud præcipuum esse videtur quod adfertur de anima hominis, quæ etsi in corpore posita quàm intensissimè doleat illata forinsecus passione, corrumpi tamen non potest. Cui passioni persimilis erit passio corporum in inferno, si quod probabilius esse diximus, passura dicantur non reali susceptione qualitatum contrariarum, sed sola sensus immutatione per species sensibiles. Hæ namque species secundum se & exclusa reali contrariorum impressione magis natæ sunt perficere corpus sensitiuum quàm corrumpere.

§. 12. *Ignis inferni sitne corporeus & nostro similis.*

S. Thom. suppl. q. 97. ar. 5. & 6.

SEntentia Domini qua de damnatis dicit: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur* Marc. 9. quæ sumpta est ex Isa. vlt. præbet occasionem quærendi: Cuiusmodi sit ignis in inferno & cuiusmodi vermis. Nam vt est apud Augustinum lib. 20. de ciuit. capit. 22. quidam vtrumque referunt ad corpus, alij vtrumque ad animum, alij denique alterum ad corpus, alterum ad animum. Nam ignem quidem corporeum intelligunt, vermis autem nomine conscientiæ remorsum tropicè significatum accipiunt.

Vtrumque ad corpus retulisse videntur quidam patres, vt Basilius in psal. 33. super illud, *Timorem Domini docebo vos*, ponit enim in inferno non tantùm ignem corporeum sed etiam vermium quoddam genus venenum immittens & carnem vorans atque inexplebiliter edens &c. nisi quis hęc ipsa apud Basilium spiritualiter intelligi debere contendat. Prudentius quoque in hamart. sic canit:

Vermibus & flammis & discruciatibus auum
Immortale dedit, semo ne pœna periret,
Non pereunte anima.

Vtrumque ad animam retulit Origenes, de quo Hieronymus in epist. 59. quæ est ad Auitum capit. 2. ita scribit: *Ignis quoque gehennæ tormenta quæ scriptura sancta peccatoribus comminatur. non ponit in supplicijs, sed in conscientia peccatorum, quando Dei virtute & potentia omnis memoria delictorum ante oculos nostros ponitur, & quicquid feceramus in vita vel turpe vel impium, omnis eorum in conspectu nostro pictura describitur: ac præteritas voluptates mens intuens, conscientiæ punitur ardore, & pœnitudinis stimulis confoditur.* Hæc ille de sententia Origenis. Quem hac in parte sequitur Ioannes Caluinus, docens infernum nihil esse nisi conscientiæ horrorem lib. 3. instit. capit. vlt. & ignem quem reprobis scriptura minatur, esse cruciatum malæ conscientiæ super Heb. 10.

Cæterùm Augustinus loco prædicto, Sanct. Thomas opusc. 10. artic. 41. & alij plærique tam veteres quàm scholastici doctores tertium partitionis membrum amplectuntur; vermem scilicet ad animam, ignem ad corpus referentes.

Horum igitur omnium sententia est, ignem quo affliguntur damnati, corporeum esse, quo videlicet non tantùm corpora damnatorum post resurrectionem, verùm etiam dæmones & spiritus hominum reproborum crucientur.

Hanc sententiam priusquam argumentis probemus, sciendum est dum quæritur, num ignis ille sit corporeus, non moueri quæstionem de grauitate siue acerbitate pœnarum inferni, sed tantùm de modo puniendi, deque punitionis instrumento. Constat enim etiam sine corporeo igne posse Deum grauissimè punire & corpora & animas, & quascunque spirituales substantias. Quare si quis in dubium vocaret, an ignis ille sit corporeus, non propterea censeri deberet in dubium vocare magnitudinem pœnarum inferni.

Pro igne corporeo faciunt imprimis frequentes sententiæ scripturæ, in quibus damnatorum supplicium ignis nomine designatur; apertissimè verò Matth. 25. dicente iudice ad eos qui à sinistris erunt: *Ite maledicti in ignem æternum.* Vbi ne quis putaret sola damnatorum hominum corpora illo igne crucianda esse, adiecit: *qui paratus est diabolo & angelis eius.* Ex quo sequitur in eundem ignem mittendos esse ex iudicis sententia homines reprobos, qui quidem corporei erunt, & dæmones qui sunt incorporei. Cùm autem corporibus puniendis conueniens sit corporeum instrumentum; omnino consentaneum est ignem, quo damnatorum corpora exurentur, corporeum intelligi. At scriptura eum ignem communem facit dæmoni-

A bus, igitur & dæmones igne corporeo cruciabuntur. Si dæmooes, igitur & aoimæ separatæ ante iudicij diem. Ratio enim est eadem, quia tam dæmonum quàm animarum spiritualis est natura, & vtrisque locus ioternus commoois.

Alius locus non minùs manifestus est Matth. 10. *Timete eum*, inquit Dominus, *qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*; vbi profectò si quis gehennam interpretari velit tormentum malæ conscientiæ, prorsus delirabit. Nam animæ quidem ea interpretatio quadrare B poterit fortasse, sed corpus quomodo mittetur in illam gehennam? Oportet ergo ibi corpoream gehenoam intelligi qua corpora puniantur.

Rursum quod corporeus ignis intelligatur, ita probant: Quoties in scriptura præsertim historica vocabulum occurrit quod in sensu proprio sanè accipi potest, ita accipiendum est, vt cælum, terra, aqua &c. Gen. 1. Atqui potest ignis propriè accipi, vbicunque scriptura de pœnis inferorum loquens igoem nominat; ergo propriè accipiendus est.

C Verùm hæc probatio non est omnino efficax. Nam scriptura de inferno loquens interdum etiam aquam, & niues & vermem nominat, quæ si Dei omnipotentiam spectemus, propriè accepta possunt haud dubiè esse apud inferos, nec tamen ibi esse putaotur nisi secundùm sensum metaphoricum. Sed tamen quia scriptura pœnam inferoi significare volens frequenter & quasi ordinariè nominat ignem & gehennam ignis, valde probabile ex eo fit quod propriè & non metaphoricè debeat ignis intelligi. Iam verò rectè sequitur: Ignis propriè D accipitur, ergo corporeus intelligitur. Nullus enim ignis propriè dictus incorporeus est. Nam omnis incorporea substantia iotellectiua est.

Aliud argumentum pro igne corporeo sumitur ex historia euangelica Luc. 16. de diuite epulone cuius anima passa est ignis incendium ipso diceote: *quia crucior in hac flamma*. Neque enim anima illa in corpore erat, sed extra corpus, quia tam diues qoàm mendicus mortuus fuisse narratur.

E Sed hoc argumentum non esse insolubile putat Augustinus lib. 21. de ciuit. capit. 10. Dicit enim conuenienter ad illud respooderi posse talem fuisse illam flammam, quales oculi & qualis lingua diuitis, & qualis digitus Lazari, quæ membra eodem loco commemorantur. Sic enim posse intelligi incorpoream flammam, sicut membra illa incorporea ac necessariò per tropum intelligenda. Vnde & lib. 12. de Gen. ad literam cap. 32. quomodo illa quæ de diuite & Lazaro narrantur, intelligenda sint, indiscussum relinquit.

F Potest nihilominus responderi, cum constet animam separatam non habere corporalia membra, satis per se manifestum esse quod membra ibi oominata spiritualiter intelligi debeant: de flamma autem id non esse consequens, cum possit Deus sicut per corporalia sacramenta aoimam mundat & sanctificat. (Vnde & aquam propriè accipimus, cum dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*) ita & per res corporales animam & incorporeos spiritus affligere.

Sed tameo quæ sit Augustini de hac re sententia, videamus. Primùm igitur lib. 20. de ciuit. cap. 22. dicit credibilius esse io illo scripturæ loco vbi dicitur: *Vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur*, ignem propriè ad corpus, vermem verò tropicè ad animam referri. Deinde lib. 21. capit. 2. & sequentibus probat non debere incredibile videri quod corpora in vstiooe ignis possint perpetua & viuentia permanere. Cuius rei si oulla apud oos extarent exempla, debere tameo nobis ad id credendum sufficere omoipotentiam creatoris. Et capit. 9. de gehenna & æternarum qualitate pœnarum disserens rursum eorum præfert sententiam, qui ignem propriè, vermem tropicè intelliguot. Denique capit. 10. perspicuè suam sententiam explicans sic ait: *At verò gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulfuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum & dæmonum, solida hominum, aërea dæmonum, aut tantùm hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus sine corporibus hærentes, sumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Vnus quippe vtrisque ignis erit, sicut veritas dixit.* Hęc ille. Qui & alibi eandem doctrinam satis indicat vt super psalm. 49. & 57. & lib. 1. de serm. Domini in monte tractans illud Matth. 5. *Reus erit gehennæ ignis.*

Io eandem sententiam scribit Gregorius lib. 15. moral. capit. 17. super illud Iob 20. *Deuorabit eum ignis qui non succenditur*: *Ignis*, inquit, *gehennæ cum sit corporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur; sed creatus semel durat inextinguibilis & succensione non indiget, & ardore non caret*, & alia quę sequuntur.

Vbi ootaodum in quibusdam exemplaribus viciosè legi, *incorporeus*. Nam cootextus loci satis conuincit legendum esse eo modo quo diximus.

Idem lib. 4. dial. cap. 28. *Sicut*, inquit, *electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est quod à die exitus sui ignis reprobos exurat*. Et Petro ioterrogante: Qua ratione credendum est, quia rem incorpoream videlicet animam à corpore separatam tenere ignis corporeus possit; respondet: *Si viuentis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur? &c.* adducens ad id probandum scripturam Luc. 16 de anima diuitis epulonis io inferno posita. Denique Petro respondente, *Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari*, sobiungit Gregorius: *Certè reprobis veritas in fine dictura est: Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius. Si igitur diabolus eiusque angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si animæ & antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?* Sic ille. Cuius sententiam ipsis etiam verbis ex eo transcriptis expressit Iulianus episcopus Toletaous lib. 2. prognost. de futuro sæculo capit. 17. quę citantur à Magistro io textu. Nec diuersum de pœna animarum separatarum sentit Cassianus Collat. 1. capitul. 14. similiter à Magistro citatus. Haymo quoque homil. dom. 2. post pent. proposita sibi quæstione an ignis gehennalis corporeus sit an iocorporeus; respoodet dicendum, quia sic corporeus esse creditur, vt animam incorpoream cruciare possit. Deinde subiungit: *Quod autem res corporea ani-*

mam

A *nam incorpoream cruciare possit mirum non est, cum viuente quolibet homine spiritus in corpore tenetur. Nam apostatas angelos quis incorporeos spiritus esse dubitet? & tamen igne gehennali sine intermissione cruciantur, sicut Veritas reprobis dictura est, Ite maledicti &c. Non est ergo dubium animam incorpoream ante iudicium ab igne corporali posse torquere, cum hoc in spiritibus immundis possibile demonstretur.* Hæc ille.

Quin & ante hos omnes Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 12. & Cyprianus in epistola ad Demetrianum de hoc igne tanquam corporeo lo-
B quuntur, vt omittam Basilium & Prudentium iam antè citatos; sed & Lactantius lib. 7. diuinarum institutionum cap. 21. saltem de reprobis hominibus post resurrectionem igne corporeo cruciandis videtur non dubitasse.

Denique pro hac sententia magnum sumitur argumentum ex igne purgatorio. Nam in synodo Florentina Latini patres se credere dicunt ignem in hoc mundo esse, quo animæ leuioribus peccatis obnoxiæ expiantur. Corporeum autem ignem ab ijs intelligi ex eo liquet, quod ibidem Græci
C contrà non ignem sed obscurum locum ærumnis plenum agnoscere se dicant, in quo tales animæ detineantur. Quod si iuxta Latinorum patrum confessionem corporeus est ignis in quo animæ solæ sine corporibus purgantur; igitur & illum ignem in quo animæ solæ sine corporibus ante iudicium vna cum dæmonibus cruciantur, corporeum esse nihil prohibet; ac multò magis eum in quo post resurrectionem animæ suis corporibus rursum vnitæ cruciabuntur. Quamquam nec hoc argumentum certam omnino fidem facit. Nam sub finem eiusdem synodi declarant patres non re-
D ferre, siue ignis, siue obscuritas, siue quid aliud esse credatur, in quo animæ expientur. Vnde & in ipsa dogmatis definitione pœnas purgatorias nominant, non ignem. Verumtamen cum Latini iam ante in synodo professi fuerint credere se ignem esse id quo animæ purgantur, eumque sine dubio corporeum intellexerint, cumque supra recitata Gregorij verba de pœnis animarum damnatarum idem credendum esse significent: satis patet eam doctrinam quæ tradit ignem esse corporeum, quo dæmones, quo eodem & homines reprobi siue ante iudicij diem sine corporibus, siue post eum
E corporibus puniuntur, communem atque adeo ecclesiasticam esse; cui proinde non sit resistendum. Nam & inter articulos Parisijs anno 1270. damnatos iste legitur octauus numero: *Quod anima separata post mortem non patitur ab igne corporeo.*

Et sanè doctrina hæc à ratione minimè abhorret. Iustum est enim tam spiritus quàm animas separatas quæ peccando à Deo creatore suo recesserunt, puniri per creaturam eamque corpoream: vt quia per superbiam quod supra est appetiuerunt, luere cogantur per id quod infra se
F est, id est, per rem corpoream tanquam diuinæ iustitiæ instrumentum; quomodo Ægyptij & Chananæi per vilia quædam animalcula grauiter afflicti atque exterminati leguntur in Exod. & lib. Sap.

Est & alia ratio congruentiæ supra indicata & ad ignem peculiariter accommodata. Sicut enim Deus quamuis animam mundare possit à peccato non adhibita re corporea, vult tamen eam mundare per elementum corporeum non quodcunque sed maximè mundatiuum id est, per aquam; ita quamuis spiritum & animam pro peccato punire possit non adhibito corporeo elemento tanquam instrumento, vult tamen vtrumque punire per elementum corporeum, nec id quodcunque sed per illud quod maximè & actiuum & proinde maximè afflictiuum est, id est per ignem.

Sed iam vlterius, vtrùm ignis ille sit eiusdem naturæ ac speciei cum nostro elementari an diuersæ, quærunt & disputant Scholastici. Qua de re Alfonsus à Castro lib. 1. contra hæreses cap. 9. *Si quis*, inquit, *credat ignem inferni esse similem aut dissimilem huic, quem apud nos hic cernimus, non censebitur hæreticus, eò quòd lis est adhuc sub iudice.* Sic ille. Probabiliter tamen sentiunt qui putant eiusdem esse naturę, licèt secundum accidentia sit multum diuersus. Nam nomen ignis specificum est, sicut nomen aquæ. Quare quicunque verè & propriè ignis est, non poterit non eiusdem esse speciei cum nostro elementari igne.

Quod autem secundum accidentia ignis gehennæ multum sit à nostro diuersus, non est dubium, quia & longè acrius vrit, & non luminosus sed obscurus est, & vt perpetuò duret, fomentis non indiget, quemadmodum de eo patres testantur, vt Gregorius lib. 15. moral. capit. 17. Lactantius lib. 7. diuin. instit. capit. 21. & alij.

Quod autem eodem loco Lactantius dicit illius ignis naturam diuersam esse ab hoc nostro: vtpote qui per se ipsum semper viuat nec fomentis egeat, sed purus sit ac liquidus, & in aquæ modum fluidus &c. non videtur referendum ad diuersitatem speciei. Nam igni elementari constituto in loco suo naturali, videntur ea quæ Lactantius memorat, reuera cōuenire. sed significat diuersum esse secundum multas qualitates ab eo qui est in vsu humano, vtpote qui crassæ materię necessariò cohæret.

Ad eundem modum quod dicit Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 16. neminem mortalium scire, cuiusmodi sit ille ignis, magis de qualitatibus & modo vrendi spiritus incorporeos, quàm de specifica eius natura videtur accipiendum.

§. 13. *Responsio ad argumenta quædam in contrarium.*

DOctrina superior his ferè argumentis solet oppugnari. *S. Thom. vbi sup.*

Primùm: Dæmones & animæ damnatorum incorporeæ sunt, igitur ab igne corporeo pati non possunt; tum quia spiritus non potest pati à corpore; tum quia corporeus ignis agit per qualitates, quarum non est capax natura incorporea. Et quidem de anima, eò quòd sit immaterialis & à Deo infusa, apud Prudentium in apotheosi cap de natura animæ disputator

Obijcit, anne fides capit, vt substantia flante
Inspirata Deo cruciatum sentiat, atque
Inferni petat ima poli, barathroque coquatur.

Secundum: Dæmones & animæ separatæ non habent sensum: atqui ignis corporeus non infert nisi sensibilem pœnam. Nec satis apta videtur ad has duas rationes responsio, si dicatur Deum miraculosè vti igne corporeo ad puniendas naturas incorporeas, cum miracula non sint ponenda sine

nulla necessitate, maximè in carcere damnatorum. Potest enim Deus damnatos illos spiritus etiam grauissimè torquere sine miraculo, solam infligendo pœnam spiritualem.

Tertium: Si ignis intelligendus est corporeus, vbicunque in scripturis nominatur ignis gehennæ, similiter oportebit & vermem corporeum intelligere, cùm propheta & Christus hæc duo pari sermonis habitudine coniungant. Hoc autem meritò improbabile habetur, & à plærisque negatur, eò quòd absurdum sit vermibus aut quibuscunque bestijs post diem iudicij & renouationem sæculi, vitam eamque perpetuam, quam in hoc sæculo non habuerunt, tribuere. Hoc argumentum est Caluini super Heb. 10.

Quartum: Ignis in sacris literis sæpe metaphoricè quamcunque grauem afflictionem significat vt in psalmis: *Transiuimus per ignem & aquam*, & rursus, *Igne me examinasti*, & apud Ecclesiasticum: *In medio ignis non sum æstuatus*, igitur ad designandam grauissimam illam pœnarum inferni acerbitatem nominatus videtur ignis, cuius est in hac vita cruciatus acerbissimus.

Quintum: Dæmones condemnati fuerunt & pœnis addicti, priusquam homo peccaret: ergo cùm essent incorporei, spiritualis & non corporalis pœna fuit eis ab initio decreta. At ea non est mutata per hominis peccatum; Quin potiùs homini eadem pœna postmodum est constituta, quæ dæmonibus iam antè fuerat attributa, iuxta illud: *Ite in ignem &c.*

Sextum: Dæmones vbicunque sunt, torquentur igne cui semel sunt addicti, quia vt ait Beda super Iacob. 3. *Dæmones quocunque eunt gehennam secum portant*: & tamen non circumferunt secum ignem corporeum. Nam ita consequens foret eos quocunque mouentur, corpus circumferre. Vnde sequeretur vlteriùs dæmones non posse moueri in instanti, quia corpus in instanti moueri non potest.

Deinde cùm aër iste plenus sit contrarijs potestatibus, sequeretur eum plenum esse igne corporeo, eoque summè calido. Quare fieri non posset, quin & aër ipse perpetuò calidus esset.

Denique sequeretur eos qui à dæmonibus obsessi sunt, eodem igne miserabiliter cruciari, maximè quando vnus possidetur à multis. Quod tamen est contra experientiam. Nihil enim tale sentiunt energumeni.

Septimum: Ignis corporeus agit naturaliter; ergo si gehennæ ignis corporeus esset, reprobos omnes sine discrimine æqualiter cruciaret. Quod constat falsum esse.

Octauum: Hieronymus super Isa. vlt. tractans locum de igne & verme, dicit à plærisque vtrumque referri ad conscientiam peccatorum, id est ad animam non ad corpus.

Nonum: Augustinus lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 33. dicit animam de corpore egressam, cùm sit spiritualis, non ad corporalia loca ferri, sed ad spiritualia corporalibus similia: ergo similiter & ignis animas affligens non corporalis est sed spiritualis, corporalis enim ignis necessariò locum exigeret corporalem. Idem scribens super psal. 57. distinguit inter pœnam qua diues epulo cruciatur apud inferos, & ignem æternum in quem reprobi mittentur in fine sæculi. Vnde apparet quod ex Augustini sententia animæ separatæ non illo corporeo igne cruciantur in quem mittentur resumptis corporibus, sed pœna quadam spirituali. Et lib. de cognitione veræ vitæ cap. 40. *Infernus*, inquit, *incorporeus est, substantia spiritualis cuius pœna tantò sit intolerabilior, quantò spiritus est corpore subtilior*: quam sententiam sequentibus deinde verbis probare nititur.

Decimum: Ioannes Damascenus lib. 4. orth. fid. cap. vlt. scribit in hunc modum: *Tradentur diabolus & dæmones eius & homo eius*, id est, antichristus, & impij & peccatores in ignem æternum, non materialem qualis est apud nos, sed qualem nouit Deus.

Postremum: Lactantius lib. 7. cap. 21. etsi fateatur animas post iudicium carne indutas igne quodam corporeo puniendas esse, separatas tamen & solas negat à rebus solidis & corporalibus vim vllam pati posse.

Vt ad hæc obiecta respondeamus, ante omnia notandum est illos grauiter errare qui spiritibus & animabus separatis corpora quædam subtilia tribuunt vnà cum sensibus corporeis, aut sensus ipsos sine corpore. In quo errore videtur fuisse Cassianus Collat. 1. cap. 14. vbi dicit animas corpore exutas non priuari suis sensibus, sed per eos sentire & quasi prægustare pœnas quæ ipsis in illo generali examine reseruantur. Ad quem errorem accedit aliquousque author libelli de spiritu & anima apud Augustinum, dicens quòd anima recedens à corpore secum trahit sensum, scilicet imaginationem ex qua simul & concupiscibilitate afficiatur anima beata ad læticiam, & damnata ad tristiciam. Nobis contrà secundùm veritatem fatendum est spiritus & animas separatas neque corpora gestare, neque sensum vllum vel exteriorem vel interiorem habere; ac proinde si propriè de sensu loquamur, pœnas nullas sentire, quia sentire non est sine sensu: Deum tamen igne corporeo tanquam instrumento vti ad eas puniendas, idque modo quodam supernaturali ac nobis incomperto, de quo Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 10. *Cur non dicamus*, inquit, *quamuis miris, veris tamen modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?*

Gregorius autem lib. 4. dialogorum cap. 29. quosdam huius rei insinuat modos.

Primùm enim dicit quòd anima ignem eo ipso patitur quod videt. Sed hoc certum est non sufficere. Nam videre ignem non est ab igne pati passione afflictiua; præsertim cùm visio quæ animæ separatæ competit, non sensitiua sit, sed tantùm intellectiua, & ipsius intellectus secundùm se perfectiua, sicut omnis alia cognitio.

Dicit deinde quòd anima, quia cremari se aspicit, crematur. Quibus verbis indicare videtur quòd sola apprehensio qua anima apprehendit ignem vt sibi molestum, suumque tormentum, sufficiat ad molestiam & dolorem ipsi inferendum. Sed nec hoc reuera satis est. Nam eo modo pateretur quidem anima à fallaci sua apprehensione, non tamen ab igne.

Tertiò dicit quòd incendium anima non solùm videndo sed etiam experiendo patitur; posse enim corporeum illum ignem bifariam considerari: Vno modo quatenus res quædam est corporea, qua quidem ratione nequit in animam agere; Alio modo quatenus est instrumentum vindicis iusticiæ Dei, quæ exigit vt anima quæ peccando se rebus corporeis subiecit, eisdem pœnas

paticodo

patiendo subdatur. Verùm quo pacto & secundùm quem modum Deus igne vt instrumento ad animæ punitionem vtatur, non explicat, vti nec illud, quomodo anima facultatis sensitiuæ expers dicatur experiendo pati incendium.

Est igitur inter doctores scholasticos sententia communis atque ex Augustini & Gregorij verbis elicita; nempe animam separatam pati ab igne per hoc quod ab illo detinetur, non quidem vt forma naturalis à materia seu potiùs in materia, cui sic coniungitur vt vnum quid constituat, quomodo anima detinetur in corpore, sed eo ferè modo quo locatum detinetur à loco. Quamuis enim spiritus incorporei ita loco definiantur, vt tamen ab eo non detineantur, sed virtute sua naturali possint quemcunque locum in quo sunt, relinquere dum volunt, per diuinam tamen iusticiam dæmones & animæ impiorum ita coniunguntur igni & sunt in igne, vt ab eo tanquam carcere detineantur, eique tanquam vinculis quibusdam violentè sint alligati, sicut naturaliter anima detinetur in corpore eique quodammodo alligatur. Quæ violenta detentio cum spiritus illos naturali sua libertate priuet, eorumque naturali dignitati maximè deroget, summam in eorum voluntate tristiciam efficit. Hanc igitur tristiciam dicunt esse pœnam dæmonum & animarum, quam sine corpore ab igne patiuntur. Hic tamen dicendi modus quamuis communis, Dominico non satisfacit, sed præterea dicendum putat dæmones pariter & animas ab igne corporeo tanquam diuinæ iusticiæ instrumento pati tristiciam eiusdem rationis cum ea quam patiuntur animæ corporibus vnitæ ab igne corporeo per sensum corporis: Et hoc tantum esse discriminis quod anima coniuncta tristiciam illam patiatur mediante dolore corporis, separata verò sine tali medio, cum sit sine corpore. Et sanè non videtur negandum vt aiunt, quin sicut potest spiritus vniri corpori vt ei vitam communicet, ita possit spiritus vniri igni, vt ab eo pœnam trahat, eamque prorsus similem illi, quam ab igne traheret, si in corpore esset, licèt tam vtriusque vnionis, quàm huius actionis & passionis modum explicare non valeamus. Id quod ingenuè fatetur Durandus q. vlt. in hanc distinctionem, idemque voluit Augustinus quando dixit animas ab igne torqueri *miris sed veris modis*, & Gregorius dicens animas ex igne visibili trahere pœnam inuisibilem id est, intellectui nostro occultam & imperceptibilem.

His præmissis ad primum & secundum argumentum respondetur, ignem corporeum non agere in spiritum naturaliter, sed vt dictum est, tanquam supernaturale instrumentum potentiæ ac iusticiæ Dei. Cur autem non frustrà ponatur hæc supernaturalis actio, satis intelligi potest ex dictis capite superiori. Nam & Ægyptios per Moysen, & Assyrios per angelum Deus punire voluit prodigiosè & extraordinario modo. Deinde & valde congruit, vt sicut ignis cohibet naturam suam propter pios vt in camino Babylonio, vbi nec corpora nec vestes puerorum adussit; ita & naturam suam transcendat propter impios, vt in camino inferni spiritus ipsos quod naturaliter non posset, adurens.

Ad tertium respondetur, scripturam cùm de pœnis inferni loquitur, assiduè ignem nominare, vermem autem rariùs; & proinde non esse simile de igne & verme. Vnde & patet responsio ad quartum. Neque vlla consequentiæ necessitas exigit, vt vox vno vel pluribus locis figuratè sumpta, etiam alibi sic accipiatur.

Ad quintum respondemus ex Gregorio lib. 15. moral. cap. 17. quod omnipotentis Dei iusticia futurorum præscia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit. Sciebat autem Deus non solùm angelos sed etiam homines peccaturos. Deinde etsi solus angelus peccasset, conueniens tamen ei pœna fuisset ignis corporei, vt ex supradictis satis intelligitur.

Ad sextum respondet S. Thomas 1. q. 64. art. 4. ad 3. quod dæmones qui sunt extra infernum, licèt actu non sint alligati igni gehennali, non tamen per hoc minor est eorum pœna; propterea quod sciant illam pœnam sibi deberi, nam ex hoc æquè grauem tristiciam patiuntur. Atque hoc duntaxat sensu dicuntur dæmones quocunque pergunt, gehennam secum portare. Vnde patet nihil eorum sequi quæ colligebantur.

Septimũ argumentum soluitur ex eo quod iam dictum est, ignem illum non agere naturaliter sed vt instrumentum supernaturale Dei volentis per eum punire vnumquemque pro meritis. Quanquam nec naturales causæ æqualiter agunt si subiecta materia non sit similiter affecta. Qua comparatione ad rem propositam vtitur Gregorius lib. 4. dialogorum cap. 43. & Haymo.

Ad octauum, Hieronymus non negat ignem gehennæ corporeum, sed quid alij quidam senserint, indicat. Fuit enim hæc Origenis opinio, vt refert ipse Hieronymus in epistola ad Auitum. Nam & eodem loco in Isa. alium Origenis errorem tacito nomine refert ac refellit. Fieri quoque potest vt respexerit Hieronymus ad sententiam Ambrosij quæ est lib. 7. super Luc. 14. vbi sic dicit: *Ergo neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis*; & quæ sequuntur, in quibus ignem & vermem spiritualiter interpretatur de vrente & rodente conscientia. Ad quem tamen Ambrosij locum responderi posset, eum interpretari ignem & vermem de pœna quæ apud inferos est præcipua, non tamen absolutè negare cruciatum tam animarum quàm dæmonum ab igne corporeo.

Ad nonum. Augustinus fatetur in retractationibus se multa in ijs lib. de Gen. ad lit. magis quærendo & disputando quàm definiendo dixisse.

Ad alterum locum respondetur non malè pœnam cõstitui diuersam ex eo quod anima ante iudiciũ patitur ab igne sine corpore, post iudiciũ verò per corpus & corporis sensus. Qui duo modi patiendi multum sunt diuersi, licèt ab vno eodemque igni. Tertius locus non est Augustini sed authoris ignoti, cuius sententiam non probamus.

Ad decimum, Damascenus non aliud vult quàm ignem illum non fore impurum & crassum, qualis hic noster est. Id enim materiale vocasse videtur, sed purum, liquidum, subtilem ac sine fomentis perpetuum, qualis à Lactantio describitur.

Ad postremum respondeo Lactantij rationem tantum conuincere de actione & passione naturali. Nam ignem corporeum inferni eodem capite clarè agnoscit & describit, licèt dubitasse videatur num animæ corporibus exutæ ab illo patiantur.

§. 14. *Quis vsus membrorum & sensuum post resurrectionem.*

S. Thom. suppl. q. 81. ar. 4.

VEritatem resurrectionis ex eo capite quidam impugnarunt, quia membra plurima corporis humani nullam functionem, nullum prorsus vsum habitura videantur post resurrectionem: præsertim si talis futura resurrectio credatur, qualem promittit fides Catholica, id est, in qua non erit vita animalis sed spiritualis; cessante nimirum omni operatione vitali quæ ad nutritionem & tam speciei quàm indiuidui conseruationem pertinet. Nam *regnum Dei*, vt ait apostolus Rom. 14. *non est esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto*, & *seminatur quidem corpus animale, sed resurget corpus spiritale*, & *primus quidem homo de terra terrenus; secūdus autem homo*, cuius omnes electi portabūt imaginem, *de cælo cælestis* 1. Cor. 15. & definitè dictum est à Domino quod *filij resurrectionis non nubent, neque nubentur, sed erunt æquales angelis Dei*. Quod si non nubent neque nubentur, quia nulla erit generatio, ergo nec comedent neque bibent, quia nutritio non erit. Quod enim Isa. 65. de electorum felicitate dicitur: *ecce serui mei comedent, serui mei bibent*, spiritualiter accipiendum est de plena saturitate omnis sancti desiderij, sicut & illud Luc. 22. *Vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*. Quam saturitatem desiderabat ille qui dicebat: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei* Luc. 14. Quæ cum ita sint, tolli videtur vsus membrorum corporis quibus hæ solent actiones exerceri.

De sensibus quoque qui vitę animali principaliter subseruiunt, id est, de gustu, tactu & odoratu, deque potētijs vegetatiuis eadem mouetur difficultas. Nam si hæ facultates animæ nullam ibi habebunt operationem nec vsum; ergo frustrà erunt, & proinde nec erunt. Neque enim in illo beatissimo & perfectissimo statu frustraneum aut superfluum aliquid esse poterit.

Sed ad hæc respondendum est, Deum qui fecit hominem, quique omnia eius membra in prima institutione naturæ ad certos vsus finxit & deputauit; posse ijsdem alias operationes vel vsus attribuere. Vnde quamuis qui illo sæculo digni habebuntur, neque generatiuæ neque nutritiuæ potentiæ vllum actum exercebunt, neque carnis voluptatibus operam dabunt, sicut carnalis & impurus docuit Mahometes; membra tamen etiam illa futura sunt, & membrorum naturales facultates quæ fuerant in hac vita, non quidem omnia ad pristinum, sed saltem ad ornatum vniuersi, & ne quid desit ad perfectionem humanæ naturæ qualis est à Deo condita, simul etiam ad declarandam excellentiam ipsius animæ quæ vim habet membra tanquam instrumenta mouendi ad certas actiones; denique vt appareat Dei sapientia in opificio tam admirabili, id est, in toto homine secundum corpus & animam.

An autem peculiarem insuper vsum habitura sint singula corporis humani membra, vti non asserimus ita non est temere negandum. Sicut enim nobis artificis alicuius officinam ingressis accidit, vt multorum instrumētorum vsum ignoremus, ac ea putemus superuacanea & inutilia quæ tamen [illegible]nnia suum habent vsum artifici cognitum; ita for[illegible]è nobis accidit quasi per caliginem contemplantibus statu[illegible] illum beatæ resurrectionis & cælestis habitac[illegible] id est, corporis immortalis cuius opifex erit Deus, In quo opere quem vsum singula sint membra habitura, nouit ille qui *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, licèt nos id pro magna parte ignoremus. Quod mirum non est, quoniam ne pro hac quidem animali vita omnium partium humani corporis vsus satis est medicis certò cognitus & exploratus: nam de quibusdam adhuc dubitatur, de alijs diu dubitatum fuit, quem vsum haberent. Sic ergo quorundam membrorum in futura vita, vt oculorum, aurium, linguæ, manuum, pedum functiones quasdam vtcunque nouimus. Erit enim ibi motus localis & progressiuus, erit aspectus sāctorum mutuus, idemque iucundissimus, & imprimis Christi redemptoris, qui profectò secundum humanam naturam erit summè desiderabilis ad videndum oculis corporeis, qui & signa passionis suæ quibus nostràm operatus est salutem, ostendet admirabili luce fulgentia: Ibi laus Dei ex ore omnium proferetur & auribus omnium audietur & perpetuum resonabit Halleluia, & ita de quibusdam alijs. Quorum autem membrorum operationes ibi futuras nondum nouimus, ibi per experientiam discemus, quando implebitur quod à propheta dictum est & ab apostolo repetitum: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se*. Sicut autem membra corporis, sic & potentiæ illis propriæ, vt progressiua, sermocinatiua &c. suum vsum habebunt. Neque enim membra sine potētijs actus suos exercēt, & cùm inter eas sint sensus tam interiores quàm exteriores, perspicuum est in illa vita fore sensuum vtriusque generis aliquas operationes. Neque de ea re vllo modo dubitandum est. Nam alioqui resuscitatio illa corporum magis ad somnum quendam perpetuum instituta videretur quàm ad vitam, quæ in vigilia, id est, sensuum exercitio maximè apparet.

Quin imò valde probabile est omnes sensus suam aliquam operationem habituros. Quod quidem de visu iam probatum est, & amplius adhuc probatur ex eo, quia visus obiecta in mundo etiam innouato passim obuia erunt.

Probatum quoque est de auditu & plenius probatur: quia absurdissimum est in illo statu homines mutos & surdos fingere sed & clamores eorum qui apud inferos cruciabuntur, auditu perceptibiles erunt.

Tactus autem tangendo & palpando sua percipiet obiecta, quæ vt varia illic erunt, ita variè sed tamen iucundè sensum tangendi afficient.

Probabile quoque est odores suauissimos ibi non defuturos, quibus olfactus delectabiliter afficiatur.

At de gustu minùs quidem probabile videri potest ex eo quod apud nos hic sensus soli nutritioni subseruiat, quæ ibi nulla futura est. Verumtamen si nostræ regenerationis exemplar, quod est Christus, intueamur, de quo legimus quod post resurrectionem comedit & bibit cum suis discipulis, vt resurrectionis suæ veritatem manifestaret Luc. 24. & Act. 10. nihil sanè dubitandum quin idem sensus & in nobis futurus sit post resurrectionem, sicut in Christo fuit, licèt non ad hunc vsum, vt de potu aut cibo iudicet, quia potus & cibus corporeus in illa spirituali vita non erit.

Si quæras quem igitur vsum illic habitura sit gustandi facultas; respondeo iuxta communem doctorum opinionem, nihil quidem externum assumendum ab homine beato cuius sapore delectetur,

sed perpetuum quendam humorem optimi temperamenti in organo gustus futurum, qui mellislua ac nectarea quadam saporis suauitate sensum illum afficiat. Neque enim credibile est solum gustum illic ab actu proprio cessaturum, si cæteris omnibus sensibus proprios aliquos actus concesserimus. Si cui tamen hoc de gustu in illa spiritali vita minùs probatur, ad id quod suprà diximus, redeundum erit, nempe sensum hunc vt & alias quasdam potentias velut nutritiuam, generatiuam &c. ibi mansuras saltem propter hominis in anima & corpore perfectionem, ornatum vniuersi, & opificis Dei sapientiam demonstrandam. Quam responsionem Augustinus lib. 22. de ciuit. cap. 24. ex eo confirmat, quia videmus etiam in hac vita quædam membra ita posita esse in humano corpore, vt tantummodo decorem habere videantur, non etiam vsum aliquem proprium. Quamquam quod de proprio vsu singulorum sensuum iam diximus, vel ex eo potest effici vehementer probabile, quia sic futurum creditur apud reprobos. In his enim præcipuè quidem tactus, sed præterea & reliqui sensus omnes sensibiliter malè afficientur. Quare iustum est & conueniens electorum statui, vt in ijs è diuerso omnes sensus sensibiliter benè afficiantur.

Dicet aliquis ideo non esse ponendas in futura vita sensuum operationes, ne intentionem mentis impediant, quò minùs liberè & perfectè tota in Deú feratur; Cui respondeo nequaquam id esse metuendum. Quoties enim duo aliqua sic se habent vt eorum alterum sit alterius causa subsidiaria, cuiusmodi sunt inspectio seu lectio literarum & cogitatio rerum per eas significatarum: Item in oue visio lupi, & imaginatio hostilitatis, & in arte medica inspectio lotij & consideratio præceptorum artis de significatione coloris lotij, in talibus per se non contingit posterius à priori impediri, sed potiùs adiuuari. Nam & vox insonans auribus non impedit nos à consideratione rei significatæ, sed magis eam animo nostro per sensum audiendi ingerit. Cùm igitur in omni creatura à nobis sensu vel intellectu cognita reluceant bonitas, potentia, sapientia diuina, non impedietur sensibilium perceptione mens hominis beati à perfecta atque intima contemplatione Dei, sed quod homo mente semper videbit sine medio, idipsum sensu per medium, id est, per res corporales atque sensibiles percepturus est, quemadmodùm testatur Augustinus lib. 22. de ciuit. cap. 29. explicans quomodo Deum etiam corporeis oculis visuri sint beati, non quidem vt proprium oculorum obiectum, sed quia quæcunque sensibus occurrent externis, ipsum Deum menti nostræ interiùs quodammodo loquentur.

§. 15. Quot & quæ sint futuræ dotes corporum beatorum.

S. Thom. suppl. q. 82. 83. 84. 85.

CONditiones corporum beatorum, quas peculiari nomine dotes ideo vocant Theologi, quòd ijs velut quibusdam ornamentis Christus electorum suorum corpora sit dotaturus, quatuor in sacris literis & patrum scriptis nobis commendantur; scilicet impassibilitas, subtilitas, agilitas & claritas. Quæ vt electis omnibus erunt communes, ita reprobis nec omnes simul nec vlla earum seorsim conueniet, eas comprehendimus hoc distieho.

Clari, subtiles, agiles, impassibilesque,
Omnes quadruplici pollebunt dote beati.

Harum prima impassibilitas non ea intelligitur

A quæ excludit passionem corruptiuam propriè dictam. Nam & damnatorum corpora eiusmodi passionis expertia erunt. Suprà enim ostensum est ea incorruptibilia & immortalia fore sed quæ à corpore excludit, quicquid molestum, triste, pœnale & afflictiuum atque omnino malum est.

De hac dote loquitur apostolus 1. Cor. 15. dicens: *Seminatur in corruptione surget in incorruptione. Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Et iterum, *Neque corruptio incorruptelam possidebit*, & alia multa eodem capite, quę omnia plusquam probabiliter de solis beatorum corporibus intelligenda veniunt. B Quo loco sicut corruptionis nomine omnem corporalem miseriam intelligit, ita incorruptionis nomine statum corporis ab omni miseria liberum significare voluit. Sic Rom. 2. iusti per patientiam boni operis quærere dicuntur *gloriam & honorem & incorruptionem*. De eadem dictum est Apoc. 21. quod *abstergat Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, neque dolor erit vltrà*

Secunda subtilitas non est accipienda ad sensum Eutychij Constantinopolitani, qui corpora sanctorum aëri similia fore dicebat, quæ nec C palpari nec videri possent. Hic enim sensus vt suo loco ostendimus, veritati resurrectionis repugnat, ac multò magis ille secundum quem corpora in spiritus conuertenda esse quidam putarunt. Quem errorem refellit Augustinus lib. 13. de ciuit. cap. 22. At neque per rarefactionem hæc de qua agimus, subtilitas accipienda est, sed ea qualitas qua futurum est vt anima plenè & perfectè corpori dominetur sine impedimento per ipsum exercens quascunque suas operationes. Nam & Christi corpus, quale post resurrectionem apostolis videndum & palpandum D exhibuit, perfectam habuit subtilitatem. Notauit hanc dotem apostolus cum ait: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Dicitur enim spiritale à spiritu viuificante, vel ob id, quia spiritui simile erit quoad perfectionem operationum animæ; vel quia spiritui, id est, animæ erit perfectè subditum etiam sine necessitate alimenti, & ita soluitur obiectio de homine in statu integro. Item ibi erat necessitas somni: At post resurrectionem præsentia animæ per se sufficet & ad corporis conseruationem, & ad omnem operationem exequendam sine impedimento & nullo alio requisito. Vnde alio nomine spiritualitas vocari potest dos ista, quam E rursum designauit apostolus vbi ait: *Primus homo de terra terrenus secundus homo de cælo cælestis. Qualis cælestis tales & cælestes.* Cælestia etiam corpora, vt sol, luna, stellæ, ipsique orbes cælestes perfectissimo quodam modo suis formis substantialibus ad motum proprium subijciuntur.

Hac tamen subtilitate non id assequetur corpus gloriosum, vt simul esse queat cum alio corpore seu glorificato seu non glorificato. Cùm enim hæ dotes perficiant naturam, non tollant, & naturaliter competat corpori dimensio corporea qua sic in proprio loco constituitur corpus vt aliud simul in F eodem loco non admittat, dici non potest dotem subtilitatis id præstare glorioso corpori, vt alia corpora penetrare, ac simul cum ijs esse possit.

Cæterùm quod naturalis rei modus non patitur, facere id præter naturam potest Deus per miraculum, sicut & factum est, quando Christus è sepulchro clauso rediuiuus processit, & quando ianuis clausis ad discipulos ingressus est. Quin & fieri id potest in corporibus nondum glorificatis, vti factum esse patres testantur in corpore Christi nascentis, quando clauso matris vtero prodijt in lucem.

lucem. Quamuis enim diuersitas materiæ propter quantitatem ipsi eorum ita requirat loci distantiam, vt si duo corpora conueniant in vnum locum, vnum corpus ex duobus secundum materiam & quantitatem efficiatur, quemadmodum in mixtionibus patet; potest tamen Deus sua omnipotenti virtute conseruare vtrique corpori proprium esse, quamuis loco & positione alterum ab altero non distinguatur. Cùm enim in hoc nulla contradictio includatur (neque enim sublato posteriori necesse est tolli quod prius est, & proinde sublata naturali quapiam proprietate rei non est necesse tolli rem ipsam seu rei essentiam) dubium esse non debet, quin hoc ipsum diuinæ potentiæ subiectum sit, velut & illud, sublato subiecto salua manere accidentia, quemadmodum fides Catholica nos docet fieri in eucharistia.

Tertia cōditio glorificati corporis, id est, agilitas in eo consistit, quòd per eam corpus perfectissimè subiectum erit animæ, non quidem vt formæ, quæ dat esse corpori, sed vt mobile principio motiuo. Per eam quippe fiet vt corpus sit vbicunque anima esse voluerit, non quidem sine motu successiuo, nec ita vt simul esse faciat corpus in diuersis locis, sed vt summa celeritate ac velut imperceptibili tempore moueatur corpus, idque ad imperium & nutum animæ, quocunque illa volet, secundum omnem positionis differentiam. Neque enim difficilius sursum quàm deorsum, aut in dextrum quàm sinistrum, vel contrà mouebitur, neque omnino labor vllus aut lassitudo in motu interueniet, sed pari, id est, summa facilitate mouebitur in quamlibet partem, prout animæ placuerit, cui nihil placere poterit quod non sit honestum ac decens. De qua re sic Augustinus lib. 19. de ciuit. cap. 27. *Deus*, inquit, *imperabit animo, animus corpori, tantaque ibi lenitas obedientiæ erit suauitas & facilitas, quanta viuendi regnandique felicitas*. Et vltimo capite totius operis: *Qui motus illic talium corporum sint futuri, temerè definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen & motus & status, sicut ipsa species, decens erit, Quicunque enim erit, vbi quod non decet, non erit, certè vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere nec corpus &c.* Idem docet cap. 11. lib. vlt. sed pleniùs lib. 13. cap. 18. & serm. 102 de diuersis, vbi non de hac tantùm dote sed & de alijs disserit.

Porrò scripturæ hanc agilitatis dotem apertè tradunt & promittunt, vt Isa. 40. *Assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Sap. 3. *Iusti tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Luc. 20 *Filij resurrectionis erunt æquales angelis Dei,* nempe quantū natura corporis permittit. 1. Cor. 15. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* 1. Thess. 5. *Rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera.* Dicit autem *rapiemur*, non quia violentus erit motus sed consideratione corporis nostri quale nunc est, vel propter summam celeritatem. Quod enim celeriter fit, raptim fieri dicitur, vel quia membra à Christo capite velut attrahentur. *Vbicunque enim fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ* Vnde dicitur: *Rapiemur obuiam Christo.* Vide nostra annotata ad eum locum. Hinc etiam patet quod iste raptus non repugnat huic doti, neque eam excludat.

Exemplum autem huius dotis prēmonstratū fuit in Christi corpore, quod post resurrectionem celerrimo motu sæpe discipulis suis præsens exhibuit, ac rursum eorum aspectibus subtraxit, adeo vt quinque eius diuersæ apparitiones factæ legantur ipso

A die resurrectionis. Maximè verò tunc ea visa est Christus, quando è terra ascendit in cælum, imò *supra omnes cælos* Eph. 4 *excelsior cælis factus* Heb. 7. Quæ quidem Christi ascensio non nuda assumptio fuit, sed propriè dicta ascensio, vtpote propria animæ eius virtute facta, non per miraculum neque per ministerium angelorum, quasi naturæ infirmitatem adiuuantium.

Verùm sicut illa corporum ad nutum animæ translatio de loco in locum non fiet sine motu successiuo; ita nec sine transitu per medium. Neque enim fieri potest vt corpus è loco in locum nisi
B transeundo per medium moueatur quemadmodum id rectè à Dominico demonstratur.

Claritas quæ postrema dos est glorificati corporis, ex eo proueniet, quòd gloria animæ sic redundabit in corpus, vt quod animæ spiritualiter competit, in corpore corporaliter appareat. Nam tale quiddam licèt imperfectè contingit nobis etiam in hac vita. Hominis enim læti ac bene conscij vultus serenus & quodammodo lucidus est, atque omnino secundū affectus animi facies corporis mutari solet. Erit igitur in corporibus sanctorum splendor quidam oculis conspicuus, qui index erit gloriæ spiritualis existentis in anima. De quo dictum est Sap. 3. *Fulgebunt iusti & tanquam scintillæ*
C *discurrent*. Matth. 13. *Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum*, Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, & 1. Cor. 15. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria siue in claritate.* Vtrumque enim apud Græcos significat δόξα, quam & interpres paulò antè claritatem verterat dicens: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum*, ex quo etiam loco patet hanc dotem non in omnibus electis æqualem fore, sed pro meritis inæqualem. Cùm enim gloria corporis deri-
D uetur ex gloria animę, consequens est illam fore diuersam pro diuersitate gloriæ spiritalis in anima, dicente ibidem apostolo, quod *sicut stella differt à stella in claritate, ita & futurum sit in resurrectione mortuorum.* Quod & Daniel testatur cap 12. cum ait: *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Qua sententia voluit haud dubiè eorum qui alios docuerint viam iustitiæ, quandam insignem præ alijs claritatem ascribere. Hoc autem quod de claritatis disparitate diximus, vtrùm similiter dicendum sit de subtilitate & agilitate, dubi-
E tari potest. Nam de impassibilitate, quia magis in negatione consistit, quàm in affirmatione, minùs apparet. Vnde August nus epist. 57. ad Dardanum: *Immortalitas*, inquit, *tam plena est in parte quàm in toto Et tum sint alia alijs maiora, non tamen alijs alia immortaliora sunt membra.* Sic ille.

Præcessit autem & claritatis huius exemplum in Christo, quando fuit in monte transfiguratus & *facies quidem eius resplenduit sicut sol.* Matth. 17. vestitus autem eius præ claritate totius corporis eius fieret *albus & refulgens* Luc 9. Quam gloriam
F tunc ad modicum tempus in corpore suo adhuc mortali admittere voluit Christus, vt discipulorum animos ea visione præmuniret contra futuram tentationem & scandalum crucis.

Præcessit etiam quoddam exemplum in Moyse, cuius facies ex colloquio diuino ita resplenduit & radiauit, vt in eam intendere non possent filij Israel. Vnde non est dubitandum quin tale quid multò magis futurum sit in corporibus sanctorum ex perpetua & completa visione Dei.

Cæterum de hac dote claritatis, quædam considera-

sideratione digna traduntur à Gregorio lib. 18. moral. cap. 30. & 31. super illud Iob 28. *Non adaequabitur ei aurum vel vitrum* vbi dicit inter alia, quod *in auro intelligitur beatorum claritas, & in vitro transparentia.* Sed hoc posterius rectiùs ad animam refertur, vt significetur beatis suas inuicem cogitationes perspicuas esse. Nam corporis transparentia neque cum splendore conuenit qui requirit opacitatem, vt in solè & stellis, neque satis congruit naturæ humani corporis, neque ad felicitatem status futuri sæculi quicquam conferre videtur.

Notandum denique quod beneficio beatæ resurrectionis ipse etiam visus sic restituetur, vt splendor corporis Christi & omniũ electorũ non modò nihil molestię adferat sed futurus sit oculis intuentium iucundissimus. Quod tamen in reproborum oculis secus se habebit, exemplo carnalium filiorum Israel, qui in splendorem vultus Moysi aciem oculorum suorum intendere non poterant.

De toto hoc argumento vide Dominicum super distinctionem 49. per complures articulos copiosè disserentem tam de tribus animæ beatæ, quam de quatuor corporis gloriosi dotibus.

IN DISTINCTIONEM QVADRAGESIMAMQVINTAM.

§. 1. *Quot & quæ sint animarum receptacula post mortem.*

Thom. opp. 9. q. ar. 1.

RESVRRECTIONEM corporum generalem, in qua consummabitur felicitas vel miseria omnium hominum, præcedit status animarum corporibus exutarum, vtpote medius inter mortem corporum & resurrectionem.

De quibus imprimis fugiendi sunt errores eorum qui vel immortalitatem animarum sustulerũt, vel eas corporibus solutas vsque ad diem iudicij generalis finxerunt ociosas ac velut somno detentas nec agere nec pati quicquam pro meritis huius vitæ. Contra quos satis egimus ad distinctionem 43. tametsi & ex ijs quæ nunc dicenda sunt, ijdem errores liquidò refelluntur.

Status animarum post mortem corporum non vnus sed diuersus est pro diuersitate temporis & meritorum. Quare vt intelligamus quæ sint animarum receptacula, vt ea vocat Augustinus ench. 109. id est, in quæ loca recipiantur vel immediatè vel mediatè post mortem corporum; imprimis duo tempora distinguenda sunt, quorum alterum est ab initio generis humani vsque ad mortem Christi: alterum post Christi mortem vsque ad finem sęculi, quando illę suis iterum corporibus vnientur.

Et quidem ante Christi mortem, quando teste apostolo Heb. 9. *nondum propalata erat sanctorum via*, tria fuere animarum receptacula. Quæ enim ad plenum à peccatis purgatæ erant, recipiebantur in eum locum quem doctores limbum patrum, Christus in euangelio *sinum Abrahæ* vocat Luc. 16. & in quem Lazari mendici animam ab angelis deportatam fuisse refert. Eum autem quietis & consolationis locum fuisse non modò sinus seu gremij nomen indicat, sed ipse idem testatur Abraham dicens ad diuitem in inferno positum: *Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*

Idem tamen locus aliquando inferorum nomine designatus seu potiùs comprehensus legitur, vt Gen. 37. dicente Iacob: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Non enim infernũ damnatorum sibi aut filio suo, quem innocentem nouerat, sic metuebat vir sanctus, vt in eiusmodi verba prorumperet. Sed neque sepulchrum inferni nomine in illis verbis intelligi potest. Non enim putabat Iacob filium suum sepultum esse, sed vt à fera deuoratum lamentabatur, tantum aberat vt sibi speraret commune cum eo sepulcrum. Infernum ergo dixit statum seu locum mortuorum, etiam eorum qui in pietate ex hac vita migrabant. Qua significatione sæpe etiam alibi in scriptura veteris testamenti nomen inferni reperitur. Sic & in symbolo profitemur, *descendisse Christum ad inferos*, nempe ob id præcipuè vt ex inferorum locis iustorum animas eriperet.

At verò in scriptura noui testamenti nusquam legimus de iustorum animabus plenè purgatis quòd ad inferos descenderint, aut apud inferos detineantur. Neque omnino id habet ecclesiastica loquendi consuetudo. Ex quo satis intelligitur non eundem fuisse statum & locum animarum sanctarum ante & post Christi aduentum; sed ante quidem eas sic fuisse in loco quietis & consolationis, vt tamen adhuc ad perfectam felicitatem multum ijs deesset. Ob quam causam locus earum infernus dicebatur. Siquidem inferorum seu inferni nomen nusquam scriptura in bonam partem posuit, quemadmodum testatur Augustinus lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 33. Cùm ergo apud inferos fuisse sancti illi dicuntur, significatur quid eorum felicitati defuerit. Cùm autem ijdem in sinu Abrahæ collocantur, ostenditur fuisse eos in loco refrigerij, immunes à tormentis inferorum. Nam sinus Abrahæ generaliter significat locum tranquillum & iucundum, à pœnis, terroribus & perturbatione liberum, in quem recipiuntur animæ iustorum. Cuiusmodi locus ante Christi mortem fuit limbus patrum nunc autem cælum, vt infrà pleniùs explicabitur.

Vnde consequens est infernum dicto modo acceptum & sinum Abrahę ratione sola, non autem reipsa pugnare. Nec obstat quod Augustinus loco commemorato aliter sentire videtur. Ibi enim disputando magis quàm definiendo loquitur. Nam alibi, vt lib. 20. de ciuit. cap. 15. testatur sanctos antiquos locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed tamen apud inferos fuisse, donec eos inde Christus erueret. Dicit autem remotissimis, videlicet respiciens ad illud euangelij: *Vidit Abraham à longè.* Et in expositione psalmi 85. dicit apud inferos quò Christus descendit, fuisse Abraham aliósque sanctos præcedentis temporis, donec à Christo inde educerentur. Idem habet Gregorius lib. 4. moral. cap. 32. & alij patres compluribus locis.

Quod autem inferni nomen in sacris literis non semper accipiatur pro damnatorum carcere ex quo nulla est redemptio, facilè potest ex multis scripturæ locis doceri vt psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno*, psal. 29. *Eduxisti ab inferno animam meam* 48. *Deus redimet animam meam de manu inferi*, 85. *Eruisti animã meam ex inferno inferiori &c.* Quibus locis partim prophetice præsignificata fuit liberatio animæ ex eo loco qui hactenus inferni vocatur, & translatio in statum beatitudinis: partim tropicè liberatio ipsius prophetę è periculis mortis quæ ei ab hostibus imminebant. Et plura quidem de hoc

anima-

animarum receptaculo id est patrum limbo dici hic à nobis possent, sed proprius eius doctrinæ tractatus est ad distinctionem 21. lib. 3. vbi de eo egimus, & circa illum symboli articulum: *Descendit ad inferos.*

Porrò secundum receptaculum animarum erat locus purgatorius, in quem recipiebantur animæ quæ purgatione indigebant, priusquam ad consortium sanctarum animarum, quæ in limbo erant, admitterentur. De hoc loco egimus ex professo ad distinctionem 21. huius libri, infrà quoque ad hanc distinctionem de eodem adhuc dicturi.

Tertium denique receptaculum erat infernus damnatorum, de quo Iob 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* In quo item inferno Luc. 16. diues ille purpuratus secundum animam cruciari perhibetur.

Hæc duo postrema receptacula vtrique tempori tam quod Christi passionem præcessit, quàm quod eam consecutum est, semper communia fuere. Primum vero quale post Christum & per Christum esse cœperit paulò latiùs est explicandum.

§. 2. *Sanctorum animas Deum videre probatur ex scripturis.*

S. Thom. suppl. q. 69. ar. 2

De statu animarum sanctarum post mortem & ascensionem Christi in cælum non eadem semper fuit omnium scriptorum ecclesiasticorum sententia. Nam Græci quidam posteriores opinati sunt animas piorum etiam perfectè purgatas non admitti ad beatificam Dei visionem ante generalem corporum resurrectionem & iudicium extremum, sed interim versari in quadam felicitate imperfecta, quæ dolorem quidem omnem excluderet, refrigerium, quietem, lucem, gaudium & iucunditatem præstaret, nondum tamen earum desiderium expleret. Latini verò plærique omnes omnium ætatum cum Græcis antiquioribus non modò eas in cælo esse & cum Christo regnare dicunt, sed simpliciter beatas esse, & Dei conspectu frui testantur. Quam proinde sententiam primùm ex authoritate scripturæ statuemus, deinde prolatis ipsorum patrum testimonijs & allatis aliquot rationibus confirmabimus.

Primus scripturæ locus est 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Vbi videre *facie ad faciem*, est diuina mysteria ac præcipuè Deum ipsum clarè intueri, quomodo quis corporalibus oculis intuetur faciem proximi sui, non autem per speculum aut imaginem. Opponitur enim ei quod est videre per speculum & in ænigmate. Deinde tam præcedentia apud apostolum verba quàm sequentia hanc visionis claritatem significant. Præcedit enim: *Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est:* id est, tolletur omnis imperfectio. Tolletur ergo & obscuritas visionis. Sequitur autem: *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum,* id est, clara & perfecta cognitione cognoscam. Iam verò dixisse apostolum ea verba non tantū de tempore quod erit post vniuersale iudiciū, sed de toto tempore quod post mortē corporis agitur à iustis plenéque purgatis spiritibus, ex eo patet, quia de illo tempore loquitur quo *prophetiæ euacuabuntur, linguæ cessabunt, scientia destruetur.* Quæ tria tantùm ad vsum præsentis sæculi pertinent. Quocirca totum futurum sæculum intelligit ibi: *Cum autem venerit* &c. & ibi: *Tunc autem facie ad faciem,* & rursum ibi: *Tunc autem cognoscam &c.*

Secundus locus est 2. Cor. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis &c.* Vbi per domum æternam & cælestem, non intelligitur corpus immortale, vt quidam intellexerunt, sed æterna beatitudo. Nam de corpore immortali non diceret apostolus habemus, sed habebimus. Corpus enim immortale demum in fine sæculi expectamus. Atqui vult apostolus hac sententia quod simulatque terrestris & caduca hæc domus dissoluta fuerit, non deerit nobis alia domus longè præstantior; nempe cælestis & æterna. Deesset autem & quidem valde diu si ea carendum esset vsque ad diem extremi iudicij. Rectius igitur per domum æternam atque cælestem iuxta Photium, Anselmum, S. Thomam & alios intelligitur beatitudo æterna & cælestis statim post mortem acquirenda, quam & in fine capitis præcedentis apostolus vocauerat *æternum gloriæ pondus,* & in verbis sequentibus *speciem,* id est, visionem fidei oppositam.

Hic autem tertius locus est, idemque cæteris euidentior: *Qui sumus,* inquit, *in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, eò quòd nolumus exspoliari sed superuestiri,* & mox sequitur: *Scientes quoniam dum sumus in corpore peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus & non per speciem) Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore & præsentes esse ad Dominum.* In quibus verbis bene notandum quod dicitur, ideo nos habere voluntatem peregrinandi à corpore *vt præsentes simus ad Dominum, & vt iam non per fidem ambulemus sed per speciem.* Hic enim manifestè sensus est verborum apostoli, quasi dicat: Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrini sumus à Domino, quia in hac vita per fidem ambulamus, non per speciem seu claram visionem. Vt ergo præsentes simus ad Dominum, vtque non amplius per fidem ambulemus sed per speciem, optandum nobis est vt à corpore peregrinemur. Quod sanè optandum non esset, si ad speciem non pertingeremus nisi post resurrectionem; quia non in peregrinatione à corpore sed demum in resumptione corporis consequeremur bonum illud quod speramus. Per speciem autem intelligi claram visionem patet inde, quia speciem opponit fidei id est obscuræ cognitioni, sicut 1. Cor. 13. opposuerat hæc duo, *Videre per speculum in ænigmate,* & *videre facie ad faciem.*

Quartus locus Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso* Non enim paradisus terrestris ibi intelligitur, qui fortè iam perierat, & non animarum sed corporum locus fuit, sed regnum & gloria cælestis. In quem locum Paulus se raptum fuisse 2. Cor. 12. scribit, eumque exponit esse tertium cælum, id est cælum beatorum. Sic intelligi paradisum in verbis Christi, probatur ex supplicatione latronis dicentis: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum.* Non enim putandum est quod minus aliquid ei promiserit Dominus quàm ille peteret, cùm testetur ecclesia Deum *abundantia pietatis sua merita supplicum excedere & vota.* Accepit ergo latro secundùm animam regni cum Christo consortium, quod petiuerat. Hoc & significatur in eo quod dicit ei Dominus, *mecum,* id est, bonorum meorum particeps secundùm humanitatem. Nam diuina communicari non possunt. Pertinet autem ad bona hu-

manitatis Christi Deum videre. Imò id in bonis eius præcipuum est; Ad quod proinde latronis anima illo ipso die iuxta verbum Christi fuit admissa, dicentis: *Hodie mecum eris &c.* Atque hæc est interpretatio, Ambrosij, Bedæ Latinorum, Photij, Theophylacti, Oecumenij Græcorum.

Quintus locus Philip. 1. *Coarctor è duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo multò magis melius, permanere autem in carne necessarium propter vos.* Quæ verba rursus apertè significant statim post huius terreni domicilij dissolutionem sanctorum animas esse cum Christo, nec id quomodocunque quia & in corpore manens Paulus aliquo modo erat cum Christo, sed eo modo quo scriptura tribuit iustis post hanc vitam esse cum Christo, id est, beatè cum Christo viuere in regno patris eius, quomodo 1. Thess. 4. de sanctis post resurrectionem dicitur: *& sic semper cum Domino erimus*, vbi non dubium est æternam beatitudinem intelligi, quæ in clara Dei visione consistit. Cùm ergo Paulus similiter loquatur de sanctis ante & post resurrectionem, satis liquet eiusdem generis beatitudinem vtroque tempore ijs competere.

Sextus Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, id est in habitationem perpetuam & indeficientem. Si ergo tabernacula æterna sunt, in quę simulatque defecerimus, id est, ex hac vita emigrauerimus, ope amicorum recipiendi sumus: ergo non sunt mutanda. Essent autem mutanda si in ijs nondum esset visio Dei. Nam limbus patrum non erat tabernaculum ęternum, quia mutandum in statum longè meliorem. Sic igitur hîc nominantur ęterna tabernacula sicut ab apostolo 2. Cor. 5. *domus æterna*, id est, regnum cæleste.

Septimus, Eph. 4. *Christus ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*, vbi per *altum* apostolus cęlum intelligit, in quod Christus ascendens animas iustorum eodem subuexit & introduxit. Nam cęlum intelligi, patet ex eo quod sequitur: *Qui descendit ipse est, & qui ascendit supra omnes cælos.* Sunt ergo animæ iustorum in cælo, qui locus propriè deputatus est æternæ beatitudini, id est visioni Deitatis iuxta illud: *Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris.* Ac sanè parum collatum fuisset iustis qui priùs erant in limbo inferni, loco quietis & consolationis, si locum tantummodo mutassent, eumque accepissent cum angelis communem, interim à societate felicitatis eorum exclusi. Qui & meritò dicere possent, quod dicebat Absalom 2. Reg. 14. *Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse. Obsecro ergo vt videam faciem regis.* Quod ne dicatur, non dubitamus quin ex loci consortio beatitudinis communionem scriptura nos voluerit intelligere.

Octauus Heb. 9. *Hoc significante spiritusancto nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.* Quibus verbis significatur per Christum apertam esse viam ad sancta sanctorum, id est, ad regnum cæleste, in quod etiam iustissimi quique durante statu tabernaculi veteris intrare non poterant.

Nonus Heb. 12. *Accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cæleste, & multorum milium angelorum frequentiam, & ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cælis, & spiritus iustorum perfectorum*, id est, per mortem consummatorum. Vbi describitur ecclesia non post resurrectionem triumphatura, sed nunc triumphans in cælis, & eodem ordine censentur in illo regno spiritus iustorum cum angelis. Participant ergo vtrique eandem beatitudinem.

Decimus Apoc. 6. *Et datæ sunt illis* (nempe animabus interfectorum) *singulæ stolæ albæ.* Vbi per singulas stolas aptissimè patres intelligunt gloriam animæ. Qua stola interim contentæ sanctorum animæ expectant alteram stolam, id est, gloriam corporis dandam in resurrectione. Hoc enim est quod continuè sequitur: *Et dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus modicum &c.*

Vndecimus. Apoc. 7. de ijsdem dicitur: *Ideo sunt ante thronum Dei & seruiunt ei die ac nocte in templo eius*, id est in cælo. Nam in Apocalypsi per templum Dei cælum passim intelligitur. Per hoc autem quod esse dicuntur ante thronum Dei, significatur manifesta visio Dei. Nam id phrasis ipsa postulat. Vnde & eius loco dicitur cap. vlt. *& serui eius seruient illi, & videbunt faciem eius.*

Duodecimus Apoc. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Opera enim eorum sequuntur illos*: Hoc est, merces operum sequitur eos. Quam mercedem expressit Dominus quando ait: *Beati mundo corde quia ipsi Deum videbunt.*

Decimustertius Apoc. 20. rursum de animabus interfectorum: *Et vixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis.* Per quod tempus intelligi debere statum sanctarum animarum à morte corporis vsque ad resurrectionem, declarat id quod sequitur: *Cæteri verò mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni.*

Decimusquartus Act. 7. *Stephanus intendens in cælum vidit gloriam Dei & Iesum stantem à dextris Dei, & ait: ecce video cælos apertos &c.* Addit autem ecclesia in officio diuino: *Vidit & introiuit, beatus homo cui cæli patebant.* Nam ad hoc vidit apertos, vt introiret. Vnde & moriturus ait: *suscipe spiritum meum*; hoc nimirum petens, vt spiritus suus reciperetur in locum illum & gloriam quæ sibi paulò antè fuerat ostensa.

Decimusquintus ex veteri testamento, Psal. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hereditas Domini*, id est, statim à somno mortis dilecti Dei accipiunt hęreditatem patriæ cælestis. Sic exponit Gregorius hom. 27. in euangelia.

Postremus item ex veteri testamento, Ecclesiastici 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundùm vias suas.* Retributio autem bonorum operum merces est vitæ æternæ.

§. 3. *Ex patribus eadem doctrina probatur.*

AD patrum testimonia veniamus, ex quibus quid ecclesia de sanctarum animarum felicitate perpetuò senserit ac tradiderit, certiùs intelligatur; præsertim si ostenderimus in hac re Græcos patres à Latinis neutiquam dissentire. Quos proinde secundùm ætates temporum quibus vixerint, promiscuè citabimus. *S.Thom. loco sæ allegato*

Dionysius Areopagita lib. eccles. hierar. cap. 7. p. 1. tribuit sanctis hac vita defunctis exactissimam requiem & immortalitatem, id est, vitam æternam. Non enim de immortalitate corporis neque de naturali immortalitate animæ eum ibi loqui perspicuum est. Nam & parte 2. eandem beatam immortalitatem apertiùs describit, & vocat beatissima sanctorum præmia, *quæ oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascenderunt &c.*

Ignatius in epist. ad Rom. dicit se per marty-

tium

rium proficisci ad Deum & futurum cum Christo, vbi puram lucem aspecturus sit, videlicet diuinitatis lucem significans.

Iustinus gentilium quæstionum q. 75. si tamen Iustini hoc opus est, dicit bonos statim à morte duci in paradisum, vbi consuetudo est & aspectus angelorum & visio Christi saluatoris. & vbi secundum apostolum, exuti corpore præsentes sint ad Dominum.

Irenæus libro 1. contra hæreses cap. 2. testatur iustis plenè purgatis claritatem æternam circundari.

Origenes lib. 2. periarchon dicit sanctos post hãc vitam duci supra cęlos ad Christum, & in Deo perfectè videre omnium rerum causas. Idem hom. 5. in diuersos dicit prophetas, apostolos, martyres nunc recumbere in regno Dei & frui æterna gloria &c.

Cyprianus lib 4. ep. 2. ad Antonianum, dicit sanctos statim ad gloriam peruenire, fidei & virtutis mercedem accipere. Et lib. de exhortatione martyrij cap. vlt inter alia dicit martyres dum occiduntur, in momento claudere oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eosdem statim, vt Deus videatur & Christus &c. & in tract. de mortalitate, fideles qui hinc migrauerunt, esse cum Christo in regno cælesti, eosque iam accepisse remunerationem, quam interpretatur summam & perpetuam felicitatem. Videatur eiusdem Cypriani titulo sermo de stella & magis.

Athanasius in vita Antonij scribit animam cuiusdam monachi visam Antonio deferri ab angelis in cælum.

Hilarius in psal. 64. electis Dei post hanc vitam tribuit cęlestes mansiones, de quibus Christus ait: *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Similia scribit super psal. 60. & 124.

Basilius hom. in quadraginta martyres, cælum & paradisum eis attribuit.

Gregorius Nazianzenus oratione in Basilium inuocans eum orat, vt beatam Trinitatem eo quo est modo pariter cum ipso contemplari post mortem valeat & oratione in Gorgoniam dicit eam vnà cum angelis frui purissima illustratione trinitatis, quæ toti menti totam se contemplandam præbeat.

Gregorius Nyssenus oratione in sanctum Ephrem dicit animam eius conscendisse vbi sunt ordines angelorum, vbi patriarcharum populi, vbi chori prophetarum, vbi sedes apostolorum: Item vnà cum angelis assistere & sacrificare sacrosanctæ trinitati.

Ambrosius lib. de bono mortis cap. 11. post alia, vbi dixerat animas exutas corporibus repromissam possidere hæreditatem, festinantes vultum Dei videre &c. Deinde ita subijcit: *Hanc remunerationem habent vt videant faciem Dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem,* & iterum: *Tunc reuelata facie gloriam Dei speculari licebit &c.* Similia habet cap. 12. eiusdem libri. Item lib. 2. de Cain & Abel cap. 9 & epist. 59. vbi dicit Acolium episcopum facie ad faciem videre lumen illud sine sole perpetuum, & lib. 10. epist. vlt. Consonat commentarius illi asscriptus super cap. 1. ep. ad Philip.

Prudentius passim in hymnis quibus martyrum passiones celebrat, cælum, cæleste regnum, cælestem atque æternam beatitudinem, Christique & angelorum consortium eis tribuit.

Hieronymus contra Vigilantium: *Tu apostolis*

A inquit, *vincula inijcies vt vsque ad diem iudicij teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus dictum est: Sequuntur agnum quocunque vadit?* & in epist. ad Marcellam de obitu Leæ *Nunc,* inquit, *pro breui labore, æterna beatitudine fruitur, excipitur angelorum choris, Christum sequitur & dicit: quæ vnque audiuimus, vidimus in ciuitate Domini virtutum.* Et in epitaphio Lucinij ad Theodoram ep. 29. *Quem scio,* inquit, *ad meliora transisse, dicente Moyse: Transiens videbo visionem hanc magnam,* & infrà dicit eum regnare cum Christo. Apud quem & similia leguntur in aliorum epitaphijs ab ipso conscriptis.

B Chrysostomus hom. 3. in ep. ad Philip. 1. tractans illud: *Cupio dissolui & esse cum Christo: Iusti,* inquit, *siue hic siue in futuro sæculo fuerint, cum rege sunt. Illic tamen magis & propius, non per accessum ac fidem, sed facie ad faciem.* Eadem verba sunt in hom. 69. ad populum Antiochenum & in hom. super illud Sap. 5. *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* His autem similia ab eo repetuntur hom. 4. in epist. ad Philipp. vbi modò dictum scripturæ locum latiùs pertractat. Idem hom. 10. super 2. Cor. manifestam comprehensionem tribuit animabus sanctorum, quos proinde beatos & ter beatos vocat, & hom. 32. in epist. ad Rom. Pauli animam versari dicit in
C summo cælo prope ipsum solium regis, vbi cherubim & Seraphim volitant. Generaliter autem omnibus iustis cælestem habitationem tribuit lib. 6. de sacerdotio.

Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 15. *Si,* inquit, *non absurdè credi videtur, antiquos etiam sanctos qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret; profectò deinceps boni fideles effuso illo precio iam redempti, prorsus inferos nesciunt.*

D Ex quibus verbis saltem patet Augustino certum ac manifestum esse discrimen inter sanctos veteris testamenti ac noui quoad locum, quod illi apud inferos erant, hi inferos nesciant. Quod tamen discrimen quidam huius temporis hæretici prorsus confundere non verentur.

Iam autem quid amplius his alibi tribuat videamus. Scribens in Ioan. tract. 26. & 49. sanctorum spiritus iam habere vitam æternam testatur. Atqui Augustino contra Pelagianos disputanti, sicut & Innocentio primo scribenti ad patres concilij Mileuitani, vita æterna idem est quod regnum
E cælorum. Igitur ex sententia Augustini spiritus sanctorum sunt in regno cælorum. Nam & alibi cælum martyribus alijsque sanctis tanquam propriam sedem tribuit, vt lib. 2. contra literas Petiliani cap. 71.

Propiùs autem ad beatitudinem illorum spirituum comprobandam facit illud quod habet lib. 9. confess. cap. 3. in hunc modum de Nebridio amico suo scribens: *Et nunc ille viuit in sinu Abrahæ, quicquid illud est quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus viuit.* Et paulò pòst de eodem ad Deum
F loquens: *Iam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem tuum, & bibit, quantum potest, sapientiam pro auiditate sua sine fine felix.* Et lib 12. de Gen. ad lit. cap. 34. disputans de paradiso & tertio cælo in quod raptus est Paulus: *Si tertium cælum,* inquit, *rectè accepimus quod mente conspicitur, ita secreta & remota, & omnino abrepta à sensibus carnis atque mundata, vt ea quæ in illo cælo sunt, & ipsam Dei substantiam, verbumque Deum, per quod facta sunt omnia, in caritate spiritussancti ineffabiliter valeat videre & audire: non incongruenter arbitramur & illuc esse raptum apostolum, &*

ibi for-

ibi fortaßis esse paradisum omnibus meliorem, & si dici oportet, paradisum paradisorum. Si enim anima bona lætitia in rebus bonis est in omni creatura, quid ea lætitia præstantius, quæ in verbo Dei est, per quod facta sunt omnia? Hæc ibi. Quod autem ijs verbis descripserit beatitudinem animæ à corpore separatæ, tum ex præcedentibus eodem capite liquet, tum verò manifestius ex capite sequenti, vbi ex supradictis quæstionem mouens apertè præsupponit spiritibus defunctorum etiam sine corporibus summam illam beatitudinem præberi.

Idem Augustinus lib. 8 de ciuit. capit. vlt. dicit Deum martyres sanctis suis angelis cælesti honore sociasse, & lib. 20. capit. 13. martyrum animas cum Christo regnare donec iuxta Apocalypsim finiantur mille anni, vt postea receptis etiam corporibus iam immortalibus regnent.

Exponens autem psalmi 116. illum versiculum: *Hei mihi quia incolatus &c.* de cœlesti Ierusalem sic loquitur: *Ibi omnes illi & sancti, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine literis. Quod enim nobis per paginas scriptum est, per faciem Dei illi cernunt.* Idem lib. 2. q. euang. q. 38. cum sinum Abrahæ fuisset interpretatus requiem beatorum pauperum quorum est regnum cælorum, in quo post hanc vitam recipiuntur, per hoc satis significans sinum illum nunc eundem esse cum regno cælorum; postea tamen adhuc clarius id docet, quando sinum Abrahæ interpretatur secretum patris, quò post passionem resurgens assumptus est Dominus, quod sine dubio cælum est & regnum cælorum. Rursum tract. 124. in Ioan. dicit Petrum iam obtinuisse illud Philip. 1. *dissolui & esse cum Christo.* Et lib. 1. medita. cap. 22. tribuit animabus iustorum in cælo indesinenter cernere pulcherrimum Dominum, & cap. 2.. eas inuocat & precatur per Deum, *de cuius*, inquit, *pulchritudine iam satiantur de cuius immortalitate iam immortales factæ estis, de cuius beatißima visione semper gaudetis.* Quamquam hoc opus an sit Augustini dubitatur. Similia sunt serm. 15. de sanctis & serm. 101. de diuersis & iterum serm. vltm. in quo Cypriani verba ex libro de exhortatione martyrij referuntur.

Nunc alios authores breuiter recenseamus.

Eusebius Cæsariensis quibusdam iam citatis antiquior lib. 6. hist. cap. 5. Potamena virginem dicit è terris migrasse ad cælum, & lib. 10. cap. 1. testatur martyres in ipso cælo & paradiso diuinis delicijs perfrui.

Sozomenus lib. 2. cap. 10. refert quemdam virum Christianum alteri in martyrio trepidanti dixisse: *Claude oculos: Bono animo esto, statim Dei lumen videbis.*

Cyrillus episcopus Ierosolymitanus cathech. 12. latronem paradiso cælesti asscribit, quò Abraham nondum fuerat ingressus.

Epiphanius hæres. 78. in fine sanctorum animas in gloria & honore & beatitudine cælesti collocat cum angelis & Christo.

Seuerus Sulpitius in opusculo de transitu sancti Martini, dicit ei iam redditam esse coronam iustitiæ: & in fine: *Martinus*, inquit, *Abrahæ sinu lætus excipitur, cælum diues ingreditur.* Quæ eadem verba canens ecclesia satis declarat se pro ijsdem nunc habere cælum & Abrahæ cælum.

Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Ioan. cap. 36. animas sanctorum euolare dicit in manus Dei patris, & cum Christo perpetuam vitam habere.

Theodoretus lib. 8. ad Græcos affirmat cælum esse sedem eorum qui piè vixerunt, & martyres iam æternis insignitos esse coronis.

Maximus hom. in natalem Eusebij Versellensis quæ & habetur numero 69. inter sermones Ambrosij gaudium angelorum animabus iustorum tribuit, sicut & palmam laborum in homilia de sancta Aguete.

Prosper lib. de vita contemplatiua scribit pios transacta hac peregrinatione regnare felices in patria, *cuius*, inquit, *hoc erit totum præmium vt vitæ contemplatiuæ semel compos effectus inexplebiliter authorem beatitudinis suæ conspiciat, de illo gaudeat, de illo quod sperauit, obtineat, & in eo ad quod sanctè viuendo peruenerit, sine fine permaneat.*

Gennadius de ecclesiasticis dogmatibus cap. 79. *Post ascensionem Domini ad cælos omnium sanctorum animæ cum Christo sunt, & exeuntes de corpore ad Christum vadunt &c.*

Gregorius papa lib. 12. moral. cap. 1.. dicit sanctas animas omnipotentis Dei claritatem videre, & hom. 37. in euangelia, beatos spiritus post hanc vitam gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptũ lumen videre &c. & in psal 4. pœnitentialem: *Beatitudo*, inquit, *& animabus sanctorum ante resurrectionem tribuitur & corporibus nihilominus post iudicium confertur.* Quam eandem doctrinam pluribus verbis & ex professo tradit lib. 4. dial. cap. 25.

His adde præterea ex Latinis Leonem primum in sermone de sancto Laurentio, Fulgentium serm. de S. Stephano, Primasium in cap. 9. ad Heb. Bedam & Haymonem in Apoc. 6. Anselmum in 2. Cor. 5. Rupertum lib. 1.. in Matth. & lib. 7. de diuinis off. cap. 13. & quotquot istos secuti sunt. Nam Scholasticos omnes doctores idem sentire, palam est ex eorum commentarijs super distinctionem præsentem & 49.

Ex Græcis autem Ioannem Damascenum in fine historiæ de Barlaam & Iosaphat, Photium & Theophylactum in Luc. 23. Oecumenium in epistolam Heb. 9.

Porrò ab his patribus haudquaquam separandus est Bernardus, tametsi alicubi obscurius locutus. Reuera enim idem sensit quod omnes superiores. Nam in fine lib. de diligendo Deo dicit martyres immersos esse immenso pelago æterni luminis & luminosæ æternitatis. Et in epistola ad fratres de Hibernia, quæ habetur post sermones de festo omnium sanctorum, scribit S. Malachiæ animam non iam in fide ambulare sed in specie regnare. Et in sermone de eodem sancto dicit eum pari gloria & felicitate regnare cum angelis. Item serm. 6. in Cant. dicit quosdam iam meruisse introduci in sancta sanctorum, vbi videant faciem stantis, id est claritatem incommutabilis Dei. Similia quædam generaliter de sanctorum animabus testatur serm. 4 & 5. de omnibus sanctis, sermone de obitu Vmberti & epist. 266.

Iam verò sententiam hanc non parum confirmant Innocentij tertij ista decreta, nempe cap. *Cum Marthæ* tit. de celebratione missarum, cap. *maiores*, tit. de baptismo & eius effectu, cap. *apostolicam*, tit. de presbytero non baptizato. Quibus addo sermonem eiusdem pontificis habitum in dominica Lætare, vbi doctrinam hanc ex professo tradit. Cum autem res postea in controuersiam vocaretur, Benedictus 11. al. 12. eam definiuit in extrauaganti quæ incipit, *Benedictus Deus.* Quam totam videre est apud Alfonsum à Castro in hæresi 6. de beatitudine.

A rium proficisci ad Deum & futurum cum Christo, vbi puram lucem aspecturus sit, videlicet diuinitatis lucem significans.

Iustinus gentilium quæstionum q. 75. si tamen Iustini hoc opus est, dicit bonos statim à morte duci in paradisum, vbi consuetudo est & aspectus angelorum & visio Christi saluatoris. & vbi secundum apostolum, exuti corpore præsentes sint ad Dominum.

Irenæus libro 1. contra hæreses cap. 2. testatur iustis plenè purgatis claritatem æternam circundari.

B Origenes lib. 2. periarchon dicit sanctos post hanc vitam duci supra cęlos ad Christum, & in Deo perfectè videre omnium rerum causas. Idem hom. 5. in diuersos dicit prophetas, apostolos, martyres nunc recumbere in regno Dei & frui æterna gloria &c.

Cyprianus lib 4. ep. 2. ad Antonianum, dicit sanctos statim ad gloriam peruenire, fidei & virtutis mercedem accipere. Et lib. de exhortatione martyrij cap. vlt inter alia dicit martyres dum occiduntur, in momento claudere oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eosdem statim, vt Deus videatur & Christus &c. & in tract. C de mortalitate, fideles qui hinc migrauerunt, esse cum Christo in regno cælesti, eosque iam accepisse remunerationem, quam interpretatur summam & perpetuam felicitatem. Videatur eiusdem Cypriani titnlo sermo de stella & magis.

Athanasius in vita Antonij scribit animam cuiusdam monachi visam Antonio deferri ab angelis in cælum.

Hilarius in psal. 64. electis Dei post hanc vitam tribuit cęlestes mansiones, de quibus Christus ait: *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Similia scribit super psal. 60. & 124.

D Basilius hom. in quadraginta martyres, cælum & paradisum eis attribuit.

Gregorius Nazianzenus oratione in Basilium inuocans eum orat, vt beatam Trinitatem eo quo est modo pariter cum ipso contemplari post mortem valeat & oratione in Gergoniam dicit eam vnà cum angelis frui purissima illustratione trinitatis, quæ toti menti totam se contemplandam præbeat.

Gregorius Nyssenus oratione in sanctum Ephrem dicit animam eius conscendisse vbi sunt E ordines angelorum, vbi patriarcharum populi, vbi chori prophetarum, vbi sedes apostolorum: Item vnà cum angelis assistere & sacrificare sacrosanctæ trinitati.

Ambrosius lib. de bono mortis cap. 11. post alia, vbi dixerat animas exutas corporibus repromissam possidere hæreditatem, festinantes vultum Dei videre &c. Deinde ita subijcit: *Hanc remunerationem habent vt videant faciem Dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem,* & iterum: *Tunc reuelata facie gloriam Dei speculari licebit &c.* Similia habet cap. 12. eiusdem libri. Item lib. 2. de Cain & F Abel cap. 9 & epist. 59. vbi dicit Acolium episcopum facie ad faciem videre lumen illud sine sole perpetuum, & lib. 10. epist. vlt. Consonat commentarius illi asscriptus super cap. 1. ep. ad Philip.

Prudentius passim in hymnis quibus martyrum passiones celebrat, cælum, cæleste regnum, cælestem atque æternam beatitudinem, Christique & angelorum consortium eis tribuit.

Hieronymus contra Vigilantium: *Tu apostolis* inquit, *vincula injicies vt vsque ad diem iudicij teneantur custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus dictum est: Sequuntur agnum quocunque vadit?* & in epist. ad Marcellam de obitu Leæ *Nunc,* inquit, *pro breui labore, æterna beatitudine fruitur, excipitur angelorum choris, Christum sequitur & dicit: quæcunque audiuimus, vidimus in ciuitate Domini virtutum.* Et in epitaphio Lucinij ad Theodoram ep. 29. *Quem scio,* inquit, *ad meliora transisse, dicente Moyse: Transiens videbo visionem hanc magnam,* & infrà dicit eum regnare cum Christo. Apud quem & similia leguntur in aliorum epitaphijs ab ipso conscriptis.

Chrysostomus hom. 3. in ep. ad Philip. 1. tractans illud: *Cupio dissolui & esse cum Christo: Iusti,* inquit, *siue hic siue in futuro sæculo fuerint, cum rege sunt. Illic tamen magis & propius, non per accessum ac fidem, sed facie ad faciem.* Eadem verba sunt in hom. 69. ad populum Antiochenum & in hom. super illud Sap. 5. *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* His autem similia ab eo repetuntur hom. 4. in epist. ad Philipp. vbi modò dictum scripturæ locum latiùs pertractat. Idem hom. 10. super 2. Cor. manifestam comprehensionem tribuit animabus sanctorum, quos proinde beatos & ter beatos vocat, & hom. 32. in epist. ad Rom. Pauli animam versari dicit in summo cælo prope ipsum solium regis, vbi cherubim & Seraphim volitant. Generaliter autem omnibus iustis cælestem habitationem tribuit lib. 6. de sacerdotio.

Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 15. *Si,* inquit, *non absurdè credi videtur, antiquos etiam sanctos qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret; profectò deinceps boni fideles effuso illo precio iam redempti, prorsus inferos nesciunt.*

Ex quibus verbis saltem patet Augustino certum ac manifestum esse discrimen inter sanctos veteris testamenti ac noui quoad locum, quod illi apud inferos erant, hi inferos nesciant. Quod tamen discrimen quidam huius temporis hæretici prorsus confundere non verentur.

Iam autem quid amplius his alibi tribuat videamus. Scrihens in Ioan. tract. 26. & 49. sanctorum spiritus iam habere vitam æternam testatur. Atqui Augustino contra Pelagianos disputanti, sicut & Innocentio primo scribenti ad patres concilij Mileuitani, vita æterna idem est quod regnum cælorum. Igitur ex sententia Augustini spiritus sanctorum sunt in regno cælorum. Nam & alibi cælum martyribus alijsque sanctis tanquam propriam sedem tribuit, vt lib. 2. contra literas Petiliani cap. 71.

Propiùs autem ad beatitudinem illorum spirituum comprobandam facit illud quod habet lib. 9. confess. cap. 3. in hunc modum de Nebridio amico suo scribens: *Et nunc ille viuit in sinu Abrahæ, quicquid illud est quod illo significatur sinu, ibi Nebridius meus viuit.* Et paulò pòst de eodem ad Deum loquens: *Iam non ponit aurem ad os meum, sed spiritale os ad fontem tuum, & bibit, quantum potest, sapientiam pro auiditate sua sine fine felix.* Et lib 12. de Gen. ad lit. cap. 34. disputans de paradiso & tertio cælo in quod raptus est Paulus: *Si tertium cælum,* inquit, *rectè accipimus quod mente conspicitur, ita secreta & remota, & omnino abrepta à sensibus carnis atque mundata, vt ea quæ in illo cælo sunt, & ipsam Dei substantiam, verbumque Deum, per quod facta sunt omnia, in caritate spiritus sancti ineffabiliter valeat videre & audire; non incongruenter arbitramur & illuc esse raptum apostolum, &*

ibi fortaßis esse paradisum omnibus meliorem, & si dici oportet, paradisum paradisorum. Si enim anima bona lætitia in rebus bonis est in omni creatura, quid ea lætitia præstantius, quæ in verbo Dei est, per quod facta sunt omnia? Hæc ibi. Quod autem ijs verbis descripserit beatitudinem animæ à corpore separatæ, tum ex præcedentibus eodem capite liquet, tum verò manifestius ex capite sequenti, vbi ex supradictis quęstionem mouens apertè præsupponit spiritibus defunctorum etiam sine corporibus summam illam beatitudinem præberi.

Idem Augustinus lib. 8 de ciuit. capit. vlt. dicit Deum martyres sanctis suis angelis cælesti honore sociasse, & lib. 20. capit. 13. martyrum animas cum Christo regnare donec iuxta Apocalypsim finiantur mille anni, vt postea receptis etiam corporibus iam immortalibus regnent.

Exponens autem psalmi 116. illum versiculum: *Hei mihi quia incolatus &c.* de cęlesti Ierusalem sic loquitur: *Ibi omnes iusti & sancti, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine literis. Quod enim nobis per paginas scriptum est, per faciem Dei illi cernunt.* Idem lib. 2. q. euang. q. 38. cum sinum Abrahæ fuisset interpretatus requiem beatorum pauperum quorum est regnum cælorum, in quo post hanc vitam recipiuntur, per hoc satis significans sinum illum nunc eundem esse cum regno cælorum; postea tamen adhuc clarius id docet, quando sinum Abrahæ interpretatur secretum patris, quò post passionem resurgens assumptus est Dominus, quod sine dubio cælum est & regnum cælorum. Rursum tract. 124. in Ioan. dicit Petrum iam obtinuisse illud Philip. 1. *dissolui & esse cum Christo.* Et lib. 1. medita. cap. 22. tribuit animabus iustorum in cælo indesinenter cernere pulcherrimum Dominum, & cap. 2. eas inuocat & precatur per Deum, *de cuius,* inquit, *pulchritudine iam satiamini de cuius immortalitate iam immortales facti estis, de cuius beatißima visione semper gaudetis.* Quamquam hoc opus an sit Augustini dubitatur. Similia sunt serm. 15. de sanctis & serm. 101. de diuersis & iterum serm. vltm. in quo Cypriani verba ex libro de exhortatione martyrij referuntur.

Nunc alios authores breuiter recenseamus.

Eusebius Cæsariensis quibusdam iam citatis antiquior lib. 6. hist. cap. 5. Potamena virginem dicit è terris migrasse ad cælum, & lib. 10. cap. 1. testatur martyres in ipso cælo & paradiso diuinis delicijs perfrui.

Sozomenus lib. 2. cap. 10. refert quemdam virum Christianum alteri in martyrio trepidanti dixisse: *Claude oculos: Bono animo esto, statim Dei lumen videbis.*

Cyrillus episcopus Ierosolymitanus catech. 13. latronem paradiso cælesti ascribit, quò Abraham nondum fuerat ingressus.

Epiphanius hæres. 78. in fine sanctorum animas in gloria & honore & beatitudine cælesti collocat cum angelis & Christo.

Seuerus Sulpitius in opusculo de transitu sancti Martini, dicit ei iam redditam esse coronam iustitiæ: & in fine: *Martinus,* inquit, *Abrahæ sinu lætus excipitur, cælum diues ingreditur.* Quæ eadem verba canens ecclesia satis declarat se pro ijsdem nunc habere cælum & Abrahæ cælum.

Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Ioan. cap. 36. animas sanctorum euolare dicit in manus Dei patris, & cum Christo perpetuam vitam habere.

Theodoretus lib. 8. ad Græcos affirmat cælum esse sedem eorum qui piè vixerunt, & martyres iam æternis insignitos esse coronis.

Maximus hom. in natalem Eusebij Versellensis quæ & habetur numero 69. inter sermones Ambrosij gaudium angelorum animabus iustorum tribuit, sicut & palmam laborum in homilia de sancta Agnete.

Prosper lib. de vita contemplatiua scribit pios transacta hac peregrinatione regnare felices in patria, *cuius,* inquit, *hoc erit totum præmium vt vita contemplatiua semel compos effecta inexplebiliter authorem beatitudinis suæ conspiciat, de illo gaudeat, de illo quod sperauit, obtineat, & in eo ad quod sanctè viuendo peruenerit, sine fine permaneat.*

Gennadius de ecclesiasticis dogmatibus cap. 79. *Post ascensionem Domini ad cælos omnium sanctorum animæ cum Christo sunt, & exeuntes de corpore ad Christum vadunt &c.*

Gregorius papa lib. 12. moral. cap. 14. dicit sanctas animas omnipotentis Dei claritatem videre, & hom. 37. in euangelia, beatos spiritus post hanc vitam gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptũ lumen videre &c. & in psal. 4. pœnitentialem: *Beatitudo,* inquit, *& animabus sanctorum ante resurrectionem tribuitur & corporibus nihilominus post iudicium confertur.* Quam eandem doctrinam pluribus verbis & ex professo tradit lib. 4. dial. cap. 25.

His adde præterea ex Latinis Leonem primum in sermone de sancto Laurentio, Fulgentium serm. de S. Stephano, Primasium in cap. 9. ad Heb. Bedam & Haymonem in Apoc. 6. Anselmum in 2. Cor. 5. Rupertum lib. 13. in Matth. & lib. 7. de diuinis off. cap. 13. & quotquot istos secuti sunt. Nam Scholasticos omnes doctores idem sentire, palam est ex eorum commentarijs super distinctionem præsentem & 49.

Ex Græcis autem Ioannem Damascenum in fine historiæ de Barlaam & Iosaphat, Photium & Theophylactum in Luc. 23. Oecumenium in epistolam Heb. 9.

Porrò ab his patribus haudquaquam separandus est Bernardus, tametsi alicubi obscurius locutus. Reuera enim idem sensit quod omnes superiores. Nam in fine lib. de diligendo Deo dicit martyres immersus esse immenso pelago æterni luminis & luminosæ æternitatis. Et in epistola ad fratres de Hibernia, quæ habetur post sermones de festo omnium sanctorum, scribit S. Malachiæ animam non iam in fide ambulare sed in specie regnare. Et in sermone de eodem sancto dicit eum pari gloria & felicitate regnare cum angelis. Item serm. 6. in Cant. dicit quosdam iam meruisse introduci in sancta sanctorum, vbi videant faciem stantis, id est claritatem incommutabilis Dei. Similia quædam generaliter de sanctorum animabus testatur serm. 4 & 5. de omnibus sanctis, sermone de obitu Vmberti & epist. 266.

Iam verò sententiam hanc non parum confirmant Innocentij tertij extra decreta, nempe cap. *Cum Martha* tit. de celebratione missarum, cap. *maiores,* tit. de baptismo & eius effectu, cap. *apostolicam,* tit. de presbytero non baptizato. Quibus addo sermonem eiusdem pontificis habitum in dominica Lætare, vbi doctrinam hanc ex professo tradit. Cum autem res postea in controuersiam vocaretur, Benedictus 11. al. 12. eam definiuit in extrauaganti quæ incipit, *Benedictus Deus.* Quam totam videre est apud Alfonsum à Castro in hæresi 6. de beatitudine.

Quibus omnibus adhuc tandem accessit apertissima definitio ecclesiæ in concilio Florentino, in quo post mutuas Græcorum & Latinorum super hoc articulo collationes, tandem vtrumque in hanc sententiam itum est: sanctorum animas perfecta frui felicitate, perfectiori tamen cum suis corporibus, posteaquam resurrexerint, fruituras. In ipso autem decreto definiunt patres animas purgatas in cælum mox recipi, & & intueri clarè ipsum Deum trinum & vnum sicuti est.

Accessit etiam nouissimè Tridentini concilij decretum sess. 25. asserentis sanctos cum Christo regnare, & æterna felicitate in cælo frui.

Adde denique consonam vocem omnium fidelium, qui sanctos plenè purgatos vocant beatos. Id quod etiam Græcis vsitatum fuit, beatos, inquam, non in spe sed in re. Nam in spe etiam nos beati sumus. In re autem beati simpliciter dici non possent, nisi id iam obtinerent in quo beatitudo consistit essentialiter, quod est Deum videre.

§. 4. *Rationibus eadem doctrina confirmatur.*

S. Thom. ibidem.

SVperiorem doctrinam probant denique rationes istæ ex scriptura sumptæ.

Prima ex statu sanctorum angelorum, qui iam æternam & summam illam beatitudinem quę in Dei visione consistit, sunt adepti iuxta illud saluatoris Matth. 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei.* Vnde Augustinus lib. 1. retract. cap. 14. de angelis sanctis, quin iam sint in ea possessione quò ducit hæc via, ideoque beatissimi, nullam dicit esse quęstionem: Quod ipsum copiosiùs probatum est, à nobis ad distinctionem 7. lib. 7. Atqui patres sępissimè tribuunt animabus sanctorum eandem cum angelis felicitatem & gloriam, vt liquet ex testimonijs eorum supra adductis; vident igitur & illę faciem patris.

Secunda ex statu impiorum hominum post mortem, quos secundum fidem Catholicam dubium non est statim à morte in infernum descendere, ibique torqueri tam pœna damni quàm sensus, vt vocant. Quod inter alia probat exemplum diuitis euangelici Luc. 16. Cum igitur Deus non sit ad puniendum propensior quàm ad pręmiandum, cumque animę exutę corporibus tam præmij quàm pœnæ sint capaces; consequens est sanctorum quoque animas mox in cælum euolare, ibique frui gaudio essentiali, quod in Dei visione consistit.

Tertia: Si sanctorum animæ nunc non vident Deum, non erit discrimen inter tempus veteris testamenti & noui, quoad statum illarum animarum, sed tantùm fortè quoad locum. Nam & ante erant in sinu Abrahæ, in loco quietis, refrigerij, pacis & consolationis. At si status non est mutatus, parùm sanè refert de loco; præsertim cum substantiæ spirituales propriè non sint in loco.

Quarta: Si Deum non vident, non multum videtur eis præstitum fuisse per descensum Christi ad inferos, quandoquidem vt dictum est, etiam apud inferos consolatione & gaudio fruebantur. A Nam Christum ad ea loca descendisse propter hoc solum vt animas inde ad loca superna educeret non est verisimile. Neque si ita esset, ecclesia descensum Christi ad inferos inter duodecim prima fidei capita ex apostolorum traditione celebraret.

Quinta: Ecclesia demum post Christi passionem cepit sanctos inuocare. Non enim ante Christi aduentum id factum legimus. Cuius ratio præcipua esse videtur, quia tunc Deum nondum videntes preces viuentium ad se directas ordinaria aliqua ratione cognoscere non poterant, sicut nunc B eas cognoscunt in Verbo.

Sexta: Ecclesia diem mortis sanctorum natalem vocat, nempe ob id, quia per mortem translati sunt in aliam vitam, quæ est vita æterna & regnum cælorum. Vnde & cum lætitia celebrat eiusmodi dies, cum ante Christi aduentum soleat defleri mors sanctorum, vt Basilius testatur initio orationis in sanctum Barlaam.

Septima: Nullum obstat impedimentum quò minùs piorum animæ ad plenum purgatæ statim donentur præmio beatificæ visionis, cum & cælum antea clausum Christus sua morte patefecerit, & C illis non restent noua merita comparanda, cum sint iam in termino constitutæ.

§. 5. *Ad obiectiones aduersariorum. è scriptura petitas responsio.*

S. Tho. ibi su.

ARgumenta quæ contra perfectam beatitudinem sanctarum animarum ab aduersarijs D adferuntur, partim ex scriptura, partim ex patribus petita sunt, partim rationi nituntur.

Ex scriptura sunt ista.

Primum: Ecclesiastæ 11. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum*: Ergo non statim post mortem inuenitur fructus eleemosynæ & merces boni operis, sed post tempora multa, id est in fine sæculi.

Secundum: Matth. 20. paterfamilias præcipit omnibus operarijs simul ad vesperam reddi mercedem. Vespera autem finem mundi significat.

E Tertium, Matth. 25. iudex in die iudicij dicturus est sanctis: *Venite, percipite regnum &c.* ergo ante illum diem regnum non percipiunt.

Quartum, Heb. 11. de sanctis dicitur: *Nunc autem meliorem appetunt patriam* id est cælestem. Quod si appetunt, nondum igitur habent.

Quintum, in fine eiusdem capitis dicitur: *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.*

Sextum, 1. Ioan. 3. *Nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, F quoniam videbimus eum sicuti est.* Loquitur autem Ioannes de secundo Christi aduentu, sicut & paulò antè cum ait: *Vt cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.* Vnde apparet quod ante id tempus non videbitur Deus à nobis sicuti est.

Septimum, Act. 2. negat Petrus Dauidem ascendisse in cælum.

Octauum, Apoc. 6. Videt Ioannes non in cælo *sed subtus altare animas interfectorũ propter verbum Dei*. Quibus & dicitur vindictam sanguinis sui postulan-

poſtulantibus, *vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum &c.*

Nonum: Aliæ quoque ſcripturæ bonorum operum retributionem rejiciunt in diem Domini vel in diem aduentus Domini, vel abſolutè in diem illum, vt Rom. 2. 1. Corinth. 5. 2. Cor. 1. 2. Timot. 1. & 4. & alibi. Sic Dominus Luc. 14. *Retribuetur*, inquit, *tibi in reſurrectione iuſtorum*. Quæ omnia ſignificant non ante extremi iudicij diem retributum iri ſanctis mercedem ſperatę beatitudinis.

Sed ad hæc reſpondemus. Ad primum quidem, ea verba ſcripta eſſe multò ante Chriſti aduentum quando iuſti dilata mercede beatitudinis ad inferos deſcendebant; tametſi ſimplex ſenſus eius loci eſſe videtur, largè tribuendum egentibus, quia quod dederis ſi non ſtatim, ſaltem poſt multum tempus pro certo recipies. Nam alij alijs citiùs euocantur ex hac vita, ac rurſum alij alijs citiùs è purgatorio liberantur.

Ad ſecundum reſpondetur non oportere vt in parabolis omnia reſpondeant cum re ſignificata, vt rectè monet Chryſoſtomus ad hunc locum, ſed ſcopum conſiderandum eſſe propter quem parabolæ adferuntur. Quanquam hoc quod de veſpera dicitur, id ad veſperam, id eſt, finem vitæ cuiuſque hominis referri poteſt. Si tamen ad finem ſæculi referas, ſenſus erit; tunc demum reddendam omnibus iuſtis mercedem beatitudinis conſummatæ, qua nimirum totus homo in corpore & anima beatus ſit.

Ad tertium, Verba illa non animabus ſeparatis, ſed hominibus reſuſcitatis dicentur. Nam animæ iuſtorum nunc quidem regnant cum Chriſto mille annis Apocalip. 20. id eſt durante curſu huius ſæculi, ſed eo finito fiet reſurrectio mortuorum, quando homines incipient regnare cum Chriſto.

Ad quartum, Referri debent ea verba ad id tempus, quo ſancti illi patres, de quibus Paulus loquitur, adhuc erant in terris, vt patet conſideranti textum. Reſpicit enim apoſtolus ad illud Gen. 47. quod Iacob dicebat ad Pharao: *Dies peregrinationis meæ.* Et nota illud *nunc* non accipi vt tempus deſignet, ſed poni pro, ſed, atqui, at verò, itaque. Sic accipitur 1. Cor. 12. *Nunc autem multa quidem membra*, & 15. *Nunc autem Chriſtus reſurrexit.* Habet enim vim aduerſatiuæ ſimul & illatiuæ coniunctionis.

Ad quintum iuxta varios eius loci commentarios variè reſponderi poteſt. Vno modo, repromiſſiones ibi intelligi factas patribus de Chriſti aduentu, quomodo Primaſius exponit: Alio modo, promiſſionem intelligi patriæ cæleſtis, ſed hoc ſenſu, quia patres veteris teſtamenti non acceperunt illam ſtatim à morte ſicut nunc ſancti accipiunt, ſed exſpectare debuerunt tempus nouæ legis, *vt non ſine nobis*, id eſt, nouæ legis filijs *conſummarentur.* Tertiò eandem intelligi promiſſionem, ſed perfectè accipiendam, videlicet ſecundum corpus & animam. Sic enim nondum acceperunt eam antiqui patres, ſed vnà nobiſcum in fine ſæculi accipient. Vnde dicitur, *vt non ſine nobis conſummarentur*, id eſt, conſummatam acciperent remunerationem. Quæ expoſitio vt communior eſt alijs, ita & probabilior. Et ſanè promiſſionem intelligi patriæ cæleſtis, oſtendunt alia eiuſdem capitis, vt illud: *Exſpectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus;* Et illud: *Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere*, quam mox interpretatur *cæleſtem &c.*

Ad ſextum: Non negat Ioannes ſanctos Deum viſuros ante diem iudicij, ſed ſignificat gloriam ſanctorum non ante eum diem manifeſtandam toti mundo. Non enim ſenſus eſt: Cùm apparuerit Chriſtus, ſed cum apparuerit quid erimus, ſimiles Chriſto erimus, nempe ſecundum corpus glorioſi, quæ gloria ex eo cauſabitur, quia ſecundum animam videbimus eum ſicuti eſt.

Ad ſeptimum: Intelligitur eo loco aſcenſio, qualis Chriſti, nempe ſecundum corpus. Sic enim Dauidem nondum aſcendiſſe in cælum probat Petrus, quia ſepulcrum eius (intellige non vacuum, ſed reliquias corporis eius continens) vſque in illum diem apud ipſos erat.

Ad octauum dicendum conuenientiſſimè per altare intelligi corpus Chriſti, vt animæ ſanctorum ſub altari eſſe dicantur, quia ſunt infra conditionem glorioſi corporis Chriſti, eò quòd corporum ſuorum gloriam nondum ſint aſſecutæ. Poſt reſurrectionem autem erunt ſupra altare, quia corpora glorioſa tunc adeptæ erunt, iiſque ad nutum imperabunt.

Ad poſtremum generaliter reſpondetur eiuſmodi ſcripturas loqui de perfecta retributione, qua videlicet totus homo corpore conſtans & anima pro meritis præmia vel ſupplicia recepturus eſt. Tametſi quibuſdam locis non dies vniuerſalis iudicij ſed particularis poteſt non incommodè accipi.

§. 6. *Obiectiones ex patribus ſoluuntur.*

EX patribus primo loco Tertullianus objicitur, qui lib. 4. contra Marcionem dicit eam regionem quæ ſinus Abrahæ dicitur, etſi non cæleſtem, ſublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbere animabus iuſtorum, donec conſummatio rerum reſurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat, & ſimilia habet lib. de anima vltimo & penultimo capite. *S. Thom. vbi ſup.*

Secundò, Iuſtinus quæſt. gentilium q. 60. negat hiſtoriam eſſe ſeu rem geſtam id quod in euangelio habetur de Lazaro & diuite & probat, quia non ante reſurrectionem vnicuique ex ijs quæ in vita geſſit, præmium redditur. Et q. 76. dicit latronem tantùm id conſecutum eſſe vt ſit in cœtu iuſtorum, & videat ſeipſum & quæ iuſta ſe ſunt, & prætetea angelos & dæmones, eò quòd ante reſurrectionem nulla ſint operum præmia.

Tertiò, Irenæus in fine lib. 5. contra hæreſes dicit ſanctorum animas abire in locum inuiſibilem, definitum eis à Deo, & ibi vſque ad reſurrectionem commorari, ſic tãdem venturas ad conſpectum Dei.

Quartò, Origenes homil. 7. in Leuit. negat apoſtolos recepiſſe lætitiam ſuam, ſed exſpectare vt nos lætitiæ eorum participes efficiamur, & lib. 2. Periarchon ſub finem, ſanctos poſt mortem deferri dicit in paradiſum terreſtrem, & inde eos qui puriores ſunt, ad aëris loca conſcendere.

Quintò, Lactantius lib. 7. cap. 21. ita ſcribit:

Nemo putet animas post mortem protinus iudicari. Omnes in vna communique custodia detinentur, donec tempus adueniat, quo maximus iudex meritorum faciat examen. A

Sextò, Victorinus in Apoc. 6 interfectorum animas positas suba ara, interpretatur sub terra, tametsi regione à pœnis & ignibus remota vbi sit requies sanctorum. Et addit, In nouissimo tempore futuram sanctorum remunerationem, & impiorum damnationem.

Septimò, Hilarius in psal. 138. hanc humanæ necessitatis legem esse dicit, vt sepulus corporibus animæ ad inferos descendant, adeo vt eam legem B nec Christus recusauerit.

Octauò, Ambrosius lib. de bono mortis capit. 10. dicit animas iustorum infernum petere, citatque scripturam 4. Esd. 7. vbi habitacula animarum promptuaria vocantur, & obiectionem querelæ humanæ de dilata priorum iustorum remuneratione soluit ex capit. 5. eiusdem libri, vbi Deus dicit: *Coronæ assimulabo iudicium meum, sicut non nouissimorum tarditas, sic nec priorum velocitas*. Vnde infert: *Ergo dum exspectatur plenitudo temporis, exspectant animæ remunerationem debitam. Alias manet pœna, alias gloria &c.* C Deinde cap. 11. rursum ex 4. Esdr. 7. colligit septem ordines profectus lætitiæ iustarum animarum, quarto ordini tribuens, quod incipiant futuram sui gloriam prævidere, eaque se consolatione mulceant, septimo autem quod exultent cum fiducia, festinantes vultum Dei videre. Idem lib. 2. de Cain cap. 2. *Soluitur*, inquit, *à corpore anima, & post finem vitæ huius adhuc futuri iudicij ambiguo suspenditur*. Nam ergo statim redditur ei premium beatitudinis.

Nonò, Prudentius hymno 10. testatur animas puras recipi in paradisum, vnde pulsus est homo, D id est, terrestrem.

Decimò, Chrysostomus homil. 39. in 1. Corinth. 15. negat animam licet immortalem, sine carne fruituram admirandis illis bonis, vti nec pœnis afficiendam, & addit: *Nam si corpus non resurgat, anima nostra incoronata iacebit, extra cælestem beatitudinem erit. Quod quidem si des, nulla istic iam re in vniuersum fruemur.* Et homil. 28. in Heb. 11. ait. *Ne aliquid præ nobis habere viderentur, si primi ante nos coronarentur, vnum definiuit tempus omnium coronarum, & qui ante eam multos annos vicit, secum accipiet coronam.* E Atque hanc Chrysostomi sententiam secuti sunt in eundem locum commentantes Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius.

Vndecimò, Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 3 euch. 108. lib. 12. de ciuit. cap. 9. & alibi animas iustorum collocat in occultis sedibus, in secretis & abditis receptaculis. Tract. autem 49. in Ioan. inter ea quæ promissa sunt illis & nondum præstita, enumerat vitam æternam cum angelis. *Hoc*, inquit, *omnes simul accepturi sumus.* F Et lib 1. retract. 14. dicit meritò quæri de sanctis hominibus iam defunctis, vtrùm ipsi saltem dicendi sint iam in illa possessione consistere, in qua sanctos angelos esse non dubitatur. Et lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 35. minimè dubitandum esse dicit animam carne solutam non sic videre posse incommutabilem substantiam, vt sancti angeli vident. Idem in psalm. 36. *Post hanc vitam*, inquit, *nondum eris vbi erunt sancti, quibus dicetur: Venite benedicti &c. nondum ibi eris, quis nescit? sed iam poteris ibi esse, vbi vlcerosum pauperem diues in medijs tormentis vidit longè, requiescentem.*

Notantur & hæc loca eiusdem Augustini epistol. 111. ad Fortunatianum, tract. 53. & 111. in Ioan. In expositione psalm. 85. & cone. 1. super psalm. 48. & lib. de spiritu & litt. capit. 24. Quibus locis significat pios ad beatificam Dei visionem non admittendos ante extremum iudicium. Item serm. 1. de omnibus sanctis, vbi ponit in regno cælorum agmina patriarcharum fide fulgentia, & prophetarum spe lætantia. Vbi autem fides & spes, ibi nondum est visio. Sed non est Augustini, & sensus esse videtur, quòd propter eximiam fidem & spem accipiunt excellentia præmia.

Duodecimò, Aretas Cæsariensis in Apoc. 6. dicit sanctos quiescere in finibus Abrahæ, & vnumquemque sortitum esse dignum locum, vnde etiam de futura sua gloria certam quandam assequatur coniecturam.

Decimotertio, Euthymius in Luc. 16. narrationem de Lazaro & diuite parabolam esse dicit, qua significetur quid futurum sit post diem iudicij. Quod & ante eum Theophylactus in eundem locum scripsit. Idem Euthymius super Luc. 23. contendit paradisum latroni à Christo promissum, non cælestem esse sed terrestrem, eò quòd Christus non ei responderit: *Mecum eris in regno meo*, quod ille petiuerat, sed *in paradiso*. Quem dicit esse velut arrabonem regni, in quo erit fruitio ineffabilium bonorum.

Decimoquartò, Beda lib. 5. hist. Angl. cap. 13. commemorat visionem quandam tanquam fide dignam, in qua præter infernum & purgatorium & regnum cælorum ostensum fuit quoddam quasi pratum amœnum, cuiusmodi veteres finxerunt Elisios campos, in quo degentes piorum animæ nihil patiantur, sed maneant ibi quietæ & doloris expertes, donec admittantur ad beatam visionem Dei. Nec dissimilia quædam leguntur apud Gregorium lib. 4. dialog. capit. 36. & apud Richelium in dialogo de iudicio particulari artic. 31.

Decimoquintò, Bernardus serm. 2. de omnibus sanctis dicit adhuc signatum esse super illos lumen vultus dominici, ideoque eos nondum plenam habere noticiam. Et serm. 3. tres facit sanctarum animarum status, primum in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata. Primum in tabernaculis, secundum in atrijs, tertium in domo Dei in quam domum negat eas sine corporibus intraturas. Et serm. 4. dicit animas martyrum esse sub altari, quia solum vident Christi humanitatem, post corporum autem resurrectionem exaltandas esse super altare ad videndum eius diuinitatem. Locus similis est sermone 4. in dedicatione ecclesiæ.

Decimosextò, Ioannes 22. docuit, prædicauit & declarauit animas sanctas ante resurrectionem non intueri clarè Deum, ideoque necdum beatas esse beatitudine quæ in clara Dei visione consistit. Idemque mandasse dicitur Parisiensibus ne aliter docerent, neque vllos promouerent ad gradus in sancta Theologia, qui non prius in hanc sententiam iurassent. Talia referunt Guilielmus Ockam qui eo vixit tempore, in opere nonaginta dierum, Ioannes Gerson in serm. de pascha, Marsilius in 4. quæst. 13. articu. 3.

& Adria-

& Adrianus in quartum tractatu de sacramento confirmationis.

Postremò, Græci patres passim negant Deum videri posse à creatura etiam angelica: ergo non est id tribuendum animabus iustorum. His addi poterat quod frequenter tam Græci quàm Latini dicunt eas requiescere in sinu Abrahæ; Sed iam suprà ostendimus vocabulum hoc generale esse, quo sedes seu receptaculum piorum significetur, liberum ab omni cruciatu & miseria; quod commune est limbo patrum & patriæ cælesti. Hoc igitur omisso ad cætera respondeamus.

Et quidem fatendum videtur quosdam ex authoribus iam citatis verè sensisse, quòd animæ iustorum post hanc vitam ante communem resurrectionem non assequantur illam beatitudinem quæ in Dei visione consistit. Quorum proinde sententijs interpretandis non sit immorandum, vt Tertulliani, Lactantij, Victorini, Aretæ, Euthymij & authoris quæstionum apud Iustinum. Qui cùm ea in re à plurimis & præcipuis ecclesiæ patribus dissentiant, & alioqui per se non magnę sint authoritatis, atque inter eos Euthymius Græcus scripserit circa annum 1100. tempore schismatis Græcorum contra Latinos; parum nobis de eorum sententia laborandum est: præsertim cùm idem Euthymius scribens in Luc. 16. de diuite & Lazaro, semel & iterum non obscurè significet etiam illam retributionem bonorum & malorum de qua ibi sermo est, describi vt præsentem, cùm nondum sit præsens, sed futura tantùm in fine sæculi. Ad aliorum igitur verba patrum explicanda veniamus.

Irenæus per locum inuisibilem non aliud quàm cælum ipsum videtur intellexisse. Nam quod inferos non intellexerit, manifestum est. Dicit enim ibidem Christum ad inferorum loca descendisse, vt sanctorum animas inde extraheret & saluaret. Quod autem dicit eas receptis corporibus venturas ad conspectum Dei, non sic accipiendum, quasi prius Deum non videant, sed quia tunc denique ad Dei conspectum venient animæ cum corporibus, id est, homines à mortuis resuscitati

Origenes priori loco disertè de perfecta lætitia loquitur, quam negat sanctos adhue recepisse, non ob defectum gaudij essentialis, quod in Dei visione consistit, sed accidentalis cuiusdam, quod in fine sæculi habebunt, ex eo quod ciuitas illa cælestis plena & perfecta erit, constans omnibus electis, velut corpus omnibus suis membris. Quod gaudium nec ipse Christus adhuc habet, vt ibidem affirmat Origenes. Posteriori loco in eo quidem errat quod gradus quosdam constituit animarum sanctarum priusquam ad cælum & Dei conspectum pertingant, apertè tamen dicit multas animas iam eò peruenisse.

Hilarij verba pro eo tempore dicta accipi debent, quo clausum erat cælum, id est, ab Adam vsque ad Christum, qui illam humanæ necessitatis legem soluit, quando iustis animabus cælum aperuit. Quod autem visionem beatificam non intendat excludere, manifestum est, quia dicit nec Christum eam legem recusasse, quem tamen nemo dubitat secundum animam Deum vidisse.

Ambrosius priori loco refert sententiam philosophorum de descensu piarum animarum ad inferos, eamque commendat vt veram pro eo tempore quo dicta fuit, non autem absolutè. Nam

A eodem capite docet apertè iustorum animarum superiora esse habitacula, & cap. 9. dicit eas in sublime euolare ad Deum, & cap. 12. regni cælestis consortium illis tribuit, & ijsdem locis alia habet his similia. Quod autem de corona & gloria & remuneratione in fine sæculi exspectanda dicit, intelligendum est de retributione illa perfecta, quæ dabitur toti homini, idque palam in die generalis iudicij, quomodo corona publicè & solemniter dari solet victoribus. Posteriori loco non aliud vult quàm animas post hanc vitam seu bonas seu malas ignorare quando sit futurum B iudicium.

Prudentius poëticè loquens paradisi terrestris ideo meminit, quia locus ille typus fuit paradisi cælestis, in quem animæ sanctæ recipiuntur.

Chrysostomus priori loco non dicit animam non fruituram bonis æternis ante resurrectionem sui corporis, sed simpliciter negat eam fruituram vllis bonis cælestibus, si corpus non resurgat. Cuius ratio est, quia vtraque pars hominis ex iusticia debet remunerari, cùm in vtraque laborauerit, & proinde si altera pars nempe corpus, in æternum C mercede frustratur, consequens est, vt & altera nempe anima similiter promissis defraudetur bonis. Quem Chrysostomi sensum planiùs explicat Theophylactus. Posteriori loco loquitur de corona perfectæ retributionis, scilicet secundùm corpus & animam. Et eodem modo loquuntur alij Gręci, qui commentarium Chrysostomi sunt secuti.

Augustinus quas interdum vocat occultas sedes & abdita receptacula, alibi vocat sinum Abrahæ, alibi secretum patris, alibi cælum & regnum D cælorum. Non enim hæc inter se pugnant, sed potiùs aliud ex alio declarandum & exponendum est. Sic enim & in ecclesiastico officio legimus S. Agnetem modò dixisse: *Cum his omnibus incedas fide i a cepi*, modò se sponso suo iunctam in cælis, videlicet vtraque sententia cælestem beatitudinem significare volentem.

Iam quod ad alias sententias ex Augustino allatas attinet, putant nonnulli Augustinum aliquando dubitasse de loco animarum iustarum, nempe vtrùm in cælo sint an alibi. Quæ tamen dubitatio non videtur satis certò colligi posse ex ipsius verbis, cùm ea omnia magis ad statum quàm ad lo- E cum videantur referenda. Nusquam enim apertè de loco ambigere se significat, sed potiùs contrà non rarò cælum nominat, & disertè inferos earum locum esse negat lib. 20 de ciuit. cap. 15. Dicendum igitur est sensisse Augustinum animas sanctorum videre quidem Deum facie ad faciem, sed non ita perfectè, quomodo videbunt post resurrectionem; idque propterea quod naturalis earum appetitus quo feruntur erga corpus, vt ei rursum vniantur, ipsumque administrent, remoretur eas quò minùs tota intensione ferantur in Deum; & proinde nondum peruenerint ad æqua- F litatem angelorum, qui nullo impedimento retardantur, quò minùs toti in Deum ferantur. Hoc ipsum tamen non ita sensit Augustinus, vt id pro certo haberet. Nam licèt in lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 35. id affirmare videatur, attamen postea lib. 1. retract. 14. de eadem re significat se adhuc dubitare. Quæ quidem quæstio ne nunc quidem omnino determinata est, nisi quod concilium Florentinum, cùm dicit sanctorum animas perfecta frui felicitate, perfectiori tamen fruituras cum suis corporibus postquam resurrexe-

A tint, videri cuiquam posset ad Augustini sententiam deflectere, quamuis hoc alij rectiùs non de intensiori sed de extensiori beatitudine putent esse intelligẽdum, propter beatitudinem corporis quæ ad priorem animæ beatitudinem acceder. Nam si anima separata propter inclinationem naturalem qua trahitur ad corpus, minus intensè Deum videret quàm coniuncta, sequeretur etiam Christi animam minus intensè Deum vidisse in triduo mortis quàm nunc videat. Quod absurdum est sentire, quia Christus ita ab initio secundum animam fuit perfectè beatus, vt nullus ad eam perfe- B ctionem gradus postea accesserit, vti neque decessit per mortem corporis.

Eadem autem est responsio ad ea quæ ex Bernardo obiecta sunt. Tantum enim negat Bernardus animas sanctorum tam perfectè nunc Deum videre quàm visuræ sunt receptis corporibus. Nam hoc eum sentire, probant ista verba sermonis tertij de omnibus sanctis, quibus sic carnem alloquitur: *Anima sancta te desiderant, ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in ijs desiderium hoc naturale, vt necdum tota earum affectio liberè pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, & rugam faciat, dum inclinatur desiderio* C *tui.* Sic Bernardus Augustini sententiam in ea re secutus, quam & sequitur Haymo scribẽs in Apoc 6. & inter Scholasticos S. Thomas, Bonauentura, Richardus & Marsilius scribentes in distinctionem 49. tametsi S. Thomas sententiam postea mutauit. Nam 1. 2. q. 4. art. 5. apertè docet quod resumpto corpore beatitudo animæ crescet non intensiuè sed extensiuè. Verùm hac de re ad dictam distinctionem 49. erit ex professo agendum.

Ad obiectionem ex Beda respondemus locum illum amœnum animarum extra regnum cælorum, si quis talis est, ad purgatorium pertinere; quia li- D cèt non sit ibi pœna sensus, est tamen pœna damni ex dilata beatitudine, ad quam tandem cædem animæ plenè purgatæ transferuntur.

Portò de Ioanne 22. respondemus illam quidem eius opinionem fuisse, nunquam tamen ab eo definitam, vt apertè testatur proximus eius successor Benedictus 11. in extrauaganti, quæ incipit, *Benedictus Deus.* Imò scribit historicus illius temporis Ioannnes Villanus lib. 11. rerum Florentinarum cap. 19. Ioannem pontificem pridie quàm mortem obiret, declarasse quod nunquam sibi in ani- E mo fuisset, quæstionem definire, potiusque iam sibi contrarium videri probabilius, adeoque se eam sententiam amplecti ac retinere velle, nisi ecclesia diuersum aliquando definiret. Authoritas autem Gulielmi Ockam asserentis Ioannem ita definiuisse (ex quo alij posteriores id habent) neminem mouere debet, cum fuerit infensus hostis Romanorum pontificum.

Ad postremum respondemus cum S. Thoma 1. p. q. 12. art. 1. patres negantes Deum videri posse à creatura, nomine visionis intelligere comprehen- F sionem, id est, perfectissimam illam visionem qua res tota comprehenditur. Quo modo Deus nec ab homine glorificato, nec ab angelo nec ab ipsa Christi anima sed à seipso tantùm videri potest.

§. 7. *Soluuntur argumenta petita ex ratione.*

S. Thom. loco superius allegato.

RAtiones quibus supradicta doctrina impugnatur, sunt istæ.

Prima: Iusti veteris testamenti quamuis sanctissimi, vt Abraham alijque patriarchæ & prophetæ non viderunt Dei essentiam: ergo nec vident sancti noui testamenti. Est enim vtrobique paritas meritorum.

Secunda: Christus ipse statim post mortem non in cælum ascendit secundum animam, sed descendit ad inferos, nec omnino sine corpore ascendit in cælum. Cùm ergo sancti debeant Christo conformari tanquam membra capiti, nec sit seruus supra Dominum, fit vt nec ipsi ad cælestem gloriam admitti debeant, priusquam sua corpora receperint.

Tertia: Post resurrectionem exercebitur iudicium de omnibus, ergo tunc demum reddeatur omnibus præmia & pœnæ. Nam præmia & pœnæ in iudicio decernuntur, & non ante.

Quarta: Anima non meruit sine corpore, ergo non debet coronari sine corpore.

Quinta: Anima sine corpore misera est, vtpote contra propriam inclinationem separata ac diuisa ab eo cum quo naturaliter vnum quid constituit, ergo non est beata, & proinde non fruitur beatifica visione Dei.

Ad primam respondetur paritatem quidem posse constare inter iustos veteris & noui testamenti ex parte meritorum, sed diuersitatem esse ex parte temporis. Nam ante Christum nondum erat tempus recipiendæ mercedis. Non enim conueniebat vt Christi animam vlla alia anima tempore præcederet in regnum cælorum, sed vt ipse alias ad patris sui conspectum præuius ac præcursor introduceret.

Ad secundam, Christi anima licèt non in cælum corporeum ascenderit sine corpore, Deum tamen perfectissimè videbat iam inde ab initio conceptionis, eratque proinde in cælo spirituali, quod & sancti angeli quocunque mittuntur, nunquam deserunt, dicente Domino de angelis hominum custodibus, quod *in cælis semper vident faciem patris,* vt iuxta hunc sensum verissimum sit illud: *Vbi Deus ibi cælum.* Deinde quamuis Christo sancti conformari debeant in multis, non tamen in omnibus, Quale est quod ad inferos descendit. Non enim hoc fecit vt nobis ad inferos viam pararet, sed vt iustorum animas inde educeret. Sic quod tertia die resurrexit, quod corpus eius non vidit corruptionẽ quod clamans expirauit, quod miracula fecit, non sunt facta ad nostri imitationem, sed ad doctrinam & mysterium.

Ad tertiam: Ante iudicium generale exercetur in singulos statim à morte iudicium particulare, in quo quisque recipit secundum merita non in corpore sed in anima sola. Nam totus homo iudicabitur, idque palam in iudicio vniuersali.

Ad quartam: Non est inconueniens animam sine corpore & ante corpus coronari, tum quia anima est bonorum operum causa principalis vtens corpore vt instrumento, tum quia anima non omnia bona opera exercet per corpus sed quædam sola cogitatione ac voluntate, cum è contra corpus nihil possit præstare sine anima, tum quia anima sepa-

ma separata capax est gloriæ, non item corpus separatum.

Ad postremam: Quamuis ad aliqualem animæ miseriam pertineat esse separatã à corpore, simpliciter tamen anima quæ videt Deum, non misera sed beata dicenda est, attamen beatior futura, postquam fuerit corpori rursum vnita.

§. 8. *Animas nondum expurgatas viuentium suffragijs adiuuari.*

S. Thom. suppl. q. 71. ar. 2. & 6.

Alterum animarum post hanc vitam receptaculum esse diximus id quod vocatur purgatorium, id est, locus in quo pœnis quibusdam purgantur animæ fidelium, quæ adhuc purgatione indigent, priusquam ad Dei conspectum & consortium beatorum admittantur. Sed quia circa distinctionem 21. huius libri vbi de peccatis agebatur quæ post hanc vitam remittuntur, satis ostendimus esse aliquem eiusmodi locum & statum animarum, hinc eo in præsens omisso ac præsupposito, nunc (quod illi doctrinæ proximum est) docebimus animas quæ in purgatorio sunt, viuentium suffragijs adiuuari. Vtrumque enim Catholicum dogma est & pari studio ab hæreticis nostri temporis oppugnatur. Argumenta quoque quibus hoc posterius astruitur, omnia ad prioris assertionem faciunt, licet non contrà. Vnde ferè omnia tam scripturæ quàm patrum testimonia quibus hîc vtendum esset, illic producta sunt. Tantum igitur nunc restat, vt quæ præcipua sunt, rursum breuiter indicata, præsenti doctrinæ applicemus, additis præterea nonnullis alijs quibus ea ipsa confirmetur.

Est igitur apertissimum scripturæ testimonium quod habetur 2. Machab. 12. vbi factum Iudæ Machabæi qui *collatione facta duodecim milia drachmas argenti misit Ierusalem vt offerretur sacrificium pro peccatis* eorum qui in bello ceciderant, commemoratur, simul & vehementer laudatur, adiuncto hoc epiphonemate: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur.* Vbi etiam pro absurdo habetur, si cui superfluum videatur & vanum orare pro mortuis. Erat ergo publicè persuasum non superfluas esse neque vanas viuentium pro defunctis orationes. Et sanè Iudas cum esset ex genere sacerdotali, credendus est hoc mandasse, quod sciebat accepta à maioribus antiqua consuetudine sacrificiorum obseruari solitum, licèt id expressè scriptum non legatur. Vnde intelligitur quod etiamsi authori lib. Machabæorum non aliud quàm humanam fidem historiæ tribuamus, satis tamen ex eo probetur pia consuetudo sacerdotum & aliorum fidelium illius temporis cum certa persuasione qua credebant talia non frustrà nec inaniter fieri. Quod enim à quodam ex sectarijs (Tremelio) obijcitur huic scriptori legis imperitia, qui sacrificia pro pijs oblata fuisse putauerit, qui se polluerant anathemate, quod, inquit, planè aduersatur legi, videlicet respiciens ad legem Deut. 7. qua sub anathemate perhibetur, ne quis ex idolis quippiam sibi accipiat, inanis est obiectio. Primùm quia sectarius iste non animaduertit ipsam legem expressè in textu ab authore citari. *A quibus*, inquit, *lex prohibet Iudæos*: Quomodo ergo taxat in eo legis imperitiam? Deinde quæro, num etiam Iudas qui quod narratur, fieri præcepit, legis fuerit imperitus? num etiam sacerdotes qui executi sunt? Itaque respondeo illos omnes non ignorasse, quòd etsi qui ceciderant, polluti essent anathemate, potuerint tamen illius peccati veniam consequi, si cum pietate qua pugnabant pro patrijs legibus, occubuissent; videlicet aut de peccato pœnitentiam veram concipientes ante mortem, vel quod per ignorantiam legis à mortali peccato possent excusari, vel denique quod spolia quæ capiebant, idolorum donaria esse nescirent. Denique vt demus eos errasse in qualitate peccati, vt veniale & expiabile putauerint esse quod mortale erat, & iam expiari non poterat, illud tamen restat quod diximus, quodque nobis in præsenti sufficit, ex historia probari consuetudinem sacerdotum, atque aliorum fidelium illius temporis cum pia persuasione qua credebant defunctorum animas, qui cum pietate dormitionem acceperant, oblatione sacrificiorum à peccatis absolui. Iam verò quod multò etiam antiquior fuerit piorum fidelium cura pro mortuis iuuandis, ostenditur ex eo, quòd ieiuniũ sibi suisque indixisse legantur propter eos qui mortui essent, vt 1. Reg. vlt. & 2. Reg. 1. Ieiunium enim ad aliquid pro alio obtinendum valet sicut oratio, iuxta illud Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.* Hinc Beda super illud 1. Reg. vlt. *Et ieiunauerunt septẽ diebus*, scribit rectè viros Iabes septem diebus ieiunasse, vt qui mortui erant, possent ad requiem peruenire, quæ septimo die significatur.

Eodem pertinet quod Tobias cap. 4. mandat filio vt *panem & vinum super sepultura iusti constituat.* Id enim non superstitione aliqua sicut gentiles, sed pro refrigerio animæ hominis iusti fieri voluit, quæ hac eleemosynæ largitate precibus pauperum commendaretur, & vt ipsa in pauperes eleemosyna per modum satisfactionis ad salutem defuncti proficeret. Quò etiam referendum videtur illud Ecclesiastici 7. *Mortuo non prohibeas gratiam*, vt sensus sit: Mortuo per eleemosynas præsta misericordiam.

Habemus ergo in scriptura veteris testamenti tria operum genera commendata, quibus mortui adiuuentur; nempe sacrificium, orationem & opera pœnalia eademque satisfactoria, sub quibus comprehenduntur eleemosyna, ieiunium & similia. Ad quod postremum genus licèt oratio quoque pertineat in quantum est opus pœnale, habet tamen & propriam insuper rationem, qua possit alijs prodesse, nempe secundum quod est impetratoria, quod quidem est ipsi proprium, etiam seclusa pœnalitate & satisfaciendi ratione. Quod patet in orationibus Christi & sanctorum tam angelorum quàm animarum in cælo, quæ prosunt ijs pro quibus fiunt, etiamsi non sint satisfactoriæ. Eadem autem omnia operum genera semper in ecclesia Christi frequentata fuisse pro defunctis, ex patrum scriptis & historijs ecclesiasticis compertissimum est.

Porrò ex scriptura noui testamenti purgatoria quidem animarum pœna & peccatorum remissio post hanc vitam manifestè probatur, vt ex ijs constat quæ diximus ad distinctioné 21. Orationes autem pro defunctis factas ibi non legimus, ob id fortasse, quia potissima apostolis cura erat vt nouellis Christianis inculcarent fidem resurrectionis corporum & felicitatis animarum post hanc vitam. Qua videlicet spe animandi erant fideles ad contẽnenda bona huius sæculi & persecutiones æquo animo tolerandas, maximè verò ad subeunda fortiter martyria, quorum tunc quotidianæ erant occasiones, tum etiam quia vt erant priùs illi Christiani fer-

uentiores in pietate, ita post mortem precibus vi-
uentium minùs indigebant. Tum denique quia si
quando grauius deliquerent, seueræ ac plenæ pro
peccatis satisfactiones ab ijs exigebantur in hac vi-
ta, sicque iubebantur futurum Dei iudicium vo-
luntaria castigatione præuenire. Quanquam non
omnino putanda est scriptura noui testamenti de
hac re tacuisse. Nam quod apostolus dicit 2. Tim.
1. *Det illi Dominus inuenire misericordiam in illa die*,
speciem habet orationis, qua petitur alicui à Deo
misericordia pro statu vitæ futuræ. Similiter & il-
lud Luc. 16. *Vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna
tabernacula*, impletur non tantùm per merita qui-
bus quis misericordiam præstitit, verùm etiam per
orationes pauperum quibus bene feceris. Etsi au-
tem in scriptura noui testamenti nihil tale extaret,
esse tamen eam apostolicam traditionem, quod o-
rationes & sacrificia pro mortuis frequententur, ex
tota antiquitate clarum est, & inprimis ex Diony-
sio Areopagita qui in libro de ecclesiastica hierar-
chia cap. vlt. describit antistitem precantem, vt de-
functo omnia peccata, quæ humana fragilitate ad-
miserit, remittantur. Scribit etiam Arnobius vetu-
stus author in fine libri quarti contra gentes, in
Christianorum conuentibus pacem & veniam
mortuis à Deo postulari solitam.

Similia videre licet apud Tertullianum lib. de
corona militis, lib. de monogamia, & lib. de exhor-
tatione ad castitatem, Origenem hom. 6. in Exod.
& alijs aliquot locis, Cyprianum lib. 1. ep. 9. &
lib. 4. ep. 5. & his antiquiorem Clementem in epi-
stola ad Iacobum.

Hos vetustissimos authores alij deinde omnes
summo consensu secuti sunt, vt supernacaneum sit
eorum sententijs recensendis vel etiam locis omni-
bus annotandis immorari; Præcipua tamen hæc
sunt. Ambrosius oratione in obitum Satyri fratris
& altera in obitũ Valentiniani, Prudentius hymno
10. Gregorius Nazianzenus oratione funebri pro
fratre Cæsario, Epiphanius hæresi 75. & post eum
Augustinus hæres. 53. quæ vtrobique est Aerianorũ,
quos ob id hæreticos fuisse docent, quod dicerent
non oportere orare vel offerre pro mortuis. Idem
Augustinus lib. 9. confess. cap. 11. scribit se à ma-
tre sua rogatum fuisse, vt ipsius post mortem ad
altare Domini memor esset, & cap. 12. dicit pro ea
oblatum fuisse sacrificium precij nostri ac deinde
cap. 13. ipse pro ea Deum orat, rogans etiam le-
ctores, vt vtriusque parentis sui ad altare Dei me-
minerint. Alia apud Augustinum loca sunt epist.
64. serm. 17. & 32. de verbis apostoli, ench. 110.
tract. 84. in Ioan. q. 1. ad Dulcitium, lib. 1. de or.
an. cap 9. & 11. lib. de sancta virginitate cap. 45.
lib. 20 de ciuit cap. 9. & lib. 21. cap. 13. 16. &
24. Scripsit & peculiarem de hac re librum tit. de
cura pro mortuis. Cuius initio referens verba Pau-
lini ad quem scribit, nempe vacare non posse, quod
vniuersa pro defunctis ecclesia supplicare consue-
uerit, eam sententiam confirmat his verbis: *In Ma-
chabæorum libris oblatum pro mortuis sacrificium; sed etsi
nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non
parua est vniuersæ ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret,
authoritas, vbi in precibus sacerdotis, quæ Deo ad eius al-
tare funduntur, locum suum habet etiam commendatio de-
functorum.* Et cap. 4. cum dixisset pium precantis
affectum, defunctis quibus exhibetur, sine dubio
prodesse; postea subiungit: *Non sunt prætermittendæ
supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro
omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, e-
tiam tacitis nominibus, quorumque sub generali cõmemo-*

A *ratione suscepit ecclesia, vt quibus ad ista desunt parentes
aut filij, aut quicunque cognati vel ab vna eis exhibean-
tur matre communi.* Denique cap. vlt. repetit quod
dixerat de vniuersali consuetudine ecclesiæ.

Eam autem consuetudinem ab apostolis ma-
nasse testatur Chrysostomus Augustino coæuus
hom. 69. ad populum Antiochenum: *Non temerè*,
inquit, *hæc ab apostolis sancita fuerunt, vt in tremendis
mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim
illis inde multum contingere lucrum, multam vtilita-
tem.* Quæ eadem leguntur hom. 3. in ep. ad Philip-
penses. Precibus autem & eleemosynis iuuandos
mortuos commendat hom. 41. in 1. Corinth. hom.
B 32. aliàs 33. in Matth. & hom. 21. in Acta. Quo
loco sic habet: *Non frustra oblationes pro defunctis fiunt,
non frustrà preces, non frustra eleemosynæ: Hæc omnia spiri-
tus disposuit, volens vt nos mutuum iuuemus &c.*

Hanc præterea doctrinam tradunt Athanasius
vel quisquis author q. q. 34. ad Antiochum, Euse-
bius lib. 4. de vita Const. cap. 71. Cyrillus Iero-
solymitanus catechesi 5. mystagogica, Hieronymus
in epist. ad Pãmachium de obitu vxoris eius, Pau-
linus in epistola ad eundem Pammachium, Victor
lib. 2. de persec. Vandalica, Possidius in vita Au-
gustini sub finem, Theodoretus lib. 5. hist. eccles.
C cap. 26. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 40. 50. &
55. Isidorus lib. 1. de officijs cap. 18. Beda lib. 4.
hist. Anglic. cap. 22. & lib. 5. cap. 13. Item super
cap. 3. Luc. & hom. dominicæ 4. aduentus, Theo-
phylactus super Luc. 12. Ioannes Damascenus lib.
de ijs qui in fide migrarunt, probans hanc doctri-
nam ex antiquiorum testimonijs Bernardus deni-
que serm. 66 super Cantica repullantem suo tem-
pore hæresim negantium suffragia viuorum pro-
desse defunctis, apertè damnat atque oppugnat.

His accedit certissima confirmatio ex authori-
D tate conciliorum particularium & generalium.
Particularia sunt, concilium 3. Carthaginense
cap. 29. & quartum can. 79. concilium Braca-
rense 1. capit. 34. & 39. concilium Cabalonense
citatum à Gratiano de cons. dist. 1. cap. *visum est*,
concilium Aurelianense 2. cap. 14. & Wormacien-
se cap. 10. Generalia verò tria sunt, Lateranense
sub Innocentio 3. can. 66. Florentinum in con-
clusione concilij qua Græcis comprobantibus,
ac nullam prorsus de ea re quæstionem mouenti-
bus definitur, quod prosint mortuis viuorum
E suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes,
eleemosynæ, aliaque pietatis officia pro ijs à
fidelibus fieri solita. Et Tridentinum sess. 22. cap.
2. & can. 3. vbi de missæ sacrificio agitur, & rur-
sus sess. 25. vbi definitur animas in purgatorio de-
tentas fidelium suffragijs, potissimum verò accep-
tabili altaris sacrificio iuuari.

Nec minus certa probatio est ex omnibus li-
turgijs etiam vetustissimis in quibus suum locum
habet (vt Augustinus loquitur) commemoratio &
commendatio defunctorum.

Huius porrò apostolicæ traditionis atque ec-
F clesiasticæ consuetudinis si ratio quæritur, vna hęc
sufficere potest; quia sanctorum omnium vbicun-
que agentium communio siue communicatio est
inter ipsos in charitate, ita vt pro mutua salute (qua-
tenus quisque ea opus habet) soliciti sint tanquam
corporis membra. Cùm ergo qui sunt in pœnis
purgatorijs ad corpus illud sanctorum sine dubio
pertineant, quia in charitate decesserunt, cumque
misericordia & auxilio indigeant, quia in miseria
sunt & pœnis, iustum est eos pijs viuentium offi-
cijs adiuuari. Quæ ratio non tantùm in sanctorum

commu-

communione, quam in symbolo confitemur, fundamentum habet, verùm etiam in verbis apostoli 1 Cor. 12. dicentis quòd *pro inuicem sollicita sunt eiusdem corporis membra, Et si quid patitur*, inquit, *vnum membrum, compatiuntur omnia membra*. Quod si compatiuntur, idque non frustrà, sed impellente ea ad succurrendum membro patienti charitatis affectu, ergo quoad possunt, satagunt pro eiusdem membri liberatione ex ea miseria qua detinetur. Quod quidem fit in proposito per suffragia supra memorata. Atque hæc optima & certissima ratio est in qua fundatur & hoc dogma, & alterum de sanctorum pro nobis intercessione, de quo infrà.

§. 9. *An viuentium suffragia prosint sanctis.*

S. Thom. suppl. q. 71. ar. 8

CVm tria sint animarum receptacula post mortem, vt supra dictum est, quæritur an non solùm ijs quæ sunt in purgatorio verùm etiam alijs prosint viuentium suffragia; & proinde fieri pro eis etiam rectè possint. Ac de damnatis quidem proxima distinctione agetur. Hic autem quærendum. Vtrùm sanctis cum Christo regnantibus prosint ecclesiæ militantis suffragia. Sunt enim argumenta quę id videantur probare.

Primum: In omni sacrificio missæ sacerdos orat vt oblatio proficiat sanctis ad honorem. Et quędam ecclesiæ oratio post communionem sic habet: *Sumpsimus Domine sancta mysteria, quæ sicut sanctis tuis prosunt ad gloriam, ita nobis quæsumus proficiant ad medelam*, & rursum alia in festo S. Andreæ: *Quę sicut sanctis tuis ad gloriam, ita nobis ad veniam prodesse perficiat*.

Secundum: Testatur Innocentius tertius extra de celebratione missarum cap. *Cum, Martha*, in die sancti Leonis secundum antiqua missalia solitam legi hanc orationem secretam: *Annue nobis Domine vt anima famuli tui Leonis hæc prosit oblatio &c.* videlicet eandem quę hodie pro vno defuncto legitur. Quæ ratio licet postea mutata fuerit in istam: *Annue nobis quæsumus Domine, vt intercessione beati Leonis hæc nobis prosit oblatio &c.* vt ibidem scribit Innocentius, eam tamen mutationem nondum omnia missalia receperunt. Nam in multis extra vsum Romanum prior oratio adhuc legitur non tantùm in festo S. Leonis, quem quidem Innocentius secundum eius nominis non primum intelligit, sed etiam Gregorij primi.

Tertium: Est & alia secreta oratio, quæ vsque in hodiernum diem in omnibus missalibus legitur in festis Athanasij, Basilij, Leonis & Bonauenturæ, imò & habetur in communi officio confessoris pontificis, qua sic orat sacerdos: *Sancti confessoris tui atque pontificis quæsumus Domine annua solemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos, vt per hæc piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet*.

Quartum: Patres interdum ita loquuntur vt dicant sacrificium offerri Deo pro apostolis, martyribus, prophetis &c. Sic Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 5. mystagogica, Epiphanius hæresi 75. Chrysostomus in lyturgia, & ante hos omnes Cyprianus lib. 4. epist. 5. Vbi de quibusdam martyribus sic ad clerum & plebem scribit: *Sacrificia pro eis semper vt meministis, offerimus, quoties martyrum passiones, & dies anniuersaria commemoratione celebramus*. Idem lib. 3. ep. 6. vult annotari & ad se perscribi

A diem mortis martyrum, vt in die anniuersario passionis eorum possit pro ijs nominatim offerre sacrificium.

Quintum: Chrysostomus hom. 33. in Matth. exhortans parentem ad eleemosynas pro filio mortuo: *Putas*, inquit, *cum maculis inquinatum ad illi sua, vt illis se à maculis detergat. Putas tu iustitia decessisse? Præbe ipsi tua ad mercedis & retributionis adiectionem*.

Sextum: Ecclesia celebrat officium defunctorum pro infantibus baptizatis, quos tamen à pœnis purgatorijs immunes esse, & cum Christo regnare non est dubium.

B Postremum: Accidentalis sanctorum gloria augeri potest vsque ad diem iudicij; ergo non est absurdum sed pium, pro eius augmento Deum orare.

Sed his non obstantibus respondendum est ad quæstionem, suffragia ecclesiæ per modum suffragiorum non prodesse sanctis cum Christo regnantibus, ideoque pro ijs fieri non debere. Cuius ratio est, quia sancti cùm sint iam beati, & finem suum assecuti, Deoque proximi, suffragijs ecclesiæ non indigent. Neque quicquam ijs deest ad quod consequendum nostra intercessione aut subsidio opus habeant. Vnde Augustinus multis locis dicit in ecclesia orari pro defunctis non quibuscunque sed ijs tantùm qui nec valde boni fuerint nec valde mali. Loca sunt ench. 110. lib. de cura pro mortuis cap. 1. ep. 64. serm. 17. & 32. de verbis apostoli, & lib. 21. de ciuit. cap. 13. 16. & 24. Hoc autem intellige quantum ad publicam ecclesiæ noticiam. Dicit enim hoc Augustinus potissimum propter martyres, pro quibus ob insignem & publicè notam fidei vsque ad mortem confessionem non orat ecclesia.

C

D Nam pro alijs etiam eximiè sanctis, qualis erat Augustini mater, & ipse Augustinus, quales multi alij sancti confessores, oratum fuisse à fidelibus manifestum est ex confess. Augustini lib. 9. & ex eius vita apud Possidium & aliunde. Non enim satis constabat eos sic ex hac vita decessisse, vt nihil purgandum secum auferrent, ideoque viventium suffragijs iam non egerent. Attamen quæ pro talibus, id est, valde bonis fiunt suffragia, gratiarum actiones esse sicut pro valde malis, qualescunque viuorum consolationes idem Augustinus testatur in enchiridio & de cura pro mortuis locis iam notatis.

E Peculiariter autem de martyribus ita loquitur tract. 84. in Ioan. *Ideo ad mensam Domini non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, sed magis vt orent ipsi pro nobis*. Quæ verba ferè eadem recitans serm. 17. de verbis apostoli subiungit: *Iniuria est enim pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari*. Ex quo loco sumptum est illud vulgatum: *Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre*. Hoc autem æquè verum est de cæteris sanctis, in quantum nobis constat eos cum Christo regnare, cuiusmodi esse omnes illos quos ecclesia catalogo sanctorum asscripsit, piè creditur.

F Vnde Innocentius tertius cùm loco suprà memorato hanc eandem mouisset quæstionem, *Respondemus*, inquit, *quod cùm sacra scriptura dicat authoritas, quòd iniuriam facit martyri qui orat pro martyre, idem est ratione consimili de alijs sanctis sentiendum, quia orationibus nostris non indigent, pro eo quod cum sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt, sed nos potius orationibus eorum indigemus &c.* Vbi quod allegat tanquam ex scriptura sacra, intelligendum est eum nomine sacræ scripturæ comprehendere scripta sanctorum patrum, Sic enim & Magister sententiarum & alij quidam autho-

authores interdum scripturæ sacræ vocabulum extensiuè vsurpant. Iam restat vt argumenta in diuersum allata dissoluamus.

Ad primum igitur respondet ibidem Innocentius his verbis: *Vnde quod in plerisque orationibus continetur: Prosit, vel proficiat huic sancto vel illi talis oblatio ad gloriam & honorem, ita debet intelligi, vt ad hoc prosit quod magis ac magis à fidelibus glorificetur in terris, licèt plerique reputent non indignum sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmentari, & ideo ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare.* Sic ille. Quæ verba de augmento gloriæ accidentalis non essentialis sunt accipienda.

B Alij respondent talibus orationibus nos non tam pro sanctis aliquid petere quàm pro nobis, gratiam videlicet ita piè offerendi sacrificium, vt meritò inde & gaudeant sancti in cælis, & eorum in terris gloria crescat. Verùm vtrumque rectè dicitur, quia vtrumque bonum est & à diuina bonitate expectandum, nempe sanctorum gaudium simul & gloriam crescere, & nos diuina mysteria sanctè tractare. Quocirca sicut dicentes Deo: *Sanctificetur nomen tuum*, petimus vt nomen Dei glorificetur, ac præterea vt Christiani sanctè viuant, videlicet illud vt finem, hoc autem vt medium, ita etiam pro gloria sanctorum offerentes & eorum C glorificationem petimus, & populi fidelis in offerendo pietatem ac deuotionem. Et quamuis inde sequatur nos aliquo modo orare pro sanctis, sicut & pro Christo & Deo, quia petimus vt Deus cum sanctis suis vbique glorificetur, & vt Christi regnum amplificetur & alia huiusmodi. Qua etiam ratione non est absurdum nos petere sanctis à Deo gloriam corporum, quam accipient in die resurrectionis, sicut & ipsi pro se petunt Apoc. 6. licèt eam sint certò pro meritis suis accepturi: non tamen dicendum est suffragia ecclesiæ illis prodesse aut pro D illis fieri, videlicet vt diximus per modum suffragiorum, quia suffragium significat subsidium impensum ei qui indiget aut indigere putatur. Atqui sancti, *quibus*, vt Innocentius ait, *omnia ad vota succedunt*. id est, omnia præstantur quæcunque petunt, subsidio nostro non indigent, multò minùs autē indiget Deus, de quo scriptum est: *quia bonorum nostrorum non eges*, qui & nostrarum orationum exauditor est, & suæ in nobis glorificationis author. Indigent autem opis alienæ qui sunt in purgatorio, sicut & nos tam eorum qui in cælis sunt quàm mutuis auxilijs & suffragijs opus habemus.

E Ex his autem etiam patet solutio secundi, quinti & postremi argumenti quæ omnia probant orationem aliquam pro sanctis, non tamen suffragium. Quanquam quod attinet ad orationem, cuius secundum antiquiores codices meminit Innocentius, respondet glossa non improbabiliter, ideo illam fuisse mutatam, quia olim sicut canonizationem orabatur pro sancto Leone, At hodie ipse orat pro nobis. Idem de sancto Gregorio dici potest. Atque ea res facit ad ostendendum quàm fuerit olim generalis oratio pro defunctis, quando ne quidem F valde sancti confessores & pontifices ab ea eximebantur, antequam publico iudicio inter sanctos adscripti essent, quomodo & beatus Augustinus pro Monica matre sua sanctissima muliere preces & sacrificia, & ipse obtulit, & ab alijs offerri rogauit, multò post eius mortem. Quæ autem missalia mutationem hanc non receperunt, in ijs dicta oratio debet accipi secundùm sensum iam explicatum.

Cæterùm an simile quid etiā acciderit in oratio-

A ne quæ tertio loco obijcitur; nempe vt pro non canonizato fuerit aliquando recitata, minùs apparet, quia in ea coniunguntur hæc duo, *vt & illum beata retributio comitetur, & ipse nobis gratia tua dona conciliet.* Certè pro martyre nihil vsquam tale oratum legimus. Sensus tamen ex iam dictis facilè potest accipi, vel de gloria accidentali quę ante iudicium augetur, vel de retributione perfecta in resurrectione corporis.

Ad quartum respondent quidam à patribus intelligi sacrificium eucharisticum id est gratiarum B actionis pro victoria seu beato exitu martyrum aliorumque sanctorum. Atque huc pertinere volunt quod Augustinus dicit ecclesiæ suffragia pro valde bonis esse gratiarum actiones.

Alij verò sic interpretantur pro martyribus offerri sacrificium, id est, pro commemoratione eorum. Quem sensum probant ex ijsdem authoribus, Cypriano lib. 3. epist. 6. & Cyrillo, & Epiphanio locis citatis, imò & ex Augustino tract. 84. in Ioannem & canone hodierno missæ qui omnes commemorationis meminerunt.

Sed hæ duæ responsiones bene consentiunt. Nam illa commemoratio sicut fit ob honorem sanctorum, ita & gratiarum actionem quæ Deo redditur pro illorum victorijs, habet coniunctam, vti C docet synodus Tridentina sessione 22. cap. 3.

Ad sextum respondetur ecclesiam non orare pro mortuis infantibus baptizatis, vt ad requiem & beatitudinem perueniant, quam certò credit eos iam accepisse, quemadmodum patet ex officio sepulturæ talium paruulorum propriè ad hoc instituto. In eo enim recitantur orationes eucharisticæ quibus sacerdos pro eorum salute Deo gratias agit. Quibus autem in locis missa de requiem celebratur in funere infantium baptizatorum, D ea debet intelligi non pro ipsis infantibus fieri, quasi ijs ecclesia requiem precetur, sed pro alijs defunctis qui eo suffragio opus habent, quique ab ijs qui iam ad requiem peruenerunt, mystici corporis & charitatis communione non sunt separati; tametsi ad protestandam ecclesiæ fidem de paruulorum in Christo defunctorum beatitudine, fortè satius esset omisso consueto defunctorum officio missam de angelis, vt quibusdam locis moris est, in gratiarum actionem recitare.

E §. 10. *Vtrùm sancti orent pro animabus in purgatorio.*

QVamuis inferiùs agendum sit de sanctorum pro nobis intercessione & precibus, huic tamen loco vbi de suffragijs agitur quæ pro animabus in purgatorio detentis fiunt, conuenit quæstio, vtrùm sancti pro ijs orent qui sunt in purgatorio. *S. Thom. suppl. q. 72. ar. 3. ad 6.*

Rationes dubitandi sunt.

F Prima: quia si pro ijs orant, non pro quibusdam tantùm eorum sed pro omnibus orant, cùm sint omnes in charitate; ac proinde cùm ecclesia illa triumphans citiùs & efficaciùs exaudiatur quàm militans, valebunt sanctorum orationes ad euacuandum purgatorium.

Secunda: Sancti non sunt in statu satisfaciendi sicut nos sumus; atqui suffragia non prosunt existentibus in purgatorio, nisi per modum satisfactionis: ergo pro ijs sancti non orant.

His duabus rationibus persuasus Dominicus à Soto scribens in hanc distinctionem q. 3. art. 2.

negau-

negantem partem amplectitur. Qua tamen in re grauiter hallucinatur, cum & ratio efficacissima, & totius ecclesiæ authoritas sit in contrarium. Quod certè mirum est à viro tam docto non fuisse animaduersum.

Ratio est quæ ex communione sanctorum & vnitate corporis ecclesiæ sumitur. Cùm enim ecclesia tota sit vnum corpus cuius caput est Christus, necesse est vt in eo communicatio sit non tantùm capitis cum membris, sed etiam membrorum omnium inter se, ita vt secundum apostolum *pro inuicem sollicita sint membra, & si quid patitur vnum membrum, compatiantur omnia membra* 1. Cor. 12. Quam rationem doctè vrget Petrus Cluniacensis abbas in epistola contra Petrobrusianos hæreticos. Sicut ergo inde consequens est sanctos pro nobis sollicitos esse vt è periculis huius sæculi eruamur, nos quoque sollicitos esse debere pro ijs qui sunt in pœnis purgatorij vt inde liberentur: ita sequitur & sanctos ijsdem pia sollicitudine compati. Quæ compassio in beatis non aliud est quàm voluntas & affectus iuuandi, quod fit per orationes ad Deum.

Quod autem hæc sit sententia totius ecclesiæ, patet ex publicis eius orationibus. Quædam enim oratio pro viuis & defunctis sic habet: *Quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur.* Idem petitur in secreta & complenda quæ illi collectæ in officio missæ respondent. Alia quoque oratione, quæ incipit, *Deus veniæ largitor*, Deum oramus, vt eos, *qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria intercedente & omnibus sanctis, ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedat.* Probant hoc ipsum publicæ litaniæ in quibus inuocantur omnes sancti ad impetrandum omnia ea quæ ibidem sigillatim recitantur, inter quæ est illud, *Vt Deus omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare dignetur.*

His adde quod in commendatione animæ defuncti canitur etiam secundum vsum Romanum: *Subuenite sancti omnes &c.* Item nummus quidam antiquus qui in ecclesia nostra sancti Petri Duaci distribuitur, in altero latere inscriptum habet, *distributio pro præsentibus & infirmis* in altero, *Sancta Maria intercede pro animabus eorum*

Valet item ad hoc probandum locus ille scripturæ Luc. 16 *Vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Significatur enim ipsos recipientes esse in æternis tabernaculis i. in cælo. Recipiunt autem per preces & merita sua. Et sanè si sancti in cælo regnantes non possent prodesse defunctis, ergo per hoc quod pauperes quibus datæ sunt eleemosynæ, moriuntur & migrant in cęlum, multum perit dantibus dum sunt in purgatorio. Pauperes enim viuentes iuuare eos poterant, mortui autem & in cælum recepti iam non possunt. Aduersus quam absurditatem vti licebit argumento Hieronymi contra Vigilantium de Moyse, Paulo & alijs sanctis, qui si viuentes potuerunt Deum hominibus iratum placare multò magis id possunt iam mundo mortui & Deo coniuncti. Quod argumentum non tantùm in pauperibus qui beneficia acceperunt, locum habet, sed generale est ad omnes sanctos, qui cum in hac vita precibus suis iuuare potuerunt animas quę sunt in purgatorio, minìsque absurdum est dicere, quod nunc cum Christo regnantes id non possint.

Confirmat hanc sententiam aperta doctrina patrum. Augustinus enim lib. de cura pro mortuis cap. 4. dicit ad hoc prodesse mortuis sepulturam in Basilicis martyrum, vt qui recordatur mortui simul recordetur martyris, eiusque precibus ac patrocinio mortui animam commendet. Quod & relatum est in decretum causa 13. q. 2. ca. *Non æstimemus.* Quo etiam loco ca. animæ defunctorum ex epistola Gregorij 2. ad Bonifacium archiepiscopum Moguntinum scribitur inter alios modos precibus sanctorum solui animas defunctorum. Cyprianus quoque lib. de lapsis. *Credimus*, inquit, *apud iudicem Deum, plurimum posse martyrum merita & opera iustorum, sed cum iudicij dies venerit*, id est, post hanc vitam. Quod autem de meritis dicit, idē de precibus similiter sentiendum est.

Id quod clarius expressit Gregorius hom. 40. in euang. his verbis: *Aduocatos vobis in die iudicij pauperes procurate*, Et infrà alludens ad illud euangelicum, *Vt cum defeceritis recipiant vos &c. Regunt nos*, inquit, *qui tunc pro nobis intercessores veniunt*, vbi & citat illum 2. Cor. 8 *Vt illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Prudentius in hymno de sancto Fructuoso sic canit:

Fors dignabitur & meis medelam
Tormentis dare prosperante Christo.

Loquitur autem de tormentis post hanc vitam.

Eadem est S Thomæ doctrina relata in supplementum 3. partis q. 72. art. 3. argumento 6. vbi istud conceditur & præsupponitur. Quin & in censura Orientalium ante paucos annos edita disertè asseritur quòd omnes sancti cum Christo regnantes orant pro animabus defunctorum.

His adde Hieronymum lib. contra Vigilantium, Ambrosium in Luc. 16. & Augustinum lib. 21. de ciuit. cap. 27. qui per amicos à quibus iuxta euangelium recipiamur in æterna tabernacula, intelligunt sanctos cum Christo regnantes, qui suis precibus nos iuuant etiam post mortem, mortui videlicet mortuos.

Quæ res etiam probatur huiusmodi argumento: Christus qui caput est totius corporis ecclesiæ, non tantùm viuens profuit viuentibus, sed etiam mortuus mortuis, & præterea viuens mortuis, & mortuus viuentibus: Ergo consentaneum est hæc omnia etiam in membris reperiri. Quod si ita est, igitur mortui iam beati suis precibus eos adiuuant mortuos, qui ad ipsorum consortium nondum pertigerunt.

Porrò quæ in contrarium allatæ sunt rationes, facilè diluuntur.

Ad priorem enim respondetur sanctorum orationes etsi fiant pro omnibus qui sunt in purgatorio, non tamen valere ad euacuandum purgatorium, quia tantùm valent, quantum Deus eas valere vult, in qua Dei voluntate sancti libenter acquiescunt, nec contra eam quicquam petunt. Vult autem Deus sanctorum preces valere salua sua iusticia, quæ locum illum purgatorium vsque ad diem extremi iudicij duraturum constituit. Nec sanè metuendum est ne purgatorium euacuetur, in quod adhuc quotidie tam multi descendunt.

Quod autem posterior ratio sumit, suffragia non prodesse existentibus in purgatorio, nisi per modum satisfactionis, negandum est; supra enim ex scriptura sacra ostendimus triplex esse genus operum quibus mortui iuuentur, sacrificium, orationem, & satisfactiones. Nam oratio etiamsi non sit satisfactiua, vt in beatis, propriam tamen habet vtilitatis rationem, in quantum impetratoria est,

dum

dum proficiscitur ab amico eius qui rogatur. enim sanctorum in cælo regnantium orationes prosunt nobis. Qua ratione non est etiam negandum sanctos angelos qui nihil vnquam passi sunt, orare pro ijs qui sunt in purgatorio, sicut constat eos pro viuentibus intercedere. Quod vtrumque similiter ex publicis ecclesiæ litanijs probatur.

Nec obstat quod preces quę funduntur pro defunctis, petant remissionem pœnæ; Non enim inde consequens est preces ipsas habere rationem satisfactionis, sed saltem per eas hoc peti, vt passiones Christi, & sanctorum eius applicentur defunctis ad pœnæ remissionem. Hoc autem petere possunt angeli quamuis nihil passi: Possunt ergo & alij sancti qui proprias in hac vita passiones habuerunt. Ex quo illud quoque sequitur, nec omnino merita vlla vel præsentia vel prę̨terita in eo requiri necessaria, qui pro alio intercedit & orat, dum tamen amicus sit. Nam si Deus angelum vel hominem quempiam beatum fecisset nunquam antea viatorem, posset ille pro nobis viuis & mortuis orare & orando prodesse iure charitatis & communionis eiusdem corporis, quia pro inuicem sollicita sunt membra.

§. 11. *Respondetur ad ea quibus impugnantur suffragia pro defunctis.*

S. Thom. suppl. q. 71. ar. 8. & 6.

DOctrinam Catholicam quæ suffragia viuorum pro mortuis astruit & probat, his ferè argumentis improbare atque destruere conantur hæretici.

Primò dicit Ecclesiastes cap. 9. *Mortui nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem quia obliuioni tradita est memoria eorum. Amor quoque & odium & inuidia simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo & in opere quod sub sole geritur*: ergo nihil eos iuuant viuentium preces seu alia quæcunque opera.

Secundò: dicit apostolus 2. Cor. 5. *Vnumquemque recepturum propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum*, & Gal. 6. *Vnusquisque*, inquit, *onus suum portabit*, & ibidem rursum: *Quæ seminauerit homo, hæc & metet*. In quem locum ita commentatur Hieronymus: *Docemur per hanc sententiam dum in præsenti sæculo sumus, siue orationibus siue consilijs inuicem nos posse coadiuuari. Cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, nec Noe rogare posse pro quoquam, sed vnumquemque portare onus suum*. Quæ Hieronymi verba in decretum Gratiani relata habentur 13. q. 2. cap. *in præsenti*.

Tertiò Matth. 5. & Luc. 12. dicitur ei qui in carcerem purgatorij mittitur: *Amen dico tibi non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem*, siue vt Lucas habet *nouissimum minutum*. Per quod significatur exacta punitio sine remissione Frustra ergo pro ijs qui in purgatorio sunt, preces funduntur. Intelligunt autem eum locum de purgatorio Ambrosius & Hieronymus in commentarijs, Tertullianus lib. de anima cap. 17. Cyprianus lib. 4. epist. 2. Origenes hom. 35. in Lucam, Eusebius Emyssenus seu quisquis author hom. 3. de epiphania Domini, & Bernardus in sermone de obitu Huberti

Quartò, Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 9. tractans locum Gen. 23 vbi Abraham curat sepulturam Saræ vxoris: *Docemur* inquit, *vt non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis est officij, deferamus*. Quo argumento oppugnant hæretici anniuersaria mortuorum.

Quintò, Augustinus serm. 21. de verbis Domini ait: *Nihil te adiuuabit quod hic non feceris &c.*

Sextò, Fulgentius lib. 2. de remissione peccatorum docet futurum sæculum non esse tempus remissionis sed retributionis.

Septimò: Viuentes non iuuantur precibus animarum quæ sunt in purgatorio, ergo nec istæ precibus viuentium; quia communio charitatis tenet vtrimque, & proinde deberent preces esse mutuæ.

Nec valent si dicas quod illæ animæ sint extra statum merendi, quandoquidem & animæ beatæ sint extra eum statum, quæ tamen pro nobis orant.

Octauò: Melius est per se quàm per alium satisfacere, quia qui per se satisfacit, maiorem gloriam consequitur: ergo ne defunctis gloriam minuamus, non debemus eorum pœnas nostris operibus redimere.

Nonò: Incerti sumus de statu defunctorum, sintne in purgatorio, in cælo, an in inferno. Itaque fit vt pro ijs sæpe frustra oremus, quare satius est pro ijs omnino non orare.

Decimò: Non possunt animæ defunctorum iuuari proprijs operibus & orationibus; ergo multò minùs alienis.

Vndecimò: Non possunt defunctis prodesse viuentium opera ad augendam eorum gloriam; ergo nec ad minuendam pœnam.

Duodecimò: Animę statim post mortem accipiunt à Deo sententiam, qua non tantùm decernitur ijs certus gradus glorię in cęlo, sed etiam certa mensura pœnę in purgatorio. Quę diuina sententia cùm sit irreuocabilis, viuorum intercessione mutari non potest.

Ad hęc respondemus, & ad primum quidem, Ecclesiasten non aliud velle quàm mortuos nescire quid hic in terris agatur, scilicet per experientiam, nec participes esse bonorum vel malorum huius sęculi propria actione vel passione; sic nimirum vt (vel bonis fruantur edendo, bibendo &c vel mala, id est, labores & molestias patiantur. Idque adeo esse verum vt & memoria eorum sensim pereat, & quid in hac vita egerint vel passi fuerint, obliuioni tradatur. Hunc sensum indicat illud quod sequitur: *Vade ergo & comede in letitia panem tuum &c.* Non negat autem Sapiens ad mortuos transire posse fructum aliquem piorum operum quæ pro ijs à viuentibus fiunt.

Ad secundum argumentum iam olim responderunt, Augustinus ench. 109. & 110. quęst. 2. ad Dulcitium, lib. de cura pro mortuis cap. 1. serm. 32. de verbis apostoli atque alibi, & Gregorius lib. 4. dialog. cap. 39. 40. & 57. & ante vtrumque Dionysius Areopagita eccles. hierarc. cap. vltim. Responsionis hæc summa est: mortuos qui in purgatorio sunt, dum viuentium suffragijs iuuantur, recipere propria corporis, & ea quæ seminauerunt metere, quia vt sic iuuarentur, meruerunt dum viuerent; nimirum per bona opera, præsertim misericordiæ in proximos, propter quæ iustum est apud Deum, vt & ipsi misericordiam consequantur. Vnde Augustinus super psal. 32. conc. 1. hanc vocat iustam misericordiam & lib. de correpT. & gratia cap. 13. eam dicit iusto iudicio tribui.

Pro cuius rei pleniori intellectu generaliter notandum est quod quicunque vsque in finem

huius

huius vitæ in Christo permanserunt, id sua perseuerantia meruerunt, vt ipsis propter membrorum eiusdem corporis communionem prodesse queant, quæcunque vel communiter pro fidelibus defunctis vel pro ipsis specialiter in ecclesia fiunt pietatis opera. Itaque quemadmodum in hac vita secundum iustitiam aliter iudicantur ciues & qui ciuium priuilegio gaudent, aliter qui sunt ab hoc priuilegio alieni; sic & in futuro sæculo aliter iudicantur qui in Christo manserunt, aliter qui à Christi corpore fuerunt aut facti sunt alieni. Nam illi merito bonorum operum in quibus perseuerarunt, etiam ex aliorum bonis operibus iure cummunionis sanctorum fructum consequuntur. *Quod tamen ipsorum meritum* inquit Augustinus in enchiridio, *totum in hac vita comparatum est*. Isti verò quia à corpore Christi alieni sunt, indigni in illo Dei iudicio iudicantur, non tantùm qui alienis operibus adiuuentur, sed etiam qui proprijs; vtpote per subsequentem iniustitiam extincti.

Sed dicet aliquis: Si boni fideles eam misericordiam meruerunt, ergo omnino eam consequentur, siue pro ijs oretur siue non. Respondetur non simpliciter meruisse eos vt iuuentur, sed vt prosint eis viuorum suffragia si fiant. Et quia semper fiunt saltem generalia pro omnibus defunctis suffragia; hinc dubitandum non est quin omnes illi aliquo modo iuuentur. Quæ responsio satis colligitur ex locis Augustini supracitatis.

Porro illud apostoli: *Vnusquisque onus suum portabit*, hunc habet sensum: Vnusquisque in iudicio Dei recipiet sui peccati stipendium, non alieni. Hoc autem fit tam in purgatorio quàm in inferno. Ibi quidem cum misericordia, hic autem sine misericordia, vt iam dictum est.

Hieronymi verò sententiam Gratianus interpretatur de ijs qui mortaliter peccant & sine pœnitentia moriuntur. Perstringit enim Hieronymus Origenis dogma qui impijs post hanc vitam promittebat aliquando post multum tempus liberationem per intercessionem sanctorum.

Ad tertium, iuxta eos qui scripturã illam de purgatorio accipiunt, ex iam dictis respondendum est animas in purgatorio reddere nouissimum quadrantem, quia ad totius pœnæ solutionem eis succurrunt propria huius vitæ merita quibus meruerunt vt ipsis aliorum opera prodessent.

Sed quia exactior est hæc solutio, ideo multò rectiùs illa Domini sententia de inferno damnatorum accipitur, vt alibi annotauimus.

Ad quartum Ambrosius non agit de precibus quæ fiunt pro defunctis, sed de luctu & pompa funeris, quam vult esse moderatam, nec in longum tempus extendi. Nam precibus & oblationibus non esse metam temporis figendam, clarè probant eiusdem Ambrosij verba in fine orationis de obitu Valentiniani.

Ad quintum & sextum iam patet solutio ex ijs quæ ad secundum argumentum dicta sunt, tametsi Fulgentij verba iuxta eius mentem, nullam habent difficultatem. Loquitur enim toto eo libro de remissione peccatorum mortalium, quorum in hac non præcessit pœnitentia.

Ad septimum respondetur valde probabiliter eos sentire qui putant etiam animas quę in purgatorio sunt, pro salute viuentium sollicitas esse, proque ijs Deum orare. Nam si diues epulo apud inferos cõstitutus pro fratribus suis erat sollicitus, erga quos tamen veram charitatem non habebat; quantò magis animæ in purgatorio iam de sua salute secu-

A ræ, & veram erga nos charitatem habentes, pro nobis orant? Requirit enim hoc quoque membrorum eiusdem corporis in charitate communio; præsertim cùm non ignorent, imò certò sciant nos indigere suffragijs alienis. Itaque sic nos & illi mutuam præstamus operam, dum nos pro illis, illi pro nobis orant, quomodo viuentes oramus pro inuicem vt saluemur. Nec magis ab illo charitatis officio eos impedit pœnarum acerbitas, quàm dudum epulonem impediebat ne pro fratribus sollicitudinem haberet. Quamuis enim animæ purgatorij sint in
B maximis pœnis, non tamen ijs impeditur intentio mentis in quodcunque voluerint, quemadmodum accidit nobis in hac vita. Sunt enim in magna animi tranquillitate. Vnde & somnus pacis eis tribuitur, & quiescere dicuntur in Christo & in pace apud Augustinum tract. 84. in Ioan. & in canone missæ.

Deinde probatur ex eo, quia animæ existentes in purgatorio aliquando clarent miraculis in terra, vt patet exemplis sanctorum Paschasij & Seuerini, de quibus Gregorius lib. 4. dialog. cap. 40 & Petrus Damianus in epistola de miraculis sui temporis.
C Ratio verò quam adfert in contrarium S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 11. ad 3. facilè ex dictis solui potest.

Ad octauum: Qui satisfaciunt in hac vita simul adijciunt aliquid ad meritum, ideoque in hac vita melius est per se satisfacere quàm per alium. At in purgatorio, vbi meritum cessat, id non est melius, sed simpliciter illis melius est cito liberari à pœnis & esse cum Christo & cum beatis spiritibus in gloria.

Ad nonum: Nunquam oratio, nec vllum bonum opus fit frustrà. Semper enim per illud Deo
D placetur, fitque ad cumulum pietatis & meriti, etiamsi interdum frustrà fiat quoad fructum speratum in eo pro quo fit. Sed præstat superesse suffragia ijs qui non egent, quàm deesse ijs qui egent, vti rectè monet Augustinus de cura pro mortuis cap. vlt.

Ad decimum: Iuuantur animæ defunctorum proprijs operibus quæ fecerunt in hac vita, per quę meruerunt vt post mortem ipsis aliena opera possent prodesse. Cæterùm iam in purgatorio pro se satisfacere non possunt eo modo quo viuentes poterant, quia non sunt in statu satisfaciendi pro pœna sed in pœna.

E An autem orando possint seipsas iuuare, sicut probabiliter diximus quod iuuare possunt alios; dubitari potest. Sanè in ecclesiastico officio defunctorum introducuntur orantes pro sua liberatione. Estque id valde rationabile & pietati congruum vt omnis anima fidelis in sua tribulatione clamet ad dominum. Huiusmodi autem clamorem & orationem credendum est non in vacuum fieri.

Ad vndecimum respondetur non esse simile de merito gloriæ & persolutione pœnæ. Sic enim ordinatum est diuinitus vt ex proprijs tantùm meritis gloriam & certum gloriæ gradum quisque
F consequatur, licèt ea merita possint aliorum orationibus impetrari: pœnas autem temporales, tum in hoc sæculo tum in futuro luendas possint alij subire pro alijs.

Ad postremum quidam respondent non mutari sententiam diuinam, vtpote quæ decernat quid & quantum mereatur qui peccauit, non autem definiat hoc totum ei sine remissione irrogandum esse: Deum namque sibi reseruare potestatem relaxandi decretam pœnam ad intercessiones aliorum. Sed profectò non est verisimile senten-

tiam de certa pœna quoad grauitatem & durationem animabus intimari, quando è corpore migrant, sed potiùs eas de hac re tota suspensas & incertas relinqui. Quocirca rectius respondetur irreuocabilem Dei sententiam esse æternum Dei decretum quo decreuit huic vel illi animæ tantam vel tantam pœnam irrogare, præsupponendo futuras piorum preces, per quas præuidit & præordinauit, quantum de pœna alioqui debita sit detrahendum. Quæ quidem sententia ab æterno fuit in mente diuina, sed in tempore innotescit angelis & animabus, quando & quomodo Deus ipse voluerit.

§. 12. *Soluuntur duæ quæstiones circa prædicta.*

S. Thom. suppl. q. 71. ar. 11.

DVas quæstiones circa doctrinam superiorem mouet Magister, Alteram de duobus æquè bonis, sed pro quibus mortuis non æqualia fiant à viuentibus suffragia. Quæritur enim vtrùm hi æqualiter adiuuentur, qui æqualiter adiuuari meruerunt: Alteram de his qui in fine sæculi repetientur viui, & tamen purgatione indigebunt. Dubium est enim vtrùm & quibus suffragijs illi sint adiuuandi, vt subitò purgati ad consortium beatorum transeant.

Ad priorem ex ijs quæ de secundo argumento dicta sunt, accipi potest responsio Dictum est enim ex Augustino omnes pios fideles hoc meruisse in vita, vt post mortem iuuentur viuorum suffragijs, si qua pro ijs fiant Quoniam autem pro omnibus saltem generalia suffragia fiunt, hinc quoque fatendum est omnes aliquo modo iuuari, sed non ęqualiter, nec eos quidem qui æqualiter boni fuerunt, eò quòd contingat alterum altero pluribus suffragijs specialibus adiuuari, & proinde celeriorem consequi liberationem à pœnis.

Neque obstat æquale meritum vtriusque; quia meritum annexam habebat conditionem, quæ pleniùs in vno impletur quàm in alio.

Sed obijcies: Opera bona merentur absolutè & non conditionatè, igitur oportebat vtrumque iuuari æqualiter, etiamsi non æqualia fierent pro vtroque suffragia Respondeo quod opera absolutè merentur præmium suum essentiale, & ob hanc causam animabus defunctorum non augetur illud præmium per preces viuentium, sed non absolutè merentur ea quæ contingentia sunt seu accessoria, quomodo qui membrum est alicuius communitatis, particeps fit bonorum & priuilegiorum accidentalium quæ pro illa communitate impetrantur, & meretur ea participare, dummodo sint aut fiant, non autem absolutè. Sic igitur dicendum de suffragijs viuentium quæ fiunt pro defunctis. Sunt enim tanquam accessoria quædam bona.

Ad posteriorem respondendum non esse improbabile, eos quos vltima dies viuos reperiet, igne conflagrationis, qui aduentum Domini præcedet, subitò purgandos esse; sed ita vt grauitas & acerbitas pœnæ suppleat quod deest ex parte durationis seu prolixitatis eiusdem. Cui præterea accedet quod pœna illa erit huius sæculi, non futuri, & hac ratione plus valebit ad accelerandam purgationem eorum qui purgandi erunt; tum quia præsens hoc sæculum tempus est gratiæ & misericordiæ, futurum autem sæculum tempus iustæ retributionis; tum quia electi voluntariè sustinendo illam pœnam non tam in pœna quàm pro pœna satisfacient, eo modo quo pœnitentes satisfaciunt in hac vita: tum denique quia merito per patientiam crescente iustum erit partem pœnæ remitti. Charitas enim aucta meretur vt pœna minuatur. Sed nec illis defuturum est suffragium cælestis ecclesiæ, quæ pro fidelibus semper intercedit voto ac merito, vt rectissimè annotat in textu Magister. Quod & Augustinus significat lib. 21. de ciuit. cap 18. 24 & vlt. nempe futurum vt in ipso extremi iudicij die quidam per intercessiones sanctorum à pœnis liberentur. Nam & lib. 20. cap. 25. ex loco Malach 3. vbi dicitur, *& purgabit filios Leui*, dicit euidentiùs apparere in illo iudicio extremo quasdam quorundam purgatorias pœnas futuras, & infrà de ecclesia loquens: *qualis*, inquit, *tunc erit, velut area per ventilationem, ita per iudicium purgata nouissimum, eis quoque igne mundatis, quibus talis mundatio necessaria est* Quæ tamen Augustini verba sic accipienda sunt, vt pœnæ purgatoriæ in ipso iudicio extremo compleantur, nec vltra extendantur, imò finalem iudicis sententiam qua bonos in regnum vocabit, malos in ignem mittet æternum, antecedant. Hoc enim apertè testatur idem Augustinus lib. 21. cap. 13. & 16. dicens temporarias & purgatorias pœnas nullas esse futuras, nisi ante illud vltimum tremendumque iudicium; tametsi satis apparet ex locis iam citatis Augustinum agnoscere eiusmodi purgationem, etiam facta iam resurrectione. Quod tamen quomodo consistat cum impassibilitate corporum electorum, difficultatem habet. Sed responderi potest iuxta hanc sententiam ita iustis adhuc purgatione indigentibus corpus post resurrectionem ad tempus fore passibile, quomodo nunc anima separata à corpore in purgatorio ad tempus patitur, donec inde erepta & in cęlum recepta donetur munere impassibilitatis.

Quod si verò hæc sententia de punitione purgatoria quorumdam iustorum post resurrectionem, in ipso iudicio extremo futura minùs probatur, nec quod priùs diximus de subita purgatione eorum qui in hac vita reperientur; satis videtur ad quæstionem præsentem enodandam, vel quia pœnæ præsentis sæculi non plenè iustos expurgant à peccatis, vel quia sic adhuc restat similis quæstio de animabus quæ in purgatorio sunt nondum plenè purgatis: ad extremum dici poterit quod sicut Christus descendens ad inferos, omnes iustorum animas, non tantùm ex lymbo verùm etiam ex purgatorio liberauit plenariam omnibus tribuens peccatorum indulgentiam, vt non absurdè quidam opinantur, & inter eos Dominicus super hanc distinctionem q. 1. art. 2. ita idem ipse descendens de cælo gloriosus ad iudicium, omnibus animabus iustis, quibus aliquid pœnarum restat, totum condonabit, sanctis omnibus qui simul cum Christo ad iudicium venturi sunt, pro earum liberatione tunc instantiùs & vehementiùs intercedentibus, ita vt continuò post receptis corporibus nihil iam in illis restet purgandum aut puniendum.

§ 13. Se-

§. 13. *Sepulturæ commendatio quid conferat mortuis.*

S. Thom. suppl. q. 71. ar. 11

MOrtuorum corporum sepulturam & funeris curationem tanquam opus bonum & pium multis locis commendat scriptura, vt Tob. 1. 2. & 12. 1. Reg. 2. Matth. 26. &c. Quod etiam probant exempla patriarcharum, aliorumque iustorum, qui & de sua sepultura fuere solliciti, & suos mortuos diligenter & religiosè sepelierunt, vt Gen. 23. 49. 50. 1. Machab. 13. Act 7. & 9. & alibi.

Et quidem non sine causa commendationem tam frequentem in sacris literis habet officium sepulturæ.

Primum, quia sepelire mortuos officium humanitatis est & opus misericordiæ corporalis. Si enim barbarum prorsus & inhumanum est mortuorum corpora insepulta abijcere, humanitatis est ea terra obruere & sepulcris condere. Quod satis etiam probat omnium gentium consuetudo, non aliunde quàm ab ipsa lege naturæ exorta. Vnde de Tobia dicitur quod *timuerit magis Deum quàm regem* quando interfectorum corpora relinquere noluit insepulta. Quod exemplum imitati fuerunt olim christiani, corpora martyrum rapientes & ea honorificè sepelientes non obstante seuerissima prohibitione tyrannorum & certo periculo.

Ex quo intelligitur præcepti esse & non [illegible]rùm consilij, vt mortui sepeliantur, nisi aliud interdum de quibusdam sceleratis in pœnam statuatur.

Alia causa est, quia sepultura honorificè facta testimonium quoddam est resurrectionis mortuorum. Idcirco enim tanta cura & veneratione corpora fidelium sepulchris condimus, quia sicut templa fuerunt spiritussancti, ita ad eandem imò ampliorem dignitatem à resurrectura credimus. Quæ sanè causa fuit vt sancti patriarchæ non tantùm suorum funera religiosè curarent, sed & ipsi de sua sepultura sollicitè mandarent. Quod fecisse legimus Iacob, Ioseph, Tobiam & alios. Hanc causam latiùs declarat Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 3. & lib. 1. de ciuit. Dei cap. 13.

Præterea notandum quod etsi pompa funeris & sumptuosus sepulcrorum ornatus mortuis per se nihil conferant, ideoque rectè dictum sit ab Augustino locis à Magistro in textu notatis, hæc esse qualiacunque viuorum solatia, non autem subsidia mortuorum, prodesse tamen illa possunt per accidens, dum multi pro mortuo oraturi conuocantur & preces ministrorum ecclesiæ multiplicantur, dumque sepulcrum conspicuum & piè ornatum excitat fidelium deuotionem ad bene precandum mortuo. Quin & alia potiori ratione sepultura sine dubio mortuis confert, si nimirum sepeliantur in locis sacris, ad quæ fideles oraturi conuenire solent, aut in quibus habetur memoria sanctorum. Ipsa enim sepulcrorum præsentia excitat fidelium & maximè propinquorum deuotionem ad orandum pro sepultis in ijs locis, & ad commendandum eos precibus & meritis sanctorum, quorum ibidem extat memoria.

Denique defuncti ipsi propria & religiosa voluntate, qua tali loco sepulturam elegerunt, participes fiunt orationum quas facit ecclesia pro omnibus tali loco sepultis. Hæc Augustini doctrina est cap. 1. 4. & 3. de cura pro mortuis, vbi eam multis verbis doctè explicat, quam & post eum tradit Gregorius lib. 4. dialog. cap. 50. & sequentibus, docens quibus & quatenus prosit quod eorum corpora in ecclesijs sint sepulta.

Huc quoque pertinere videtur illa Ambrosij sententia lib. 2. off. cap. 28. *Nemo potest dolere quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est.* Et ob hanc fortasse causam propheta ille de quo 3. Reg. 13. mandauit sepeliri corpus suum in sepulcro in quo alter propheta vir Dei sepultus erat, & ossa sua poni iuxta ossa eius.

Præcipuè verò confirmat hanc doctrinam catholica fidelium consuetudo, qui propterea sibi suisque sepulturam eligunt in locis sacris vt viuentium precibus sanctorumque meritis & intercessionibus ipsorum animæ commendentur. In quem finem ipsa etiam cœmeteria seu dormitoria mortuorum solemnioribus ecclesiæ precibus sunt consecrata. Quas preces pro impetranda animarum requie quarum ibi sepelienda sunt corpora, Deo oblatas nullo modo credendum est inanes esse.

§. 14. *Sanctos pro nobis apud Deum intercedere.*

S. Thom. suppl. 72.

SIcut viuentes pro mortuis quibusdam rectè orare secundum fidem Catholicam certum est, vt supra ostendimus; ita quosdam mortuos, id est, sanctos cum Christo regnantes pro viuentium salute sollicitos esse, proque ijs Deum orare, æquè catholica doctrina est. Quæ res è scriptura plurimis modis seu vijs probatur.

Primus probandi modus est ab exemplo sanctorum angelorum, quorum piam sollicitudinem & intercessionem pro salute hominum passim nobis scripturæ declarant, vt Tob. 3. & 12. psal. 90. Dan. 10. & 12. Zach. 1. Matth. 18. Heb. 1. & alibi. Hæc enim non ad nudam hominum custodiam, quæ non ita sanctis animabus sicut angelis commissa est, referenda esse, sed etiam ad orationes & intercessiones pertinere (qua parte inter angelos & animas beatas non est distinguendum) manifestè ostendit locus Zach. 1. Vbi angelus pro Iudæorum salute ita Deum precatur: *Domine exercituum vsquequo tu non misereberis Ierusalem & vrbium Iuda quibus iratus es?* Vnde Hilarius scribens in psal. 129. ait: *Intercessione angelorum non natura Dei eget, sed infirmitas nostra.* Et Hieronymus in cap. 10. Dan. apertè testatur angelos Deum rogare pro hominibus. Quanquam hæc res cum sit in confesso, longiori probatione non eget. Hinc autem consequitur etiam beatas animas quæ angelorum conciues sunt, eiusdem cum ijs voluntatis & charitatis, pro viuentibus orare, idque eò magis quod eiusdem naturæ simul & redemptionis per Christum sint nobiscum participes, ideoque arctiori quodam societatis vinculo nobis coniunctæ quàm angeli, quos & naturæ sublimitas, & redemptionis immunitas à nobis discernit. Vtitur hoc argumento Bernardus sermone 2. de sancto Victore.

Secundus probandi modus est ab orationibus fidelium in hac vita, dum vel pro inuicem orant, vel alij pro alijs, præsertim iusti pro peccatoribus. Sic enim sanctos olim prophetas & sacerdotes, Moysen, Aaron, Samuelem, Ieremiam & alios sæpe Deum pro populo orasse legimus. Sic Genes. 20. de Abraham ad Abimelech à Domino dicitur: *Orabit pro te quia propheta est & viues*, & de Iob ad amicos eius capitul. vltimo:

A Iob ad amicos eius cap. vlt. *Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Et Ioelis 2. iubentur sacerdotes inter vestibulum & altare supplicare pro populo & dicere: *Parce Domine, parce populo tuo &c.* Estque in Leuitico frequentissimum vbi dicitur: *Rogabit pro eo sacerdos & dimittetur ei.* Denique apud Ezech. 22. significat Dominus pergratam sibi esse iustorum pro peccatoribus intercessionem, adeo vt dicat se quæsiuisse virum qui staret oppositus inter se & populum ad auertendam vindictam imminentem.

B Porrò apostolus Paulus in omnibus pene epistolis & *sine intermissione orare* pro ijs ad quos scribit, profitetur, & eorum vicissim orationes pro se & felici cursu euangelij studiosè implorat. Et vt vno verbo plurima cõplectamur, generale præceptum est apostoli Iacob. 5. *Orate pro inuicem vt saluemini.*

Denique manifestè id probat ac docet nos oratio Dominica, quam ita nobis composuit magister noster Christus, vt in ea non solùm quisque pro se sed etiam pro alijs peteret ea quæ petenda præscribuntur, vt cum dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis, Dimitte nobis debita nostra: Ne nos inducas in tentationem, Sed libera nos à malo.* C Communis est omnium pro omnibus ecclesiæ filijs precatio.

Ex his igitur rursum planissimo argumento statuitur sanctos cum Christo regnantes pro nobis orare, nostræque salutis curam gerere; tum quia iam de sua salute sunt securi; tum quia charitatem habent confirmatam eamque erga nos multò maiorem & perfectiorem quàm dum adhuc nobiscum versarentur. Quo probandi modo vtuntur Cyprianus in tract. de mortalitate, & Hieronymus lib. contra Vigilantium, & indicat ecclesia D dum sic orat: *Beata Maria Magdalena quæsumus Domine suffragijs adiuuemur, cuius precibus exoratus quatriduanum fratrem Lazarum viuum ab inferis resuscitasti.* Quasi dicat, qui tunc eam exaudisti in terris orantem pro temporali vita fratris, nunc eius in cęlo tecum regnantis suffragijs nos adiuua, vt ad vitam perueniamus æternam.

Hæc igitur duo quæ diximus, tam de angelorum cura pro nobis, quàm de mutuis fidelium in hac vita precationibus, ita manifesta sunt vt E nec ab aduersarijs possint in dubium vocari. Quod autem inde Catholici conficiunt & demonstrant, nempe sanctorum animas cum Christo regnantes pro ijs qui adhuc in hac mortali vita periclitantur, apud Deum intercedere, vocant in controuersiam, imò omnibus modis explodere conantur, parum considerantes omnes ferè rationes suas quas proferunt ad destruendum hoc catholicum dogma, si quid valent, æquè valere aduersus alia duo capita, quæ sunt extra controuersiam. Siue ergo obijciant Deum solum inuocandum esse, eò quod scriptum sit: *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt* F Rom. 10. siue vnicum mediatorem Christum nobis opponant, siue precij in cruce persoluti sufficientiam exaggerent; mox è diuerso obijcienda illis est sanctorum angelorum oratio & intercessio pro hominibus, simulque fidelium pro se mutuò orandi pium sanctumque studium, adeo & in scripturis commendatum, & vsu frequentatum, vt ab hæreticorum nemine fuerit hactenus oppugnatum. Si enim dictæ rationes non valent ad hæc duo capita infringenda, id quod ipsos etiam aduersarios fateri necesse est, maxi-

A mè de posteriori, de quo nullus est omnino tergiuersandi locus; nihilo magis valebunt ad expugnandum hoc tertium quod cum illis duobus parem in proposito rationem habet. Quamquam & hoc directè atque immediatè probari potest è scripturis; nempe sanctos post hanc vitam siue olim in lymbo, siue nunc in cælo pro viuentibus orasse atque orare. Qui est tertius idemque planus probandi modus. Vbi tamen notandum est idcirco defunctorum pro viuis intercessiones minùs frequentem in scripturis habere commendationem, quòd scriptura vetus ei po- B pulo tradita fuerit, qui ad cultum idolorum & superstitionem multorum Deorum erat admodum procliuis; cui proinde non parum erat periculi, si hæc de sanctorum intercessione doctrina fuisset ei studiosiùs inculcata, ne ad diuinos honores mortuis exhibendos, quos etiam lignis & lapidibus sæpe exhibuisse arguitur, facile fuisset prolapsus. At noui testamenti scriptura in fundamento salutis collocando, id est, doctrina fidei in Christum redemptorem tradenda potissimum occupatur. Neque multum expediebat vt gentilibus recenter à cultu Deorum ad vnius C Dei fidem conuersis de mortuorum hominum patrocinijs & inuocatione multa statim initio proponerentur, ne fortè vel sibi vel infidelibus qui ad fidem christianam adhuc adducendi erant, non tam abiecisse quàm mutasse Deos viderentur, eaque ratione illi à vera religione fierent alieni.

Quæ cùm ita sint, non desunt hic tamen vtriusque scripturæ testimonia. Quorum illud ex veteri testamento apertissimum est 2 Machab. vlt. vbi Iudas Machabæus commemorat se in visione vidisse Oniam pontificem protensis manibus orantem pro omni populo Iudæorum, & ab D eo ostensum sibi alium, de quo diceret: *Hic est fratrum amator & populi Israël: Hic est qui multum orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate Ieremias propheta Dei.* Qui quidem ambo iam mortui erant.

Alius est locus 1. Reg. 12. vbi Samuel rogatus à populo vt pro se oraret, respondit: *Absit à me hoc peccatum in Domino vt cessem orare pro vobis.* Nunquam ergo cessauit orare, ne quidem post mortem.

Rursum alius est locus Ierem. 15. dicente Do- E mino: *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ex quo sequitur Moysen & Samuelem etiam mortuos posse & solere orare pro populo, & non tantùm id fecisse dum viuerent. Quem sensum confirmat testimonium præcedens de Samuele, vt hic quodammodo significetur impleri quod ibi Samuel promiserat, licèt pro temporali captiuitate auertenda neget Dominus se eum exauditurum. Pro qua proinde nec ille oraturus erat, non cessans interim orare pro salute populi in genere, proque alijs beneficijs quæ illi populo Deus erat præstiturus. Si ergo san- F cti veteris testamenti, quamuis apud inferos essent, orauerunt pro populo Dei, multò magis id de ijsdem alijsque omnibus sentiendum, quoniam nunc Christo præsentes sunt, & secundùm animam beati.

De his autem locus est in Apoc. 5. vbi leguntur *quatuor animalia & 24 seniores procidisse corã agno habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorũ* Vbi siue orationes sanctorũ intelligas cum Christo regnantium, quem sensum habent Primasius & Richardus, Victorinus & Græcanica

scholia

scholia apud Occumenium, liquidè ostenditur eos pro nobis orare, siue orationes sanctorum, id est, fidelium adhuc in terris agentium (qui sensus probabilior videtur) non minus certa est probatio. Significatur enim quod sicut angeli vt habemus Tob. 12. sic & sanctorum animæ orationes nostras Deo offerunt, eas commendando & precibus suis ac patrocinijs adiuuando.

Quartus probandi modus est ex petitione vindictæ contra inimicos. Si enim sancti martyres, vt habetur Apoc. 6. voce magna clamantes petunt vindictam sanguinis sui de ijs qui habitant in terra, multo igitur magis, ijdem martyres alijque omnes sancti fratribus suis adhuc in terra versantibus petunt à Deo misericordiam & salutem.

Quinta probatio est ab affectu eorum qui sunt in inferno. Si enim diues epulo Luc. 16. in medijs tormentis sollicitus est pro fratribus suis & sanctum patriarcham pro ijs interpellat, ne & ipsi veniant in eundem locum tormentorum, quanto magis sancti in cælo, qui vero amore caros suos in hac vita laborantes prosequuntur, solliciti sunt & Deum orant vt illos suæ felicitatis socios habeant. Vtitur hoc argumento Haymo hom. 1. post octauam pentecostes.

Sexta ex communione ecclesiæ triumphantis cum militante. Hanc enim multis locis scriptura tradit & commendat, vt Gal. 2. Eph. 5. Coloss. 1. & Heb. 12. quam & inter articulos fidei nostræ profitemur dicentes nos credere *sanctorum communionem.* Quò etiam pertinet illud canonis missę vbi ad sanctorum commemorationem venitur, dicente sacerdote: *Communicantes & memoriam venerantes &c.* Eam autem communionem in charitate potissimùm consistere nemini dubium est. Charitas autem apostolo teste, *nunquam excidit*, sed in futuro sæculo permanet. Atqui nulla alia re magis charitatem erga nos suam iusti defuncti declarare possunt quàm vt suis nos orationibus adiuuent, quando & illi Deo iam sunt proximi, suæque salutis securi, & nos in huius adhuc militiæ periculo constituti, suffragijs illorum magnopere indigemus. Hanc rationem intercessionis sanctorum non obscurè significauit Onias sacerdos dicens ad Iudam de Ieremia: *Hic est fratrum amator: Hic est qui multum orat &c.* quasi dicat: Ideo pro eis orat, quia eos amat. Quo argumento probatur omnes sanctos pro nobis orare, quia omnes sancti nos amant. Atque hunc probandi modum plenius confirmat illa analogia corporis naturalis & mystici quam adfert apostolus 1 Cor. 12. Cùm enim dixisset *pro inuicem sollicita esse eiusdem corporis membra, & si quid patitur vel gaudet vnum membrum, compati vel congaudere omnia membra,* subiunxit huiusmodi *corpus ecclesiam esse*, videlicet ex multitudine fidelium tanquam varietate membrorum compositam. Cùm igitur ab huius corporis compage non separentur defuncti in Christo, maximè qui in cælis sunt, imò nec angeli, vt patet ex Eph. 1 Col. 1. & Heb. 12. quin potiùs sint ipsius ecclesiæ præcipua & nobilissima mēbra, capiti Christo per spiritum charitatis multò iam arctiùs & firmiùs quàm dum adhuc mortaliter viuerent, cohærentia; consequens est eos pro nobis tanquam commembris suis ijsque inferioribus & infirmioribus sollicitos esse, id est, salutem nostram pijs affectibus & orationibus apud Deum promouere. Nam sollicitudo illa non tam anxietatem animi significat, quæ à beatis abest longissimè, quàm charitatis affectum & iuuandi studium maximè per orationes. Quod studium omnibus membris commune esse potest & debet, dicente Augustino super 1. Ioan. 2. ad illud: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: Omnia membra pro inuicem orent, caput pro omnibus interpellet.*

Septima probatio sumitur ex eo quod non solum ab angelis, verùm etiam à beatis spiritibus hominum mortuorum reguntur & gubernantur in hac vita fideles. Dicit enim Christus Apoc. 2. *Qui vicerit, dabo ei potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, sicut & ego accepi à patre meo.* Vbi regere idem est quod pascere, vt ex Græco patet, & virga ferrea virgam significat inflexibilis iusticiæ. Item Matth. 24. dicit de seruo fideli, quod *Dominus eius super omnia bona sua constituet eum.* Quæ bona Hilarius interpretatur ipsam ecclesiam. Sic quod dicitur apud Luc. 19 ad seruum bonum & fidelem: *Eris potestatem habens super 10 ciuitates,* Ambrosius lib. 8. de præfectura sanctorum super ecclesiam dictum accipit, *quia sicut angeli præsunt,* inquit, *ita & hi qui vitam meruerunt angelorum.*

Testatur hoc ipsum præfatio de apostolis quam vnam ex antiquissimis esse scribit Pelagius 2. epist. 4. In ea sic orat ecclesia, *Vt gregem tuum pastor æterne non deseras, sed per beatos apostolos tuos continua protectione custodias: vt ijsdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios &c.*

Testantur & alij veteres qui sanctos modò rectores nostros, modò custodes, modò duces & comites appellant, vt Basilius oratione in 40. martyres, Gregorius Nazianzenus oratione in Cyprianum, Hilarius in psal. 124. Maximus serm de martyribus Tauricis, Leo serm. 1. 2. & 3. in anniuersario suæ assumptionis. Quod si autem regunt fideles in terris agentes, igitur & pro ijs orant, & salutem eorum Deo commendant. Id enim necessariò requirit officium cuiuscunque rectoris sub Deo, vt sui regiminis effectum & successum per orationes à Deo expectet. Et ista quidem hactenus ex scriptura.

Porro sanctorum patrum testimonia quibus eadem hęc doctrina confirmetur, pene infinita sunt & passim in scriptis eorum obuia. Ex quibus præcipua quædam loca subnotabimus. Irenæus lib. 5. contra hæres. vbi virginem Mariam vocat aduocatam virginis Euæ. id est, humani generis ex Eua propagati & per Euam corrupti. Origenes lib. 8. contra Celsum. Cyprianus in epistola ad Cornelium papam, quæ est 1. lib 1. & in serm. de mortalitate, Eusebius lib. 6 hist. cap. 5. Gregorius Nazianzenus orat. 14. quæ est de obitu Gregorij patris sui. Ambrosius lib. de viduis, lib. 5. in Luc. vbi agitur de paralytico sanato, & in exhortatione ad virgines, & lib. 2. de Iacob & vita beata cap. 10. Chrysostomus serm. de sanctis Iuuentio & Maximo, hom. 44. in Gen. hom. 66. ad populum Antiochenum, & homilia 5. in Matth. Prudentius in hymnis de sancto Laurentio, de sancto Vincentio, de S. Eulalia, de sanctis Hemetrio & Chelidonio, de martyribus Cæsaraugustanis, de sancto Fructuoso, de sancto Hyppolyto, de sancto Cypriano & alijs. Hieronymus ex professo contra Vigilantium & in epistola ad Paulam de obitu Blesillæ, & in epitaphio Paulæ. Augustinus lib. 7 contra Donat. cap. 1. lib 20. contra Faustum cap. 21. lib. 9. confess. cap 3. in expositione psal. 85. & 88. lib. de cura pro mortuis cap. 16. & vlt. q 108. super Exod. serm. 12. de verbis Domini, serm 29 de sanctis, & serm. 94. 99. & vltim. de diuersis. Leo serm. 1. & 3. de sanctis Petro & Paulo,

& serm. 3. anniuersario suæ assumptionis, & serm. de sancto Laurentio, & serm. 1. de ieiunio decimi mensis. Cyrillus lib. 1ͦ. thesauri cap. 10. vbi omnes prophetas & apostolos mediatores nostros vocat. Gregorius magnus hom. 27. & 32. super euangelia. Beda homil. dominicæ 5. post pascha, Arnobius in psal. 31. Saluianus serm. de stella & magis. Bernardus serm. vlt. de assumptione beatæ Mariæ, & author sermonis de eadem assumptione apud Hieronymum, & Bernardi contemporanei Franco abbas tom. 12. de gratia Dei. Petrus Lombardus præsenti distinctione, & quotquot illos deinde secuti sunt scholæ doctores.

His adde publicas orationes ecclesiæ iam olim inter missarum solemnia recitari solitas, quibus petit precibus & intercessione sanctorum adiuuari, & illud ex canone missæ: *Quorum meritis precibusque concedas &c.* & illam exclamationem patrum concilij Chalcedonensis act. 11. de S. Flauiano: *Flauianus post mortem viuit, martyr pro nobis oret.*

Hanc denique doctrinam suo decreto consignarunt patres concilij Tridentini sess. 25. vbi mandant populum fidelem doceri, sanctos vnà cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, & eos qui id negant, impiè sentire.

Huc quoque faciunt, quæcunque probant sanctos rectè à nobis inuocari. Si enim non frustrà inuocantur à nobis, certissimè consequens est eos pro nobis orare. Sed de inuocatione dicemus infrà, vbi & argumenta quæ tam huic quàm illi dogmati ab aduersarijs opponuntur, soluemus.

§. 15. *Sanctorum meritis adiuuari fideles.*

S. Thom. suppl. q. 72. ar. 3.

NOn solùm orationibus sanctorum sed & meritis adiuuari fideles palam ostendunt orationes ecclesiæ, quæ nunc huius nunc illius modi meminerunt, interdum etiam vtrumque coniungunt, sicut & canon missæ, in quo sacerdos orat vt omnium sanctorum meritis & precibus diuinæ protectionis auxilio muniantur fideles. Atque illud est quod hac distinctione à Magistro non minùs appositè quàm verè distinctum est: *Sancti intercedere pro nobis*: & merito, dum eorum merita nobis suffragantur, & affectu, dum vota nostra cupiunt impleri.

Suffragantur autem merita sanctorum ijs qui minùs sancti sunt, dum hi pia erga sanctos deuotione vel orando vel eleemosynas largiendo, vel aliud quodcunque bonum opus exercendo participes se faciunt magnorum & multorum bonorum quæ ab illis facta sunt, iuxta illud quod præcipit Dominus Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hoc enim de sanctorum meritis quibus minùs sancti adiuuantur, intelligi oportere docet Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 27. & alibi.

Suffragantur etiam sanctorum merita malis & peccatoribus ad hoc vt eis Deus parcat nec statim prout merentur, puniat, sed ad pœnitentiam expectet, imò & pœnitentiam inspiret aliaque beneficia tam spiritualia quàm temporalia tribuat.

Pertinent huc igitur omnia ea scripturæ loca, quæ docent Deum misereri aut parcere ijs quibus vel nulla vel exigua erant bonorum operum merita, & hoc propter alios sanctiores & insigniores ipsius amicos. Loca sunt Gen. 18. 19. & 22. vbi Abrahæ sanctissimi patriarchæ merita alijs multipliciter profuisse leguntur, vbi etiam affirmat Dominus parciturum se quinque ciuitatibus exitio destinatis, si in ijs reperiri queant vel decem iusti. Item Exod. 32. vbi à Moyse apud Deum allegantur merita patriarcharum dicente: *Recordare Abraham, Isaac & Israel seruorum tuorum*, vbi & ipsius Moysi meritum profuit illi populo ne disperderetur, alioqui pro meritis suis malis perdendus. Quod ita esse de Moyse testantur Augustinus q. 149. super Exod. & Hieronymus lib. contra Vigilantium. De patriarchis autem à Moyse in patrocinium adhibitis testatur Theodoretus q. 67. super Exod.

Præterea Dauidis merita quantum eidem populo contulerint, sæpe scriptura declarat, vt 3. Reg. 11. & 15. 4. Reg. 19. & 20. 2. Par. 6. psal. 131. Isa. 37. De qua re videre est Chrysostomum hom. 2. in psal. 50. quemadmodum & de meritis Eliæ, in homilia quę de Elia inscribitur.

Rursum Dan. 3. Azarias stans in fornace ignis orat Deum *ne auferat misericordiam suam à populo propter Abraham dilectum suum & Isaac seruum suum, & Israel sanctum suum.*

Adde quod Moyses Exod. 34. Ieremias 32. & alij Deum huiusmodi verbis precantur: *Deus qui facis misericordiam in millibus his qui diligunt te*, id est, qui propter iusticiam & merita eorum qui te dilexerunt, misereris posteritatis & gentis ipsorum in multas generationes.

Portò in scriptura noui testamenti paralytico sanitatem & peccatorum remissionem impetrat portantium fides. In quem sensum Ambrosius eum locum lib. 5. in Luc. pluribus verbis exposuit. Sic Act. 27. Pauli meritis donatæ sunt animæ 276. vt naufragio non perirent. Quod & contra Vigilantium scribens Hieronymus annotauit. Idem apostolus spe participationis meritorum Corinthios inuitat ad largas eleemosynas egenis fratribus tribuendas 2. Cor. 8 Ita enim futurum, vt pauperum spiritualis abundantia, supplementum fiat spiritualis ipsorum inopiæ. Quod persimile est illi sententiæ Dominicæ: *facite vobis amicos &c.*

Ex dictis ostenditur non modò viuorum sed etiam mortuorum, vt Dauidis & patriarcharum merita, in hac tamen vita comparata, viuentibus profuisse; Et proinde verbo Dei consentaneam & in scripturis fundatam esse doctrinam ecclesiæ, qua docet sanctorum cum Christo regnantium meritis adiuuari fideles. Pro eiusdem doctrinæ confirmatione videantur Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. lib. de cura pro mortuis cap. 5. & lib. de vera relig. cap. vlt. Chrysostomus hom. 42. in Gen. hom. 27. in Matth. & hom. 69. ad populum Antiochenum, & Leo serm. 2. de anniuersario suæ assumptionis, & serm. 1. de Petro & Paulo.

Postremo loco adijcimus, quod sicut oratio sanctorum pro nobis, sic & meritorum participatio fundatur potissimùm in communione sanctorum, qua fit vt per charitatem omnibus ecclesiæ membris omnium bona quodammodo communicentur, licèt alijs alia perfectiori vel imperfectiori modo. Dico potissimùm, quia per merita bonorum etiam mali, & interdum qui nondum in ecclesia sunt, adiuuantur.

§. 16. San-

§. 16. *Sanctos rectè à nobis inuocari.*

S. Thom. suppl. q. 72. ar. 2.

SVperest nunc vt Catholicum dogma de inuocatione sanctorum contra hæreticos statuamus. Id autem est, tam angelos sanctos quàm sanctorum hominum animas cum Christo regnantes, rectè, piè atque vtiliter à Christianis inuocari.

Prima probatio fit è scripturis eaque partim directa, partim indirecta.

Probatio directa est ex loco Gen. 48 vbi patriarcha Iacob benedicens nepotibus suis filijs Ioseph angelum suum inuocasse legitur his verbis: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Quod enim in illis verbis contineatur inuocatio angeli, probatur ex verbis præcedentibus: *Deus qui pascit me ab adolescentia mea in hunc diem.* Ibi enim intelligendum est id quod postea sequitur, *benedicat pueris istis.* Cum ergo in his verbis quæ præcedunt, sine dubio contineatur inuocatio Dei, consequitur & in illis quæ sequuntur, & prorsus similiter dicta sunt, similiter inuocationem angeli contineri. Quomodo & hodie si quis dicat: Sanctus Petrus illis benedicat, inuocat sanctum Petrum ad effectum benedictionis, quamuis non vtatur secunda persona, sicut qui dicit, Deus illis benedicat, haud dubiè Deum inuocat, quale est illud psalmi initium: *Deus misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Item ex Iob 5. vbi dicitur: *Voca si quis est qui tibi respódeat, & ad aliquem sanctorum conuertere* id est, aliquem sanctorum angelorum inuoca. Nam angelos ibi intelligi nomine sanctorum probatur tum cap. 15 vbi de angelis dicitur: *Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis,* est enim hęc sententia similis illi cap. 4 *Et in angelis suis reperit prauitatem;* Tum ex cap. 33. vbi conformiter cum loco præsenti sic dicitur: *Si fuerit pro eo angelus loquens, vnus de millibus, miserebitur eius, & dicet, libera eum;* Tum ex annotationibus Augustini in Iob, vbi de angelis hunc locum interpretatur. Nam & cap. 19. vbi Iob dicit: *Miseremini mei saltem vos amici mei,* sanctos angelos à Iob inuocari sentit idem Augustinus. De quo tamen loco non est contendendum, cùm alij non minùs probabiliter ad amicos præsentes id à sancto Iob dictum fuisse séntiant. Nec euertit hanc probationem quod illa verba cap. 5. non sint dicta à sancto Iob, sed ab amico eius Eliphaz; sufficit enim ex eo loco ostendi, tunc temporis fuisse apud fideles consuetudinem inuocandi sanctos angelos. Cur autem in scriptura noui testamenti nihil simile factum legamus, rationem diximus supra cùm de intercessione sanctorum ageremus.

Cæterùm probatio indirecta multò certior & copiosior ex scripturis habetur. Est autem talis: In scriptura vtriusque testamenti sæpe legimus sanctos & iustos homines in hac mortalitate adhuc viuentes ab alijs viuentibus inuocatos fuisse, vt ipsis apud Deum suis precibus atque intercessione vel bona impetrarét, vel mala auerterét. Rectè igitur & eosdem sanctos & alios quoscúque núc cum Christo regnantes inuocamus nos in hac vita constituti, idque facimus tantò vtiliùs, quantò illi Deo sunt coniunctiores, nostræque salutis amantiores & tantò securiùs, quantò de illorum perfecta & confirmata charitate sumus certiores.

Vbi rursum notandum quod ferè præcipua hæreticorum argumenta quibus inuocationem sanctorum oppugnant, æquè possunt proferri contra piam & in scripturis summopere commendatam piorum omnium consuetudinem qua mutuis precibus inter se adiuuari petunt, seu verbo seu scripto, quod non est aliud quàm se mutuò inuocare. Vnde & ecclesia aliquando vtramque, id est, sanctorum in cælo regnantium, & hominum adhuc mortalium inuocationem coniungit, vt in confessione ad introitum missæ, dicente sacerdote: *Ideo precor omnes sanctos & vos fratres orare pro me ad Dominum Deum nostrum.* Item ante secretam quando post imploratam intercessionem omnium sanctorum statim subiungit: *Orate pro me fratres & sorores.*

Huc igitur pertinent scripturæ omnes in quibus alij aliorum pro se orationes petunt & implorant. Sunt autem hæ & similes: 1. Reg. 7. Iob vlt. Ierem. 37 & 42. Act. 8. Rom. 15. 2. Cor. 1. Eph. 6. 1. Thess. 5. 2. Thess. 3. Col. 4. Heb. 13. Confirmatur hoc ipsum ex facto centurionis euangelici, qui intercessores pro se misit ad Christum seniores Iudæorum, videlicet indignum sese reputans qui per se Christum accederet. Neque potest factum illud meritò reprehendi, quandoquidem ille à Christo tale testimonium meruit, vt de eo diceret: *Non inueni tantam fidem &c.* Luc. 7. Quocirca potius eo exemplo docemur ad humilitatis virtutem pertinere quod fideles suam indignitatem agnoscentes, aliorum precibus apud Deum commendati cupiunt.

Porrò collectioni quam facimus ab inuocatione viuorum ad inuocationem mortuorum cum Christo regnantium, nihil aliud quod sit alicuius ponderis ab hæreticis obijcitur aut obijci potest, præter illud quo negant preces nostras à mortuis audiri. Ad quod infrà suo loco respondebimus.

Proxima probatio est ex perpetua ecclesiæ traditione quæ cognoscitur ex testimonijs patrum Græcorum & Latinorum, quorum nonnulli apostolica tempora attigerunt, vt non sit dubitandum quin ab ipsis apostolis spiritu Christi instructis, hunc pium sanctos inuocandi morem ecclesia acceperit.

Loca patrú pauca quædam ex multis hîc adijciemus. Dionysius ecclesiasticæ hier. cap. vlt. Irenæus lib. 5. contra hæreses post medium, Cornelius papa epist. 1. quæ est de trãslatione corporum Petri & Pauli, Eusebius lib. 13. præparat. euã cap. 7. Athanasius serm. de Deipara virgine, Hilarius in psal. 124. & 129. Basilius in psal. 33. & oratione in 40. martyres, & in Mamantem martyrem, Gregorius Nazianzenus oratione in Cyprianum, in Athanasium & in Basilium, Effrem Diaconus serm. de laudibus martyrum, Cyrillus Catech. 5. mystag. Gregorius Nyssenus oratione in S. Theodorum. Ambrosius lib. de viduis, & lib 10 in Luc 21. & 22. Hieronymus lib. contra Vigilantium & in epitaphio Paulæ sub finem. Ruffinus lib. 2. hist. eccles. cap. 33 Chrysostomus hom. 66 ad populum Antiochenum, hom. 43. in Gen. hom. 5. & 8. in Matth. hom. 26. in 2. Cor. hom. 1. in 1. Thess & subinde alibi, Paulinus epist. 12. ad Seuerum, & in fine carminis de S. Celso, Prudentius in hymnis de sancto Laurentio, Cassiano, Hippolyto Romano & Agnete & alijs martyribus. Augustinus tract. 84. in Ioan. lib de cura pro mortuis cap. 4. lib. 7. contra Donatistas cap. 1. serm. 17. de verbis apostoli & de diuersis serm 94. & 99 Maximus serm. de S.

A Agnete & in natali sanctorum Nazarij & Celsi Victor lib. 3. persecut. Vandal. sub finem, Fulgentius in serm de laudibus beatæ Mariæ, Leo serm. 5. de epiphania, serm. de S. Lanrentio & de sanctis Petro & Paulo, Theodoretus lib. 8. ad Græcos & in historijs sanctorum patrum videl cet in fine singularum, Gregurius hom. 32. super euang. & lib. 2. dialog. cap. vlt. Beda lib. 4. in Cantica cap. 24 & in comment. super Luc. 7. & super Matth 15. Damascenus lib. 4. cap. 16. Theophylactus in Heb. 11. Bernardus serm. 2. super euangelium Missus est, serm. 4. de assumpt. virgin. serm. 66. super Cantica & epist 78. Et hi quidem patres B in locis allegatis partim inuocationis sanctorum tanquam rei consuetæ meminerunt, partim docent esse rem piam & fidelibus vtilem, partim ad eam alios hortantur, & partim ipsi ad sanctos preces suas dirigunt, eosque inuocant.

His adde gesta quurumdam martyrum & de ijs ecclesiastica officia, vt de S. Clemente, Laurentio, Agatha, Lucia & alijs, vbi sanctos iam vita functos à viuentibus non sine fructu inuocatos fuisse legimus.

Adde & miracula quibus sæpissimè declaratum est diuinitus sanctos sua apud Deum intercessione iuuare eos à quibus inuocantur. De his videantur C Theodoretus lib. 8. ad Græcos qui est de martyribus, & lib 5. hist. eccles. cap. 24. Gregorius Turonensis libris de gloria martyrum & confessorum, Gregorius Romanus lib. 3 dialog. cap. 22. 24. 25. & 27. Ambrosius serm 90 de sancta Agnete, Augustinus lib. 22. de ciuit. cap 8. & Nilus albas in epistola recitata publicè in synodo 7. act. 4. Sed præcipuum miraculum est quod directè pro huijs ductrinæ Catholicæ confirmatione contra hæresin Henricianotum edidit beatus Bernardus, vt refertur in vita eius lib. 3 cap. 5. D Quoniam autem sacra concilia etiam singula sunt tanquam sententiæ multurum patrum, ex ijs denique firmissimam probationem subnectamus.

Sunt autem ista: Concilium Chalcedonense act. 11. & episcopi eiusdem concilij in epistola ad Leonem imperatorem scripta, quæ habetur post finem concilij. Synodus sexta cap. 7. synodus 7. act. 4. 5. vel 6. Concilium Aurelianense 1. can. 29 Moguntinum sub Carolo Magno ca. 33 Toletanum 5 cap. 1, & 6. ca. 2. Cuncilium Gerundense ca. 3. & Bracarense 2. ca. 9. E In his posteriuribus concilijs indicuntur litaniæ publicæ, in quibus solent nominatim & sigillatim sancti à fidelibus inuocari. Cuiusmodi etiam indixit Gregorius papa tempore pestis, vt de eo testantur Ioannes diaconus in vita eius lib. 1. cap 42. & Strabo cap. 28.

Sed his demum propter suborras hæreses accessit apertissima definitio œcumenici concilij Tridentini sess. 25 in peculiari decreto de innocatione sanctorum, quo patres concilij hortantur & mandant vt populus doceatur, *Bonum atque vtile esse suppliciter sanctos inuocare, & ob beneficia impetranda à* F *Deo per filium eius &c. ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere: Illos verò impiè sentire qui negant sanctos inuocandos esse, vel asserunt eorum vt pro nobis etiam singulis orent, inuocationem esse idololatriam vel pugnare cum verbo Dei, aduersarique honori vnius mediatoris &c.*

Postrema sit probatio ex perspicua naturali ratione. Dictat enim naturæ lex, cuius etiam quædam imago relucet in bestijs, vt opem quisque petat ab eo qui vult & potest iuuare. Atqui sancti iuuare nos volunt, quia nos diligunt, & possunt, quia diliguntur à Deo, habentes insuper hanc Christi promissionem: *Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*; ergo vt nobis apud Deum suis intercessionibus opitulentur, sunt à nobis inuocandi.

§. 17. *Respondetur ad argumenta aduersariorum.*

QVæ contra sanctorum inuocationem ab hæreticis obijciuntur, etsi plurima sunt, possunt tamen ad pauca quædam argumenrorum capita reuocari, quibus explicatis ac dissolutis facile sit ad similia quæcunque respondere. *S. Thom vbi sup*

Primi generis argumenta sunt, quibus contendunt iniuriam Deo fieri per sanctorum inuocationem. Id autem variè probant.

Primò quia dicit apostolus Rom. 10. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Creditur autem in solum Deum, vt ex symbolo patet; solus igitur Deus inuocandus est.

Secundò probant ex Ambrosio qui scribens in epist ad Rom. 1. inter alia sic habet: *Nam ideo ad regem per tribunos aut comites itur quia homo vtique est, & nescit, quibus debeat rempublicam credere: ad Deum autem (quem vtique nihil latet, omnia enim merita nouit) promerendum, suffragatore non opus est sed mente deuota.*

Tertiò ex Augustino qui lib. 10. de ciuit. cap. 26. dicit angelos imitandos potiùs esse quàm inuocandos, & lib. 22. cap. 10. dicit sanctos martyres apud altare nominari à sacerdote, non autem inuocari, & lib. de quantitate animæ cap. 34. qnod omnis creatura quamquam sapientissima & perfectissima, amanda tantùm est & imitanda.

Quartò ex Theodoreto, qui lib. 8 apud Græcos dicit martyres pro dijs gentium in templa introductos esse, & Deorum honores illis esse attributos. Id autem non ob aliud dici videtur, quàm quia Christiani martyres inuocant, cùm honor ille soli Deo debeatur.

Respondendum est in sanctorum inuocatione nullam esse Dei iniuriam, sed potiùs honorem & gloriam. Honoratur enim & glorificatur Deus in sanctis suis. quando eos tanquam Dei amicos inuocamus, rogantes vt nos suis apud Deum orationibus adiuuent; sicut iniuriam Deo non facit, sed magis eum honorat, qui à viuentibus petit vt pro se orent, id quod Paulum & alios fecisse suprà ostendimus. Pertinet enim ad commendandam Dei bonitatem, quod eius beneficia per aliorum intercessionem tanquam per causas quasdam secundas ad nos perueniant. Pertinet etiam ad eius gloriam quod à multis rogetur, idque ordine quodam, vt inter hos alij aliorum pro se petant orationes: Item quod *per multos agantur Deo gratia* sicut loquitur Paulus 2. Corinth. Et proinde dici non potest quod iniuriam faciat Deo qui alios sibi ad Deum adhibet comprecatores seu viuentes seu mortuos.

Ad primum ergo respondetur in apostolica interrogatione repetendum esse ex præcedenti sententia nomen Domini hoc modo: *Quomodo inuocabunt nomen Domini, in quem non crediderunt?* Nam proximè præcedit: *Quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.*

At dices inuocationis vocabulum in scripturis etiam per se positum semper ad Deum referri, nusquam ad homines: Respondeo, si hoc detur, non

tamen inde consequens esse quod extra scripturas non aliò referri possit, dummodo significatio nominis non repugnet, quomodo non tantùm Deum colere, sed etiam parentes & amicos rectè dicimur, licèt hæc in scripturis non habeantur, & tamen inuocationis nomen etiam scriptura interdum aliò extendit, vt cum dicitur Deut. 4. *Testes inuoco talum & terram*, & Osee 7. *Ægyptum inuocabant*, id est opem petebant ab Ægypto, & alibi.

Ad secundum respondetur opus illud non esse Ambrosij, veram tamen esse sententiam, modò rectè intelligatur. Non aliud enim vult author ille, quàm non esse accedendum ad Deum per suffragatores, eo modo quo itur ad hominem, quasi videlicet rex ille cælestis egeat monitoribus qui causas supplicantium ei explicent simul & commendent sicut egent reges terreni, cùm Deus non tantùm preces singulorum audiat, sed etiam intima cordis perspiciat. Vnde addit author tantù opus esse mente deuota, scilicet ad hoc necessaria vt Deus nos exaudiat. Quæ tamen mens deuota loco & tempore non omittit aliorum etiam pro se suffragia implorare.

Ad tertium, Augustinus inuocationem ijs locis intelligit non quamcunque, sed qua quis inuocatur vt Deus. Tantùm enim intendit cultum latriæ qui Deo proprius est, ab angelis & sanctis martyribus remouere. Similiter & amorem atque imitationem cultui latriæ opponit, non autem inuocationi qua petitur sanctorum ad Deum intercessio; qua nimirum inuocatione manifestè profitemur eum quem sic inuocamus, non esse Deum, quandoquidem eum tanquam oratorem & patronum, Dei quidem amicū, sed Deo inferiorem ad Deum mittimus dicentes: *ora pro nobis Deum* sicut fecerunt qui Samuelem & Ieremiam ijsdē verbis ad Deum oratores pro se miserunt.

Ad quartum dicendū martyres quidem pro dijs gentium introductos esse in eorum templa, non tamen vt ijsdem omnino honoribus colendos, sed ijs quibus soli conuenit amicos & domesticos Dei. Theodoretus autem dicēs Deum dedisse suis martyribus honorem Deorum gentilium, intelligit honorem in genere, vt sit sensus: Olim in tēplis honorabantur falsi Dij, nunc autem in ijsdem templis honorantur veri Dei martyres, vt sic quodammodo Deorum honos in martyres translatus videatur, sed intelligendum martyres honorari eo honore quem vera religio permittit & probat.

Secundi generis argumenta sunt ex quibus appareat inuocationem sanctorum spectare ad iniuriam Christi mediatoris, quippe qui *vnicus sit mediator Dei & hominum*, teste apostolo 1. Tim. 2. Quare sicut gloriam vnius Dei obscurant qui præter eum alios Deos colunt: ita honori & officio vnius mediatoris derogant qui præter eum alios sibi faciunt mediatores, intercessores, patronos, aduocatos &c. per quos ad Deum accedant.

Deinde probant hoc ipsum ex verbis eiusdem apostoli Col. 2. dicentis: *Nemo vos seducat volens in humilitate & religione angelorum & non tenens caput &c.* vbi significari videtur eos qui angelos colunt tanquam suos ad Deum intercessores (nam de angelis mediatoribus locum interpretantur Chrysostomus & alij plærique) non iam retinere vnicum mediatorem Christum qui est ecclesiæ caput.

Tertiò probant, quia idem apostolus Rom. 5. & Eph. 2. Christo proprium facit quod per ipsum habemus accessum ad patrem.

Quartò ex Augustino qui lib. 2. contra epist. Parmen. cap. 8. reprehendit Parmenianum, quòd episcopum faceret mediatorem inter populum & Deum, Et postea subijcit: *Si esset mediator Paulus, essent vtique & cæteri coapostoli eius, ac sic multi mediatores essent, nec ipsius Pauli constaret ratio, qua dixerat: Vnus Deus, vnus mediator Dei & hominum.* Vnde idem Augustinus scribens in psal. 108. ait: *Oratio quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum sed etiam ipsa fit in peccatum* Et Chrysostomus ad illud 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere &c. Nullum sit medium*, inquit, *inter nos & Christum, quod si medium aliquod intercesserit, protinus perimus.*

Quintò ex Theodoreto qui scribens in Coloss. 2 dicit eos reprehendi qui fideles ad colendos angelos inducebant, dicentes oportere per angelos diuinam sibi beneuolentiam conciliare. Et addit synodum Laodicęnam in Phrygia habitam prohibuisse ne precarentur angelos, & in signum veteris superstitionis adhuc in illo populo extare oratoria S. Michaelis.

Respondemus sicut iniuriam Christo non facit qui viuentes rogat vt pro se orent, ita nec eum facere qui id rogat sanctos cum Christo regnantes. Neque enim vel ab his vel illis petimus vt sumant partes Christi mediatoris, aut vt ipsum adiuuent, sed vt orando nos adiuuent atque ex parte nostra se teneant, vt sicut nostra oratio non est exaudibilis nisi per Christum, ita & ipsorum intercessio nec à nobis petatur, nec apud Deum valeat nisi per Christū. Nam & de precibus quas nos ipsi pro nobis fundimus, eadem ratio est, & ex ijs res proposita potest similiter declarari. Si enim pro se quisque Deum orans vni mediatori Christo non facit iniuriam, nec item faciet, si pro se cupiat id fieri ab alio. Quod igitur per huiusmodi seu viuorum seu mortuorum pro nobis intercessionem nulla fiat iniuria mediatori Christo, patet, quia Christus singulari quodam modo qui alijs competere non potest, mediator noster est, tum quia solus precium soluit patri quo redimeremur, quam rationem spectasse videtur apostolus quando continuò subiunxit: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*; tum quia Christus per se gratus est patri, nec alio indiget mediatore. Nam sancti homines non sunt grati Deo nisi per Christum, & sanctorum tam angelorum quàm hominum orationes nihil nobis impetrant nec impetrare possunt nisi per Christum. Ob quam causam ferè omnes ecclesiæ orationes terminantur huiusmodi clausula: *Per Christum Dominum nostrum*, Vnde Augustinus loco allegato contra Parmen. explicans de quo mediatore loquatur, ait: *Homines omnes Christiani inuicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verusque mediator est.* Tum denique ratione naturæ. Solus enim Christus vt mediator esset inter Deum & homines, id est, vt hominem Deo reconciliaret, diuinæ naturæ coassumpsit humanam. Quod autem nomen mediatoris, generaliori significatione tribuatur etiam sanctis, sicut & nomina intercessoris, patroni, aduocati, & similia, patet ex verbis Moysi Deut. 5. dicentis: *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos.* & ex ipso apostolo Gal. 4. vbi disertè Moysen vocat mediatorem. Item ex multis sententijs patrum, quorum loca quædam supra indicauimus.

Ex his etiam manifestum est qua ratione proprium sit Christo quod *per ipsum habeamus accessum ad Deum*, id quod tertio loco obijciebatur, & rursum quomodo sint intelligenda quæ ex Augustino & Chrysostomo obiecta fuerunt quarto loco.

Ad secundum respondetur apostolum eo loco agere contra sectam Simonis & Gnosticorum, qui non per Christum sed per angelos tanquam minores Deos dicebant accedendum esse ad Deum patrem. Vnde & angelis tanquam Dijs sacrificabant, de qua hæresi scribunt Irenæus lib. 1. cap. 20. Tertullianus lib. de præscriptione & Epiphanius in hæresi Simonis magi. Sic autem intellexerunt hunc locum Paulinum Chrysostomus, Oecumenius, Theophylactus & Haymo in comment. Hieronymus in epistola ad Algasiam q. 10. Sed & ipse Theodoretus id clarè confirmat. Probatur item ex ipsis apostoli verbis, cum ait: *& non tenens caput*, id est, Christum mediatorem relinquens & abijciens. Patet id etiam ex verbis canonis Laodiceni numero 35. vbi ea religio vocatur idololatria, qua cultus Deo proprius transferebatur in angelos.

Quod autem addit Theodoretus in argumentum superstitionis extare adhuc apud Phryges oratoria sancti Michaelis, id magis nostrum institutum confirmat Significat enim episcoporum studio postea factum fuisse, vt quæ angelis tanquam dijs quibusdam posita fuerant templa (Hoc enim nomine ferè Deorum delubra vocabantur) verterentur in oratoria quæ titulum haberent sancti Michaelis vel angelorum, & vetus superstitio commutaretur in rectum & legitimum cultum, quo coli conuenit amicos Dei, nostrosque apud Deum intercessores.

Porrò ex his omnibus perspicuũ fit non modò non obscurari (quod minus odiosè nobis obiectant sectarij) sed magis etiam illustrari gloriam vnius mediatoris per multorum sanctorum intercessiones.

Tertij generis argumenta contendunt supernacaneam esse sanctorum inuocationem simul & intercessionem, imò & cuiusdam diffidentiæ signum esse.

Primùm, quia Christus est patri longè acceptissimus, ad quod nihil addere possunt sancti.

Deinde quia ipsius Christi promissionem tenemus dicentis *Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis* Ioan. 16.

Tertiò, quia dicit apostolus Rom. 8. *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?*

Quartò quia Christus tradidit nobis orationem Dominicam tanquam sufficiens & absolutum orandi instrumentum, in qua tamen non remittimur ad sanctos.

Quintò, quia Christus non tantùm dedit sufficiens precium redemptionis pro nobis, verùm etiam per suam passionem & intercessionem ad patrem sufficienter & abundè supplet quod deest ex parte nostra, vt ad hoc supplementum non sit necesse sanctos aduocari

Postremò, quia dicit Chrysostomus in hom. de profectu euangelij tom. 2. non opus esse patronis ad Deum, neque multò discursu, vt alijs blandiamur, *sed licet solus sis*, inquit, *patronoque careas, & per temetipsum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris. Neque enim tam facilè Deus annuit, cũ alij pro nobis orant, vt cùm ipsimet oramus, etiamsi plurimus plenissimi malis.* Eadem apud eum legantur præfatione in psal. 4. & his similia super cap. 15. Matth. vbi de muliere Chananæa agitur.

Ad hoc genus iterum generalis est responsio, nihilo magis supernacaneam videri posse sanctorum cum Christo regnantium inuocationem aut

A intercessionem, quàm preces viuentium aliorum pro alijs, ac totius ecclesiæ pro filijs suis, imò pro omni statu hominum, quas certò constat maximam in scripturis habere commendationem. Neque enim huiusmodi preces ad hoc petuntur aut fiunt, vt quod ex parte Christi mediatoris deest, alij suppleant, quasi non satis ille per se sit patri acceptus (alioqui & nostræ ipsorum preces nobis superuacaneæ essent) sed vt supplicibus se iungant, & suppleant quod deest ex parte dispositionis eorum, vtpote quorum orationes plærumque Dei auribus sunt indignæ, aut certè minùs valituræ quàm si alios Dei amicos secum adhibuerint precatores.
B Quod autem sic petunt, non aliter quàm in nomine Christi petunt, sine quo neque suas, neque sanctorum pro se orationes Deo acceptas esse posse sciunt & profitentur. Vnde patet solutio primi & secundi.

Ad tertium respondetur Deum patrem omnia ad salutem necessaria vnà cum filio donare electis, sed alia quidem sine præuia ipsorum oratione, vt fidem & pœnitentiam: alia verò non nisi per ipsorum vel etiam aliorum pro ipsis orationes, vt peccatorum veniam, virtutum incrementum, perseuerantiam, vitam æternam.

C Ad quartum, Christus ea oratione quam discipulis suis præscripsit velut breui commonitorio, complecti voluit quæ petenda sunt à Deo, non autem docere per quos petenda sint. Alioqui nec per Christum orandus esset pater, quandoquidem nec eius in illa oratione fit mentio. Sicut autem alibi monemur vt oremus in nomine Christi, sic & alibi docet scriptura aliorum pro alijs orationes rectè & peti & fieri.

Ad quintum, Christus supplet defectum insufficientis naturæ per certa media inter quæ sunt me-
D rita & intercessiones sanctorum, quæ omnia profluunt ex fonte beneficiorum gratiæ Christi.

Ad postremum, Chrysostomus de ijs loquitur qui aliorum viuentium pro se orationes petebant. Reprehendit autem eos diuites qui orandi molestiam fugientes, aliorum tantùm orationibus nitebantur, quos ad hoc eleemosynis aut donis inducebant, aut veriùs conducebant, pauperiores autem qui id facere non poterant, consolatur, eosque pro se orantes præfert illis diuitibus, idque meritò. Quibus tamen vtrisque præferendi sunt
E qui vtrumque faciunt, & pro se orantes & simul aliorum suffragia requirentes quemadmodum docet idem Chrysostomus hom. 5 & 8. in Matth. hom. 1. in 1. Thess. 1. & hom. 43. in Genesim.

Quartum argumentum: Sancti non amplius quicquam merentur, non enim sunt in statu meriti sed retributionis: ergo orando pro nobis nihil possunt impetrare. Respondeo, ad hoc vt oratio aliquid impetret, sufficere merita præcedentia cum amicitia præsenti. Nam alioqui nec Christus nobis nunc aliquid à patre impetraret, quia non amplius meretur. De quo tamen scribit apostolus
F Rom. 8. quod *sedens ad dexteram Dei interpellat pro nobis*. Vlterius addo, nec necessaria esse merita præcedentia propriè dicta, sed sufficere amicitiã orantis cum Deo. Cùm enim vniuersaliter dicat ecclesia: *Omnes sancti intercedite pro nobis*, non est dubitandum etiam animas infantiũ renatorum pro nobis intercedere, quorum tamen in hac vita nulla fuerunt merita, quia nec opera. Et si quem Deus crearet beatum, nihil obstaret quò minus orare & orando impetrare aliquid posset tam pro se quàm pro alijs.

Quin-

Quintum argumentum: Sancti aut certi sunt id futurum quod petunt, aut incerti: si certi, frustrà petunt, si incerti, ergo miseri sunt, vt qui interdum orantes non exaudiuntur. Respondeo non obstante quorundam in contrarium opinione probabilius videri sanctos semper certos esse de exauditione suarum orationum, & proinde etiam de euentu rei petitæ. Dicit enim Innocentius tertius ca. *cum Marthæ*, extra de celebratione missarum, quod sanctis omnia ad vota succedunt & ante eum Gregorius lib. 17. moral. cap. 8. quod cælestes spiritus, dum voluntatem Dei semper aspiciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt, & Prudentius in hymno 1 de martyribus ita canit.

Nil suis bonus negauit Christus unquam testibus. De qua re videatur supplementum 3. p. S. Thomæ q. 72. art. 3. & Caietanus super 2.2. q 83. art. 4. Probatur item exemplo angeli apud Zach. 1. orantis in hæc verba: *Vsquequo Domine non misereberis Ierusalem & vrbium Iuda quibus iratus es. Iste septuagesimus annus est.* Certè enim cum non ignoraret angelus quod à prophetis Ieremia & Daniele prædictum fuerat, transactis septuaginta annis futurum vt populus liberaretur à captiuitate & rediret in terram suam &c. tamen orat Deum vt id fiat. Hinc autem minimè sequitur frustrà sãctos orare, quia sicut certi sunt de euẽtu, ita & certi Deum id facturum per ipsorum orationes, sicut & alia multa quæ non faceret nisi rogatus. Nam & certi sunt sancti de futura corporum suorum glorificatione, pro qua tamen adhuc orant Deum, vt testatur S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 11. ad 1. Christus quoque futurorum omniũ præscius multa rogauit & adhuc rogat patrem.

§. 18. *Quòd sancti preces ad se directas cognoscant.*

S. Thom. suppl. q. 72. ar. 1.

RESTAT aliud argumenti genus quo sanctorum inuocatio vel imprimis solet impugnari, sumptum videlicet ex eo quod sanctorum animæ longissimo interuallo à nobis remotæ preces nostras neque audire possint neque cognoscere quibus proinde mente vel voce supplicare stultum ac ridiculum videatur. Aduersus quam obiectionem primò probandum nobis est sanctos cum Christo regnantes cognoscere preces viuentium ad se directas, & deinde quo modo id fiat explicandum, ac postremum quæ ad stabiliendam dictam obiectionem ab aduersarijs adferuntur, dissoluenda.

Cùm autem illa triumphans ecclesia partim angelis constet, partim hominum sanctorum spiritibus, non admodum de angelis laborandum est vt probetur quod preces hominum vel ad se vel ad Deum immediate directas cognoscant. Id enim scriptura non obscurè significat, tum in eo quod dicuntur angeli *Deo nostras orationes offerre* vt Tob. 12. & Apoc. 8. tum quod nobis assiduè præsentes curam nostri gerant, ideoque actiones & studia nostra cognoscant, imò & latentes in animis cogitationes aliquousque percipiant. Vnde Luc. 15 pœnitentiam peccatoris cognoscunt angeli in cælo, & psal. 90. *custodire hominem dicuntur in omnibus vijs* id est, actionibus suis. Hinc enim consequens est vt omnes vias, id est, actiones nostras & in his etiam preces nostras cognoscant. Quod adeo non est negandum vt etiam dæmonibus qui circa nos versantur, similem quandam cognitionem Augustinus tribuat libro de diuinatione dæmonum. Adde quod de angelis apertè dictum est in psal. 137. *In conspectu angelorum psallam tibi*, vbi conspectus noticiam significat, & psalmus omne laudis & orationis genus comprehendit. Ad hanc angelorum noticiam etiam illud pertinet 1. Cor 4. *Spectaculum facti sumus mundo, angelis & hominibus*, & quod cap. 11. eiusdem epistolæ præcipit apostolus *mulieres capite velatas orare propter angelos.*

Maior autem est quæstio de animabus beatis, Vtrùm & illis similis quædam noticia tribuenda sit. Quod etsi non proinde manifestis scripturæ testimonijs doceri queat, sanctorum tamen patrum authoritas id planè confirmat. Quorum aliquot loca proferemus, si tamen prius idipsum etiam sacris literis admodum esse conforme atque ex ijs probabiliter colligi, ostenderimus.

In his enim legimus occultas aliorum actiones, sermones, cogitationes per diuinam reuelationem innotuisse sanctis quibusdam adhuc in ista mortalitate degentibus. Nam 1. Reg. 9. Samuel ait ad Saulem: *Omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi* Hoc autem dicebat quia *Dominus reuelauerat auriculam eius*, vt ibidem habetur, & Elizæus 4. Reg. 5. corpore quidem absens sed corde præsens cognouit, quid faceret Giezi seruus suus, & cap 6. idem propheta refertur cognouisse omnia verba quæ rex Syriæ loquebatur in conclaui suo. Petrus etiam Act. 5. occultam fraudem Ananiæ & Sapphiræ in spiritu cognouit. Simile quid de sancto Benedicto scribit Gregorius lib. 2. dial cap 20. atque alij passim de alijs sanctis adhuc mortalibus. Multò igitur magis credendum est sanctos iam corporeis vinculis exsolutos Deoque præsentes, ea gratia pollere, vt quę apud nos agũtur, videant & cognoscant, illa maximè quæ ad ipsos pertinent, vt sunt preces quibus illorum opem imploramus. Nam quod sancti qui in cælis sunt, statum ecclesiæ militantis saltem in genere cognoscant, ex ijs quæ Apoc. 11. & 19. referuntur, satis superque manifestum est.

Præterea Luc. 16. legitur Abraham quamuis in loco quietis & consolationis positus, nondum tamen in cælum receptus audiuisse preces diuitis epulonis in inferno iacentis, iamque condemnati & nihil impetraturi, inter quem & se testatur *chaos magnum firmatum esse*, quantò magis idem sanctus patriarcha & cæteri sancti nunc beati in cælis, preces audiunt fratrum suorum hic in terris laborantium, & spe ad eandem felicitatem tendentium, cum quibus etsi nunc interim loco seiuncti, charitate tamen coniuncti sunt?

His accedit quod sicut angelis, ita & beatorum hominum spiritibus præfectura quædam attributa est super homines, quemadmodum supra, cùm de sanctorum intercessione ageremus, ostendimus. Exigit autem regiminis ac præfecturæ ratio, vt præfectus statum actionesque cognoscat hominum sibi commissorum. Quare consentaneum est sanctos nihil eorum ignorare, quorũ cognitionem tam excellens pręfectura postulat, in quibus præcipuè sunt supplicum petitiones.

Sed nunc ex patribus subijciamus loca quædam, quibus apertè doceatur tum res mortalium haudquaquam incognitas esse beatis illis spiritibus, tum vel maximè preces quas ad eos fundimus, ab ijs cognosci.

Origenes lib. 8 contra Celsum circa finem, lib. 2. periarchon & hom. 26. in Num. Item hom. 16. super Iosue & alibi docet sanctos videre quid agamus, nostrasque cognoscere orationes.

Basilius

Basilius lib. de virginitate ante medium, monet virginem vt non tantùm Deum, sed & angelos revereatur, & cum his patrum sanctos spiritus, quos dicit omnia videre, scilicet ad se quoquo modo pertinentia.

Gregorius Nazianzenus oratione in Athanasium dicit eum iam ex alto res nostras inspicere, manumque porrigere laborantibus.

Ambrosius lib. de viduis post medium, martyres esse dicit speculatores vitæ actuumque nostrorum.

Prudentius in hymnis de sancto Laurentio, Vincentio, Agnete, Eulalia Cassiano, Hemeterio, & Chelidonio & alijs, scribit sanctos martyres preces nostras audire, resque hominum prospicere ac fouere, & quidem ex multis sufficiat vnus ille versiculus in Cassiano.

Audit, crede, preces martyr prosperrimus omnes.

Hieronymus in Vigilantium grauiter inuehitur, quod sic beatos spiritus receptaculis suis velut carceribus includeret, vt preces supplicantium audire non possent, addens hanc sententiam: *Si agnus vbique, ergo & hi qui cum agno sunt, vbique esse credendi sunt. Sequuntur enim agnum quocunque ierit.* Sed huius sententię intellectum infrà aperiemus. Idem in epitaphio Lucinij quæ est epistola: *Ille iam securus & victor tè aspicit de excelso, & fauet laboranti, & iuxta se locum præparat, eodem amore & eadem caritate qua &c.*

Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 15. & 16. etsi non audeat affirmare martyrum animas ordinariè rebus viuentium inter esse, modum tamen vnum atque alterum indicat, quo fieri queat vt preces aliaque quæ apud viuos aguntur, cognoscant. Scribens autem in psal. 88. dicit sanctos martyres gaudere de pietate eorum pro quibus orant. Vnde consequens est vitam moresque viuentium ab ijs cognosci. Idem serm. 94. de diuersis loquens ad Stephanum & Paulum iam cælesti regno potitos ait: *Ambo ibi vos videtis, ambo modò sermonem nostrum auditis, ambo pro nobis orate.* Sed & lib. 22. de ciuit. cap. 29. ex eo apostoli loco 1. Cor. 13. *Ex parte cognoscimus*, probat sanctos perfectiùs res nostras intelligere nunc in cælo, quàm intellexerunt olim in terra.

Maximus serm. de martyribus Tauricis, non modò cognitionem sed & præsentiam martyrum inter homines apertissimè astruit.

Leo serm. 1. in anniuersario suæ assumptionis Petrum apostolum Romanis adesse, deque pio eorum affectu gaudere testatur.

Gregorius lib. 12. moral cap. 13. de sanctis animabus loquens: *Quæ*, inquit, *intus Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent.* Similis est apud eum sententia hom. 40. super euangelia. Vtrumque autem locum intellige de ijs rebus quæ ad cælestium spirituum statum vel officium pertinent. Sic enim seipsum exponit Gregorius lib. 2. moral. capit. 3. Idem verò lib. 3. dial. cap. 24. refert quandam visionem qua Petrus apostolus ostendere voluit sibi seruientibus, quia quicquid pro eius veneratione agerent, ipse hoc pro mercede retributionis sine intermissione semper videret.

Bernardus epist. 78. scribit martyres audire clamores precantium. Item Magister hac dist. § vlt. penult. dicit animas sanctorū Dei faciem contemplantium in eius veritate intelligere preces hominum & alia quæ foris aguntur, quantum vel illis ad gaudium vel nobis ad auxilium pertinet, cuius sententiæ subscribunt quotquot in eum postea sunt commentati.

Legitur etiam in antiquis gestis beatæ Luciæ, quod ipsi pro matre sua ad sepulcrum S. Agathæ oranti, apparuerit eadem beata virgo dicens: *Lucia virgo quid a me petis &c.*

Hanc patrum doctrinam confirmant litaniæ, quæ solemni more iam inde ab antiquis temporibus in ecclesia leguntur. In quibus ad omnes & singulos sanctos in secunda persona loquentes eos precamur vt pro nobis orent. Quod quidem ineptè fieri videretur, si ad eorum noticiam preces nostræ non peruenirent.

Confirmat eam denique Catholicum dogma de inuocatione sanctorum. Si enim rectè inuocantur sancti, vt habet totius ecclesiæ fides; ergo valde probabile est, imò plusquam probabile, quod preces inuocantium se cognoscant. Quamuis autem Tridentini concilij patres istud tanquam rem fidei definire noluerint, docent tamen sess. 25 *eos impiè sentire, qui asserunt stultum esse in cælo regnantibus voce vel mente supplicare, quique sanctorum, vt pro nobis etiam singulis orent, inuocationem esse dicunt idololatriam.*

§. 19. *Quo modo sancti viuentium preces cognoscant.*

EX cōmemoratis patrū testimonijs colligere licet aliquot modos, quibus fieri posse intelligatur; vt preces nostras sanctorum animæ cognoscant. S. Thom. ibidem.

Primus modus est per præsentiam, quomodo certum est angelos multa ac ferè omnia nostra cognoscere. Hunc modum asserere videntur Hieronymus & Maximus locis supra allegatis. Ambo enim dicunt sanctos vbique esse, idque probat Hieronymus ex eo quod Apoc. 14. dicitur: *Hi sequuntur agnum quocunque ierit.* Quod tamen non ita accipiendum, quasi patres illi sanctis tribuant quod est Deo proprium, scilicet propriè & simpliciter vbique esse. Nam hoc tantùm voluerunt quod animæ sanctorum, perinde atque angeli, mira quadam celeritate naturæ suæ spiritualis quodammodo sint vbique, propterea quod motu non indigeant ad hoc vt quibuscunque voluerint precantibus & opem suam implorantibus statim sint præsentes.

Verùm hic modus insufficiens est, tum quia naturæ agilitas illis non præstat vt simul sint in pluribus locis, cum tamen pluribus locis simul sępenumero inuocentur; tum quia etiamsi præsentes sint, tamen cognoscere naturaliter non possunt preces merè internas, quæ sola fiunt cogitatione: Imo fortè naturaliter animæ separatæ nullam possunt accipere noticiam à rebus quibus adsunt.

Secundus cognitionis modus est ex relatione angelorum, vt fieri posse docet Augustinus de cura pro mortuis cap. 15. Sed nec iste modus sufficit. Hinc enim sequeretur sanctos non tunc quando eos inuocamus, preces nostras cognoscere, sed postea referentibus angelis Deinde iuxta hunc modum beatis animabus attributum adhuc remanet quæstio, quomodo angeli ipsi cognoscant.

Tertius itaque modus est vt in verbo videre dicantur inde à principio suæ beatitudinis in Deo omnia quæcunque ad ipsos aliquo modo pertinēt, in quibus sunt preces ad ipsos directæ. Sic Sanct.

Sic Thomas sentit. 3. quæst. 10. artic. 2. & 2. 2. quæst. 83. artic 4. quem Caietanus ibidem sequitur. Hic modus etsi nonnullis omnium maximè videatur probabilis, & Gregorio conformis in locis supracitatis, non parum tamen habet incommodi. Si enim sancti statim à principio suæ beatitudinis nouerunt omnia ad se pertinentia, nouerunt ergo post quantum tempus sint resurrecturi, & in corporibus iudicandi vel iudicaturi. Atque ita scient determinatè diem iudicij, quod in euangelio negat Dominus. Idem incommodum & similia sequentur, si omnium hominum quocunque tempore futurorum preces ad se dirigendas ab initio videant. Cùm enim ea noticia non debeat esse confusa sed ordinata, necesse erit vt & temporum ordinem ac successionem sciant vsque ad sæculi consummationem. Quin & sequetur angelos à suæ beatitudinis initio cognouisse preces fidelium, proinde & creationem & lapsum hominis, & omnia redemptionis nostræ mysteria. Quod esse videtur contra euangelicam & apostolicam doctrinam.

Quartus igitur modus est vt in verbo tanquam in speculo quodam videre dicantur angeli & beatæ animæ orationes nostras & omnia quæcunque ad se pertinent, non quidem ab initio, sed certo tempore quando opus est vt ea ipsis reuelentur, & in speculo diuinæ claritatis quasi retegantur. Est enim speculum illud voluntarium, repræsentans in se ipsum aspicientibus, ea quæ vult & quando vult. Quomodo etiam sancti prophetæ licet nondum beati, in lumine tamen diuino viderunt futura & interdum cogitationes hominum, aliasque occultissimas actiones. Cuius rei exempla è sacris literis suprà produximus. Atque hæc Augustini sententia est capit. 15 de cura pro mortuis. Neque aliud voluisse videntur illi patres qui dixerunt sanctos in Deo omnia videre, vt Origenes lib. 2. periarchon & alibi, Basilius & Gregorius Romanus locis dudum allegatis. Neque aliud exigit status beatitudinis sanctorum, quàm vt suo tempore talia cognoscant. Hoc igitur modo sanè probabilissimo, etiam intima precantium desideria sancti cognoscunt, tametsi nec verbis enunciata, nec alijs signis expressa. Quod certè mirum videri non debet cùm doceat Augustinus tract. 77. in Ioan. & lib. 22. de ciuit. cap. 29. beatis omnibus in cælo mutuas patere cogitationes, etsi nullo exteriori signo prodiras, adeoque nihil inuicem in cordibus ipsorum latere.

§. 20. *Ad ea quæ superiori doctrinæ contraria videntur, responsio.*

S. Thom. loco supra-rones allegato.

QVamuis argumentum hæreticorum quo sanctorum innocationem oppugnant ex eo capite, quia preces nostras non cognoscunt, solui possit negatione consequentiæ. (Scut enim quispiam non frustrà supplicat regi, tametsi supplicationem eius neque lecturo oeque omnino per se cognituro, quia sunt alij qui regis nomine id faciaot; ita certum est non frustrà sanctos à nobis inuocari siue preces supplicantium ipsi per se sigillatim audiant, siue noo, quādoquidem totum illud negocium cognoscendi preces & exaudiendi, seu postulatis annuendi, per alium vel alios diuina dispensatione suppleri potest.) Attamen quia iam antè ostendimus ex doctrina patrum ecclesię atque ex ipso more ecclesiastico inuocandi sanctos, plusquam probabile esse quod preces nostras ipsi cognoscant; hinc in negatiooe antecedentis argumenti memorati persistere multò satius & securius est. Itaque nunc diluenda sunt quæ pro eiusdem antecedentis confirmatione ab hæreticis adferuntur.

Primò objiciunt scripturæ loca quæ doceot proprium esse Deo nosse cogitationes hominum, vt 3. Reg. 8. 2. Paralip. 6. Ierem. 17. & alibi.

Secundo, quia Isa. 63. Deo dicitur à populo fideli: *Tu es enim pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos.*

Tertiò, quia dicitur Ecclesiast. 9. *Viuentes sciunt se morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius.*

Quartò, quia dicit Iob 14. de homioe mortuo: *Siue nobiles fuerint filij eius siue ignobiles, non intelliget.*

Quintò, quia 4. Reg. 22. dicit Dominus Iosiæ regi: *Colligam te ad patres tuos, vt non videant oculi tui omnia mala quæ introducturus sum in locum istum.*

Sextò, quia dicit apostolus 1. Cor. 2. *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis, qui in ipso est.*

Septimò, Origenes lib. 2. in epist. ad Roman. sub initium, vult haberi inter occulta Dei mysteria, vtrùm sancti qui cum Christo sunt, agant aliquid aut laborent pro nobis ad similitudinem angelorum.

Octauò, Hieronymus in epitaphio Nepotiani ad Heliodorum. *Quicquid dixero,* inquit, *quia ille non audit, mutum videtur,* & iterum, loquens de malis huius sæculi: *Felix Nepotianus qui hæc non videt, felix qui hæc non audit.*

Nonò, Gregorios Nazianzenos oratione in Gorgoniam sororem suam defunctam in fine dubitando sic loquitur: *Si tibi aliqua nostri sermonis est ratio, & hoc sanctis animis à Deo munus vt talia resciscant, suscipe nostrum sermonem &c.* Similiter dubitando loqui videtur Augustinus lib. de vera religione capit. 55. dicens: *Quisquis angelorum vel hominum in Deo manet, & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit.*

Decimò, Idem Augustious lib. de cura pro mortuis cap. 13. citans illud ex Isaia, *Abraham nesciuit nos &c. Si parentes,* inquit, *non intersunt rebus viuorum, qui sunt alij mortuorum qui nouerunt quid agamus, quidue patiamur?* Idem etiam ex eo probat quod maret sua sancta Mooica, à qua plurimum se diligi sciebat, nunquam ad ipsum consolandum veniret. Atque in eandem sententiam plura scribit in consequentibus capitibus. Vnde & dubitare se significat, num martyres generaliter orent pro indigeotia supplicantium, an verò speciatim pro singulis.

Vndecimò, Idem serm. 171. de tempore sic habet: *Nullus respondet de sanctoribus, quia omnes tenuerat somnus, non angeli, non archangeli, non prophetæ, non ministri.* Et infrà: *Sed si pueri tui dormiunt, tu non dormis qui custodis Israël &c.*

Duodecimò. Hugo Victorinus quæst. 228. in epist. Rom. *Quæritur,* inquit, *an sancti quorum patrocinia postulamus, pro nobis interpellent, & quomodo.* Deinde sic respoodet: *Sanctos pro nobis interpellare non est aliud quàm Deum pro meritis eorum bonos affectus, quos habemus in eos propter Deum, remunerare; & ideo nihil interest, siue nos audiant siue non.* Idem lib. 2. de sacramentis part. 16. cap. vltim. iterum quærens an sancti preces supplicantium audiant, rem prorsus in medio relinquit, & suffi-

& sufficere nobis debere dicit, quod Deus audiat.

Decimotertiò dicunt: Non est verisimile omnes sanctos totius cælestis curiæ cognoscere quandocunque quis orat dicens: *Omnes sancti orate pro me*; ac multò minùs probabile est, tunc omnes eosdem sanctos peculiariter pro eo qui sic precatus fuerit, orare.

Postremò sic quidam argumentantur, incertum est quomodo sancti preces nostras cognoscant; igitur incertum quoque est vtrùm eas omnino cognoscant.

Ad hæc obiecta sic ordine respondemus.

Ad primum: Solus Deus cordium scrutator est, & solus nouit arcanas cogitationes hominum hoc sensu, quia solus ipse per se & propria virtute semper & exactissimè nouit omnes omnium cordium cogitationes. Sancti autem cognoscere eas possunt reuelatione diuina, & cognoscunt quantum Deus reuelat, sicut reuelauit Samueli, Elizeo & alijs etiam in hac vita.

Ad secundum respondetur cum Hieronymo commentante in eum locum, significari ignorantiam oppositam noticiæ amoris seu approbationis, vt sit sensus: *Abraham & Iacob nesciunt nos*, id est, non agnoscunt nos pro filijs, non diligunt sed aduersantur tanquam degenetes, quia sciunt nos dereliquisse Dominum, quomodo Christus in euangelio comminatur se quibusdam dicturum: *Nescio vos*. Vnde ex hoc loco potiùs contrarium colligitur; nempe etiam sanctos defunctos veteris testamenti cognouisse statum & mores populi sui sicut & certum est Ieremiam & Oniam cognouisse quando orabant pro populo Dei 2. Machab. vlt.

At dices, licèt in genere cognouerint vtrumque statum rerum mortalium & sui populi, non tamen eos potuisse cognoscere preces & desideria singulorum ad se directa, ideoque tunc à viuentibus non fuisse inuocatos. Respondeo concedi id posse, & rationem eius esse, quia nondum fruebantur visione verbi in quo particularia omnia quomodocunque ad se pertinentia viderent, sicut vident nunc beati. Quanquam & alia ratio reddi potest, cur non fuerint tunc à pijs inuocati, quia videlicet non expediebat populo Israelitico proponi sanctorum demortuorum inuocationem, ne populus ad superstitionem propensus pro dijs eos coleret. Ideo enim & Moysi corpus subductum illis fuisse creditur Deut. vlt. & in epistola Iudæ.

Ad tertium & quartum respondetur non aliud ijs sententijs significari, quàm mortuos naturaliter non cognoscere quid agant viui, sicut nec viui sciunt naturaliter quid agant mortui. Hoc enim significant illa verba Ecclesiastæ: *Viuentes sciunt se morituros*, quasi dicat, vsque ad mortem & non vltra protenditur eorum scientia. Nam quid post mortem agatur, nesciunt naturaliter. At verò sicut viuentes de statu futuri sæculi multa nouerunt ex reuelatione fidei, ita & qui in Christo mortui sunt ac Dei claritate fruuntur, omnia in Deo vident, quemadmodum eundem locum Iob exponens Gregorius docet lib. 12. moral. cap. 13.

Ad quintum, videre eo loco est cognoscere per experientiam. Hoc enim pijssimo regi pro merito suæ pietatis promissum fuit à Domino, quod proximè imminentes populo calamitates morte subtractus non esset visurus per experientiam & participationem. Sic Iudas Machabæus dicebat: *Melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ & sanctorum*, 1. Machabeorum 3.

Sextum argumentum similem habet solutionem cum primo. Nam non aliud vult apostolus quàm naturaliter non patere cuiquam homini arcana cordis alieni, sed soli Deo.

Ad septimum, Origenes tantùm dubitat an sanctorum hominum spiritus ita nobiscum versentur rebusque nostris intersint, sicut sancti angeli. Nam quod res nostras ac preces cognoscant & videant in Deo, alibi apertè tradit.

Ad octauum, Hieronymus priori sententia loquitur de se docente, vtpote qui Nepotianum, dum viueret, solitus fuerat habere auditorem, quod post mortem eius non erat, quando Nepotianus pleno ore sapientiam hauriebat ex æterno fonte Dei; sicut de suo Nebridio dicit Augustinus lib. 9. confess. cap. 3. Posterior autem sententia similis est verbis Domini dictis ad Iosiam regem, quorum intellectum paulò antè dedimus.

Ad nonum, Coniunctio, si, in verbis Nazianzeni non tam dubitantis est quàm aliquid tanquam indubitatum præsupponentis, vt aliud addatur, quomodo quis dicit ad amicum: Si me amas, hoc mihi præsta, quomodo & Dominus apud Malach. 1. *Si pater ego sum vbi est honor meus & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* At neque Augustinus dubitandi more loquitur, sed ideo cum dixisset, *quisquis in illo manet*, adiunxit, *& potest humanas preces sentire*, quia non omnes qui in Deo manent, hoc possunt, sed illi soli qui cum Deo regnant. *Manent enim in Deo omnes qui manent in caritate* 1. Ioan. 4. quorum tamen multi nondum sunt beati.

Ad decimum, Augustinus eo loco tantùm id vult, mortuos rebus viuorum assiduè aut ordinariè non interesse, neque omnia nostra scire, ne quidem sanctos ipsos & beatos, idque rectè probat exemplo matris suæ. Quod autem ijdem diuina reuelatione sciant quæ hic aguntur, & in his maximè pias preces viuentium ad se spectantes, quodque etiam interdum extraordinariè præsentes adsint hominibus; docet ibidem cap. 15. & 16. tametsi non explicet vtrùm singulorum preces sigillatim percipiant.

Ad vndecimum respondetur sermonem illum nec Augustini esse nec certi cuiuspiam autoris, nec vllo pacto recipi potest, quod dicit angelos & archangelos teneri somno, nec nostra curare.

Ad duodecimum, Hugo priori loco quæstionem insufficienter soluit. Non enim Deus solùm ad merita sanctorum respicit, verùm etiam ad preces & intercessionem, dum nobis illorum intuitu beneficia præstat. Posteriori autem loco apertè affirmat sanctos pro nobis orare, siue preces nostras audiant siue non, quia sufficere dicit si Deus audiat, qui potest orationibus nostris præstare effectum. Itaque Hugo ad principale argumentum hæreticorum ita respondet, vt magis videatur consecutionem negare quàm antecedens, de quo antecedente profitetur se dubitare. Sed tectius nos cum Magistro & Bernardo Hugonis coætaneis, eumque alijs doctoribus ecclesiæ nequaquam putamus antecedens supradictæ argumentationis aduersarijs dandum esse.

Ad de-

Ad decimumtertium, Non est necesse affirmare quod semper omnes sancti cum Christo regnantes cognoscant particulariter omnium & singulorum preces quomodocunque generaliter ad se directas. Et fortè ob huiusmodi dubitatiunculas non fuit visum patribus Tridentini concilij quæstionem hanc, an sancti preces viuentium cognoscant, absolutè definire.

Postremum argumentum prorsus inualidum est & futile. Multa enim sunt quæ facta esse vel fieri certissimè scimus, quo tamen modo facta sint aut fiant, haud perinde certi, id quod grandinis, fulminis, ventorum aliarumque rerum plurimarum exemplis ostendi potest.

IN DISTINCTIONEM QVADRAGESIMAMSEXTAM.

§. 1. *Æterna fore præmia bonorum & supplicia malorum.*

S. Thom. 1. 2. q. 5. art 4. & suppl. q. 99.

DE pœnis reproborum, sicut & de gaudijs beatorum certa fide tenendum est, quod perpetuò duratura sint, id est, finem suę durationis nunquam habitura.

Clarissimè docet hoc scriptura sacra multis locis, vt Matth. 25. vbi iudex reprobis dicturus prædicitur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Quod ne de igne tantùm, non autem de supplicio dictum quis acciperet, postea subiecit Dominus: *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Vbi nota pro supplicio Gręcis vocem esse quæ punitionem significat, vt hinc pateat non tantùm ignem sed & punitionem quæ fit per ignem, æternam fore, quemadmodum non vno loco obseruauit Augustinus. Sic Dan. 12. dicitur *qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper*, seu vt potiùs legendum arbitror, *vt videant semper*, id est, vt sint in perpetua confusione & contemptu. Ea enim lectio tam Græco quàm Hebræo textui magis est conformis; & additur de ijs *qui ad iustitiam erudiunt multos*, quod *fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*, id est, in æternum non longi alicuius temporis, vt aliquando in scripturis accipitur, sed infinitum prorsus & interminabile, quomodo dictum est Exod. 15. quod *Dominus regnabit in æternum & vltrà.* Nam & de iustis simili phrasi dicitur Micheæ 4 quod *in nomine Dei ambulabunt in æternum & vltra*; quia nimirum ita in Dei nomine & cultu versabuntur & viuent, vt in æternum ab eo nunquam recedant, sed in eius laude incessabiliter & interminabiliter cum Christo permaneant, iuxta illud psalmi: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*, & illud apostoli 1. Thess. 4. *& sic semper cum domino erimus.*

Porrò alia loca de supplicijs impiorum æquè manifesta sunt Isa. 33. *quis habitabit cum ardoribus sempiternis*, id est, cum Deo qui malos punit in æternum, Apoc. 14 quod *fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum*, Isa. vlt. Matth. 3. & 18. Marci 9. in quibus *ignis gehennæ* dicitur *æternus* & *inextinguibilis & vermis immortalis.* Et quidem Marci 9. bene notandum de gehenna ignis tertiò repeti hæc verba: *Vbi vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur*; scilicet ne quis dubitet verè & propriè verum esse quod dicitur. Obseruauit id etiam alicubi Augustinus. Sic Apoc. 20. dicitur quod *bestia & pseudopropheta* sub quibus vniuersitas impiorum intelligitur, *in stagno ignis & sulfuris cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*, sicut è diuerso de iustis dicitur cap. 22. quod *regnabunt in sæcula sæculorum*: vbi ne quis promissionem hyperbolicam & reipsa maiorem suspicaretur, addidit Ioannes sibi dictum esse: *Hæc verba fidelissima sunt & vera.* Sed & alibi passim felicitas sanctorum vocatur vita æterna, tum à Christo Domino apud quatuor euangelistas, tum ab eius discipulis tam in Actis quàm epistolis apostolicis.

Denique ita credere nos palam profitemur in symbolo quidem apostolorum, *vitam æternam*, vbi à contrario mors impiorum æterna quoque intelligitur. In symbolo autem ecclesiastico quod Athanasij dicitur, expressè vtrumque, scilicet *vitam æternam*, & *ignem æternum.*

Hanc autem fuisse perpetuam ecclesiæ sententiam & doctrinam vel ex eo probatur, quod illam Origenis opinionem, qua docebat tam felicitatem piorum quàm miseriam impiorum seu hominum seu angelorum aliquando finiendam, & vicissitudine quadam commutandam esse, semper summo consensu patres reiecerunt & exploserunt tanquam sanæ & catholicæ fidei prorsus aduersam; Quam proinde inter hæreses recensu[illegible]unt Epiphanius, Philastrius, Augustinus & quotquot alij de hæresibus scripserunt. Peculiariter autem & latè contra eam agunt Epiphanius hæresi 64. quę est Origenistarum, Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 17. & sequentibus vsque ad caput 21. & Hieronymus cum alibi tum 10 epistol. scripta contra errores Ioannis Ierosolymitani, Gregorius quoque lib. 4 dial. cap. 44. doctrinam de hac re Catholicam tradens contraria quædam argumenta diluit.

Potest autem & ratione multipliciter probari hæc doctrina.

Primò, quia vera & perfecta beatitudo quæ iustis in præmium iustitiæ ex Dei gratia promittitur, non consistit sine æternitate & securitate boni nunquam amittendi. Si ergo finem aliquando habebit gloria sanctorum, & si certi non sunt se ea gloria quam habent, perpetuò fruituros, sequitur eos verè non esse beatos, sed potiùs contra verè esse miseros vel errore, si gloriam suam existimant fore perpetuam; vel metu, si sciunt aut putant aliquando finiendam.

Secundò ex desperatione damnatorum. Ideo enim hi summè miseri sunt, quia ex ea miseria in qua sunt, nunquam liberandi, atque insuper certi nunquam se inde liberatum iri. Quod nec diues ille epulo ignorauit Luc. 16 non ausus vtique liberationem è tormentis spetare, sed tantùm mitigationem incendij petere.

Tertiò, quia Deus est bonum infinitum: Iustè igitur ac meritò inimicitia per peccatum contra Deum suscepta supplicio punitur nunquam finiendo.

Quartò, quia status hominis post mortem immutabilis est ex bono in malum & contrà. *Lignum enim vbicunque ceciderit, illic erit.* Ecclesiastæ 11. Cuius ratio est, quia per mortem homo constituitur in termino, vbi iam non est ex altero in alterum

mutatio. Si igitur homo non amplius mutatur quoad bonitatem & maliriam, iustum quoque est statum hominis quoad fælicitatem & miseriam, non amplius mutari, imò & in altero necessariò consequens. Non enim potest beatitudo cum animi peruersitate vllo pacto consistere.

Quintò, quia pro damnatis orare non licet, nec sacrificium offerre, quemadmodum docet Augustinus lib. 21. de ciuit capit. 24. & Gregorius lib 4. dialog. capit. 44. & alter Gregorius in epistol. ad Bonifacium arch. apud Gratianum causa 3. q. 2. cap. *pro obeuntibus* in fine, & pleniùs ex totius ecclesiæ consuetudine & consensu probatur, nihilo magis pro hominibus damnatis, quàm pro diabolo & angelis eius vt saluentur, orari posse. Liceret autem pro ijs orare, si damnatio eorum posset aliquando finem habere.

Postremò, quia cum damnatis siue dæmonibus siue hominibus vel hominum spiritibus nullam societatem nobis licet habere. Quod sanè non videretur illicitum si spes adhuc esset damnatos è miseria ad felicitatem, ac proinde etiam ex malo in bonum posse conuerti.

§. 2. *Soluuntur obiectiones in contrarium.*

S. Thom. vbi sup.

AD ea nunc respondendum quæ contra superiorem doctrinam ex scriptura & patribus, atque ex ipsa ratione solent obijci. Quæ quidem huiusmodi sunt.

Primum: Psal 76. dicitur: *Nunquid in æternum proijcet Deus?* & iterum: *Nunquid obliuiscetur misereri Deus &c.* & psal. 102. *Dominus multum misericors non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.*

Secundum Psal. 139. de damnandis dicitur: *Cadent super eos carbones, in ignem deijcies eos. In miserijs non subsistent*: ergo aliquando desinent esse in miserijs, seu per interitum, seu per liberationem.

Tertium: Isaias cap. 24. de ijsdem ita scribit: *Congregabuntur in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur.* Ex quo apparet quod tandem Deo eos visitante liberabuntur. Vsus fuit hoc argumento Origenes.

Quartum: Marci 12. de quibusdam malis dicit Dominus quod *accipient prolixius iudicium.* Vbi autem aliud alio prolixius, ibi vtrumque vel alterum finitum esse oportet, quia infinitum ab infinito non exceditur.

Quintum: In scripturis æternum pro valde longo frequenter sumitur; ergo scripturæ quæ vitam æternam & ignem æternum nominant, non satis conuincunt æternitatem gloriæ vel damnationis absolutam & interminabilem.

Sextum: Hilarius: in psal. 68. de Sodomitis & Gomorræis loquens: *Inuento*, inquit, *his ad misericordiæ reconciliationem id quod perpessa sunt, profecisse, cum tolerabilius his in die iudicij sit futurum, quàm ijs ciuitatibus, in quibus de apostolorum pedibus puluis excussus sit.* Et postea inter creaturas liberandas etiam ponit eas quæ in infernis degunt, iuxta illud apostoli: *In nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum.*

Septimum Hieronymus in commentarijs super Isa. 14. 24. & vlt. ita loquitur quasi vel soli dæmones, vel cum ijs soli homines infideles ac prorsus impij sint in perpetuis pœnis futuri, cæteri verò omnes aliquando per Dei misericordiam liberandi. Quod idem pluribus verbis docet lib. 1. contra Pelag. cap. 9. adducens ad hoc quædam testimonia scripturæ quæ dissimiliter eo interpretante loquuntur de peccatore & impio. Alibi solum diabulum excipit à spe liberationis, vt in commentario Ecclesiastæ super illud cap. 1. *Peruersi difficile corriguntur*, omnibus, inquit, *per pœnitentiam ad integrum restitutis, solus diabolus in suo permanebit errore.* Scribens autem in epist. ad Ephes. super illud cap. 1. *qui ante sperauimus in Christo*, videtur etiam diabolo & angelis eius aliquam salutis spem facere post iudicium. Nam & in commentario super Hab 3. generaliter sic ait: *Habet sua Deus mensuras, quantum & quanto tempore, & ob quas causas & quibus inferatur.* Si habet mensuram temporis, non ergo punit in æternum, quia æternitas sine mensura est.

Octauum: Augustinus lib. de moribus Manichæorum cap. 7. dicit omnia deficientia tandem eò recurrere, vnde defecerunt. Ex quo consequi videtur vt omnia tandem conuertantur ad Deum.

Nonum: Prudentius in hymno ante somnum dicit quod Deus paucos impiorum sinat in æternum perire, & in hymno de miraculis Christi, reditum ex inferno patere per Christum, & in fine hymni in Romanum mart. optat eius precibus in die iudicij ex parte hædorum transferri in partem agnorum.

Decimum: Mensuræ peccati debet respondere mensura supplicij, iuxta illud Deut. 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*, & Matth. 7. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* & Apoc. 18. *quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum*; nimirum iusticia vindicatiua, quæ in pœnis reddendis consistit, hoc ipsum exigente. Non ergo iustum videtur vt pro peccato breui ac momentaneo supplicium inferatur æternum.

Vndecimum: Nulli peccato debetur pœna infinita intensiuè, ergo nec extensiuè. Probatur antecedens, tum quia talem nullam Deus cuiquam irrogat; tum etiam quia talis pœna impossibilis est, vtpote infinita actu secundum gradus intensionis, quæ proinde nulli peccato debita est. Nam alioqui sequetur quod pœnam aliquam debitam Deus non possit infligere. Sequela probatur tum à simili, tum ratione; quia in pœnis extensio compensat intensionem & contra, vt in purgatorio, & in humanis. Respondent enim sibi pœna valde acerba & breuis, & rursum pœna longa & mitior: ergo similiter extensio infinita compensabit intensionem infinitam & contrà. Quare si non potest inferri infinita pœna intensione, igitur nec extensione.

Duodecimum: Sancti leguntur orasse pro damnatis, atque adeo liberationem eorum impetrasse. Cuius rei celebre exemplum est in Gregorio Romano qui Traiano apud inferos damnato salutem precibus impetrauit. Habet hoc Ioannes Damascenus serm. pro defunctis & addit totum orientem & occidentem de eo non dubitare. Ibidem legitur de Faleonilla quadam primæ martyris, id est, Theclæ precibus cum in infidelitate esset mortua, saluata. Quin & ipse Gregorius lib. 2. dial. capit 23. commemorat sanctum Benedictum iussisse vt pro duabus mulieribus in excommunicatione & peccato propter quod ex-

commu-

communicatæ ab ipso fuerant, defunctis offerretur sacrificium missæ, & eo facto illas ab excommunicatione fuisse absolutas, & proinde ecclesiæ restitutas. Refert etiam Augustinus lib. 3. de origine animæ capit. 9. sanctam Perpetuam fratri suo Dinocrati in infidelitate mortuo impetrasse salutem. Item sancta Otilia virgo vt habet S. Thomas Argentinas in 1. distinct. quæst. 41. pro anima patris sui tam diu fleuit & orauit vsquequo Deus animam illam de inferno liberaret. Et hæc quidem facta leguntur sine reuocatione ad vitam præsentem, in qua pœnitentiam agere & sacramenta salutis percipere possent.

Cæterùm alios ex inferno ad vitam hanc reuocatos & ita siue per baptismum siue per pœnitentiam salutem adeptos fuisse, subiuncta exempla commonstrant. Referunt Augustinus serm. 32. & 33. de diuersis & Eulogius lib. 1. de miraculis sancti Stephani capit. vltim. quemadmodum mulier quædam filium infantem sine baptismo mortuum, precibus suis à beato Stephano impetrauerit ad horam rediuiuum, vt baptismum susciperet, quem puerum ipsa mater iam perijsse fatebatur. Tale quid etiam factum fuisse ad inuocationem sancti Thomæ Aquinatis refert Antoninus in histor. fol. 194. Item ad inuocationem beatæ Mariæ Hallensis similia facta refert Lipsius cap. 19. & 21. libri de eiusdem virginis miraculis. Legitur in vita sancti Nicolai quod eius precibus Iudæus quidam in scelere periurij mortuus redierit ad vitam. Narrat Sulpicius de sancto Martino quod resuscitauerit catechumenũ quemdam sine baptismo repente mortuum: Item alium quemdam qui sibi laqueo vitam extorserat. Sancta Agnes, vt ex eius gestis in breuiario Romano legitur, filium præfecti in infidelitate & stupri voluntate mortuum suis precibus ad vitam reuocauit, qui mox cepit vnius veri Dei laudes prædicare contemptis simulacris. Refert Gregorius Turonensis sanctum Arnulfum episcopum Turonensem cuidam defuncto quem videbat ad infernum rapi, vitam impetrasse pariter & salutem. Et alia huiusmodi exempla legentibus sanctorum historias interdum occurrunt. Ex quibus apparet homines in peccato mortali vel originali mortuos, & proinde condemnatos adhuc posse saluari. Quod si de quibusdam conceditur, poterit idem pari ratione de cæteris omnibus sperari.

Sed ad hæc argumenta respondemus. Ad primum quidem, in vtroque psalmo sermonem esse de pœnis & afflictionibus fidelium seu populi Dei in hac vita, quas psalmista negat fore perpetuas illis per veram pœnitentiam ad Deum conuersis. Patet hic sensus ex contextu vtriusque loci, maximè posterioris, vbi tertiò repetitur commendatio misericordiæ Dei super timentes eum.

Ad secundum quidam respondent sensum esse: *In miserijs non subsistent*, id est in pœnis statum & terminum non habebunt. Subsistere enim dicitur qui post aliquantam motionem quiescit, & ita contrarium potiùs ex hoc loco colligi dicunt. Verùm hæc expositio fonti Hebraico non respondet, ex quo sic vertit Hieronymus: *Cadent super eos carbones ignis, deijcies eos in foueas vt non consurgant*, id est deijcies eos in foueam interitus æterni, è qua consurgere seu emergere nunquam possint. Quæ versio & expositio etiam manifestè probant contrarium.

Ad tertium respondetur visitationem eo loco non in bonam partem accipi sed in malam, vt sensus sit: Post quantumcumque temporis spacium adhuc visitabuntur, perpetua videlicet pœnarum continuatione, quia iuxta eundem prophetam *vermis eorum non morietur & ignis non extinguetur*. Sic Hieronymus intellexit in commentario. Qui intellectus etiam ex eodem ipso loco confirmatur verbis præcedentibus cùm dicitur: *In die illa visitabit Dominus super militiam cæli, &c.* vbi sine dubio in malam partem visitatio accipitur, vt sequentia declarant. Sic apud eundem prophetam capit. 27. *Visitabit Dominus in gladio suo duro super Leuiathan.*

Sed obijcies versionem 70. in qua sequuntur hæc verba, *& liquefiet later & cadet murus*, per quod videtur significari quod carcer corruet & captiui liberabuntur. Sed solutionem vide in Hieronymo qui causam reddit erroris, dicens septuaginta fuisse verborum ambiguitate deceptos. Contrarium ergo etiam hic significatum est.

Ad quartum, Prolixius idem est quod grauius, durius, acerbius. Vsus est autem hac voce Dominus vt alluderet ad prolixas orationes hypocrytarum, vt patet ex ipso loco. Nota tamen quod vox Græca quæ eadem est apud Matthæum & Lucam, tantùm significat excellentius, maius, grauius, nec ad tempus refertur.

Ad quintum respondetur eo modo ignem æternum & supplicium æternum dici quo modo vitam æternam. Prorsus enim similiter de vtroque dicit Dominus: *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Si ergo supplicium non propriè æternum est, nec vita propriè æterna erit. Ita respondet Augustinus ijs qui sibi in peccatis suis blandientes æternum supplicium dicebant comminationis modo positum pro valde longo, qui tamen ipsi vitam propriè æternam credebant. Loca Augustini sunt, lib. 21 de ciuit. cap. 23. & 24. ench. 112 & lib. contra Origenistas cap. 5. 6. & 7. Respondet eodem modo Chrysostomus in libro 1. de compunctione cordis ad Demetrium. Ijs autem qui cum Origene contendere vellent æternitatem vtrobique capi impropriè, aliter est respondendum; nempe ex alijs plenè innumeris scripturæ locis constare quod per Christum nobis promittatur vita & felicitas propriè æterna, id est, nunquam finienda sicut & regnum Christi in electis suis prædicatur æternum, id est, nunquam finiendum, iuxta illud archangeli ad virginem: *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Quod & in symbolo Constantinopolitano profitemur.

Ad sextum: Hilarius priori loco videtur existimare quod in ipsa percussione, id est, incendio Sodomitico multi dolorem repente de peccatis suis conceperunt, sicut & in generali diluuio. Quæ sententia suam ex scripturis habet probabilitatem. Posterior autem locus in his qui in purgatorio sunt, veritatem habet.

Ad septimum generalis est responsio ex apologia Hieronymi contra Ruffinum talia quædam Hieronymo obijcientem. Respondet enim se in commentarijs, vt se habet lex & consuetudo commentariorum, multa ex aliorum sententia non approbando sed referendo tantùm dixisse. Et ad eundem modum respondet in præfatione commentariorum in Hierem. Nam quæ Hieronymi fuerit de hac re sententia, iam suprà ostendimus ex alijs locis, vbi Origenis errorem ex professo insectatur, quibus nunc adijcimus commentarium in Matth. 25. & librum primum & secundum apol. contra Ruffinum.

Ad octauum Augustinus ipse respondet lib. 1. retract. cap. 7. dicens verba sua sic accommodatè intelligenda esse, quod omnia deficientia quæ recurrunt, eò recurrunt, vnde defecerunt, & proinde se nihil hic pro Origenis errore dixisse.

Ad nonum: Prudentius de hoc dogmate videtur quibusdam non satis rectam tenuisse sententiam. Et sanè quod dicit paucos impios in æternum perire, directè pugnat cum euangelio quod testatur paucos esse electos & paucos qui salui fiant, multos autem perire, nec impiorum quosdam perire, quosdam autem tandem saluari. sed omnes omnino impios, nisi in hac vita pœnitentiam egerint, perire in æternum.

Secundus locus de lymbo patrum & de purgatorio potest accipi.

Tertio loco tantùm videtur significare voluisse, quod in die iudicij quidam precibus sanctorum liberandi sint à pœnis purgatorijs & ita beatis associandi. Quod & Augustinus indicat lib. 21. de ciuit. cap. 24. & 27.

Ad decimum respondetur, si temporis æqualitas seruari debet inter peccatum & pœnam peccati, sic vt pœna nunquam sit prolixior culpa, sed verbi gratia, pro peccato vnius horæ pœna referatur vnius horæ, & pro peccato momentaneo, pœna momentanea; iam vix vlla etiam apud homines iusticia seruabitur in pœnis pro sceleribus exigendis. Plæramque enim pœna si tota consideretur, multò diuturnior est eo crimine quod punitur. Hoc autem nec ipse Origenes voluit, qui tandem post multas sæculorum reuolutiones apostatis angelis & impijs hominibus spem salutis faciebat. Proinde dicendum est, sicut apud homines non est iniustum, pro vno sacrilegio, adulterio vel homicidio, tametsi fortè momentaneo, priuari quempiam vita in perpetuum, aut exilio vel carcere molestari perpetuo, id est nunquam finiendo, quantum est ex parte iudicis, & sententiæ ab eo latæ. (Impertinens enim est humanis iudicijs quod mortui aliquando vitam recipient, per accidens quoque finitur exilium & carcer morte hominis) ita non esse iniustum apud Deum, vt propter vnum peccatum mortale, quantumuis breue, si mora temporis spectetur, addicatur quis æternis supplicijs. Est enim peccati ad pœnam æqualitas spectanda non ex duratione sed ex grauitate & quasi pondere ipsius peccati, sicut & contra boni operis ad mercedem æqualitas æstimanda est, non ex tempore, sed ex dignitate operis. Quocirca sicut bonum opus, exempli gratia, martyrium, quantumcunque breue, apud iustum iudicem Deum meretur æternam coronam; ita malum opus, vt fornicatio vel blasphemia, meretur æternum supplicium. Hæc autem tanti demeriti ratio procedere videtur ex eo, quia peccatum priuat hominem gratia & amicitia Dei, quę est summum, æternum, atque infinitum bonum, eumque tanto bono inimicum & aduersarium constituit, vt meritò, sicut dicit Augustinus, *homo fiat malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset in eo æternum.* Hanc explicationem tradit Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 10. 11. & 12. Adde quod quisque dum peccat, sic animo affectus est, vt optaret peccatum esse perpetuum, vt verbi gratia voluptatibus in quibus peccat, semper frui. Iustè igitur affectui & voluntati peccandi, pœna respondet. Nam & iustus pro bona voluntate, quam perpetuam retinere voluit, mercedem accipiet æternam. Tradit hanc rationem Gregorius lib. 4. dial. cap. 44.

Vndecimi argumenti consequentia non est bona, neque rectè probatur à simili, quia altera pœna possibilis est, altera impossibilis. Altera enim consistit in continua successione, & proinde tantùm potentia est infinita: altera verò gradus haber infinitos simul, ideoque est infinita actu. Si autem hæc esset possibilis, fortè deberetur peccato mortali, propter rationem in argumento allatam. Sed hoc subtiliùs expendendum: ac potiùs dicendum, quod nullum peccatum meretur pœnam intensione infinitam, quia cùm illa non possit infligi, sequeretur Deum suæ iusticiæ non posse satisfacere. Nec sequitur: homo peccat in Deum infinitum intensiuè seu perfectiuè, ergo peccatum est infinitum, & proinde meretur pœnam actu infinitam; Neganda enim prior consequentia, quia sicut charitas non est actu infinita licèt versetur circa Deũ, nec meretur præmium intensione infinitum, sed est forma quædam finita qua homo Deo gratus & ad præmium æternæ vitæ acceptus est; sic peccatum licèt contra Deum sit, in se tamen finitum est, & pœnam actu finitam meretur. Neque enim si obiectum est perfectione infinitum, oportet etiam actum vel habitum seu bonum seu malum qui versatur circa illud obiectum, esse similiter infinitum, quia non oportet omnes conditiones obiecti reperiri in actu vel habitu circa ipsum, vt patet.

Ad postremum respondetur sanctos pro ijs quos damnatos scirent aut putarent, non orasse. Et quidem prioris generis exempla prorsus reijcienda sunt, vtpote fidei Christianæ contraria, quæ docet neminem mortalium saluari posse, nisi priùs in vita per fidem, spem & charitatem coniunctus fuerit palmiti Christo, quod de illis dici non potest, qui cùm in infidelitate mortui essent, non leguntur iterum ad hanc vitam fuisse reuocati. Quod igitur de Traiano adfertur, fabulosum est. Neque vllo modo verisimile Gregorium pro homine damnato orasse, qui id loco superiùs citato apertè docet omnino non licere. Cuius & illa sententia est lib. 11. moral. *Nequaquam vltra parcentis misericordia liberat, quos semel in locis pœnalibus iusticia iudicantis damnat.*

Sed neque sermoni, qui titulum Damasceni falsò gerit, fides habenda est, cùm manifestè fallat in eo quod dicit totum orientem & occidentem illam de Traiano historiam pro indubitato recipere. Nam & alia quædam in eodem sermone refert à fabulis non multum abhorrentia. Meminit quidem Ioannes Diaconus in vita Gregorij de Traiano Gregorij intercessione saluato, sed ita vt dicat historiam illam ab incertis authoribus esse profectam, nec apud Romanos probatam.

Ad id verò quod de sancto Benedicto narrat Gregorius, dicendum mulieres illas in statu gratiæ discessisse, vel quia pœnitentiam peccati habebant in fine vitæ, vel quia peccatum earum non erat mortale, sed grande veniale. Nam excommunicatio non erat propriè dicta, nec à iudice ecclesiastico lata, sed tantùm ex comminatione sancti Benedicti, vt ipse Gregorius refert, consecuta, quam tamen Deus miraculo voluit declarare.

De Dinocrate respondetur Augustinum non agnoscere veritatem historiæ, sed magis fidem eius eleuare, dum ad argumentum de eo sibi ab aduersario obiectum respondet. Et similiter respondendum videtur de Otilia virgine, nisi fortè (quod apud Argentinensem non legitur) patri suo reditum ad hanc vitam impetrauit, vt sic per pœnitentiam saluari posset.

De cæteris omnibus (quatenus vera sunt exempla) dicendum eos non fuisse simpliciter damnatos, sed extraordinariè sententiam damnationis eorum à iudice fuisse suspensam, sanctos autem diuino quodam instinctu, quo etiam miracula faciebant, pro ijs vt ad vitam reuocati per fidem & pœnitentiam saluarentur, orasse, vt qui vel reuelationem haberent vel fiduciam concepissent, eos pro quibus sic orarent, nondum irreuocabiliter inferni pœnis deputatos esse.

§. 3. *Vtrùm sit in inferno pœnarum intermißio vel remißio.*

S.Thom. ibidem.

ÆTernitate pœnarũ inferni constituta, quæri solet: Vtrũ sit in inferno pœnarũ aliqua mitigatio vel relaxatio, siue per iustitiam siue per misericordiam diuinam, id est, siue iustitia Dei hoc postulet vt pœnæ aliquatenus relaxentur, siue ab eius misericordia hoc ipsum impetretur. Nam circa hanc quæstionem varij opinantium sunt modi.

Quidam enim pœnarum intermissiones & quasi ferias quasdam in inferno per certa temporum interualla constituerunt, vt Prudentius in hymno qui incipit, *Inuentor rutuli &c.* ita canens.

Sunt & spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub Styge feria &c.

Alij pœnarum duntaxat mitigationem per eadem interualla futuram existimant, qualem expectabat diues epulo petens mitti ad se Lazarum vt intingeret extremum digiti sui in aquam ad refrigerandam ipsius linguam. Huic opinioni fauere videtur pœnarum varietas ac vicissitudo circa eundem damnatum iuxta illud Iob 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium.* Hinc enim probat S. Thomas esse in pœnis damnatorum transmutationem quandam t q. 10. art. 3. ad 2. Ac rursus eandem pœnarum successionem in damnatis ponit 1. 2. q. 67. art. 4. ad 2.

Alij putant pœnas successu temporis diminutum iri; sic vt semel diminutæ postea non amplius augeantur. Sed ad hoc opinandum diuersi diuersa ratione fuerunt inducti. Nam qui scholasticorum sentiunt venialia peccata damnatorum non puniri in æternum, consequenter ex necessitate concedunt pœnas eorum diminui, quoties pœna veniali peccato debita fuerit persoluta. Quod & conuinci videtur ex restante pœna mortalium quoad culpam dimissorum, si quis pœna temporali nondum soluta peccet iterum mortaliter & pereat. Talis enim pœna videtur debere solui in inferno, tandemque finiri, cùm sit pœna temporalis. Quidam autem sic opinati sunt propter orationes fidelium, quæ siue scienter siue nescienter fiunt pro defunctis damnatis. Quamuis enim fateantur non esse orandum pro damnatis vt ex inferno liberentur, putant tamen pro damnationis eorum mitigatione non malè orari & sacrificium offerri, eò quòd dicat Augustinus ench. 110. de suffragijs fidelium: *Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt vt sit plena remißio, aut certè tolerabilior ipsa damnatio.* In hac opinione fuerunt vetustus quidam Scholasticus doctor nomine Præpositinus & glossator decretalium, scribens ad capitulum, *Cum Martha*, extra de celebratione missarum. Hi ne fateri cogerentur, tandem multiplicatis suffragijs, futurum vt tota pœna tolleretur, & ita damnatio finem haberet, imaginati sunt proportione quadam pœnas diminui, ita quòd si vnus denarius in eleemosynam datus aliquantam partem pœnæ tollat, siue quartam siue tertiam, secundus tollat tantundem in proportione non in quantitate, id est, pœnæ restantis eandem quotam, vt loquuntur. Qua ratione nunquam futurum sit vt tota pœna auferatur, etiamsi totus mundus in eleemosynas effunderetur, vt habet glossator loco iam dicto.

Huc prærerea referri potest opinio Prudentij, qui in fine libri, cui titulus *hamart.* sperare se scribit pœnarum inferni lenitatem, teporem atque clementiam.

Porrò harum opinionum prima prorsus fugienda est tanquam rectæ fidei dissentanea. Neque enim ea ab Origenis sententia discrepat, nisi quod hic vicissitudines felicitatis & miseriæ posuit, ille vicissitudines pœnarum & intermissionis seu pausationis earum. Quæ doctrina reprobatur per ea omnia ferè quę contra Origenem dicta sunt supra de pœnarum æternitate secundum scripturas. Vicissitudo enim & intermissio rei cuiuspiam prohibere[nt] esse perpetuam. Vnde Cyprianus in epistola ad Demetrianum de pœnis inferni loquens, *Nec erit*, inquit, *vnde habere tormenta vel requiem possint aliquando, vel finem.*

Adde quòd principalis damnatorum pœna consistat in priuatione visionis diuinæ, quæ Augustino teste ench. 112. *tam grandis est pœna, vt ei nulla possint tormenta comparari.* Ea cùm nunquam intermittenda sit (neque enim interuallis illis temporum Dei conspectu reprobi fruentur) patet absolutè pœnarum intermissionem statui non posse

Quod autem ex Prudentio obijcitur, magis fictione quadam poëtica dictum existimari debet, quàm ex regula orthodoxæ veritatis.

Secunda opinio, cùm & ipsa vicissitudinem aliquam ponat, quam scriptura non videtur agnoscere sed magis excludere, quæque stabilitati futuri sæculi minùs congruit; non multum habet probabilitatis Nam nec diues ille epulo, quod petiuit, impetrare potuit, vt vel minimum cruciatus mitigaretur vnius guttulæ in linguam ipsius instillatione Luc. 16. Et scriptura non tantùm dicit damnatos mittendos in ignem æternum, sed etiam ituros in *supplicium æternum*, siue vt Augustinus legit, *in combustionem æternam.* Quod etiam Apoc. 20. significatum est vbi dicitur quod reprobi *in stagno ignis & sulfuris missi cruciabantur die ac nocte in sæcula sæculorum.*

Quod autem ex propheta Iob in contrarium adfertur, de impiorum punitione in hac vita tropo quodam sermonis dictum est. Nam de inferno continuò pòst sequitur: *Et vsque ad inferos peccatum illius.*

Tertia opinio qua parte argumentum accipit ex remissione seu potius persolutione venialium & pœnæ restantis pro mortalibus remissis, quæ quidem Scoti est opinio scribentis in 4. dist. 21. & aliorum quorundam; licèt propter rationem allatam probabilis sit, refelli tamen videtur ex eo, quia cùm in inferno sit perseuerans malitia voluntatis, non videtur agnoscenda diminutio pœnæ post quantumcunque tẽporis spacium. Et ad argumentum respondetur omnino per accidens euenire quod venialia damnatis nunquam remittantur, ideo nimirum quod in illis reperiantur coniuncta mortalibus, vti diximus ad distinctionem 21. lib. 2. Idemque dicendum de pœna pro mortalibus remissis restante vti diximus ad 15. distinctionem

huius libri. Si enim satisfacere quis Deo non potest in hac vita dum est in affectu mortalis peccati, multò minùs satisfacere poterit in inferno, cùm eorum qui in inferno sunt, nulla possit esse cum Deo amicitia, nec vllum amicitiæ desiderium, sine quo tamen fieri non potest vt quis Deo satisfaciat, vti eodem loco pleniùs explicatum est.

Cæterùm qua parte iam dicta opinio nititur orationibus fidelium quæ pro damnatis fiunt, penitus reprobanda est, iamque suprà à nobis improbata est ijs argumentis quæ probant pro damnatis nullo modo esse orandum. Quod si quando pro illis orari contingat à fidelibus ignorantibus eos esse damnatos, nihil hoc eis proderit dicente Augustino in ench. 110. quod *sacrificia altaris vel quarumcunque eleemosynarum pro valde malis*, id est damnatis, *nulla sunt adiumenta mortuorum, sed tantum qualescunque viuorum consolationes.* Vnde patet Augustinum dictæ opinationi non patrocinari, & ad verba eius ex eodem capite obiecta respondendum est eum loqui de damnatione, id est punitione animarum in purgatorio. Nam punitio temporalis etiam damnatio vocatur vt Luc 23. *Neque tu times Deum qui in eadem damnatione es*, & Matth. 12. *ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*, cum de pœna verbo ocioso debita loqueretur. Sic aliquos ad carcerem, exilium, mortem damnatos dicimus. Vult autem Augustinus dicere quod suffragia fidelium prosunt animabus in purgatorio detentis, vel ad hoc vt statim liberentur, vel vt tolerabilius puniantur, donec tandem vel in fine sęculi & ipsę plenam accipiant remissionem.

Pulser hic etiam obijci locus ex Beda qui super Iob 11. dicit quod qui in inferno sunt, preces supplices fundunt pro ijs, vt eorũ orationibus tartarei cruciatus temperẽtur; Sed respondeo Bedam non dicere, quod illi suis orationibus aliquod pœnarum temperamentum impetrabunt. Adfert enim exemplum de epulone, qui petiuit quidem refrigerium aliquod sed impetrare non putuit.

Iam quod eiusdem opinionis authores putant non fore consequens vt tandem tota pœna tollatur, rectè quidem fortassis hoc sensu id dici potest, quia tales orationes tantùm ponuntur valere ad minuendam pœnam sensus, non autem ad minuendam vel tollendam pœnam damni. Verùm si negent ex opinione sua consequens fore, vt pœna sensus tandem tollatur, propterea quòd pœnæ diminutio fiat secundùm proportionem non secundum æqualitatem; videtur hoc sine ratione, imò contra rationem dici. Sic enim sequeretur quod per orationem æqualis deuotionis ac meriti plus tolleretur de pœna damnati peioris quàm minùs mali, cùm potiùs contrario modo rem fieri ratio postulet. Sed aduersus huiusmodi opiniones pœnam damnatorum infrà meritum quocunque modo constituentes, sunt & alia argumenta, quæ mox proferemus.

§. 4. *Vtrùm damnati punientur infra meritum.*

S. Thom. 1. p q. 21 ar 4. ad 1. & sup q. 99.

PRæter opiniones iam refutatas alia est quæ ponit pœnas damnatorum semper quidem futuras vniformes, saltem post persolutam pœnam venialium & mortalium quoad culpam remissorum, sed eas meritis minores. Estque hæc satis communis Scholasticorum doctrina, dicentium quod Deus semper puniat citra condignum, eò quòd in omni opere iusticiæ diuinæ concurrat misericordia, & contrà. Sic S. Thomas 1. q. 21. art. 4. ad 1. dicens quod in damnatione reproborum apparet misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter alleuians, dum punit citra condignum. Sic & Bonauentura in 4. dist. 15. ad textum & alij.

Probant autem huiusmodi argumentis.

Primò, quia scriptum est: *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*, psal. 24.

Secundò: *Non continebit in ira sua misericordias suas* psal. 76.

Tertiò: *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius*, psal. 144.

Quartò, quia dicit apostolus Rom. 11. *Conclusit Deus omnia in incredulitatem, vt omnium misereatur*, & Sap. 11. *Misereris omnium Domine.*

Quintò: Cassiodorus super psal. 50. testatur etiam in punitione malorum iusticiam sine misericordia non esse.

Sextò: Leo serm. de ieiunio decimi mensis: *In Dei operibus*, inquit, *atque iudicijs nihil vacat à veritate iusticia, nihil à miseratione clementia.*

Septimò, Sap. 6. dicitur: *Exiguis conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Ex quo saltem apparet, quod quidam, etsi non omnes in inferno cum misericordia punientur.

Octauò, quia Deus semper remunerat vltrà condignum, ergo punit infra condignum, cùm vtriusque videatur esse par ratio sumpta ex bonitate Dei. Probatur autem antecedens tum ex communi scholasticorum sententia, tum quia bonitati ac liberalitati diuinæ id maximè conuenit, tum quia veteres ita docent, vt Hieronymus in Ezech. 7. Hilarius in illud psal. 118. *Veniant mihi miserationes tuæ*, Chrysostomus hom. 1. ad populum Antiochenum, & clarissimè Fulgentius lib. 1. ad Monymum cap. 10. & 11. Tum denique quia Dominus apertè dicit Luc. 6. *Mensuram bonam & confertam & coagitatam, & super effluentem dabunt in sinum vestrum.* De hoc vide articulum 14. inter Pianos, tametsi damnatio tantum videatur referenda ad illud, *iusto iudicio.* Vide & nostra tit. de meritis & Bellarminum lib. 5 de iustificatione cap. 19. qui se potissimùm fundat in damnatione articuli.

Postremò, quidam doctores asserunt nec quidem fieri posse, vt Deus peccatum puniat ad condignũ. Et probant, quia in ratione maliciæ malum pœnæ nunquam adęquatur malo culpę, & ita nunquam tantum rependitur mali homini peccatori à Deo quantum mali homo commiserit. Ita senriunt Adrianus in 4. tract de sacramento pœnitentiæ, Dionysius Cisterciensis in 4. circa hanc distinctionem q. 1. art. 2. & Altisiodorensis lib. 1. suæ summæ cap. 15 q. 2. addens, etiam originale peccatum in paruulis puniri citra condignum, & ibidem q. 3. concedit quod ei qui plus peccauit, Deus plus de pœna remittat in inferno, quàm ei qui minùs peccauit; quia, inquit, vbi maior est miseria, ibi maiorem effectum misericordiæ exhibet.

Verum sunt & in diuersam partem argumenta minimè contemnenda.

Primùm, qui sępissimè testatur scriptura *Deum vnicuique redditurum in iudicio secundum opera sua*, vt Matth. 16. Rom. 2. Apoc. vlt. & alibi. Non redderet autem secundum opěra, si infra condignum puniret, sicut nec in bono si infra meritum remuneraret. Vnde etiam Augustinus & Dionysius Areopagita agentes de suffragijs quæ pro defunctis

sunt,

A fiuot,& objicientes sibi illud, *Deum red lere vnicuique secundum ope a sua,* sic respondēt vt dicant defunctos hoc ipsum dum viuerent meruisse, vt aliorum suffragijs iunari possent. Significant ergo eos qui tale quid in vita non meruerunt, simpliciter & exactè iudicandos secundum operum exigentiam. Censetur autem non meruisse etiam ille qui totum id quod meruit perdidit, iuxta illud Ezech. 18. *Omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur.*

Secundò videtur id clarè probari ea hac Iacobi sententia cap. 2. *Iudicium sine misericordia illi qui nonfecit mi ericordiam.* Neque enim ad hoc arguoientum
B sufficere videtur eorum responsio qui dicunt Iacobum loqui de misericordia liberante, quia sicut in purgatorio est iudicium cum misericordia, non tantùm quando tollitur pœna, sed etiam quando mitigatur, ita in inferno esset iudicium cum misericordia, non tantùm si pœna in totum tolleretur, sed etiam si meritis esset minor: ergo iudicium sine misericordia non taotùm excludit misericordiam liberantem sed etiam mitigantem. Item sicut generaliter accipitur misericordia in posteriori parte sententiæ, ita videtur accipi debere in priori, vt sensus sit: Qui nullam fecit mi-
C sericordiam, nullam prorsus in iudicio recipiet. Nullam autem fecit qui ne partem quidem miseriæ proximi abstulit, quare nec misericordiam qua pars aliquæ suæ miseriæ tollatur, consequi poterit.

Tertiò. Eum qui à iudice in carcerem mittitur, pronunciat Dominus *non exiturum inde donec etiam nouissimum minutum reddat,* id est, exactissimè debitum luat, Matth 5. Luc. 12 Et rursus Matth. 18. *seruus immisericors traditur tortoribus, quoadvsque reddat vniuersum debitum* Et addit Dominus: *Sic & pater meus celestis faciet vobis, si non remiseritis &c.*
D Neque horum quicquam videtur ad purgatorium pertinere, tum quia contextus id non patitur; tum quia in purgatorio certum est non fieri solutionem debiti ab animabus ibi detentis vsque ad nouissimum minutum.

Quartò: Vox sanctorom est psal. 102. *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis,* id est, grauiora merebamur quàm passi sumus, ergo hoc damnatis tribuendum non est.

Quintò, Psal. 30 *Retribuet abundanter facientibus superbiam:* Atqui non retribuit abundanter qui
E tribuit citra condignum.

Sextò, Apoc. 18. de Babylone dicitur: *Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum:* Quò etiam illa pertinent: *Pro mensura peccati erit plagarum modus* Deut 25.&, *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis,* Matth. 7. Qoamtris huiusmodi loca de mensura proportionis non æqualitatis accipi forrè possent.

Septimò: Alienum prorsus est ab ecclesiæ consuetudine, atque adeo simpliciter illicitum habetur. pro damnatis orare, ne quidem vt mitiùs quàm pro meritis puniantur; ergo non videtur ad
F hoc se carendere misericordia Dei.

Octauò: Relaxatio pœnæ est qoædam peccati remissio: At nulla peccati remissio fit nisi per sanguinem Christi, cuius nullo modo participes esse possunt qui sunt in inferno, maximè si nunquam fidem habuerint, igitur apud eos nulla fit pœoæ relaxatio.

Nonò: Dæmones non torqnentur infra condignum, ergo nec homines reprobi. Est enim par ratio, quia constituunt vnam ciuitatem impiorum Sed & Augustinos lib. 21. de ciuit. cap. 23. & 24. satis indicat de vtrisque quoad pœnas eandem esse rationem.

Decimò: Damnati Deum non sentiont vt patrem sed solum vt iudicem, ergo nullam experiuntur in pœnis misericordiam Dei, sed solam iustitiam.

Vndecimò: Deus in hac vita vbi tempus est gratię & clementiæ, interdum exigit pœnas vsque ad condignum, vt dum à pœnitentibus & à culpa absolutis pro pœna restante exigit plenam satisfactionem, ergo multò magis id facit in inferno vbi tempus & locus est iustitiæ & seueritatis Dei.

Duodecimò: Deus in suo iusto iudicio non tollit aliquid de pœna, nisi aliquid tollatur de culpa: hoc autem non fiet, ergo nec illud. Probatur assumptio, quia absurdum est homini in sua malicia perseueranti & nullo modo pœnitenti, neqoe quicquam de malicia remittenti, aliquid de pœna merita relaxare.

His postremò accedunt patrum sententiæ. Dicit enim Hieronymus in fine libri secundi super Ezech. 7. *Peccatoribus reddit Deus iuxta vias suas vt teneat iudicij veritatem. Cæterùm in sanctis excedit modum clementia. Neque enim condignæ sunt passiones &c* Et Augustinus conc. 1. super psal. 32 ad illum versum: *Diligit misericordiam & iudicium,* dicit, *nunc esse tempus misericordiæ, postea vero tempus iudicij.* docetque ista duo misericordiam & iudicium hactenus à se inuicem separari non posse, quia Deus in misericordia exhibenda iudicium adhibet, *quia conuersis ad se donat peccata, non conuersis non donat,* ac rursus *in futuro iudicio habet misericordiam, sed erga eos quibus misturus est: Esuriui & dedistis mihi manducare.* Citansque locum Iacob. 1. *Iudicium sine misericordia &c. Non in quemlibet,* inquit, *sed in eum erit misericordia, qui praerogauit misericordiam &c.* Huic similis apud eundem locus est conc. 29. super psal. 118. Idem tractans illud psalm. 105 *quoniam in æculum misericordia eius* ita scribit: *Nisi fortè quis audeat dicere etiam in his qui damnabuntur cum diabolo & angelis eius aliquam misericordiam Dei minimè defuturam, non quia ex illa damnatione liberantur, sed vt eis aliquatenus mitigetur, atque ita æternam posse intelligi Dei misericordiā super illorum æternam miseriam &c.* Quibus verbis Augustinus significat se oon audere id asserere, imo & paucos esse qui id audeant. Nec dissimiliter scribit in ench. 112. & 113. & lib. 21. de ciuit. cap 24. His enim locis etsi non resistat aliter sentientibus, satis tamen indicat se cum ijs non sentire, ac dicit illos magis humana commiseratione motos, quàm diuina authoritate persuasos mitiorem opinionem elegisse.

Chrysostomus quoque seu quisquis author hom. de verbis Dauid: *Quis sum ego,* dicit, *quod in inferno iam non erit indulgentia sed plena sententia,* tametsi hoc potest intelligi de plena sententiæ in iudicio ferendæ executione, vt tamen non negetur ipsam sententiam aliqua misericordia temperandam esse.

Quamquam autem huius partis argumenta non omnino certò conuincant, valde tamen probabilem eam faciunt, neque tam facilè omnia solui posse videntur quàm ea quæ in diuersam allata fuere.

Quod enim primo & secundo loco ex psalmis adfertur, non ad omnes homines in vniuersum sed ad solos pios vel electos, quos scriptura misericordiæ vasa appellat, referendum esse iam antè monuimus, idemque docet Augustinus lib. 21. de ciuit.

cap. 14.

cap. 24 & satis hoc ipsum liquet ex contextu. Nam A primo loco expresè additur, *requirentibus testimonium eius & testimonia eius*, quomodo & in psal. 102. dictum est: *Misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum.*

Secundo loco sermo est de populo Dei temporaliter afflicto.

Ad tertiú locum respődetur ibi cómendari suauitatem & misericordiam, id est, bonitatē Dei effusam super vniuersam creaturam. Non enim creatura vel subsistere posset, nisi Deo eam conseruante, & non solùm bona gratiæ sed etiam naturæ omnia à Deo sunt.

B Ad quartum: Augustinus vbi supra & S. Thomas super ep. Rom respondent, apostolum non de singulis hominibus, sed de duobus hominum generibus loqui, Iudæorum scilicet & Græcorum. Sensus enim est, exponente S. Thoma, *vt omnium misereatur*, id est, vt in omni genere hominum Dei misericordia locum habeat. Sic & illud, inquit, Sap. 11. *misereris omnium Domine*, non est extendendum ad omnes homines sigillatim, sed ad omnia genera hominum &c.

Deinde pretermissa Cassiodori authoritate quæ quinto loco obijciebatur, sed non adeo magni momenti est, ad sextum respondetur, Leonem lo- C qui de operibus Dei circa fideles electos, quos afflictionibus vel corrigit, vel probat, vt ibidem sequitur.

Ad septimum respondetur, misericordiam ibi impropriè accipi pro pœna leuiori seu tolerabiliori, quæ tamen meritis eius qui minus deliquit, respondeat & adæquetur.

Ad octauum negatur esse simile. Nam ad dandum electis præmia supra meritú extenditur virtus passionis Christi per fidem & sanctam conuersationem illis applicata, sed ad taxandam pœnam repro- D borum infra meritum, non est aut fides aut aliud simile per quod applicetur passio Christi, licèt alioqui per se ad hoc sufficere posset. Vbi etiam considerandum quod sanctorum opera per spiritumsanctum inhabitantem accipiunt valorem quemdam infinitum. Vnde hac parte nihil detrahitur gloriæ sanctorum, sed additur aliquid meritis ipsorum.

Ad postremum respondetur ea ratione, si valida esset, doceri, quòd nec vnum veniale peccatum possit puniri condignè, ne quidem si pu- E niretur æterno igne quia nullum malum pœnæ in ratione maliciæ assequi potest vel minimum malum culpæ, magisque fugiendum est etiam minimum peccatum veniale quàm omnis pœna quantumuis grauis & diuturna. Et sanè perabsurda videtur taliter opinantium sententia, ex qua plane sequitur Deum suæ iusticiæ non posse perfectè satisfacere, quod est absurdissimum. Dicendum proinde est, non exigere exactam iusticiam vindicatiuam, vt in ratione maliciæ pœna adæquetur culpæ, quod fieri nullo modo posse rectè probatú est, sed vt culpa puniatur quantum meruit. Nam F cuilibet culpæ in iusto & exacto Dei iudicio respondet certa mensura pœnæ, quam si excederet, puniret vltra meritum, velut si pro peccato veniali infligeret pœnam ignis æterni.

IN DISTINCTIONEM QVADRAGESIMAM SEPTIMAM.

§. 1. *Iudicium extremum an voce peragetur.*



AD quæstionem quam huius distinctionis initio mouet Magister, Vtrùm extremum & vniuersale iudicium agetur exteriori voce, an verò in solis fiet mentibus eorum qui iudicandi erunt, adhibita distinctione videtur aptiùs respondendum. Etenim in iudicio duæ sunt partes. Prior in qua fit examen & disquisitio meritorum: Posterior in qua à iudice profertur sententia. *S. Thom. suppl. q. 88. ar. 2.*

Quod ergo ad priorem partem attinet, ferè inter omnes conuenit, eam non voce, sed silentio in omnibus conscientijs peractum iri, iuxta id quod ait apostolus Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum & inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum.* Vnde quod dicitur Apoc. 20. *libri aperti sunt & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum*, non de libris materialibus intelligendum sed de conscientijs singulorum. Tunc enim vnicuique suus liber ex quo iudicandus sit, aperietur, id est factorum omnium suorum conscientiam ac plenam actualemque noticiam quisque accipiet, non vocis externæ significatione sed interna manifestatione diuina, de qua Augustinus lib. 20. de ciuit cap. 14. *Quædam*, inquit, *vis est intelligenda diuina qua fiet vt cuique opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam reuocentur & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul & omnes & singuli iudicentur.* Hæc ille.

Iam quod de libris dicitur non materialiter, siue vt ibidem loquitur Augustinus, non carnaliter cogitandis, id etiam de examine & disquisitione factorum vniuscuiusque similiter dicendum. Sicut enim absurdè quis opinetur futurum ibi librum vnum vel plures tanta mole vel numero, vt descriptas contineat omnes omnium & singulorum vitas, ita non multò minùs absurdè quis senserit futurum, vt omnia omnium & singulorum facta verborum strepitu in illo iudicio proferantur. Vtraque enim res immensum temporis spacium postularet in tanta hominum & factorum, dictorum, cogitatuum multitudine.

Pertinet eodem quod Augustinus eiusdem libri cap. 26. tractans illud Malach. 3. *Ero testis velox super maleficos &c.* dicit intelligi posse Christum testem velocem, quia ipsas conuincet sine vlla sermonis prolixitate conscientias, cùm sine mora reuocaturus est in memoriam, vnde conuincat, puniatque conscientiam. Vbi præter locum Rom. 2. allegat etiam illud Sap. 1. *In cogitationibus impij interrogatio erit.*

Porrò quod ad posteriorem iudicij partem, id est, sententiam iudicis attinet, putat S. Thomas in hanc distinctionem scribens & opusculo 10. art. 27. (cum quo plærique alij sentiunt) eam quoque non corporalem sed spiritualem futuram, id est, non sono vocis pronunciandam, sed singulorum men-

tibus imprimendam esse diuina virtute eius qui iudex est omnium. Quod quidem habet maximam probabilitatem, si de sententijs singulorum quæstio sit. Per eas enim oportet singulis singula ac diuersa decerni præmia vel supplicia. Vt enim meritorum ita & præmiorum ac suppliciorum erit magna disparitas, vt infrà distinctione 49. docebimus. Atqui tum multæ diuersæque sententiæ, si omnes vnius iudicis voce pronunciandæ essent, rursus longissimam temporis moram postularent.

Cæterùm de sententia generali qua electis regnum, reprobis supplicium æternum generaliter assignabitur, non eadem est ratio. Poterit enim in ea sententia pronũcianda iudex breuiter vti ijsdem vel similibus verbis, quę sunt in illius iudicij descriptione apud Matth. 25. dicendo: *Venite, benedicti patris &c. Discedite à me maledicti &c.* Atque ita sentiunt Richardus & Dominicus in hanc distinctionem, & Abulensis super Matth. 25. q. 333. Fauet huic sententiæ quod apud Augustinum legitur lib. 20. de ciuit. cap. 24. *Christus*, inquit, *in vne euidens apparebit, qui prius cum venisset occultus, ante iudicem siluit.* Quodque apud Gregorium lib. 26. moral. cap. 20. vbi dicit eos qui iudicabuntur, iudicis verba & increpationem audituros.

Probatur item hac ratione Christus iudicaturus est vt homo, propter quod etiam in humana atque visibili forma omnibus iudicandis apparebit, vt proxima distinctione dicetur. Sed & alia quædam ibi fient corporaliter. Erit enim corporalis præsentatio omnium hominum ante conspectum iudicis, & corporalis separatio iudicandorum ad dextram & sinistram. Est igitur eadem ratione verisimile quod externa atque audibili voce sententia generalis in vtrosque tam bonos quàm malos à iudice proferetur, omnium iudicandorum auribus insonitura vt qui omnibus se conspiciendum exhibebit in gloria maiestatis, etiam omnibus audiendum se præbeat in voce iudicis.

Notandum tamen est argumentum ex Matth. 25. sumptum non omnino conuincere, quia ibidem dicitur bonos & malos dicturos esse: *Quando te vidimus esurientem &c.* quod tamen satis verisimile & quodammodo certum est, non ita ad literam esse interpretandum, maximè in iustis qui non ignorabunt se Christo fecisse, quicquid vni ex minimis eius discipulis fecerint. Sed nec omnes boni illa fecerunt, nec omnes mali illa non faciendo peccauerunt. Vnde nec verisimile est Christum illa verba voce pronunciaturum: *Esuriui enim &c.* Sed neque firma probatio est quam in contrarium nonnulli adferunt ex 1. Cor. 15. vbi dicitur, *in momento & in ictu oculi* mysterium esse consummandum; hoc enim non de iudicio sed de resurrectione dictum est, vt & Magister annotauit. Neque tamen si de iudicio dictum intelligatur, obstat quò minùs saltem ipsa generalis sententia vocaliter pronuncietur à iudice, quia per momentum & ictum oculi, non intelligit apostolus instans mathematicum atque indiuiduum, sed tempus admodum breue. Neque enim resurrectio corporum quæ sparsorum cinerum collectionem & compositionem requirit, & proinde motum localem, qui necessariò successiuus est, in instanti mathematico fieri poterit, sed in momento fiet, id est, maxima ac penè imperceptibili temporis celeritate.

§. 2. *Quatenus omnium facta in die iudicij manifestanda.*

Manifesta fient vnicuique in die iudicij non sua tantùm facta seu bona seu mala, quæcunque toto vitæ suæ tempore fecerit, verùm etiam aliorum omniũ idque vsque ad occultissimas mentium cogitationes, iuxta sententiam toties in euangelio repetitam: *Nihil opertum quod non reuelabitur, & occultum quod non sciatur* Matth. 10. Marci 4. Luc. 8. & 12. Nec non iuxta illud apostoli, *Quum veniet Dominus, illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium* 1. Cor. 4 Quod & librorum apertio significat Dan. 7 & Apoc. 20 Non enim hoc tantùm ad conscientias singulorum pertinet, sed ad noticiam omnium, vt patet exemplo librorum qui in iudicijs forensibus aperiuntur, ex quibus nimirum acta leguntur palam & in auribus omnium qui iudicijs intersunt.

S. Thom. suppl. q. 87.

Huius autem ratio est, vt omnibus clarè & perfectè pateat iusticia Dei omnes iudicantis, & *omne os obstruatur murmurantium aduersus iusticiam Dei*, & *vt palam iustificetur Deus in verbo suo, & vincat ac mundus appareat in iudicio suo*, vt dicitur psal. 50. secundum Hebraicam veritatem. Vnde & apostolus Rom. 2. diem iudicij vocat *diem reuelationis iusti iudicij Dei*, id est, in quo manifestè omnibus patebit iusticia Dei iudicantis. Cùm igitur in illo iudicio iudicandi sint omnes secundũ omnia opera sua, vt iusticia iudicantis clarè & perfectè, sicut dictum est, omnibus pateat, necesse erit omnium opera omnibus innotescere, non in genere tantùm, sed in particulari, neque tantùm cognitione facti, sed etiam iuris, scilicet vt ab omnibus cognoscatur, quod vel bona sint vel mala, & quàm bona vel quàm mala, & quibus proinde vel præmijs digna vel supplicijs. Nam sicut boni sic & mali intra se testem gerent omnium factorum suorum propriam conscientiam, vt supradictum ex Rom. 2. *Et venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum, Quando stabunt iusti in magna constantia &c.* Sap 4. & 5. vbi & sera impiorum pœnitentia, quæ vtique peccatorum agnitionem includit, latè describitur, & quidem eo modo vt significetur non ipsis tantùm in suis conscientijs, verùm & alijs omnibus in illo iudicio peccata eorum atque demerita fore manifestè cognita. Et sanè si impij non obstante malicia in qua erant obfirmati, seipsos accusabunt, & erga se Dei iusticiam licèt dolentes & odientes agnoscent, multò magis eam agnoscent erga alios quorum Deo reuelante peccata viderint non minùs clarè quàm sua.

De hac vniuersali manifestatione sic loquitur in symbolo suo Gregorius apud Iuannem Diaconum in eius vita lib. 2. cap. 2. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos, positurus ante oculos omnium omnia occulta singulorum.*

Beda quoque lib. 4. in Luc. cap 52. super illud cap. 12. *quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur*, dicit *in futuro sæculo cuncta cordium abscondita proferenda in lucem.* Et Bernardus sermone ad clericos de conuersione cap. 16. quod *Deus qui nouit omnia, ea nota faciet vniuersis.* Item glossa ordinaria super 1. Cor. 4. affirmat quod *gesta, cogitata, bona & mala tunc aperta & nota erunt omnibus.* Quod & confirmat Liranus

nus super Ioelis 3. vbi dicit quod in die iudicij manifestabuntur omnibus merita & demerita omnium. Vnde rectè cecinit de illo iudicio quidam:

Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Quæ cùm ita sint, nullo modo putandum est sanctos & electos in illo iudicio & deinceps in æternum nullam habituros suorum peccatorum, quæ in hac vita commiserint, memoriam. Quod si ita esset, iam non haberent, vnde Deo gratias agerent, obliti videlicet miseriarum, & è quibus per Dei gratiam essent liberati, quemadmodum rectè ratiocinatur Gregorius lib. 4. moral. cap. 42. post Augustinum lib. 20. de ciuit. cap. 14. & lib. vlt. cap. vlt. Quo loco pulchrè explicat Augustinus quatenus obliti & quatenus memores sint sancti malorum præteritorum ita subijciens: *Alioqui si se fuisse miseros nescituri sunt, quomodo sicut ait psalmus, misericordias Domini in æternum cantabunt?*

Quod ergo in eorum persona dicit Isaias 65. *quia obliuioni tradita sunt angustiæ priores, & quia abscondita sunt ab oculis nostris &c.* intellige secundum Hieronymum, quòd obliuiscentur pristina mala non obliuione memoriæ, sed bonorum successione, iuxta illud: *In die bona obliuio malorum &c.* Ita Dominus Ioan. 16. dicit mulierem partu finito iam *non meminisse pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundo.* Quamquam Isaiæ locus non tam de peccatis, quàm de miserijs agit.

Quod autem ibidem subiungit Hieronymus posse & hoc dici, quòd in cælo nouo & in terra noua omnis conuersationis pristinæ memoria deleatur, ne hoc ipsum pars malorum sit, prioris angustiæ recordari, non ita dicit, quasi ipse sentiat ita futurum, cùm paulò antè dixerit contrarium, sed quia fortè putauit eam opinionem & interpretationem tolerari posse, tametsi Magister dist. 43. vbi de hac re agit, existimat Hieronymi verba posse accipi de memoria malorum, quæ tristitiam adferat, qualis in iustis esse solet memoria peccatorum quod tamen ibi secus accidet, quia reuera sancti in illa felicitate ex recordatione pristinorum criminum nullum accipient dolorem, sed potiùs magnum ex sua liberatione gaudium. Erit quidem perpetua peccatorũ tam suorum quàm alienorum displicentia & odium sed sine dolore ac tristicia, sicut & in Deo est & angelis eius, quibus nostra peccata displicent, non tamen dolorem adferunt.

Iam nec eorum probanda sententia est, qui putaut electorum peccata omnia, quoniam per pœnitentiam tecta & deleta erunt, saltem alijs tam electis quàm reprobis in illo iudicio tecta atque occulta fore, licèt in eam opinionem propendeat Magister dicens rationabiliter hoc dici posse. Sed relatum id est inter errores eius selectos, nec immeritò, quia non tantùm scripturæ & patrum testimonijs supracitatis aduersatur, sed etiam rationi repugnat. Certum est enim omnibus illic manifestatum iri sanctorum pœnitentiam non minùs quàm alias virtutes, velut Dauidis, Pauli, latronis, peccatricis. Atqui pœnitentia distinctè cognosci non potest, nisi & ipsa peccata cognoscantur quorum est pœnitentia. Ex quo consequitur etiam peccata per pœnitentiam deleta in omnium noticiam esse ventura. Verùm cedet hoc ipsum ad gloriam sanctorum. Per hoc enim illustrabitur in illis magnitudo gratiæ diuinæ, quæ eos à tot & tantis peccatis liberauerit.

Adde quòd cùm omnia omnium electorum peccata penitus abolenda sint per pœnitentiam,

A consequens ex ea opinione foret, nulla omnino eorum peccata nota illic futura alijs, ne quidem electis: ac ne ea quidem quæ in hoc sæculo atque ex sacris literis notissima fuerunt, vt eorum quos modò commemorauimus. Quod sentire perabsurdum est, atque insuper refellitur hoc argumento. Dicit enim Augustinus lib. vlt. de ciuit. cap. penult. quod *in illa felicitate patebunt nobis inuicem cogitationes nostræ:* ergo si quisque suorum peccatorum noticiam in memoria retinebit, vt suprà ostensum est, eandem in vnoquoque videbant & alij.

Sed aduersus dictam manifestationis generalitatem obijciet aliquis: Si omnibus omnia omnium B facta, dicta, cogitata manifestabuntur, opus erit longissimo tempore ad ea cognoscenda; tum quia secundum philosophum Top. 2. non possumus simul plura intelligere, tum quia nec fieri potest vt vel successiuè humanus animus intra tam breue temporis spacium cogitatione comprehendat omnia facta, dicta, cogitata omnium hominum quotquot fuerunt ab initio mundi vsque ad finem. Ad quod respondeo naturaliter quidem id fieri non posse sed diuina ac supernaturali virtute effectum iri, vt vel momento vel breui tempore cuncta velut cunctorum oculis in magna tabula obiecta repræsententur. C Quem modum satis intelligere licet ex testimonijs dudum citatis tam scripturæ quàm patrum maximè Gregorij & Bernardi.

§. 3. *De quatuor ordinibus hominum in iudicio.*

QVatuor hominum ordines in extremo iudicio futuros tradit Gregorius lib. 26. moral. ca. 10. & ex Gregorio Beda in homilia quã habuit in natali D sancti Benedicti, & Magister in hac distinctione erunt enim duo ordines electorum, prior eorum qui iudicabunt: posterior eorum qui iudicabuntur. Item duo reproborum, prior eorum qui iudicabũtur: posterior autem eorum qui iam præindicati tunc sine iudicio damnabuntur. *S. Thom. suppl. q. 87.*

De primo ordine sunt hæc scripturæ loca, Matth. 19. *Qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel,* Luc. 22. *Dispono vobis vt sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Apoc. 3. *Qui vicerit, dabo ei se*E*dere in throno meo.* Quod de throno iudicij Gregorius intelligit cap. 25. libri modò citati, & rectè, cùm eo nomine potestas iudicandi passim in scripturis vtriusque testamenti significetur. Itẽ Dan. 7. *Iudicium sedit,* id est, iudices sederunt, sicut dicimus senatum consedisse, id est, senatores. Isa. 3. *Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui,* Zach. 14. *Veniet Dominus Deus omnesque sancti cum eo,* vtique iudicaturi Sap. 3. *Iudicabunt sancti nationes &c.*

Ex quibus omnibus patet quosdam in illo die iudicaturos esse, nec solos apostolos, sed & alios, F nimirum omnes eos qui cum apostolis verè dicere poterunt: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te* Matth. 19. id est, eos qui illam vitæ Christianę perfectionem ad quam ducunt euangelica consilia, quamque sectati sunt apostoli, viuendo fuerint assecuti. Hi enim omnes in duodenario illo apostolorum numero & in duodecim thronis intelliguntur, sicut & in duodecim tribus intelligitur vniuersa iudicandorum multitudo. Sic docet Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 5. & super psal. 49. 86. & 121. Item Gregorius & Beda locis supranotatis. Neque enim

omnes

omnes neque soli qui omnia reliquerunt actu, A sed qui affectu & spiritu in quo propriè perfectio consistit, iuxta illud saluatoris: *Beati pauperes spiritu*, ad illum eminentiæ gradum, qui iudicantiros complectitur, pertinent. Quibus proinde vel maxime connumerandi sunt Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, Dauid, aliique sancti veteris & noui testamenti, qui diuitias habentes tanquam non habentes cor ijs non apposuerunt, perfectionem assecuti sine consilijs euangelicis actu susceptis, ad quam alij per consilia tanquam opportunissima media, non tamen simpliciter ad illam acquirendam necessaria, contendunt. In illorum numero B sunt etiam episcopi, vtpote in statu perfectionis iam acquisitæ constituti, etiamsi actu non reliquerint omnia, si tamen illi statui vita eorum respondet. Et de his omnibus illud intelligitur quod dixit: *Beati pauperes spiritu*, id est, affectu & voluntate, quomodo hoc interpretatur sunt Ambrosius in Luc. 6. Leo serm. in festo omnium sanctorum, Beda hom. in epiphania Domini & Bern. serm. 1. de omnibus sanctis, eamque interpretationem coniuncit illud huic sententiæ oppositum apud Luc. 6. *Væ vobis diuites, quia habetis consolationem vestram.* C Nam alioqui Ecclesiastici 31. *beatus* prædicatur diues *qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia thesauris &c.*

Sed quæritur, quomodo iudicabunt? Respondetur eos iudicaturos non tantùm sui comparatione ad alios seu malos seu minùs bonos. Qui iudicandi modus etiam inferioribus quibuscunque electis adeoque & damnandis quibusdam competit. Hoc enim modo iudicabunt de quibus dictum est Matth. 12. *Ideo ipsi iudices vestri erunt*: Item, *Viri Niniuitæ & regina Austri*, de quibus ibi- D dem dicitur quod cum generatione incredula Iudæorum *surgent in iudicio, & eam condemnabunt.* Quo sensu etiam dictum est Sap. 4. *Condemnat iustus mortuus viuos impios &c.* Imò Tyrij & Sidonij ipsique Sodomitæ hac ratione Iudæos condemnaturi significantur Matth. 11.

At neque iudicaturi sunt solo consensu quo iudicis sententiam approbent, & vt iustam & sanctam venerentur, nam & hic iudicandi modus omnibus iustis sine dubio communis erit, vtpote dicturis: *Laus & virtus & gloria Deo nostro quia vera & iusta iudicia sunt eius &c.* Apoc. 19. & de hoc modo videtur intelligi quod dicitur 1. Corinth. E 6. *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt?* & iterum: *Nescitis quoniam angelos iudicabimus?* Dicuntur enim hæc de bonis fidelibus in genere. Angelos autem spiritus apostatas intellige. Sed iudicaturi dicuntur assessoria quadam dignitate. Hoc autem ita quidam explicant, quia nimirum in illo iudicio omnibus apparebit eorum dignitas supra cæteros, ita vt omnes manifestè cognoscant eorum vitam tantæ fuisse perfectionis, quæ iudiciaria discussione non egeat, sed potiùs dignos faciat honorabili consessu circa tribunal iudicantis. Hunc modum significasse vide- F tur Ambrosius super Luc. 22. sic inquiens: Apostoli in iudicium spirituale formantur remuneratione fidei & execratione perfidiæ, virtute errorem redarguentes, sacrilegos odio persequentes. Verùm quia Christus Matth. 19. sessioni superaddit actum iudicandi, quasi aliud sit sedere, aliud iudicare, hinc explicatio iam dicta, licèt vera sit, non tamen sufficiens videtur, præsertim cùm ipsum sedere etiam per se in huiusmodi scripturæ locutionibus tropicè nobis actum aut potestatem iudicantis insinuet. Quare cum Richardo à sancto Victore lib. de iudiciaria potestate in finali iudicio, & S. Thoma scribente super hanc distinctionem dici potest, apostolos & omnes euangelicæ perfectionis sectatores cum Christo iudicaturos esse, quia præter consessionis dignitatem iam dictam, etiam iudicialis sententiæ rationem in aliorum notitiam proferent, vt hoc pacto ipsa iustitiæ ac sententiæ diuinæ reuelatio per eos in mentibus aliorum facta, iudicium vocetur. Vnde addit Richardus: *Hoc erit apostolicos viros iudicandorum quemlibet iudicare*, dandæ sententiæ reuelationem ministeriale iudicium appellare possumus, sicut & potestatem taliter iudicandi ministerialem. De qua loquuntur Gregorius & Magister in textu.

Porrò in secundo ordine vt supradicti authores docent, erunt ij, qui eum euangelicam perfectionem non fuerint assecuti, propter multas vitæ maculas, quas tamen misericordiæ operibus abstergere conati fuerunt, stabitur misericorditer iudicandi, & ab ijs qui primi sunt ordinis, in æterna tabernacula recipiendi, quibus à iudice dicitur: *Esuriui & dedistis &c.*

In tertio ordine erunt, qui fide Christi suscepta non secundum eam vixerunt, neque peccata sua per pœnitentiam & opera misericordiæ purgare satagerunt. Qui proinde sine misericordia iudicandi audient illud: *Esuriui & non dedistis &c.*

In postremo ordine erunt omnes illi, qui fidem Christi nunquam susceperunt, de quibus Dominus Ioannis 3. *Qui non credit iam iudicatus est.* Quod non est ita accipiendum, quasi non sit in eos à iudice ferenda condemnationis sententia, cùm generaliter omnes & secundum omnia sua opera sint iudicandi, vt proximo capite dicetur: sed negantur iudicandi iudicio discussionis, eo videlicet modo quo nec perfectæ sanctitatis homines iudicabuntur, quia tam horum ad salutem, quàm illorum ad damnationem causa adeo manifesta erit, vt meritorum disquisitione, & collatione bonorum operum cum malis non sit opus, quando & hi ob sanctitatis excellentiam Christo coniunctissimi, & illi ob infidelitatem omne pietatis opus excludentem à Christo alienissimi palam cognoscentur. Vnde & eos præiudicatos vocat Gregorius, non prolatione sententiæ, sed euidentia delicti. Hæc enim omnia non propriè sed schemate quodam sermonis ad similitudinem eorum quæ in iudicijs humanis aguntur, dicta sint. Nam alioqui etiam in cordibus infidelium iudex hoc operabitur, vt distinctè intelligant, se tum ob infidelitatem, tum ob alia peccata iustè condemnari, sicut & sancti perfecti distinctè intelligent, se remissione omnium peccatorum accepta, propter bona opera sua coronari.



§. 4. *An omnes homines, & de omnibus iudicandi?*

S. Thom. suppl. q. 89. ar. 5.

Secundû ea quæ iam dicta sunt ad quæstionem, an omnes omnino homines iudicandi sint in extremo iudicio, responderi potest. Nam si de iudicio retributionis loquamur, omnes haud dubiè iudicabuntur, quia recipient omnes in illo iudicio pro meritis huius vitæ vel bona vel mala. *Omnes enim*, inquit apostolus Rom. 14. *stabimus ante tribunal Christi*, scilicet vt iudicemur. Sequitur enim: *Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo*, & 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum*. & rursum Rom. 2. diem nominat *reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius* Sic Matth 25. describens Dominus aduentum iudicis: *Congregabuntur ante eum*, inquit, *omnes gentes, & separabit eos ab inuicem &c.* & in symbolo Athanasij confitemur omnes homines resurrecturos & *reddituros de factis proprijs rationem*. Nam & ea resurrectionis omnium præcipua causa est, vt omnes nemine excepto plenam accipiant à Deo iudice retributionem.

Eodem pertinet quod in scriptura & symbolo dicitur *Christus venturus ad iudicandum viuos & mortuos*, qua periphrasi tota vniuersitas hominum significata est, sicut & Apocalyp. 20. *per magnos & pusillos* quos à morte resuscitatos & *in conspectu throni stantes, atque secundum opera sua iudicandos* vidit Ioannes. Adde quod & alibi reperit & inculcat scriptura, *Deum redditurum vnicuique secundum opera sua*. Quod ad iudicium retributionis pertinere non dubium est.

Non tantùm autem omnes iudicandi sunt, sed & de omnibus, siue secundum omnia quæ gesserunt in vita. *Cuncta enim quæ fiunt, adducet Deus in iudicium*, Ecclesiastæ vlt. & *scrutabitur Dominus Ierusalem in lucernis* Sophon. 1. id est exactissimam omnium operum faciet inquisitionem. Neque enim de maioribus tantùm peccatis, sed *de omni verbo ocioso quod locuti fuerint homines rationem reddent in die iudicij*, Matth. 12 vbi sub verbo ocioso cætera quæque minutiora intellige. Veruntamen non de omnibus peccatis rationem reddent, quasi pro omnibus puniendi, sed alia quidem per pœnitentiam deleta & sufficienter punita atque expiata inuenientur, alia verò igne æterno punienda reseruabuntur. Sicut & bonorum operum alia per subsequens peccatum mortificata & extincta nec iterum viuificata, præmijs indigna iudicabuntur: alia verò omnia condignis & supra condignum à iusto iudice præmijs afficientur.

Porrò si de iudicio discussionis loquamur, non omnes iudicabuntur, vt suprà ostensum est tam de quibusdam bonis quàm de multis malis.

Ex qua distinctione duplicis iudicij, patet quid respondendum ad scripturas & patrum sententias quę videntur ab illo iudicio quosdam excipere tanquam non iudicandos, vt Ioan. 3. *Qui non credit iam iudicatus est* Rom. 2. *Qui sine lege peccauerunt sine lege peribunt*, scilicet vt non sit opus eos iudicari, sicut alios de quibus sequitur: *Qui in legem peccauerunt, per legem iudicabuntur*. Sic Augustinus in psal. 1. loquens de impijs ad illud: *Ideo non resurgent impij in iudicio, Resurgent quidem impij*, inquit, *sed non vt iudicentur, qui iam pœnis certissimis destinati sunt*, & Lactantius lib. 7. cap. 20. quod *in extremo iudicio tantum iudicabuntur, qui in Dei religione fuerint versati, non qui Deum non nouerunt, quia illi iam iudicati damnatique sunt, sanctis literis attestantibus non resurrecturos impios in iudicium*. Huiusmodi enim sententiæ de iudicio discussionis accipiendæ sunt, iuxta sensum superiori capite indicatum; tametsi quod adfertur ex psal. 1. non significat impios non iudicandos, sed in iudicio non staturos, id est, causa casuros & condemnandos. Quod fieri non potest nisi iudicentur.

Quod autem Dominus apud Ioannem dicit cap. 3. *Qui credit in eum non iudicatur*, de fide viua & de iudicio damnationis dictum est, sicut & illud præcedens: *Non misit Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*. Illud autem quod ait apostolus 1. Cor. 11. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur*; hunc sensum habet: Si nos ipsos probaremus & peccata nostra condigna satisfactione puniremus, non ea Deus in hoc sæculo grauiori vindicta persequeretur. Vnde sequitur: *Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur*.

Sed quæritur, vtrùm iudicandis annumerandi sint pueri siue regenerati siue non regenerati, & ante vsum rationis mortui. Neque enim videntur iudicari posse qui nihil omnino quod laude vel vituperatione dignum sit, in corpore gesserunt, hoc est egerunt, imò nec agere potuerunt.

Respondetur secundum scripturam planè videri quod etiam tales sint iudicandi, saltem iudicio retributionis. Nam iudicium discussionis ad eos nullatenus pertinere manifestum est ex supradictis, cùm non sit in eis meritorum bonorum cum malis vlla commixtio.

Quod autem iudicandi sint, probatur primùm ex generalibus scripturis, quæ docent omnes esse iudicandos, vt suprà.

Deinde specialiter, quia Matth. 25. dicuntur *omnes gentes ante tribunal iudicis congreganda*. Ad eas autem etiam paruuli pertinent, siue baptizati siue non. Nam si non pertinerent, igitur nec ad baptizatos paruulos pertinet promissio Abrahæ facta: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Quod constat falsum esse. Item ad baptizatos paruulos pertinet illud: *Venite benedicti*: ergo ad non baptizatos illud: *Ite maledicti*.

Deinde Ioan. 5. dicitur quod *omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei &c.* ergo & paruuli. Et Apoc. 20. *Pusilli & magni dicuntur iudicandi*, & symbolum Athanasij testatur *omnes homines factorum suorum rationem reddituros*.

Postremò, Paulus apostolus Rom. 5. dicit *Iudicium ex vno in omnes in condemnationem*. Qua sententia certum est paruulos non regeneratos comprehendi.

Atque hæc Augustini doctrina est pluribus locis, vt in epistola 107. ad Vitalem, lib. 6. contra Iulian. cap. 10. & alibi. Qui etiam ad id quod obiectum est, respondet in epistola ad Vitalem in hunc modum: *Scimus etiam paruulos secundum ea quæ per corpus gesserunt, recepturos vel bonum vel malum Gesserunt autem non per seipsos, sed per eos quibus pro illis respondentibus, & renunciare diabolo dicuntur & credere in Deum. Vnde & in numero fidelium computantur*. Et paulò pòst de ijsdem: *Si*, inquit, *in illa ætate moriuntur, vtique secundum ea quæ per corpus gesserunt, id est, tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda & ora gestantium crediderunt vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati sunt &c. iudicabuntur*. Item

contra

contra Iulianum: *Si paruuli*, inquit, *manifestabuntur ante tribunal Christe, quomodo reportat eorum quisque quod gessit, qui nihil gessit, nisi quia pertinet ad eos quòd per corda & ora gestantium siue credunt, siue non credunt? Propria corporis sui enim dixit quod ad vnumquemque in seipso iam viuentem pertinet &c.* Quæ res tamen nobis videtur clariùs explicari posse, si dicamus paruulos iudicari secundum ea quæ gesserunt in corpore, id est, secundum ea quæ existentes in corpore habuerunt, vnde possent iudicari: cuiusmodi sunt peccatum originale, baptismus, gratia, fides, spes, charitas, propter quæ vel damnatione digni sint, vel vita æterna.

Nec obstat quod pro verbo *gesserunt* in Græco est, *fecerunt*: nam sub actu facilè comprehenditur habitus, quandoquidem etiam adulti, non secundum actus tantùm sed etiam secundum habitus iudicandi sunt tam bonos quàm malos, iuxta scripturas: *Beati mites, pacifici, misericordes, mundo corde, quia ipsorum est regnum cælorum* Cootra verò *auari, immundi, ebriosi regnum Dei non consequentur.*

§. 5. *De ordine eorum quæ circa diem iudicij fient.*

S. Thom. suppl. q. 88. & seq.

DE ijs rebus quæ circa diem iudicij sunt euenturæ iuxta prædictiones sacris literis contentas, deque earum ordine quo sint euenturæ, sic breuiter Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. vlt. *In illo*, inquit, *iudicio vel circa illud has res didicimus esse venturas, Eliam Thesbiten, fidem Iudæorum, Antichristum persecuturum, Christum iudicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremptionem, mundi conflagrationem, eiusdemque renouationem. Quæ omnia quidem ventura esse credendum est, sed quibus modis & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quàm nunc valet consequi ad perfectum hominum intelligentia. Existimo tamen eo quo à me commemorata sunt ordine, esse ventura.* Hæc Augustinus, tametsi de ordine istorum inter se, non pauci aliter sentiunt.

Primùm enim opinantur plærique persecutionem Antichristi præcessuram ex parte prædicationem Eliæ, & Iudaici populi conuersionem, idque ex infrà dicendis apparet multò verisimiliùs. Deinde difficultatem habet quod Augustinus Christum iudicaturum ponit ante mortuorum resurrectionem, cùm mortui priùs resuscitandi sint quàm possint in corpore simul & anima iudicari, ideoque resuscitatio mortuorum debeat iudicium ipsum antecedere, quod & scripturæ loca Dan. 12. Matth. 25. Ioan. 5. 2. Cor. 5. Apoc. 20. satis significant, & alij doctores concorditer sentiunt.

Fortè respondebit aliquis, Augustinum loqui de Christo iudicante inchoatiuè, id est, iudicium suum inchoante per ignem in ijs qui tunc viui reperientur & adhuc purgatione egebunt: Sed non hoc velle Augustinum ex eo ostenditur, quia tum hoc eodem loco, tum alibi mundi conflagrationem & renouationem postponit iudicio & separationi bonorum à malis, docetque eam fore omnium postremam. Cùm igitur hæc responsio non videatur consentanea opinioni Augustini & tamen ex alijs Augustini locis pene innumeris doceri possit eius sententiam non esse, quod iudicium generale futurum sit ante mortuorũ resurrectioné, cumque nec ratio patiatur vt ita fiat; necesse est vt hęc verba conformiter eius menti interpretemur.

Notandum igitur quod non dicit Augustinus Christum iudicantem, sed iudicaturum, id est ad iudicium venientem. Significare enim voluit quod Christo cum maiestate magna ad iudicium veniente, nondum tamen iudicante, mortui omnes resuscitabuntur sistendi ante tribunal iudicis, vt habetur Matth. 25. & alibi. Ipsum autem iudicium siue iudicandi actum & sententiæ prolationem inter ea quorum ordinem superiùs recensuit Augustinus, ideo non posuit, quia agebat de ordine eorum quæ circa iudicium ventura essent, & proinde essent ab ipso iudicio diuersa, tametsi iudicium discussionis, cum sententiæ prolatione quę eadé est cum iudicio retributionis, satis intelligitur in diremptione bonorum & malorum. Nam ipsa diremptio quædam discussio est, & ad hoc fiet, vt qui dirempti fuerint, statim extremam accipiant iudicis senteotiam.

Tertiò dissident ab Augustino plærique, vt iam indicatum est, in eo quod mundi conflagratiooem & renouationem extremo ponat loco, quam illi resurrectioni mortuorum in ordine anteponunt. De qua re infrà cum de igne cooflagrationis agemus, dicetur pleniùs.

Itaque iuxta communem eamque valde probabilem doctorum opinionem, statui poterit hic ordo eorum quæ circa iudicium vniuersale euenient, ipso etiam iudicio comprehenso, vt prima sit Antichristi persecutio, secunda Eliæ prædicatio, tertia Iudæorum conuersio, quarta mundi per ignem conflagratio, quinta eiusdem mundi innouatio, sexta mortuorum resurrectio, septima bonorum à malis segregatio cum meritorum discussione coniuncta, octaua finalis sententiæ pronunciatio, Postrema receptio iustorum in regnum & impiorum proiectio io gehennam.

§. 6. *De aduentu Antichristi & quod futurus sit singularis homo.*

S. Thom. 3. p. q. 9 art. 1

INter primum Christi aduentum & secundum, fundata iam & propagata per apostolos eorumque successores ecclesia, exoriturum esse hominem aliquem insigniter impium & Christi aduersarium & ecclesiæ eius infestissimum persecutorem, quem scriptura 1. Ioan 2. & 4. antichristum vocat, ex scripturis & apostolica traditione certum apud catholicos & indubitatum est.

Præcipua de eo scripturæ loca sunt, Dan. 7. 11. & 12. Ioan. 5. 2. Thess. 2. 1. Ioan. 2 & 4. & Apoc. 17. & 17. Apostolica verò de ea re traditio ex patrum scriptis, qui de Antichristo adhuc venturo frequentissimè meminerunt, apertè comprobatur.

Ex ijsdem quoque scripturæ & patrum sententijs clarè patet Antichristum fore vnum quemdam ac singularem hominem, in quem vnum omnia cadent quę de Antichristo prędicta sunt, idque contra hæreticos huius temporis, qui volunt Antichristum de quo peculiariter scripturæ loquuntur, non esse vnum quemdam hominem, sed vnum quoddam regnum ac sedem seu potestatem, in qua alij alijs singulariter succedunt. Sed scripturas ipsas expendamus.

Apud Danielem locis suprà notatis Antichristus non vocatur vnum quoddam regnum, aut vna sedes, sed certus quispiam rex ea facturus quæ ibi prophetice narrantur.

Quod si Danielem dicas ad literam non de Aotichristo loqui sed de Antiocho illustri, nihilominus valebit probario, quia quicunque patres de Antiocho Danielem interpretaotur, vt Cyprianus de exhortatione martyrij cap. 11. & Hieronymus super Dan. 11. & 12. ijdem tamen allegoricè eam prophetiam ad Antichristum referunt, cuius typum gesserit Antiochus. Cùm ergo Antiochus ille certus quidam ac siogularis homo fuerit, seqoitur & Antichristum fore certum quemdam & singularem hominem. Solent enim in scripturis personæ per personas, multi per multos, & regna per regna præfigurari, vt Christus per Dauidem, apostoli per patriarchas, regnum Christi per regnum Iuda, ecclesia per synagogam.

Alius scripturæ locus est Ioan. 5 *Ego veni in nomine patris mei & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo illum recipietis* Vbi per alium intelligunt Antichristum Irenæus lib 5. contra hæreses, Hieronymus io epistola ad Algasiam q. 11. Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus & Beda in eum locum, & alij, oec aliter quàm de vno homine dictum hoc interpretati sont. Nec sanè aliter intelligi debere facile probatur, tum quia Dominus ibi personam personæ opponit, dicendo: *Ego veni in nomine patris mei, alius veniet in nomine suo &c.* tum quia Iodæi ad quos ibi Dominus loquitur, prædicens eis quod Antichristum pro Messia sint suscepturi, vnum certum hominem vt Messiam exspectant & recepturi sunt.

Alius locus est 2. Thess. 2. *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui aduersatur &c.* & infrà: *Tunc reuelabitur ille iniquus quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui &c.* Quæ omnia non de regno aliquo sed de singulari persona dicta esse, præter vnanimem patrum interpretatiooem osteodit articulus in Græco præpositus illis vocibus, *homo peccati, filius perditionis iniquus*, vt quod interpres postremo loco vertit *ille iniquus*, etiam suprà vertere potuerit ad huuc modum: *ille homo peccati, ille filius perditionis.*

Alius item locus est 1. Ioan. 2. *Audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.* Vbi priori loco rursum in Græco additur articulus ὁ, quia nimirum ille singularis Christi aduersarius significatur: posteriori autem loco non additur, quia ibi iodefinitè omnes hæretici designantur. Idem manifestè patet ex antithesi vnius & multorum. *Venit venis*, id est venturos est, multi iam venerunt.

Postremus locus est Apoc. 13. & 17. quem conformiter cum ijs quæ apud Danielem sunt, patres de Antichristo interpretantur tanquam de vno singulari homine. Quod ipsum præterea ex duratione regni eius probatur. Hoc enim tam apud Danielem quàm in Apocalypsi, & quidem sæpius idque diuersis sententijs idem significantibus duraturum prædicitur noo ampliùs quàm tribus annis & dimidio. Quæ temporis breuitas in regnum loogam habeos successionis seriem competere nequaquam potest.

Cæterùm huius rei probationem ex patribus proferre superfluum est, quippe qui omnes de Antichristo noo aliter atque de vno homine loquuntur, qui futurus sit electissimum vas & organum diaboli, facturus signa & prodigia mendacia, breuissimo tempore regnaturus, spiritu oris Christi interficiendus &c.

§. 7. *Antichristus vtrùm venerit an venturus sit.*

Variæ sunt & fuerunt de Antichristo, quis sit aut futurus sit aut etiam fuerit, opiniones inter scriptores. Refert Augustinus lib 20. de ciuit. cap. 19. quosdam putare quod apostolus illis verbis: *Iam enim mysterium operatur iniquitatis* 2. Thess. 2. Neronem voluerit intelligi, Cuius iam facta velut Antichristi videbantur. *Vnde nonnulli*, inquit, *ipsum resurrecturum & futurum Antichristum suspicantur.*

S. Thom. 3 p. q. 8. ar. 8. Vide Bellar.

Alij verò nec eum occisum putant sed subtractum potiùs, vt putaretur occisus; & viuum occultari donec suo tempore reueletur &c. Sed hanc opinionem de Nerone redituro & in regnum restituendo Augustinus ibidem præsumptionem vocat, quæ tamen reperitur apud Victorinum in commentario super Apoc. & apud Sulpicium in vita sancti Martini in fine secuodi dialogi & libro 2. historiæ sacræ

Nonnulli verò catholici Antichristum fuisse putant Mahumetum pseudoprophetam, qui maximam partem orbis terrarum partim armis, partim illecebris voluptatum quas permittit, à Christo ad sectam suam abduxit. Quam opinionem eo maximè argumento probant, quia secta illa initium habuisse videtur circa annum Domini *666.* quem numerum Ioannes designauit in Apoc. 13. Refert hanc opinionem Clichtouæus scribens in lib. 4. Ioaonis Damasceni cap. 28. & eam defendit ex Ioanoe Anoio Ioannes Heotenius in peculiari quodam scripto quod præmisit suæ versioni Arethæ in Apoc. sed probatio parum efficax est. Non enim numerus ille temporis est, sed nominis, vt apertè dicitur eodem ipso loco Apoc.

Alij quidam principem Turcarum Antichristum esse existimant, sed adhuc minori probabilitate hoc dicitur quàm de Mahometo. At hæretici huius temporis omnes odio in Romanam ecclesiam excæcati, Romanum pontificem esse blasphemant. Catholici verò plærique omnes secundum ea quæ de Antichristo prædicta sunt io scripturis, nondum enim venisse credont, sed venturum in fine mundi; licèt quidam veterum considerantes suorum temporum maliciam vel alijs quibusdam coniecturis moti, suspicati fuerint iam tum finem mundi imminere, & proinde Antichristum statim adfuturum, vt Cyprianus lib. 3. ep. 1. & lib. 4. epist. 6. Lactantius lib. 7. cap. 25. Hieronymus in epistola ad Gerontiam de monogamia, Leo serm. 8. de ieiunio decimi mensis, Gregorius hom. 1. & 15. in euangelia, & lib. 4. epist. 38.

Quod autem nondum venerit Antichristus, his argumentis potest doceri.

Primò, quia ante nouissimam illam persecutionem quæ ab Antichristo excitabitur, prædicari debet euangelium Christi per omnes gentes, vt satis indicatur Matth. 24. & patres restantur, vt Hilarius can. 25. in Matth. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 15. Theodoretus in 2. Thess. 2. Damascenus loco paulò ante citato, & alij. Constat autem per experientiam quod nec hoc tempore quo apud remotissimos populos prædicatum est euangelium, peruenerit ad omnes gentes, cum supersint adhuc in nouo orbe imò & in Asia & Africa gentes non paucæ quibus nondum est annunciatum.

Secundò,

Secundò, quia non veniet Antichristus priusquam desolatum & destructum penitus fuerit Romanum imperium. A Ita sentiunt plærique patres & probant ex scripturis Dan. 2. & 7. Apoc. 17. & 2. Thess. 2. Hoc autem nondum impletum est, quia Romanum imperium licèt multum diminutum & accisum, adhuc subsistit in Romano imperatore.

Tertiò, quia non veniet Antichristus, nisi venerit apostasia primùm, id est, discessio seu defectio 2. Thess. 2. Vbi si defectionem intelligas à Romano imperio eamque perfectam & completam, erit hoc argumentum idem cum præcedente. B Verùm alij rectiùs apostasiam intelligunt à Romana ecclesia, eamque non personarum sed regnorum, quæ quidem inchoata iam dudum est, quia iam non pauca regna tam orientis quàm occidentis defecerunt ab obedientia sedis apostolicæ, non tamen omnia.

Quartò, quia Antichristi tempore venient Elias & Enoch, vt illi se sua prædicatione opponant, vt infrà dicetur. Hos autem constat nondum venisse.

Quintò, quia persecutio Antichristi erit omnium grauissima, ita vt publica christianæ religionis exercitia & inter ea iuge sacrificium missæ cessatura sint. C Ita de illa persecutione sentit & scribit Augustinus lib. 20. de ciuit. capit. 8. & 9. & alij patres. Idemque significat scriptura Matth. 24. & Apoc. 20. At huiusmodi persecutionem nondum experti sunt christiani.

Sextò, quia Antichristus iuxta prophetias Dan. & Ioannis in Apocal. suprà indicatas, tantùm regnabit tribus annis & dimidio, idque etiam iuxta communem veterum interpretationem. D Hoc autem in neminem quadrat eorum qui hactenus venerunt & habiti fuerunt pro Antichristo.

Septimò, quia Antichristus veniet paulò ante mundi consummationem, vt satis apertè significatur Dan. 7. Matth. 24. 2. Thess. 2. Apoc. 12. & 20. quod & habet communis sententia patrum. Ex quo saltem sequitur Antichristum non venisse iam olim, vt catholici quidam opinati sunt, & de Romana cathedra impiè contendunt hæretici.

Postremò, cùm scriptura prophetica ipsis rerum prædictarum euentibus elucescere soleat, E si iam dudum venisset ille qui à prophetis prædictus est Antichristus, non lateret ecclesiam prophetias ad eum pertinentes iam esse completas, sicut id de Christo eiusque natiuitate, passione, resurrectione, deque gentium conuersione statim cognouit. Nullo igitur modo credibile est Antichristum iam dudum venisse.

Cæterùm quis futurus sit Antichristus, aut ex quo populo, qua tribu, quibus parētibus oriundus, post quot sæcula venturus, & vbi potissimùm regnaturus; multorum multæ sunt & incertæ coniecturæ. F Catholico satis esse debet, si, vt omnino verisimile est & plusquam probabile, nondum venit, credere eum ante iudicij diem venturum, impiorum caput futurum, ecclesiam omnium grauissimè persecuturum, signa & prodigia mendacia facturum, & spiritu Christi interficiendum, aliaque eiusmodi in eo complenda, quæ Paulus 2. Thess. 2. Daniel capit. 11. Ioannes in Apocal. 11. & sequentibus aliique prophetæ & Christus ipse prophetarum Dominus de eo prędixerunt.

Videre autem de his licet Origenem lib. 6. contra Celsum, Hieronymum super Dan. 7. 8. & 11. & quæst. 11. ad Algasiam, Augustinum lib. 20. de ciuit. capit. 19. & 23. & in expositione psalmi 9. Gregorium lib 15 moral. capit. 36. 38. & 39. & vltim. & lib. 31 capit. 18. & lib. 11. epist. 3. Alcuinum lib. 5. de trinit. cap. 19. & rursus in tomo 9. operum Augustini tract. de Antichristo, cuius authorem probabile est esse Rabanum archiepiscopum Moguntinum, tametsi in hoc tractatu sicut & apud Lactantium lib. 7. cap. 17. & 19. multa de Antichristo commemorantur, quæ nec authoritate scripturæ, nec certa traditione confirmari possint.

§. 8. *Romanum pontificem non esse Antichristum.*

HÆreticorum nostri sæculi ferè omnium impius & blasphemus error est, Romanum pontificem esse Antichristum, quod tamen ante Lutherum nullus hæreticorum palam ausus fuit dogmatizare. *Vide Bellar.* Nam quod Ioannes Wicleff artic. 31. inter eos qui in Constantiensi concilio damnati sunt, asserit excommunicationem papæ esse censuram Antichristi, non de illo eximio pseudochristo quem Daniel, Paulus & Ioannes venturum prædixerunt, intellexit, sed de eo vel ijs qui mala vita & doctrina viam præparant Antichristo, de quibus idem Ioannes 1. epist. 2. *Nunc Antichristi multi facti sunt.* Quod patet tum ex eo, quia non de solo papa loquitur sed etiam de alijs ecclesiæ prælatis (sic enim habet articulus: *Excommunicatio papæ vel cuiuscunque prælati non est timenda, quia est censura Antichristi*) tum ex articulo 19. Ioannis Hus qui fuit sectator Ioannis Wicleff & propugnator articulorum eius. Ibi enim dicit Hus quod *per censuras excommunicationis &c. clerus viam præparat Antichristo* Non ergo Romanum pontificem adhuc habebat pro Antichristo; licèt alioqui Romanæ ecclesię infestissimus hostis, quod articuli eius satis declarant. Eodem sensu locutos arbitror hæreticos illos de quibus Cæsarius lib. 5. dialog. capit. 22. *Dicebant*, inquit, *quod papa esset Antichristus & Roma Babylon*: Antichristum intelligentes Antichristi præcursorem. Nondum enim nata erat opinio, quam nostra ætate sectarij pepererunt, Antichristum non esse singularem hominem, sed in regno aut cathedra successionarium. Aut si ipsum Antichristum ab apostolis prænunciatum intellexerunt, non tamen illud dogma, vt nec cætera detestanda quæ ibidem Cæsarius refert in publicum produxerant. Erant enim obscuri quidam homines, qui & statim in ipsis suis initijs, priusquam in noticiam publicam eorum dogmata venirent, oppressi sunt.

Porrò nostri temporis hęretici licèt in suprà dicta impietate consentiant, variant tamen plurimum de tempore, quo primùm cœpit apparere Antichristus, & quis primus ille fuerit. Nam alij Gregorium primum, alij Bonifacium tertium, alij Gregorium septimum, alij alium atque alium diuersissimo tempore constituunt. Nec defuere qui Petrum apostolum suspectum redderent, vt ne quisquam Romanorum pontifi-

pontificum ab hoc nomine alienus esset. Sed eos omnes facilè est argumentorum euidentia refellere, quæ ex plurimis pauca hîc subijciemus.

Primum: Antichristus designatur nobis in scripturis vt vnus quispiam & singularis homo, quemadmodum suprà probatum est: Romani autem pontifices suut plures, alij alijs in eadem dignitate succedentes.

Secundum: Antichristus nondum venit, vt suprà probatum est: ergo hactenus nemo Romanorum pontificum fuit Antichristus

Tertium: Antichristus *tollet iuge sacrificium* iuxta vaticinium Danielis: At Romanus pontifex illud vel maximè statuit, ornat ac tuetur.

Quartum: Antichristus *aduersabitur & extolletur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita vt ostendat se tanquam sit Deus*, 2 Thess. 2. Atqui nemo Romanorum pontificum se pro Deo coli voluit, nemo se Christum dixit, aut illi parem se fecit aut superiorem; Quın potiùs omnes se Christi seruos ac vicarios Christo in omnibus subiectos, imò & seruorum eius seruos fatentur & scribunt.

Quintum: Antichristi aduentus erit *in omni virtute & signis & prodigijs mendacibus*, vt ibidem dicitur: Hoc autem de Romano pontifice nulla habet historia Nam veris quidem miraculis eorum nonnulli claruerunt, non ita tamen quin alij quidam sancti vt Nicolaus, Martinus, Bernardus, Dominicus, Franciscus multò magis claruerint; ideo fortasse, ne quoquo modo hæc calumnia de prodigijs mendacibus in Romano pontifice posset apud hæreticos aliquam verisimilitudinem habere. Et sanè si quem Romanorum pontificum ex miraculorum magnitudine & multitudine iudicandum putant esse Antichristum, in neminem id veriùs competet quàm ipsum Petrum apostolum qui Romanam sedem primus tenuit. Is enim omnium maximè claruit miraculis. Dicant ergo vt suas augeant blasphemias, Christum suæ ecclesiæ Antichristum præfecisse, eique pascendas suas oues commisisse.

Sextum: Antichristus tantùm regnabit tribus annis & dimidio iuxta Danielem & Ioannem in Apocalypsi & communem patrum interpretationem: Hoc autem in regnum pontificis Romani, quod fatentibus hæreticis iam sterit 1000. vel 800. vel 700. vel vt minimum 500. annis, nullo modo competit.

Septimum: Nomen Antichristi sub ænigmate à Ioanne prædictum Apoc. 13. nondum innotuit, nec vllis coniecturis id hæreticorum ingenia hactenus assequi potuerunt; ita præsertim vt in Romanum pontificem quadraret: Esset autem notum si Romanus pontifex iam à 500. vel pluribus annis esset Antichristus. Nam prophetiæ statim postquam fuerint impletæ, elucescunt, vt de Christo eiusque passione & morte &c. quemadmodum diximus suprà.

Octauum: Antichristi character de quo Ioannes ibidem quis sit, nondum innotuit, nec vllus ab hæreticis designari potest character de quo verum sit, quod sine eo nemo permittatur emere aut vendere, quandoquidem etiam in vrbe Romana Iudæi publicè emunt & vendunt, nullum habentes signum eiusmodi quale Ioannes describit.

Nonum: Antichristus præcipuè venturus est propter Iudæos à quibus tanquam Messias recipietur, ideoque & ex gente Iudæorum oriundus, & circumcidendus, & sabbathum obseruaturus. Neque enim Iudæi pro Messia reciperent nisi hominem Iudæum & circumcisum. Atque hæc præterea probantur ex Ioan. 5. & 2. Thess. 2. & eorum locorum interpretibus. Item ex Hieronymo q. 11. ad Algasiam, & super cap. 11. Dan. Beda super Ioan. 5. Augustino serm. 1. de pasch. qui est 136. de tempore, Irenæo lib. 5. Cyrillo Hierosolymitano catech. 15. Hilario can. 25. in Matth. Ambrosio in cap. 21. Luc. Sulpicio lib. 2. dial. verbis sancti Martini, Gregorio lib. 29. moral. cap. 17. & lib. 31. cap. 10. & lib. 11. ep. 3. & Damasceno lib. 4. cap. 28. Constat autem iam à multis sæculis nullum Romanum pontificem fuisse Iudæum genere, neminem autem prorsus Iudaicam religionem coluisse, neminem quoque eorum à Iudæis pro Messia fuisse susceptum, sed magis habitum pro communi hoste tanquam omnium Christianorum quos illi summè oderunt, antistite.

Decimum: Antichristus secundum apostolum 2. Thess 2. *sedebit in templo Dei*, quod secundum communem expositionem patrum erit templum Hierosolymitanum, nam ecclesias Christianorum nec apostoli, nec antiquiores patres soliti fuerunt templa vocare, sed eo nomine solummodo vocabantur templum veri Dei quod fuerat Hierosolymis & templa falsorum Deorum apud gentiles. Atque in illo Dei templo nullus vnquam Romanorum pontificum sedisse legitur.

Vndecimum: Si papa est Antichristus, ergo Christus ecclesiam decepit quando dixit Petro: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*: ergo antichristo commisit ecclesiam, id est, Inpo oues, quando dixit Petro *Pasce oues meas*: ergo non fuit exauditus à patre in eo quod ait: *Ego pro te rogaui Petre vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, non enim ad solius Petri personam illæ scripturæ referendæ sunt, ne tantùm ad breuissimum tempus ecclesiæ suæ prospexisse Christum fateri cogamur, sed ad eius in perpetuum successores. Vnde quæcunque statuunt primatum Petri & successorum eius, & fidei eius indefectibilitatem, ostendunt Romanum pontificem non esse Antichristum.

Duodecimum: Si papa est Antichristus; ergo tota ecclesia iam per annos 1000. scilicet à tempore Gregorij primi, vel vt minimum per annos 500. id est, à tempore Gregorij septimi fœdissimo in errore fuit, quæ nimirum illum habuerit ac venerata fuerit pro suo capite & Christi vicario omium eius pastore, qui esset maximus hostis Christi & ecclesiæ. Quem errorem nec in vllo temporali regno tam diuturnum vlla prodit historia; quantò magis in spirituali regno Christi tam horrendum errorem admittere nefas est.

Postremum: Nemo designari potest ex omnibus Romaııs episcopis qui doctrinam nouam & antecessorum suorum doctrinæ repugnantem introduxerit in ecclesiam, aut saltem ecclesiæ tenendam proposuerit, aut denique de ea re facta vel tentata à doctoribus & pastoribus ecclesiæ reprehensus fuerit; Quod tamen in cathedra Constantinopolitana & Alexandrina & alijs sæpius factum legimus. Nullus ergo pontificum qui hactenus in Romana cathedra sederunt, fuit Antichristus, quandoquidem certissima est Antichristi nota etiam à Daniele præsignificata, quod doctrinam & instituta maiorum sit mutaturus.

His adde quòd nec ipsi Græci qui iam per aliquot sæcula pertinaci schismate ab ecclesia Romana diuisi, hostili eam odio persequuntur, in tantam

contumeliam erupisse leguntur, vt Romanum pontificem vocarent Antichristum. A

Quàm verò fuerint ab ea blasphemia alieni omnes ecclesiæ patres, facilè probant epitheta præclarissima quibus iam olim pontificem Romanum cohonestarunt, vocantes eum totius ecclesiæ caput, præfectum, principem, pastorem, doctorem, petram, fundamentum, basim, columnam, episcopum episcoporum, patrem patrum, summum patriarcham, Christi vicarium, sanctissimum, beatissimum &c. Quin sanctus Hieronymus ex eo statuit aliquē ad partes Antichristi pertinere, si in doctrina à Romano pontifice dissentiat. Sic enim in epistula ad Damasū Romanum episcopū, quæ incipit, *Quoniam vetusto: Quicunque,* inquit, *secum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Et Bernardus qui vixit intra postremos 500. annos lib. 2. de cons. ad Eugenium papam cap. 8. his eum titulis ornat: *Quis es,* inquit: *Sacerdos magnus, summus pontifex, tu princeps episcoporum, tu hæres apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus &c.* ecce Romanum pontificem post alias egregias nomenclaturas Christum vocat vir sanctissimus, idemque doctissimus, tantùm abest vt eum Antichristum suspicatus fuerit. Et hæc in eo libro in quo Romanæ curiæ vicia & abusus neque dissimulauit, neque tacuit sed acerrimè reprehendit. Quod autem hæretici Christi vicarium Antichristum vocant, non adeo mirandum, quando Christus ipse audiuit: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes* Ioan. 8. & discipulos suos præmonuit Matth. 10. dicens: *Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius.* Vnde satis intelligit animus verè Christianus & Catholicus, ex quo spiritu istæ hæreticorum blasphemiæ & maledicta procedant.

§. 9. Refelluntur argumenta hæreticorum.

Vide controuers. Bellarm.

Quæ ab hæreticis adferuntur vt papam Antichristum probent, omnia ferè non tam argumenta sunt, quàm mendacia, calumniæ & blasphemiæ. Quibus proinde omissis, tria quatuorue quæ aliquam probabilitatis speciem habere videntur, refellemus.

¹ Primum est quod petunt ex cap. 17. Apocalypsis, vbi *meretrix illa magna,* id est, *Babylon* dicitur esse sedes Antichristi. Hanc autem Romam esse volunt, quia ibidem dicitur quod *habeat capita septem,* quæ angelus interpretatur esse septem montes. Tot enim montes seu colles habet vrbs Romana, propter eam causam olim dicta septicollis; Idque ita esse tum ex historijs, tum hodierna adhuc experientia notum est. Vnde Tertullianus lib. contra Iudæos cap. 9. & lib. 3. contra Marcioné cap. 13. *Babylon,* inquit, *etiam apud Ioannem nostrum Romanæ vrbis figura est, &c.* & Hieronymus in epistola ad Paulinianum præfixa libro Didymi de spiritusancto, ita scribit Romam significans: *Cùm adhuc in Babylone versarer & purpuratæ meretricis essem colonus &c.* Idem in epistola ad Marcellam, & Orosius lib. 7. suæ historiæ cap. 2. & Aretas Cæsariensis super Apoc. 17. Babylonem Romam interpretati sunt: imò & Petrus apostolus dicens in fine primæ epistolæ, *Salutat vos ecclesia quæ est in Babylone coelecta,* Babylonis nomine Romam designauit, vtpote eam epistolam scribens ex vrbe Romana. Si igitur Roma Babylon est, & Babylon sedes Antichristi, consequens esse volunt Romam esse sedem Antichristi, & proinde Romanum pontificem esse Antichristum, quandoquidem nemo alius Romanam sedem tenet quàm pontifex Romanus. Respondetur quamuis per Babylonem apud Ioannem multi non Romam intelligant sed regnum & ciuitatem diaboli, quæ sic in scripturis sæpè vocatur Babylon, quomodo regnū & ciuitas Dei id est ecclesia, vocatur Ierusalem, quomodo & locū Apocalypsis interpretati sunt Areta, Beda, Rupertus, Haymo in suis commentarijs, & ante hos Augustinus super psal. 26. rectè tamen secundùm alios Romam intelligi, non quidem Romam Christianam qualis fuit à tempore imperij Constantini vsque in præsentem diem, sed Romam ethnicam, qualis erat tempore apostolorum & deinceps vsque ad Constantinum; quando nimirum immūdicijs & abominationibus idolorum summopere dedita & (vt Leo ait serm. 1. in natali Petri & Pauli) *licet omnibus penè dominaretur gentibus omnium tamen gentium seruiens erroribus,* ecclesiam Christi per principes suos adhuc ethnicos & idololatras grauissimis persecutionibus afflixit, & martyrum Christi sanguinem copiosissimè fudit. Quod enim de ea tali loquatur Ioannes in Apocalypsi, patet, quia mulierem quę ciuitaté illam magnam significat *matrem* appellat *fornicationum, abominationum terræ* id est totius idololatriæ, seque dicit eam vidisse *ebriam de sanguine sanctorū & de sanguine martyrum Iesu, & habentem regnum super reges terræ.* Quod autem Tertullianus de ea loquatur, non minùs clarum est ex vtroque loco allegato. Cùm enim dixisset Babylonem figuram esse vrbis Romanæ adiecit, *proinde & magna, & regno superba, & sanctorum Dei debellatricis;* videlicet ad verba Ioannis modò dicta alludens, & Romam qualis suo adhuc tempore erat, velut digito demonstrans. Nam de Romana ecclesia sic ait lib. de præscrip. hær. *Felix ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Hieronymi quoque verba ad Romam ethnicam pertinere, non dubium est, hoc sensu: *Cùm in ea ciuitate versarer quæ aliquando fuit Babylon & meretrix illa purpurata, quam Ioannes in Apocalypsi describit.* Huncenim sensum ipse indicat in fine libri 2. contra Iouin. dum ita Romam alloquitur: *Ad te loquar quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti.* Quæ verba sint etiam pro responsione ad ad id quod Ruffinus lib. 2. inuectiuæ obiecit Hieronymo de verbis suprapositis ex præfatione in librum de spiritusancto: *Ex qua.* inquit, *videatis, quomodo de vrbe Roma, Deo fauente, capite Christianorum ea dicat quæ dicebantur tunc, cum gentiles in ea populi & persecutores principes morabantur.* Sic ille contra Hieronymum, non intelligens modum loquendi quo res sæpe vocantur ijs nominibus & titulis quos olim habuerunt, licèt eos postea cum rebus mutauerint, ac nihilominus apertè significans pro quo tempore & statu Roma potuerit Babylon & purpurata meretrix appellari. Quam rem pulchrè exponit Rupertus lib. 8. de glorificatione Trinit. cap. 5. dicens eam quæ aliquando fuerat Babylon, factam esse Ierusalem, filiam supernæ Ierusalem & nouam Sion &c. Quod si omnino contendat hæreticus Hieronymum de suo tempore loqui, & nomine Babylonis Romam Christianam intellexisse, sequetur iam tum Hieronymi tempore ante annos 1200 Romanam ecclesiam degenerasse, & in ea Antichristum sedisse, quod nec ipsi sectarij concedunt. Eadem porrò de cæteris authoribus responsio est. Nam Petrum apostolum intellexisse Ro-

mam ethnicam, dubitari non poteſt, quandoquidem nondum erat tunc Chriſtiana licèt in ea quædam eſſet Chriſtianorum eccleſia.

Secundum argumentum ſumunt ex Antichriſti nomine quod Ioannes ſub ænigmate ſignificans dicit in eo contineri numerum 666 Hic autem numerus adæquatè reperitur in vocabulo *Latinus* ſi Græcè ſcribatur, vt obſeruatum eſt ab Irenæo lib. 5. contra hæreſ. Cùm ergo Latinus idem ſit quod Romanus, hinc conſequens eſſe volunt Romanum pontificem qui Latinæ eccleſiæ præſidet, eſſe Antichriſtum. Sed hoc argumentum planè friuolum eſt. Primò, quia nullius Romani pontificis nomen fuit Latinus, licèt vnus omnino extiterit qui Romanus vocaretur. Loquitur autem Ioannes non de communi ſeu appellatiuo alquo nomine cuiuſmodi facilè eſt in vtramque partem cuiuis ingenioſo excogitare, ſed de proprio. Secundò, quia nec apud Græcos nomen illud d ſignatum numerum reddit, niſi addatur mediæ ſyllabæ litera E, idque contra quàm à Græcis ſcribi ſolet. Tertiò, quia Irenæus ex eo tãtùm ſumpſit coniecturam huius nominis, quia cùm Antichriſtus ſit futurus rex potẽtiſſimus, putauit eum occupaturum regnũ Latinorum quod Irenæi tempore erat maximum. Quæ cõiectura hodie nulla eſt, cùm regnum illud nunc ſit perexiguum ac nomen regni pene ſit extinctum. Quartò, quia nec ipſi Irenæo ſua coniectura de illo nomine per omnia probatur. Addit enim multò probabilius eſſe, quod nomen Antichriſti erit *Titan* quod ſolem ſignificat & Græcè ſcriptum exactè reddit numerum à Ioanne poſitum. Hoc autem nomen nulli Romanorum pontificum legitur attributum. Proferuntur & aliæ ab alijs coniecturæ de nomine Antichriſti, ſed prorſus incertæ, vt conſultiſſimum ſit hac in re etiam catholicis ignorantiam ſuam confiteri, quia nec Irenæus inter ſuas coniecturas quicquam affirmanter poſuit; quin imò certius eſſe dicit & tutiùs expectare adimpletionem prophetiæ, quàm ſuſpicari & diuinare nomina quælibet, quando multa nomina inueniri poſſint habentia prædictum numerum: *Et ſi, inquit, oporteret manifeſtè præ'ènti tempore præconari nomen eius, per ipſum vtique edictum fuiſſet, qui & Apocalypſim viderat.* Sic ille. Quamquam nec hoc certum eſt, an ipſi Ioanni fuerit hoc nomen reuelatum. Quò minùs nos oportet in eo quærendo ante tempus curioſè laborare

Tertium argumentum petunt ex Dan. 11. vbi loco eius quod in noſtra verſione de Antichriſto prædicitur: *Et Deum patrum ſuorum non reputabit, & erit in concupiſcentijs fœminarum*, in Hebræo legitur: *Et ſuper Deum patrum ſuorum non intelliget, & ſuper concupiſcentiam mulierum.* Vbi ſecundo loco repeti volunt, *non intelliget*, præſertim cùm iterum ſequatur, *& ſuper omnem Deum non intelliget.* Itaque ſignificari dicunt prorſus contrarium ei quod noſtra verſio habet, nempe quod amorem mulierum non curabit. Hoc enim phraſi Hebræa eſt non intelligere ſuper aliquem, vt patet ex hoc eodem loco, quemadmodum & contrà, intelligere ſuper aliquem eſt curare eum & ſollicitudinem eius gerere vt in pſal. *Beatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Et hanc lectionem confirmant ex interpretatione 70. apud quos omnino ſimiliter vt in Hebræo legitur. Igitur hîc deſignari volunt eam Antichriſti notam, quòd miniſtris ſuis cælibatum indicet & coniugia prohibebit. Hoc autem quadrare dicunt in pontificem Romanum qui legem cælibatus ſacerdotibus & monachis impoſuit & à coniugijs eos penitus arcet. Sed reſpõdemus neque

A Romanum pontificem neq; eccleſiam cuiquã indicere cęlibatum, aut ſimpliciter ne matrimoniũ contrahat, prohibere, ſed tantũ hortari ad perpetuam continentiam eiuſque votum, nec ad ſacerdotium admittere quemquam qui continentiã ſponte non vouerit. Cæterũ ab ijs qui vouerũt, ne dãnationem incurrant, exigere vt vota ſua reddant Domino, idque iuxta legem diuinam & naturalem. Atque hæc in eccleſia facta fuiſſe iam inde ab apoſtolorum temporibus, facilè probari poteſt. Quod autem ad verba Danielis attinet, quamuis ſententiam habeant imperfectam, quæ proinde in contrarios

B ſenſus accipi poſſit, rectiùs tamen videtur vertiſſe Hieronymus affirmatiuè ſupplendo ſententiam hoc modo: *& erit in concupiſcentijs fœminarum.* Cuius ratio ex re ſubiecta ſumitur. Ad literam enim locus ille de Antiocho intelligẽdus eſt, quem tradunt hiſtoriæ amoribus mulierum ſupra omnem modum & vſque ad extremum dedecus & impudentiam deditum fuiſſe quod & Hieronymus refert in commentario. De Antichriſto verò cuius typum geſſit Antiochus, nullo modo credibile eſt quòd celibatum à ſuis ſit exacturus, quandoquidem Iudæi quorum ille futurus eſt Meſſias, omnium bonorum temporalium affluentiam & in his etiam

C vxorum multitudinem ab eo ſint exſpectaturi. Quos ille fortaſſis exemplo ſuo ad eam vitæ carnalis libertatem vocabit, vt in ipſius etiam perſonam cadat quod dictum eſt: *Et erit in concupiſcentijs fœminarum.* Adde quod non ſit veriſimile aliquid per ſe laudabile, cuiuſmodi eſt non eſſe in concupiſcentijs fœminarum, de Antichriſto homine peccati à propheta prædictum fuiſſe. Si cui tamen placet ſenſus negatiuus, dicere poterit hoc ſignificari, quòd Antichriſtus muliebres delicias contemnet, ſeu potiùs contemnere ſe finget, quò plures ea ſi-

D mulata ſanctitate ad ſe pertrahat. Quod quidem non eſt cur iterum aduerſus Romanum pontificem torqueatur, cùm ipſe & tota eccleſia à Chriſto & apoſtolis edocta non ſimulatam ſed veram mentis & corporis caſtitatem vbique prædicent & commendent.

Quartum argumentum deſumptum eſt ex Gregorio, quem dicunt velut propheticè ſcripſiſſe, quòd ille erit Antichriſtus qui ſibi ſumpſerit titulum vniuerſalis epiſcopi. Quod cùm poſt Gregorij mortem fecerit Bonifacius tertius eo titulo à

E Phoca imperatore impetrato, planè conſequens eſſe contendũnt ex ipſius Gregorij Romani pontificis vaticinio Romanum pontificem eſſe Antichriſtum. Et quidem de nomine vniuerſalis epiſcopi complures extant Gregorij epiſtolæ, vt lib. 4 epiſt. 32. & aliquot ſequentes, & lib 7. epiſt. 30. ex quibus ſentẽtias præcipuas Ioannes Diaconus inſeruit vitæ eius lib. 3. cap. 51. & ſequentibus. In quibus epiſtolis inculcat nomen illud eſſe profanum, ſuperbum, ſacrilegum, diabolicum, nomen blaſphemiæ & Antichriſti prænuncium. Vnde in epiſt. 38. lib. 4. quæ eſt ad Ioannem Conſtantinopolitanum

F patriarcham de hoc nomine agens ita exclamat: *Rex ſuperbiæ prope eſt* (Antichriſtum ſignificans) *& & quod dici quoque nefas eſt, ſacerdotum ei præparatur exercitus.* Sed ad hæc reſpondetur, titulum vniuerſalis epiſcopi nunquam nec à Bonifacio tertio nec à quoquam præcedentium aut ſubſequentium Romanorum pontificum fuiſſe vſurpatum, tametſi titulum illum Leoni primo ſynodus Chalcedonenſis iam antè obtuliſſet, vt idem Gregorius teſtatur non vno loco; vſurpatum autem fuiſſe tempore Gregorij & prædeceſſoris eius Pelagij à Ioanne patriarcha

Conſtan-

Constantinopolitano ac deinceps ab eius successoribus vsque in hodiernum diem. Contra quorum intolerandam superbiam in suis epistolis agit Gregorius. Nec verò aliud à Phoca imperatore impetrauit Bonifacius tertius quàm vt cathedræ Romanæ primatum, qui ei iure diuino competebat, imperiali potestate tueretur, contra præsumptionem episcopi Constantinopolitani qui se palam in suis literis vniuersalem episcopum scribebat. Quamquam quod ad nomen vniuersalis episcopi attinet, si illud nullo modo competeret Romano pontifici, non id patres synodi Chalcedonensis ipso Gregorio testante, Leoni papæ obtulissent. Verè ergo est vniuersalis episcopus Romanus pontifex, si ille dicatur episcopus vniuersalis qui generalem totius ecclesiæ curam gerit. At si vniuersalem episcopum intelligas, qui solus omnium prouinciarum & ciuitatum episcopus est, sic vt alij non episcopi sint, sed vnius episcopi seu pōtificis vicarij, eo sensu planè negādum est Romanum pontificem esse episcopum vniuersalem. Et quia in hūc sensum facilè potest illa appellatio accipi, & eò tendere videbatur ambitio patriarchæ Constantinopolitani, vt sicut imperator Constantinopolitanus solus tenebat imperium, ita ipse solus & vniuersaliter obtineret episcopatum cæteros episcopos tantùm vt vicarios suos habiturus, ideo meritò titulus ille simpliciter à Gregorio tanta verborum vehementia fuit damnatus. Neque tamen Gregorius affirmat quod aduersarij volunt, eum qui superbum illud nomen vsurpauerit, Antichristum esse, sed Antichristi præcursorem, quæ duo multum sunt diuersa. Nam ipse Antichristus non se vniuersalem episcopum nominabit, sed quod est multò amplius, extollet se super omne numen verum vel putaticium, & pro Deo se colendum exhibebit, Paulo teste. Sanè Gregorij verba multò probabilius accommodauerit quispiam ad patriarcham Constantinopolitanum tanquam Antichristum, vt qui se vsque hodie scribit œcumenicū, id est, vniuersalem patriarcham, quàm ad Romanum pontificem, qui nomen illud nec vsurpauit vnquam, & ne quidem oblatum ab vniuersali synodo admisit.

§. 10. *De aduentu & prædicatione Eliæ & Enoch.*

Vide S. Thom. 1 p. q. 102 ar. 2. ad 3. & 3. p. q. 49 art. 5. ad 2.

VEtus ecclesiæ traditio est, Eliam & Enoch ante diem extremi iudicij venturos tanquam secundi aduentus Christi præcursores ac nuncios, qui sua prædicatione Antichristo resistant, & Iudaicum populum ad Christi fidem conuertant, ab Antichristo denique interficiendi. Eam traditionem imprimis probabilem faciunt scripturæ quæ testantur duos illos prophetas raptos seu translatos fuisse extra hominum consortium idque sine morte, vt Gen 5. 4. Reg. 2. & Reg. Ecclesiastici 44. 48. 49. 1. Machab. 2. & Heb. 11. Ex quo apparet eos aliquando diuina dispositione huc reuersuros ad opus sibi diuinitus iniungendum, ac tandem communi mortalium lege mortem obituros, quandoquidem nec ipse Dei filius ab ea lege voluit esse immunis.

Verùm certiùs multò id probant testimonia scripturæ quæ reditum & aduentum eorum diserte significant, quorum primum est Malach. 4. *Ecce*, inquit Dominus, *Ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam & percutiam terram anathemate.* Quam prophetiam accipiendam esse de Elia Thesbite antecessuro secundum Christi aduentum, non autem vt quidam volunt, de beato Ioanne baptista qui præcurrit primum Christi aduentum, variè probatur. Primò, quia de aduentu Ioannis iam suprà initio cap 3 ab eodem propheta peculiariter actum fuerat, vt non sit verisimile idem obscurius & sub alieno nomine hic fuisse repetitum. Secundò, quia septuaginta interpretes verterunt, *Eliam Thesbiten*, quasi dicant ipsum Eliam in persona, & non in similitudine tantùm. Tertiò, quia dicitur: *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*, quæ solet esse periphrasis magni iudicij & secundi aduentus Christi. Quartò, quia dicitur, *ne fortè veniam & percutiam terram anathemate*; Quod ipsum quoque non de primo sed secundo Christi aduentu, deque iudicio extremo videtur omnino accipiendum. Nam Christus primo aduentu non venit vt iudicet mundum & hoc Chrysostomi argumentum est.

Secundum scripturæ testimonium est Eccl. 44. *Enoch placuit Deo & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.*

Tertium Ecclesiastici 48. ad Eliam loquētis: *Qui inscriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Quæ verba cùm admodum aperta sint, satis etiam conuincunt vaticinium Malachiæ supradictum, ad quod Ecclesiasticus sine dubio respexit, de persona Eliæ intelligi debere.

Quartum, Matth. 17. *Elias quidem venturus est & restituet omnia*, & Marc 9. *Elias cum venerit primò restituet omnia, & quomodo scriptum est in filium hominis vt multa patiatur & contemnatur.*

Quintum Apoc. 11. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus 1260. amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ &c.* & infrà: *Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersum eos bellum & vincet illos & occidet eos*, & alia quæ sequuntur de resurrectione eorum post triduum & in cælum ascensione, etiam ante vltimum iudicij diem, inimicis eorum qui in terra erunt, videntibus & timentibus; tametsi eo loco nomina duorum testium non exprimantur, sed tamen alterum futurum Eliam, satis probare videntur illa verba: *Hi habent potestatem claudendi cælum ne pluat diebus prophetiæ ipsorum.* Hoc enim constat Eliam fecisse.

Sed iam Patrum aliquot loca annumeremus, quò perspicuum fiat hanc de aduentu Eliæ & Enoch traditionem communiter à patribus fuisse receptam & creditam, & verè dictum esse saltem de Elia ab Augustino lib. 20. de ciuit. cap. penult. *Per hunc Eliam magnum mirabilemque prophetam, exposita sibi lege, vltimo tempore ante iudicium, Iudæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusque*, vel vt alij legunt, *cordibusque fidelium.* Senserunt igitur hoc modo patres Græci, Hypolytus lib. de Antichristo & extremo iudicio, Origenes in cap. 17. Matth. Gregorius Nyssenus lib contra Iudæos tit. de aduentu Heliæ, Chrysostomus homil. 58. in Matth. 17. & hom. 4. in secundam ad Thess. Quem sequuntur Theophylactus & Euthymius in 11. & 17. Matth. & Luc. 1. & Arethas in 11. Apoc. Item Damascenus lib. 4. cap. 27. vel 28. & Theodoretus super Malach vlt. & apud Gregorium Nazian. Cæsarius frater eius dial. 3. Latini verò, Victorinus super Apoc. 11. Lactantius lib. 7 cap. 17. Hilarius

can. 20. in Matth. 17. Ambrosius in psal. 45. lib. 1. de virgin. lib. 1. de pœnitentia cap. 7. & eius titulo commentator in 1. Cor. 4. & alius in Apoc. 11. Hieronymus in Matth. 17. & psal. 20. Augustinus præter locum iam dictum lib. 9. de gen. cap. 6. tract. 4. in Ioan. lib. 1. quæst. euang. 21. libro octoginta trium quæstionum q. 58. & apud eum author libri 1. de mirabilibus S. scripturæ cap. 3. & author commentarij in Apoc. 11. Prosper lib. postremo de promissionibus cap. 13. & sequentibus, Primasius, super Apoc. 11. Gregorius lib. 9. moral. cap. 4. lib. 14. cap. 11. & lib. 15. cap. 5. hom. 7. & 29. super euang. & hom. 12. in Ezech. Beda in Marc. 9. & Apoc. 11. & in lib. de ratione temporum cap. 67. & hom. in festo Innocentium, Rabanus in tract. de Antichristo, Richardus Victorinus super Apoc. 11. & Alcuinus lib. 3. de trinit. cap. 19. Ex quibus patribus duo sunt qui videntur hanc rem ita asserere, quasi ad fidem pertineat. Nam Aretas dicit inuariabiliter à tota ecclesia credi, quòd Enoch & Elias venturi sint, vt Antichristo se opponant. Et Alcuinus dicit, fidem Christianorum hoc tenere, quòd ijdem ambo venturi sint ante diem iudicij. Quamquam vtrùm isti de certa & propriè dicta fide loquantur, an verò de probabili tantùm dubitari potest, vt & illud num eorum tanta sit authoritas vt propter hanc eorum assertionem res ista tanquam fidei sit retinenda; præsertim cùm antiquiores ac præcipui ecclesiæ patres non inueniantur hanc rem licèt ex scripturis plusquam probabilem tanta assertionis vehementia tradidisse; & plerique eorum tantummodo Eliæ meminerint. Nam de Enoch hi soli loquuntur ex authoribus supracitatis, Hypolytus, Augustinus, Gregorius papa, Damascenus, Alcuinus, Beda, Richardus, Aretas. Et præterea tres innominati authores, videlicet apud Ambrosium author commentarij in Paulum & author commentarij in Apoc. & apud Augustinum author operis de mirabilibus sacræ scripturæ. Licet autem superioribus adijcere eos qui etsi de reditu Eliæ & Enoch non disertè loquantur, viuere tamen adhuc illos affirmant. Hi sunt Irenæus lib. 5. Tertullianus lib. de anima & lib. contra Iudæos cap. 1. Epiphanius hæres. 79. & in Ancorato, Hieronymus in epistola ad Pammachium contra errores Ioannis Ierosolymitani, Augustinus de peccato originali cap. 23. Theophylactus in Matth. 17. & alij adeo vt à nemine patrum legatur scriptum Eliam & Enoch iam mortuos esse. Quę res magno argumento est quemadmodum initio annotauimus, duos illos prophetas ad hoc ita mirabiliter in mortali corpore viuos à Deo conseruari, vt aliquando ad homines redeant, Dei voluntatem hominibus annuncient, Antichristo resistant, pro veritate denique mortem oppetant.

Huius etiam rei conuenientiam quidam declarant hoc modo: Sicut enim contra Pharaonem & magos eius olim à Deo missi fuerunt Moyses & Aaron, & sicut contra Neronem & magum eius Simonem destinati à Deo fuerunt Petrus & Paulus, ita congruit & futurum credibile est vt contra Antichristum & pseudoprophetam eius mittantur duo insignes veritatis præcones, per quos & fideles in fide confirmentur, & qui seducti fuerint, ab errore reuocentur.

Non est hoc loco prætermittenda quorumdam opinio, qui duobus his prophetis tertium adiungunt Ioannem apostolum, ea ratione quòd sicut contra Antichristum mittetur vnus ex ijs qui fuerunt ante legem, & alter ex ijs qui fuerunt tempore legis, ita & tertius mitti debeat ex ijs qui fuerunt tempore gratię, vt sic *in ore trium testium stet omne verbum*. Quod autem tertius ille sit Ioannes apostolus, ex eo probabile fieri volunt, quòd olim vulgata quædam fuit opinio Ioannem non esse mortuum sed adhuc viuere, iuxta illud Ioan. vlt. *Si eum volo manere quid ad te?* Vnde & *exijt sermo inter fratres quod discipulus ille non moritur*; & addi potest pro argumento, quod Ioanni sicut Iacobo dictum fuit: *Calicem quidem meum bibetis*, quod de calice passionis & mortis pro Christo subeundæ dictum nōdum est in Ioanne completum, & proinde expectari adhuc debet complendum, ne fallax in sua prædictione veritas inueniatur.

Meminit huius opinionis Theophylactus super Ioan. vlt. sed ita vt ei non accedat. Idque profectò rectiùs ac longè probabiliùs, quia opinio illa de Ioanne adhuc viuente nata fuit ex verbis Domini à fratribus, id est, fidelibus perperam intellectis, quemadmodum Ioannes ipse ibidem satis apertè significat dicens: *Et non dixit Iesus &c.* & latè declarat Augustinus tract. vlt. super Ioan. Sed & contra eam ita loquitur Tertullianus lib. de anima: *Translatus est Enoch & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet: cæterùm morituri asseruantur, vt Antichristum suo extinguant sanguine. Obijt & Ioannes, quem in aduentu Domini remansurum frustrà spes erat.* Sic ille. Post quem plærique alij, vt Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum & in Matth. 20. Augustinus loco iam dicto, Epiphanius hæres. 79. Eusebius lib. 3. hist. eccles. cap. 25. Beda præfatione in euang. Ioan. & super cap. vlt. testantur Ioannem mortis dormitionem accepisse. Quod & probatur ex officio diuino, in quo ecclesia Ioannem cum cæteris sanctis in cælo cum Christo regnantibus inuocat tanquam iam beatum, & clara Dei visione fruentem. Denique si Ioannes tertius testis contra Antichristum venturus esset, non ipse in Apoc. 11. tantùm de duobus scripsisset, & quidem numerum ipsum peculiariter exprimens, cùm ait: *Dabo duobus testibus meis*, & iterum: *Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*; & iterum: *Quoniam hi duo prophetæ cruciauerunt eos qui habitabant super terram.* Satis igitur ex his patet non tres sed duos futuros esse qui stent contra Antichristum, vt *in ore duorum testium stet omne verbum*.

§. 11. *Respondetur ad obiectiones de Enoch & Elia.*

Aduentum Eliæ & Enoch oppugnant quidam his argumentis.

Primò, quia Christus Matth. 11. Malachiæ locum interpretatur de Ioanne baptista, cùm de eo dicit: *Ipse est Elias qui venturus est.*

Secundò, Matth. 17. de eodem Ioanne dicit, *quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt.* Nam quod præcedit: *Elias quidem venturus est*, sic videtur intelligendum: Verè prædictum fuit Eliam venturum, iamque ea prophetia impleta est, *quia Elias iam venit &c.* sicut illud discipulorum Ioannis ad Christum: *Tu es qui venturus es*, cùm tamen ipse iam aduenisset, sicut & illud modò citatum de Ioanne: *Ipse est Elias qui venturus est*, qui tamen Ioannes iam venerat.

Tertiò, Luc. 1. Ioanni ab angelo tribuuntur verba quę de Elia dicuntur à Malachia, hæc nimirum *vt conuertat corda patrum in filios*. Vnde & dicit

cum venturum *in spiritu & virtute Eliæ*, quasi dicat Ioannem fore Eliam à propheta promissum, & ea facturum quæ ibi dicuntur, atque ideo Eliam à propheta vocari quod venturus sit in spiritu & virtute Eliæ.

Quartò, Hieronymus super Malach. 4. Eliam modò interpretatur omnem prophetarũ chorum, qui conuertat cor patrum ad filios, vt credant posteri in saluatorem, in quem & illi crediderunt &c. modò Ioannem iuxta testimonium ipsius saluatoris Marc. 9. non autem Eliam in persona quod Iudaicum esse dicit & ad opinionem Iudaizantium hæreticorum refert. Simile quid habet super 3. cap. eiusdem prophetę: sed & in commentario Matth. 11. ita commemorat eam opinionem de aduentu Elię ante secundum Christi aduentum, vt tamen non approbet. Idem in epistola ad Marcellã numero 148. quę incipit: *Magnis nosprouocas quæstionibus*, dicit aduentum Enoch & Elię spiritualiter esse intelligendum, vt & cętera omnia quę in illo libro habentur. Haymo quoque Hieronymum secutus locum Malachię de Ioanne interpretatur, Remigius autem chorum apostolorum interpretatur. Et quamquam fateatur multos nostrorum intelligere de Elia ad literam, ipse tamen dicit se sęcutum doctores, & Christi testimonio Matth. 17. diuersam sententiam refellit.

Quintò, Locum Apoc. 11. alij aliter intellexerunt. Nam Victorinus duos testes interpretatur Eliam & Ieremiam. Sunt qui intelligant Eliam & Moysen vt Ioãnes Gagneus. Quod probant ex illis verbis: *Hi habent potestatem claudendi cælum ne pluat in diebus prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint.* Quorum prius in Heliam competit: posterius in Moysen: neutrum in Enoch, qui non legitur vllum miraculum fecisse.

Probatur item ex eo quia in Moyse lex, & in Elia prophetæ significantur, quorum scilicet legis & prophetarum testimonio conuincendi sunt Iudæi, vt verum Messiam recipiant. Vnde & in monte duo illi cum Christo apparuerunt. Et his argumentis mouentur Iansenius & Franciscus Lucas super Matth. 17. vt magis de Moyse quàm de Enoch venturo suspicentur.

Rupertus per duos testes intelligit duos ordines testium, alios tempore pacis ecclesiæ, qualis fuit Enoch: alios tempore persecutionis, qualis Elias. Alij verò vt Primasius & Beda duos testes interpretantur vniuersitatem testium, id est prædicatorum verbi Dei, idque propter duo testamenta in quibus pręedicatio veritatis nunquam cessat. Quæ cùm ita sint, non videtur solidè ex Apocalypsi statui aduentus Enoch & Eliæ.

Verùm ad hæc respondemus, & quidem ad primum, verba Domini: *Ipse est Elias qui venturus est*, hunc habere sensum: Ioannes est Elias ille promissus per Malachiam, non quidem ad literam, sed secundùm allegoriam, propter magnam similitudinem & proportionem quæ est inter vtrumque. Quæ similitudo consistit in vitæ austeritate, prædicatione pœnitentiæ, & libertate reprehendendi vicia hominum. Proportio verò in eo quod sicut Elias præcurret secundum Christi aduentum, ita Ioannes iam præcucurrit primum. Ad significandum improprium sensum præmisit Dominus illud: *Si vultis recipere*, & subiungit: *Qui habet aures audiendi audiat*. Hac enim admonitiuncula ferè dum aliquid obscurum & ænigmaticum dicit, vti solet. Ex quibus etiam ad secundum patet responsio.

Quod autem ibidem dicitur: *Elias quidem venturus est*, ad verum Eliam pertinere videtur propter illud quod sequitur: *& restituet omnia*. Neque enim Ioannes restituet omnia. Intelligitur autem restitutio populi Iudaici ad religionem patrum iuxta prophetiam Malach. secundum interpretationem 70.

Ad tertium, Propter dictam similitudinem inter Ioannem & Eliam, ea quæ apud Malach. de Elia dicuntur, ad Ioannem ab angelo transferuntur, non omnia tamen sed paucula verba Vnde nec dicit puerum nasciturum fore Eliam, sed *venturum in spiritu & virtute Eliæ*.

Ad quartum, Hieronymus in commentario super Malach. dicit ad Iudaizantium opinionem pertinere, quod ante Messiam quem adhuc Iudęi exspectant, sit venturus Elias. At super Matth. 11. non tam commemorat opinionem, quàm opinione præsupposita adfert rationem cur dixerit Dominus Ioannem esse Eliam, & tamen mentem suam clariùs explicat super cap. 17. vt suprà diximus. Si qui verò locum Mal. de Ioanne aut de choro prophetarum interpretantur, non videntur literalem prophetæ sensum attingere.

Ad quintum respondetur diuersam quorumdam interpretationem non præiudicare opinioni ab ecclesia receptæ, præsertim si mystica sit interpretatio, qualis est Primasij, Bedæ & Ruperti, quandoquidem illi ipsi sensum literalem de Elia & Enoch etiam agnouerunt, vt videre est in locis superiùs annotatis. Cæterùm de Moyse verba ex Apocalypsi recitata non conuincunt. Non enim dicitur venturos esse qui talia fecerunt, sed eos qui venturi sunt, talia facturos. Nec dicitur alterum habiturum potestatem claudendi cælum, & alterum potestatem super aquas &c. sed vtrumque ambobus tribuitur. Et quia Enoch nõn legitur vlla fecisse miracula, ideo de illis tacetur. At neque satis videretur Ioannes ordinem dignitatis obseruasse, si Moysen Eliæ postponeret, quem scriptura Matth. 17. Luc. 16. & alibi semper Eliæ alijsque prophetis seruato ordine dignitatis anteponit.

§. 12. *De conuersione Iudæorum in fine sæculi.*

INter ea quæ ventura diximus ante diem extremi iudicij proximè sequitur conuersio populi Iudaici ad fidem Christi. Hanc enim exspectandam esse sub finem sæculi, vetus item & communis est in ecclesia traditio teste Augustino lib. 20. de ciuit. cap. penult. vbi dicit *in sermonibus cordibusque fidelium celeberrimum esse, Iudæos vltimo tempore ante Iudicium per Eliam exposita sibi lege in Christum verum credituros.*

Quam quidem fidelium persuasionem aut omnino certam faciunt aut valde probabilem ea quæ ex scripturis & patribus subijciemus.

Ex scripturis ista:

Primum, Malach. 4. dicitur Elias ad hoc mittendus *Vt conuertat cor patrum in filios &c.* Quæ verba significant quid per prædicationem Eliæ magni mirabilisque prophetæ (vt Augustinus loco memorato loquitur) in vita reseruati per tot annorum spacia vsque in finem sæculi Deus decreuerit operari; nempe populi Iudaici cum sanctis patriarchis & prophetis tanquam filiorum cum patribus in fide & pietate coniunctionem, ac mutuam conuersionem.

Secun-

Secundum: Ecclesiastici 48. officium Eliæ venturi describitur, *lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.*

Tertium: Matth. 17. dicit Dominus ad discipulos: *Elias venturus est & restituet omnia*; quod & habetur Marc 9. Restituet auté omnia iuxta quod à Malachia prædictum, & ab Ecclesiastico explicatum est.

Quartum: Oseę 1 pędicitur quod *filij Iuda & Israel congregabuntur pariter, & ponent sibimet caput vnum*, & cap. 3. quod *filij Israel dies multos sedebunt sine lege, sacrificio, altari &c. & post hæc reuertentur & quærent Dominum Deum suum, & Dauid regem suum in nouissimo dierum.* Quam prophetiam recitans Augustinus lib. 18. de ciuit. cap. 28. dicit *nihil esse manifestius ad ostendendum carnales Israelitas qui nunc in Christum credere nolunt, postea credituros.* Eandem citat quæst. vlt. ad Dulcitium.

Quintum, Rom. 11. *Nolo vos*, inquit apostolus, *ignorare mysterium hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion &c.* Hoc etsi quidam intelligant de Israele spirituali qui constat ex Iudæis qui priùs crediderunt, & gentibus quæ postea, plus tamen aliqud videtur exigere apostolica sententia; nempe futurum aliquando vt populus Iudæorum qui priùs tantùm ex parte credidit, ex parte verò eaque multò maiori incredulus permansit, omnis, id est totus in Christum credat, atque ita saluus fiat. Qui sensus probatur tum quia apostolus eam rem vocat mysterium, id est rem secretam ac suo tempore reuelandam; tum quia prius in eadem sententia Israelem intellexit secondum carnem, vnde videtur & in posteriori parte sententiæ sic accipi debere, vt hæc significetur antithesis: Prius Israel ex parte est excœcatus & ex parte credidit, postea verò omnis Israel credet. Deinde quia quæ præcedunt & sequuntur, eandem hanc sententiam confirmant, vt illud: *Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos.* Quæ verba non tam conditionaliter quàm propheticè videntur accipienda. Et infrà: *Isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem, vt omnium misereatur*: id est vtriusque populi, primum gentilium, postea Iudæorum, quemadmodum id post alios exponit S. Thomas in hunc locum scribens.

Sextum, Luc. 15 per fratrem seniorem qui post iuniorem ingressus est iuxta patrum expositionem conuenienter intelligitur Iudaicus populus, vocatione primus sed conuersione postremus, vtpote tunc demum in ecclesiam Christi per fidem ingressurus cùm priùs *plenitudo gentium intrauerit*, id est in fine sæculi.

Septimum: Psal. 58. de Iudæis dicitur quod *conuertentur ad vesperam*, id est, vt à plærisque exponitur, in fine sæculi. Sic Hieronymus, Cassiodorus glossator & alij in illum locum.

His accedunt testimonia patrum qui hoc ipsum in scriptis suis asserunt, vt ferè omnes illi qui Eliam venturum dicunt, videlicet causam aduentus eius hanc reddentes, quòd Iudæos sit ad Christi fidem adducturus. Quorú loca supra sunt annotata. Quibus hæc insuper adiungantur, Hieronymus super Malach. vlt. & super Matth. 9. Augustinus q. 33. lib. 2. quæst. euang. tractans locum de duobus filijs & ad Dulcitium quæst. vlt. serm. 40. de verbis Domini cap. 5. lib. 20. de ciuit. cap. vlt. & alijs locis iam antè notatis, Prosper lib. 1. de vocatione gentium cap. 13. Gregorius lib. 2. moral. cap. 22. & lib. 4. cap. 3. item hom 12. in Ezech. hom. 22. in euang. & super Cant. 5. in fine, Eucherius in lib. 1. Reg vlt. Theophylactus super Matth. 17. & Marc. 9 Alcuinus lib 3. de trinit. cap. 19 Franco tom. 7. de gratia Dei, Item Ambrosij titulo commentarius super Apoc. 11. & Hieronymi titulo commentarius super Threnos Ierem. in fine & super psal. 80. & super Marc. 10. Quibus adde ea patrum loca quibus exponunt scripturas supra allegatas.

Denique hic quidam referunt quod sacerdos in celebratione missæ quamuis in sinistro latere altaris plurimum hæreat, à dextro tamen incipiat & in dextrum desinat, scilicet ad significandum quod licèt toto ferè decursu ecclesię Christus potissimùm coniungatur gentilium populo, attamen sicut initio cepit à Iudæis, sic tandem in Iudæos desinet ad salutem recipiendos per fidem.

§. 13. *Soluuntur argumenta quædam in contrarium.*

SVnt quædam scripturę & patrum loca ijs quæ de futura Iudæorum conuersione diximus, in speciem contraria. Quæ proinde breuiter explicanda sunt.

Primò adfertur illud psal. 68. *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Hoc enim in Iudæos propheticè dictum esse ipse apostolus interpretatur Rom. 11. Semper ergo vsque ad sæculi finem manebunt excœcati & incuruari.

Secundò: Osee 1. *Voca*, inquit, *nomen eius Absque misericordia quia non addam vltra misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum.*

Tertiò: Amos 2. *super tribus sceleribus Iuda & super quatuor non conuertam eum*, & de Israel similiter.

Quartò: Matth. 21. & Mar. 11. dicit Dominus ad ficulneam infructuosam: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum*, & postea referente Marco, *viderunt eam discipuli aridam factam à radicibus.* Per ficulneam autem iuxta patrum expositionem intelligitur populus Iudæorum: fructus autem intelliguntur bonorum operum: ergo populus ille in æternum non conuertetur ad Christum, per quem posset adferre fructum iusticiæ, sicut & ab Osee prophetatum est dicente cap. 9. *Radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient.*

Quintò, 1. Thess. 2. de Iudæis dicitur, quod *peruenit ira Dei super illos vsque in finem*, quod Theophylactus interpretatur de ira nunquam finienda.

Sextò: Iudæi in fine sæculi Antichristum pro Messia suscipient iuxta illud Christi apud Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*, & iuxta ea quæ à Paulo dicuntur 2. Thess. 2. Quod ipsum patres docent ijs locis, quæ ad id probandum suprà adduximus. Non ergo conuertentur ad Christum, sed ab eius fide & religione per Antichristi susceptionem magis etiam auertentur.

Septimò: Hieronymus super Isa. 11. ad illa verba: *Adijciet Dominus secundò manum suam*, exponendo subiungit: *vt nequaquam iuxta nostros Iudaizantes in fine mundi, cùm intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus fiat, sed hæc omnia in primo intelligamus aduentu &c.* Et super Osee 9. de Iudæis ob Christi necem per mundum dispersis interpretatur illud:

Non addam vt diligam eos, & super Mal. vlt. rursus Iudaizantium errorem reijcit eorum qui Eliam putant esse venturū & restituturum omnia. Quod iterum traditioni pharisæorum asseribit super Matth. 17. Idem in epist. Rom. 11. quæ ibi dicuntur de salute Israelis, non futura sed facta esse docet ex testimonio Isa. *Veniet ex Sion &c.* Quod ibidem apostolus allegat.

Octauò: Cæsariensis frater Gregorij Nazianzeni dial. 4. in fine prorsus negat Iudæos in fine sæculi conuertendos, & scripturas quæ id sonare videntur, docet aliter esse intelligendas.

Ad hæc autem respondemus. Ad primum quidem non significari in psalmo sempiternitatem absolutam & infinitam, sed longissimi temporis, quia tantùm in fine seculi Christo mox ad iudicium venturo cæcitas & perfidia Iudæorum finem accipiet.

Ad secundum, Negat Dominus se reducturum captiuitatem decem tribuum, sicut eodem loco facturum se promittit de tribu Iuda. Nunquam enim decem tribus reuocatæ fuerunt à locis suæ captiuitatis, quemadmodum in eius loci commentario refert Hieronymus. Sed huic sensui nihil obstat quò minùs in fine sæculi de quacunque tribu Iudæi conuertantur ad fidem Christi.

Ad tertium: Negat Dominus per prophetam se minas populo Iuda & Israel intentas remissurum sed omnino inducturum afflictiones comminatas, idque propter multiplicia & grauia vtriusque populi peccata.

Ad quartum: Eadem quæ ad primum responsio est, quam & reperio apud Hieronymum in commentario Hab. 3. his verbis: *Diligenter*, inquit, *considera quid dixerit: Non afferes fructum in sæculum, non ait, vsque in sæcula sæculorum, sed cum sæculum istud pertransierit, & intrauerit plenitudo gentium, tunc etiam hæc ficus afferet fructus suos, & omnis Israel saluabitur.* Sic ille. Quod autem dicit in sæculum, Græcè est εἰς τὸν αἰῶνα, quod magis sæculum significat quàm sempiternum. Eandem responsionem indicat idem Hieronymus ipsum Matthæi locum enarrans. Potest etiam dici absolutam significari sempiternitatem ad literam, quia de ficulnea sermo erat, quæ nunquam amplius erat allatura fructum, quia erat peritura. Sed non est necesse in re significata eandem significari sempiternitatem, quia populus erat mansurus vsque in finem sæculi.

Ad quintum, Rectè apostolus dicit iram Dei super Iudæos peruenisse vsque in finem, quia nec tempore prædicationis apostolorum, nec tempore deinceps intermedio, sed demum in fine sęculi conuertuntur, vt vocabulum *vsque* non inclusiuè sed exclusiuè capiatur; tametsi potest apostoli sententia referri ad Iudæos qui tempore apostolorum vixerunt & apostolicæ prædicationi restiterunt: super quibus ita permansit ira Dei, vt nec in fine vitæ pœnitentiam egerint.

Ad sextum, Nihil prohibet eos qui Antichristum susceperint, postea per Eliæ prædicationem, exposita sibi lege (vt Augustinus loquitur) & fraude pseudoprophetæ detecta atque errore suo cognito, ab illo recedere & desperato Messiæ quem ad id vsque tempus expectauerint, aduentu, in Iesum Christum credere, eiusque ecclesiæ sociari.

Ad septimum, Hieronymus eatenus tantùm impugnat Iudaici populi restitutionem, quatenus putetur futura per Eliam legis antiquæ ceremonias & instituta totumque Mosaicum cultum cum sacrificijs reducentem. Id enim est quod Iudæi per Eliam futurum sperant. Atque hoc Hieronymum voluisse patet ex eius commentario super Malach. 4. vbi cùm paulò antè dixisset futurum vt Iudæi & Christiani qui nunc inter se discrepant, pari in Christum religione consentiant, quæ verba apertissimè faciunt pro præsenti doctrina; postea tamen Iudaizantibus hæreticis tribuit opinionem hanc, quod Elias omnia restituet: hoc videlicet eo modo, quo Iudæi & Iudaizantes existimabant. Eadem Hieronymi sententia patet ex commentario super Matth. 17. Nam quod adfertur ex commentariolo super epist. ad Rom. non Hieronymi est sed Pelagij.

Ad postremum respondetur priuatam illam ac singularem Cæsarij opinionem communi ab ecclesia receptæ sententiæ meritò postponi debere.

§. 14. *De igne conflagrationis & mundi renouatione.*

IN fine sæculi mundum arsurum igne, quem vocant conflagrationis, eoque purgandum ac re- *S. Thom suppl*
nouandum esse, certa est ecclesiæ ex sacris literis & 74.
antiquissima id est apostolica traditione doctrina. Dicit enim Petrus 2. epist. 3. *Cælos & terram post diluuium Dei verbo repositos seu restitutos igni reseruari in diem iudicij & perditionis impiorum hominum*, Et rursum, *in die Domini cælos magno impetu transituros, elementa calore soluenda, terramque & quæ in ipsa sunt opera exurenda.* Et iterum de die Domini loquens: *Per quem diem*, inquit, *cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.* Quò referendum videtur & illud psalmi 49. *Ignis in conspectu eius exardescet*, & illud psalmi 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, & Ioel 2. *ante faciem eius ignis vorans.* Hæc enim de Domino ad iudicium veniente dicta esse, locorum circumstantia declarat. De eodem igne & Paulus loquitur 2. Thess. 1. dicens: *venturum Dominum de cælo cum angelis virtutis suæ in flamma ignis dantis vindictam ijs qui non nouerunt Deum &c.* Huc etiam referunt quidam non improbabiliter illud eiusdem apostoli 1. Cor 3. *Dies enim Domini declarabit quia in igne reuelabitur.*

Quod autem ad ecclesiasticam traditionem attinet, in antiquissimis ecclesiæ ceremonijs circa baptismum & alia quædam sacramenta Christus dicitur *iudicaturus viuos & mortuos & sæculum per ignem.* Tractat de eo Augustinus lib. 20. de ciuit. cap. 16. & sequentibus. Meminerunt autem eius Eusebius Emissenus hom. 3. de epiphania, Hieronymus in Isa. 65. Gregorius in suo symbolo & hom. 25. in euang. & rursum Augustinus super psal. 96. & in epist. 80 ad Hesychium, alijque patres super prædicta scripturarum loca commentantes.

Nec minùs ex scripturis certò futurum constat mundi per ignem purgationem ac renouationem. Cùm enim Petrus vbi supra de igne loqueretur, quo mundus conflagrabit, subiecit: *Nouos verò cælos & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.* Promissio autem est Isa. 65. *Ecce*, inquit, *ego creo cælos nouos & terram nouam*, & cap. 66. *Cæli noui & terra noua, quæ ego facio stare coram me.* Vnde & in spiritu dicit Ioannes Apoc. 21. *se vidisse cælum nouum & terram nouā. Primum enim cælum*, inquit, *& prima terra abijt, & mare iam non est.* Quò etiam pertinet quod apostolus Rom. 8. generaliter scribit quod, *& ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatē gloriæ filiorū Dei.* Hāc mūdi innouationē alibi scriptura aliquando transitū, aliquando interitū mundi,

cæli, terræ vocat, vt Matth. 24. *Cæli & terra transibunt*, 1. Cor. 7. *Præterit figura huius mundi*, psal. 101. *Cæli peribunt tu autem permanes*. A

Ex patribus autem duo præcipui de hac mundi per ignem purgatione atque innouatione satis accuratè tractarunt, Augustinus & Hieronymus. Nam Augustinus quidem libro 20. de ciuit. cap. 18. Petri locum tractans ostendit cælos intelligi aëreos, quorum etiam locum ac spacium aquæ diluuij crescendo superauerant, vt secundum apostolum, idem mundus igne periturus dicatur, qui tunc diluuio perierat, vtrumque sanè non substantiæ corruptione, sed insigni aliqua circa qualitates facta mutatione. Similiter cap. 16. docet figuram huius mundi mundanorum ignium conflagratione sic præterituram, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuium: eaque mundi conflagratione futurum vt elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, manente elementorum substantia in eas mutentur, quæ corporibus immortalibus conueniant. Quod & cap. 17. prosequitur. Ad eundem modum Hieronymus super Isa. 65. scribens Petri locum ex occasione exponit, ac docet intelligendum esse non de abolitione in nihilum, sed de commutatione in melius, quomodo solent quæ vetera sunt, renouari. Quod & probat testimonio psalmi 101. & Isai. 30. ac rursum ex eo quod Petrus non dixit, alios cælos & aliam terram, sed *nouos*, id est eosdem qui prius erant, renouandos. B C

Docet id etiam perspicuè Innocentius tertius super illud eiusdem psalmi: *Ipsi peribunt*, vbi multarum scripturarum collatione ostendit, quod cæli & permanebunt secundum substantiam, & interibunt secundum qualitates statumque præsentem. Sic ergo secundum scripturam nouos cælos & nouam terram expectare iubemur, sicut nos admonet apostolus, *vt exuentes veterem hominem induamur nouum*, manente nimirum homine secundum substantiam, sicut & alibi de ea ipsa spirituali hominis renouatione loquens, dicit: *Vetera transierunt, facta sunt omnia noua*. Quod ergo apud Ioannem in Apocalypsi legitur: *Primum enim cælum & prima terra abijt*, similiter intelligendum non quoad substantiam, sed quoad vetustatem, id est qualitates præsenti nostræ mortalitati conuenientes. Nam *abyt*, dictum est pro transijt, secundum quod in euangelio prædicitur, *cælum & terra transibunt*, vel præteribunt. Quod autem sequitur, *Et mare iam non est*, simpliciter accipi potest, quia mare non nudè significat elementum aquæ, sed quatenus est crassum, terrestre, salsum, impurum, quale factum fuit tertio die genesis mundi, quando segregatæ aquæ in vnum locum maris nomen acceperunt, iuxta illud: *Congregationes aquarum appellauit maria*. Nam prius aqua erat, non mare. *Spiritus enim Domini ferebatur super aquas*. Igitur renouato mundo simpliciter mare non erit, sed aqua, nimirum pura, subtilis, impermixta, id est purum aquæ elementum: cælum autem & terra simpliciter remanebunt. An autem aqua tunc sit reditura ad locum primum ac naturalem vt vndique terram cooperiat, non omnino certum est, & in vtramque partem disputari potest. De horum trium elementorum purgatione sic legitur in glossa ordinaria ad verba suprà dicta Apoc. 21. *Immutatio aëris & terræ dubitabilis non est, quin per ignem fiat: sed de aqua dubitatur. Nam purgatione in seipsa habere creditur*. Sic ibi. D E F

Quamuis autem Petrus in epistola, quemadmodum rectè ex ipso loco colligit Augustinus, tantùm agat de purgatione cæli huius elementaris, eaque dumtaxat extendenda vsque ad eam aëris altitudinem, quò pertigerunt aquæ diluuij, Magistro etiam in textu idipsum attestante, nec omnino purgatio quæ per ignem fit, locum habere possit in corporibus illis cælestibus, quę sunt ab elementis diuersa, fatendum tamen est secundum scripturas etiam illud cælum (quod physici quintum corpus vocant) totum in fine sæculi renouandum atque in melius commutandum esse. *Erit enim*, vt Isaias cap. 30. testatur, *lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum &c.* Et sanè apud eundem prophetam cap. 65. & 66. & Apoc. 21. vbi nobis cælum nouum promittitur, cæli nomine non tantùm intelligendum est cælum aëreum, sed quicquid supra nos est, siue elementaris siue sublimioris naturæ sit corpus. Quod & dici potest de loco Petri, quandoquidem Petrus dicens *nos expectare nouos cælos & nouam terram secundum promissa Dei*, respexit ad vaticinium Isaiæ. Renouatio igitur ad omnes cælos pertinet, conflagratio autem & purgatio tantùm ad cælum elementare quod aëreum vocamus.

§. 15. Vtrùm ignis conflagrationis extremum iudicium sit præcessurus.

ENumerans Augustinus ordine ea quæ circa diem iudicij ventura sunt, lib. 20. de ciuit. cap. vlt. mundi conflagrationem eiusque renouationem extremo posuit loco, existimās hæc duo omniū postrema fore, secutura nimirum generalem mortuorum resurrectionem & iudicium. In quam sententiam scribit etiam cap. 16. & 18. eiusdem libri & epistola 80 ad Hesychium. Nam quod idem Augustinus scribens in illud psal. 96. *Ignis ante ipsum præcedet*, negat se hoc intelligere de igne, in quem mittendi sunt impij, eò quòd ille Christi aduentum secuturus sit, hic autem præcessurus dicatur; non inde consequens est Augustinum agnoscere ignem conflagrationis ante aduentum Christi iudicis, quia vt sequentia manifestant, ignem hunc de quo psalmista, non conflagrationis mundi esse vult, sed persecutionis impiorum aut charitatis piorum. Illud autem psalmi 49. *Ignis in conspectu eius exardescet*, non de igne conflagrationis sed inferni idem Augustinus interpretatur. S. Thom. suppl. q. 74 ar. 7.

Quid porrò alij veteres de dictorum ordine sentiant, non adeo liquet. Gregorius quidem in symbolo quod habetur libro 2. vitæ eius per Ioannem diaconum cap. 2. innouationem sæculi per ignem, nominat ante carnis resurrectionem, non tamen hoc satis arguit ordinem eorum ex Gregorij sententia, quia vtrique in eodem symbolo præponit aduentum Christi ad iudicium, nec non prœmia bonorum & supplicia malorum: quæ tamen non eum ordinem habitura constat. Res ergo, non ordinē rerum in illo symbolo spectauit Gregorius. Apertiùs autem est quod alibi dicit, nempe hom. 26. in euang. Christum *in iudicium apparitūrum cælis & terris ardentibus*. Quæ verba planè significant conflagrationem futuram in ipso iudicis aduentu siue ad iudicium apparitione. Quod non discrepat à communi sententia. Nam Magister in textu, S. Thomas & alij plærique omnes super hanc distinctionem scribentes, huiusmodi ponunt ordinem, vt Christo ad iudicium venturo primùm oriatur ignis: oriatur autem, vt scribit Augustinus cap. 16. lib. 20. de ciuit. *ex mundanorum ignium conflagratione*, id est, ex concursu

concursu causarum superiorum & inferiorum vim calefactiuam & inflammatiuam habentium, quandoquidem & mundi diluuium simili modo concurrentibus diuina dispositione causis quæ vim aquosam obtinent, factum existimetur. Eo igne purganda elementa, vt suprà dictum est. Homines quoque eodem igne vel purgandos vel puniendos & consumendos, vt infrà dicetur: Christum deinde appariturum esse venientem ad iudicium simul & mortuos resuscitandos.

Quod autem ignis ille Domini aduentum sit antecessurus, probabiliter docetur. non tantùm ex psalmis & Ioele alijsque superiori capite citatis, quæ testimonia saltem probant ignem simul tempore cum iudice & ante conspectum iudicis futurum, quia Græca sonant ante, id est, coram & in conspectu iudicis ignem exarsurum: Verùm etiam huiusmodi ratione, quia sanctorum corpora resurgent gloriosa, & idcirco oportebit mundum iam ante esse purgatum ac renouatum, vt quemadmodum Augustinus ait cap. 16. libri supra memorati, mundus innouatus hominibus innouatis seruiat. Sicut enim homo animalis in mundum iam ante conditum ipsiusque vsibus seruiturum per creationem introductus est, ita conuenit & hominem spiritualem in mundum renouatum & quodammodo spiritualem effectum per resurrectionem introduci.

Idem quoque doceri potest ex effectibus illius ignis, de quibus modò dicetur.

Cæterùm pro Augustini sententia facere fortasse videbitur quod scriptura dicit, *Dominum venturum in nube ad iudicium & sanctos in nubibus rapiendos obuiam Christo*. Nam nubes non conueniunt statui incorruptionis, vt nec alia meteora, pluuia, nix, grando &c. Ex quo apparet mundum Christo ad iudicium veniente, & iustis iam resuscitatis nondum fore renouatum. Sed responderi potest id tunc miraculosè futurum vt iudex cum nube descendat, & sancti in nubibus cum eo ascendant, vt nimirum nubes ad tempus creata Christo & sanctis seruiat. Aut certè futurum aliquid lucidum seu luminosum candidæ nubi simile; tametsi prior responsio probabilior videri potest ex eo, quia & in nube ascendisse Dominum legimus. Quam quidem veram nubem fuisse omnino credibile est. Non tamen conuincit, quia Christus ascendit statu huius mundi durante, sed eo renouato nihil opus est nubem propriè dictam intelligi.

§. 16. *Qui effectus ignis conflagrationis.*

[S. Thom. suppl. q. 74. ar. 1. 2. 4. & 6.]

COlligi potest ex scripturis & patribus multiplex effectus ignis conflagratorij.

Primus de quo iam supradictum est, purgatio & renouatio mundi elementaris, quę in eo consistet vt qualitates elementorum huic mortali conditioni corporũ nostrorum congruentes penitus intereant, alijs initabili mutatione succedentibus, quæ corporibus nostris immortalibus conueniant, vt vt Augustinus docet lib. 20. de ciuit. cap. 16.

Alter effectus est probatio & purgatio iustorum. Qua in re tamen magna est diuersitas inter Augustini sententiam qui ignem resurrectioni mortuorum & iudicio postponit, & aliorum qui præponunt. Si enim ignis ille generalem resurrectionem sequetur, non parua quæstio est, quomodo iusti per eum purgabuntur, vtpote iam per resurrectionem adepti corpus impassibile. At hoc quidam respondent, quod poterit quibusdam iustis, (nimirum in quibus adhuc restabit aliquid purgandum) corpus resurrectione redditum ad tempus esse passibile, in quo proinde patiantur, ipsaque passione & afflictione purgentur, quomodo & nunc anima seiuncta à corpore affligitur ad tempus postea donanda munere perfectæ impassibilitatis. Hoc autem Augustinũ sensisse probāt ex capite 25. eiusdem libri vbi disserēs de igne qui secundũ Mal. *purgabit filios Leui & Iuda & Ierusalem*, dicit per eos intelligi debere ecclesiam, nec talem, inquit qualis nunc est, vbi *si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus & veritas in nobis non est*: sed qualis tunc erit, velut area per ventilationem, ita per iudicium purgata nouissimum, eis quoque igne mundatis, quibus talis mundatio necessaria est.

Verùm huic opinioni quæ purgationem iustorum ponit post resurrectionem, vehementer obstat quod apostolus 1. Corint. 15. docere videtur corpora iustorum per ipsam resurrectionem habitura statim omnes dotes quæ corporibus beatis competunt, vt & clara sint, & spiritualia, & incorruptione atque immortalitate, id est omnimoda impassibilitate donata: denique ipse *homo cælestis*, ac proinde ab omni passione liber. Obstat & ipsius Augustini doctrina disertè negantis futuras esse pœnas vllas purgatorias, nisi ante vltimum iudicium lib. 21. de ciuit. cap. 13. & 16 Obstat denique finalis sententia iudicis: *Venite benedicti*. Quocirca secundùm alios qui ignem dicunt præcessurum resuscitationem mortuorum, facilior erit declaratio huius purgationis iustorum. Quicunque enim tunc iusti adhuc in viuis reperientur & purgatione indigebunt, eos ignis ille tanquam diuinæ iustitiæ instrumentum vrendo affliget & ad plenum expurgabit tanta doloris intensione quanta opus erit, vt statim iudici venturo cum sanctis omnibus per beatam resurrectionem occurrere possint, vt sit eis ignis ille loco purgatorij quod patiuntur animæ quæ ex hac vita non plenè purgatæ discedunt; quemadmodum diximus ad distinctionem 21. huius libri responsione ad argumentum decimum & ad distinctionem 45. vbi de eorum purgatione qui viui in aduentu Domini reperientur, quæstio nota & explicata fuit.

An autem aliqui iusti tunc adhuc in carne positi tanta pollebunt sanctitate vt nihil in eis omnino sit purgandum (exceptis duntaxat infantibus baptizatis, quibus quod nondũ peccare potuerint, purgatione opus non fore certum habemus) & an eos ignis ille nullo dolore sit affecturus, non satis liquet; tametsi ita sentire videtur in textu Magister, testem adhibens Augustinum lib. 20. de ciuit. cap. 18. dicentem: *Hoc erit incendium mundi sanctis, quod fuit caminus tribus pueris*. Sed ea parum firma est probatio. Non enim loquitur Augustinus de sanctis ante iudicium adhuc mortali corpore vestitis, sed in aduentu iudicis ad vitam immortalem iam resuscitatis: simili quodam modo accipienda sunt quæ de sanctis ab illo igne nihil passuris tradunt Eusebius Emissenus hom. 3. de epiphania & Alcuinus lib. 3. de trinit. cap. 21. & rursum Augustinus super psal. 101. ad illum versum: *Ipsi peribunt*. Aut enim loquuntur de sanctis secundum corpus simul & animam post resurrectionem, aut certè secundum animam solam ante resurrectionem beatis. Vnde & Dominicus

ab ea Magistri sententia, quæ quosdam iustos in hac vita ab igne conflagrationis nihil passuros statuit, non immeritò recedit. Quin autem impij quos ille dies viuos reperiet, ab eodem igne grauem cruciatum passuri sint, nullum est dubium.

Tertius effectus in eo ponitur à doctoribus, quod omnes homines tam boni quàm mali quotcunque tunc viui reperientur, eiusdem ignis incendio mortem obituri sint, mox omnes ad vitam resuscitandi atque iudicio sistendi.

Postremus effectus est in vindicta impiorum post iudicium. Docent enim S. Thomas alijque doctores scholastici, quicquid ex igne conflagrationis residuum erit post peractum iudicium, angelico ministerio colligendum esse, eoque inuoluendam damnatam impiorum multitudinem, eiusdemque raptu præcipitandam in ignem Inferni, iuxta illud Matth. 13. *Exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.* Hanc opinionem probabilem facit quod in ecclesię ceremonijs frequentatur, vbi dicitur Christus *venturus iudicare seculum per ignem*, & quod psal. 96. cum dictum esset: *Ignis ante ipsum præcedet*, de eodem igne additum sit: *Et inflammabit in circuitu inimicos eius*, Et quod Petrus ait: *Cælos & terram igni reseruatos esse in diem iudicij & perditionis impiorum hominum;* Quodque Paulus 2. Thess. 1. describit *reuelationem Domini Iesu de cælo cum angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictam ijs qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt euangelio, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini & à gloria virtutis eius cum venerit glorificari in sanctis suis &c.*

IN DISTINCTIONEM QVADRAGESIMAM OCTAVAM.

§. 1. *Christus in humana forma venturus ad iudicium.*

S. Thom. suppl. q. 90. ar. 1.



MVlta sunt scripturæ testimonia, quibus apertè docemur Christum in humana forma venturum esse ad iudicium. Quæ proinde doctrina adeo certa nobis esse debet, vt de ea fas non putemus dubitari posse. Dicit enim ipse Dominus Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Quod ita dictum est*, inquit Augustinus lib. 1. de trinit. cap. 13. *velut si diceretur, patrem nemo videbit in iudicio sed omnes filium*, & rursum Dominus eodem capite: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*: hoc est potestatem ei dedit exercendi iudicij secundum formam & in forma humana. Nam in hunc sensum idem Augustinus ea verba exponit tract. 23. in Ioan. & lib. 20. de ciuit. cap. vlt.

Sed hanc rem clariùs adhuc ostendunt alia loca, vt Matth. 16. *Filius hominis venturus est in gloria patris sui &c.* & 24. *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli*, & 25. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua &c.* & 26. *Amodo videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli* Atque hæc iuxta prophetiam Dan. 7. *Ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat &c.* Item Zach. 12. de impijs eius crucifixoribus prædictum est: *Videbunt in quem confixerunt*, & Apoc. 1. tam de his quàm de cæteris hominibus: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Quibus sanè locis manifestum est scripturam loqui de forma humana; tum quia dicit eum videndum ab omnibus hominibus etiam impijs, à quibus certum est in forma Deitatis Christum videri non posse, quod & Augustinus testatur lib. 1. de trinit. cap. 13. tum quia assiduè nominat filium hominis; nimirum significans hoc iudicium à Christo homine, id est in forma humana exercendum: tum præterea quia dicitur, *quem confixerunt seu pupugerunt* Hoc enim omnino formaliter accipiendum est, vt significetur Christi crucifixores ipsum in ea forma visuros, cui vulnera, manus eius & pedes fodiendo & latus perforando, manibus suis impijs intulerunt.

Nec minùs aperta probatio est ex angelorum testimonio, qui Act. 1. ad Christi discipulos dixisse leguntur: *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*. id est in eadem forma veniet. Quod testimonium ad id probandum allegat Ignatius in epistola ad Smyrnenses, simul indicans apparituras in Christi corpore fixuras clauorum & foramen lanceæ, sicut ea discipulis videnda monstrauit post resurrectionem. De qua re egimus supra ad distinctionem 41.

Adde & Petri testimonium Act. 2. dicentis de Christo: *Hic constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum*; videlicet homo constitutus à Deo, & proinde in humana natura munus illud executurus. Nam secundum diuinam naturam non filius à patre in aliqua potestate constituitur, sed æterna generatione omnem à patre potestatem accepit.

His accedit articulus symboli, *Christum è cælo venturum iudicare viuos & mortuos*. Quod de forma humana accipiendum arguunt omnes articuli præcedentes de eadem forma intelligendi, ab eo loco, *Dominum nostrum, Qui conceptus &c.*

Passim verò patres hoc ipsum tradunt, vt Ignatius & Augustinus locis iam citatis, Ambrosius super Luc. 24. Hieronymus super Matth. 17. Chrysostomus in homilia de cruce & latrone. Rursum Augustinus conc. 1. in psal. 48. & serm. 75. de diuersis, author sermonis de baptismo Christi apud Cyprianum, Leo serm. 1. de ascensione Domini, Gregorius hom. 20. in euangelia, vt eos hoc Isaiæ testimonio à Luca cap. 3. repetito: *& videbit omnis caro salutare Dei*, Beda super eundem locum Luc. Rupertus lib. 13. in Matth. & alij disertè affirmantes Christum in humana ac serui forma, eaque omnibus tam bonis & electis quàm malis ac reprobis conspicua, omnes iudicaturum. Quę res etiam probabili admodum ratione in sacris literis fundata potest confirmari. Cùm enim Christus tanquam homo propter opus humanæ redemptionis vniuersale dominium in homines acceperit, iuxta illud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, & Rom. 14. *In hoc Christus mortuus est & resurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur.* Qua ob causam etiam in symbolo & passim in apostolicis scriptis *Dominus* vocatur, imò & iure redemptionis, *Vnus Dominus* Eph. 4. cumque magna dominij pars sit ius dicere, consequens est Christum vt hominem, atque ob id in forma humana, eiusdem redemptionis iure suos redemptos, id est, omnes homines iudicaturum esse. Quamuis enim non ad omnes redemptionis beneficium peruenerit, pro omnibus tamen sufficiens precium ab eo datum est, ideoque

omnes

omnes redemisse non inconuenienter dicitur, vti docetur ad distinctionem 19. libri 3. Qua quidem ratione in omnes omnino homines ius dominij & consequenter iudicij exercendi accepit.

Idem denique potest ex eo probari, quod vt superiori distinctione diximus, valde probabile sit iudicem exteriori vocis sono vsurum ad omnes iudicandos, quando extremam vel gloriæ vel mortis æternæ sententiam proferet. Vox enim exterior ad humanam pertinet formam, non propriè ad diuinam.

§. 2. *Christus in forma gloriosa iudicaturus.*

S. Thom. suppl. q. 90. art. 2.

DVbitari non potest quin Christus ad iudicium veniens sit habiturus corpus gloriosum. Hoc enim semper & sine vlla intermissione habuit ex eo temporis puncto quo resurrexit, semperque habiturus est. Corpus enim semel immortale donatum & perfectè glorificatum nunquam eam gloriam amplius aut amittit aut deponit. Dico perfectè gloriosum, propter gloriam transformationis Christi quæ temporaria fuit. Deinde constat ex apostolo 1. Cor. 15. quod iusti omnes in resurrectione habebunt corpora gloriosa, quantò igitur magis habebit Christus omnium iustorum Dominus?

Sed dubitauerit quispiam, vtrùm quando iudicaturus veniet, in illa corporis claritate se ostendet: an verò sicut post resurrectionem gloriam illam sui corporis abscondit ab oculis discipulorum, quando tamen corpus suum idemque haud dubiè gloriosum, ijsdem discipulis videndum tangendumque præbuit, tametsi gloriam eius non videntibus, ita quoque dicendum sit de Christo veniente ad iudicium, quo iudicaturus est non tantùm bonos sed etiam malos à quibus gloriam Christi conspici indignum videtur. Ad quod nihilominus respondetur Christum in illo aduentu non humilem vt in primo, sed gloriosum sese exhibiturum, ac proinde forma gloriosa, id est, in gloria corporis sui omnibus conspicua venturum, vt ipse testatur Matth. 16. 24. & 25. Marc. 13. & Luc. 21. prædicens filium hominis id est seipsum *venturum magna cum potestate & maiestate*, seu gloria. Nam vna vox apud Græcos est δόξα quam interpres nunc gloriam nunc maiestatem vertit, interdum etiam claritatem, vt 1. Cor. 15. vbi de gloria corporum resurgentium agitur. Quin ijsdem euangelij locis adduntur & alia quæ gloriosum ac maiestatis plenum fore significant illum aduentum, vt omnium angelorum comitatus ac ministerium, tubæ sonus, sessio in sede maiestatis, quod Græcè est, *in throno gloriæ*. Atqui debet aduentui glorioso respondere forma venientis gloriosa, tanquam aduentus gloriosi pars potissima.

Proinde Augustinus affirmare non dubitat lib. 1. de trinit. cap. 13. non tantùm bonos sed etiam malos visuros Christum in claritate, in qua iudicaturus veniet, non in humilitate in qua venit olim iudicandus. Et aperta est Hieronymi sententia super Matth. 17. dicentis Christum transformatum fuisse in monte in eam gloriam, qua venturus est postea in regno suo.

Ratio verò talis assignari potest: Qui inter duos mediatorem se interponit, dum modò huic, modò illi parti se adiungit, personam quodammodo mutat eique assimulatur, cuius pro tempore partes agit. Quare cum Christus sit *mediator Dei & hominum*, qui priori suo aduentu nostram agens causam apud patrem, nostram sumpsit personam, quando venit *in similitudine carnis peccati, circumdatus infirmitate, & per omnia nobis assimilatus absque peccato*; consequens est vt in altero aduentu, iam non hominum sed Dei partes acturus, Dei personam sumat, id est in forma gloriosa appareat, in qua Deo similior sit. Cuius formæ exhibitione simul & bonis securitatem & malis terrorem adferat, quemadmodum loco memorato dicit Augustinus

Nec verò pro contraria sententia facit, quod vt simile adferebatur de forma Christi exhibita discipulis eius post resurrectionem. Nam discipuli mortales erant, ideoque apparere eis voluit Dominus secundum modum infirmitati eorum conuenientem. Siquidem tantam corporis eius claritatem mortales oculi ferre nullo modo potuissent.

Sed nec illud obstat quod Augustinus serm. 75. de diuersis dicit Christum in forma serui venturum iudicare viuos & mortuos, quasi non possit eadem esse forma seruilis & gloriosa. Non enim forma serui qualitatem sed naturam significat, scilicet humanam, quæ quantumuis glorificata & exaltata, vt in Christo, semper tamen manet forma serui comparatione formæ Dei, id est, naturæ diuinæ. Quod satis significat apostolus Philip. 2. vbi vtramque formam Dei & serui Christo tribuens, formam serui exponit non per infirmitatem humanæ conditionis, sed per hoc quod *in similitudinem hominum factus est, & habitu inuentus vt homo*, id est, per ipsam naturam humanam in se consideratam etiam seclusa infirmitate. Vnde Augustinus lib. 1. de trinit. cap. 13. gloriosam formam Christi iudicis vocat formam serui glorificatam.

Si obijcias Isa. 26. scriptum esse, quod *impius non videbit gloriam Domini*, cuius sententiæ loco septuaginta habent: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei*, ideoque gloriosam Christi Domini formam non fore conspicuam oculis impiorum. Respondeo cum Augustino ibidem, prophetam loqui de gloria diuinitatis. Hanc enim impius non videbit, sed tolletur à facie Christi hominis, quando in infernum præcipitabitur, ne cum ijs sit qui Christo hōini semper præsentes faciem quoque diuinitatis eius quam cum patre & spiritusancto habet communem, semper visuri sunt, ipsaque visione futuri in perpetuum beati. Quocirca rectè à Magistro dictum est initio huius distinct. impios visuros humanitatem Christi vt timeant, non autem diuinitatem ne gaudeant. *Diuinitas enim*, inquit, *sine gaudio videri non potest.* Cuius ratio est, quia diuinitatem videre est beatum esse.

§. 3. *Quomodo Christus vt homo mortuos suscitare atque etiam iudicare dicatur.*

S. Th. suppl. 76. & 9. art.

CVm sit ostensum Christum in forma humana eaque gloriosa venturum iudicem viuorum atque mortuorum, proxima quæstio est, vtrùm etiam fatendum sit Christum mortuos suscitaturum, eosdemque iudicaturum esse, vt homo est, id est secundum naturam humanam, An verò tantùm vt Deus est Dei filius patri æqualis. In qua quidem quæstione si reduplicatio illa, vt homo, tantummodo denotet formam in qua apparens seseque demonstrans Christus aliquid faciat, iam quæstio

nihil continebit à superioribus diuersum, nisi quod iudicio adiungit mortuorum suscitationem quæ iudicium antecedit. De qua tamen eadem est responsio. Sicut enim in forma humana venturus est ad iudicandum Christus, ita in eadem forma reuocaturus est ad vitam mortuos quos iudicet. Nam Matth. 24. & alibi priùs describitur filius hominis ad iudicium veniens, deinde verò mittens angelos suos cum tuba & voce magna ad excitandum mortuos.

Verùm conuenientius est vt illa reduplicatio causam significet, atque ita sensus quæstionis est, An humana in Christo natura sit causa eius quod facere aut facturus esse dicitur.

Secundum quem sensum vlteriùs oportet distinguere genus causæ. Nam si causa intelligitur meritoria, fatendum omnino est Christum secundum humanam naturam hoc promeruisse passione sua apud patrem, vt electos suos ad vitam immortalem & beatam resuscitaret, iuxta ea quæ diximus ad distinctionem 43. Promeruisse quoque vt ipse viuorum ac mortuorum tam electorum quàm reproborum iudex constitueretur. Nam vt ait apostolus Rom. 14. *In hoc Christus mortuus est & resurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur.* Pars autem dominij iudicium est. Et mors quidem ad meritum dominij pertinet, resurrectio verò ad eius executionem. In hunc sensum & illa rectè accipiuntur Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio*, & iterum: *Potestatem dedit ei iudicium facere quia filius hominis est.*

Si verò causa principaliter efficiens intelligatur, non iam secundum naturam humanam Christus mortuos suscitare dicendus est sed secundum diuinam. Nam vt ait Ambrosius lib. 4. in Luc. 4. *Resurrectionem mortuis imperare diuinæ solius est potestatis.* Vnde apostolus Rom. 8. Deo peculiariter hoc opus tribuit dicens: *Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis.* Hinc & ipse Christus sufficienter se Deum esse monstrauit, quando cum authoritate tanquam mortis ac vitæ habens potestatem mortuos ad vitam reuocauit.

An autem humana Christi natura saltem vt instrumentum futura sit causa resurrectionis mortuorum, dubitari potest. Quodque ita sit, probabiliter statuitur ex his argumentis.

Primò, quia Christus agens in corpore mortali vsus fuit humana natura tanquam instrumento ad suscitandum mortuos, sicut ad alia miracula facienda. Tetigit enim manum puellæ quam suscitaturus erat. Omnes autem tres quos suscitauit, voce inclamasse legitur: ergo ad tale opus multò magis credibile est eum tanquam instrumento vsurum eadem natura glorificata.

Deinde quia Damascenus lib. 3. cap. 15. generaliter humanitatem Christi vocat instrumentum diuinitatis.

Tertiò, quia Cyrillus super Ioan. carnem Christi vocat viuificatricem, etiam quoad vitam corporis.

Quartò, quia Augustinus tract. 23. super Ioan. id planè affirmare videtur dicens: *Resurrectio animarum fit per substantiam patris & filij æternam, & incommutabilem, resurrectio verò corporum fit per dispensationem humanitatis filij temporalem.* Et infrà: *Resuscitationem animarum ex substantia sua pater facit per substantiam filij qua illi æqualis est, resuscitationem autem corporum pater facit per filium hominis.* Sic ille.

Iam si quæras, qua actione instrumenti, id est, humanæ naturæ id fiat; præsertim cùm debeat instrumentum ei in quo aliquid instrumentaliter producit, esse coniunctum; quod quomodo hic fiat, non apparet. Dici potest fieri actione occulta & nobis incognita, sicut nos latet qualis sit operatio magnetis attrahentis ferrum sibi non contiguum. Quamquam potest hoc ipsum referri ad imperium Christi hominis quo veniens ad iudicium tanquam Deus angelorum & hominum præcepturus est & missurus angelos cum tuba & voce magna ad mortuos homines excitandos. Sicut enim vox illa instrumentum quoddam erit resurrectionis mortuorum, vt ad distinctionem 43. dictum est, ita & angeli vocem illam per orbem excitantes & Christus imperans & mittens, rectè instrumenta eiusdem resuscitationis dicuntur.

Sciendum tamen quod si actio quædam occulta qua Christus homo instrumentaliter ad mortuos resuscitandos concurrat, agnoscatur, non videtur ea agnoscenda, nisi respectu iustorum, quatenus illi donabuntur beata immortalitate quam eis Christus promeruit. Nam resurrectio simpliciter futura erat etiam sine Christo

Quod autem ad iudicium attinet à Christo homine exercendum, quædam in eo considerari possunt, quæ humanæ in Christo naturæ virtutem non excedunt. Christus enim vt homo est omnium Dominus, omnibusque superior, & nouit omnia etiam occulta cordium; nimirum secundum scientiam creatam quæ in anima eius est, prout dictum est in tertium sententiarũ distinctione 14. Quare si hæc tantùm in iudice spectentur, Christus secundum humanam naturam iudicare potest vniuersum genus humanum, vt reuera iudicaturus est. At si consideremus infinitam illam potentiam, qua redditurus est iustis ęterna præmia & impijs ęterna supplicia, quæ consistunt in naturæ diuinę contemplatione vel eiusdem contemplationis priuatione, hac ratione non vt homo, sed vt Deus iudicaturus est viuos & mortuos, vnà cum patre & spiritusancto; quia solius diuinæ naturæ & potestatis est simpliciter beatos facere vel miseros. Vnde Christus ipse ait Matth. 20. & Marc. 10. *sedere ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare.* Sic enim Græca habent non addendo, *vobis*: id est, non est meæ humanæ potestatis, sed quibus paratum est, scilicet dabitur; id est, contingent ijs quibus à patre paratum est tantum bonum. Augustinus etiam lib. 1. de trinit. cap. 12. *Non est meum dare*, id est non est humanæ potestatis hoc dare. Atque hoc verisimile est considerasse Augustinum lib. 1. de trinit. cap. 12. & 13. quando dixit filium hominis iudicaturum non ex humana potestate, sed ex ea tantùm qua filius Dei est. Quo sensu etiam legitur apud Hieronymum in expositione psal. 69. de Christo dictum: *Quem vt hominem iudicauerunt, iudicare vt Deum cernent.*

§. 4. *Quis sit futurus locus extremi iudicij.*

Sicut Christus certum locum elegit natiuitati, passioni, resurrectioni, ascensioni suæ in cælum, alijsque operibus à se iam olim in carne peractis, ita dubitandum non est, quin certum aliquem & circumscriptum locum elegerit, ad quem nouissimo die in eadem carne de cælo venturus sit iudicij in totum mundum exercendi causa. Nam corporalis ad- *S. Thom. suppl. q. 88. ar. 4.*

lis aduentus & exercendum in corpore iudicium corporalem & circumscriptum requirit locum.

Sed quis sit iste locus, certò traditum non habemus, cùm nec adeo multum referat id à nobis cognosci. Multorum tamen est opinio nequaquam improbabilis, in valle Iosaphat vniuersale illud iudicium futurum, propter id quod scriptum est Ioel. 3. *Congregabo omnes gentes & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi &c.* Et rursum: *Consurgant & ascendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu.* Quem scripturæ locum Iudæi quidem de gentibus Gog & Magog in eam vallem congregandis & interficiendis carnaliter interpretantur, vt in eum locum Hieronymus annotauit: at ipse Hieronymus alijque Christiani interpretes locum exponunt de extremo iudicio. Inter quos tamen non conuenit, vtrùm per vallem Iosaphat, quod sonat vallem Dominici iudicij, intelligatur in genere locus quicunque, quo ad iudicandum venturus sit Dominus, an verò propriè vallis illa olim eo nomine appellata, quæ est non procul ab Hierosolymis ad pedem montis oliuarum, & ad orientalem templi Hierosolymitani partem sita, vt refert Hieronymus in Ioelem scribens. Et sanè nihil prohibet hunc determinatum locum intelligi, & vt sic intelligatur, rationes & authoritates suadent.

Primo, quia cùm Christus è monte Oliueti in cęlum ascendit, vt habemus Act. 1. satis est probabile eum circa eundem locum rediturum è cęlo ad iudicium; præsertim quia & illud quod ibidem ab angelis dicitur, de modo seu forma venientis: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntē in cælum* videatur etiam ad locum congruenter admodum extendi posse. Quasi dicerent: Vnde ascendit, illuc descendet.

Nec refert, siue mons, siue vallis monti proxima nominetur: Cùm enim immensa hominum multitudo nempe ij omnes qui ab initio mundi vsque ad finem fuerint, sint in illo iudicio iudicandi, neque mons vnus, neque vallis vna capere eos poterit, sed circa montem & vallem maxima locorum spacia occupabunt, ipso iudice Christo in sublimi aëre constituto eamque sui corporis claritatem exhibente, qua ab omnibus iudicandis facillimè conspici possit. Ideo tamen scriptura vallem Iosaphat quàm montem Oliueti nominare maluit, quia vox illa iudicium significat, hęc autem propter olei mysticam in scripturis significationem magis importat misericordiam.

Deinde probatur, quia conuenit ibi Christum exercere iustissimum suum iudicium in omnes homines, vbi ab hominibus iniustè fuit iudicatus, id est circa locum ciuitatis Ierosolymitanæ.

Tertiò, quia in canone 33. magni concilij Niceni inter eos qui ex Arabico versi sunt, datur honoris quædam prærogatiua episcopo Ierosolymitano, tanquam residenti in sancta ciuitate, vnde crux Dei & Domini nostri cepit, & vbi est locus iudicij. Ea enim sunt verba canonis.

Quartò, quia in hanc sententiam satis propendet in suo commentario Hieronymus, eamque cum Lirano satis communiter tenent scholastici.

Denique hanc de loco iudicij opinionem illud non parum confirmat, quòd nulla alia probabilior adferri possit. Neque enim magis probabile est vlla alia mundi regione iudicaturum Christum quàm in qua natus est & conuersatus vsque ad mortem, vbi & resurrexit, vnde & in cælos ascendit: id est in Iudęa vt ibi sit operum eius consummatio, vbi fuit exordium & progressus. Quod si in ea regione iudicaturus est, nihil sanè congruentiùs apparet quàm vt id fiat circa locum vbi passus est & resurrexit, potissimùm verò vbi in cælum ascendit. Sunt enim hæc loca inter se vicina.

Neque his aduersatur glossa ordinaria ad initium tertij capitis Ioelis etiam à Magistro in textu citata, quæ sic habet: *Hoc quidam pueriliter intelligunt, quod in valle quæ est in latere montis Oliueti descensurus sit Dominus ad iudicium quod friuolum est.* Nam quæ sequuntur, mentem glossatoris explicant: *Quia,* inquit, *non in terra sed in spacio huius aeris sedebit contra locum montis Oliueti, ex quo ascendit.* Ex quibus verbis perspicuum est eius glossæ authorem, vt & Magistrum qui eadem verba repetiit, idem nobiscum sentire, iuxta explicationem à nobis suprà datam.

§. 5. *De signis iudicium extremum antecessuris & de signo crucis.*

QVod aduentum Christi ad iudiciũ signa aliqua præcessura sint, primùm à prophetis, deinde à Domino prophetarum in euangelio prædictum est. A Ioele quidem propheta cap. 2. his verbis: *A facie eius contremuit terra, moti sunt cæli, sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum, magnus enim dies Domini & terribilis valde, & quis sustinebit eum?* Et infrà: *Et dabo prodigia in cælo & in terra, sanguinem & ignem & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis,* & cap. 3. *Iuxta est dies Domini in valle concisionis, sol & luna obtenebrati sunt & stellæ retraxerunt splendorem suum &c.* Quibus similia sunt apud Isaiam cap. 13. & Ezech. 32. Christus autem in euangelio clariùs & distinctiùs eadem hæc signa recenset ac prædicit alijs quibusdam adiunctis Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. *Erunt,* inquit, *signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & exspectatione eorũ quæ superuenient vniuerso orbi. Nam sol obscurabitur, & luna non dabit splendorem suum, & stellæ cæli erunt decidentes de cælo, & virtutes quæ in cælis sunt, mouebuntur. Et tunc apparebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli &c.* Quamuis autem super horum intellectu & ordine magna sit apud interpretes vt in re obscura sententiarum varietas, breuiter tamen id quod maximè probabile videtur, in medium proferemus.

S. Thom. [illegible] 71.

Vbi primò notandũ quod dicitur de obscuratione luminum cælestium, aliter ab Hieronymo, Chrysostomo, Euthymio, alijsque Chrysostomi sequacibus; aliter ab alijs intelligi. Illi enim ea obscuranda putant non diminutione vel subtractione luminis, sed quia ab immenso splendore Christi hominis ad iudicium venientis omne syderum cælestium lumen superabitur, ac velut obtenebrabitur, vti naturaliter videmus adueniente maiori lumine minus obfuscari. Sed huic sensui repugnat, quod hæc luminum cælestium obscuratio prædicta est à Domino & prophetis, non tanquam simul futura cum aduentu iudicij, sed eum præcessura, tanquam horribile quoddam signum ac prodigium animos hominum ingenti terrore commouens, & iudicij illius omnium maximè terribilis ianuam instare, atque adesse prænuncians, vt patet ex locis scripturæ iam citatis, ac præcipuè ex Ioele & Luca, Ioel enim hæc futura dicit *antequam veniat dies Domini,* Et

Dominus apud Lucam, homines visis his signis fore in *timore & expectatione eorum quæ superuenient*. Proinde rectiùs alij, quod sol, luna, stellæ ante iudicis aduentum, idque ad modicum tempus, donec fiat mundi rcnouatio, reuera suo lumine priuabuntur, quemadmodum de sole factum est tempore passionis Domini. Nam quod dicitur stellas casuras de cælo, figuratè dictum est; quia nimirum lumen suum retrahent, atque ita videbuntur cecidisse de cælo, id est in eo non amplius esse, vt iam *cælum* sit velut *liber inuolutus*, cuius literæ conspici & legi nequeant, vt in Apocalypsi dicitur: vel certè quia in cælo hoc infimo videbuntur aliquę stellæ cadere, longè mirabiliùs ac terribiliùs quàm nunc interdum stellæ quædam elementares ex aëre superiori decidunt. Sensum hunc de obscuratione lumioum cælestium tradunt Beda in Lucam, Rabanus apud S. Thomam in catena, & author operis imperfecti in Matth. apud Chrysosto. alijque Latini, quem & subindicat Augustinus epist. 80. ad Hesychium, in qua alioqui rem hanc ex professo tractans diuersam quandam expositionem prosequitur, apud quem etiam lib. 20. de ciuit. cap. 24. explicatur quod iam de casu stellarum diximus

Porrò virtutes cælorum commouendas plærique intelligunt virtutes angelicas, id est, ipsos cælestes & beatos spiritus, quos dicunt vehementi admiratione afficiendos & velut concutiendos ob maiestatem iudicis ac iudicij eius iusticiam ac seueritatem; sed quia istud ponitur inter sigoa mox adfuturi iudicis, vt patet ex Luca, quæ quidem sigoa ab hominibus cognosci debent; ideo per virtutes cælorum potiùs hic videntur significari cælestia corpora nobis conspicua, nempe sol, luna, stellæ, quæ in scripturis sæpe milicia, virtutes & exercitus cæli vocantur. Iuxta quem intellectum commotio ista virtutum cælestiũ pertinebit ad id quod iam dictum est de lumioum cælestium obtenebratione & casu.

Aliud verò signum indicatur apud Lucam cum dicitur: *& in terris pressura &c.* & sensus est; In terris erit hominum vbique magna anxietas animorum cum desperatione, ita vt nesciant quò se vertant, (Hoc enim significat dictio ἀπορία) idque ideo quia præter signa cælestia etiam in terris causam habebunt timoris, resonante mari ac fluctu seu fluctibus eius, ita vt præ timore, & suspensa rerum quæ futuræ sunt, expectatione homines contabescant. Quem sensum verborum Lucæ ex Græco textu colligere promptum est.

Signum autem filij hominis quod Dominus apud Matthæum dicit apparitùrum in cęlo licèt ab alijs aliter exponatur, admodum tamen probabiliter intelligitur crux Domini; non quidem eadem illa in qua crucifixus est (tum quia mixta corpora per ignem conflagrationis interibunt; tum quia ecclesia vocat signum crucis) sed imago quędam eius perfectissima ac fulgidissima omnium oculis futura conspicua, tanquam insigne trophæum victoriæ Christi, de quo ecclesia canit: *Hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum veniet*. Ita signum hoc intellexerunt Hieronymus, Cbrysostomus, Euthymius, Theophylactus in suis commentarijs, Augustinus tract. 118. in Ioan. Prudentius in hymno de natal. Christi, ac rursum Cbrysostomus hom. 1 de cruce & latrone tom. 3. vbi de crucis signo tunc proferendo & ab angelis deportando copiosè & pulchrè disserit. Atque hoc ipsum signum est à quo *Sanctus Michael* in officio ecclesiastico *signifer* appellatur.

Quibus adde quod Christus secundum sententiam multorum patrum, de qua alibi, signa vulnerum suorum adhuc retinet palam omnibus exhibenda in die iudicij. Quare etiam conueniens est vt & signum crucis omnibus tunc exhibeatur.

Cætera de signis huc pertinentia, petenda sunt è commentarijs patrum in prophetas & euangelia: Itemque ex Augustini epistola 80. ad Hesychium, vbi etiam distinguit quæ signa in euangelijs posita ad excidium Ierosolymitanum, quæ verò ad mundi consummationem referenda sint. Quod autem ibidem docet incertum esse quot diebus, mensibus vel annis hæc sigoa diem iudicij sint præcessura, si de sigois iam explicatis intelligatur, verum non videtur. Signa enim hæc fore nuncia iudicis statim venturi & iam aduentantis, satis ex ijs quæ dicta sunt, & ex ipsis euangelij verbis apertè colligitur.

Quod autem attinet ad quindecim illa signa Hierunymo authori attributa, quæ leguntur apud S. Thomam scribentem in hanc distinctionem & in supplemento summæ eius q. 73. art. 1. ea sanè parum habent probabilitatis, vt ipse S. Thomas fatetur: dicens quod Hieronymus illa non asserat, sed in annalibus Hebræorum scripta se reperisse dicat.

§. 6. *De causa & modo innouationis partium mundi.*

[S.Thom. suppl. q. 74. ar. 1. 2. 3. 4. & 5.] MVndum tum superiorem quàm inferiorem hunc & elementarem in fine sæculi innouandum esse suprà diximus in genere ad distinctionem præcedentem eùm de igne conflagrationis ageremus. Cuius quidem innouationis causam finalem significauit Petrus 2. ep. 3. dicens: *Nouos autem cælos & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat*: quasi diceret, ad hoc mundum innouandum esse, vt fiat aptum habitaculum beatorum qui perfectissimè iusti erunt. Et hoc est quod breuiter Augustinus dixit lib. 20. de ciuit. Dei cap. 16. causam illius innouationis esse, *Vt mundus innouatus hominibus innouatis seruiat*. Cùm enim mundus corporeus propter hominem conditus sit, congruit diuinæ sapientiæ, vt homine per resurrectionem glorificando, mundus etiam modo quodam suo glorificetur, sicut & homine peccante mundus fuit in deterius mutatus. *Terra enim maledicta in opere hominis* Gen. 3. nec dubium quin & cætera elementa & quęcunque hominum vsibus subseruiunt, similem maledictionem subierint, quemadmodum docent Basilius & Ambrosius in Hexameron & Prudentius in hamartigenia. Imò & apostolus Rom. 8. dicens: *Vanitati enim creatura subiecta est non volens*. Vnde & de eius futura cum homine & propter hominem renouatione subijcit, *quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim*, inquit, *quod omnis creatura & ingemiscit & parturit vsque adhuc*, videlicet adspirans & anhelans quodammodo ad renouationem futuram, tanquam ad suum atque ipsius hominis propter quem facta est, bonũ. Nam licèt nulla futura sit in illo statu hominis indigentia cui mundus subseruiat, attamen sicut oculus interior mentis Deum contemplabitur & in Deo delectabitur, ita oculus exterior corporis non sine magna & sancta delectatione versabitur in contemplandis pulcherrimis Dei operibus, iuxta illud psalmi 8. *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*, & 91. *Qui delectasti me*

Domine

Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.

Hæc igitur mundi corporei innouatio poterit ita breuiter & particulatim explicari.

Primò, lumina cælestia, sol, luna, stellæ magnum suæ lucis incrementum accipient, multoque quàm nunc ampliùs lucebunt: *Erit enim*, vt Isaias ait cap. 30. *lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum.* Quod & eadem ratione de cæteris stellis intelligendum venit.

Neque huic contrarium est quod idem propheta cap 60. de eodem tempore loquens ait: *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Hoc enim de vsu horum luminarium ad necessitatem viuentium accipiendum est, vt indicat Hieronymus in eum locũ scribens. Quamquam & ipsa prophetæ verba id satis indicant, & alia quę sequuntur, ostendunt, vbi dicit quod *sol non occidet vltra &c.* Apertiùs autem hunc sensum explicat Ioannes in Apocalypsi 21: *Ciuitas*, inquit, *non eget sole neque luna, vt luceant in ea. Nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus.* Et 22. *Non egebunt lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminat illos.* Cùm enim splēdor corporis Christi omniũque beatorum perpetuum clarissimumque lumen præbiturus sit toti mundo, iam non ad vsum aliquem necessarium, sed ad ornatum vniuersi, sol, luna, & astra aucto lumine remanebunt.

Secundò: Motus orbium cælestium, & proinde solis, lunæ omniumque sydetum cessabit. Neque enim motibus suis ampliùs distinguent tempora, de quibus Gen. 1. *vt sint in tempora & dies & annos &c. quia tempus non erit amplius* Apoc. 10. sed immota persistent singula in loco & ordine suo, iuxta illud Abac. 3. *Sol & luna steterunt in habitaculo suo*, & Isa. 60. *Non occidet vltra sol tuus, & luna tua non minuetur*: id est luna semper erit soli opposita, vt semper sit plena & perfecta. Licèt enim lux eius futura sit vt lux solis, eam ipsam tamen lucem, vt modò, à sole mutuabitur. Rectè autem motus cæli cessaturus dicitur, tum quia cessabit causa eius finalis, id est rerum ortus atque interitus; tum quia quies simpliciter motu perfectior est, vtpote terminus eius, & per quam primæ causæ immobili res vnaquæque magis assimilatur.

An autem cessatio motus cæli sit causa sufficiens, vt cessent omnes rerum generationes, motusque naturales, magis ad philosophum naturalem quærere pertinet, quàm ad Theologum; tametsi probabilior est responsio negatiua, eò quòd cælum non tantùm per motum, verùm etiam per lumen & occultas influentias agat in hæc inferiora, motusque in ijs & actiones naturales producat. De quo pleniùs disputāt scholastici circa hanc distinctionē.

Tertiò, Elementa quoque renouabuntur susceptione claritatis cuiusdam & aliarum qualitatum illi glorioso hominum statui conuenientium. Non tantùm enim cælum nouum, sed etiam terram nouam scriptura prophetica & apostolica nobis promittit. Isa. 65. & 66. 2. Pet. 3. & Apoc. 21. Quibus adde locum Paulinum Rom. 8. de creatura in genere. Sicut autem cęlum omnia cælestia corpora complectitur, ita terra quicquid elementare est, vel saltem aquam tanquam crassum & palpabile elementum; quandoquidem aëris & ignis elementa consuetudine scripturæ sacræ soleat cæli nomine comprehendi. Ac sanè si terra maledicta fuit in peccato hominis, æquum est vt vicissim in eius iusticia & gloria benedicatur.

Postremò mixta corpora siue animata siue inanimata solo homine excepto, nulla innouatione perficientur, sed omnia prorsus interibunt resoluenda in ipsa elementa. Cuius ratio est, quia cæli & elementa per se incorruptibilia sunt, ideoque mansura: cætera verò omnia corruptibilia. Inter quæ soli homini secundum animam immortali promissa est immortalitas & incorruptio etiam secundum corpus. Quare necesse est cætera omnia perire, nullis alijs in eorum locum successuris; quia vt dictum est, rerum generationes & corruptiones tunc cessabunt.

IN DISTINCTIONEM QVADRAGESIMAM NONAM.

§. 1. *Quod beatitudinem omnes appetunt & quomodo.*

CVm non omnes homines id diligant, in quo reuera consistit hominis beatitudo, sed ea magis appetant tanquam præcipua bona quibus deteriores & proinde miseriores efficiantur, verè tamen scriptum est à philosopho lib. 1. eth. & à Cicerone in Hortensio, atque ab Augustino sæpe repetitum, *neminem esse hominum qui non velit esse beatus*, omnibusque adeo naturaliter insitum esse beatitudinis appetitum. Docet hoc Augustinus lib. 13. de trinit. cap. 3. 4. 5. & sequentibus, verbis à Magistro in textu recitatis ac compluribus alijs, in quibus & Ciceronis verba commemorat, & affirmat vsque adeo verum esse quod omnes homines esse beati velint, vt hoc ipsum ardentissimo amore appetant, & propter hoc cætera quæcunque appetant, etiamsi multò maxima pars hominum non id appetat quod verè hominem efficit beatum. Item serm. 14. lib. 17. sermonum vbi ait: *Beatam vitam nemo est qui non velit; Nemo quippe inueniri potest qui beatus esse non velit.* Item lib. 10. confess. cap. 20. lib. de vita beata in disputatione primi diei, lib. 1. de libero arbitrio cap. 14. & alibi. De qua re disputans S. Thomas 1. 2. q. 5. art. 8. dicit beatitudinem dupliciter considerari posse: Vno modo secundum communem rationem beatitudinis. Significat enim beatitudo in genere bonum perfectum. Cùm igitur bonum sit adæquatum voluntatis obiectum, perfectum bonum id erit quod plenè perfecteque voluntatis appetitum satiat. Quocirca appetere beatitudinem in genere, id est, appetere beatum esse, non aliud est quàm appetere voluntatem suam perfectè satiari. Hoc autem omnes volunt, imò non possunt non velle, quia vt ibidem S. Thomas dicit, *necesse est quod omnis homo beatitudinem velit.* S. Thom. 1. 2. q. 5. ar. 8.

Quantum verò ad illud attinet, in quo ratio ista summi perfectique boni inuenitur, non omnes in eo appetendo conueniunt, imò ab eo quamplurimi aberrant. Multi enim illud non cognoscunt vt infideles. Qui autem cognoscunt, non omnes cognoscunt sub ratione summi boni; quò fit vt non appetant ipsum tanquam summum bonum. Qui verò sub hac ratione cognoscunt, etiam appetunt, sed non omnes assequuntur; quia licèt illud absolutè desiderent, & velint etiam sub ratione summi boni, non tamen ea media amplectuntur, sine quibus ad id non peruenitur.

Notau-

Notandum est autem id quod diximus, beatitudinem in genere ab omnibus appeti, verum esse tam de appetitu hominis naturali, qui non aliud est quàm inclinatio seu propensio ac velut pondus quoddam animi in rem aliquam ante actum elicitum voluntatis, quàm de appetitione voluntaria, seu actu voluntatis eliciti. Certissimum est enim naturalem nobis inesse appetitum ad beatitudinem consideratam in genere, nempe ad bonum quod homini optimum est sub ea generali ratione. Quin etiam probabile est appetitum hunc naturalem hominis tendere in veram illam beatitudinem quæ in Dei visione consistit. Sic enim sentiunt S. Thomas & Scotus in prologo 1. sententiarum, ac rursum Scotus & Durandus in hanc distinctionem, & post eos Dominicus ibidem refragante licèt Caietano. Probatur autem ex Augustino dicente lib. 1. confess. cap. 1. *fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Quomodo dicimus corpus quodcunque naturale inquietum esse donec requiescat in loco naturali, etiamsi extra eum violentè quiescat. Deinde confirmatur & his rationibus.

Primò, quia naturale est homini quod sit imago & similitudo Dei: quare & naturaliter inclinatur ad Deum tandem perfectè cognoscendum.

Secundò, quia naturalis hominis appetitus non quiescit, donec ad summum & perfectissimum cognoscibile perueniat, id est ad Deum ipsum: ergo naturaliter in Deum fertur vt in summum bonum.

Tertiò, quia quisque cuiuscunque conditionis homo interrogatus an cupiat Deum videre, modò quid Deus sit, generali aliqua ac vera notione cognoscat; omnino respondebit se id admodum expetere.

Postremò, quia naturaliter vnaquæque res fertur & tendit in aliquid determinatum, vt terra ad centrum mundi: igitur & hominis appetitus naturalis determinatum aliquid persequitur. Atqui nulla res determinata potest designari in quam naturalis hominis appetitus tanquam in summum bonum feratur, nisi Deus ipse.

Porrò de actu voluntatis elicito, non eadem quę de appetitu naturali ratio est, quemadmodum satis patet ex supradictis. Sępe enim voluntas actu elicito id odit ac refugit in particulari, quod reuera summum hominis bonum est, & in quo eius beatitudo consistit, eò quòd illud vt tale homo non cognoscat.

Vtrùm autem beatitudinem sub generali ratione apprehensam voluntas actu elicito sic naturaliter appetat, vt nequeat non velle, an verò tantùm sic vt nequeat nolle id est refugere, positiua videlicet nolitione; variè disputatur inter scholasticos doctores, vt videre est apud Dominicum in hanc distinctionem q. 2. art. 1. concl. 3. Qui quamuis ita sentiat, quod beatitudo in genere cognita necessitatem inferat volũtati tantùm quoad actus specificationem, ita vt nolle eam & respuere voluntas nequeat; non autem quoad exercitum, eò quòd oblatam menti & cognitione apprehensam possit negatiuè non velle, nimirum suspendendo suum actum: aliorum tamen sententia videtur non minori probabilitate posse defendi, ijs rationibus quas ex Henrico Gandauensi Dominicus commemorat, nec tamen soluit. Nam quod dicit voluntatem vt reliquarum potentiarum motricem, posse semper intellectum quicquid cognoscat, ad aliud cogitandum diuertere, non repugnat huic sententiæ. Non enim impedit quò minùs voluntas durante ea cognitione intellectus, in illud actu elicito moueatur, quod ab intellectu cognoscitur.

Iam verò quòd de beatitudine dictum est, id contraria ratione intelligendum de miseria, iuxta illud quod lib. 13. de trinit. cap. 3. de quodam mimo promittente se dicturum quid quisque haberet in animo, refert Augustinus: *Si* inquit, *mimus ille dixisset, Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non cognosceret voluntate*, & ench. 104. *Neque enim voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* Sic ille. Ratio manifesta est ex dictis, Si enim beatitudinem omnes appetunt naturaliter, eò quòd voluntatis obiectum sit bonum, consequens est ob eandem causam omnes naturaliter miseriam fugere, & miseros se esse nolle, licèt in particulari sæpe id appetant homines, quod eos verè miseros facit, idque fugiant quod eos beatos reddere poterat: dum videlicet rem verè malam apprehendunt & consectantur vt bonam, & contrà.

§. 2. *Beatitudinem hominis in Dei visione consistere.*

De beatitudine hominis, in qua re sita sit, variç fuerunt doctorum opiniones. Nam alij consistere eam dixerunt aggregatim in actu intellectus simul & voluntatis erga Deum id est in his tribus Dei visione, amore & delectatione. Alij tantùm in gaudio seu delectatione. Alij tantùm in amore Dei, quem & fruitionem nominabant. Alij in visione seu contemplatione Dei. Alij denique in quodam illapsu Dei in essentiam animæ. Quam opinionum varietatem hac breui quæstione comprehendere licet: Vtrùm beatitudo hominis consistat in actu intellectus an voluntatis. *S. Thom. 1. 2. q. 3. art. 4.*

Vbi primò notandum est beatitudinem hominis idem esse quod vltimum eius finem, quò nimirum omnes suas actiones & desideria refert, & in quo tandem conquiescit. Hoc autem vel obiectum est, vt Deus; vel ea hominis operatio, qua illud obiectum assequitur, eique coniungitur. Atqui præsens quæstio non de obiecto mouetur. Nemo enim Christianus dubitat quin in Deo tanquam summo hominis bono sita sit eius beatitudo, ac multò minùs id à doctoribus catholicis potuit in controuersiam vocari. Sed de operatione qua homo Deo vt summo bono coniungitur, qua proinde & beatificatur, tota quæstio est, vtrumne sit intellectus an voluntatis.

Ad quam ex authoritate scripturæ & patrum respondemus beatificam hanc operationem esse visionem siue contemplationem Dei, ideoque ad intellectum pertinere. Passim enim scriptura significat visionem Dei in futuro sęculo pro summo & perfecto præmio nobis expectandam esse, vt psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*, psal. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*, psal. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, psal. 83. *Videbitur Deus Deorum in Sion*, psal. 90. *Ostendam illi salutare meum*, Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*; licèt id fortè rectiùs ad cognitionem fidei quæ est vitæ præsentis, referatur. De quo vide nostrum Iansenium. Sed certiùs illud est ex eodem apostolo cap. 14. *Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & mani-*

festabo

A *festabo ei meipsum*, & illud 1. Ioan. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, & illud ex eodem Apocal. vlt. de seruis Dei in illa superna Ierusalem, *Et videbunt faciem Dei*. Item adhuc probatur ex 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, Tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*, 2 Cor. 5 *Per fidem ambulamus & non per speciem*. Ex hoc enim sequitur quod in futura vita species, id est perfecta cognitio nobis vt præmium præstabitur. Matth. 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris*. Quod exponens Augustinus lib. 1. de trinit. cap. 13. *Ipsa est*, inquit, *visio* B *facie ad faciem quæ summum præmium promittitur iustis*.

Porrò vt alia patrum loca quibus istam doctrinam confirmant, hic adiungamus, idem Augustinus super illud psal. 90. *Ostendam illi salutare meum*, visionem Dei dicit esse præmium & totam mercedem omnium laborum nostrorum. Quod ipsum habet etiam lib. 1. de trinit cap. 8. 9. & 10. Similes sunt apud eum sententiæ tract. 105. & 111. in Ioan. serm. 10. de verbis Domini, in expos. psal. 109. in fine lib. de vita beata, lib. 16. de ciuit. cap. 39. & lib. 10. cap. 16. vbi eorum probat sententiam C qui dicunt eum infelicissimum qui Dei visione careat. Ex quo consequens est è diuerso felicissimum esse eum qui Deum videat.

Eadem sententia est Basilij oratione 5. in martyrem Iulittam, dicentis, quod Deus pollicetur se nobis daturum cognitionem seu contemplationem suæ diuinæ maiestatis: *Quod vnum*, inquit, *his qui se dignos præstiterunt, in bonis habetur summum &c.*

Eadem Hieronymi sententia est explicantis illud Isa. 65. *Videbitis & gaudebit cor vestrum: Deum videre*, inquit, *vera lætitia est, Dei visio perfectum est gaudium*.

D Item Gregorij ut lib. 8. moral. cap. 14. & hom. 8 super Ezech. ad contemplandum Deum hominem conditum esse affirmat.

Item Bernardi in sententijs moralibus cap. 28. vbi dicit beatos spiritus visione Dei satiari, & epist. 18. *Iustus*, inquit, *ex fide viuit, beatus ex intellectu*; manifestè significans beatitudinem hominis in operatione intellectus consistere, vbi etiam addueit illud Domini ex euangelio: *Hæc est vita æterna vt cognoscant te &c.* Quod & in sententijs moralibus cap. 13. plenius declarat & lib. de interiori domo E cap. 38 quod omnia gehennæ supplicia superabit Deum non videre; ideo nimirum, quia summum bonum est Deum videre.

Docent hoc ipsum & alij patres subinde in explicandis locis scripturæ supradictis. Neque enim videtur apud veteres fuisse dubium, quin in perfecta Dei visione beatitudo hominis consisteret. Vnde & Magister eam sententiam simpliciter asseruit in textu, & S. Thomas cum alijs plærisque scholasticis Magistrum & veteres secuti eam tenent & bonis rationibus confirmant, docentes non in operatione voluntatis, vt Scotus & eius sequaces F volunt, sed in operatione intellectus beatitudinem consistere.

Rationes sunt huiusmodi: Prima; Intellectus præstantior est voluntate: igitur operatio intellectus præstantior est operatione voluntatis. Hac enim ratione & θεωρία dignior est praxi, & in vniuersum vita contemplatiua dignior actiua. Cùm ergo beatitudo ponenda sit in præstantissima hominis operatione, consequens est in operatione intellectus, non voluntatis eam propriè constituendam esse.

A Secunda: Magis perficitur homo per hoc quod Deus velut accedens ad hominem, vnum cum eo efficiatur, quàm quod homo ad Deum accedens ei vniatur. Atqui per operationem intellectus res intellecta velut accedit ad intellectum eique vnitur, per amorem autem qui est actus voluntatis, voluntas egrediendo quodammodo ad rem amatam vnum cum ea efficitur: magis ergo perficit hominem operatio intellectus quàm voluntatis

Tertia: Beatitudo est ipsa consecutio siue apprehensio finis vltimi, quæ non est actus voluntatis B sed intellectus. Nam voluntas siue feratur in finem absentem cum eum desiderat, siue in præsentem cum in eo requiescens delectatur, neutro modo finem apprehendit, sed desiderium quidem præcedit apprehensionem finis, delectatio autem consequitur. Intellectus verò eo ipso quo diuinam essentiam intuetur, eam apprehendit. Fit enim ea operatione vt homini summum bonum sit præsens, in quo deinde voluntas delectata conquiescat. Igitur in actu intellectus propriè sita est hominis beatitudo, licèt in voluntate sit delectatio beatitudinem C necessariò consequens; quam proinde delectationem patres aliquando impropriè beatitudinem vocant.

Quarta: Beatitudo hominis sita est in ea operatione per quam homo perfectè Deo assimilatur, iuxta illud: *Cum apparuerit similes ei erimus* 1. Ioan. 3. Fit autem assimilatio maximè per cognitionem videlicet receptione similitudinis à re cognita, ergo in cognitione perfecta, id est, visione Dei consistit hominis beatitudo, sicut ibidem subiungitur, *quia videbimus eum sicuti est*.

D Quinta: Si quis habeat caritatem patriæ, Deum tamen non videat, non erit beatus, qualis opinione quorundam fuit in hac vita virgo Deipara. At contra si quis habeat caritatem viæ id est imperfectam, Deum tamen videat, beatus erit, non ob aliud quàm quia Deum videt: ergo in videndo, non in amando propriè sita est beatitudo.

Sexta: Spes est beatitudinis æternæ tanquam præcipui sui obiecti: atqui eadem spes est visionis magis quàm dilectionis, tum quia dilectio habetur in hac vita, quæ licèt imperfecta sit, eiusdem tamen est rationis cum ea quæ habebitur in futura vita, visio autem non habetur sed tantùm exspectatur, E tum quia dicit apostolus Rom. 8. *Spes quæ videtur non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus &c.* cùm ergo spes versetur potissimùm circa visionem, consequitur in visione beatitudinem sitam esse.

Postrema: Summa miseria hominis consistit in carentia diuinæ visionis id quod patres sæpe testantur, vt Augustinus & Bernardus locis supracitatis & alij: ergo summa felicitas consistit in visione Dei.

F His accedit sententia philosophi qui lib. 10. metaph. docet præstantissimam omnium diuinissimamque operationem esse contemplationem, quam dicit Deorum esse vitam, & lib. 1. eth. ac rursum lib. vlt. docet felicitatem hominis consistere in operatione intellectus circa præstantissimum intelligibile. De hoc argumento videre est S. Thomam scribentem super hac distinctione & 1. 2. q. 3. art. 4. lib. 3. contra gentes cap 26. & alibi.

§. 3. *Argumenta contrariæ opinionis soluuntur.*

S. Thom. 1.2. sup. & q. 4. ar. 1. & 2.

QVi beatitudinem hominis in operatione voluntatis constituunt, velut in amore vel gaudio, vel fruitione Dei, siue fruitionis nomen ad amorem, siue ad gaudium referant, his ferè nituntur argumentis.

Primum: Voluntatis obiectum est bonum habens rationem finis, ergo beatitudo quæ summum bonum est & vltimus finis, ad voluntatem pertinet.

Secundum: Voluntas est præstantior intellectu, tum quia vt dictum est, obiectum voluntatis est bonum, intellectus autem verum; tum quia voluntas vt princeps & domina mouet intellectum sicut & cęteras potentias, atque ijs imperat, non contrà: ergo in operatione voluntatis potiùs quàm intellectus constituenda est beatitudo.

Tertium: Dilectio est actus excellentior cognitione, quia charitas maior est fide iuxta illud, *Maior horum charitas*: ergo in dilectione quæ voluntatis actus est, potiùs quàm in cognitione sita est hominis beatitudo.

Quartum: Sicut in hoc sæculo ita & in futuro magis per charitatem sancti Deo coniunguntur ac similes efficiuntur, quam per cognitionem. Vnde & Seraphim quibus ab amore nomen est inditum, sunt in ordine excellentiori, Deoque proinde coniunctiores quàm Cherubim qui nomen habēt à scientia. Atqui beatitudo ponenda est in ea operatione quæ nos Deo maximè coniungit.

Quintum: Visionem sequitur vlterior finis scilicet ipsa fruitio: ergo beatitudo, quæ est vltimus finis, non consistit in visione sed in fruitione.

Sextum: Beatitudo significat delectationem, quia quotquot volūt esse beati, quærunt aliquid in quo cum delectatione acquiescant. Delectatio autem in voluntate est, ergo & beatitudo.

Septimum: Voluntas in hac vita comparat meritum beatitudinis, quia per eam bona opera facimus: ergo eadem voluntas debet in se tanquam subiecto recipere mercedem seu præmium, id est, eam operationem in qua beatitudo consistit.

Octauum: Augustinus lib. 19. de ciuit. cap. 10. victorię nostræ pręmium esse dicit æternam pacem quam nullus aduersarius inquietet: *Ipsa est* inquit, *beatitudo finalis, ipsa perfectionis finis*, & cap. 11. *Quapropter*, inquit, *possumus dicere finem bonorum nostrorum esse pacem* iuxta illud psal. 147. *Qui posuit fines tuos pacem*, & infrà: *Profectò finis ciuitatis huius in quo summum habebit bonum, vel pax in vita æterna, vel vita æterna in pace dicendus est. Tantùm est enim pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremò possit melius inueniri.* Deinde cap. 27. ita concludit: *Et ideo pax beatitudinis huius, vel beatitudo pacis huius summum bonum erit.* Hæc Augustinus. Atqui pax in voluntate est, igitur secundum Augustinum beatitudo in voluntate consistit.

Nonum: Idem doctor lib. 10. confess. cap. 23. beatam vitam esse dicit gaudium de adeptione summi boni. Quod etiam habetur lib. 1. de libero arbitrio cap. 13. Cui consonat illa Prosperi ex Augustino sententia 180. *Beata vita est gaudium de veritate quod Deus est.*

Decimum: Idem lib. 1. de doctrina Christiana cap. 32. *Hæc*, inquit, *merces summa est, vt Deo perfruamur.*

Vndecimum: Anselmus lib. 2. Cur Deus homo cap. 1. *Rationalem naturam*, inquit, *à Deo factam esse iustam, vt illo fruendo beata esset, dubitari non debet.* Et paulò pòst: *Ad hoc itaque factam esse rationalem naturam certum est, vt summum bonum super omnia amaret & diligeret &c.* Ex quibus apparet quod in fruitione, amore & dilectione consistat beatitudo.

Duodecimum: Bernardus serm. 5. de modo bene viuendi, inter alias hanc habet sententiam: *Summum bonum diligere summa est beatitudo*; igitur & Bernardus sensit in dilectione Dei beatitudinem nostram consistere.

His argumentis etsi plærisque non ita leuibus, vt temerè Scotum & alios quosdam in diuersam adduxerint sententiam, vt proinde non immeritò inter problemata Theologica numeretur hæc quęstio; poterit tamen ex sententia S. Thomæ & sequacium eius responderi in hunc modum.

Ad primum respondetur summum bonum esse obiectum volūtatis sed non actum voluntatis, sicut obiectum visus est visibile, non autem visio. Quare potiùs contrarium ex hoc argumento statuitur; nempe beatitudinem non consistere in actu voluntatis, eò quòd sit voluntatis obiectum. Siquidem actus voluntatis non potest esse voluntatis obiectum nisi per accidens, dum voluntas reflectitur super actum suum.

Ad secundi argumenti priorem probationem respondetur cum S. Thoma 1. q. 82. art. 3. verum quod est obiectum intellectus, esse simplicius & magis absolutum, ideoque secundum se nobilius & altius, quàm bonum quod est obiectum voluntatis, nam obiectum intellectus est ipsa ratio boni appetibilis. Vnde sequitur intellectum simpliciter esse potentiam altiorem & nobiliorem voluntate.

Ad posteriorem dicendum, quòd non tam voluntas quàm liberum arbitrium rationem simul & voluntatem includens dominatur cæteris potentijs. Est enim omnino retinenda Diui Thomæ sententia, in intellectu esse originalem causam libertatis. Item quamuis voluntas intellectum aliasque potentias moueat ad finem, intellectus tamen finem primò ostendit per cognitionem, ideoque & primò attingit eum atque apprehendit per visionem: voluntati autem vt primo mouenti debetur id quod vltimum est, quodque finis apprehensionem consequitur, nempe quies & delectatio in fine comprehenso.

Ad tertium respondetur, Paulum non comparare charitatem cum visione Dei sed cum fide & spe cæterisque charismatis huius vitæ imperfectum quid includentibus, & proinde non mansuris in futura vita. Vnde quamuis dixerit charitatem esse maiorem fide & spe sub quibus etiam scientiam, prophetiam, linguas comprehendit, non tamen dixit charitatem esse maiorem quàm videre Deum facie ad faciem, quod eo loco tanquam summum futuri sæculi bonum nobis exspectandum significat. Quocirca dicendum in hoc quidem sęculo dilectionem præstare cognitioni, quia cognitio quam in hoc sæculo de Deo habemus, ordinatur ad dilectionem, non contrà. At eadem dilectio ordinatur ad visionem Dei quam in futuro exspectamus. Porrò visio illa non ordinatur vlterius ad amorem aut delectationem tanquam ad finem, Quin potiùs visio ipsa est finis, in quo voluntas conquiescit atque delectatur. Itaque delectatio non est actus in quo beatitudo consistit, sed actum illum beatifi-

cum

A

.nun necessariò consequitur, tanquam propria eius passio, vt ait S. Thomas. Ex quo simul patet responsio ad quintum.

Ad quartum dicendum, beatos Deo maximè coniungi per actum, quo Deum vt finem apprehendunt, qui actus est visio Dei.

Ad probationem verò respondetur, hæc nomina Seraphim & Cherubim ordinibus illis angelicis indita esse causa nostri, vt intelligamus nobis in hac vita iuxta apostoli doctrinam maiori studio sectandam esse charitatem quàm scientiam.

B

Ad sextum, Beatitudo delectationem non tam significat quàm consignificat. Principaliter enim significat actum intellectualis naturæ, quo finem suum vltimum consequitur; connotat autem delectationem siue quietem & pacem in fine habito.

Septimum argumentum non aliud conuincit quàm voluntatem debere tandem in beatitudine acquisita delectari. Adde quod voluntas & intellectus non debent considerari tanquam duo supposita, quibus singulis pro meritis propria sua merces debeatur, sed tanquam duæ potentiæ eiusdem suppositi, videlicet hominis qui propriè mereri & mercedem recipere dicitur, licet secundum aliam & aliam potentiam. Nam alioqui simile argumentum etiam de membris humani corporis moueri posset, quorum alia laborant, alia comedunt, alia cibum recipiunt.

C

Ad octauum respondet S. Thomas pacem pertinere ad vltimum hominis finem, non quod essentialiter sit ipsa beatitudo, sed quia antecedenter & consequenter ad eam se habet, tametsi Augustinus præcipuè respexit ad pacem consequentem, qua nimirum homo beatitudinem adeptus & proinde desiderio iam quietato remanet in totum pacatus.

D

Noni argumenti similis est solutio. Dicitur enim beata vita esse gaudium, quia beatam vitam gaudium consequitur. Alij respondent beatam vitam posse sic intelligi, vt comprehendat vtrumque, scilicet assecutionem summi boni, & in eo delectationem. Quod verum est secundum declarationem factam in responsione ad sextum.

E

Ad decimum, Si frui idem est quod delectari in summo bono iam adepto, similis erit sensus cum præcedentibus; nempe fruitionem eatenus dici mercedem summam, quia visionem Dei quæ propriè summa merces est, fruitio consequitur. Est tamen non improbabile Augustino fruitionem non esse ipsam delectationem, sed potiùs actionem ex qua capitur delectatio. Dicit enim Augustinus lib. de moribus eccles. cap. 3. *Quid est aliud quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligis?* Atqui præsto habere non est delectari, sed natura priùs est præsto habere quàm delectari, & hoc ex illo consequitur.

F

Ad vndecimum, Anselmus partim loquitur de homine secundum statum huius vitæ, partim fruitionis vocabulum sic vsurpat vt Augustinus: aut certè dicendum est rationalem naturam beatam esse Deo fruendo non formaliter sed consecutiuè, vt iam explicatum est.

Quod postremo loco obijcitur, non est Bernardi, vera tamen est sententia, loquitur enim author ille de beatitudine huius vitæ, vt patet ex contextu loci.

§. 4. Non omnium parem fore beatitudinem aut miseriam.

SÆpe testatur scriptura Deum *redditurum vnicuique secundum opera sua*: cùm ergo in operibus ac meritis hominum tam bonis quàm malis magna conspiciatur diuersitas, consequens est nec beatitudinem in omnibus electis, nec miseriam in omnibus reprobis æqualem fore. S. Thom. 1.2 q 12. art. 6. Item 2. 2. q. 5. art. 2.

Quod autem opera non omnia paris sint meriti (qui quondam fuit error Stoicorum inter philosophos, & postea Iouiniani inter hæreticos) præter argumenta quę tum ex sensu communi, tum ex humanis præmijs & supplicijs peti possunt, etiam scriptura luculenter id docet. Nam de bonis quidem operibus sunt hæc testimonia 1. Cor. 7. *Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui non iungit, melius facit*, & iterum: *Beatior erit si sic permanserit* & cap. 12. *Æmulamini charismata meliora*, & cap. 13. *Maior horum charitas.* Item Matth. 13. *Seminaliud dedit fructum centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum*, & 19. aliud præcipitur volenti ad vitam ingredi, aliud consulitur ei qui velit perfectus esse. Vnde & apostoli interrogant: *Ecce nos reliquimus omnia &c.* & cap. 23. increpantur scribę & pharisei, quòd quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem reliquissent, facientes tantùm minora. Sed & cap. 22. mandatum dilectionis Dei vocatur *maximum & primum mandatum*, quia nimirum eius obseruatio maximè hominem commendat Deo, & Iacobi 1. *Patientia opus perfectum habet.* Probant hoc etiam scripturæ quæ ad profectum sanctæ conuersationis hortantur, vt Apoc. vlt. *Qui iustus est iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Et Paulus ferè per singulas epistolas. Denique conuincunt hoc disputationes veterum, Hieronymi, Augustini & aliorum contra Iouinianum ea maximè parte, qua castitatem coniugalem virginitati æquabat.

De malis quoque operibus frequentes sunt sententiæ, vt Matth. 5. *Omnis qui irascitur &c.* Vbi tres gradus peccati quod irascendo committitur, constituuntur, & cap. 12. blasphemia contra filium hominis docetur esse multò minor, quàm quæ dicta fuerit contra spiritum sanctum, sicut & 1. Ioan. 5. *peccatum ad mortem* multò grauius est peccato non ad mortem. Item Luc. 6. festuca à trabe tanquam leue peccatum à grauiore distinguitur, & Prou. 6. furtum adulterio minus esse ostenditur. Item Ioan. 19. *Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet*, & Apoc. vlt. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.*

Postremò pertinent huc ea omnia ex quibus probatur discrimen peccatorum venialium à mortalibus. De quo agitur ad distinctionem 42. lib. 2.

Ad vtrumque autem genus operum tam bonorum quàm malorum generalis ratio accommodatur, quæ sumitur ex disparitate obiectorum, varietate circumstantiarum, & inæquali intensione operum. Vt enim habitus virtutum & viciorum alij alijs meliores sunt vel deteriores, ita & opera ex ijs profecta plus minusue laudis aut vituperij merentur, ex eo quod obiecta magis minusque præstantia sunt, tum ex circumstantijs quæ sæpenumero meriti rationem augent aut minuunt, sicut etiam fit ex maiori minoriue conatu operantium, vel intensione ipsorum operum.

E quibus omnibus consequens est nec præmia

bonorum inter se, nec supplicia malorum paria futura. Merita enim inæqualia in iudicio diuino, in quo *vnusquisque secundum opera sua recepturus est siue bonum siue malum*, inæqualem poscunt retributionem.

Quam retributionis inæqualitatem etiam alibi sæpius scriptura commemorat, & primum in præmijs bonorum, vt Ioan. 14. dicente Domino: *In domo patris mei mansiones multæ sunt* 1. Cor. 15. vbi diuersæ *claritati solis, lunæ stellarum* comparatur gloria sanctorum in resurrectione 2. Cor. 9. *Qui parcè seminat*, inquit, *parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Matth. 19. vbi maior gloria promittitur apostolis in resurrectione quàm alijs minus perfectis. Isa. 65. vbi promittitur, *eunuchis in regno Dei nomen melius à filijs & filiabus*, & Apoc. 14. de virginibus: *Nemo poterat dicere canticum, nisi illa 144000. qui empti sunt de terra &c* Item Dan. 12. similiter ijs *qui ad iustitiam erudiunt multos* illustrior gloria promittitur.

Hinc est illa Augustini definita sententia lib. vlt. de ciuit. cap. vlt. *Qui futuri sint*, inquit, *pro meritis præmiorum gradus, quis est idoneus cogitare? Quod tamen futuri sint, non est ambigendum.* Quam rem pluribus declarat tract. 67. in Ioannem exponens illud: *In domo patris mei &c.* Docet hoc idem lib. 4. contra Donat. cap 19 & alibi, Item Hieronymus in Ezech. 4. 9. & 30. Gregorius lib. vlt. moral. cap. 14. tractans locum apostoli 1. Cor. 15. & hom. 37. in euang. Ambrosius in exhortatione ad virgines citans locum Isa. 65. & lib. 7. in Luc. 15. Prosper sententia 360. Bernardus in apol. ad Guilhelmum abbatem & alij.

De supplicijs quoque malorum non minus aperta est doctrina scripturæ sacræ vt Matth. 11. & Luc. 10. vbi testatur Dominus *tolerabilius fore Tyro & Sidoni & Sodomis in die iudicij, quàm Iudæis qui ipsum præsentem contempserunt*, & Luc. 12. *seruus*, inquit, *sciens voluntatem Domini & non faciens, vapulabit multis: nesciens autem vapulabit paucis.* Et Marc. *Hi accipient prolixius iudicium.* Item Sap. 6. *Iudicium durissimum in his qui præsunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur*, & rursum, *fortioribus autem fortior instat cruciatio* Rectè igitur Hieronymus super Ezech. 30. Sicut bonorum apud patrem diuersæ sunt mansiones, ita & Ægypti suppliciorum diuersa iudicia.

Ex his itaque clarum est in futuro sæculo tam supplicia quàm præmia pro ratione meritorum diuersa ac disparia fore, & proinde nec sanctos omnes æquè beatos, nec malos æqualiter miseros futuros, quemadmudum & Augustinus concludit ench. 111.

Denique hac de re manifestum extat concilij Florentini decretum sess. vlt. in quo Græcis consentiētibus definitum est inter beatos *alium alio perfectius Deum, sicuti est, visurum, damnatos quoque pœnis disparibus puniendos.*

§. 5. *Solutio eorum quæ contra obijciuntur.*

S. Thom locus prænimè allegatus.

ADuersus id quod de impari Sanctorum beatitudine dictum est, primò omnium obijcitur, quòd beatitudo summum bonum est, summo autem bono nihil est melius. quare fieri non poterit, vt beatitudo in alijs maior sit, in alijs minor.

Deinde solet obijci, quod cum beatitudo consistat in visione Dei, omnes autem beati omnia in Deo visuri sint, quorum visio beatum faciat, & id maximè quod est præcipuum, nempe Deum esse trinum & vnum; consequens appareat omnes æquè beatos fore.

Tertiò contra solutionem secundi argumenti quam adfert Magister, quòd alius alio perfectius omnia illa in Deo visurus sit, iterum obijcitur visionem Dei in qua beatitudo consistit, ita perfectam fore, vt non solum omnem indigentiam atque imperfectionem ab omnibus electis excludat, verùm etiam omnium desiderium impleat.

Quartò contra eandem responsionem adhuc obijcitur quod docet Augustinus lib. octoginta trium quæstionum q. 32. eam intelligentiam, qua quæque res intelligitur, esse perfectam, qua nimirum præstantior, esse non possit, nec posse alium alio eandem rem plus intelligere.

Quintò, Si visio erit perfecta, erit & amor perfectus & gaudium plenum atque perfectum, iuxta id quod Dominus suis promittit dicens Ioan. 16. *Vt gaudium vestrum sit plenum.* Siquidem visionis perfectionem & plenitudinem amoris & gaudij perfectio ac plenitudo ex necessitate consequitur: Igitur siue in visione, siue in amore, siue in gaudio constituatur felicitas sanctorum, videtur in omnibus futura æqualis, quia in omnibus plena atque perfecta.

Sextò, Quin etiamsi visionis claritas in diuersis sit inæqualis, gaudium tamen in omnibus æquale fore ex authoritate apostoli 1. Cor. 15. testatur Prosper sententia 360. dicens: *Sed vt Deus omnia in omnibus erit, fiet etiam in dispari claritate par gaudium, vt quod habent singuli, commune sit omnibus.*

Septimò: Omnes operarij vineæ Domini seu multum seu parum laborauerint, accepturi sunt in fine *denarium diurnum*, iuxta parabolam euangelicam Matth. 20. Atqui diurnus ille denarius merces est æqualis. Nam alioqui neque murmurationi eorum qui plus se accepturos sperabant, locus fuisset vt dicerent, *Et pares illos nobis fecisti*, neque responsioni patrisfamilias dicentis: *Volo & huic nouissimo dare sicut & tibi*, id est, quantum tibi. Vnde & Augustinus serm. 59. de verbis Domini: *Denarius*, inquit, *vita æterna est, & in vita æterna omnes æquales erunt.*

Octauò: Augustinus lib. de perfectione iustitiæ cap. 3. *Tunc*, inquit, *plena charitas erit, quando videbimus Deum sicuti est. Neque enim erit quod addatur ad dilectionem, cum fides peruenerit ad visionem* Sic ille Quod si ad dilectionem nihil addi poterit, ergo nec ad visionem: erit ergo summa tam visio quàm dilectio omnium, & proinde æqualis.

Nonò, Quod ad pœnam reproborum attinet, vnus idemque ignis gehennæ omnes inuoluet: erit igitur eadem omnibus pœna sensus.

Decimò: Pœna damni reproborum est carentia diuinæ visionis, quæ magis ac minus non suscipit, cum sit mera priuatio: igitur & hoc genus pœnæ erit omnibus æquale.

Postremò: Par Dei visio efficit æquè beatos, ergo æqualis priuatio visionis facit æqualiter miseros.

Sed ad hæc ordine respondeamus. Ad primum cum S. Thoma 1.2. q. 5. art. 2. dicendum est, beatitudinem dici summum bonum quatenus est summi boni perfecta possessio. Nam propriè Deus est summum bonum, quod tamen ab electis non æqualiter participatur ea operatione in qua beatitudinem consistere diximus, quia licèt bonum illud

sit in se inuariabile, varia tamen eius potest esse participatio. Nam & angeli non omnes illud bonum videndo participant æqualiter, sed alij alijs plenius & perfectiùs, pro sua quisque capacitate. Vnde Cyrillus Hierosolymitanus catech. 6. *Vident angeli ita vt capiunt, & archangeli ita vt possunt: Throni verò & dominationes plusquam illi &c.* & catech. 7. *Vident angeli Dei faciem, vnusquisque secundum ordinis proprij mensuram.*

Ad secundum, Fatendum est omnes electos omnia illa in Deo videre quæ sunt in eo formaliter, id est, quæcunque sunt ipsa diuina essentia, siue sint relationes personarum siue attributa Dei essentialia, vt bonitas, potentia, sapientia &c. Deinde vnumquemque etiam ea videre in Deo quæ tum ad rerum naturas atque alia diuina mysteria generaliter, tum ad ipsius statum peculiariter pertinent, de quibus copiosè disputat Dominicus in hanc distinctionem q. 3. art. 2. Neque tamen ex his consequens est omnes æquè beatos fore, quia cùm perfectio ipsa gradus suos habeat, hęc omnia eadem ab alijs perfectiùs, ab alijs minùs perfectè cognoscentur, exclusa tamen omni imperfectione atque defectu. Animus enim & voluntas vniuscuiusque perficietur & implebitur pro sua capacitate. Et quia non omnium eadem erit capacitas, sed pro modo meritorum diuersa; hinc ita omnes pleni, & omnes perfecti erunt, vt tamen maior futura sit plenitudo & perfectio capacioris, quàm eius qui minus capit. Non enim dubitandum est quin Deus infinitis gradibus perfectiùs à seipso cognoscatur, quàm ab vlla creatura. Ac rursum multò perfectiùs ab anima Christi, quàm ab vllo alio intellectu angelico vel humano. Sicut & ea ipsa quæ nunc à nobis de Deo cognoscuntur, cognoscemus multò perfectiùs in vita futura. Ex quibus etiam ad tertium patet responsio.

Quod autem quarto loco ex Augustino obijcitur, veritatem habet, de cognitione ex parte obiecti, non ex parte cognoscentis. Res enim ipsa si verè intelligitur, intelligi debet sicuti est. Nam si plus intelligitur, aliud intelligitur, vt patet in numeris. Sunt autem rerum species & essentiæ velut numeri, teste philosopho. Nihil tamen prohibet eandem rem perfectiùs ab vno quàm ab alio intelligi, sicut & oculis corporeis videri, prout alius alio acutiori intellectu aut visu præditus est.

Ad quintum, Iam ex dictis patet amorem quidem & gaudium omnium plenum & perfectum fore, sed tamen pro capacitate singulorum maius aut minus.

Nec repugnat Prosperi sententia quæ sexto loco obijciebatur. In ea enim par gaudium intelligitur propter vninetsitatem rerum de quibus gaudetur, non propter gaudij ipsius perfectionem. Nam vt ipse explicat, *erit Deus omnia in omnibus*, fietque per connexionem charitatis, vt quod habent singuli, commune sit omnibus, quemadmodum & Augustinus docet tractatu 67. in Ioannem.

Ad septimum, Denarium euangelicum Augustinus præter locum allegatum in obiectione etiam in dicto tractatu super Ioannem & lib. de sancta Virg. cap. 26. & Gregorius homil. in euang. atque alij interpretantur vitam æternam, eamque omnibus æqualem, sed hoc sensu, quia vel omnibus communis erit, vel quia in æternitate non viuet alius alio prolixiùs. Alij, vt Hieronymus, Chrysostomus, Theophyl in genere salutem & gratiam spiritussancti intelligunt, per euangelicam prædicationem omni ætati ac generi hominum communiter expositam. At alij plus aliquid significarum volunt; nempe laboris magnitudinem vel diuturnitatem per se non valere ad percipiendam maiorem merced-m, quantum ad præmium essentiale attinet, sed omnes eos in præmio pares futuros, qui etsi laboris mensura inæquales, pari tamen charitatis affectu Deo seruierunt; vt exempli causa, Paulus & Franciscus, Antonius & Laurentius, Hilarion & Latro. Hunc parabolæ sensum reddit etiam Dominicus loco memorato, & probari potest ex eo, quia murmuratores pro se tantùm allegant molestiam laboris, & diuturnitatem temporis, Quæ, vt diximus, per se non augent meritum.

Si quis obijciat patremfamilias dicere, *quia ego bonus sum*, vt sit bonitatis id est gratiæ, & non iustitiæ, quod nouissimi eundem eum primis denarium acceperint; respondetur etiam ad tertiam horam dictum esse à patrefamilias: *Et quod iustum fuerit dabo vobis*; Imò & ad sextam & nonam horas, dicente Domino: *Et fecit similiter.* Quod proinde etiam ad vndecimam horam dictum intelligi debet; præsertim cùm Gręci & Syriaci codices id etiam exprimant his verbis: *Et quod iustum fuerit, accipietis.* Vnde & præcipit procuratori vineæ, vt operarijs omnibus reddat mercedem. Merces autem meritum respicit, & ex iustitia redditur. Dicit autem, *quia ego bonus sum*, eò quòd carnalis animus putare posset hoc non esse iustitiæ, vt qui multò minùs alijs laborauerit, æqualem eum illis mercedem acciperet: cui cogitationi respondet Dominus: Etiamsi vt vos putatis, iustitiæ non esset, quod facio, non tamen reprehendendus sum, quia facere id possum ex mera liberalitate. Non enim gratia vnius, iniuria est alterius. Adde quod rectè bonitatem suam alleget, qui ex bonitate sua statuit bonis operibus mercedem vitæ æternę.

Ad octauum, Non negat Augustinus dilectioni patriæ absolutè quicquam addi posse. Posset enim haud dubiè Deus eam augere si vellet, sed hactenus nihil addi potetit ex mente Augustini, quia implebitur mensura capacitatis cuiusque, vt supradictum est.

Ad nonum, Sicut Deus vnus & idem non æquè perfectè ab omnibus electis videbitur, ita ignis inferni non æqualiter omnes reprobos cruciabit, sed pro meritorum disparitate alios magis alios minus. Ratio est, quia aget ignis ille in reprobos dæmones & homines non naturaliter, sed vt supernaturale instrumentum iustitiæ diuinæ, volentis vnumquemque punire secundum merita. Tametsi hanc rem etiam naturali exemplo radij solaris declarare conatur Haymo homil. 1. post octauam pentecost. *Nam sicut sub eodem solis radio non omnes æqualiter vruntur, ita*, inquit, *non omnes reprobi ab igne gehennali æqualiter patiuntur*; quia nimirum ea quæ patiuntur, non eodem modo se habent.

Ad decimum, Quamuis pura priuatio vt talis non recipiat magis & minus, ideoque plæri-

que existiment pœnam damni in omnibus æqualem fore, vt vult argumentum propositum, rectiùs tamen videntur dicere Abulensis super Matt. 25. q. 640. & Dominicus super vltimam distinctionem art. 4. concl. 1. hanc quoque damnatorum pœnam pro mensura meritorum fore inæqualem; non quidem ratione sui, sed ratione causæ, quæ est maior aut minor inimicitia Dei, remouentis eos à suo conspectu & à participatione omnium bonorum.

Ad postremum, Neganda consequentia. Par enim visio ideirco facit æquè beatos, quia qui æqualiter Deum videot, æqualiter eum meore assequuntur. At priuatio in mente nihil ponit per se, sed ex consequenti; dum videlicet mens intelligit se tanti boni visione priuari. Hoc autem intelligere & quod inde sequitur, de eo in voluntate contristari, non est in omnibus æquale, ob rationem modò dictam, vel ob quamcunque aliam, si quæ probabilior huius rei ratio adferri potest.

§. 6. *Perfectiorem fore sanctorum beatitudinem post resurrectionem.*

S. Thom. suppl. q. 93. art 1. BEatitudo hominis etsi principaliter in Dei visione consistat, aliorum tamen bonorum accessione fit auctior & perfectior, sic vt tota beatitudo comprehensis etiam accidentarijs bonis rectè definita sit à Boëtio lib. 2 consol. phil. prosa 2. *status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Vbi bona intelliguntur omnia ea quæ rationabiliter desiderantur. Est enim beatus authore post Ciceronem Augustino, *qui habet quicquid vult, & nihil malè vult.* Atqui inter ea quæ rectè meritoque desiderantur ab vnoquoque homine, numerari sine dubio debet plena mortis & miseriæ abolitio per corporis resurrectionem, atque iteratam vnionem cum anima & eiusdem glorificationem. Hinc ergo consequens est maiorem fore sanctorum beatitudinem post resurrectionem, impleto nimirum animarum desiderio, quo naturaliter expetunt corporum suorum societatem: Imò secundum hanc plenam beatitudinis rationem sanctos siue eorum animas ante corporum associationem non esse beatas, vtpote nondum expleto ipsarum desiderio. Ex quo procedit illa earum vox Apoc. 6. *Vsquequo Domine non iudicas & non vindicas &c.* Vnde apostolus Heb. 11. negat sanctos vita defunctos *sine nobis consummandos*, quia consummatio beatitudinis demum in resurrectione erit. Tunc enim omni ex parte replebitur desiderium eorum cum *redemerit Deus de interitu vitam eorum*, & *renouauerit vt aquila iuuentutem eorum*, psal. 102. Rectè igitur dictum est ab Augustino tract. 49. in Ioan. quod facta resurrectione bonorum gaudium amplius erit, sicut & malorum tormenta grauiora. Neque aliud nobis insinuant ea scripturæ loca quæ plenam retributionem operum promittunt in diem extremi iudicij, quemadmodum & ea testimonia veterum, quæ sanctorum beatitudini ante resurrectionem derogare nonnihil videntur. De quibus omnibus plenius à nobis actum est ad distinctionem 45. huius libri.

Porrò rationem eius desiderij quo anima naturaliter corporis coniunctionem appetit, exponit Augustinus lib. 12. de gen. ad lit. cap. 34. & 35. Est autem vt breuiter dicamus, hæc ratio, quia corpus naturale est organum seu instrumentum animæ, eique naturaliter coniunctum, sic vt cum eo quid vnum secundum substantiam constituat, suasque naturales operationes exerceat. Extat autem ea de re definitio Florentini concilij in quo Græcis consentientibus decretum est *animas sanctorum perfecta frui felicitate, perfectiori tamen cum suis corporibus cum resurrexerint, fruituras, quando etiam ijdem sancti vt sol resplendebunt quemadmodum Christus ipse in monte resplenduit.* Hæc enim in procemio illius concilij Græcorum confessio est, cùm paulò antè Latini verbis paulum diuersis sub eodem planè sensu dixissent *se credere sanctorum animas, quatenus animæ sunt, perfectam suam felicitatem assecutas esse; ita tamen vt aliam cum suis corporibus perfectionem expectent, qua quidem perpetuo, fruantur.* Ex quibus patrum verbis probabilis fit sententia communis Theologorum qua tradunt beatitudinem sanctorum à resurrectione perfectiorem fore non intensiuè, sed extensiuè tantùm; quia quæ nunc in sola anima est, tunc etiam ad corpus proferetur, atque in toto homine erit. Non enim dicunt illius concilij patres, ne Græci quidem animas post resurrectionem Deum perfectiùs visuras, sed *fruituras perfectiori felicitate cum suis corporibus*, vel vt Latini, *expectare aliam perfectionem cum suis corporibus.* Quod vtrumque ad extensionem felicitatis pertinet; præsertim quia Latini dixerunt aliam, non autem maiorem. Corporis enim beatitudo alia est ac specie differens à beatitudine animæ: ex vtraque verò consurgit hominis beatitudo extensione maior atque perfectior. Quam sententiam confirmat exemplum Christi qui in triduo mortis anima à corpore separata, nihilo remissius aut imperfectius quàm ante vel post quando corpori fuit coniuncta, Deum vidit.

Probat & ratio. Tantùm enim in futura vita quisque Deum videt, quantum amat, & contrà. Atqui resumptis corporibus sancti non diligent Deum perfectiùs, dicente Augustino lib. de perfect. iustitiæ capit. 3. *nihil erit quod addatur ad dilectionem, cùm fides peruenerit ad visionem*: igitur nec perfectiùs videbunt.

Item, Animæ sanctorum quatenus animæ sunt perfectam, plenam ac totam mercedem iam recipiunt, vtpote existentes in statu mercedis ac remunerationis; ergo merces earum vt animæ sunt, id est, visio Dei non amplius in illis augebitur. Quod & suprapoſita Latinorum verba ista: *quatenus animæ sunt*, non obscurè significabant.

Denique videtur hoc voluisse Benedictus 12. quando in extrauaganti quæ incipit: *Benedictus Deus*, dixit *continuari visionem Dei quam habent animæ à morte corporis vsque ad resurrectionem & inde vsque in æternum.* Dicens enim eam continuari, videtur innuere quod neque crescat neque minuatur. Et quidem testatur Ioannes Villanus lib. 11. histor. Flor. capit. 19. definitum esse à pontifice animarum gloriam non auctum iri post resurrectionem nisi extẽsiuè; tametsi id ex verbis põtificis iam prolatis certò statui non potest, quia continuatio per se non negat augmentum. Vnde nec Augustini, Bernardi, Petri Lombardi, Haymonis & quorumdam scholasticorum in contrarium opinio de qua diximus ad distinctionẽ 45. ita reijcienda est, quasi

dogmati

dogmatiſam io ecelesia definito contraria, ſed tanquam ſententia minus probabilis, probabiliori poſtponenda.

IN DISTINCTIONEM VLTIMAM.

§. 1. *Utrùm damnati peccare poßint.*

S. Thom. 1 p. q. 64. Item 1. 2. q. 89. a. 4. & tertium suppl. q. 98. art 1. 5. & 6.



VÆSTIONI qua quæritur, an qui ſemel æternis ſupplicijs addicti ſunt, vlterius peccare poſſint; occaſionem præbuerunt quædam patrum ſententiæ, quibus id negari videtur.

Ambroſius enim lib de bono mortis cap. 7. *Impius*, inquir, *quamdiu viuit, peccatum auget, moriatur, peccare deſinit.* Item lib. 2 de Abel & Caio cap. 9 *Mors peccatoris finem peccandi affert*, & capit: 10. *Si nocentes moriuntur qui gradum à peccatis reuocare noluerint, vel inuiti tamen finem non natura ſed culpa adipiſcuntur, ne plura delinquant, quibus vita fœnus eſt delictorum.*

Hieronymus ſcribens ſuper Ecclesiaſtæ 9. generaliter affirmat mortuos, nec iuſtè agere poſſe, nec peccare, nec virtutes adijcere, nec vicia, & ſuper Malach. 4. de impijs ait: *Cumque eos inflammauerit atque combuſſerit dies Domini, non relinquet in eis vllam radicem & germen malitia.* Idem ſuper 1. c. Sophon. ad illud: *Conticuit omnis populus Chanaam: Blaſphemiam*, inquit, *eorum in die iudicij ceſſare ſignificat, & os quod in altum poſuerunt linguam q; ad terram vſque penetrantem æterno ſilentio conticeſcere.*

Auguſtinus ench. 111. bonæ voluntatem, malis facultatem peccandi fore negat, & homil. 19. inter 50. quod nemo in gehenna peccare permittetur, & lib. 3. de doctrina chriſt. capit. 11. de damnatis loquens: *Cum quibus*, inquit, *euertitur ipſa cupiditas, qui eam vincere noluerunt.* Atqui euerſa & ſublata cupiditate peccatum omne pariter ſublatum eſſe videtur. Denique S. Thomas 2. 2. q. 25. artic. 6. ad 1. dicit mortem peccatori non conuerſo prodeſſe ad culpæ terminationem: quia per hoc tollitur ei poteſtas amplius peccandi.

Tale quid etiam ſcripturæ ſonare videntur, vt pſal. 9. de impio: *Quæretur peccatum eius & non inuenietur*, & Ioan. 9. *Venit nox quando nemo poteſt operari*, & Matthæi 22 *Ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores.*

Vrget & ratio: Peccatum enim omne pœnam meretur. Id enim poſtulat naturalis ordo iuſticiæ, vt non ſit dedecus culpæ ſine decore vindictæ: Igitur damnati extra ſtatum merendi ac demerendi conſtituti non peccant amplius. Alioqui peccarent impunè, quod Dei iuſticia non patitur.

Verùm his non obſtantibus omnino dicendum eſt damnatos ſiue dæmones ſiue homines non tantùm peccare poſſe, ſed & continuò peccaturos, quia confirmata eſt in eis ſemperque manſura mala & peruerſa voluntas, ſicut è contra in beatis ita confirmata eſt bona & ſancta voluntas, vt eam amittere non poſſint. Vnde ſicut electorum charitas in futuro ſæculo nunquam excidet 1. Cor. 13. ita de reprobis dictum eſt pſal. 73. *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper*, & ſicut *ſancti in ſecula ſeculorum laudabunt Dominum* pſal. 83. ita Apoc. 16. blaſphematuri Deum dicuntur illi, in quos plagæ iræ eius deſæuient. Sicut ergo in ſanctis ſine fine perſeuerabit amor & laus Dei, ſic contra in impijs permanebit odium Dei & blaſphemia. De blaſphemia tamen vide in reſponſionibus.

Neque verò dici poteſt hanc malam in damnatis atque auerſam à Deo voluntatem non habituram rationem peccati. Cùm enim lex Dei æterna nunquam extinguatur, quicquid voluntate contra eam committitur, ſiue in hac vita ſiue in alia, peccatum eſt. Nam & è diuerſo bona ſine dubio opera erunt, & peccatis oppoſita, quæcunque fient à beatis, vtpote legi Dei æternæ conformia, rurſum dicente pſalmiſta pſal. 118 *Cuſtodiam legem tuam ſemper in ſæculum & in ſæculum ſæculi.* Rectè proinde S. Thomas ad eam legem reſpiciens 1. quæſt. 64. artic. 2. ad 5. docet quod omnis actus voluntatis dæmonum inordinatus eſt & malus, & 1. 2. quæſt. 89. artic. 4. quod *omnis actus voluntarius damnatum eſt peccatum mortale.* Sic ille de dæmonibus. Nec apparet ratio quare non idem de hominibus damnatis atque impijs cenſeatur, cum ſimiliter vt dæmones, voluntatem gerant obduratam in malo.

Hoc igitur conſtituto quòd damnati in inferno peccabunt, & quidem ſine intermiſſione; ſciendum tamen eſt ita eorum malam voluntatem ſine merito vlterioris pœnæ futuram, ſicut ſanctiſſima voluntas electorum in cælo nullam ampliorem gloriam merebitur. Cuius ratio eſt, quia vtrique iam in vltimo fine bonorum vel malorum tanquam in termino conſiſtent, tranſacta huius vitæ via quæ illis ad merendum erat conſtituta. Ideoque ſicut bona voluntas in bonis non erit meritum ſed præmium: ita mala voluntas in malis non demeritum erit ſed ſupplicium, niſi fortè quis fingat in vtraque illorum voluntate rationem meriti & demeriti reſpectu perpetuæ continuationis eiuſdem ſtatus, Quod tamen non eſt neceſſarium, cum illius perpetuitatis ſufficiens meritum comparatum fuerit in hac vita. Nam ſicut charitas bonorum perfici meretur & confirmari in æternum, ſi in ea deceſſerint; ita & iniquitas malorum, intellige per deſertionem.

Sciendum quoque quod hæc damnatorum mala voluntas nunquam eouſque progredietur, vt per eam ſanctis noceant, aut eorum felicitatem quoquo modo perturbent aut minuant, ſed impedita & velut ligata tenebitur. Sic enim non malè accipitur illud Matth. 22. *Ligatis manibus & pedibus &c.* nempe vt mali quidem ſint & bonis malè velint, impediti tamen per Dei iuſticiam nocere non poſſint.

Quamquam & aliter ac fortaſſe conuenientiùs accipi poteſt, vt ſignificetur ab eo qui bona opera facere noluit in hac vita, poſt mortem omnem bene agendi facultatem auferendam eſſe. Hoc enim & tenebræ exteriores in quas mittendus dicitur, ſignificant. Quamuis enim *omnis qui malè agit, in tenebris verſetur* ſcriptura teſte Ioan.

3. & 8. & 1. Ioan. 1. & 2. sieut & contrà, *qui bene agit, in luce ambulare* dicitur Ioan. 1. & 3. Ephes. 5. & alibi; attamen tunc demum in exteriores, id est, extremas & profundissimas & ab omni luce remotissimas tenebras proijci dicitur peccator, quando penitus omni lumine ei subtracto, ne spes quidem vlla relinquitur eius recipiendi, quod fit in futuro sæculo, quemadmodum docet Augustinus in expos. psal. 6. & epist. 120. cap. 22. & 23.

Ex his igitur intelligi potest quo sensit patres interdum negent damnatos peccare, imò & peccare posse. Ambrosius enim de merito & augmento peccatorum ac viciorum locutus est. Sic & Hieronymus super Eeelesiasten, quod ex eo patet: quia similiter de bonis & malis loquitur, dicens mortuos nec iustè agere posse nec peeeare, nec virtutes adijcere nec vicia.

Altera Hieronymi sententia maiorem obscuritatem habet, tametsi hoc sentire videtur, ita in impijs tollendam omnem radicem & germen maliciȩ, vt nihil ex ijs oriatur mali per quod noceant iuxta illud Isaiæ: *Non nocebunt in vniuerso sancto monte meo.* Quod autem dicit super Sophon. hunc sensum habet: Deum post extremum iudicium non permissurum malis vt membris suis ac ne lingua quidem sua vtantur in iniuriam Dei & sanctorum eius. Vnde sicut eorum erunt ligatæ manus & pedes, sic & ligata eorum lingua, licèt animi malicia non sit cessatura.

Porrò Augustinus in enchiridio satis significat malis inesse peccandi voluntatem, quando eam tantùm à sanctis remouet, & consequenter malis competere peccandi actum, cum sint eadem peccare, & peccare velle. Remouet tamen ab ijs peccandi facultatem, quia malam voluntatem cum effectu alicuius nocumenti exequi non poterunt, sicut possunt in hac vita. Quod idem apertius significatum est illis verbis hom. 19. oper. imperf. in Matth. *Mors animam quidem à carne separat, animæ autem propositum non immutat,* & iterum: *Iniqui nec post mortem desinunt esse iniqui, quia etsi peccare non possint, peccandi tamen propositum tenent.* Sic ibi. Peccare igitur in huiusmodi sententijs non aliud est quàm malam voluntatem cum alterius nocumento exequi. Cùm alterius inquam, nocumento. Multi enim putant (licèt aliter sentire videatur Hieronymus, vt iam dictum) quod impij ore quidem blasphemias emittent, quæ erit quædam malæ voluntatis executio, sed per hoc nec Deo nec sanctis nocebunt. Eodem modo intelligenda esse reliqua duo Augustini loca, satis ipsa eorum circumstantia declarat. Simile quid insinuat versiculus psalm. 9. nempe futurum aliquando vt homo impius nocere amplius non possit sublato etiam à pijs omni nocumento quod ab impio passi fuerant.

At sententia Domini apud Ioannem 9. de opere vtili ad salutem venit intelligenda, rectèque ex ea probatur damnatos nihil boni posse amplius mereri, ideoque inutilem esse eorum pœnitentiam, quæ tamen ipsa etiam peccatum est, quia malo fine viciatur. Hunc sensum clarè monstrat id quod præcedit: *Operamini dum dies est,* scilicet bene. Vnde & mox vocatur illud tempus quo operari, scilicet bene, nemo potest eorum qui in die huius sæculi bene operari noluerunt. Nam certè beati non dicuntur esse in nocte sed in perpetua luce, in qua semper bene, licèt non meritoriè operentur.

De loco Matth. 22. iam dictum est.

Ad rationem quoque patet ex dictis quid sit respondendum. Nam antecedens pro statu vitæ præsentis non autem futuræ veritatem habet saltem loquendo de noua pœna.

§. 2. *Utrùm damnatorum animæ cognoscant quæ apud nos aguntur.*

S. Thom. suppl. q. 98. ar. 7.

BEatorum animas non esse prorsus ignaras rerum quæ apud nos aguntur, earum maximè quæ ad eos aliquo modo pertinent, cuiusmodi sunt preces ad eos directæ; ostensum est suprà ad distinctionem 45. Cęterùm de animabus damnatorum longè alia ratio est.

Primùm, quia vnum est ecclesię corpus, cuius membra partim regnant in cælis, partim militant in terris; & proinde iusta horum inter se communio est: damnati verò prorsus ab ecclesia sunt alieni, imò sicut Deo ita & ecclesiæ eius contrarij, vt meritò eis accommodari possit illud 2. Cor. 6. *Quæ societas luci ad tenebras?*

Secundò, quia neque damnati à nobis adiuuari possunt, neque nos ab illis, ideoque frustra permitteretur cognoscere res nostras; præsertim cùm naturaliter eas non cognoscant, neque ratio sit quare pręter naturę ordinem fiat eis reuelatio, nisi fortè interdum ad hoc, vt eiusmodi cognitio causa illis existat maioris pœnę accidentalis, quę eò magis crescit, quò plures cognouerint suo malo exemplo vel doctrina peruerti & ad damnationem pertrahi.

Tertiò, quia damnati curam viuentium nullam habent ex charitate qua carent, cùm sint in odio Dei & proximorum obfirmati. Sed si quam habere videntur suorum curam, sicut diues ille epulo interpellans Abraham pro fratribus suis, *ne & ipsi venirent in locum tormentorum* Luc. 16. (qui tamen quid tunc circa eos ageretur, ignorabat) ea vel ex reliquijs carnalis affectus procedit, quo homines etiam pessimi pœnas ab ijs quos carnaliter diligunt, auertere cupiunt; vel vti docet Gregorius lib. 9. moral. cap. 49. ex eo quod metuant suæ pœnæ augmentum, dum alij ipsorum mala exempla secuti in eandem damnationem incidunt. Atque hoc apparet probabilius. Nam priori rationi videtur obstare quod iam diximus, & communiter tenetur, damnatos non Deum tantùm, sed & homines omnes odisse, ijsque malè velle. Quamquam Augustinus ad priorem rationem magis respexisse videtur in expositione psal. 108. vbi exemplo diuitis illius in inferno positi, & adhuc pro fratribus solliciti, ostendit nonnullam mortuis esse curam pro viuentibus caris suis. Verùm ex hac qualicunque cura damnatorum pro viuis, minimè consequens est ab illis cognosci quæ circa viuentes aguntur, sicut vicissim nostra pro mortuis cura, nec ea qualiscunque sed ex charitate procedens, non arguit scire nos quæ circa illos aguntur, vt rectè docet eodem loco Augustinus & pleniùs lib. de cura pro mortuis capit. 14. & 15. Et hæc quidem de animabus damnatis dicta sunt. Nam de dæmonibus alia ratio est, ijs maximè qui nondum in carcerem inferni detrusi sunt, sed liberè per hunc aërem vagari adhuc permittuntur. Hi namque res nostras quibus intersunt,

sunt, naturaliter cognoscunt, idque tantò facilius, A certiùsque quàm à nobis ipsis res eædem cognoscantur, quantò sunt & mente sagaciores, & propter naturam spiritualem prohiberi nequeunt, quò minùs secretissima quæque loca penetrent.

§. 3. *Quomodo sit accipienda narratio euangelica de diuite & Lazaro.*

QVoniam ad ea quæ præsenti distinctione tractantur, explicandæ vel argumentum præbet vel etiam difficultatem obijcit exemplum euangelicum de diuite & Lazaro Luc. 16. idcirco B non inutile fuerit hoc loco cum Magistro quærere, quomodo ea narratio sit accipienda. Putauerunt enim quidam parabolam esse non historiam, vt sunt aliæ complures narrationes euangelicæ, quæ non quid gestum sit docent, sed tantum parabolicè quid futurum vel quid faciendum admoneat. Hoc enim pacto euadere se arbitrati sunt quæstionem quæ de oculis & lingua diuitis, sinu Abrahæ & digito Lazari moueri solet, cùm constet C nihil horum propriè competere spiritibus mortuorum, vtpote incorporeis. In hac sententia sunt Theophylactus & Euthymius in Luc. & author variarum quæstionum apud Athanasium q. 21. Nam Athanasij non esse illud opus satis inter doctos conuenit.

At verò longè probabilius est historiam esse, id est narrationem rei gestæ, tum quod euangelista non præmiserit, vt alibi solet, parabolæ nomen, sicut non præmittitur in recitando euangelio inter missarum solennia secundum vsum Romanum; D tum quia vt Ambrosius super Luc. rectè argumentatur, in ea proprium mendici nomen expressum est, quod in parabolis fieri non solet vt propria nomina personarum exprimantur. Tum denique, quia huius narrationis non est aliqua applicatio parabolica vt in alijs esse solet, sed refertur pro exemplo iudicij diuini contra diuites auaros & inclementes, vt alij similia timeant & caueant.

Rectiùs igitur plærique patres hic historiam agnoscunt, vt Ambrosius & Beda in huius loci expositione, Augustinus de gen. ad lit. lib. 8. cap. 5. cuius loci verba recitat Magister, in quibus E est hæc sententia: *Diuitem in supplicio, pauperem in refrigerio esse non dubito.* Item eiusdem operis lib. 12. c. 33. & præterea lib. 21. de ciuit. cap. 3. & 10. lib. 2. quæst. euang. 38. & in expósit. psal. 108. & lib. vlt. contra Faustum c. 5. Gregorius hom. 40. super euang. Haymo hom. dominicæ 2. post octauam pentecost. Magister in textu & alij.

Nec pro diuersa sententia facit quod patres interdum parabolam vocent, quomodo & nominatur in quibusdam missalibus, vbi legitur F hoc initio: *Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc,* non enim nudam parabolam illi intellexerunt, sed parabolam historicam, vel si mauis, historiam parabolicam, id est, talem quæ ad doctrinam aliquam salutarem vtiliter accommodetur, quomodo & plurimæ historiæ veteris testamenti allegoriam continent mysteriorum nouæ legis, salua nihilominus per omnia veritate historica.

Quod ipsum & in præsenti narratione catenus retinendum est, vt tamen in ea figuratum sermonem necessariò agnoscamus, ne quod Haymo loco memorato putat ex hac scriptura ostendi posse, credere cogamur animam more corporis membra habere. Siquidem membra illa, oculi, lingua, digitus, quæ in scripturis etiam Deo legimus attributa, sine dubio metaphoricè sunt intelligenda, sicut & sinus Abrahæ. Significare enim Dominus voluit animam diuitis grauissimè cruciari, atque id præcipuè propter peccata linguæ, qui proinde refrigerium petere dicitur extremo digito Lazari in aquam intincto, id est minimo opere misericordiæ per Lazarum præstando, vt exponit Augustinus quæstione euangelica supradicta, vbi & sinum Abrahæ interpretatur requiem beatorum post hanc vitam, quòd videlicet Abrahæ fidem fuerint imitati, quomodo & Gregorius eundem sinum interpretatus est hom. 40 per oculos autem cognitionem significari, satis per se manifestum est. Cæterùm quod dubitare videtur Augustinus locis supra memoratis de gen. & de ciuit. Dei, num anima dum à corpore separatur, corpus aliquod subtile secum deferat, aut aliquam similitudinem habeat corporalium membrorum, alibi sine dubitatione negat. Nam in epistola 100. dicit se nullo modo putare quod anima de corpore exeat cum corpore. Idemque minus adhuc à posterioribus, præsertim scholasticis doctoribus dubitatum fuit. Horum enim omnium constans est sententia, animam rationalem prorsus incorpoream, imparubilem atque immaterialem esse, atque ob id natura sua perpetuam atque immortalem, perinde vt alias creaturas spirituales. Sed huius rei plenior explicatio ad secundum sententiarum pertinet, vbi ea res ad distinctionem 17. tractatur.

§. 4. *Damnati quatenus statum beatorum cognoscant.*

ETsi de ijs qui post hanc vitam in æternum erunt aut miseri aut beati, num alij alios cognoscant, quadrimembris institui possit quæstio; scilicet an boni cognoscant bonos, an mali malos, an boni malos, & an mali bonos (quatuor enim hæc quæstionis membra proponit & tractat Haymo in hom. dominicæ 2. post octauam pentecostes) non tamen hic necesse est in singulis hærere. Notissimum est enim quod boni videant atque cognoscant bonos, tanquam vnius corporis membra indissolubili charitatis vinculo coniunctissima. Nec dubitandum videtur quin & mali cognoscant malos saltem eos quos in hac vita nouerunt. Cùm enim diues ille in inferno positus (vt scribit Haymo) fratrum suorum absentium meminit, liquidò datur intelligi, quia eos quos præsentaliter malos videbat, recognoscere poterat. Quanquam id extendi etiam potest ad malos in superiori vita incognitos, si tales sint vt ad eorum punitionem hoc pertinere iudicet diuina iustitia, quod qui sint & quam mali fuerint, & quæ scelera perpetrauerint, multis aut omnibus æternæ damnationis socijs etiam ante magnum iudicij diem innotescat. A bonis autem malos in inferno positos videri nullum dubium est, vti proximo capite dicemus.

S. Thom. suppl. q. 98. art. vltimo.

Verum pro quarti membri explicatione, id est, an mali videant bonos, distinguenda sunt tempora. Siquidem ante Christi passionem diues ille in tormen-

tormentis positus Abraham vidisse legitur & Lazarum in eius ſinu, atque vtriuſque cognouiſſe felicitatem. Quod tamen vtrùm peculiari diſpenſatione diuina ſic factum ſit, quomodo facta eſt allocutio eorum mutua, an potiùs ordinario pro eo tempore cognoſcendi modo; poteſt rationabiliter dubitari, quemadmodum & illud, an etiam poſt Chriſtum vſque ad diem iudicij ſanctorum animæ iam in cælum tranſlatæ poſſint ab ijs qui ſunt apud inferos, videri. Quod negare videtur Gregorius lib. 4. moral cap. 32. ſignificans ideo Abraham & Lazarum à diuite in inferno poſito videri potuiſſe, quia illi in imis, id eſt inferorum locis erant, quaſi nunc in cælum ſublati videri ab eo amplius non poſſint. Hæc enim videri poteſt probabilis quædam ratio diuerſitatis inter tempus ante Chriſti paſſionem & poſt: Sed ſi attendamus quod dicit Auguſtinus lib. 20. de ciuit. Dei cap. 15. iuſtos antiquos fuiſſe quidem apud inferos, ſed locis à tormentis impiorum remotiſſimis; videbitur hæc diuerſitatis ratio quam indicare videtur Gregorius, non tanta eſſe, quin vtriuſque temporis cognitio malorum de bonis, debeat potiùs ad peculiarem Dei diſpenſationem referri quàm ad ordinariam cognoſcendi viam, ſi modò loquamur de cognitione diſtincta & particulari, quam viſionem vocare ſolemus. Hoc enim cognitionis modo non eſt veriſimile bonos à malis in futuro ſæculo ordinariè cognoſci, vel etiam ante Chriſti paſſionem cognitos fuiſſe, ſed tantùm generali & confuſo quodam modo. De quo proinde accipiendum illud eiuſdem Gregorij hom. 40. in euangelia, vbi dicit vſque ad retributionem extremi iudicij quoſdam iuſtos in requie poſitos ab iniuſtis conſpici, vt eos videntes in gaudio, non ſolum de ſuo ſupplicio, ſed etiam de illorum bono crucientur. Hoc & Auguſtinum voluiſſe veriſimile eſt q. 38. lib. 2. quæſt. euang. cùm dicit malos videre de longinquo, atque ſentire beatorum requiem, quò tranſire non poſſunt, non diſtinguendo tempus ante & poſt Chriſti aduentum. Nec diſſimilia ſunt quæ ſcribit Chryſoſtomus epiſtola 3. potiſſimùm reſpiciens ad tempus noui teſtamenti. Hanc igitur viſionem de qua iſti loquuntur, ſi eſt ordinaria, non aliam fuiſſe putandum eſt, quàm qua mali in genere cognoſcant feliciſſimum ſtatum bonorum. Neque tamen interim negandum, quin etiam peculiari ac diſtincta noticia quidam mali de quibuſdam bonis quod cum Deo regnent, & quanta ibi felicitate fruantur, cognoſcant, ſed id extraordinaria Dei diſpenſatione, quomodo illud de diuite epulone rectiſſimè accipitur. Quod & Gregorij verba diligentius conſiderata ſignificare videntur. Nam & Chryſoſtomus loco iam dicto diuinæ diſpenſationis meminit. Præmiſſo enim diuitis & Lazari exemplo, ita ſubiungit: *Eſt & hæc diſpenſatio Domini, vt quando impios punit & iuſtos remunerat, mutuum ſe videant & cognoſcant. Etenim tunc martyres, ſuos quiſque tyrannos agnoſcent, & tyranni ſuos quos afflixerunt martyres.* Sic ille, ſubijciens teſtimonium ex lib. Sap. 5. *Tunc ſtabunt iuſti &c.* & paulò pòſt: *Ita & in die iudicij videbunt impij ſanctos lætari & ipſi menſa regia frui non poterunt &c.* Neque tamen propter hæc verba crediderim Chryſoſtomum de ſolo die extremi iudicij loqui, ſed magis comprehendere voluiſſe totum tempus quod eſt à morte hominis vſque ad illum diem. Ab eo enim tempore & impij puniuntur & iuſti remunerantur, lętantes & menſa regia fruentes. Porrò in ipſo iudicio extremo etiam oculis corporeis impij ſanctorum gloriam contuebuntur, vt pulchrè ac diſertè declarat Sapiens cap. 5. Nam quod eo loco ſequitur: *Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt*, non eſt in Græco, & ſic intelligi poteſt quod ex viſione iuſtorum in die iudicij retenta certa memoria etiam talia dicant iam in inferno poſiti, non quod tunc adhuc iuſtos oculis videant.

Porrò etiam ſupra ad diſtinctionem 48. oſtendimus Chriſtum iudicem in gloria ſua ab omnibus hominibus etiam impijs conſpiciendum: poſt iudicium verò vtrumque ab ijs auferetur, vt neque corporeo aſpectu gloriam ſanctorum videant, neque diuina promiſſione noticiam aliquam vlteriorem de ſanctis quanta in felicitate verſentur, capiant. Non quod huiuſmodi cognitio parte aliqua eorum miſeriam minueret, cum augeat potiùs, quemadmodum docet Gregorius homil. 40. ſed quia tanquàm extremè deſpicabiles, ſicut à facie Dei & à facie Chriſti, ita à facie omnium ſanctorum, ſtatuſque eorum feliciſſimi percipienda noua cognitione longiſſimè repellantur. Nec minus tamen quam ante, ſed magis etiam dolebunt & miſeri erunt. Nam præter hoc quod non ceſſabit inuidiæ tormentum ob recordationem felicitatis & gloriæ in qua ſanctos aliquando viderint, accedet alterum ex contemptu quem patientur: quod nimirum ne videre quidem amplius aliquid tale digni habebuntur. Conſentanea eſt hæc doctrina cum ijs quæ tradunt Gregorius homil. 40. Auguſtinus ſuper pſal. 6. & lib. 20. de ciuit. capit. 22. & Haymo vbi ſuprà.

§. 5. *Quomodo ſancti viſis impiorum pœnis afficientur.*

SAncti ac beati à contemplandis impiorum pœnis nunquam ne quidem peracto iudicio & omnimoda ſeparatione iam facta prohibebuntur. De ijs enim ſcriptum eſt Iſa. vlt. *Egredientur & videbunt cadauera virorũ qui præuaricati ſunt in me.* Quod exponens Auguſtinus de ciuit. loco memorato, *Egredientur*, inquit, *non corporis motu, ſed per ſcientiam. Qui enim erunt in pœnis, quid agatur intus in gaudio Domini neſcient. Qui verò erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus, ſcient.* Eadem eſt ſententia Hieronymi ſuper Iſa. vlt. Chryſoſtomi epiſt. 3. Gregorij hom 40. ſuper euang. lib. 6. moral cap. 20. & lib. 4. dialog. cap. 44. & Haymonis loco dudum allegato.

S. Thom. ſuppl. q. 94. ar. 2. & 3.

Neque tamen hæc ſanctorum ſcientia mouebit ipſos ad commiſerationem ſeu compaſſionem aliquam erga damnatos, & proinde nec per eam vllo pacto minuetur aut obnubilabitur eorum gaudium, ſed potiùs augetur; tum quia conſpectis impiorum tormentis glorificabunt Deum, per cuius miſericordiam tantum malum euaſerint, quemadmodum in dicta homilia pulchrè declarat Gregorius; tum quia lætitiam capient ex opere iuſtitiæ diuinæ iuxta illud pſal. 57. *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam*, & Iſa. vlt. de impijs: *Et erunt ad ſatietatem omni carni*, id eſt omnibus electis.

Quod & manifeſtè ratione probatur. Sancti enim Deo perfectè coniuncti atque eius beatificæ contemplationi penitus iam immerſi, ita ſe per omnia beneplacito voluntatis eius conformant & in æternum conformabunt, vt nihil velint nec velle poſſint, niſi quod eum velle viderint, adeo vt ne patrem quidem aut filium in gehennæ tormentis poſitum inde ereptum cuperent,

ne qui-

ne quidem secundùm voluntatem seu appetitum inferiorem, qui in illo beatitudinis statu voluntati rationali perfectè subiectus est. Hinc etiam est quod quamuis & Christus nunc patrem incessanter pro nobis interpellet, & sancti cum eo regnantes vsque in finem sæculi pro nobis orare non desinant, non tamen ex miserijs in quibus sumus, imò neque ex peccatis quæ committimus (quæ vtraque & cognoscunt & interpellando pro nobis atque orando depellunt) aliqua veri nominis compassione, dolore, luctu aut tristicia afficiuntur, neque omnino suæ perfectæ felicitatis vllum inde patiuntur detrimentum, vt malè tam de Christo quàm de alijs sanctis sensit Origenes hom. 7. super Leuit. quem ob id meritò reprehendit & castigat Bernardus in sermone cui titulus, *De verbis Origenis.*

Quò minùs itaque mirandum est quod ijdem beati erga reprobos in peccandi voluntate æternum obstinatos, nulla misericordiæ compassione mouebuntur, sed potiùs in seueritate iudicij diuini cum applausu & gaudio acquiescent. Hoc & in euangelica narratione significauit Abraham, quando filium vocans diuitem illum, vtpote ex sua posteritate natum, nullum tamen misericordiæ affectum erga eum ostendit, sed magis obiurgauit, & peccata vitæ superioris improperando obiecit. Quare nec illud quod subiecit dicens: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare,* sic accipiendum, quasi beatis insit aliquis commiserationis affectus, quo etsi non possint, velint tamen succurrere miseris in inferno positis, sed sensus est: Propter immobilitatem decreti ac sententiæ diuinæ tanquam impertransibile quoddam chaos interpositum non posse iustos vllam opem præbere damnatis, etiamsi id facere quàm maximè vellent. Quomodo exponit eum locum Augustinus lib. 2. quæst. euang. 38. & plenius declarat Gregorius hom. 40. docens hoc sensu eos qui volunt de beatorum sede ad afflictos & in tormentis positos transire non posse, quia *iustorum animæ quamuis in sua natura bonitate misericordiam habeant, id est, ita boni sint vt misericordia mouerentur si liceret, id est vellent iuuare, iam tunc auctoris sui iusticia coniunctæ tanta rectitudine constringuntur, vt nulla ad reprobos compassione moueantur &c.* Nec malè Ambrosius in commentario licèt paulò aliter, dum chaos intelligit in eo quòd post mortem merita mutari non possint. Hæc enim causa est cur beati perditis succurrere nequeant.

§. 6. *Vtrùm post iudicium dæmones præerunt supplicijs hominum.*

S. Thom. 1. p. q. 108. ar. 7.

HOmines à dæmonibus tanquam diuinæ prouidentiæ iusticiæque ministris affligi atque puniri tum in hoc sæculo, tum etiam in futuro, saltem vsque ad extremi iudicij diem, passim scriptura testatur. Sanctus enim Iob variè à Satana afflictus legitur, & psal. 77. legimus *immissiones per angelos malos.* Hinc quoque tam multi à dæmonibus vexati atque obsessi in sacra scriptura alijsque historijs leguntur, quos illi inuiti & non nisi potentiori virtute compulsi relinquunt. Nec ignotum est quanta mala corporibus & possessionibus hominũ per incantatores & sagas, siue alijs quibuscunque modis Deo permittente soleant inferre. Vnde non tantùm quia genus hominum perpetuò sollicitant ad peccata, sed & quia ad nocendum corporibus potestatem in hoc elementari mundo acceperunt, *principes aeris huius & rectores tenebrarum harum* appellantur ab apostolo Eph. 2. & 6. Quod autem etiam in futuro sæculo torquendis impijs sub Deo iudice præsint, significare videtur Dominus Matth. 5. & 18 & Luc. 12. vbi dæmones dicuntur *ministri, tortores & exactores, quibus à iudice tradendi sint debitores & seruus nequam quoadvsque reddant vniuersum debitum.* Sic enim præter alios interpretatur Beda in commentario super Lucam; tametsi Ambrosius exactores intelligere videatur angelos bonos. Qui & ipsi interdum sunt in puniendis hominibus ministri iusticię diuinæ, vt Gen. 3. & 19. 2. Reg. vlt. 4. Reg. 19. psal. 34. & Act. 12.

Vtrùm verò etiam post iudicium angeli mali tormentis hominum impiorum præfuturi sint, an potiùs sola tunc Dei virtute absque dæmonum ministerio homines, vt & ipsi dæmones æternis ignibus sint cruciandi, [illegible]ari potest. Hoc enim à Magistro distinctione 47. quæsitum in hunc extremum vsque locum opportunè reiecimus.

Sanè posterius istud cum sententia scripturæ sacrę & patrum interpretatione magis congruere videtur. Ait enim apostolus 1 Cor. 15. de tempore extremi iudicij & deinceps *cum euacuauerit*, id est abrogauerit atque sustulerit *omnem principatum & potestatem & virtutem.* Quo significatur secundum expositionem Chrysostomi, Theophylacti & Oecumenij (licèt Anselmus & Hayno, cuius verba recitat Magister, apostoli sententiam latiùs interpretentur) cessaturam omnem prefecturam, & violentiam potestatum apostaticarum. Quod ipsum & Beda licèt obscurè significauit loco paulò antè citato, dicens omnes homines per malignos spiritus in infernum detrudi, quoadusque dies iudicij veniat, ex quo iam in inferni ignibus simul & ipsi crucientur. Quasi dicat ministerium torquendi competere eis tantùm vsque ad iudicij diem, postea autem futuros eodem cum hominibus loco & pari cõditione, sublato nimirum per iudicium omni ordine præfecturę è statu damnatorum. De quo dictum intelligi solet illud Iob 10. *Vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitans.*

Denique non parum confirmat hanc sententiam quod Matth. 13. bonis angelis attribuitur, non tantùm quod *separabunt malos de medio iustorum,* verùm etiam quod *mittent eos in caminum ignis.* Id quod maximè fieri conueniebat per dæmones, si adhoc aliquam potestatem in puniendis hominibus damnatis peracto iudicio retinerent.



Omnia ecclesiæ Catholicæ iudicio submissa sunto.

LAus Deo omnipotenti per Christum filium eius in spiritu-sancto, cuius ope, ductu & gratia ad finem hos commentarios perduxi. Nam principio quidem cùm prælegere cepissem à distinctione 23. quarti huius libri, absolui eundem librum 8. Iulij 1583. Deinde iterum totum Magistri volumen absolui die 28. Septemb. 1591.

F I N I S.



INDEX

INDEX DISTINCTIONVM

ET PARAGRAPHORVM QVÆ IN POSTERIORI TOMO COMMENTARIORVM LIBRI QVARTI SENTENTIARVM CONTINENTVR.

DISTINCTIONIS XXIII.

Distinctionis XXIIII.

De sacramento ordinis.

Distinctionis XXV.

Distinctionis XXVI. De sacramento matrimonij.

Distinctionis XXVII.

Distinctionis XXVIII.

Distinctionis XXIX.

Distinctionis XXX.

Distinctionis XXXI.

Distinctionis XXXII.

Distinctionis XL.

Distinctionis XLI.

Distinctionis XLII.

Distinctionis XLIII.

Distinctionis XLIIII.

Distinctionis XLV.

Distinctionis XLVI.

Distinctionis XLVII.


13. Sol-

Distinctionis XLVIII.

Distinctionis XLIX.

Distinctionis vltim.

Finis Indicis Distinctionum & Paragraphorum.



LE PRIVILEGE.

SVr la requeste presentée aux Archiducz noz Souuerains Princes & Seigrs. de la part de PIERRE BORREMANS Imprimeur iuré en nostre Vniuersité de Douay, contenant qu'on luy auroit mis es mains certain Liure intitulé *Commentaria Eximij Domini Magistri nostri* GVILIELMI ESTII *Sac. Theol. Doctoris, & in Academia Duacen. dum viueret primarij professoris in quatuor libros sententiarum Magistri Petri Lombardi*, pour les imprimer, comme fort vtiles & desirez de ceulx qui estudient en la saincte Theologie, à quoy le suppliant seroit prest d'entendre, mais ne le pouuãt faire sans nostre congé, Il nous à bien humblemẽt supplié de le luy donner auecq priuilege pour le terme de quatorze ans, à commencer auoir cours dez que ladite impression sera acheuée, considerez les grandz fraiz qui luy conuiendra d'exposer à cest effect, & luy faire sur ce depescher noz lettres patentes en tel cas pertinentes, *Pour ce est il* que nous les choses susdits considerees, & veue en nostre Conseil Priué l'approbation, & visitation dudit liure Maistre George Colueneere Docteur & Professeur en la saincte Theologie, en nostre Vniuersité de Douay, & ensamble Visitateur & censeur des liures in icelle, inclinans fauorablement à la supplication & request dudit Pierre Borremans suppleant auons octroyé, permis, & accordé, octroyons, permettons, & accordons, en luy donnant congé, & licence de grace especiale par ces presentes, qu'il puist & pourra imprimer le susdit liure, Intitulé *Commentaria Eximij Domini Magistri nostri* GVILIELMI ESTII *Sac. Theol. Doctoris, & in Academia Duacen. dum viueret primarij professoris in quatuor libros sententiarum Magistri Petri Lombardi*. Et iceluy vendre, & distribuer en & par tous noz pays de pardeça, sans pour ce aucunement mesprendre, & ce pour le temps & terme de douze ans, à commencer auoir cours dez que ladite impression sera acheuée. Defendans, & interdisans bien expressement par cesdictes presentes à tous Imprimeurs, Libraires, & aultres quelz qu'ilz soyent de n'Imprimer, ou contrefaire ledict liure, ny d'allieurs imprimer, ou contrefaict apporter vendre, ou distribuer en nosdicts pays de pardeça durant ledict terme de douze ans, sans l'adueuë ou consentement dudit Suppliant, à peine de confiscation de tout ce qu'au contraire aura esté imprimé, & en oultre de trois florins carolus d'amende pour chacune exemplaire, à appliquer la moictie au profict de leursdits Altezes, & l'autre moictie audit Imprimeur, comme plus amplement est declaré aux pattentes. Faict à Bruxelles soubz le cachet de leursdits Altezes le vingtsixiesme iour du mois de Nouembre l'an de grace mil six cens & treize.

I. LE CONTE.

At esté acheué d'imprimer le troisiesme de Nouembre mil six cens & quinze.

DVACI,
Apud PETRVM BORREMANNVM Typographum Iuratum,
sub signo SS. Apostolorum Petri & Pauli
M. DC. XVI.

INDEX PRÆCIPVORVM AC DIFFICILIORVM LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ AB AVTHORE TOTO HOC OPERE ACCVRATIVS EXPLICANTVR, SECVNDVM ORDINEM VETERIS AC NOVI TESTAMENTI.

In quo primus numerus librum designat, secundus paginam, litera lineam, nota verò 1. vel 2. columnam.

In quarto autem libro, qui in duas partes diuisus est, nota p. 1. priorem & nota p. 2. posteriorem partem demonstrat.

EX GENESI.

EX EXODO.

EX LEVITICO.

EX NVMERIS

peccatis

EX DEVTERONOMIO

EX IOSVE

EX LIBRO PRIMO REGVM

EX LIBRO SECVNDO REGVM.

EX LIBRO TERTIO REGVM.

EX LIBRO QVARTO REGVM.

EX LIBRO PRIMO PARALIPPOMENON

EX LIBRO SECVNDO PARALIPPOMENON.

EX TOBIA.

EX IVDITH.

EX ESTHER.

EX IOB

EX PSALMIS.

EX PROVERBIIS.

EX ECCLESIASTE.

EX CANTICIS CANTICORVM.

EX SAPIENTIA.

EX ECCLESIASTICO.

EX ISAIA:

Et ne

EX EVANGELIO MARCI.

EX EVANGELIO LVCÆ

multum

EX EVANGELIO IOANNIS.

EX ACTIS APOSTOLORVM

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Quæ-

EX EPISTOLA PRIMA AD CORINTHIOS

EX EPISTOLA SECVNDA AD CORINTHIOS

EX EPISTOLA AD GALATAS

EX EPISTOLA AD EPHESIOS

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

EX EPISTOLA PRIMA AD THESSALONICENSES.

EX EPISTOLA SECVNDA AD THESSALONICENSES

EX EPISTOLA PRIMA AD TIMOTHEVM.

EX EPISTOLA SECVNDA AD TIMOTHEVM.

EX EPISTOLA AD TITVM.

EX EPISTOLA AD PHILEMONEM.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

EX EPISTOLA B. IACOBI.

EX EPISTOLA PRIMA B. PETRI

EX EPISTOLA SECVNDA B. PETRI

EX EPISTOLA PRIMA B. IOANNIS

Finis Indicis sacræ Scripturæ.



INDEX GENERALIS RERVM

PRÆCIPVARVM, QVÆ TOTO HOC OPERE CONTINENTVR.

In quo primus numerus librum designat, secundus paginam, litera lineam, nota verò 1. vel 2. columnam.

In quarto autem libro, qui in duas partes diuisus est, nota p. 1. priorem & nota p. 2. posteriorem partem demonstrat.

Actus

AMICVS

AMOR

ANGELI

ANGELORVM BONORVM BEATITVDO

ANGELORVM CREATIO

ANGELORVM CVSTODIA

ANGELORVM GRATIA

ANGELORVM LOCVS

ANGELORVM MALORVM LAPSVS ET PECCATVM

ANGELORVM NATVRA

Animalia

Charitate

lib. 4.

EMPTIO

Peccata

Sponsalia

exterior

SOLI DEO GLORIA.

DVACI,
Ex Typographia PETRI BORREMANS, sub signo
SS. Apostolorum Petri & Pauli
M. DC. XVI.

